



MARIA DEIPARA
THRONVS DEI

DE

VIRGINIS BEATISSIMAE DEIPARAE MARIAE LAVDIBVS PRAECLARISSIMIS,

Sub typo diuini throni in Apoc. cap. 4. adumbratæ: deq; pietate, ac deuotione, qua eadem Deipara à nobis colenda est;

OPVS EX SACRIS LITTERIS, SANCTIS PATRIBVS, ac Rationibus Theologicis depromptum.

Accessit APPENDIX. cuius Tractatus, ac quadruplicem totius Operis Indicem versa pagina indicabit.

AVCTORE

PETRO ANTONIO SPINELLO

NEAPOLITANO E SOCIETATE IESV.

COGITARE DE ILLA SENSVS EST CONSVMMATVS, & qui vigilauerit propter illam cito securus erit. Sap. 6.



BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

Estante 35
Tabla 6ª
Vol. 6

NEAPOLI, Ex Typographia Tarquinij Longhi. MDC
SVPERIORVM PERMISSV.

APPENDIX
AD HOC DE SANCTISSIMAE VIRGINIS LAVDIBVS OPVS, QVA ILLA CONTINENTVR.

ELOGIA DEIPARAE EX SACRIS litteris iuxta vitæ eius seriem digesta.

QVADRVPLEX ITEM TRACTATVS.

PRIMVS, in Salutationem Angelicam ternis in singula verba adnotatiunculis distinctus. Ad Cap. 5.

SECVNDVS, de Exemplis, ac varijs DEIPARAE Miraculis. De peccatorum conuersionibus. De poenis eorum, qui in Deiparam iniurij fuere. Deq. Hostium Ecclesiæ internecione Deiparæ virtute factis. Ad Cap. 20.

TERTIVS, de Festis Diebus Deiparæ dicatis. De Templis diuersis in locis, ac temporibus eidem erectis. Ad Cap. 29.

QVARTVS, de sacris vtriusque sexus Virginibus, qui virginitatis vexillum à Deipara erectum sunt secuti. Ad Cap. 32.

QVADRVPLEX TOTIVS OPERIS, atque Appendicis Index.

PRIMVS, Capitum huius Operis, Tractatuum, ac præcipuarum rerum, quæ in ijs continentur, iuxta eorum seriem.

SECVNDVS, locorum sacræ Scripturæ, qui in hoc Opere explicantur.

TERTIVS, Exemplorum, ac Miraculorum DEIPARAE, quæ in hoc Opere, eiusq. Appendice describuntur.

QVARTVS, rerum memorabilium, quæ hic tractantur ordine alphabetico.



CLAVDIVS AQVAVIVA
SOCIETATIS IESV
PRAEPOSITVS GENERALIS.

CVM opus hoc de Virginis Beatiſſimæ Deiparæ Mariæ Laudibus, & Appendicem Elogiorum eiuſdem á P. Petro Antonio Spinello eiuſdem Societatis Theologo compoſitum tres noſtræ Societatis Theologi, quibus id commiſimus, recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandetur; ſi ijs, ad quos pertinet, ita videbitur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 30. Martij 1613.

Claudius Aquauiua.

VOLVMEN hoc de Laudibus Deiparæ Virginis ſub Threni Dei typo mirabiliter adumbratæ, ſumma prorſus arte, ac ingenio elucubratum, eximia Sanctorum Patrum eruditione refertum, ſtylo perito diſpoſitum, facundaq. ſermonis elegantia expreſſum, ab Admodum Reu. P. Petro Antonio Spinello Societatis Ieſu Theologo celeberrimo, nunc in Regno Neapolitano Prouinciali meritiſsimo compoſitum ad fidelium inſtructionem, pro erga Coeli Reginam excitanda pietate, illaq. nutrienda, augenda, & cuſtodienda, in lucem prodirè, prælumq. mereri iure optimo duxi.

Magiſter Cornelius Tiroboſcus Prædicatorum Ordinis, Neapoli in Archiepiſcopali Curia Theologus.

Imprimatur.

Petrus Antonius Ghibertus Vicarius Generalis.

R. P. BERNARDINI REALINI SOCIETATIS IESV,

AD P. PETRVM ANTONIVM SPINELLVM

eiuſdem Societatis, ob librum de Laudibus Virginis ab eodem conſcribi cœptum. De ijſdem Laudibus B. Virginis ex D. Bernar. homil. 83. Licij die 20. Martij, Anno Domini 1609.

DVLCIS Amor IESV MARIAE connexus Amori,
Dulcia Coelicolis gaudia quanta parit?
Sponſi Amor, ac Sponſæ gratiſsima Nomina ludunt:
Vna caro, vna fides, Spiritus vnus alit.
Hæc, SPINELLE mei melior Pars altera ſentis,
Ingenij pia ſunt hæc monumenta tui.

Ad P. Spinellum Laudes B. Virginis Matris tractantem.

Bernardinus Realinus Licij die 9. Nouembris 1610.

SPINA Roſæ iuncta eſt. Spinelli ò Gratia quanta
E Coelo MARIAM cui celebrare datur?
Angelicos audire Choros, quæ gaudia Terris?
Felix, qui tanto es dignus honore. Vale.

Eiuſdem P. Bernardini Realini Carmen Italicum, quo tempore Liber hic de B. Virgine Deipara conſcribebatur. Licio Neapolim ad auctorem tranſmiſſum die 16. Martij, anni 1609. & hac ipſa inſcriptione prænotatum.

Con l'occaſione del celebrare glorioſe Laudi, che di preſente fà il noſtro molto Reuerendo Padre Pietr' Antonio Spinelli della Compagnia di Gieſù, in materia della Madonna ſantiſſima, ſotto il Simbolo di Trono di Dio, *ex cap. 4. Apoc.*

ALMA Madre di Dio, Vergine inſieme,
Chi può nel tuo ſplendor gli occhi affiſſare?
Dolce ſempre, ne mai turbato MARE,
Qual Nauicella di ſolcarlo teme?
Chiara Stella del Ciel, ſicura ſpeme,
Che Notte mai oue tu ſei non pare:
Alto TRONO, onde ſol Gratie donare
Suol quel SIGNOR, che tutto il Mondo preme.
Hor che tue lodi nobilmente ſcriue
Purgata Penna del mio caro Amico,
Gode il mio Core, e tutto allegro viue.
Ma che poco auertito il mio Cor dico?
Feſta fà il Cielo, e di là vuol ch'arriue
In Terra ancora il celebrarſi antico.

LAVS DEO, AC B. VIRGINI. CAN-

CANDIDO LECTORI.



OPVS hoc, cui titulus MARIA DEIPARA THRONVS DEI, cum eidem Deiparæ in Proœmio libri sit dicatum, nullam præfert Epistolam dedicatoriam, quæ in fronte de more præmittatur. Quicquid verò, pie Lector præmonendus sis ex Præfatione intelliges. Vt tamen breui compendio, quæ in hoc Opere tractantur, vniuersa cognoscas, subiectum Indicem tum Capitum, tum etiam præcipuarum rerum iuxta Capitum ordinem veluti totius operis Periocham eidem præfiximus; copiosiorem enim rerum memorabilium Indicem ordine alphabetico dispositum, ad calcem operis reiecimus.

INDEX CAPITVM HVIVS OPERIS, & præcipuarum rerum, quæ in ijs continentur, iuxta eorundem seriem.

PRæfatio ad Lectorem, & Auctoris consilium.

Elenchus Auctorum, qui in hoc opere citantur, vel quorum testimonia afferuntur.

Admonitio ad Lectorem de testimonijs Auctorum, quibus in hoc opere vtimur.

Proœmium ad Virginem sanctissimam Deiparam MARIAM operis nuncupatio, eiusdemq. supplex, ac demissa inuocatio. pag. 1.

Cap. 1 Sedis, seu Throni multiplex in sacris præsertim litteris vsurpata significatio, & quibusnam sedis, throniue Dei nomen tribuatur. Cap. 1. pag. 4.

Cap. 2 PRIMVM ARGVMENTVM. Quo mystico diuinæ sedis, seu throni typo, cuius S. Ioãnes in Apocal. cap. 4. meminit, beatissimam Virginem Deiparam subindicari ex prolatis in eam rem sanctorum Patrum, sacrarumq. litterarum testimonijs comprobatur. Cap. 2. pag. 9

Virginem Deiparam aliquo symbolo intellectam in visione Apocal. 4. num. 3.

Throno eburneo Salomonis, & Throno Sapphirino Ezechielis; quin etiam alijs in locis sacrarum litterarum, vbi mentio fit de Dei Throno, seu solio, Virginem Deiparam adumbrari, quæ omnia singillatim examinantur à nu. 8. & deinceps.

SECVNDVM ARGVMENTVM. Quæ Throni Dei nomine interdum censentur beatissimæ Virgini Deiparæ peculiari ratione tribui. Cap. 3. pag. 20 Cap. 3

Deipara est Cœlum nu. 1.

Quomodo figuretur per columnam nubis nu. 5.

TERTIVM PRAECIPVVM ARgumentum, quod decem proximis capitibus continetur, quo quatuor illa propter quæ Throni Angelici ex Dionysio Areopagita hoc nomen sunt adepti, longè præstantius in Deipara inueniri demonstratur.

Gratiæ magnitudo Virgini Deiparæ diuinitus in sua immaculata Conceptione collata Cap. 4. pag. 25 Cap. 4

De præclarissimo, ac mellifluo Nomine MARIAE nu. 11.

Gratiæ immensitas Virginis Deiparæ, quam in sua ab Angelo Annunciatione, cum filium Dei concepi, est consecuta: multiplex etiam gaudendi ratio ab eodem Angelo vo- Cap. 5

te illa AVE ei significata, varij quoque typi, ac nomina, quibus eiusdem Deiparæ, qua Dei Mater est dignitas exprimitur. Cap. 5. pag. 41

Deiparam omnium dominam, ac Reginam esse nu. 5.

Vocem AVE in salutatione Angelica idem esse, quod gaude nu. 11.

Varij typi, ac symbola Deiparæ, qua Mater Dei est; sunt autem, quæ sequuntur num. 22.

Paradisus voluptatis.
Ciuitas Dei. 25
Domus sapientiæ. 26
Aula Dei. 28
Thalamus sponsi. 29
Liber grandis, nouus, & obsignatus. 30
Ferculum Salomonis.
Mons Dei. 31
Medium terræ. 32
Fons hortorum, & puteus aquarum viuentium. 33
Fons lucis. 37
Cœlum Domini. ibid.
Sanctuarium Dei. ibi.
Tabernaculū sui Creatoris. ibid.
Tabernaculum fœderis. ibid.
Templum Domini. 38
Sacrarium Spiritus sancti. ibid.
Sanctissimę Trinitatis nobile triclinium.
Mensa panum propositionis. 40
Vrna aurea. 41
Arca Fœderis. 42
Arca testimonij. ibid.

Eximia Deiparæ tum corporis, tum animæ pulchritudo nu. 52.

Cap. 6 Altitudo gloriæ ad quam beatissima Virgo Deipara in sua Assumptione est euecta. Cap. 6. pag. 81

Deipara super omnet Sanctos Chorum facit separatum nu. 4.

Deipara magno excessu omnes Sanctos superat in gloria nu. 7.

Deipara plus gratiæ, & gloriæ ipsa vna obtinet quàm reliqui Sancti, & Angeli simul num. 11.

Cap. 7 Virginit purissimæ Deiparæ perpetua impeccabilitas, quam Dei beneficio est consecuta, ex qua huius diuini throni perpetua in Deo FIRMITAS apparet. Cap. 7. pag. 96

Deipara nullum admisit peccatum actuale num. 3.

Deipara non contraxit peccatum originale num. 4.

Symbola, & figuræ ex sacris litteris deprompta, quibus Deiparæ Conceptio immaculata varijs modis præsignificatur nu. 12

Deipara singulariter confirmata in gratia in sui Conceptione nu. 22.

Fomes in Deipara à sui Conceptione extinctus nu. 24.

An Deipara iustitiã originalẽ habuerit.

Virgo sanctissima Deipara præ alijs puris creaturis Deum in se excepit, atque ad homines detulit, eiq. maximè vicina fuit, tum ante Christi Incarnationem, tum præcipuè in ipsa Incarnatione, cum ex ea Christus Dominus corpus suum, quod in Cruce pro nobis est immolatum, & in sanctissima Eucharistia nobis exhibetur, susceperit. Cap. 8. pag. 133 Cap. 8

Deiparæ sanctitas ante Christi Incarnationem, & quomodo Deo ex voto consecrata fuit in templo nu. 6.

Deiparæ cum Christo vicinitas in Incarnatione, & de admirabili mysterio Incarnationis nu. 13.

Christi humanitas sacratissima vestimenti metaphora significatur nu. 18.

Corpus Christi, quod in Eucharistia exhibetur in Incarnatione ex Deipara formatum nu. 19.

In omni vitæ cursu Virgo Deipara filio familiariter proxima, eiusq. eximia erga Christum charitas. Cap. 9. pag. 133 Cap. 9

Virginis Deiparæ in filij Passione vicinitas, & de gladio doloris, qui eo tempore ipsius animam pertransiuit. Cap. 10. pag. 143 C. 10.

Virginem Deiparam ob doloris gladium, qui in Christi passione eius animam pertransiit, Martyrum præmium assecutam, eaq. de causa diem sabbati illi dicatum: insignis quoque eius constantia tempore Dominicæ passionis, cui omnium primæ Christus ab inferos rediuiuus apparuit. Cap. 11. pag. 154 C. 11.

Virgo Deipara in cœlum assumpta cum filio omnium proxima in gloriæ collocatione. Cap. 12. pag. 164 C. 12.

Opera misericordiæ perfectissimo modo à Deipara Christo exhibita nu. 8.

Virginis Deiparæ ad excipiendum Deum supernaturalis, eaq. amplissima prę alijs puris creaturis capacitas. Cap. 13. pag. 176 C. 13.

QVARTVM PRINCIPALE Argumentum [illegible] & viginti capita complectens, quo ea, quæ de diuino throno in sacra Apocalypsi dicuntur, in Virginem Deiparam optime conuenire ostenditur.

Virginem Deiparã inter puras creaturas in diuina prædestinatione præelectam, ac dignitate primam; primo etiam loco à S. Ioãne in hac visione recenseri. Cap. 14. p. 181 C. 14.

Deum

CAPITVM.

C. 15. *Deum optimum per Virginem* Deiparam *peculiari ratione cognoſci, ab eaq. denominari. Cap.* 15. *pag.*190

C. 16. *Iris in circuitu throni viſa, diuinam miſericordiam, per Virginem* Deiparam *in humanum genus effundendam, ſignificat. Capit.*16. *pag.*194

Deiparam cœli Feneſtram, Scalã, atque Portam, necnon radicem ſanctã eſſe nu. 9.

Deipara in publicis orbis calamitatibus Dei miſericordiã implorare non ceſſat. 20

C. 17. *Præſtantiſsimi quique tum veteris, tum noui teſtamenti ſancti per viginti quatuor Seniores adumbrati in circuitu Virginis* Deiparæ *eſſe, eiq. obſequi, & gratias agere dicuntur. Cap.*17. *pag.*211

C. 18. *Sanctorum* IOACHIM, *&* ANNAE *Virginis* Deiparæ *Parentum eximia ſanctitas. Cap.*18. *pag.*222

C. 19. *Quatuor Euangeliſtas in quatuor animalibus deſignatos, Virginis* Deiparæ *præſtantiam celebrare; Hæreticorumq. cõtra eam blaſphemias redarguere. Cap.*19. *pag.*228

C. 20. *E Virgine ſanctiſsima* Deipara *tanquam è diuino throno fulgura, voces, & tonitrua; Miracula ſcilicet, & Admonitioues, tum ſuaues, tum terrificas ad peccatores conuertendos proficiſci. Cap.*20. *pag.*231

Miracula, quæ in ſacratiſsima Chriſti Incarnatione in Deiparæ *vtero ex puriſſimis eius ſanguinibus facta, emicant, nu.*2.

*Deipara ipſa, qua ratione ſit præſtantiſsimum mundi miraculum nu.*6.

Miracula, quæ per Deiparam *in hominum vtilitatem fiunt nu.*11.

Lues inguinaria ſæuiſsima Romæ per Deiparæ *Imaginem depulſa nu.* 18.

Baſiliſcus Romæ peſtilentem exhalans ſpiritum Deiparæ *ope ſublatus nu.*19.

S. Ioanni Damaſceno manus à Deipara *reſtituitur nu.*20.

Sancti aliquando inuocati, Deiparę *iuſſu, beneficia contulere nu.*21.

Cur in nonnullis plura, quàm in alijs Deiparæ *templis miracula fiant nu.*24.

Miracula, quæ in nonnullis Deiparæ *templis eius inuocatione fiunt nu.* 25.

Conuerſiones peccatorum per Deiparam *multipliciter fieri nu.*36.

Fructus, quem Deipara *in conuerſione animarum per Religioſorum Ordines Prædicatorum, & Minorum efficit nu.* 37.

Fructus ex Deipara *per Societatem Ieſu in animarum conuerſione nu.* 41.

Deipara *S. Gregorium Thaumaturgum in fide inſtruendum curat nu.*47.

Aliqui à Deipara *clementer increpati reſipiſcunt nu.*48. *& ſequentibus.*

Nonnulli in Deiparam *impij membrorum priuatione, vel etiam morte mulctantur nu.*54.

Petrus Aragonius ex Carmelitano templo, verſus quod tormenta ænea diſplodenda curauerat, ænea pila ictus occubuit.

*Miraculum S. Mariæ ab Arcu prope Neapolim in Nolana diœceſi nu.*57.

Eccleſiæ hoſtes Deipara *eam protegente miſere perierunt nu.*59.

Iulianus Apoſtata à S. Mercurio Deiparæ *iuſſu interemptus nu.*59.

Ex ſanctiſsimæ Virginis Deiparæ *vita, verbisq. ſimiliter ex eius ſacratiſsimo vtero vnde Chriſtus Dominus prõdijt, fulgurare, vocesq. ac tonitrua perſonare. Cap.*21. *pag.*278 C. 21.

Deipara *ſuo exemplo omnes illuſtrat* 1.

Deiparæ *virtutes præclariſsimæ. nu.*2

Virtutes Deiparæ *heroicas fuiſſe au.* 6.

Virtutes Theologicæ, quæ in Deipara *reſulgent nu.*7,

Religionis virtus, quæ in Deipara *elucet nu.* 11. (*do n.*19

*Virtutes Cardinales. Clemẽtia, & Mãſuetu nu.*12. *Virginitas nu.* 20.

Mortificatio nu. 18. *Humilitas nu.* 21.

*Oratio, actus item vitæ actiuæ, & contemplatiuæ, quæ ne à ſomno quidem intercipiebatur; ſacrarumq. litterarnm cognitio, ac meditatio nu.*22.

Deipara *propter bonum exemplum balſamum aromatizans dicitur nu.* 32.

Chriſtus Dominus *ex Virgine* Deipara, *tanquam ex ſuo Throno procedens, fulguris, voeis, & tonitrui appellatione apte poteſt intelligi nu.*38.

Virginis Deiparæ *poteſtas efficaciſsima, & fortitudo inuicta ad omnes dæmonis vires funditus euertendas, ſub typo tonitruorum è diuino Throno procedentium: ac primo quomodo id effecerit gignendo Chriſtum, qui Iſa.*27. *dicitur: Gladius durus, grandis, & fortis debellaturus Leuiatham. Cap.*22. *pag.*310 C. 22.

Chriſtus per humanitatem à Deipara *acceptam dæmonem vicit nu.* 5.

*Chriſti de dæmone victoria ſub typo gladij Domini viſitantis ſuper Leuiatham Iſa.*27. *nu.*12.

Inſi-

C. 23. *Insignis victoria, quam Christus Dominus de dæmone per carnem à sanctissima Virgine Deipara acceptam retulit, alijs metaphoris ex sacris litteris desumptis ostenditur. Cap. 23.* pag. 322

Christi de dæmone victoria sub typo Hami extrahentis Leuiatham Iob. 40. nu. 1.

Item sub typo manus educentis aspidem Isa. 11. nu. 4.

Christus infans multipliciter Satanæ spolia detraxit nu. 5.

Christi in mundum aduentu obmutescunt oracula nu. 10.

Christi de dæmone victoria in Gedeone, qui Madianitas profligauit, præfigurata nu. 14.

Item in Dauide, qui Goliath prostrauit num. 16.

C. 24. *Qua ratione Virgo Deipara tartarei Draconis caput in seipsa contriuerit, & cunctas in Orbe hæreses sola interemerit: qua etiam ratione in alijs, ijs præsertim, qui peculiari eam pietate prosecuntur, illud conterat, & de fortissimis mulieribus, quæ in veteri testamento eiusdem Virginis typum gesserunt. Cap. 24.* pag. 333

Deipara cunctas hæreses sola interemit nu. 4.

Deipara in nobis Dæmonẽ vincit nu. 6

Deipara iuuat nos in morte nu. 8.

Deipara in multiplici virga figuratur num. 9.

Eorum exempla, qui in morte singulari Deiparæ beneficio sunt adiuti nu. 12.

Deipara in fortissimis fœminis Esther, Iudith, Debbora præfigurata nu. 16.

Deipara per Auroram significatur n. 18

C. 25. *Passionis Dominicæ tempore Virgo Deipara filio ad Aquilonarem partem astitit, vt impetus dæmonis per Aquilonem significati, per eam comprimi intelligamus. Cap. 25.* pag. 346.

C. 26. *Septem Angelorum Principes Throno Dei, sub typo septem lampadum ardentium, astantes, reliquosq. Angelos Virginem Deiparam venerari, & omnibus obsequijs prosequi. Cap. 26.* pag. 349

C. 27. *Virginem sanctissimam Deiparam omnium Iustorum esse Matrem. Cap. 27.* pag. 360

Deipara est Mater viuentium nu. 3.

Deipara est Mater Iustorum nu. 7.

C. 28. *Virginem Deiparam Iustorum esse Matrem; tum quia Christi Domini est Mater, tum quia in Ioanne ab eodem Christo sunt ei peculiariter in filios traditi; tum etiam quia eorum salutem multipliciter promouit. Cap. 28.* pa. 365

Christus Deiparæ in Ioanne Iustos in filios tradidit nu. 5.

Deipara ad Iustorum salutem multipliciter cooperatur nu. 8.

Deipara Mater est diuinæ gratiæ, pulchræ dilectionis, fidei, & sanctæ spei n. 11.

Virgo Deipara Iustorum Mater, egregie matris munera in homines præstat, & quanam ratione illi respondendum. Dies quoque Festi, Templaq. ab Ecclesia ei dicata: multiplex item cultus eidem decretus. Capit. 29. pag. 374 C. 29.

Deipara in domibus sibi dicatis innumeros egentes, & ægrotos subleuat nu. 6.

Quæ erga Deiparam à nobis præstanda nu. 10.

Quænam Ecclesia in Deiparæ honorem facienda decreuerit nu. 11.

Dies festi in Deiparæ honorem decreti, ibidem.

Elenchus festorum Deiparæ, & quibus diebus recolantur: de eorum verò singulis plenius in tractatu de festis nu. 13.

Sabbatum Deiparæ perpetuo ritu dicatum, & à quo tempore, & quam ob causam nu. 14.

Templa Deiparæ erecta nu. 23.

Templa Deiparæ ante eius Conceptionem ibidem.

Templa dum in terris Deipara ageret, vel certe Apostolorum tempore ei dicata nu. 26.

Lauretana ædes ibidem.

Templa in India Deiparæ adhuc superstiti posita nu. 29.

Templa, quæ Deiparæ post eius in Cœlum assumptionem, propagata iam vbiq; gentium Christi fide, sunt extructa nu. 31

De multiplici in Ecclesia cultu Deiparæ sancito nu. 34.

Varia precum genera, quibus Ecclesia Deiparam inuocat à nu. 34. ad 38.

Processiones in Deiparæ honorem decretæ nu. 39.

Stationes ad Deiparæ templa nu. 40.

Peregrinationes ad Deiparæ templa, ibidem.

Religiones, Vrbes, Portus, Insulæ à Deipara nomen accepere nu. 41.

Litaniæ, aliæq. preces in Deiparæ honorem compositæ nu. 42.

Dei-

CAPITVM.

Deiparæ Imagines, ac Reliquiæ in Ecclesia præcipuo cultu insignes nu. 43.

Reliquiæ crinium, lactis, ac vestium Deiparæ vbinam locorum asseruentur nu. 48. & seqq.

C. 30. Virginem Deiparam humani generis esse Aduocatam, Sanctorumq. omnium in terris degentium preces peculiari ratione apud filium promouere. Cap. 30. pag. 420

Deipara est mediatrix nostra ad intercedendum nu. 6.

Deiparæ patrocinium apud Christum esse efficacissimum nu. 8.

C. 31. E gloriosissima Virginis Deiparæ in Cœlo præsentia magnum Beatis, qui eam vident, gaudium accedere. Cap. 31. pag. 434

C. 32. Virginem Deiparam, quæ intemeratæ virginitatis suæ exemplo in terris virginibus omnibus singulari ratione præluxit, singulari pariter ratione in cœlis virginum omnium principem esse, atque Reginam. Cap. 32. pag. 438

Virginitatis encomia, ac præmium ex sacris litteris, alijsq. auctoribus nu. 5.

Virgines Angelis assimilantur nu. 9.

Deipara Virgo puritate omnes tum homines, tum Angelos superat nu. 11.

Figuræ, & prophetiæ de virginitate Deiparæ nu. 13.

Virginitas Deiparæ aliquibus Gentilibus præostensa nu. 20.

Exempla animalium, quæ absque concubitu procreantur nu. 21.

Virginitas Deiparæ Deo gratissima, & voto ei consecrata, & à quo tempore num. 23.

In lege Euangelica innumeros vtriusque sexus homines Deiparæ Virginis exẽplo, ac patrocinio illibatam virginitatem, complures alios perpetuam continentiam coluisse nu. 27.

Deiparæ in virginitate primatus varijs titulis exprimitur nu. 30.

C. 33. E Virgine Deipara tanquam è Dei throno vocem prodire, qua omnes Dei serui ad diuinas laudes inuitantur. Cap. 33. p. 463

SECVNDA PARS.

DE PIETATE, AC DEVOTIONE, qua B. Virgo Deipara Maria à nobis colenda est.

C. 34. QVibus Capitibus, seu rationibus ad pietatem, ac deuotionem erga Virginem Deiparam excitari debeamus. Cap. 34. pag. 467

Deipara quatenus Christi mater quantopere sit diligenda nu. 5.

Deiparæ in nos beneficia, quæ contulit, & quæ expectamus nu. 6.

Deipara vt mater viuentium diligenda nu. 11.

Deiparæ deuotio est bonum honestum, vtile, ac delectabile nu. 12.

Religiosorum familiæ Deiparæ protectione gloriantur nu. 13.

Deiparæ deuotio signum est prædestinationis nu. 17.

Deiparæ miracula quædam admirabilia ex Pelbarto nu. 24.

C. 35. Sanctos omnes, plerosq. etiam principes viros Virginis Deiparæ deuotissimos, ac studiosissimos fuisse, & nonnullorum exempla, quæ hanc deuotionẽ suadent. Cap. 35. p. 481

Sancti aliquot, viri item nonnulli insignes, Deiparæ studiosissimi nu. 1. & seqq.

S. Nicolaus Episc. nu. 3
S. Martinus Episc. ibi.
S. Gerardus Episc. in Hungaria, & martyr nu. 4.
S. Anno Archiepiscopus Colonien sis ibid.
Carthusianorum Ordo ibidem.
S. Bernardus Abb. n. 5
S. Dominicus, & Ordo Prædicatorum, & de Rosario n. 6. et 7
S. Franciscus, & Ordo Minorum, & de Corona nu. 8. & 9.
S. Antonius de Pad. 10
S. Thomas Aqu. n. 11
S. Bonauentura nu. 12
S. Albertus Carmelita nu. 13.
B. Maria de Oegnies.
B. Andreas Carmelita Episc. Fesulanus 14
S. Catharina Sen. n. 15
S. Vincẽtius Fererius.
S. Bernardinus Senen sis nu. 17.
B. Laurentius Iustinianus Patriarcha Venetus nu. 18.
Dionysius Carthusianus ibidem.
B. Ignatius Loyola, & Societas Iesu n. 19. & seqq.
B. Franciscus Xauerius nu. 29.
B. Consaluus Sylueria.
B. Stanislaus Kostka.
B. Aloysius Consaga.
S. Carolus Borromæus Cardinalis Archiepiscopus Mediolanensis nu. 33.
B. Philippus Nerius Fundator Congreg. Oratorij.

Con-

SECVLARES.
Constantinus Imperator, & Ciuitas Cõstantinopolitana nu. 35.
Narses Dux Iustiniani Imperat. ibi.
Ludouicus Pius Imperator nu. 36.
S. Henricus Imper. ib.
S. Stephanus Rex Hũgariæ nu. 37.
Ioannes Comnenus Imperator Constantinopolitanus, ibid.
Hẽricus Infans Portugalliæ, & Indica nauigatio nu. 38.

C. 36. Quibus animi affectibus, pietatisq. operibus deuotio erga Virginem Deiparam sit exercenda; & peculiariter de Amore, Reuerentia, Congratulatione, atque fiducia erga eandem Cap. 36. pag. 511
Formula offerẽdi se B. Virgini Deiparę.
Ad amorem erga Deiparam quænam permoueant nu. 5.
Ad reuerentiam erga Deiparam quænam excitent nu. 8.
Congratulatio erga Deiparã exercẽda.
Ad fiduciam erga Deiparam quænam excitent nu. 19.
Varia beneficiorum exempla, quæ ad 12. genera reuocantur, quibus Deipara suam erga nos benignitatem declarat, & nostram in ijsdem, alijsq. rebus in se fiduciam excitat nu. 24.
De primo beneficiorum genere, quod est se inuocantibus opem impertire ibidem.
De secundo, quod est ab hostibus inuisibilibus, & visibilibus tutari nu. 25.
De tertio, quod est peccatores ad pœnitentiæ sacramentum perducere nu. 28.
De quarto, quod est à certo interitu seruare nu. 30.
De quinto, quod est à multiplici vitę discrimine eximere nu. 31.
De sexto, quod est in rei familiaris inopia subleuare nu. 33.
De septimo, quod est sterilitate laborantes prole donare nu. 35,
De octauo, quod est à persequutionum molestijs eripere nu. 38.
De nono, quod est in rebus etiam paruis benigne exaudire nu. 40.
De decimo, quod est ingenio rudibus scientiam conferre nu. 41.
De vndecimo, quod est Martyres confortare nu. 44.
De duodecimo, quod est in omnibus necessitatibus præsto esse nu. 46.

De Virginis Deiparæ virtutibus imitandis.
C. 37. Cap. 37. pag. 538
Deipara imitanda Primo in exacta diuinæ legis obseruatione nu. 4.
Secundo, Deipara imitanda in humilitate profundissima nu. 6.
Tertio, Deipara imitanda in virginitate purissima nu. 7.
Quarto, Deipara imitanda in eximio erga Christum Amore nu. 8.
Quinto, Deipara imitanda, quod in ea religiosæ vitæ exempla reluceant nu. 10
Virginum Collegium Ierosolymis sub institutione Deiparæ nu. 18.

Obsequia in Virginis Deiparæ honorem exhibenda. Cap. 38. pag. 551 C. 38.
Deipara precibus inuocanda, & quomodo nu. 2.
Missæ de Deipara eidem gratæ nu. 6.
Preces, quæ pro cuiusque pietate recitari possunt nu. 8.
Ratio commendandi se beatissimæ Dei Genitrici tum mane, tum vesperi nu. 9.
Deipara salutanda in ingressu, & egressu è domo nu. 10.
Deiparæ Templa adeunda, Imagines colendæ, Festa eius præparatione aliqua præuenienda, Preces item in eius honorem fundendæ præsertim salutatio Angelica.
Quænam per priuatas preces præparatio ad Deiparæ festa piè colẽda fieri possit.
Exempla eorum, qui peculiares preces Deiparæ offerre consueuerunt nu. 16.
Exempla de salutatione Angelica, nu. 17. ad 22.

Preces aliæ, atque obsequia, quæ Virgini Deiparæ exhiberi possunt. Cap. 39. pag. 564
Officium B. Virginis nu. 1.
Litaniæ B. Virginis nu. 3.
C. 39.
Rosarium Deiparæ, & de eius nomine, Auctore, precandi ratione, ac multiplici vtilitate nu. 4.
Exempla, seu miracula in ijs, qui Rosarium recitarunt, Deiparæ ope peracta.
Corona Deiparæ nu. 12.
Miracula in ijs, qui coronam recitabant, Deiparæ fauore exhibita nu. 13.
Corolla, in qua ter Oratio Dominica, & duodecies salutatio Angelica repetitur.
Mortificationes, & corporis afflictiones in honorem Deiparæ nu. 17.
Eorum exempla, qui ieiunium, vel aliud pietatis opus propter Deiparã exercebant.
Imperatorum, & Regum in Deiparam pietas Sabbato, vel alijs eidem dicatis diebus nu. 19.
Deiparæ miracula, & beneficia in eos, qui

qui ieiunium, vel aliam mortificationem in eius honorem suscepere nu.20.
Opera misericordiæ tum spiritualia, tum corporalia in honorem Deiparæ n.23
C. 40. *De Congregationum Virginis Deiparæ vtilitate, ac fructu multiplici. Cap.40. p.580*
Origo Congregationum Deiparæ, quæ in Soc. IESV nostris domicilijs habentur n.8.
Cõgregationum in vniuersum antiquissima olim institutio nu.10.
Congregationum, quæ Neapoli in Societatis IESV domicilijs habentur, numerus, earumq; fructus nu. 13.
Epilogus totius operis nu.20.
Praxis eorum, quæ in superioribus capitibus de pietate, ac deuotione erga Virginem Deiparam fusius habentur, quæ seorsim ad piorum vsum excudi posset. pag.593
Praxis.

INDEX RERVM, QVAE IN HVIVS OPERIS Appendice continentur iuxta earundem seriem.

ELogia Virginis Deiparæ ex sacra scriptura, & sanctis Patribus deprompta, & iuxta vitæ eius seriem digesta. p.603
Obsecrationes ad Deiparam per eius vitæ mysteria, & Preces, quibus eas concludere possumus nu.7. & 8.

TRACTATVS IN SALVTATIONEM Angelicam. pag. 610.

De salutatione Angelica.
SAlutationis Angelicæ explicatio ternis in singula verba adnotatiunculis distincta num.1.
De nomine Iesu sanctissimo duodecim considerationes, quarum singulæ ternis punctis constant nu.6.
Quomodo singula salutationis Angelicæ verba singulis Deiparæ festis, quæ ad 12. reuocauimus, accommodari possint nu. 11.

TRACTATVS DE EXEMPLIS, ac Miraculis Deiparæ septem Sectionibus distinctus. pag. 621.

De Exẽplis ac Miracul. Deip.
Sect. 1 *VAria Deiparæ miracula ex diuersis auctoribus, sectio 1. nu.1.*
Sect. 2 *Miracula aliquot à viris sanctitate præclaris inuocatione Deiparæ alijs exhibita, quæue in se ipsis sunt experti, sectio 2. nu.10.*
Sect. 3 *Miracula Deiparæ certis in Templis edita, sectio 3. nu.14. ad 24.*
Sect. 4 *Admirabiles complurium peccatorum conuersiones per Deiparam factæ sect.4. nu.25.*
Sect. 5 *Aliqui à Deipara clementer puniti seu alia ratione admoniti resipiscunt sect.5. nu.31.*
Vdonis in sceleribus obstinati miserabilis interitus nu.36.
Sect. 6 *Nonnulli in Deiparam impij membrorum priuatione, vel etiam morte mulctantur, sectio 6. nu.37.*
Sect. 7 *Hæretici, alijq; Ecclesiæ hostes Deipara eam protegente misere perierunt, sect.7. nu.42.*
Victoria Naualis de Turcis ann. 1571 Deiparæ precibus parta nu.60.
Conflagratio hospitij Montis Virginis, & quamplurimorum miserandus interitus. Quorũdam item admirabilis ab incẽdio per Deiparam salus an. 1611. nu.62.

TRACTATVS DE FESTIS, ac Templis Deiparæ. pag. 673.

De Festis, ac Tẽplis Deiparæ.
IMmaculata Conceptio Deiparę die 8. Decembris num. 1.
Reuelationes de festo Conceptionis Deiparæ celebrando nu.2.
Natiuitas Deiparæ 8. Septembris nu.3.
Præsentatio Deiparæ 21. Nouembris n.4.
Annuntiatio Deiparæ 25. Martij nu.5
Visitatio Deiparæ 2. Iulij nu. 6.
Purificatio Deiparæ 2. Februarij nu.7.
Assumptio Deiparæ cum vigilia, & octaua 15. Augusti nu. 8.
Festum S. Mariæ ad Niues 6. Augusti num.10.
Festum omnium Sanctorum 1. Nouembris num.11.
Complura Deiparæ festa, quæ varijs in locis celebrantur ibidem.
Desponsatio Deiparę 22. Ianuarij in Gallijs ibidem.
Dedicatio S. Mariæ ad martyres Romæ 13. Maij ibidem,
Expectatio partus Deiparæ 18. Decembris in Hispania nu.12.
Festum Deiparæ à Constantinopoli, seu Odigitriæ, quod feria 3. Pentecostes celebratur nu.13.
S. Maria Angelorum, seu de Portiuncula 2. Augusti nu. 14.
S. Maria à Carmelo 16. Iulij ibidem.
Commemoratio S. Mariæ de Victoria 7. Octobris, & festum Rosarij dominica prima Octobris ibidem.

INDEX CAPITVM.

Festum dolorum Deiparæ nu. 15.
Festum Gaudiorum Deiparæ ibidem.
Festa duo depositionis vestium Deiparę in Vrbe Constantinopolitana 2. *Iulij, & die vltima Augusti nu.* 16.
Sollemnitas recollectionis festorum Deiparæ Louanij dominica 1. *Septemb. ibid.*

De Templis Deiparæ dicatis nu. 17.

De Tẽplis Deiparæ dicatis.

TEmpla Deiparæ in Vrbe Roma siue sanctorum reliquijs, siue miraculis, siue aliqua alia ratione illustria à n. 18. *ad* 34.
Varia Templa in subiectis Regionibus Deiparæ sacra, in quibus ea commemorantur, quæ in illis præclara, vel animaduersione digna videntur nu. 34.
In Vrbe Neapolitana num. 40.
In reliqua Italia num. 53.
In Sicilia, & Insulis Italiæ adiacentibus num. 55.
In Hispania num. 57.
In Gallia, & Belgio num. 65.
In Germania Anglia, & Septentrionis Regionibus num. 68.
Constantinopoli, & in alijs Orientis, & Africæ Regionibus num. 72.
Apud Barbaras nationes varijs in locis num. 78.

TRACTATVS DE VTRIVSQVE sexus Virginibus, qui Apocal. 14. ante sedem Dei, hoc est ante Deiparam canticum nouum concinere dicuntur in octo sectiones tributus. pag. 8

INnumerabilis Virginum vtriusque sexus multitudo, qui in lege Euangelica virginitatis vexillum à Deipara erectum sunt
Sect. 1 *secuti, sectio* 1. *nu.* 1.
Ingens multitudo eorum, qui cœlibem vitam duxerunt, ex quibus complures virgines extitere nu. 5.
Virorum exemplа, qui Deiparam imitantes incorruptum virginitatis florem custodierunt, sect. 2. *nu.* 13.
Sect. 2 *Exempla virorum, qui pro castitatis integritate tuenda, quamuis grauiter, & interdum ad mortem vsque impugnati, strenuè*
Sect. 3 *tamen decertarunt, sect.* 3. *nu.* 22.
Nonnullorum exempla, qui mori maluerunt, quam illicito concubitu morbo suo mederi nu. 29.
Mulieres, quæ Deiparam secutæ virginali Sect. 4 *castimonia claruerunt, & martyrij palmam sunt adeptæ, sect.* 4. *nu.* 30.
Mulierum exempla, quæ pro virginitate Sect. 5 *tuenda atrocissimis tormentis, & acerbissimæ neci se exposuerunt, sect.* 5. *nu.* 41.
Virginum exempla, quæ propter tuendam pudicitiam seipsas deformarunt n. 46
Qua ratione complurium Virginum pudicitia Christi præsidio ab improborũ vi vel in Sect. 6 *ipso prostibulo sit conseruata, sect.* 6. *nu.* 47.
Mulieres, quæ exemplo Deiparæ virginitatis florem inuiolatum Christo obtulerunt, Sect. 7 *& ex hac vita in pace ad cœlestem sponsum commigrarunt, sect.* 7. *nu.* 54.
Coniuges, qui licet matrimonij legibus astricti, virginalem tamen florem illæsum Sect. 8 *conseruarunt: ij etiam, qui aliquot in cõiugio susceptis liberis, vitam deinde castam concordi voluntate duxerunt; vel qui coniuge vitæ functo secundas nuptias detractarunt, sect.* 8. *nu.* 72.
Coniuges, in quorum matrimonio virginitatis castimonia in vtroque enituit n. 73
Coniuges, qui ante matrimonium consummatum, altero coniuge dimisso, ad religionem se contulere nu. 77.
Virgines nuptui traditæ, quæ vt corporis integritatem custodirent, viris continentiam persuaserunt nu. 79.
Coniuges, qui aliqua suscepta prole pari inter se voluntate continentiã coluere n. 81
Viduæ, quæ ad secundas nuptias nulla ratione adduci potuerunt nu. 85.
Index eorum, quorum vita, seu gesta in hac de Virginibus tractatione memorantur, alphabetico ordine dispositus.

SENTENTIAE SCIPTVRAE SACRAE, quæ in hoc libro de Virginis B. Deipara Laudibus præclarissimis, & in eius Appendice ex professo, vel obiter explicantur, seu aliqua ratione Deiparę sanctissimæ accommodantur.

INDEX EXEMPLORVM, SEV MIRAculorum B. MARIAE Virginis, quæ in hoc Opere, & in eius Appendice continentur.

INDEX RERVM MEMORABILIVM, quæ in hoc libro de Deipara continentur ordine alphabetico.

PRAE-

PRAEFATIO AD LECTOREM, ET AVCTORIS CONSILIVM.

PIO LECTORI AVCTOR SPIRITVS SANCTI GRATIAM, & ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ patrocinium.

Occaſio huius Libri de Virginis laudibus cõſcribendis.

CVM de ſeptem Principibus Angelorũ ante Deum aſtantibus, opus à me olim inchoatum, conſcriberem, in explicationem rerum præcipuarum præclariſſimæ illius viſionis, quæ cap. 4. & 5. ſacræ Apocal. cõtinetur, incidi, in qua Deus optimus, quatenus Eccleſiam ſuam paterna prouidentia adminiſtrat, ſeſe cum futuris in eadem Eccleſia ſucceſſibus S. Ioanni oſtendit; eaq; de cauſa varijs typis, ac ſymbolis ſingulæ Cœleſtis aulæ partes, quippe quæ ad huius adminiſtrationis executionem ſpectant, diligentiſſimè deſcribuntur. Hanc igitur viſionem attentius perſcrutanti venit in mentem quærere, an eorum typorum aliquo Deipara ſemper Virgo ſubindicaretur. Neque. n. facilè adduci poteram, vt crederem à diſcipulo, quem diligebat Ieſus, cui Virgini de cruce pendens Matrem Virginem commendauit, cum tam multa illius Aulæ oſtendiſſet, eam ſilentio præteriri potuiſſe, ac ne typo quidem ſignificationem aliquam datam eſſe eius, quæ in illa cęleſti Curia inter omnes creaturas, ſecundum Chriſtum, principatum tenet; quæq; pro Eccleſia, cunctisq; fidelibus tanquam omnium Aduocata Dei miſericordiam (quæ ad eius erga Eccleſiam prouidentiam in primis pertinet) iugiter implorare non deſinit. Cum igitur ipſas illas partes animo verſarem, typosq; oẽs excuterem, ac ſcrutarer diligentius, viſum mihi tandem eſt diuinæ ſedis inuolucro, quam S. Ioannes græcè θρόνον appellauit, Deiparam ipſam eſſe deſcriptam. Ac dum argumenta ad id probandum inquirerem, longè plura ſeſe obtulerunt, quàm vt breui digreſſione, ſicuti conſtitueram, comprehendi poſſent. Cum verò ex altera parte vehementer optarem in eo, quod de ſeptem Principibus Angelorum conſcribebam, volumine de Virginis Deiparæ excellentia (quam ijdem ſeptem Principes officioſiſſimè venerãtur, & colunt; cui etiam nos tam multis nominibus obſtricti ſumus) nonnihil attingere: hinc factum eſt, vt oblatam aliquando occaſionem auidiſſimè arripuerim. ex altera verò cum tam longam digreſſionem nollem in idem opus inſerere, ſtatui pauca quædàm in cap. 16. lib. 1. de ſeptẽ Angelis, vbi de diuina ſede 4. cap. Apoc. egi, conijcere, rationesq; quibus Throno illo Virginem beatam ſignificari probatur, breuiter, ſtrictimq; perſtringere; ſed iuſtam ea de re diſputationem in ſeparatum conferre volumen. Atque hoc illud eſt, quod cudimus in præſentia, tantiſper ſepoſita, quam de ſeptem Angelis inſtitueram, tractatione; donec huic de B. Virginis Laudibus Operi ſupremam manum imponam. quo in opere myſtico illo Dei Throno Virginem Deiparam ſignificatam quatuor præcipuis argumentis probare conabor, ad quæ nonnulla referam, quibus Deiparę Laudes continentur, & prędonia, quæ ex capitum huius Libri Indice cognoſci facilè poterunt.

Ioan. 19.

Apocal. 4.

Primum igitur argumentum, tum ex SS. Patribus, qui THRONI Dei nomine Deiparam appellant, tum ex ſacris litteris, in quibus eadem Virgo hoc typo adumbratur, depromptum eſt. Secundum, quod ea, quibus in diuinis oraculis Throni Dei nomẽ tribuitur (eiuſmodi ſunt *Cœlum* Iſa. 66. *Columna nubis* Eccl. 24. & ſimilia) Virgini Deiparæ vſq; adeò congruunt, vt ipſa myſticè Cęlum ſit, & Columna nubis, & reliqua, ac proinde Dei thronus meritò nuncupetur. Tertium, quod Throni, qui tertium ſupremæ Hierarchiæ ordinem conſtituunt ex Dionyſio Areopagita cap. 7. Cęleſtis Hierarchiæ, & S. Thoma 1. p. q. 108. art. 5. ad 6. ſuum adepti ſunt nomen, propter quadruplicem, quam cum ſedibus materialibus habẽt ſimilitudinem. In noſtris. n. ſedibus ſpectari poteſt, Primò (vt verbis vtar S. Thoma) ſitus, quo à terra eleuantur. Secundo, Firmitas, qua quis in eis firmiter ſedet. Tertio, quòd ſedentẽ, qui in ſede deferri poteſt, & cui nihil eſt ſua ſede vicinius, ſuſcipiant. Quarto denique Figura ſuperius aperta ad ſedentem excipiendum. Sed hæc oĩa reſpectu Chriſti Dei noſtri multo melius, longeq; præſtantius, quàm in thronis Angelicis, & in cæteris omnibus creaturis Deiparæ inſũt. quod licet inficiari

Throni vnde dicti. S. Thomas.

nemo poſſit.propter multiplicem tamen laudum Deiparæ materiam, quæ in ijs explicandis,confirmandisq; continetur,capitibus omninò decem argumẽtum hoc pertractamus. Quartum,& poſtremum argumentum erit ex ijs,quæ de diuino throno in ſacra Apocal.ſcribuntur:ſiquidem ea oĩa ſanctiſſimę Virgini per allegoriam competere, & viginti capitibus oſtendemus,in quibus alia quoque Virginis encomia perſequemur.

Ad extremum in poſteriore huius operis parte ſeptem capitibus de Pietate, ac Deuotione,qua eandem Deiparam colere,ac venerari debemus,agendum erit.

Cum verò aliquot huius Operis capita multo euaſerint longiora, quàm initio putabamus:cumq; iam non eſſet integrum propter operis,ac rerum,de quibus agitur,diſpoſitionem ſemel factam,ea in plura diuidere,vt tamen Lector vnico veluti contuitu,quæ in his capitibus longioribus continebantur,cognoſceret; ſummarium, quod eſſet veluti Capitis periocha,ijſdem præfiximus.

Porrò huic operi Appendicem addendam duximus,qua illa continentur. Primum Elogia,quæ Deiparæ vitam intexunt.Deinde quatuor Tractatus,quos ad eiuſdem Virginis laudes pertinere exiſtimauimus. Primus in ſalutationem Angelicam ternis in ſingula eius verba adnotatiunculis diſtinctus,quem anno 1602. Neapoli Italico ſermone edidimus. Alter Exemplorum, ac Miraculorum Deiparæ. Tertius de Feſtis diebus, ac Templis eidem Virgini dicatis. Quartus de ingenti Virginum vtriuſque ſexus multitudine,qui Deiparæ virginitatem ſunt imitati. Hæc autem quamuis ad librum,& ad Deiparę,quæ ſub typo Throni celebratur,Laudum præconia pertineant;quia tamen aliqua alia in ijs fuſius pertractantur,ne in ipſo opere longius digredi videamur, commodius viſum eſt ad calcem libri in Appendicem reijcere.

Elogia verò illa iuxta Deiparæ vitæ ſeriem in Litaniarum formã,vna cnm ſuis precibus diſpoſita anno humanæ ſal.1585.Neapoli in lucem edidimus,quæ poſtea non tãtum Romæ anno 1587.& rurſus anno 1595.verùm ẽt in Belgio recuſa prodierunt:nũc verò Elogia tantum idcircò recudere voluimus,tum quod Deiparæ vitam, atque præconia ex varijs ſacrarum litterarum locis ſummatim complectantur; tum etiam quod vſui eſſe poſſint ijs potiſſimum,qui ſabbatis de eadem Deipara ad Congregationum ſodales verba faciunt,vt de ea meditandum aliquid ijſdem proponant,quod qua ratione ex illis erui poſſit,non nihil ante Elogia præmonemus.

Video me materiæ dulcedine allectum magnam ſatis,atq;arduam ſuſcepiſſe Prouinciam,& neceſſarijs deſtitutum præſidijs vaſtum Deiparę Virginis præconiorum pelagus ingreſſum id oneris ſubijſſe,qđ vel ſapientiſſimi,ſanctiſſimiq;Doctores reformidarũt.Nã S.Bern.eximiæ vir ſapientiæ,ac ſanctimonię ſer.4.de Aſſump.Virg.*Nõ eſt equidẽ*,inquit, *quod me magis delectet,ſed nec eſt,quod terreat magis,quàm de gloria Virginis Mariæ habere ſermonẽ,vt licet de ea loqui geſtiant oẽs, tamen quicquid dicitur de indicibili, eo ipſo quod dici potuerit,minus gratum ſit,minus placeat,minus acceptetur:*& mox.*Quęnã poterit lingua,etiamſi Angelica ſit, dignis extollere laudibus Virginem matrem, Matrem autem non cuiuſcumque, ſed Dei.* S.Auguſt.ſerm.35.de ſanctis: *Quid nos tantilli,* inquit, *quid actione puſilli,quid in Virginis laudibus referemus? cum etſi omnium noſtrum membra verterentur in linguas,eam laudare ſufficeret nullus.*& Anſelmus lib.de excell.Virg. cap. 2. *Ea,* inquit, *quæ incunctanter de Virgine vera exiſtunt,tanta laudis materia ſunt referta,vt quicumque in laudando eam morari deſiderat, neceſſe ſit, vt facultas eius magnitudini rei,& veritati ſuccumbat.*& S.Bernardinus Senenſis tom.3.ſerm.2.de glorioſo nomine Mariæ initio: *Nemo,* inquit,*pertingere ad laudem glorioſæ Virginis poteſt,quæ omnium hominum, & voces excellit, & ſuperat intellectum.*

Bernardus. Difficile eſt de Virginis laudibus, ac dignitate agere.

Auguſtinus.

Anſelmus.

S.Bernardinus.

Petr. Dam. ſermon. de Natiu. Virg. Bernardus. Epiph. orat. de laud. Virg. Damaſc.orat.1. de Aſſumpt. Ne Angeli quidem Virginem digne laudare poſſunt. Ildefon.ſerm.2. de Aſſumpt.

Quare meritò Petrus Damian.cum de ea ageret:*Impar,*inquit, *eſt illi omne humanæ linguæ præconium.* Imò ne Angelos quidem eam dignè laudare poſſe, Bernardus ſupra citatus,alijq; SS.Patres meritò affirmant.Epiphan.n.de ea agens:*Cui prædicãdæ,*inquit, *neque hominum,neque Angelorum lingua ſufficit.* & Damaſcenus: *Eam,*inquit,*non hominum lingua, non mundo ſublimior Angelorum mens ſat dignis laudibus efferre potoſt, per quam Domini gloriam intueri nobis datum eſt.* & Ildefonſus. *Credere oportet, quod hæc Virgo Mater ineffabilis eſt,& hodie omni modo cæleſti ita illuſtratur gloria, vt nullis in terris poſſit digne laudibus venerari.*

3 Sed an propterea, quod Virginis Deiparæ laudes ſint immenſæ, nosq; indigni qui eam laudemus, ideò ab eius laudibus abſtinendum? Audiamus quid Damaſcenus, quid alij de hoc ſentiant. Damaſcenus enim, vbi Angelos ipſos Virgini laudandæ pares non eſſe pronunciaſſet, hæc verba ſubijcit: *Quid ergo? an quia eam pro dignitate laudare minimè poßumus, idcirco metu reprehenſi conticeſcemus? minimè ſane. Quin potius temperata metu cupiditate, contextaq; vna ex vtroque corolla cum ſacra reuerentia, tremente manu, ac cupido animo viles ingenij noſtri primitias Regiæ Matri de vniuerſa natura benemeritæ grato, candidoq; animo tanquam debitum quoddam perſoluemus.* ſic ille. quo loco exemplum affert ruſtici illius, qui cauis manibus exceptam aquam Regi obtulit, cui gratiſſimum fuit exiguum illud munus non ab exiguo animo profectum. Sophronius inter opera Hieronymi ſerm. de Aſſumpt. *Et quamuis non ſit ſpecioſa laus in ore peccatoris, noli ceſſare à laude, quia inde tibi promittitur venia, vnde & omnibus, vt laudes.* & Bernardus de Virginis gloria: *Licet*, inquit, *dignum aliquid ſterilis concipere cogitatio, aut inerudita locutio parturire non poſſit; de ea tamen ſilere deuotio non patitur.*

Non à laudanda Virgine ceſſandum.
Damaſcenus.
Sophronius.
Bernardus ſermone 4. de Aſſumpt.

Horum adeò tantorum virorum, vel exemplo, vel teſtimonio cõfirmatus, & eiuſdem Virginis benignitate, atque ope fretus ad eius laudes enarrandas animum appuli: malui enim de præſtantiſſimæ Virginis Deiparæ præconijs aliquid quoad poſſem, vel balbutiendo conari, quàm quoad deberem nihil attingere; preſertim cum in eius grata recordatione verſemur, *cuius ſpiritus ſuper mel dulcis*, ideoq; mirã in hominũ animos dulcedinem pietatis inſtillat, & ex illius laudum celebratione, iuxta illud Eccleſiaſtici: *Qui me elucidant, vitam æternam habebunt*, fructus exiſtat vberrimus: ideò Anſelmus de excell. Virg. cap. 1. *Quomodo*, inquit, *fieri poteſt, vt ex memoria laudum eius ſalus non proueniat peccatorum, cuius vterus factus eſt via ad ſanandum peccatores venienti Saluatori.* Honor præterea Deiparæ (vt probat S. Thomas ex illo Prou. 17. *Gloria filiorum patres eorum*) redundat in Chriſtum noſtrum Redemptorem: *Sicut enim*, inquit Bernardus, *cum filium honoramus, à laudibus Matris non recedimus; ita dubium non eſt, quicquid in laudibus Matris proferimus, ad filium pertinere.*

B. Virginis ope ad eam laudandam abcedendum.
Eccleſ. 24.
Eccleſ. 24.
Anſelmus.
S. Thom. 3 par. q. 27. art. 4. Prouerb. 17.
Bernardus homil. 2 ſuper miſſus eſt.

Sanè Bernardns ſuam ad Virginem laudandam indignitatem reſpiciens, cœlitus ſibi auxilium mitti optabat, cuius hæc ipſa verba ſunt: *Vehementer timeo, ne iam iam audiã ad me dictum: quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuũ? vtinam & mihi de ſuperno altari non quidem carbo vnus, ſed ingens globus igneus afferatur, qui videlicet multam, & inueteratam prurientis oris mei rubiginem ad plenum excoquere ſufficiat, quatenus Angeli ad Virginem, & Virginis ad ipſum grata inuicem, ac caſta colloquia dignus habear meo qualicumque replicare ſermone.*

Bernard. hom. 3 ſuper miſſus eſt petit è coelo opẽ ad Virginem celebrandam. Iſa. 6.

Multo igitur magis mihi neceſſarijs ad ſcribendum de ſanctiſſima Dei Genitrice, tum pietatis, & ſanctimoniæ, tum ingenij, & eloquentię præſidijs deſtituto eiuſdem Deiparæ opem in hac de ea tractatione perficienda implorare neceſſe eſt; vt eius auxilio tantum opus aggrediar, atque ad finem vſque perducam.

4 Cæterum in hoc operis veſtibulo pium Lectorem aliqua monitum velim. Primum nos ad rerum confirmationem, in rebus quoque perſpicuis, & ſine vlla controuerſia inter catholicos receptis multa Patrum teſtimonia congerere, eaq; totidem verbis in medium afferre: quãuis enim eorum ſenſum ſcholaſtico more paucis referre potuiſſemus; ipſorum tamen integram ſententiam citare maluimus, ſiue quia eorum ſenſum aperit luculentius, ſiue quia tot, tantorumq; virorum auctoritate maior etiam noſtris dictis fides accedit: ſiue etiam, vt in ipſo tot Patrum quaſi fonte deguſtentur ea, quæ illi ad Virginis commendationem, vno veluti ore diuerſis interdum allatis rationibus, (ex quibus varia quoque, eaq; præclara de Virgine obiter indicantur) protulerunt; præſertim cum ille præcipuus finis noſtri ſit operis, vt quæ dicimus ſanctorum Patrum ſententijs tanquam adminiculis ſuffulta vniuerſa nitantur. Deinde neque huic operi ſuperuacaneum, neque Lectori moleſtum exiſtimauimus, ſi interdum quædam Patrum teſtimonia, vbi opus erit, vel ad diuerſas res probandas, vel ad eorum, de quibus agitur, connexionem repetiuerimus. Cęterum qualis, quantaq; ſit vis, atque auctoritas teſtimoniorum, quibus in hoc opere vtimur, eorum præſertim, quæ aliqua ratione in controuerſiam reuocari poſſunt, in ſubiecta admonitione perſpicuè conſtabit.

Cur nlutimorũ Patrum teſtimonia ad verbum integra efferantur.

Cur interdum aliquorum Patrum ſententia variis occaſionibus repetuntur.

Cur interdum Scholasticis vtamur vocibus.

Voces quoque,quæ in ſcholis,vel apud Patres ipſa conſuetudine tritę ſunt,interdum vſurpare maluimus,ne ſi politiores,elegantioresq́; ſubſtituerentur,eorum,quæ afferre volebamus,vim,atque ſenſum minus exprimerent,ac declararent:quin etiam dictione ipſa non ad elegantiam exornata,ſed ad res,quę tractantur aptè appoſiteq́; exprimendas accommodata pro noſtra tenuitate vſi ſumus;in huiuſmodi.n.rebus cultiorem orationem nemo iure exigere poteſt, vel debet. *Bonorum ſiquidem ingeniorum inſignis eſt indolis,*vt ait S.Auguſtinus,*in verbis verum amare,non verba:*nam & Cicero Romanæ eloquentiæ pater à Phi oſopho eruditionem requirit; eloquentiam verò, ſi non habet, non admodum flagitat,modo complectatur verbis,quod vult, & dicat plane, quod intelligatur,præſertim quia *omne,*inquit idem Cicero,*quod de re bona dilucidè dicitur,mihi præclarè dici videtur,iſtiuſmodi autem res dicere ornatè velle puerile eſt;plane autẽ, & perſpicuè expedire,poſſe docti, & intelligentis viri.* ſic Cicero. Sanctus verò Baſilius in Epiſtola ad Diodorum: *Inaffectata,*inquit, *dictionis ſimplicitas,decora mihi videtur, & conueniens profeſſioni chriſtiani hominis, cuius eſt non ad oſtenſionem magis ſcribere, quàm ad publicam vtilitatem.*

S. Auguſtinus. Cicer.lib. 1 de finib. bon. & mal. Lib.3.de finib.

Baſil. Epiſt.167

Non omnia Virginis præconia hic continentur.

5 Neque verò animus mihi eſt omnia Virginis ornamenta longè, lateq́; diffuſa hoc tantulo volumine perſtringere: *Eſſet enim,* vt eſt in prouerbio, *Atlanticum mare cotyla exſorbere,*præſertim cum Virginis laudes,vt ſupra ex Patribus dicebamus, Angelicam ipſam intelligentiam ſua magnitudine excedant.Sed præclarè mecum actum iri putem, ſi,cum Deiparam ſub diuini throni ſymbolo Apocal.cap.4. adumbratam aliquot argumentis probauero,nonnulla etiam de eadem Virgine apponam, quæ quarumcumque elucubrationum mearum quaſi pigmentis,ingenijq́; pertenui illo quidem, ſed tamen aliquo pennicillo,eadem Virgine duce efformentur,ac colorentur: non quod maiorem ſacratiſſimæ Virgini,quæ vt canit Eccleſia: *Felix eſt,& omni laude digniſſima,*gloriam his ſcriptis afferre me poſſe exiſtimem,præſertim poſt tot illuſtrium Auctorum, ſiue veterum,ſiue recentiorum monumenta,quorum omnium ingenia in Virginis laudibus celebrandis egregiè deſudarũt;ſed vt ei perexiguam immẽſi debiti partem aliquâ ratione perſoluere,atque obſeruantię quamplurimam me illi debere cognoſco,ſignificationem aliquam oſtendere valeam. Nam & Baptiſta Mantuanus lib. 1. Parthen. id ipſum eleganter ſic cecinit.

Apocal. 4.

Officium Eccl.

Baptiſta Mantuanus.

Nulli adeò viuax animi ſolertia, nulli
Tam felix aderit florentis gloria linguæ,
Vt MARIAE poſſit laudes æquare loquendo,
Quæ data ſunt illi, nunquam mortalibus vllis
Antea conceſſit, nec poſt concedet Olympus.

Exod. 3.

Quales ad Virginem laudandam eſſe debeamus.

6 Soluamus igitur cum Moyſe calceamenta de pedibus noſtris, carnalium nimirum cogitationum (vt ait Bernardus) inuolucra deponamus,& ad hanc viſionem magnam videndam, hoc eſt ad Virginis laudes celebrandas eius confiſi patrocinio reuerenter aggrediamur,& quando laudem non eſſe ſpecioſam in ore peccatoris ſacræ admonent litteræ,nos,qui Deiparæ præconia ſiue ſcriptis mandare,ſiue (id quod omnes deberẽt) verbis efferre cupimus, noſtrum ab omni peccatorum labe animum abſtergere curemus:ipſius Virginis profundam humilitatem,integerrimam ab omnibus carnis illecebris puritatem,ardentiſſimum erga Deum amorem, cæterasq́; eius virtutes pro viribus imitandas ſuſcipiamus:*Summa enim religio eſt,*vt ait Auguſtinus,*imitari quod colimus.* Rectè quoque monet S.Ildefonſus, vt imitemur Matrem Virginem, quam laudamus: *Quoniam,*inquit, *non tantum illi prodeſt noſtra laudatio, quantum nobis eius imitatio: vnde ſponſo magis placet imitator deuotus, quàm iaudator ociosus: tamen vera laudatio cordis,imitatio eſt operis.* ita Ildefonſus. ſic enim emenſo huius mortalis vitæ curriculo eius auxilio, ductuq́; perueniemus ad filium in beata illa Ciuitate, vbi, vt verbis vtar Gregorij, *eſt dies æternus, & vnus omnium ſpiritus, vbi eſt certa ſecuritas, & ſecura æternitas,& æterna tranquillitas,& tranquilla felicitas,& felix ſuauitas, & ſuauis iucunditas.* Quod ipſe præſtare dignetur, qui ex eadem Virgine pro nobis dignatus eſt naſci. Neapoli nonis Martij anno humanæ ſalutis MDCXIII.

Auguſtinus.

Ildefonſus ſermone 1. de Aſſumptione.

Gregorius in fine expoſitionis ſeptem Pſalmorum pœnitentialium.

ELEN-

ELENCHVS AVCTORVM, QVI IN HOC OPERE DE VIRGINIS Beatissimæ Deiparæ Mariæ Laudibus præclarissimis citantur, vel quorum testimonia vsurpantur, adiecto quo vixerunt, vel scripserunt tempore. Ijs verò, de quorum scriptis aliquid infra prę monendum duximus, Asteriscum præfiximus.

ADo Treuerensis claruit sub Gregorio VII. annum Domini circiter 1075.

Alanus de Insulis floruit Anno 1294.

Albertus Magnus Ord. Prædic. obijt an. 1280. ætatis 81.

* Albertus Castellanus Venetus Ord. Prædic. claruit an. 1521.

Albertus Crantius floruit anno 1517.

Albinus Flaccus cognomento Alcuinus Caroli Magni Præceptor anno 770.

Alexander Alensis Ord. Minor. obijt anno 1245.

Alfonsus Ciacconus Ord. Præd. vixit an. 1595.

Alfonsus Salmeron vnus ex decem primis Patribus Societatis Iesu obijt an. 1585. ætatis 70

Alfonsus Tostatus Episcopus Abulensis claruit anno 1440.

* B. Amadæus Ord. Minor. floruit sub Sixto IV. anno 1476.

S. Ambrosius obijt anno Domini 399.

Ambrosius Ansbertus Ordinis S. Benedicti claruit sub Arnoldo Principe anno Domini 890. ex Tritemio.

Ambrosius Catharinus Ordin. Prędic. Compsæ Archiepiscopus obijt anno 1552.

Ambrosius Morales claruit anno Domini 1572.

Anastasius Bibliothecarius claruit an. Dom. 860

S. Andreæ Passio apud Surium tom. 6. à Presbyteris, & Diaconis Achaiæ circa annum Domini 65. conscripta.

* Andreas Cretensis Archiepiscopus claruit circa annum 580. ex Genebrardo.

Andreas Cæsariensis Episc. claruit circa an. 600.

Andreas Fuluius vixit anno 1570.

S. Anselmus Cantuariensis Episc. obijt anno 1109

S. Antoninus Ordinis Prædicatorum Archiepiscopus Florentinus obijt anno 1459. ætatis 70.

Antonius Bonfinius anno 1485.

Antonius Cordubensis Ord. Minor. anno 1560.

Antonius Gallonius ex Congregatione Oratorij claruit anno 1600.

Aponius floruit sub Ludouico Imperat. anno 810.

Arator Poeta christianus vixit anno 546.

Aretas Episc. Cæsariensis claruit post Andream Cæsariensem, ex cuius commentarijs in Apocalypsim explicationem in eandem confecit.

Aristoteles Philosophus moritur anno 3. olympiadis 114. ætatis 63.

Arnobius claruit circa annum 300.

Arnoldus Vvyon Belga auctor operis, quod dicitur lignum vitæ Ord. S. Benedicti Congregationis Cassinensis claruit anno Domini 1600.

S. Athanasius obijt anno Domini 371. ex Socratis Historia.

Athenagoras floruit anno Domini 180.

Auctor imperfecti in Matthæum vixit post tempora Theodosii circa an. 410. quemadmodum insinuat homilia 37. & 49.

* S. Augustinus obijt anno 433. ætatis 76.

Aurelius Cassiodorus obijt ex Tritemio, & Sixto Senensi anno Dom. 576. ætatis 97.

S. BAsilius Magnus moritur an. Dom. 382.

Basilius Seleuciæ Episcopus vixisse videtur anno Domini 451. nam in Concilio Chalcedonensi actione 4. mentio habetur Basilij Seleuciæ Episcopi in communionem Ecclesiæ cum quatuor alijs Episcopis recepti.

Bartholomæus Cassaneus claruit anno Domini 1576.

Bartholomæus Marlianus claruit anno 1566.

Bartholomæus Platina obijt anno 1481.

Beda venerabilis moritur anno 732. ætatis 72. ex Tritemio. Alij dicunt eum peruenisse ad

annum Domini 766. cuius meminit in Epitome, qui erat ætatis eius 94.
Benedictus Pererius Societatis Iesu obijt an. 1610
* S. Bernardus obijt an. 1153. ætatis 63.
S. Bernardinus Senensis Ord. Minorum obijt anno Domini 1444. ætatis 64.
Bernardinus de Busto Ord. Minor. vixit circa annum Domini 1480.
Bibliotheca sanctorum Patrum secundo edita est anno 1589.
Blondus Foroliuiensis vixit circa an. 1480.
* S. Brigitta, vel Birgitta reuelationibus insignis obijt anno 1273.
Blasius Viegas Societatis Iesu obijt anno Domini 1599.
Boetius obijt anno Domini 533.
S. Bonauentura Ord. Minor. obijt an. 1273.
Breuiarium Romanum Pij V. Pontif. Maxim. iussu editum est anno 1568.
Brocardus Ordinis Prædicatorum claruit anno 1283. cuius anni meminit 1. par. descrip. Terræ sanctæ cap. 7.
S. Bruno Carthusianorum Institutor obijt anno 1101.
C Aelius Pannonius floruit circa annum Domini 1540.
Carolus Sigonius floruit anno 1570.
Cæsar Baronius Cardinalis ex Congregatione Oratorij obijt anno 1609.
* Cæsarius Ordinis Cistercienſis suos Dialogos exemplorum conscribebat tempore Honorij Papæ III. anno 1222. ex lib. suo 10. Exempl. cap. 48.
Christophorus de Castro Societatis Iesu in Historia Deiparæ, superstes est hoc anno Domini 1613.
Chronica Ordinis Minorum S. Francisci à Marco Vlyssiponensi Episcopo Portuensi ex eodem Ordine assumpto, qui claruit an. 1568.
Christophorus Clauius Societatis Iesu obijt anno 1612.
Chrysippus Presbyter Ierosolymitanus vixit circa an. Domini 500.
Cicero claruit annis circiter 50. ante Christi aduentum.
Cistercienſis Ordinis liber de viris illustribus.
Claudius Rota Ordinis Prædicatorum, qui legendam sanctorum, ex vitis eorundem à Iacobo de Voragine editis confecit, claruit circa annum Domini 1550.
Clemens Alexandrinus floruit sub Seuero anno 200.
Columella sub Claudio Principe circa annum Domini 50.
Compendium Minorum.
Concilium Ephesinum anno 431.
Concilium Claremontanum anno 1094.
Concilium Toletanum decimum an. Dom. 656.
Concilium Tridentinum an. 1563. absolutum.
Conformitates S. Francisci editæ à Bartholomæo de Pisa Ordinis Minorum, quas anno Domini 1390. Capitulo generali Fratrum minorum auctor ipse obtulit.
Costantinus Magnus, qui orationem habuit ad sanctum Cœtum apud Eusebium, obijt anno Domini 338.
Cornelius Iansenius claruit anno 1570.
Cornelius Schultingius, qui Bibliothecam Ecclesiasticam edidit, vixit an. 1596.
* S. Cyprianus martyrio coronatur sub Valeriano anno 259.
S. Cyrillus Alexandrinus claruit an. 445.
S. Cyrillus Ierosolymitanus obijt anno 389.
S. Dionysius Areopagita ex Baronio tom. 2. ad annum Domini 109. obijt anno ætatis 110. extremo tempore Traiani, vel sub Adriano, qui imperare cæpit an. Dom. 119.
Dionysius Carthusianus claruit an. 1472.
Dion Cassius claruit sub Alexandro Seuero circa annum Domini 225. Dionis historiam in compendium redegit Ioannes Xiphilinus, qui vixit circa an. 1080.
Dioscorides claruit sub Iulio Cæsare annos circiter 50. ante Christi aduentum.
S. Dominici vita apud Surium tom. 4. edita à Theodorico de Appoldia Ordinis Prædicatorum, qui vixit anno 1285.
S. Ephræm floruit circa annum 380.
S. Epiphanius Episcopus Salamincæ claruit anno Domini 394. ex Hieronymo in catalogo obijt anno Domini 406.
* Epiphanius Presbyter Constantinopolitanus claruisse existimatur circa an. Dom. 1250. citatur enim à Nicephoro lib. 2. hist. cap. 23.
Euagrius Scholasticus historicus suam historiam Ecclesiasticam absoluit anno 9. Mauritij, qui est annus Domini 602.
Eucherius Episcopus Lugdunensis claruit an. 456 ex Marcellino in chronico.
S. Eulogius martyr martyrio affectus an. D. 859.
S. Euodius Episcopus Antiochenus obijt anno Domini 71. ex Baronio.
Eusebius Cæsariensis vixit anno 336.
Eusebius Emissenus vixit circa an. Dom. 356.
Euthymius Zigabonus monachus circa annum Domini 1100.
Euthychianus in narratione Theophili apud Surium in Februario circa annum 600.

Fe-

FElix Ordinis Prædicatorum, qui psalmos vertit, vixit an. 1520. ex Sixto Senensi.
Ferdinandus Castilius Ordinis Prædicatorum vixit anno 1584.
Fortalitium fidei à quodam Ordinis Minorum conscriptum an. Dom. 1459.
Franciscus Arias Societatis Iesu obijt an. 1605.
Franciscus Costerus Societatis Iesu viuit in hunc vsque annum 1613.
Franciscus Mayro Ord. Minor. anno 1320.
Franciscus Ribera Societatis Iesu obijt an. 1591
Franciscus Suarez Societatis Iesu in hunc annum superstes.
Franciscus Sachinus Societatis Iesu viuit hoc anno 1613.
Franciscus Titelmannus Ordinis Minorum obijt anno 1537.
Franciscus Toletus Cardinalis Societatis Iesu, obijt anno 1596.
Franciscus Turrianus Societatis Iesu obijt anno 1584.
Fulbertus Carnotensis Episcopus claruit an. 1086
S. Fulgentius floruit sub Symmacho Papa, & Anastasio Imperatore circa annum 500.

GAbriel Biel floruit anno 1494.
S. Gelasius Papa obijt anno Domini 498.
* B. Gertrudis, cuius Reuelationes citantur obijt anno 1290.
Georgius Cedrenus anno 1110.
Georgius Nicomediensis à quibusdam dictus Gregorius vixit circa an. 700.
Georgius Trapezuntius claruit anno 1475.
Germanus Patriarcha Constantinopolitanus floruit anno 730.
Gilbertus Genebrardus vixit an. Dom. 1590.
Glossa Ordinaria à Strabo Monacho Fuldensi edita circa annum 840.
Glossa Interlinearis ab Anselmo Laudunensi Gallo edita circa annum 1110.
Gotfridus Viterbiensis vixit circa an. 1186.
S. Gregorius Magnus obijt an. 604. ex Onuphrio.
B. Gregorius Papa II. obijt anno 751.
B. Gregorius Papa VII. obijt anno 1085.
* S. Gregorius Nazianzenus obijt anno Christi 390. aut 391. cum ad 90. & eò amplius ætatis annos peruenisset.
* S. Gregorius Nyssenus frater S. Basilij claruit anno Domini 380.
* S. Gregorius Thaumaturgus claruit an. 240.
S. Gregorius Turonensis obijt an. 594. ex Baron.
Guarricus Abbas Igniacensis claruit an. 1300.
Gulielmus Durandus ex Onuphrio claruit 1286.
Gulielmus Parisiensis claruit sub Friderico II. circa annum 1250.
Gulielmus Petyte, seu Paruus vixit circa annum 1170. ex Martino del Rio in Cantica.

HAilgrinus Cardinalis Sabinensis vixit anno 1233.
Haymo Episcopus Halberstadiensis Alcuini auditor obijt anno 834. ex Tritemio.
Hesychius Presbyter Ierosolimitanus claruit sub Honorio Imperatore anno 400.
* S. Hieronymus moritur anno 422.
Hieronymus Angelitta, qui Historiam Lauretanam edidit, vixit anno 1525.
Hieronymus Osorius Episcopus Algarbiensis obijt anno Domini 1580. ætatis 74.
Hieronymus Rubeus viuit hoc anno 1613.
Hieronymus Platus Societatis Iesu obijt an. 1592
S. Hilarius Pictauiensis Episcopus obijt anno Domini 372.
Hippolytus Episcopus, & martyr claruit sub Seuero anno 220.
Homerus Poeta vixit centum circiter annos post bellum Troianum.
Honorius Augustodonensis Presbyter claruit ex Onuphrio anno 1124.
Horatius Poeta claruit tempore Augusti.
Hugo Cardinalis Ordinis Prædicatorum claruit anno 1262.
Hugo de sancto Victore obijt anno 1140.
S. Iacobus Apostolus auctor Liturgiæ pro Christo necatus anno Christi 63. qui erat septimus Neronis.
Iacobus Almainus Senonensis claruit 1515.
Iacobus Christopolitanus claruit anno 1490.
Iacobus Gretserus Societatis Iesu superstes hoc anno 1613.
Iacobus Laynez vnus ex primis decem Patribus Societatis Iesu, obijt anno 1565.
Iacobus de Vitriaco Cardinalis obijt anno Domini 1244.
Iacobus de Voragine Ord. Prædic. claruit 1290.
* Idiota ex Genebrardo claruit tempore Leonis Papæ IV. circa annum Domini 847. alijs tamen post sancti Bernardi ætatem floruisse videtur.
S. Ignatius martyr coronatur martyrio ad annum Domini 110.
B. Ignatius Loyola Fundator Societatis Iesu in lib. exercitiorum obijt anno 1556.
S. Ildefonsus Toletanus Archiepiscopus obijt anno 669. ætatis 60.
Innocentius Papa III. vixit an. Dom. 1215.
Ioachim Abbas claruit anno 1200. nam in Commentarijs in Apocalypsim meminit anni 1195 quo erat Messanæ.
Ioannes Andreas Canonista floruit anno 1340.

Ioan-

Ioannes Azor Societatis Iesu obijt anno 1603.
Ioannes Baptista Mantuanus Ordinis Carmelitarum viuebat anno 1499.
Ioannes Baptista de Tufo Episcopus Acerranus ex Clericis Regularibus, qui Chronica eorundem edidit, viuit hoc anno 1613.
Ioannes Baptista Villalpandus Societatis Iesu obijt anno 1608.
Ioannes Beleth, qui Rationale diuinorum officiorum edidit, viuebat anno 1328.
Ioannes Cassianus obijt 438. ex Onuphrio.
* S. Ioannes Chrysostomus moritur anno 409. ex Prospero.
Ioannes Curopalates historicus vixit annum Domini circiter 1070.
Ioannes Duns cognomento Scotus Ordinis Minorum claruit anno 1308.
Ioannes Patriarcha 52. Ierosolymitanus, non ille tempore Hieronymi, sed alter, qui floruit circa annum 795. creatus ab Adriano I. de Monasterio montis Carmeli, iuxta Nicephorum Episcopum Constantinopolitanum in Chronologia tripartita.
S. Ioannes Damascenus floruit circa an. 750.
Ioannes Dominici Ordinis Prædicatorum Cardinalis obijt anno 1418.
Ioannes Diaconus, qui vitam S. Gregorij scripsit floruit anno 860.
Ioannes de Lucena Societatis Iesu obijt an. 1600
Ioannes Gerson obijt anno 1419.
Ioannes Mariana Societatis Iesu adhuc superstes.
Ioannes Molanus vixit anno 1568.
Ioannes Nauclerus scripsit historiam ab Orbe condito ad annum 1500.
Ioannes Petrus Maffeus Societatis Iesu obijt anno 1603.
Ioannes de Pineda Societatis Iesu viuit hoc ipso anno 1613.
Ioannes Polancus Societatis Iesu obijt an. 1577.
Ioannes Raulinus Ordinis Cluniacensis, claruit circa annum Domini 1480.
Ioannes Tritemius Ordinis S. Benedicti claruit Alexandro VI. Pontifice an. Dom. 1494.
Ioannes Vaseus anno 1560.
Ioannes Viguerius Ordinis Prædicatorum vixit anno 1560.
Ioannes Zonaras vixit anno 1110.
Iosephus Iudæus claruit Imperatoribus Vespasiano, & Tito, & peruenit vsque ad annum 14. Domitiani ex lib. 20. de antiquit. iudæo. qui erat annus Christi 97. iuxta Eusebium.
Iosephus Stephanus Valentinus vixit an. 1584.
S. Irenæus Episc. Lugdunensis obijt circa an. 205.
S. Isidorus Episcopus Hispalensis obijt anno 638. ex Onuphrio.
S. Iustinus martyr claruit an. Dom. 165.
Iustus Lipsius claruit anno 1590.
Iuuenalis Poeta vixit sub Domitiano anno Domini 90.
Lactantius Firmianus claruit sub Constantino anno 312.
B. Laurentius Iustinianus Patriarcha Venetus moritur an. Dom. 1434. ætatis 74.
Laurentius Surius Carthusianus obijt an. 1578.
S. Leo Papa Magnus moritur anno 461.
Leo Castrius vixit circa an. 1567.
Leo Ostiensis, qui Chronicam Cassinensem edidit claruit anno 1088.
Lucanus Poeta Cordubensis moritur sub Nerone circa annum Domini 60.
Lucius Florus vixit circa annum Domini 140. ex prologo suæ historiæ.
Lucas Tudensis vixit circa annum 1200.
Ludouicus Blosius claruit anno 1540.
Marcus Antonius Muretus obijt an. 1585.
Marcus Antonius Sabellicus historicus floruit anno 1498.
Marianus Victorius floruit circa an. 1572.
Marsilius Ficinus claruit circa an. 1490.
S. Martialis martyr claruit circa an. Dom. 74.
Martialis Poeta claruit sub Domitiano circa annum 90.
Martinus Cromerus vixit circa an. 1548.
Martinus del Rio Societ. Iesu moritur an. 1610.
Martinus Polonus Ordin. Prædicat. vixit anno Domini 1300.
Martyrologium Romanum iussu Gregorij XIII. editum anno 1584.
S. Maximus Episcopus Taurinensis claruit anno 465. ex Baronio in notis martyrologij ad diem 25. Iunij.
* B. Mechtildis, cuius Reuelationes celebrantur, claruit anno 1300.
Menologium Græcorum.
* S. Methodius martyr martyrio coronatur sub Decio, & Valeriano circa an. Dom. 255.
Michael Glycas vixit 1119. ex Onuphrio.
Missale Romanum iussu Pij V. editum an. 1570.
Nauarrus, cuius nomen Martinus Alpizcueta obijt anno 1586. ætatis 95.
Nicephorus Callistus ex Genebrardo lib. 4. Chronol. claruit anno 1311. sub Andronico Seniore, cui suam historiam dicauit.
Nicetas Choniates peruenit vsque ad ann. 1204. ex Onuphrio.
Nicolaus Lyranus Ordinis Minorum claruit sub Ioanne XXII. an. 1320.

Onu-

ONuphrius Panuinus Ordinis Eremitarum obijt anno 1568.

Origenes peruenit ad tempora Valeriani, obijt ex Eusebio anno Christi 256. ætatis 69.

Ouidius Poeta sub Augusto Imperatore vixit.

PAulus Diaconus claruit anno Domini 813.

Paulus Morigia Ordinis Iesuatorum vixit anno 1580.

Paulus Orosius claruit anno 425.

Panormitanus, cuius nomen est Nicolaus de Tudeschis vulgo Abbas vixit anno 1434.

Pantaleon Diaconus Constantinopolitanus vixit circa annum 830.

Pelbartus de Temesuar Ordinis Minorum edidit STELLARIVM B. Virginis, illudq; dicauit Sixto IV. qui sedit anno 1471.

Petrus Andreas Matthiolus claruit circa annum Domini 1550.

Petrus de Aliaco Cardinalis claruit circa annum Domini 1416.

Petrus Canisius Societatis Iesu obijt anno 1597.

Petrus Faber, vnus ex primis decem patribus Societatis Iesu obijt anno 1546.

S. Petrus Chrysologus circa annum Domini 500. nam serm. 145. meminit huius anni, in quo viuebat.

Petrus Comestor magister historiæ scholasticæ floruit sub Friderico I. anno 1160.

Petrus Cluniacensis Abbas claruit anno 1130.

B. Petrus Damianus Cardinalis monachus S. Benedicti peruenit ad annum 1080. ex Tritemio, & Onuphrio.

Petrus Galatinus Ordinis Minorum perfecit librum de Arcanis catholicæ veritatis anno Domini 1516.

Petrus Galesinus in Martyrologium notas edidit, vixit anno 1582.

Petrus Lombardus magister sententiarum claruit anno 1140.

Petrus de Natalibus Auctor Catalogi Sanctorum claruit circa annum 1490.

Petrus Ribadeneira Societatis Iesu obijt anno 1612. ætatis 87.

Petrus Stephanus de Templis Neapolitanis scripsit anno 1560.

Philippus Bergomas claruit anno 1503.

Philo vixit circa annum Domini 50.

Plinius sub Traiano vixit circa annum Domini 105.

Plutarchus floruit circa annum 122. ex Eusebio in Chronico.

Polydorus Virgilius claruit anno Domini 1503.

Pompeius Hugonius vixit anno 1588.

Pontificale Romanum nouissime editum est iussu Clementis VIII. anno 1595.

* Pratum spirituale, quod Sophronio Patriarchæ Ierosolymitano tribuitur, editum est circa annum Domini 610.

Primasius Vticensis Episcopus vixit anno Domini 440.

Proclus Episcopus Constantinopolitanus ex Episcopo Cyzieno Chrysostomi discipulus floruit anno 438. ex Onuphrio.

Procopius Gazeus ex Sixto Senensi, & Genebrardo vixit circa annum 495.

Promptuarium miraculorum B. Virginis in lib. qui dicitur sermones discipuli, eius auctor fuit Ioannes Herbod Ordinis Prædicatorum, & vixit anno Domini 1450.

Prudentius Poeta floruit sub Gratiano Imperat. anno 380. ex Tritemio.

RAbanus Maurus claruit anno 855.

Rabbi Abenezra circa annum 400.

Rabbi Hakados vixisse videtur sub Seuero, & Antonino circa annum 217. Genebrardus verò lib. 3. Chronolog. ponit eum circa annum Domini 172.

Raphael Volaterranus elaruit anno 1503.

Richardus à S. Victore claruit anno 1130.

Raymundus Generalis Ordinis Prædicatorum floruit anno 1375.

Rodulphus Agricola claruit sub Friderico III. anno 1485.

Ruffinus Aquileiensis vixit circa annum 390.

Rupertus Abbas Tuitiensis claruit anno 1124. sub Henrico IV. ex Tritemio.

SAnctes Pagninus Ordinis Prædicatorum obijt anno 1541.

Scala Cœli, hunc librum edidit Ioannes Aegidius, siue Ioannes iunior Ordinis Prædicatorum, qui vixit anno 1406.

Sebastianus Barrada societatis Iesu viuit hoc anno 1613.

Sedulius Poeta christianus floruit sub Theodosio Iuniore anno 430. ex Tritemio.

Seneca claruit sub Nerone circa annum Domini 60.

Septuaginta Interpretes claruerunt temporibus Eleazari summi Iudæorum Pontificis, & Ptolomæi Philadelphi II. Regis Aegypti Olympiade 124. ante Christi natiuitatem ann. 280.

Sergius Hagiopolita vixit circa annum 650.

Seuerius Sulpitius claruit anno 420.

Sibylla Cumæa anno 270. ante Christi aduentum ex Tatiano oratione contra Græcos.

Sigebertus Gemblacensis Ordinis Sancti Benedicti, vixit tempore Henrici IV. Imperatoris

vſque ad annum 1120. ex Tritemio.
* Simeon Metaphraſtes vixiſſe videtur inter annum Domini 900. & 1000.
Sixtus Senenſis Ordinis Prædicatorum Bibliothecam ſanctam ſcripſit anno 1566.
Socrates hiſtoricus claruit anno 430.
Solinus vixit anno Domini 122.
* Sophronius, cui tribuitur ſermo de Aſſumptione Deiparæ, vixit ætate S. Hieronymi.
* Sophronius, cui tribuitur Pratum ſpirituale, Patriarcha Ieroſolymitanus peruenit ad annum Domini 636. ex Onuphrio.
Sozemenus floruit anno Theodoſii 31. Chriſti autem 438. ex Onuphrio.
Speculum Exemplorum Magnum ab Henrico Gran Germano circa annum 1480. editum.
Speculum humanæ ſalutis, citatur in Speculo Exemplorum diſtinct. 9. eius Auctor ignoratur.
Suidas viuebat anno 1018. vt ipſemet ait in ſuo opere, in voce, Adam.
Synodus ſexta anno 680. inchoata, & 681. abſoluta.
Synodus ſeptima, quæ eſt 2. Nicena circa annum 771.
Strabo claruit tempore Auguſti.
Supplementi Gabrielis Auctor vixit circa annum 1500.
B.M. Tereſa à Ieſu Carmelitanorum Diſcalceatorum Fundatrix obiit an. 1582.
Tertullianus vixit anno Chriſti 222. ex Pamelio, cum iam quadragenarius anno Chriſti 198 conuerſus eſſet ad Chriſti fidem.
Theodoretus Epiſcopus Cyri moritur tempore Leonis ſenioris Imperatoris, ex Gennudio ad annum 460.
Theophanes hiſtoricus circa annum 900.
Theophilactus floruit circa annum 883. ex Onuphrio.
Theſaurus Concionatorum à Thoma de Trugillo Ordinis Prædicatorum, qui floruit anno 1578.
S. Thomas Aquinas Ordinis Prædicatorum obiit anno 1274.
Thomas Bozius ex Congregatione Oratorij obiit anno 1610.
* Thomas Cantipratenſis Ordinis Prædicatorum in lib. Apum floruit annum circiter 1260.
Thomas Faſelus Ordinis Prædicatorum claruit anno Domini 1560.
Thomas Sances Societatis Ieſu obiit 1609.
Thomas de Vio Cardinalis Caietanus Ordinis Prædicatorum obiit anno 1534. ætatis 66.
Tilmannus Bredenbachius, qui Collationes ſacras exemplorum ſcripſit, vixit anno 1584.
Titus Liuius Hiſtoricus floruit Auguſti tempore, & moritur anno quarto Tyberij ex Euſebio in Chronicis.
Valerius Maximus claruit ſub Tiberio Imperatore, ad quem ſuum opus ſcripſit.
Varro Romanus moritur nonagenarius anno 15. Auguſti.
Victor Vticenſis floruit anno 487.
Vilhelmus Abbas S. Theodorici, qui vitam S. Bernardi Abbatis ſcribere cœpit, claruit Anno 1120.
* Vincentius Beluacenſis Ordinis Prædicatorum Speculum hiſtoriale conſcripſit ab Orbe condito vſque ad annum 1244.
S. Vincentius Ferrerius Ordinis Prædicatorum obiit anno 1418.
Virgilius Ceparius Societatis Ieſu viuit hoc ipſo anno 1613.
Virgilius Poeta claruit ſub Auguſto.
Vitas Fratrum Prædicatorum, quem librum edidit quidam Ordinis Prædicatorum nomine Gherardus Semouicenſis circa annum Domini 1265. Auctore Ferdinando Caſtiglia initio 1. par. Chron. S. Dominici.
Vſuardus tempore Caroli Magni circa annum 800.

Ad extremum in hoc, quem deſcripſimus, Auctorum Elencho illud animaduertendum eſt. Nos, tametſi cõplurium Auctorum Teſtimonijs in Hiſtoricis præcipuè narrationibus vſi fuerimus: quorundam tamen nomina conſulto in hoc Elencho prætermiſiſſe tum breuitatis ſtudio, tùm etiam quia in ijſdem exemplis eorum nomina, á quibus ſunt excerpta, ſemper ponantur, vnde Lector eos facile cognoſcere poterit.

A D-

ADMONITIO AD LECTOREM

DE NONNVLLORVM AVCTORum teſtimonijs, quibus in hoc opere vtimur, ac de eorum vi, & auctoritate.

1 CVM in hoc de ſanctiſſimæ Virginis Laudibus opere, illud potiſſimum ſpectauerimus, vt, quæ dicebantur omnia, probatiſſimorum Auctorum teſtimonijs confirmarentur; operæ pretium me facturum duxi, ſi in hoc Operis veluti veſtibulo pium Lectorem præmonerem, quæ ad aliquorum teſtimoniorum auctoritatem, atque pondus cognoſcendum magnopere conferrent. Enimuerò cum me non lateat opuſcula quædam inter opera Cypriani, Hieronymi, Auguſtini, & aliorum haberi, quæ viri docti, vel dubitant, vel omninò negant eorum eſſe, quibus vulgo aſcribuntur, idcircò ab ijs citandis, quæ nullius probati Auctoris eſſe, quæq; incertæ fidei, & obſcuræ auctoritatis viſa ſunt, conſulto abſtinuimus: quæ verò alijs quidem Auctoribus, ſed ijs tamen tribuuntur, qui ad confirmanda, quæ dicimus meritò afferri poſſunt, ex ijs interdum teſtimonia petimus ſub nomine eorum ferè, inter quorum opera circumferuntur. Sed cur eorum potius nomina vſurpem, ea eſt ratio; quod nimirum rem hanc ad trutinam reuocare, rationesq; expendere, & inter viros doctos ferre iudicium, nec inſtituti operis ſit, nec ita expeditum, ac facilè, vt non iuſtum volumen exigat. Cum vel inter eruditos viros de eiuſmodi opuſculis, cuinam Auctori tribuenda ſint, non ſatis conſtet, quemadmodum Louanienſes exactiſſimi operum Auguſtini indagatores in cenſura Generali tomo 10. operum ſancti Auguſtini in ipſo fronte præfixa monent; eſtq; omnibus in promptu recentiores conſulere, qui id in pleriſq; Scriptoribus accuratè examinant, vt Marianus Victorius in Hieronymo, Louanienſes in Auguſtino, in alijs alij. Quædam verò opuſcula, quæ vetuſtate roborata, & ab alijs quoque probatis Auctoribus ad aſtruendum ea, quæ in controuerſiam veniunt, afferri ſolent, breuiter examinare, interdum eorum vim, atque auctoritatem aliqua ratione confirmare ſtuduimus: vel etiam aliquid indicare, quod ad eorum Auctores illuſtrandos pertinere videretur. quod hic te candide Lector monitum volui, ne quoties occaſio incidit, (incidit autem frequenter) ſemper mihi monendus ſis, quod & mihi operoſum, & tibi permoleſtum foret.

Quorum nam Auctorum teſtimonia in hoc opere afferantur.

Louanienſes in Auguſtini.

Marianus Victorius.

2 Illud præterea noſſe te velim, me in allegandis Auctoribus, ijs præſertim, quorum teſtimonijs identidem vtor, ne longiori locorum citatione tædium afferatur, conſulto aliquid prætermittere, quod tamen à quouis in ſacrorum Doctorum ſcriptis vel mediocriter verſato facilè ſubintelligi poteſt: exempli cauſa cum Andreæ Cretenſis, Damaſceni, Petri Damiani, & ſimilium orationes de Dormitione, de Natiuitate abſolute citamus, eas eſſe intelligimus, quas de Deiparæ Dormitione, vel Natiuitate ijdem Auctores conſcripſerunt, præſertim quia ex his aliqui, Damaſcenus ſcilicet & Andreas non de aliorum, ſed tantum de Deiparæ Dormitione egerunt. Eadem quoque ratione ſermonem illum, quem S. Bernardus non minus piè, quàm luculenter de Deipara habuit

Ratio citandi Auctores, quos in hoc opere vſurpamus.

S. Bernardus.

buit ſuper verba illa Apocalypſis 12. *Signum magnum apparuit in Cœlo,* breuitatis ſtudio hac forma citare ſolemus, *Bernardus ſermone Signum magnum.* Sanctus quoque Bonauentura Deiparæ addictiſſimus inter alia ſuæ in eandem Virginem pietatis monumenta opus edidit præclariſſimum, quod Deiparæ plurima encomia ſacrarum litterarum, & Sanctorum teſtimonijs confirmata continet; eius titulus *Speculum B. Virginis,* hoc verò nos frequenter allegamus ſub hac forma (Bonauentura in ſpeculo.)

§ Bonauenturæ.

§ Antonini Archiep Florentini opera.

S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus ſacræ Theologiæ ſummam in partes quatuor, & Chronicorum opus in partes tres diuiſam edidit. nos breuitati ſtudentes Chronica ſic citamus 1. vel 2. vel 3. par. hiſtor. tit. &c. At verò cum ſummam Theologiæ allegamus, ferè ſemper ad numerum partis nihil adiecimus, vt ſubintelligatur citari pars ſummæ theologicæ, præſertim quia ea, quæ de B. Virgine habet S. Antoninus, præcipuè in 4. par. tit. 15. continentur; hiſtoria verò eiuſdem ad quartam partem non pertingit.

Atque his de ratione citandi Auctores indicatis, ad Auctorum iudicium accedamus: & certè reliquis, qui in ſuperiori Elencho recenſentur Auctoribus prætermiſſis, de ijs dumtaxat eodem ordine alphabetico agamus, eaq; tantum proponamus, quæ nec Lectori ſcitu ingrata, & ad rem, de qua agimus, magnopere conducere viſa ſunt.

Auctorum teſtimonia.

Alberti Caſtellani Veneti Ordinis Prædicatorum liber de Roſario.

3 ALBERTVS CASTELLANVS Venetus Ordinis Prædicatorum anno Domini 1521. Italico ſermone edidit pijſſimum Roſarij Deiparæ librum, in quo Roſarij inſtitutionem, precandi rationem, eiuſdem Roſarij leges, ac Indulgentias commemorat. deinde ad ſingulas tum orationes Dominicas, tum ſalutationes Angelicas, quæ quindecim Roſarij decadibus continentur, ſuam cuiq; meditationem ſacrarum litterarum teſtimonijs appoſitè explicatam, ac roboratam apponit, adiectis totidem è regione earundem meditationum imaginibus ad pietatem excitandam accommodatiſſimis, quæ meditationes ipſas exprimunt, & ab oculos ponunt: ad calcem verò libri quamplurima miracula, & beneficia Roſarium recitantibus à Deipara exhibita ſubnectit.

B. Amadei Ordinis Minorum liber Reuelationum. Chronica Ordinis Minorum.

B. AMADEVS Ordinis Minorum ſanctitate conſpicuus, quemadmodum videre eſt in Chronicis Ordinis Minorum par. 3. lib. 6. cap. 30. claruit ſub Sixto IV. cuius fuit Confeſſarius ad annum fere Domini 1475. Is librum Reuelationum edidit, vbi in primo raptu ſeptem Principes Angelorum diuino Throno aſtantes, ac Deiparam ſinguläriter venerantes ſibi oſtenſos memorat, id quod nos in hoc opere cap. 26. referemus. Cæterum de eodem B. Amadeo, eiusq; viſionibus in opere de ſeptem Angelis vberius diſputauimus: cum enim conſtet nonnulla ab aliquo alio iuxta proprium ſenſum conficta in earundem reuelationum librum adiecta eſſe, quod apertè teſtatur auctor Chronicorum Ordinis Minorum loco citato; hanc tamen, quam nos afferimus viſionem neque ſuppoſititiã, neque vitiatam, ſed germanam, ac ſinceram eſſe illud argumento eſt, quod Petrus Galatinus vir ex eadem Minorum familia eruditiſſimus, quiq; non multo poſt B. Amadeum, anno nimirum 1500. floruit, ac proinde ſincera, & intacta eum habuiſſe illarum viſionem exemplaria veriſimile eſt. hanc ipſam viſionem, vt propriam B. Amadei in ſuis in Apocalypſim Commentarijs, quos manuſcriptos in Monaſterio Aræ Cœli Romæ vidimus, ad ſua confirmanda affert: deinde cum hæc in ipſo viſionum limine prima omnium (quippe quæ tempore reliquas præceſſit) collocetur, nemo facilè ſuſpicabitur eam in ipſo libri veſtibulo deprauatam.

Petrus Galatinus.

Andreæ Cretenſis opera. Baronius. Alter Andreas Cretenſis Monachus, & martyr Martyrolo. Romanum. Andreas Ieroſolymitanus eſt idem, ac Cretenſis. Caniſius. Genebrardus. Menologiũ Græcorum.

4 ANDREAS CRETENSIS inter Eccleſiaſticos ſcriptores Græcos celebris, cuius teſtimonia ex orationibus de dormitione Deiparę, de ſalutatione Angelica in hoc opere vſurpamus, diuerſus eſt, teſte Baronio in notis Martyrologij, ab Andrea Cretenſi Monacho, qui ob cultum ſanctarum Imaginum ſub Conſtantino Copronymo martyr occubuit, de quo in Martyrologio Romano die 17. Octobris. Cùm verò apud aliquos non ſatis conſtet, quis fuerit, & quo tempore Andreas noſter Cretenſis claruerit, cum aliqui illum Ieroſolymitanum, aliqui Cretenſem appellent, aliqui verò duos Andreas eſſe arbitrentur: cumq; Caniſius lib. 5. de B. Virg. cap. 30. ſub Iuſtiniano Imperatore, qui imperare cœpit anno 528. Genebrardus verò lib. 3. Chronologiæ ſub Pelagio II. Pontifice, qui ſedit anno 579. illum collocet; operæ pretium exiſtimaui in gratiam Lectoris, illius Elogium ex Menologio Græcorum 4. nonas Iulij à Reuerendiſſimo Federico

nico Metio Episcopo Thermularum ad verbum conuersum hic inserere: ex eo enim difficultates omnes facili negotio dissoluuntur. illud autem sic habet: Andreas Ierosolymitanus, qui Cretæ Archiepiscopus fuit, cum in Ciuitate Damasco natus esset, litterarū disciplinæ se totū tradidit, in quibus adeò profecit, vt à Theodoro Patriarcha Clericus sanctæ Ciuitatis fuerit ordinatus, & ab eodem subscriba, seu Amanuensis constitutus; à quo etiam missus est Constantinopolim, vt in Synodo celebranda suo nomine interesset: qui propter suam eruditionem, & singularem virtutem Diaconus etiam magnæ Dei Ecclesiæ ordinatur: & paulò post Orphanorum etiam alendorum cura illi demandatur. deinde Archiepiscopus etiam Cretæ constituitur, & tandem cum in quadam Insula Hierisso nuncupata propè Mytyenem reperiretur, vita functus est, relictis compluribus opusculis Ecclesiæ Dei proficuis, hæc in Græcorum Menologio.

5 S. ATHANASII sermo de Deipara habetur to. 3. operū eiusdem sub hac inscriptione: *S. Athanasii in Euangelium de sanctissima Deipara sermo, in quo Annunciationis, & Incarnationis mysteria recensentur.* sic ibi. Hunc sermonem Baronius to. 1. annal. ad an. Dom. 48. & in notis Martyrol. ad diem 25. Martij, & ad diē 15. Aug. negat esse Athanasij. Primo, quod ibi Nestorij hæresis, quæ post Athanasij ætatem exorta est, impugnetur ijsdem planè verbis, quibus postea Concilium Ephesinū contra Nestorium est vsus: in eo enim sermone duas naturas in vnam personam inconfusè, immutabiliter, atque indiuisim conuenisse asseritur. Secundo quoniam, si huius orationis auctor, in qua tam dilucide Nestorij error impugnatur, esset S. Athanasius, Patres Concilij Ephesini eius auctoritate in damnando Nestorio vsi fuissent. Tertiò, obijcere quispiam posset huius orationis auctorem Beatissimam Virginem appellare θεοτόκον hoc est Deiparam, quod nomen à Concilio Ephesino longè post Athanasium est illi tributum. Addit tamen Baronius sermonem illum esse Cyrilli, vel alterius Theologi insigniter eruditi. Alij verò sermonem illum omninò Athanasij esse affirmant. ita Petrus Canisius lib. 5. de B. Virg. cap. 30. & complures alij eum tanquam Athanasij sermonem citare solēt, id quod mihi magis probatur, tum quia in Breu. Rom. iussu Pij V. edito, idē sermo in festo Assumpt. Deip. sub nomine Athanasij legebatur, teste Baronio in notis Martyrol. ad 15. Aug. & norunt oēs, qui diuinum officium recitarunt (quamuis hoc tempore in breuiario Clem. VIII. auctoritate recognito eo die legatur sermo S. Damasceni) tum ēt, quia Michael Glycas historicus, qui vixit an. 1119. & plures alij Græci eum magni Athanasij esse agnoscunt, teste Canisio loc. cit. & Thoma Bozio lib. 9. de signis Eccl. cap. 7. tum denique, quia ipsa dictio, ac ratio, qua de his agit, prodit auctorem Cyrillo, & Concilio Ephesino antiquiorem, vt mox dicemus.

S. Athanasii sermo de Deipara.
Baronius.
Ad rationes dubitandi, an hic sermo sit S. Athanasii respondetur.
Concil. Ephesin.
Baronius.
Canisius.
Officium Eccles.
Baronius.
Glycas.
Canisius.
Thomas Bozius

6 Ad rationes verò, quæ pro opposita sententia afferebantur facilè responderi potest. Ad primam dicimus, potuisse errorem illum, quem postea Nestorius propagauit, ætate S. Athanasij ab aliquo alio disseminatū pullulare; nam in ipso Athanasij symbolo eadē hæresis cum hæresi Eutychetis in Concil. Chalcedonēsi damnata, similibus ferè verbis iugulatur; cum. n. ageretur de Christi persona duas habēte naturas, sic dicitur: *Qui licet Deus sit, & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus; Vnus aūt non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Vnus omninò non confusione substantiæ, sed vnitate personæ.* Quæ quidē oīa aliquanto tamen vberius in sermone illo Athanasij habentur. Verisimile quoq; est Patres non Ephesini tantum, verum ēt Chalcedonensi Concil. in Nestorio, & Eutychete damnādis verba illa ab Athanasio celeberrimo quidem Theologo libenter mutuatos, quemadmodum ēt Patres Concil. Arausicani II. contra Pelagianos in suis definitionibus integras sententias ex Augustino desumpsere, quod exemplo quoque S. Hieronymi lib. 2. Comm. in Matth. confirmatur. is. n. cum in Christo inter operationes, quæ à natura diuina, & à natura humana proficiscuntur, diuersitatem animaduertisset, confestim contra hæresim, quam postea Nestorius docuit, subijcit in hunc modum: *Non quod personam Domini separemus, sed quo modo opera eius inter Deum, hominemq; diuisa sunt, ostendamus.* & S. Ambrosius, qui ante tempora Concil. Ephesini, & Chalcedonensis vixit in lib. de Incarnat. Dominicæ sacramento c. 6. non tantum hæresim de duabus in Christo personis à Nestorio postea euulgatam, & in Cōcil. Ephesino damnatam, verum ēt disertis verbis, & pluribus testimonijs hęresim Euty-

Nestorij hæresis ab Ephesino Cōcilio damnata, iampridem erat exorta.
S. Athanasius.
Concil. Arausicanum.
Hieronymus.
Ambrosius.

 chetis,

chetis,& Dioſcori vnam tantum naturam in Chriſto ponẽtium,& à Concil. Chalcedonenſi poſtea damnatam refellit, & execratur,quin ẽt in quodam libro ſe illam legiſſe cõmemorat. At ſi quis accurate ſermonem illum S. Athanaſij conferat cum hoc capite S. Ambroſij,non ſolum in inſcriptione operis,verum ẽt in alijs multis eos conuenire inueniet;quin etiam vterq; Concil. Niceni eo in loco meminit. & certe ſcimus S. Ambroſium ex Baſilio multa penè ad verbum deſumere ſolitum,vt videre licet in Hexamerõ. quare eundẽ Ambroſium ex hoc Athanaſij ſermone aliqua mutuatum exiſtimare poſſumus. Ex quo licet colligere ſermonem illum Cyrillo multo antiquiorem fuiſſe,& iure optimo S. Athanaſio tributum,quemadmodum etiam impietas Arij multis annis antequam à Concil. Niceno damnaretur,à S. Petro Epiſc. Alexandrino, & martyre reiecta eſt, quæ ante eius etiam ætatem pullulare cæperat. Nam S. Thomas 1.p.q.34. art.1. ad 1. Origenem fontem Arianorum appellat:& q.32.art.1.ad 5. quendam Arij errorem tribuit etiam Origeni. quæ eò quidem omnia ſpectant, vt intelligamus aliquas hæreſes; antequam in Concilijs dãnarentur,pullulaſſe,& à Patribus zelo fidei impugnatas. quod ipſum contigit in Neſtorij hæreſi à S. Athanaſio in hoc ſermone reiecta.

S. Thomas.

S. Athanaſii auctoritas approbata.

Cyrillus.

Ad ſecundam reſpõdeo Patres Conc. Epheſini proculdubio S. Athanaſij auctoritatẽ Neſtorio oppoſuiſſe. Nam S. Cyrillus vnus ex anteſignanis Concil. Epheſini in Epiſtola ad Achacium,quæ extat in 1.p.eiuſd.Conc.nu.22. Athanaſium allegat contra Neſtorium,& vt mox dicemus non aliunde, quã ex hac oratione teſtimoniũ petere videtur.

B. Virgo ante Concilium Epheſinum, Deipare nomine appellari conſueuerat.

7 Ad tertiam verò rñdetur cum noſtro Caniſio lib.3.de B.Virg.c.19.vocẽ θεοτόκος non fuiſſe ab Epheſina ſynodo primum excogitatã, ſed ab antiquis Patribus veluti per manus traditam,& acceptam,& ab eadem ſynodo nouo,ac peculiari ſtudio, vti res poſtulabat,approbatam,atq; ſancitam. Et ſane facile id probatur auctoritate Patrum,qui ante Concil. Epheſinum claruerunt,à quibus Deiparæ nomẽ vſurpatur;nam vt præteream hanc Athanaſij orationem,de cuius auctoris ætate inſtituta eſt hæc diſputatio. Idem S. Athanaſius in dial.4 de S. Trinit. introducit Apollinarium hæreticum quærentẽ ab orthodoxo: *Hominem igitur genuit Maria?* cui orthodoxus: *Nudum dumtaxat hominem, nequaquam, ſed Deum, qui hominem induerat,* & mox: *Quamobrem etiam Deipara eſt MARIA.* ſic ibi. & S. Gregor. Nazianz. ob ſingularem diuinarum litterarum ſcientiam Theologi cognomentum conſecutus,longè ante Epheſinam ſynodum in orat.51. quæ eſt epiſt.1.ad Cledonium,in quam Elias Cretenſis Commentarium edidit,cum inuehitur contra Apollinariſtas hæreticos,impietatem quandam (quam poſtea euomuit Neſtorius) apertè inſectatur: *Neque.n.* inquit, *hominem à diuinitate ſeparamus, ſed vnum, & eundem profitemur.* & mox: *Si quis S. Mariam DEIPARAM non credit, extra diuinitatẽ eſt.* ſic Nazianz. S. Epiphanius in orat. de Deip. crebrò hoc nomine eam reuerenter appellat illis præſertim verbis: *S. Maria Virgo DEIPARA beata tu inter mulieres,* & mox: *Tu.n.es DEIPARA, quæ VERBVM ex te incarnatũ peperiſti.* Theodoretus lib.4. hæreticarum fabularum aliorum Patrum auctoritate,qui ante Epheſinam ſynodum vixerũt, cuiuſmodi ſunt Baſilius,& Chryſoſtomus,vocẽ hanc Deiparæ recipiendam probat. His adde Origenẽ,& Euſebiũ lib.2.de vita Conſtantini c.42.qui ead.voce Deiparę vtũtur.

S. Athanaſius.

Gregorius Nazianzenus.

Epiphanius.

Theodoretus.

Origenes.
Euſebius.

Verùm audiamus S. Cyrillum Alexan. paucis oẽm hanc controuerſiam dirimẽtem. Is.n.in epiſt.ad Achacium,quæ eſt in ſynodo Epheſina p.1. epiſt.22. diſertè teſtatur à S. Athanaſio,alijsq; Patribus Deiparæ nomen *B.* Mariæ tribui his verbis: *Cõperio ęternę memoriæ Epiſcop. Athanaſium ſæpius illam Deiparam appellare, atq; etiam beatos Patres noſtros Theophilum, Baſilium, Gregorium, Atticum, & alios præterea non paucos, qui per id tempus vixerunt, ſanctos Epiſcopos. Denique nemõ opinor ex Orthodoxorum numero illam Deiparam nominare dubitauit, quandoquidem verum eſt Emmanuelem Deum eſſe.* ſic Cyrillus; vbi apertè hunc ſermonem eſſe Athanaſij indicare videtur, neque enim alibi ſæpius ab Athanaſio Deiparæ nomen vſurpatur,quam in hoc ſermone.

Cyrillus Alexandrinus.
Concil. Epheſ.

Ex dictis ergo ſatis conſtat DEIPARAE nomen à S. Athanaſio in hac orat. vſurpari potuiſſe,& à Cyrillo citatam eſſe contra Neſtorium; quibus addo græcum idioma in confundis huiuſmodi nominibus plurimum excellere:& vt aliquid,quod ad rem noſtrã ſpectat proferamus. Ariſtoteles cum in lib.1.de hiſt.animaliũ c.5.egiſſet de diſtinctione animalium,quæ pariunt perfectũ animal,vel oua: deinde lib.4. de partib.animalium illa

Ariſtoteles.

c.10.& 11.animalium vocat viuipara ista ouipara,& lib.4.de gener.animal.c.6.non solum memorat animalia Viuipara,verum etiam Multipara,quæ.s.multos fœtus vno partu edunt, & S. Basilius homil. 7. in hexameron cum ageret de productione animalium ex aquis memorat animalia Ouipara, quæ græce appellat ὠοτόκα.

Quid ergo mirum,si sancti Patres, etiã ante Ephesinam Synodum strenuè asserentes cõtra Apollinaristas,aliosq; hæreticos, VERBVM PATRIS ex vtero,& in vtero sanctissimæ Virginis humanitatẽ suscepisse,eam Dei Matrẽ prædicarint? quod certe ab initio nascentis Ecclesiæ tãquam de fide receptum nemo inficiari potest.Ex hoc aũt facili negotio eleganter concinnarunt vocem θεοτόκυ, hoc est DEIPARAE,quam Dei Genitrici aptarunt;quamq; postea sacra Ephesina Synodus sua auctoritate sanxit,atq; probauit.

8 S.AVGVSTINI tractatus aliquot in hoc opere citantur,de quibus breuiter agendũ. Ac primum quidem S.Augustini liber de Assumpt.B.Virginis,qui est serm.34.de sãctis, & primus de Assumptione à Doctoribus Louanienſibus editus tom.9.operum eiusdem, iuxta censuram libro præfixam ab ijsdem,negatur esse Augustini, eaq; de causa in Appendicẽ tractatu 8.est reiectus.Auctor tamen Bibliothecę homiliarum,& sermonũ priscorum Patrum to.4.bibliothecæ in homilijs diei Assumptionis ad marginẽ huius libelli,qui ibidem inter Augustini homilias in eum diem reponitur homil.4.tanquã germanus Augustini agnoscitur his verbis: *Liber de Assumptione habetur to.9.operum Augustini, & vel stylus ipse indicat esse eius, & viri doctissimi de eo nihil dubitant.*sic ibi. Quicquid tamen sit,clarissimi alicuius Theologi esse videtur, teste Baronio in notis Martyrologij ad diem 15.Augusti, & ab Auctoribus sæpè citari solet sub nomine Augustini. In eodem tom.9.tractatus super *Magnificat*,qui in editione Louanienſi in appendice collocatur, & est tract.24.à Doctoribus Louanienſibus incerti auctoris esse dicitur.

S. Augustini sermones de B. Virgine. *Louanienses in Augustinum.* *Bibliotheca veterum Patrum.* *Baronius.*

In to.10.eiusdem S.Augustini serm.17.in Natali Domini, quamuis aliqui dubitent num sit Augustini:à Louanienſibus tamen inter Augustini sermones reponitur,non tamen ea certitudine, qua indubitati eius sermones, ideoq; non est in Appendicem reiectus,qua continentur ea,quæ Augustini esse præcisè negant.

Louanienses in Augustinum.

In eodem to.10.serm.18. de sanctis, qui est secundus de Annunciatione in Breuiario Romano iussu Pij V.& Clementis VIII.recognito sub nomine Augustini prænotatur die 8.& 9. Septemb. Doctores certè Louanienses non audent negare illum esse Augustini,dicunt tamen eum à quibusdam D.Fulgentio Doctori præclarissimo tribui.

Breuiarium Romanum.

Sermo 35.de sanctis,qui est secundus de Assumptione à Louanienſibus in appendicẽ to.10.ser.38.reiectus,negatur esse Augustini,qđ citet Isidorũ ex opere de vita,& obitu sanctorum,qui longèpost Augustini ætatem vixit:est tamẽ alicuius clarissimi Theologi, teste Baronio in notis Martyrol.ad diem 15.Aug.Addunt ijdem Louanienses in appendice ser.38.sermonem illum in plerisq;manuscriptis exemplaribus tribui Fulberto Carnotẽsi Episcopo viro doctissimo,& Virginis Deiparæ studiosissimo,qui claruit an.1086.

9 S. BERNARDVS complures luculentissimos illos quidem de Virgine Deipara sermones habuit,qui in primo tomo eiusdem operum habentur,eosq; in hoc opere nõ raro allegamus. In 2. verò tomo ex ijs, de quibus ambigitur,num sint germana Bernardi opera,quidam est sermo de B.Maria,cuius initium est: *Aue Maria gratia plena.* Sermones item quatuor super *Salue Regina* recensentur,in quibus cõplura de B.Virgine præclara enarrantur.Verum quicquid de his sit,in eod.2.tom.sub finem,sermo quidam habetur hac inscriptione prænotatus: *S.Bernardi ad gloriosam Virginem Mariã deprecatio,& laus elegantissima*,quem si quis in dubium reuocare velit,num verè D. Bernardo tribuatur,testem profero S.Bonauenturam,qui recens à Bernardi ætate fuit,quippe qui sequenti seculo floruit,ac proinde eum germanos Bernardi libros non ignorasse verisimile est,quemadmodum ẽt ad germanos Augustini libros dignoscendos Bedę testimonium,qui tribus post Augustinum seculis claruit,afferri solet à Doctoribus Louanienſibus.Itaq; S.Bonauentura partem huius deprecationis ad Virginẽ sub Bernardi nomine allegat in speculo de B.Virgine cap.8.& deinde cap.9.celebre illud beneficium à Deipara in Theophilum collatum tãquam à Bernardo relatum affert,quod nescio,an apud Bernardum alibi,quàm in hac deprecatione reperiatur.

S. Bernardi sermones de Deipara. *Bonauentura.*

S.BRIGITTA,vel Birgitta ex clarissima Regum Suecię stirpe,diuinarum Reuelatio-

S. Brigitta Reuelationes.

Bonifacius IX. Pontifex.
Martinus V. Pontifex.

num,ſeu viſionum volumen edidit præclariſſimum,quarum viſionum,ac Reuelationum honorificè meminerunt Bonifacius Papa IX.in bulla Canonizationis eiuſdem,&Martinus V.in confirmatione eiuſdem bullę Canonizationis.eas Reuelationes inſigniũ Theologorum complures,cum adhuc viueret S.Brigitta,examinauerunt,& poſt eius mortem plurimi,inter quos fuit Ioãnes Cardinalis de Turrecremata pietate,&doctrina inclytus, diligenter excuſſerunt:omnesq; conſtanter affirmarunt,eas à Deo proceſſiſſe, quemadmodum videre licet in Defenſorio earundem Reuelationũ initio ipſarum impreſſo,edito à Ioãne Cardinali de Turrecremata,vbi cap.1.eos omnes,quibus recognoſcendi has viſiones munus eſt demandatum,nominatim recenſet,eorumq; probationem refert, vt propterea Caniſ.lib.1.de B.Virg.c.7. affirmet S.Brigittæ multa fuiſſe arcana diuinitus patefacta,& maximorum hominum auctoritate Romanæ Eccleſ. calculo lita probata,vt apud catholicos quidem defenſione neutiquã egeant.& Ludou.Bloſius in Monili ſpirituali c.14 eas ꝓpea magnificiat.Qui verò plura in harũ Reuelationum cõmendationẽ deſiderat,legat ea,q̃ in frõte eius operis à Turrecremata,&ab alijs deſumpta ꝓmittũtur.

Ioannes Cardinalis de Turrecremata.

Caniſius.

Ludouicus Bloſius.

Caſarij liber miraculorum.
Iritemius.

10 CAESARIVS natione Germanus, ex quo plurima & miracula, & exempla in hoc opere excerpſimus,Ord. Ciſtercienſis,vir (vt verbis vtar Tritemij de ſcriptoribus Eccleſiaſticis) deuotus, & in regulari diſciplina præcipuus, atque in diuinis ſcripturis lõga exercitatione ſtudioſus,illuſtrium miraculorum, & hiſtoriarũ memorabilium narrationem in modum dialogorũ inſtar S.Gregorij Papæ,de ijs, quæ ſua fere ætate memoratu digna contigerant,accuratè cõſcripſit,qua in re q̃ fideliter ſuo munere ſit functus facilè intelligi poteſt ex præfatione in hos libros,vbi ſic ait:*Teſtis eſt mihi Dũs,nec vnum quidẽ Capitulum in hoc dialogo me finxiſſe; quod ſi aliqua fortè aliter ſunt geſta, quàm a me ſcripta,magis videtur imputãdum eſſe,à quibus mihi ſunt relata.*Idem indicat lib.3.c.33.

S.Cypriani ſermo de Natiuitate Domini.

S.CYPRIANI ſermo de Natiu.Chriſti primus eſt in libro,qui inſcribitur *de cardinalibus Chriſti operibus*, in eo ſermone occaſione Dominicæ Natiuitatis Virginis ſanctiſſimæ Puerperæ priuilegia recenſet.Cęterum quia de huius libelli auctore, an.ſ. ſit Cyprianus,cui aſcribitur,aliqui dubitãt;ea de re Iacobi Pamelij viri eruditiſſimi,qui in Cyprianum adnotationes edidit, ſententiam afferam.eius plane verbis in adnotatione ad hunc librum,ſic ergo ait: *De huius libri auctore, quamquam certi nihil pronunciare poſſum, quod mihi defuerint exemplaria manuſcripta; pro Cypriano tamen facere videntur, tum voces,phraſes,& ſchemata quædam toto operi interiecta,tum frequens inculcatio baptiſmi ſanguinis, & martyrij latronis, Tractatu de Stella, & Magis,de cœna Domini,& paſſione Chriſti.Et certè cuiuſcumque ſit, ſcriptum conſtat ætate Cornelij,& Cypriani, atque adeò eandem auctoritatem meretur.* ſic ille.

Iacobus Pamelius.

Epiphanius Presb. Constantinopolitanus de vita Deiparæ.
Nicephorus.
Epiphanius.

11 EPIPHANIVS Presb. Conſtantinop. vitam Deiparæ litteris mandauit,eius fragmentum Nicephorus lib.2.c.13.cum de moribus,forma,& ſtatura Deiparæ ageret,ad verbum refert.Epiphanius autem in hac vita cõſcribenda,quemadmodum de ſe ipſe teſtatur,magna diligentia vſus eſt in Græcis auctoribus,& perlegendis,& examinãdis, vt de vita Deiparæ non ſolum credibilia,ſed etiam certa,firmaq; conſcriberet.

B.Gertrudis Reuelationes.
Alia S. Gertrudes virgo.
Sigebertus.
Martyrologium Romanum.

B. GERTRVDIS, cuius Reuelationes interdum citamus,alia fuit à S.Gertrude virg. ſorore S.Beggæ,& filiæ Pipini primi Ducis Brabantiæ, quæ ex Sigeberto obijt an.664. cuius memoria in Martyrol.adnotatur die 17.Martij.Noſtra autem Gertrudis natione Germana opus inſigne Reuelationum edidit cęleſtis doctrinę,ac ſuauitatis refertiſſimũ, quod *inſinuationes diuinæ pietatis* inſcribitur:& cũ eſſet nobili genere filia Baronis Hakebornenſis à prima ętate ſanctimonialis in cœnobio Rodardeſdorffienſe Ord. S.Benedicti Congregationis Hirſaugenſis reformatæ Cluniacenſis,electa eſt in Abbatiſſam, poſtea deſtructo ſuo monaſterio, ac tranſlato ad monaſterium Helffiæ ad ſuburbium Eiſlebij,ibi ſancto fine quieuit an.1290.ex Arnoldo Vuyonio lib.5.ligni vitæ c.89. ex præfatione libri eius Reuelat. Harum Reuelationum Ludouicus Bloſius in Monili ſpirituali honorificè meminit,& ex ijs cõplures ad ſpiritualem animarũ cõſolationẽ recitat.

Arnold.Vuyon.
Ludouicus Bloſius.
S.Gregorij Nazianzeni Tragedia Chriſti patientis.
Baronius.
Caniſius.
Sixtus Senenſis.

12 S.GREGORII NAZIANZENI Tragędia *Chriſtus patiens*,à Card. Baronio tom.1. annal.ad annum Chriſti 34.tribuitur ex ſententia aliquorum Apollinari Epiſc.Laodicęno: verum pleriq; omnes cum Caniſio lib.4.de B.Virg.cap.30. & cum Sixto Senenſi in bibliotheca ſancta lib.4.in Gregorio Nazianzeno,alijsq; eã Nazianzeni eſſe aſtruũt:

quare

quare Iacobus Billius, qui adnotationes in Nazianzenum accuratiſſimas edidit, id ne in controuerſiam quidem vocat, ſed inter carmina Nazianzeni primo loco eam collocat: quin etiam *omnia, quæ nomine Nazianzeni inſcribuntur*, inquit Billius, *ipſius ſunt, præter Metaphraſim in Eccleſiaſten, & ſignificationem in Ezechielem*. *Iacobus Billius.*

S. GREGORIVS NYSSENVS in homilia de humana Chriſti generatione multa de Deiparæ parentibus, eorum ſterilitate, alijsq; ad Deiparæ infantiam, præſentationem in Templo, ac deſponſationem ſpectantibus memoriæ prodidit, eaq; non temere è medijs triuijs, ſed, vt ipſe ait, ex hiſtoria quadã tametſi incerti auctoris accepta eſſe dicit, quod & compluribus alijs hiſtorijs omni fide dignis eueniſſe nemo ignorat, vt nimirum nomẽ Auctoris propter varios caſus exciderit; eam tamen ſuo calculo dignam exiſtimauit, quam ſuæ illi homiliæ inſereret. Illud verò minimè ſilentio inuoluendum eſt hiſtoriam illam, quã incerti Auctoris hiſtoriam, latinè vertit Nyſſeni interpres, Simeon Metaphraſtes in oratione de ortu, & dormitione Deiparæ, arcanam, & occultam à Nyſſeno vocari, teſtatur: id quod maiorem etiam huic hiſtoriæ fidem conciliat. Cęterum eidem hiſtoriæ à Nyſſeno allatæ complures graues Auctores aſtipulantur, quos vna cum Nyſſeno ſuis locis in hoc libro citauimus. *S. Gregorij Nyſſeni homilia de humana Chriſti generatione.* *Nyſſeni Interpres Metaphraſtes.*

S. GREGORIVS THAVMATVRGVS in orat. de Annunciatione gratiæ Theſaurũ, quo Deipara fuit repleta pulchrè declarat. Ea oratio in bibliotheca Gulielmi Card. Sirleti pietate, ac doctrina clariſſimi aſſeruabatur, teſte Bozio lib. 9. de ſignis Eccleſię cap. 7 *S. Gregorij Thaumaturgi orat. de Annunciatione.* *Bozius.*

13 S. HIERONYMVS allegari ſolet à nobis, tum in ijs operibus, quæ citra omnem dubitationem eius ſunt, tum etiam in quibuſdam, quæ in controuerſiã vocantur, eiuſmodi ſunt in to. 7. editionis Mariani Victorij, Commentarij in pſalmos, & in to. 9. tũ ſermo de Aſſumpt. tum etiam liber de ortu, ſeu Natiu. S. Mariæ. Et vt de his nonnulla moneamus, Commentarios quidem in pſalmos quamuis Sixtus Senenſis lib. 4. biblioth. ſanct. neget eſſe Hieronymi: Marianus tamen Victorius, qui diligentiſſimè Hieronymi opera examinauit in cenſura to. 7. operum Hieronymi præfixa, multis in vtrãq; partem allatis rationibus, tandem concludit, apud doctos viros quæ nam ſit ſententia verior nondum planè eſſe compertum, & ex ſententia Pij V. ſummi Pont. volumen illud in pſalmos inter opera Hieronymi genuina ſex tomis cõprehenſa, & inter opera ab eo aliena, quæ duobus poſtremis continentur, veluti dubiũ locari to. 7. ipſe tamen Marianus ex ſua ſentẽtia eos Cõmentarios Hieronymi eſſe affirmat, atq; argumenta in cõtrarium adducta ſoluit. *S. Hieronymi Commentaria in Pſalmos.* *Marianus Victorius.* *Sixtus Senenſis.* *Pius V.*

Sermo de Aſſumpt. B. Mariæ Virginis ad Paulam, & Euſtochium olim to. 4. operum Hieronymi, in hac verò Mariani Victorij editione tom. 9. epiſt. 10. continetur. Hunc ſermonem Baronius in notis in Martyrologium ad diem 15. Aug. & in to. 1. annal. ad annum Dom. 48. neque Hieronymi, neque Sophronij, ſed alicuius Auctoris, qui ſub Concilij Epheſini, & Chalcedonenſis tempora vixerit, eſſe exiſtimat; illo ductus argumento, quòd auctor ille multum verſetur in euertendis Neſtorij, atque Eutychetis hæreſibus, quæ longè poſt tempora Hieronymi, atque Sophronij in Eccleſiam irruperunt. At hæc Baronij ratio mihi quidem minimè videtur vrgere, quemadmodum manifeſtè patet ex ijs, quæ vberius ſupra diſſeruimus, cum de S. Athanaſij, qui Hieronymo antiquior fuit, ſermone ageremus. Is in eo ſermone impia, quæ poſtea Neſtorij, & Eutychetis fuerunt dogmata, ab alijs quidem antea diſſeminata infectatur: ſimiliter igitur feciſſe Sophronius potuit: Baronij obiectioni alio modo occurrit Bozius lib. 9. de ſignis Eccleſiæ cap. 7. *Hieronymus*, inquit, *& Neſtorius ambo viuebant, Theodoſio iuniore imperante: & quamuis error Neſtorij poſt obitum Hieronymi apertè in publicum prodierit Conſtantinopoli, quid vetat paulo ante cœpiſſe diſſeminari, vel prædicari?* ſic ille. *Sermo de Aſſũptione B. Virg.* *Marianus Victorius.* *Baronius.* *Bozius.*

Marianus verò Victorius in cenſura to. 9. operum S. Hieronymi præfixa, de hoc ſermone ſic ſtatuit: *Sermo*, inquit, *de Aſſumptione B. Mariæ Virginis ad Paulam, & Euſtochium, græci potius quàm latini hominis eſt. quippe cum latine ſcribere exercitatus haud ſit, & græcum hominem latine in eo loquentem videre liceat. Sophronij autem eſſe D. Hieronymi amici, illius ſcilicet, qui Hieronymi catalogum de ſcriptoribus eccleſiaſticis græcum reddidit pro compertiſſimo habetur.* hæc ille. Huius Sophronij perhonorificè Hieronymus meminit in Catalogo de ſcript. eccleſ. eum virum apprime eruditum vocat, & aliquot ſua opuſcula in græcum tranſtuliſſe teſtatur. Mihi quidem Mariani ſententia magnope- *Marianus Victorius.* *Idem ſermo Sophronio tribuitur.* *Hieronymus.*

re-

re probatur:nam græcum eſſe eius ſermonis auctorem,ſatis ipſum ſermonis exordium oſtendit,cum ſeipſum initio excuſet, quòd latino vtens eloquio ſermonem exhortationis gratia habeat:eum quoq;familiarem Hieronymo illud indicat,quod familiariter ad Paulã,& Euſtochium Hieronymi diſcipulas ſermonem dirigat, & cõmunis eruditorum ſententia,teſteMariano,qui eũ Sophronio tribuunt,in re vetuſtiſſima id ſatis confirmat.

14 Cæterum quicquid ſit de nomine auctoris,certum eſt,eiuſmodi ſermonẽ ab aliquo viro graui, & erudito editum eſſe, & apud latinos paulo poſt Hieronymi ætatem , qui an.Dom.422.ex hac vita migrauit,fuiſſe celeberrimum.Etenim S.Petrus Chryſologus, qui ann.Dom.circiter 500.florebat,integras planè ſententias ex eo ſermone de Aſſumptione in ſuis ſermonibus ad verbum exſcripſit,quod,vt facilius à quouis perſpiciatur, ſententiarum initia,& paginas editionis Romanæ indicabo, eiuſmodi ſunt illa pag. 80. *Talibus decebat Virginem oppignorari muneribus*,&c. *Quæ dedit cœlis gloriam*,&c.*Semper Angelis cognata virginitas. In carne præter carnẽ viuere*,&c.*Gratia cæteris per partes,Mariæ verò ſimul ſe tota infudit plenitudo gratiæ*, &c. Hæc quoque omnia ad verbũ habet Chryſologus ſerm.143.qui eſt de Annuntiatione, & pag.70. in ſerm.Sophronij: *Pauet cœlum , ſtupet terra* , & quæ ſequuntur. hæc eadem verba pauciſſimis immutatis habet idem Chryſologus ſermone 140.

Petrus Chryſologus.

Chryſologus.

Ildefonſus.

Sanctus quoq; Ildefonſus,qui obijt anno 669.plurima ex eodem Sophronij ſermone ad verbum ſuis de Aſſumptione ſermonibus inſeruit . cuius rei , vt reliqua omittam , vno,vel altero exemplo contentus ero, exempli gratia pag.68. *Quid Virgo poſt Aſcenſionem egerit*,&c. *Gabriel*,inquit, *cuſtodiuit,& Ioannes ei deſeruiuit*,&c. Hęc Ildefonſus habet ſerm.5.& 6.de Aſſumpt.pag.75. *Si gaudium eſt in cœlo ſuper vno peccatore,multo magis pro tantæ Virginis gloria*. Idem habet Ildefonſus ſerm.1.de Aſſumpt.pag.verò 76.Deipara pluſquam martyr dicitur,quod Ildefonſus ſerm.2.de Aſſumpt.& alij poſtea vſurparunt.Eccleſia quoq; in officio Eccleſ.in die Aſſumptionis nonnulla ex hoc ſermone decerpſit,tale eſt illud pag.68.*Hæc eſt Virgo,quæ ſola interemit vniuerſam hæreticã prauitatem*.pag.69.*Hodie Maria Virgo cœlos aſcendit,Gaudete,quia cum Chriſto regnat in æternum*,& pag.70.*Feſtiuitatem glorioſæ Virginis deuotiſſime celebremus* .

Ildefonſus.

S.Thomas 3.p.q.27.art.5.in argum.ſed contra,ex hoc ſermone ſub nomine Hieronymi citat illud: *Cæteris per partes datur gratia Mariæ tota ſe infudit gratiæ plenitudo*, quòd vſurpat S.Ildefonſus ſerm.6. de Aſſumpt. & Petrus Damianus ſerm. de Aſſumpt. Nec ſilentio præteribo in hoc ſermone illud pag.71.*Habetis in ea Virgine magiſteria probitatis expreſſa*, & quæ ſequuntur, ad verbum deſumptum ex Ambroſio lib.2. de Virgin. Ambroſij enim opera eo tempore vulgata erant,nam ea citat S.Auguſtinus.

S.Thomas.

Petrus Damianus.

Ambroſius.

15 Ad extremum animaduertendum eſt, poſt hunc,de quo diximus,Sophronij ſermonem in eod.to.9.Hieronymi,proximè ſequi alterum de Aſſumptiuné ſermonem,cuius ſententiæ aliquot inueniuntur in to.10.S.Auguſtini in ſerm.35.de Sanctis, quem diximus à Louanienſibus tribui Fulberto Epiſc. Carnotẽſi: illud etiam in hoc ſermone *Lacta eum*,& quę ſequuntur,ad verbum habet S.Ildefonſus ſer.7 de Aſſumpt.Quę omnia eo ſpectant,vt intelligamus antiquiſſimos eſſe huiuſmodi ſermones,tantęq; ſemper auctoritatis fuiſſe,vt ex ijs Patres in ſuis ſcriptis,& Eccleſia in officio multa deſumpſerint.

Alter ſermo de Aſſumptione. Auguſtinus. Louanienſes in Auguſtinum. Ildefonſus.

In eod.to.9.operum S.Hieronymi eſt libellus de Natiuit.S.Mariæ. Hunc Hieronymi eſſe Marianus minimè agnoſcit.quin etiam Canus lib.11.de locis theol.cap.6.& Sixtus Senenſis lib.2.biblioth.ſan.in Matthæo eum reijciunt. Verum quicquid ſit de eius libri auctore;certe quæ ibi leguntur omnia ferè vno vel altero dempto,deprehẽduntur apud grauiſſimos Patres,Epiphanium hær.78.& 79.Gregorium Nyſſenũ orat.de hum.Chriſti genera.Germanum Patriarcham Conſtantinopolitanum orat.de Præſ.Deip. Damaſcenum lib.4.cap.15. Gregorium Nicomedienſem orat.de Præſ.Deip. Simeonem Metaphraſtem orat.de ortu,& dorm.Quorum quidem omnium teſtimonia affero,cum hũc libellum diuerſis in locis huius operis cito:quin etiam ad huius libelli hiſtoriã ſpectare videntur aliquot ex citatis auctoribus,cum.n.loquuntur de parentum Deiparæ ſterilitate,quibus ſanctiſſimæ filiæ conceptio ab Angelo eſt prænunciata diuinitus,hanc allegare videntur hiſtoriam Epiphanius.n.hæreſ.75. *Hiſtoria*,inquit,*Mariæ,& traditiones habent,quod dictum eſt patri ipſius Ioachim,vxor tua concepit*,& Nyſſenus loc.cit. *Virginis*

Liber de Natiuitate S. Mariæ. Marianus Vict. Canus. Sixtus Senenſis. Epiphanius. Gregor Nyſſen. Germanus Patriarcha Conſtãtinopolitanus. Damaſcenus. Gregorius Nicomedienſis. Metaphraſtes. Epiphanius. Nyſſenus.

ginis pater,vt ex historia quadam incerti auctoris accepi, fuit insignis quidam Ciuis. & Metaphrastes loc.cit.citat Nyssenum dicentem: *Audiui arcanam quandam,& occultam historiam de ea hæc narrantem.* Denique auctor imperfecti in Matth.hom.1. *Nam sicut historia quædam,* inquit, *non incredibilis, neque irrationabilis docet, quando gesta sunt, quę refert Lucas,* &c. Et certe liber, quem Gelasius C.S.Romana Ecclesia 15.distin.vocat librum de Natiu.Saluatoris,& de S.Maria,& obstretice Saluatoris,& ait esse Apocryphũ non est hic,sed ille,qui ex Epiphanio hæres.26. stirps Mariæ dicebatur, & portentosa quædam commenta,& anîles fabulas hæreticorum Gnosticorum continebat.quod facile probari potest.In hoc.n.libello nihil de Christi natiuitate,nihil de obstreticibus,quæ nulla fuit,continetur:sed ferè omnia ea sunt, quæ apud alios probatos auctores inuenire licet.Quòd si tempore Conceptionis Deiparę ex Iosepho lib.15.de antiq.Iud.c.12. summus Iudęorum sacerdos erat Simon Boethi Alexandrini filius, hoc non est dissentaneum ab eo,quod habetur in hoc libro,vbi Isachar ea tempestate Pontifex dicitur:potuit.n.Isachar esse ex principibus sacerdotum,qui in ordine vicis suæ tunc ministrabat, ac propterea Pontifex appellari,non tamen esse summus Pontifex,cum præter summum Sacerdotem,alij quoque Pontifices appellari consueuerint, vt videre licet in sacra Euãgeliorum historia. Consule ea de re nostrum Christophorum à Castro in historia Deiparæ in Catalogo Auctorum,vbi de Hieronymo agit, ibi enim libellum hunc ab omni calumnia facile vindicat.

Metaphrastes. Auctor imperfecti. Epiphanius. Iosephus de antiquitate Iudaica. Christophorus de Castro.

16 IDIOTA, qui christianæ humilitatis ergo, nomen suppressit suum, & Idiotæ præter nomen habuit nihil,licet à Genebrardo reponatur tpe Leonis Papæ IV.qui sedit ann. 847.mihi tamen cum quibusdam recentioribus accuratè rem oẽm perpendenti omninò vixisse videtur post tempora S.Bernardi,qui an.Dom.1153.ex hac vita migrauit:siquidem ex Bernardo aliqua interdum ad verbum mutuatur, vt videre licet in lib.contempl.B.Virg.vbi 12.stellas coronæ Deiparæ ad verbum ex Bernardo sermone *Signum magnum* desumpsit,& in cap.5.alia quoque ex eodem decerpsisse videtur.

Idiotæ Opera. Genebrardus.

S. IO. CHRYSOSTOMVS sermonem de Deipara habuit egregium, quem Ecclesia legit infra octauam Natiuitatis B.Virginis.

S. Io. Chrysostomi sermo de Deipara.

B.MECTILDIS sanctimonialis *B.*Gertrudis non tantum carne,sed & spiritu,& professione soror,ab ipsa infantia Deo dicata,vixit in monasterio Helffiæ Ord. S.*Benedicti* Congreg.Hirsaugensis reformatæ Cluniacensis in oppido Eislebio, vbi spiritu prophetiæ illustris lib.Reuel. edidit, hoc titulo prænotatum: *Liber gratiæ spiritualis visionum, ac Reuelationum B.Mechtildis ad fidelium instructionem,* obijt miraculis,sanctitate,ac spiritu prophetico clara an.Dom.circiter 1300.ex Arnoldo Vuyonio lib.5.ligni vitę c.90. quãti verò fecerit eius Reuelationes Ludou.*Blosius*,facile intelligi poterit ex eius Monili spirituali,vbi earum aliquot recenset,& de ea c.14.pręclarissimũ reddit testimoniũ.

B.Mechtildis Reuelationes. Arnold. Vuyon. Ludou. Blosius.

S.METHODIVS martyr maximè illustris Olympi primũ,postea Tyri Episcopus orationem edidit luculentissimam in hypapantem Domini,in qua maxima Deiparæ prœconia ex professo commemorat.eius orationis fragmentum, vbi de Deipara agitur ex bibliotheca Cardinalis Sirleti græcè habet, ac in latinum etiam transtulit noster Petrus Canisius lib.1.de *B.*Virg.cap.2.& lib.5.cap.31.

S. Methodij martyris oratio in hypapantem Domini. Canisius.

PRATVM SPIRITVALE vide infra Sophronius.

17 SIMEON METAPHRASTES vitas sanctorum magno studio,ac diligentia cõfecit. eius encomia cõplurium doctissimorum virorum testimonio confirmata persecutus est Aloysius Lippomanus sub initium de vitis Sanctorum,vbi testatur apud Græcos,eum beatorum catalogo ascriptum,ab ijsq; 27.Nouẽb.festum eiusdem diem celebrari.quin etiam in Concil.Flor.sess.7.die 25.Octob.honorificè à Patribus Latinis allegari.Is ergo insignem orat.de ortu,& educat.Deip.ac de reliqua eius vita vsque ad dormit. edidit, quam refert Surius to.4. die 15.Aug. sed vt intelligamus Metaphrasti hæc omnia diligenti discussione fuisse explorata,atque adeò fidem ei non vulgarem habendam,audiamus, quæ idem Metaphrastes in illius orationis primo veluti vestibulo memoriæ prodidit his verbis: *Narratio harum rerum,quæ in hac oratione scribuntur,non erit nobis absq; fide dignis testibus:nec sumetur ex personis quibuslibet,sed quam viri, quibus iure credẽdum est,& qui simul cum doctrina egregiam quoque vitam attulerunt, diligenter composuerunt:*

Simeonis Metaphrastis opera. Aloysius Lippomanus. Concil. Florent. Surius. Metaphrastes.

fuerunt: Gregorius, inquam, Nyſſenus, Athanaſius Alexandrinus, Dionyſius Areopagita, & multi alij, qui nec ſunt vulgaris, vt diximus, eruditionis; & ſunt vita admirabiles. hæc Metaphraſtes.

Sophronius inter opera Hieronymi Hierenymus.

SOPHRONIVS, cui ſermo de Aſſumpt. Deip. inter opera Hieronymi to. 9. tribuitur, Hieronymo fuit æqualis, cuius meminit idem Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, eumq; ibi appellat virum apprimè eruditum, additq; aliquot eiuſdem Hieronymi opuſcula in græcum eleganti ſermone tranſtuliſſe: an verò ſermo de Aſſumptione *B.* Virginis ſit Sophronio tribuendus, vide ſupra, vbi de Hieronymo.

Sophronius Patriarcha Ieroſolymitanus. Sexta Synodus.

SOPHRONIVS Patriarcha Ieroſolymitanus ſanctiſſimus iuxta, ac doctiſſimus fuit, eius epiſtola ſynodica ad Sergium Patriarcham Conſtantinopolitanum, vbi de ſanctiſſima Trinitate, ac de Dominicæ Incarnationis myſterio egregiè agit in 6. ſynodo actione 11. eodem Concilio flagitante perlecta eſt. Huic tribuitur PRATVM SPIRITVALE ex memorabilibus ſanctorum Patrum exẽplis collectum, quos idem Sophronius tũc ſophiſta, hoc eſt ſapiens dictus, poſtea Patriarcha Ieroſolymitanus peregrinatione, vna cum Io. Moſcho ſuſcepta inuiſit, ac perluſtrauit. Quoniam verò Pratum hoc ſpirituale à Ioan. Moſcho conſcriptum ad eundem Sophronium peregrinationis comitem dirigitur; quemadmodum in libri præfatione in c. 77. & alijs in locis cerni poteſt; factum eſt, vt is liber Sophronij dicatur, eidemq; tribuatur. qua de re conſulendus eſt doctiſſimus Aloyſius Lippomanus in præfatione eidẽ Prato ſpirituali præfixa. Eius porrò libri magna eſt auctoritas, nam ex LIMONARIO (quod latine *Pratum* vocatur) Sophronij Epiſc. Ieroſolym. exemplum pro cultu ſanctarum Imaginum (quod extat cap. 45. Prati) ad verbum affertur in 2. ſynodo Nicena act. 4. Idem rurſus exemplum adducitur act. 5. eiuſdem Synodi, vbi quoque aliud ſubnectitur ex cap. 180. eiuſdem Prati. Damaſcenus etiam lib. 1. pro Imaginibus ex Limonario eiuſdem Sophronij exemplum ſe proferre teſtatur.

Cur Pratum ſpirituale à Io. Moſcho cõſcriptũ Sophronio tribuatur.

Aloyſius Lippomanus.

Secunda Synodus Nicena. Damaſcenus.

Thomæ Cantipratenſis opera. Carthuſianus. Tritemius.

18 THOMAS CANTIPRATENSIS, ſeu Cantipratanus natione Brabantinus, genere nobilis, teſte Carthuſiano lib. cõtra pluralitatem benef. art. 7. Alberti Magni diſcipulus Epiſc. ſuffraganeus Cameracẽſis, vir teſte Tritemio de Script. Eccleſ. non ſolum pius, ac deuotus, verũ ẽt in diuinis ſcripturis, & in ſecularibus litteris egregiè doctus fuit. Is libr. 2. miraculorum; ac memorabilium exemplorum ſui temporis ex apum proprietatibus myſticè ad hominum bene viuendi rationem explicatis conſcripſit, ſingula exẽplis, quæ ſua fere ætate contigerant, quæq; vel viderat ipſe, vel ab hominibus fide dignis acceperat, confirmauit: hinc opus ipſum liber apum appellatur. in plurimis etiam quo magis eorum firma ſit veritas, Incarnationis Dominicę annum, quo geſta, Ciuitatem, vel pagũ, in quo geſta ſunt, ac non raro perſonarum nomina adijcit. idem quoq; auctor vitam *B.* Chriſtinæ mirabilis, & *B.* Luthgardis, quas Surius tom. 3. ponit litteris mandauit. & ſanè complures honorificam de eo mentionem faciunt, nam Iacobus de Vitriaco Cardinalis in vita *B.* Mariæ Oegnicenſis apud Surium 23. Iunij eum fide digniſſimum, alij magiſtrum conſummatiſſimum, alij alijs titulis eum exornant, vt propterea eius exempla magnam ſibi auctoritatem apud eruditos compararint.

Surius.

Iacobus de Vitriaco Cardinalis.

Vincentius Belvacenſis Speculum. Tritemius.

VINCENTIVS BELVACENSIS *tantus fuit*, inquit Tritemius de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, *vt poſt ſe, nec dum habuerit parem, ſi ardua, quæ ſcripſit opuſcula ex multis laborioſe collecta æqua lance cum alijs ponderemus.* ſic Tritemius. Is quamplurima Deiparæ collegit miracula, (quorum nonnulla in hoc opere exſcripſimus,) eaq; ſanè fide digna. nam etſi Vincentius propter multiplicẽ rerum vbertatem, ac diuerſitatem, quas in ſuo quadruplici Speculo Naturali, Morali, Doctrinali, & Hiſtoriali ex diuerſis collegit, aliqua, vt eſt in tanta rerum, de quibus agit varietate, ac multitudine, non adeò ſelecta, ſuis ſcriptis inſeruerit: tamen quod ſpectat ad exempla, ac Deiparæ miracula idem ipſe lib. 7. Specul. Hiſtorial. cap. 81. non ſine delectu ea in ſuum opus intuliſſe profitetur his verbis: *Poſt Aſſumptionem ſuam Beatiſſima Virgo multis miraculis per diuerſas Orbis partes, diuerſis quoque temporibus clarificata eſt. Ex quibus quædam fide digna, & à religioſis viris approbata, ad ipſius honorem, & legentium ædificationem huic operi inſerere voluimus breuiter in hunc modum.* ſic ille. & à Mariali Magno, exemplorum, quæ refert, initium facit.

MARIA

MARIA DEIPARA THRONVS DEI.

DE VIRGINIS BEATISSIMAE DEIPARAE MARIAE LAVDIBVS PRAECLARISSIMIS,

Sub typo Diuini throni in Apocalypſis capit. 4. adumbratæ: Deq; pietate, ac deuotione, qua eadem Deipara à nobis colenda eſt.

AVCTORE
PETRO ANTONIO SPINELLO
NEAPOLITANO E SOCIETATE IESV.

PROOEMIVM AD VIRGINEM SANCTISSIMAM DEIPARAM MARIAM OPERIS NVNCVPATIO,

Eiuſdemq; ſupplex, ac demiſſa inuocatio.



In quo tempore de ſeptem Principibus Angelorum diuino throno aſtantibus (qui tametſi Angelorum primi, adminiſtratorij certè, Apoſtolo teſte, ſunt ſpiritus,) ſcribere inſtitueram, vereri meritò poteram ad tam ſublimem, & à noſtris ſenſibus maximè remotam tractationem aggredi; propterea quod ab eorum, de quibus ſcripturus eram ſimilitudine, ac imitatione, quàm longiſſimè abeſſem; ac tum pro eorum ſanctitate, atque præſtantia, tùm pro mea tenuitate, ſeu infantia potiùs, ad eorum ornamenta, vel animo concipienda, vel verbis explicanda, & vitæ integritatem, & ingenij ſolertiam, & eloquentiæ vber- *Hebr. 1.*

tatem mihi deeſſe intelligerem: quanto mihi timendum eſt vehementius, Virgo ſanctiſſima, quæ ipſius Dei Mater, & Angelorum omnium es Regina, ne maximam ſubeam temeritatis notam, ſi inopiæ, & imbecillitatis meæ conſcientia admonitus ad tuas laudes præſtantia ſingulares, magnitudine immenſas, multitudine innumerabiles coner accedere? Quippe quę, (vt Patrum verbis vtar) [a] *ea puritate nites, qua maior ſub Deo nequit intelligi*: quæq; [b] *Mater Dei cùm ſis, dignitatem obtines propemodum infinitam*, [c] ideoq; *ne ſi omnes quidem toto orbe diſperſæ linguæ in vnam coëant, tuas laudes oratione conſequi poſſent; cùm ipſa omnium encomiorum leges excedas*, [d] *cui prædicandæ neque hominum lingua, neque Angelorum eſt ſatis:* [e] *Tanta ſiquidē tua eſt perfectio, vt ſoli Deo cognoſcenda reſeruetur.* [f] *vt propterea ſolius Dei ſit te pro dignitate laudare*. Quo circa quamuis nihil optaſſem ardentiùs, quàm vt de te aliquid, ac de tuis ampliſſimis laudibus ſcribendo conarer attingere, meamq. erga te pietatem, atque obſeruantiam teſtarer litteris, ad quod excitabar, tum quodam deſiderij impetu, atque amoris erga te incenſi ſtimulis: tùm etiam pia quadam beneficiorum recordatione non ſolum in genus humanum vniuerſum, ſed in me ipſum abs te collatorum, præſertim quòd tu, Virgo Beatiſſima, è mundi me fluctibus, ac procellis, in tranquilliſſimo, ac tutiſſimo Religionis Societatis IESV filij tui portu collocaſti: à ſcribendo tamen & retrahebar conſcientia multiplicis imbecillitatis, atque exilitatis meæ, & retardabar reuerentia tui, & Ozæ Sacerdotis, quod ad Dei Arcam temere manum extendere, & declinatam ſuſtinere auſus eſſet, ſubito interitu deterrebar, ne tuas, Virgo ſanctiſſima, quæ ipſius Diuinæ Sapientiæ viuens Arca fuiſti, laudes ingenij mei culpa, contaminata lingua, atque anima culparum ſordibus inquinata detererem: *neque enim eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris*. Quo factum eſt, vt animus meus ab hoc de te ſcribendi deſiderio omnino conquieſceret, præſertim cùm multi, & præſtantes viri non ſolum ſuperioribus ſeculis, ſed hac noſtra etiam ætate præclariſſima de tuis Laudibus, pleniſſimaq. volumina egregiè ediderint. Quoniam verò dum opus de ſeptem Principibus Angelorum in conſpectu Dei aſtantibus, quod dudum inchoaueram, molior, viſionemquè illam explico, quam S. Ioannes narrat ſacræ Apocalypſis cap. 4. vbi typis quibuſdam, & ſymbolis Diuina Maieſtas, & Cœleſtis Aulæ amplitudo, atque apparatus deſcribitur: dumq. etiam, atque etiam mecum cogito, ac inſpicio attentius, an eorum typorum aliquo ipſa Virgo Deipara, quæ ſecundum Chriſtum, curiæ illius es omnium præcipua, expreſſa ſis; reperire mihi ſum viſus ſub Diuinæ ſedis, throniuè myſtico illo typo potiſſimùm adumbratam, atque ſignificatam te eſſe: quam rem dum multorum Patrum auctoritate, ac teſtimonijs, qui hoc te nomine reuerenter appellant, confirmare nitor, rationumq. momenta ad idem probandum expendo, in illis explicandis tanta ſe obtulit laudum tuarum vbertas, tanta præſtantia, vt in iuſtum volumen excreſcerent. Hinc itaque factum eſt, vt quaſi voce quadam expergefactus, nihil habuerim

a *Anſel. de Concept. Virg. cap. 18.*
b *D. Thom. p. 1. q. 26. artic. 6. ad 4.*
c *Damaſc. orat. 2. de Aſſumpt.*
d *Epipha. orat. de laud. Virg.*
e *S. Bernar. Senenſ. tom. 2. ſer. 51. art. 3. cap. 1.*
f *Andr. Cret. orat. 1. de dorm.*
2. Reg. 6.
Eccleſ. 47.
Apoc. 4.

buerim antiquius, quàm vt animum ad tuas laudes enarrandas adijcerem. Sed quia huic operi perficiendo propter ea, quæ commemoraui, imparem me sentio: ex alia verò parte noua illa occasione excitatus gestit animus laudes tuas efferre; liceat mihi idem tibi, quod deuotus Bernardus filio tuo in suo iubilo dicebat. *Bernard.*

Cùm digne loqui nequeam,
De te tamen ne sileam,
Amor facit vt audeam,
Cùm de te solum gaudeam.

Amor tuus dulcissimus,
Et verè suauissimus,
Plus millies gratissimus,
Quam dicere sufficimus.

Idcircò ad tuam opem in hac de te tractatione mihi confugiendum existimaui, vt tuis auspicijs, atque præsidijs, opus hoc ad optatum finem perducatur. Vt igitur dignum aliquid de te eloqui possim, *dignare me seruum tuum humilem laudare te Virgo sacrata*: tuo enim patrocinio fultus, tui auxilij spe erectus, tuo præsidio confirmatus, immensum laudum tuarum Oceanum, perexigua mei ingenij cymba ingredi non dubitabo: & te duce, quæ maris es Stella, hanc nostram disputationem felicem habituram cursum mihi facilè polliceor. Ea porrò omnia in hanc formam redacta, non quòd tuo nomine digna sint, sed profectò, vt ex tuo nomine dignitatem aliquam consequantur, non alij, quàm tuo nomini, Augustissima Cœli Reginæ, dicare volui, ac consecrare; & in claritate, ac splendore eiusdem tui nominis apparere. Spectabis ergo, Virgo Mater Beatissima non donum per se tenuissimum, tuisq. meritis omnibus ex partibus impar; neque offerentis indignitatem, ac demerita; sed benignitatem eam, quam tibi dilectissimus filius tuus, idemq. Deus noster cumulatissimè, atque abundantissimè est elargitus; qua munera qualiacumque, etiam exigua, facili vultu aspicere non dedignaris; Meq. licet multis nominibus tanto patrocinio indignum, perge tamen, Virgo Beatissima, solita tua charitate in omni vita ad extremum vsque spiritum fouere, ac tutari: & tandem à Dæmone hoste sæuissimo protegere, & hora mortis suscipere dignare, vt in suum Regnum per te me recipiat, qui per te datus est mihi Iesus Christus filius tuus qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat in secula seculorum. Amen.

Verba sunt Ephræm in orat. de Deipara quibus vtitur Ecclesia.

Bernar. serm. 1. de Aduentu.

SEDIS SEV THRONI MVLTIPLEX IN SACRIS præsertim litteris vsurpata significatio, & quibusnam Sedis, Throniuè Dei nomen tribuatur. Caput I.

IN Virginis Deiparæ Laudibus amplissimis sub Diuini throni symbolo Apocalypsis cap. 4. adumbratæ tractaturus, vt res ordine progrediatur, primum breuiter ostendam, quid Throni nomine significari, quibusq; diuini Throni nomen in diuinis oraculis tribui soleat: Deinde Virginem sanctissimam eodem Apoc. cap. 4. per Dei sedem, Thronumuè iure optimo subintelligi, & Patrum auctoritate, & argumentorum vi, ac pondere fusius demonstrabo; atque huc nonnulla, quibus Deiparæ quædam continentur laudes, deriuare pro mearum virium tenuitate conabor: Demum rationem, qua idem Thronus à nobis reuerenter sit adeundus, pietatem nimirum, qua Deiparam venerari debemus, vberius indicabo. Itaq; quod in re tanta fieri necesse est, eiusdem Virginis ope, cuius auxilio diuina oracula multo magis, quàm hominum ratione, & ingenio indagantur, suppliciter, obnixeq; implorata, vt nobis de se rudi quidem ingenio, & exili oratione loquentibus, præsto esse non dedignetur; rem ipsam exordiamur.

Apoc. 4.

Thronus multis modis sumi potest.

Thronus, siue Sedes, siue solium, vel cathedra (quibus vocibus eadem ferè est subiecta notio) multa tum apud sacros, tum etiam apud profanos auctores metaphoricè significant. Quia enim in Throno dum sedent Reges sui imperij maiestatem præseferuut; Iudices, qua populis ius dicunt, potestatem exercent; Præceptores quoque, ac Magistri suam inde doctrinam auditoribus tradunt: & quia in sede identidem quiescere solemus, siue ad reficiendas vires labore defatigatas, siue ad quippiam attentius mente peruestigandum, ex quo illud Philosophi prodijt: *Sedendo, & quiescendo animus fit prudentior.*

Arist. 7. physic. text. 10.

Thronus significat imperium.

Hieron.

Psal. 131.

Psal. 109.

Marc. vlt.

Hebr. 1.

Hinc factum est, vt Thronus primò significet imperium, ac dominium cum auctoritate coniunctum. Huic metaphoricæ notioni adstipulatur Hieronymus, is enim epist. 140. ad Principiam in illud psal. 44. *Sedes tua in seculum seculi: Thronum*, inquit, *Christi, intelligo imperium eius, iuxta illud, De fructu ventris tui ponam super thronum tuum.* Præterea Christus Dominus psal. 109. Marc. vlt. Hebr. 1. & alibi sæpè ad dexteram Patris sedere dum dicitur, ea metaphora significatur regnare, omniumq; Iudex esse supremus tanta cum dignitate, vt in eodem Throno cum Patre sit. Quare Leo serm. 1. de Ascens. cum ageret de Christi natura humana. *Neque vllis*, inquit, *sublimitatibus modum suæ prouectionis habitura, nisi æterni Patris recepta confessu illius gloriæ sociaretur in Throno, cuius naturæ copulabatur in filio:* qua de re plenius S. Thom. 3. par. q. 58. Et quidem sedere ad dexteram Dei idem esse quod regnare, indicat Apostolus 1. Cor. 15. vbi alludens ad illud psal. 109. *Sede à dextris meis donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, de Christo sic infert, *Oportet illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius:* vbi *Regnare*, dixit pro eo quod Dauid dixerat *sedere*, & Luc. 1. Gabriel Angelus ad beatissimam Virginem de Christo sic loquitur, *Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum.* Lucifer enim thronum imperij cum insolentius, atque ambitiosus appeteret Isa. 14. dicebat in corde suo: *In cœlum ascendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* In eadem quoque significatione sumitur, & illud Apoc. 2. *Scio vbi habitas, vbi sedes est Satanæ*, hoc est

S. Thom. 1. Cor. 15.

Psal. 109.

Luc. 1.

Isa. 14.

Apoc. 2.

vbi

vbi ſuam tyramnidem, & dominium Satanas veluti ex ſede exercet; & vbi à ſceleſtiſſimis hominibus colitur, illos ad omnem nequitiam incitando. Ex quibus omnibus perſpicuè liquet per Thronum, imperium, & dominium ſignificari.

2 Secundo Thronus, iudicantis auctoritatem, & iudiciariam ſignificat poteſtatem, vt patet Prou. 20. *Rex qui ſedet in ſolio iudicij, diſſipat omne malum intuitu ſuo:* Hinc Chriſtus Ieſus Matth. 25. cum de iudicio futuro verba faceret: *Cum venerit*, inquit, *Filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli eius cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ, &c.* & Ioel 3. *Aſcendant gentes in vallem Ioſaphat, quia ibi ſedebo, vt iudicem omnes gentes in circuitu*, & Matth. 19. in præmium pollicetur Apoſtolis iudiciariam poteſtatem ſuper thronos exercendam illis verbis: *Vos qui ſequuti eſtis me, in regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus Iſrael:* quare Gregorius hom. 29. in Euang. *Sedere*, inquit, *iudicantis eſt; ſtare verò pugnantis, vel adiuuantis. Stephanus ergò in labore certaminis poſitus, ſtantem vidit, quem adiutorem habuit: ſed hunc poſt Aſcenſionem Marcus ſedere ſcribit; quia poſt Aſcenſionis ſuæ gloriam Iudex in fine videbitur.* Ita ille. Ideo ad ambitionem retundendam Eccleſiaſtici 7. dicitur: *Noli quærere à Domino ducatum, neque à Rege cathedram honoris*, hoc eſt (vt explicat Lyranus) poteſtatem iudicandi.

Thronus iudiciariam poteſtatem ſignificat. *Prou. 2.* *Matth. 25.* *Ioel 3.* *Matth. 19.* *Gregor.* *Marc. vlt.* *Eccleſ. 7.*

Tertio ſignificat doctrinam, ſeu Magiſterij auctoritatem. hinc Hieronymus lib. 4. in Matth. cap. 23. explanans illud, *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi. Per cathedram*, inquit, *doctrinam legis intelligit: ergo & illud quod dicitur in pſal. 1. In cathedra peſtilentiæ non ſedit, & cathedras vendentium columbas euertit, doctrinam debemus accipere.* Sic Hieronymus. & Chriſtus Dominus cum inter homines docuit, crebrò ſediſſe commemoratur; ſic Matth. 5. in monte diſcipulos, & Luc. 5. de nauicula turbas docebat.

Thronus doctrinam ſignificat. *Hieron.* *Matth. 23.* *Pſal 1.* *Matth. 21.* *Matth. 5.* *Luc. 5.*

Quarto ſignificat Thronus ſeſſionem ipſam corporis, nimirum in certo quodam ſitu quietem, & ab inceſſu, motuue ceſſationem: atque ex hac notione intelligi quoque poſſet non tantùm corporis, ſed & animi quies, cupiditatum, ac perturbationum tranquillitas, conſilium, prudentia, ſapiens ac matura cunctatio, quemadmodum probat Pierius ex vulgato illo, *Romanus ſedendo vincit*, hoc eſt ſapientia, & conſilio hoſtes debellat. Idem quoque Pierius lib. 43. Sedis hieroglyphicum perennitatis, æternæq; quietis ſymbolum tum pluribus confirmat, tum in primis nummo quodam antiquo, in quo erat Romæ ſimulachrum in ſede cum annulis, cuius inſcriptio, *Romæ æternitas*: hoc enim de Romano imperio ſibi veteres illi Quirites pollicebantur, de quibus Poeta ex perſona Iouis:

Thronus à motu ceſſationem ſignificat. *Pierius.*

His ego nec metas rerum, nec tempora pono;
Imperium ſine fine dedi.

Virg. lib. Aene.

Quamuis idem Poeta, vt animaduertit Auguſtinus ſerm. 29. de verbis Domini, quod adulatione ex perſona Iouis promiſerat ſemper manſurum; veritate ex perſona ſua non tacuit periturum, cùm alibi dixit:

Non res Romanæ, perituraq. Regna.

Auguſtin. *Virg. 2. Georg.*

Quæ de Throni ſignificatione attulimus confirmari poſſunt auctoritate S. Thomæ 3. par. q. 58. art. 1. vbi explicat quomodo Chriſto conueniat ſedere ad dexteram Patris, docetq; ſeſſionis nomine duo poſſe intelligi, quietem videlicet, & præterea regiam, vel iudiciariam poteſtatem: vtroque autem modo Chriſto competere ad dexteram Patris ſedere; *vno quidem modo inquantum*, inquit, *æternaliter manet incorruptibilis in beatitudine Patris, quæ eius dextera dicitur: alio modo inquantum Patri conregnat, & ab eo habet iudiciariam poteſtatem: ſicut ille, qui conſidet Regi ad dexteram, aſſidet ei in regnando, & iudicando.*

S. Thom.

3 Ex his omnibus facilè colligitur quid per thronum Dei intelligendum ſit. cum enim præpotens Deus in ſua diuina natura corporis membra non habeat, Thronus illi non niſi metaphoricè conuenire poteſt: ſignificat igitur Thronus Dei, diuinæ naturæ excellentiam, qua in ſe ipſo Deus ab æterno eſt, & immobiliter quieſcit, ac ſupremum eiuſdem in res creatas omnes dominium, & iudiciariam auctoritatem: quæ omnia cum ſtabili quiete, & æternitate poſſidet, ita vt nihil ſupremam eius poteſtatem aliqua ratione concutere, vel labefactare queat. Hinc pſal. 46. *Regnabit Deus ſuper gentes, Deus ſedet*

Thronus Dei quid ſignificet. *Pſal. 46.*

Pſal. 28. *ſuper ſedem ſanctam ſuam, &c.* & pſal. 28. *Sedebit Dominus Rex in æternum,* ideſt dominabitur in omnem æternitatem, in pacifica, vt vulgo dicitur, poſſeſſione. Quare Dionyſius Areopagita cap. 9. de Diu. nom. cum de diuino ſtatu, ſeu ſede inquireret. *Quid verò,* inquit, *de diuino ſtatu, ſiue ſede dicamus? Quidnam aliud, niſi Deum in ſe manere, & conſtanter in vna, eademq. natura, quæ ſit immobilis, fixum eſſe, ac firmiter locatum? eodemq. modo, & in eodem agere? atque per id quod ipſum immutabile eſt, & quod ipſum immobile eſt, ab omni ſui mutatione, ac motu omninò ſolutum eſſe, & liberum. atque id ratione quadam, quæ eſſentiam ſuperat. Is enim omnium & ſtatus, & ſeſſionis auctor eſt, qui omni ſeſſioni, atque ſtatui antecellit, in eoq. omnia conſtant, dum ex ſuorum bonorum quiete, atque conſtitutione immota ſeruantur.* Hæc Dionyſius Areopagita. Quare Deus ſæpè à ſanctis Prophetis in throno reſidere conſpectus eſt; ita 3. Reg. 22. à Michæa, & Ezech. 1. Dan. 7. & vt reliqua omittam Iſa. 6. Deus ipſe viſus eſt ſuper ſolium excelſum, & eleuatum. quod expendens Chryſoſtomus homil. in hæc verba, quærit cur cum dixiſet, ſolium excelſum, adiecit, & eleuatum, & reſpondet, per hoc diuinæ dignitatis eminentiam declarari: *Excelſum enim reſpectu inferiorum dici: Eleuatum verò ſignificare ſublimitatem in ſe, ipſius naturæ diuinæ incomprehenſibilis, etiam ſecluſo quocumque reſpectu, quam nec cogitatione concipere, nec verbis eloqui quiſpiam poteſt.* hæc ex Chryſoſtomo. Iam verò tametſi Dei ſedes ita accipiatur; pleraq; tamen ſunt quibus in diuinis oraculis, & apud Patres, ſedis Dei nomen tribuitur: & vt omittam beatiſſimam Virginem, quæ ſingulari quadam ratione Dei thronus appellatur, quod toto hoc opere vberius oſtendemus, cœlum ipſum ſedes Dei appellatur, quemadmodum pſal. 10. *Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cœlo ſedes eius:* & Iſa. 66. ait Dominus, *Cœlum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum.* quod S. Stephanus Act. 7. cum Iudæis loquens adducit: & Chriſtus Dominus Matth. 23. agens de iuramento, idem repetit: *Qui iurat,* inquit, *in cœlo, iurat in throno Dei, & in eo qui ſedet ſuper eum.* & Matth. 5. *Ego autem dico vobis, non iurare omninò neque per Cœlum, quia thronus Dei eſt; neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius:* quæ verba explicans S. Auguſtinus lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 17. *Non oportet,* inquit, *opinari quod dictum eſt, cœlum thronus Dei eſt, & terra ſcabellum pedum eius, quod ſic habeat Deus collocata membra in cœlo, & in terra, vt nos cum ſedemus: ſed illa ſedes Dei iudicium ſignificat: & quoniam in hoc vniuerſo mundi corpore maximam ſpeciem cœlum habeat, & terra minimam, tanquam præſentior ſit excellenti pulchritudini vis diuina, minimam verò ordinet in extremis, atque infimis, ſedere in cœlo dicitur, terramq. calcare. Spiritualiter autem ſanctas animas cœli nomine ſignificat, & terræ peccatrices: & quoniam ſpiritualis omnia iudicat, ipſe autem à nemine iudicatur, conuenienter dicitur ſedes Dei; peccator verò, cui dictum eſt, terra es, & in terram ibis; quia per iuſtitiam meritis digna tribuentem, in infimis ordinatur, & qui in lege manere noluit, ſub lege punitur; congruenter accipitur ſcabellum pedum Dei.* hactenus Auguſtinus.

3. Reg. 22. Ezech. 1. Dan. 7. Iſa. 6. Chryſoſt.

Quænam ſedis Dei nomine inſigneantur.

Cœlum dicitur ſedes Dei. Pſal. 10. Iſa. 66. Act. 7. Matth. 23.

Matth. 5.

Auguſt.

4 Verùm quia Iſa. 40. vbi vulgata editio habet: *Quis menſus eſt pugillo aquas, & cœlos palmo ponderauit? Quis appendit tribus digitis molem terræ:* Septuaginta interpretes legunt: *Quis menſus eſt manu aquam, & cœlum palmo? & omnem terram pugillo;* Quærunt Athanaſius, & Hilarius, ſi Deus cœlum palmo, terram pugillo metiatur; quomodo dicatur cœlum ſedes Dei eſſe, & terra ſcabellum pedum eius. & reſpondet S. Athanaſius libro de vnita, & ſempiterna ſubſtantia Trinitatis, per hoc incomprehenſibilem diuinitatis virtutem ſignificari, ipſamq; vniuerſa implere, & continere exterius, & interius, & vbiq; præſentem eſſe. Hilarius verò lib. 1. de Trinit. *ſermo Dei,* inquit, *etiam ſi ad opinionem religioſæ intelligentiæ proficit; tamen plus ſignificationis introſpectus ſenſu continet, quàm exceptus auditu: nam concluſum palmo cœlum, rurſum Deo thronus eſt; & terra Dei pugillo contenta, eadem & ſcabellum pedum eius eſt; ne in throno, & ſcabello ſecundum habitum conſidentis protenſio ſpeciei corporeę poſſit intelligi, cum id quod ſibi thronus, & ſcabellum eſt, rurſum illa ipſa infinitas potens palmo, ac pugillo apprehendente concluderet: ſed vt in his cunctis originibus creaturarum Deus intra, & extra, & ſupereminens, & internus, ideſt circumfuſus, & infuſus, in omnia noſceretur, cum & palmo, pugilloq. continens poteſtatem naturæ exterioris oſtenderet.* & poſt pauca. *Atque ita totus ipſe intra,*

Iſa. 40. Si cœlum eſt ſedes Dei quomodo palmo cœlos ponderare dicitur Deus. Athan. Hilar. Iſa. 66.

Hilar.

ex-

extraq. continens neque infinitus abesset à cunctis, neque cuncta ei, qui infinitus est, non ineſſent. hæc ex Hilario.

5 Angeli etiam dicuntur ſedes Dei. quare Gregorius lib. 2. moralium cap. 21. ſuper illud Micheæ ad Achab 3. Reg. 22. *Vidi Dominum ſedẽtem ſuper ſolium ſuum: Solium Dei* (inquit Gregorius) *Angelicæ ſunt poteſtates, quarum mentibus altius præſidens, inferius cuncta diſponit.* Richardus, ſedem Dei Apoc. 4. interpretatur eſſe Angelos ſanctos. Auguſtinus in pſalm. 98. *Cœlum Dei, quod ſedes Domini dicitur, mentes Angelorum ſunt.* & Gloſſa interlinearis, ſolium excelſum Dei Iſa. 6. Angelos eſſe dicit, in quibus Deus ſedet, & per quos iudicia decernit. Cæterum inter Angelos ſedis Dei appellatio interdum tribuitur ipſis Cherubim, qui ſecundum ordinem ſupremæ hierarchiæ efficiunt. atque ita pſal. 79. *Qui ſedes ſuper Cherubim manifeſtare coram Ephraim:* ſimiliter & pſal. 98. *Qui ſedet ſuper Cherubim moueatur terra:* & Iſa. 37. *Domine exercituum, Deus Iſrael, qui ſedes ſuper Cherubim tu es Deus ſolus omnium regnorum terræ.* & Daniel 3. *Benedictus es, qui intueris abyſſos, & ſedes ſuper Cherubim:* nam & in Arca Exod. 25. Dei iuſſu ex vtraque parte oraculi erant duo Cherubim aurei, qui expandentes alas, vtrumque latus propitiatorij, quo operienda erat Arca, tegebant, & inde Deus optimus ſe locuturum ad Moyſem ſupra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erant ſuper arcam teſtimonij, promiſit, ac proinde quaſi ſupra Cherubim ſedere dicebatur. Hinc eſt quòd aliqui, vt Epiphanius ſerm. de laud. Deip. Deiparam ipſam appellant thronum Dei Cherubicum. Nec ſolum ipſi Cherubim ſedis Dei nomine inſigniuntur, ſed & tertius ordo ſupremæ hierarchiæ à Dionyſio Areopagita cap. 6. cœleſt. hier. & à ſacris Doctoribus thronorum nomine, quod latinè ſedem ſonat, peculiariter vocatur, à diuina videlicet in eis perfectiſſima inhabitatione; *Ipſi enim throni* (inquit Gregorius homil. 34. in Euang.) *tanta diuinitatis gratia replentur, vt in eis Dominus ſedeat, & per eos ſua iudicia decernat. vnde & per Pſalmiſtam dicitur, Sedes ſuper thronum, qui iudicas æquitatem.* Sic Gregorius. Porrò de ſacro thronorum ordine videndus eſt S. Thomas 1. par. q. 108. art. 5. ad 6. vbi ex doctrina Dionyſij cap. 7. cœleſt. hier. vult ordinem illum Angelicum, Thronos appellari per conuenientiam, vt loquitur S. Thomas, ad materiales ſedes, in quibus ex eodem D. Thoma, quatuor præcipuè ſpectantur. Primò ſitus, quia ſedes eleuatur ſuper terram. Secundo firmitas. Tertio ſuſcipere ſedentem, ita vt in ea deferri poſſit, eiq; eſſe vicinam. Quarto figura ſic ſuperius aperta ad excipiendum ſedentem: quæ omnia quomodo thronis Angelicis accommodentur cap. 4. vberius explicabimus.

Angeli Dei ſedes dicuntur. 3. Reg. 22. *Richard. Apocal.* *Auguſt.* *Gloſ. interl.* *Iſa. 6.* *Cherubim ſedes Dei dicuntur.* *Pſal 79.* *Pſal. 98.* *Iſa. 37.* *Dan. 3.* *Exod. 25.* *Epiphan.* *Tertius ordo ſupremæ hierarchiæ throni dicuntur.* *Dionyſ.* *Gregor.* *S. Thom.* *Dionyſ.* *Quatuor in quibus throni angelici cum ſedibus conueniunt.*

6 Anima quoque iuſti ſedes dicitur Sapientiæ, quod plerique confirmant ex Sapientiæ cap. 7. vbi enim editio vulgata de diuina Sapientia habet illud, *in animas ſanctas ſe transfert*, alia littera, inquit Hugo Cardinalis in Iſa. 66. legit, *Anima iuſti thronus eſt Dei.* Quare Auguſtinus in pſal. 121. ſuper iſta verba: *Quoniam illic ſederunt ſedes in iudicio*, id tanquam ex ſacris litteris acceptum affert: *Dictum eſt*, inquit, *alio loco anima iuſti thronus Sapientiæ, ideſt in anima iuſti ſedet Sapientia tanquam in ſella ſua, tanquam in throno ſuo, & inde iudicat quicquid iudicat.* ſic Auguſtinus. & Gregorius hom. 38. in Euang. hunc locum ſic citat: *Salomon ait, anima iuſti ſedes eſt Sapientiæ.* & Ildefonſus ſerm. 2. de Aſſumpt. eandem ſententiam ex ſcriptura ſe proferre aſſerit. & S. Bernardus ſerm. 27. in Cantica, cum oſtendere vellet, animam iuſti eſſe cœlum ex illo Iſa. 66. *Cœlum mihi ſedes eſt, Illud*, inquit, *Cœlum potius ſedes Dei eſt, de quo alibi apertius ſcriptura commemorat, Anima (inquiens) iuſti ſedes eſt Sapientiæ.* ſic Bernardus. Et verò iure optimo ſanctorum animæ Dei ſedes nominantur. Primò, (& eſt ratio Bernardi) quoniam cum cœlum Iſa. 66. Sedes Dei vocetur, ſancti verò cœlum ſint, (quia cum Apoſtolo 2. Cor. 10. in carne ambulantes non ſecundum carnem militant: & illud eiuſdem Philip. 3. opere, ac virtute clamant, *Noſtra conuerſatio in cœlis eſt*, ſeu vt ex græca voce πολίτευμα ſignificantius ad rem noſtrã vertit Tertullianus lib. 3. contra Marcionem, & legit interdum S. Hieronymus, & Caſſianus collat. 3. cap. 6. *Municipatus noſter in cœlis eſt*) ipſi quoque Sancti ſedes Dei iure dici poſſunt. Huc accedit illud Bernardi loco citato, animam ſanctam eſſe cœlum. *Quoniam habet*, inquit, *ſolem, intellectum; lunam, fidem; aſtra, virtutes; vel certè ſol, iuſtitiæ zelus, aut feruens charitas; & luna continentia.*

Anima iuſti ſedes Sapientiæ dicitur. & quare Sap. 7. *Hugo.* *Auguſt.* *Gregor.* *Ildefonſ.* *Bernard.* *Iſa. 66.* *Sap. 7.* *Bernard.* *Iſa. 66.* *2. Cor. 10.* *Philip. 3.* *Tertullian.* *Hieronym.* *Caſſian.* *Anima iuſti, Cœlum.*

tia. Quomodo enim claritas lunæ non niſi à ſole eſt; ſic abſque charitate ſeu iuſtitia, continentiæ meritum nullum eſt: & quomodo ſtellæ in nocte lucent, in die latent; ſic vera virtus, quæ ſæpè in proſperis non apparet, eminet in aduerſis. Illud ſanè cautelæ eſt, hoc neceſſitatis: ergò virtus eſt ſydus; & homo virtutum, cœlum. Hactenus S. Bernardus. Secundò, quemadmodum Regem in throno ſedentem omnes obſeruant, & colunt; ita in anima iuſti, in qua ſingulariter reſplendet, Deus colitur, & adoratur. Quare de Magno Antonio ſanctum Paulum Eremitarum primum alloquente, Hieronymus in vita eiuſdem Pauli ſic ſcribit: *Antonius quaſi Chriſtum in Paulo videns, & in pectore eius Deum venerans, vltra reſpondere nihil auſus eſt.* Tertiò cum ex pſal. 88. *Iuſtitia, & iudicium præparatio ſedis Dei ſint;* meritò iuſti, qui à iuſtitia colenda huiuſmodi nomen inuenerunt, Deo ſedem præparantes, ſedis Dei nomine decorantur. Hinc Patres viris iuſtis ſedis Dei nomen attribuunt, & vt plerosq; præteream, Ambroſius, Andreas Cæſarienſis, & Aretas ſuper Apocalypſis cap. 4. ſedem Dei interpretantur Sanctos: quoniam in eis reſidet, & quieſcit Deus. & Origenes homil. 1. in Geneſ. *Quod,* inquit, *dicit, Cœlum mihi ſedes eſt, vt ſciamus, quia in his, quorum in cœlis conuerſatio eſt, Deus requieſcit, & reſidet: in his autem, qui adhuc terrenum propoſitum gerunt, vltima pars eius prouidentiæ inuenitur. Quod in pedum appellatione figuraliter inuenitur. Ex quibus ſi qui forte ſtudium, ac deſiderium ſumpſerint fieri cœleſtes, perfectione vitæ, & altitudine intellectus, efficiuntur etiã ipſi ſedes Dei.* & mox: *Sed & illi quorum theſaurus in cœlo eſt, cœleſtes dici poſſunt: etiam ſedes Dei; quoniam ibi eſt cor eorum, vbi eſt theſaurus eorum.* hæc Origenes. & Auguſtinus lib. 1. de ſerm. Dom. in monte cap. 17. vt ſupra diximus, tractans illud: *Cœlum thronus Dei eſt, Spiritualiter,* inquit, *ſanctas animas cœli nomine ſignificat.* Idẽ in pſ. 121. ſuper illud, *Quia illic ſederunt ſedes in iudicio: Cœlum,* inquit, *mihi ſedes: qui ſunt iſti, niſi iuſti? vnde facti ſunt Cœlum? quia iuſtificati: quomodo peccator factus eſt terra, cui dictũ eſt, Terra es, & in terram ibis: ſic iuſtificati facti ſunt cœlum, portauerũt Deum, & de ipſis Deus coruſcabat miracula, tonabat terrores, pluebat conſolationes.* Idem Auguſtinus in pſal. 98. ſuper illud, *Qui ſedes ſuper Cherubim, moueatur terra: Cœlum,* inquit, *non hoc quod oculis noſtris ſuſpicimus, valde pretioſum eſt Deo: Cœlum Dei, animæ ſanctæ ſunt: Cœlum Dei, mentes omnes ſeruorum eius ſunt, de quo dictum eſt cœlum mihi ſedes.* Nec ſilentio prætereundum eſt, Eccleſiam peculiari quadam ratione de ſanctis mulieribus, ac de Virginibus præcipuè identidem in Officio Eccleſiaſtico canere ad eas ex perſona Chriſti, *Veni electa mea, & ponam in te thronum meum*; fortaſſe propter puritatem virgineam, aut continentiam, ſeu vidualem, ſeu coniugalem, quæ maximè mulierum præclarum eſt ornamentum; fortaſſe etiam propter deuoti fœminei ſexus cognomentum ab Eccleſia mulieribus meritò inditum: deuotio enim animam peculiari quadam ratione efficit, vt thronus ſit, in quo ſedere, ac conquieſcere dicatur Deus.

Hieron.

Pſal. 88.

Ambroſ. Andr. Cæſar. Aretas. Origenes. Iſa. 66.

Auguſtin.

Pſal. 121. Gen. 3.

Virgines ſanctæ ſedes Dei ſunt. Officium Eccleſiaſticum.

Eccleſia ſedes Dei nomen tribuitur.

7 Eccleſia item ipſa, quæ cętus eſt quidam, & congregatio fidelium, Dei ſedes dicitur. quare Auguſtinus lib. 13. contra Fauſtum cap. 13. Eccleſiam Chriſti, quæ omnibus apparet, & eminet, vult apud Ierem. cap. 17. prædici, & eſſe ſedem gloriæ exaltatam, de qua apud Apoſtolum, *Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Atque ita Beda, Abbas Ioachim, & Rupertus ſedem Dei, Apoc. 4. interpretantur Eccleſiam triumphantem, vel militantem.

Auguſt. Ierem. 17. Beda. Abb. Ioach. Rupert. Eccleſ. 24.

Columna nubis Dei thronus dicitur.

Denique thronus diuinæ Sapientiæ in columna nubis eſſe perhibetur Eccleſ. 24. *Ego,* inquit, *in altiſſimis habitaui, & thronus meus in columna nubis.* Per columnam porrò nubis Deus in deſerto filijs Iſrael ducatum præbens, eosq; ab æſtu ſolis protegens ad terram promiſſionis perduxit, & in eadem columna nubis pſal. 98. loquebatur ad eos. Dicitur porrò ſedes Sapientiæ eſſe in columna nubis, propter ſublimitatem, qua à terra altius eleuatur: & quoniam inde multa admirabilia myſticè operatur, fulgura ſcilicet ad illuminandas hominum mentes; tonitrua ad corda obdurata concutienda; gratiarum pluuias ad irrigandas fidelium animas. quare Dan. 7. cum nubibus cœli veniebat filius hominis, & pſal. 103. *Qui ponis nubem aſcenſum tuum.* Nec illud prætereundum ex ſupra dictis initio capitis ipſam Dei maieſtatem, & potẽtiam per Dei thronum ſignificari, vt ait Carthuſianus ſuper Apoc. cap. 1.

Pſal. 98.

Dan. 7. Pſal. 103. Dei Maieſtas thronus Dei appellatur. Apoc. 1.

Cùm igitur Dei thronus tam multa in ſacris litteris ſignificet, totq; Patrum ſententia

tam

tam multis aptè conueniat; reliquum est, vt illud accuratè perueſtigemus, quanam ratione Virgo Deipara in 4. illo Apocalypſis capite diuinæ ſedis, ſeu throni typo adumbrata intelligatur. Apoc. 4.

PRIMVM ARGVMENTVM,

QVO MYSTICO DIVINAE SEDIS, SEV THRONI typo, cuius S. Ioannes in Apocalypſi cap. 4. meminit, Beatiſſimam Virginem Deiparam ſubindicari, ex prolatis in eam rem ſanctorum Patrum, ſanctarumq. litterarum teſtimonijs comprobatur. Cap. II.

SVMMARIVM.

Virginem Deiparam aliquo ſymbolo intellectam in viſione Apoc. 4. num. 3. Throno eburneo Salomonis, & throno ſapphirino Ezechielis, quin etiam alijs in locis ſacrarum litterarum, vbi mentio fit de Dei throno, ſeu ſolio, Virginem Deiparam adumbrari, quæ omnia ſigillatim examinantur à nu. 8. & deinceps.

1 IVO facilior nobis earum rerum ſit explicatio, quas ad ſanctiſſimã Virginem Dei genitricem ex hoc, quẽ huic operi præſcripſimus, Apocalypſis locó, pertinere exiſtimamus, præcipuè autem quod diuinæ ſedis, throniuè nomine adumbretur; præſtiterit primum celeberrimam illam viſionẽ à S. Ioanne in ſacra Apocalypſi cap. 4. & 5. deſcriptam in ſummam breuem coactam, & huc tranſlatam, ſub vnum velut aſpectum dare lectoribus. Deinde diligenter diſquirere, atque inueſtigare, num S. Ioannes in ea viſione eandem Virginẽ Deiparam præterierit; an aliquo typo, & quonam ſubindicauerit; ſic enim fiet, vt his in ipſa fronte accuratè perſpectis, commodius quiuis conſequi poſſit, quæ prima quaſi ſubtegmina ducamus huiuſce noſtræ diſputationis; quæ deinceps è ſuis initijs ſubtexta conſequenter, eodem filo ad finem vſque pertexere meditemur; vt, quo ad eius fieri poſſit, ſingula congruenter vnum in corpus quàm aptiſſimè coaleſcant, & media primis, medijs extrema reſpondeant. Apoc. 4.

Et ſanè cum S. Ioannes in ſua Apocalypſi librum illum admirabilem ſigillis ſeptem obſignatum ab Agno reſignari vidiſſet, perſpicuè prẽuidit haud dubijs rerum futurarum ſignificationibus varium pro tempore Eccleſiæ ſtatum, & maximè commemorabiles vtriuſque temporis euentus, & proſperos, & aduerſos ex ordine notari, vt quodq; ſigillũ reſignaſſet Agnus. Cumq; ad hæc enarranda aggrederetur diuinæ maieſtatis vim, atque amplitudinem adorandam, ſingulasq; cœleſtis curiæ partes (ante cuius conſpectum hæc fieri diuinitus ſibi ſunt patefacta) alijs, atque alijs appoſitiſſimis typis accuratè, diligenterq; eſt executus, atque ob oculos propemodum poſuit. Scribit enim vidiſſe ſe poſitam in cœlo ſedem, Deumq; ſimilem aſpectui lapidis iaſpidis, & ſardinis illi inſidentẽ; & circa ſedem, iridem ſimilem viſioni ſmaragdinæ, vidiſſe viginti quatuor ſeniores ſtolis albis amictos, multis claros inſignibus, ſedem, ſeu thronum circumfuſos, è quo fulgura micabant, voces, ac tonitrua perſonabant: vidiſſe lampades ſeptem ardentes ante thronum, *qui ſunt* (inquit ipſe) *ſeptem ſpiritus Dei*: vidiſſe in conſpectu ſedis mare vitreum ſimile cryſtallo: Quatuor verò illa animalia ſenis alis prædita, plena oculis ante, & retro (quorum primum leoni, ſecundũ vitulo, tertium homini, quartum ſimile aquilę volanti dicitur) triſagij hymnum continenter concinentia, in medio, & in circuitu throni fuiſſe teſtatur. In capite poſtea quintò narrat in dextera ſedentis in throno fuiſſe librum conſcriptum intus, & foris, ſigillis ſeptem ſignatum, quem nemo aperire, nemo ne reſpicere quidem poterat, deinde vidiſſe ſe in medio throni animalium, & ſeniorum Agnum ſtantem tanquam occiſum habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem, *qui ſunt* (inquit ille) *ſeptem ſpiritus Dei miſſi in omnem terram*. ab Agno porrò apertus eſt liber, quo recluſo ſeniores, & quatuor animalia ſuppliciter coram Agno procumbentes, canti- *Viſio cap. 4. & 5. Apoc. breuiter recenſentur.* Apoc. 5.

canticum nouum in eius laudem concinuerunt:multitudo quoque Angelorum,qui ſtabant in circuitu throni,& animalium,& ſeniorum,& erant millia millium,& omnis creatura in cœlo,& ſuper terram, & ſub terra, & in mari Agnum pariter collaudarunt. Hæc ſumma eſt illius viſionis;quæ enim ad ſingulorum ſigillorum recluſionem S.Ioanni ſunt oſtenſa,fusè ſequentibus capitibus ab eodem deſcribuntur.

Explicatur Scopus narratæ viſionis Apoc. 4.

2 Hac porrò viſione Deus optimus, ex ſacræ Apocalypſis interpretibus, quatenus Eccleſiæ ſuæ ſumma prouidentia paternè proſpicit,eamq; ſua ſapientia adminiſtrat, ſe exhibuit;ideoq; maieſtas eius ex nobiliſſima curia,qua magnificentiſſimè ſtipatus erat,indicatur. Eaq; recenſentur in primis, quibus diuina eius in homines prouidentia declaratur,cuiuſmodi eſt eius pulchritudo,iuſtitia, miſericordia. Iaſpis enim diuinæ naturæ pulchritudinem,quæ iuſtorum eſt præmium,quo ad bonum allicimur: Sardius, propter rubrum colorem,diuinam iuſtitiam,qua à malo deterremur: Iris verò Dei miſericordiã præſeferunt. His accedunt,& alia,quæ ſupra commemorauimus, vigintiquatuor nimirũ ſeniores,ſeptem Angeli diuino throno aſtantes, & reliqua,quibus quodammodo quaſi adminiſtris ad ſuæ prouidentiæ,vel manifeſtationem,vel executionem vtitur.De quibus omnibus quoniam,vel diuinum thronum circumſtare,vel aliqua alia ratione ad illum ſpectare dicuntur,nobis infra à cap.14.& deinceps ſigillatim quid ſignificent,quaue ratione ad Deiparam pertineant,quam per hunc thronum ſignificari exiſtimamus,diligenter,& copiosè agendum erit; hic verò ſatis ſit ea attigiſſe.

DEIPARAM IN VISIONE APOCAL. 4. NON FVISSE A S. Ioanne prætermiſſam, ſed aliquo ſymbolo ſubintellectam.

B. Virginem aliquo ſymbolo, Apoc.4. intelligi.

3 His cognitis,ſentio ſanctiſſimam Virginem in hac viſione, vbi tam accuratè ſingulæ cœleſtis aulæ partes deſcribuntur,à S.Ioanne minimè prætermiſſam,ſed ſymbolo aliquo indicatam. Neque enim veriſimile videtur à B. Ioanne, qui tam multa cœleſtis aulæ,tamq; præclara ſpectacula fuiſſet diligenter perſecutus,ſolam Virginem fuiſſe prçteritam,& eam Virginem,qua ſecundum Deum nihil in Cœlo,nihil in terris habetur illuſtrius;& in quam ipſe Virgo ſcriptor egregius ſingulari pietatis, & obſeruantiæ ſtudio ferebatur. Multa porrò ſunt,quæ nos in hanc ſententiam adducunt. Primùm in hac viſione,vt ſupra dixi,Deus optimus,vt Eccleſiæ ſuæ prouidens oſtẽditur,eaq; quibus eius prouidentia,vel manifeſtatur,vel exercetur,recoluntur; præcipuæ quoque cœleſtis aulæ partes recenſentur. Hinc lectiſſimi quique Sancti veteris,& noui teſtamenti per vigintiquatuor ſeniores,quatuor Euangeliſtæ per quatuor animalia,ſeptem Principes Angelorum throno Dei aſtantes per ſeptem lampades ſignificati ponuntur;& reliqua,à quibus ne nimis longum faciam,ſuperſedeo.Sed beatiſſima Virgo cœleſtis Ieruſalem pars eſt lõgè præſtantiſſima, quippe quæ præ omnibus puris creaturis principem apud Chriſtum Regem obtinet locum;& cum corporis,tum animi ſimilitudine omnium proximè ad eũdem Chriſtum accedit; in qua ipſum Dei Verbum caro factum eſt. Et quod ad efficientiam,& progreſſionem ſpectat diuinæ in homines,& Eccleſiam ſuam prouidẽtiæ, nemo eſt qui ignoret, ipſam Virginem apud Chriſtum iure materno primas pro Eccleſia, eiusq; membris intercedendi partes agere:cum Mater ſit iuſtorum, peccatorum Aduocata,Mater item miſericordiæ,per quam Deus ſuam in homines vberrimè effudit miſericordiam;hac verò miſericordia,Dei prouidentia, cuius proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, præcipuè oſtenditur, qui etiam omnipotentiam ſuam parcendo maximè (vt ait Eccleſia,) & miſerando manifeſtat: per Deiparam etiam tot, tantaq; ſuæ Eccleſiæ quotidie beneficia largitur:quod cum inconfeſsò ſit apud omnes, nos in præſenti id pro certo ſupponimus infra ſuo loco,vt Virginis laudes magis celebremus, copioſius oſtenſuri. Quare in myſtico hoc Sanctæ Eccleſiæ corpore,cuius caput eſt Chriſtus; ipſa collum,quod cæteris membris eminet,& per quod omnis à capite virtus deriuatur in membra,appellatur:vt iure optimo Apoc.12. quemadmodum ait Bernardus,*ſub eius tanquã mediatricis pedibus luna,quæ nonnunquam propter ſuſceptum à ſole ſplendorem Eccleſiam huius temporis à Chriſto ſole iuſtitiæ ſuis radijs illuſtratam ſignificat, conſtituta legatur.* Quod idem animaduertit S.Antoninus 4.par.tit.15.cap.20,§.2.vbi de Virgine explicat illud

Prima ratio.

Ioan. 1.

Miſſale Romanum.

Apocal.12. Bernard.

S. Antonin.

illud Eccleſ.24. *In Ieruſalem poteſtas mea*,hoc eſt in Eccleſia: *Quoniam Eccleſia*,inquit, *iure ſub pedibus eſt Virginis,non tantùm ſub eius patrocinio,verùm etiam ſub eius eſt dominatione,ac poteſtate.Ergo cum ſit pars ſecundũ Chriſtum omnium nobiliſſima,per quam Deus ſuam prouidentiam, & in homines miſericordiam peculiari ratione exercet,præcipuè commemoranda videbatur.*

Secundo quemadmodum in ſacris litteris veteris inſtrumenti,& Eccleſia vniuerſa, & ſinguli eius ſtatus,& præcipuæ quædam perſonæ,quæ ad Eccleſiæ fundamenta pertinere videbantur, varijs figuris, ac Prophetarum vaticinijs prænunciantur. (Hinc Domini præcurſor Ioannes Baptiſta,hinc Apoſtoli duodecim,& pleraq; alia præmonſtrata sũt;) & quemadmodum etiam in nouo teſtamento in ſacra Apocalypſi non tantum ea, quæ ad futurum militantis Eccleſiæ ſtatum, verùm etiam, quæ ad cœleſtem Ieruſalem ſpectant. ipſi etiam duodecim Apoſtoli, & præclariores quædam perſonæ, quatuor ſcilicet Euangeliſtæ,ſeptem ſpiritus ante Deum aſtãtes,& alia eiuſcemodi ſub varijs imaginum integumentis,ac ſymbolis,vt à Prophetis fieri ſolet,deſcribuntur:ita & Virgo Deipara, quæ ratione maternitatis Chriſto filio eſt coniunctiſſima, quæ in Eccleſia ad Chriſti œconomiam omniũ maximè pertinet,quæ totius cœleſtis patriæ decus eſt,& ornamentum longè præclariſſimum; in veteri quidem teſtamento ita myſticis præfigurata miraculis,& oraculis eſt prænuntiata propheticis, vt à Hieronymo in Micheæ cap.6. Vaticinium dicatur Prophetarum.quod ipſum pleriq; quos in cap.17.afferemus,affirmant Patres,& præſertim Bernard.hom.2.ſuper *Miſſus eſt*, & in epiſt.174. qui vtrobique plurimas de Virgine affert figuras, plurimas prophetias. Ergo & in ſacra Apocalypſi, qua & noui teſtamenti arcana continentur,& auguſtiſſima Dei Eccleſiæ ſuæ prouidentis maieſtas cum tota ſua cœleſti curia typicè deſcribitur, ipſam etiam ſuis typis adumbratam eſſe,nemo inficiari poterit.

Secunda ratio.

Hieron.

Bernard.

Tertiò inter huius viſionis ſymbola aliquod aptiſſimè congruere Virgini demonſtratur,vt ex ſequentibus perſpicuum fiet. igitur eo ſymbolo ſubindicatam eam eſſe confitendum eſt.Cęterùm expectandum non erat,vt Deipara Virgo diſertis verbis quaſi proprio nomine hic exprimeretur;cùm & ipſe Chriſtus non niſi ſub agni ſymbolo in hac viſione nominetur:tota enim ferè hæc viſio,quæ à cap.4.Apoc.ad octauum vſque excurrit, oſtẽſa eſt per illuſtres ſignificationum notas,& rerum nobis notarum imagines,quibus varia, quæ S. Ioanni aperire volebat Deus, adumbrabantur. hinc mentio ſedis,ſeu throni,ſimilitudinis lapidis iaſpidis,ſardinis,& ſmaragdi,iridis, ſeptem lampadũ ardentium, vigintiquatuor ſeniorum, quatuor animalium, maris vitrei,libri ſignati,Agni habentis cornua ſeptem, & oculos ſeptem, & aliorum huiuſcemodi typorum. Quare ſatis eſt ſi Deipara ſub aliquo typo ſubintelligatur.Hoc autem poſito tum illud inquirendũ reſtat ſub cuius nam rei ſymbolo ſignificata ſit.& ſanè non incongruè per iridem thronum ambientem poſſet quiſpiam dicere illam adumbratam: Iris enim cum in ſignum fœderis poſt diluuiũ data ſit hominibus,diuinam miſericordiam ſignificare ſolet:at beatiſſima Virgo mater eſt miſericordiæ, & veluti ſignum, ſeù prænuncia fuit miſericordiæ per Chriſtum eius filium hominibus præſtitæ. Quod ſi Beda in Apoc.4. per iridem in circuitu throni Sanctos ſignificari exiſtimat, quod Eccleſiam ſua interceſſione vndique tueantur;multò magis id in B.Virginem conuenire nemo eſt qui dubitet, atq; adeò per iridem ſignificari poſſe.Verùm etſi non inficior per iridem Virginem intelligi poſſe: hic tamen Apoc.4. Iridis nomine diuinam miſericordiam cum Ambroſio, & alijs ſignificatam cenſeo;cùm præſertim,& alio typo aptiſſimè Virgo ipſa ſubintelligi poſſit.

Tertia ratio.

B. Virgo cur proprio nomine Apoc.4. non exprimantur.

Apoc.4.& 8.

Iris aliqua ratione B. Virginem ſignificat.

Gen.9.

Beda.

Apoc.4.

Ambroſ.

Iris miſericordiæ diuinæ ſymbolum.

4 Mea igitur ſententia eſt beatiſſimam Virginem per Dei ſedem, quæ græcè θρόνος Apoc.4.legitur,ſignificatam eſſe:quod diligenter explicandum,probandumq; in hac diſputatione ſuſcepi.atq; ea eſt ſententia Petri Damiani in ſerm. de Natiu.Virg. vbi illud: *& vox de throno exiuit*,Apoc.19.explicat de Virgine prodijſſe.& Bernardus ſerm.de B. Virgine,qui habetur tom.2.ſuor.oper.explicans illud Apoc.4.*De throno procedebant fulgura,&c.* pariter de Virgine intelligit,vt dicemus infra:& videtur eſſe valde conſonum ſententiæ complurium Patrum,quos in hoc capite citabo,qui eam Dei thronum abſolutè appellant. præſertim quia thronus non quamlibet ſedem,ſed magnificentius quoddã ſolium ſignificat,id quod rectè animaduertit Auguſt.in pſal.121.ſuper illa verba: *quia*

Thronus Apoc.4. B Virginis eſt ſymbolum.

Petr. Dam.

Apoc.19.

Bernard.

Apoc.4.

illic

illic ſederunt ſedes in iudicio,verba Auguſtini ſunt. *Sedes dicit quas,græci Thronos appellant,Thronos græci ſellas dicunt tanquam honorabiles*. ſic Auguſtinus.

Throni Dei nomine Virginem exprimi, quatuor rationum generibus comprobatur.

Nos autem quatuor præcipuis argumentis hanc ſententiam hoc ordine confirmabimus.Primùm oſtendemus ſanctiſſimam Deiparam à SS. Patribus thronum Dei ſimpliciter appellari,& in ſacris litteris per thronum figurari.Deinde propterea quod in diuinis oraculis,vel etiam apud Patres nonnulla in rebus creatis ob ſui excellẽtiam throni Dei nomine,vt cap.1. dixi, nuncupantur;horum etiam appellationem præcipuâ quadàm ratione in ſanctiſſimam Virginem cadere demonſtrabimus.Adhæc cum Angelorum ordo, qui throni appellantur, per conuenientiam (vt verbis vtar S.Thom.par.1.q.108.art.5. ad 6.ex Dionyſio cap.7.de cœleſti hierarchia) ad materiales ſedes explicetur, quæ de hac conuenientia pluribus ibi perſequitur. S.Thomas,excellentiori, ac perfectiori ratione beatiſſimæ Virgini conuenire probabimus ; ac proinde Dei throni nomine ſingulari quadam ratione præ reliquis appellãdam; Denique quæ in ſacra Apocalypſi de hac Dei ſede,ſeù throno dicuntur(quæ ad duodecim ferè reuocantur capita)ſanctiſſimę Virgini peculiariter ita congruere,vel aptari,vt per illam Dei ſedem non obſcurè ſignificari videatur. Sed antequam ad noſtræ ſententiæ confirmationem progrediamur, expedienda eſt quædam difficultas. Dicet enim quiſpiam: eſto per Dei ſedem in hoc loco Apoc. 4.à Petro Damiano,& Bernardo beatiſſima Virgo intelligatur ; ab alijs tamen interpretibus,& numero pluribus,& auctoritate non imparibus in eum Apocalypſis locum ſedes Dei alijs modis explicatur.

S. *Thom.* *Dionyſ.*

Obiectio. *Petr. Dam.* *Bernard.* *Apoc. 4.* *Sedes Dei ex Sanctis variè ſumitur.*

Primò enim ſedes Dei ex Ambroſio,Andrea Cæſarienſi,Areta,& Anſelmo: ſunt Sãcti,in quibus tanquam in throno reſidet Deus. Secundò ex Ruperto in Apoc. c. 1. ſunt Angeli:ex Richardo,& Angeli,& Eccleſiæ Doctores, atque Paſtores. Tertiò ex Beda, Abbate Ioachimo,atque Ruperto,eſt Eccleſia triumphans,vel militans.Quartò denique ex Lyrano, & S.Antonino par.1. hiſtor.tit.16.cap.1.§.2.eſt auctoritas, & poteſtas Dei Eccleſiam regentis. Ad huius nodi explicationem conſtituendum eſt ex Auguſtino lib. 12.confeſſ.cap.18.& ſeq.quem S.Thom.1.par.q.1.art.10.ſequitur,nullum eſſe incõueniens, etiam ſecundum litteralem ſenſum in diuinis litteris plures eiuſdem litteræ eſſe ſenſus,propter Dei, qui auctor eſt ſacræ Scripturæ,infinitatem; qua omnia ſimul ſuo intellectu comprehendit. quare etiam ſi omnes illæ quatuor interpretum ſententiæ veræ eſſent;non propterea minus vera redderetur interpretatio illa,qua B.Virginem per thronum intelligi dicimus.Adhæc quamuis in hunc locum Apocalypſis non ita multi auctores per Dei thronum Virginem ſignificari dicant;nullus tamen id negat:& præterea innumeri ferè Patres doctrina,& auctoritate præſtantes,quos mox afferemus,Virginẽ ſanctiſſimam Dei thronum reuerenter appellant,ſiue cum de ea ſermonem faciũt,ſiue cum alios diuinarum litterarum locos,vbi throni diuini mentio fit,exponunt: quare eorum ſenſum,& interpretationem aptiſſimè huic etiam loco Apocalypſis accommodare licebit,præſertim cum firmis rationibus id ipſum aſtruatur. Accedit quod ſi Sancti, ſiue ſinguli per ſe ſe,ſiue omnes in vniuerſum,ſiue Doctores,& Paſtores, ſiue ipſi Angeli,ſiue Eccleſia ipſa,vt exiſtimant allati auctores,per hanc ſedem ſignificentur: hoc ipſum de beatiſſima Deipara multo magis affirmare neceſſe eſt,quę præ cæteris eſt sãctiſſima, vt cap.5.dicemus,& ex Theologorum doctrina,omnes prerogatiuas,quæ in cæteris Sãctis reperiuntur (modo ſexui non repugnent) ipſa in ſe vna complectitur ; præſertim cum in Eccleſia militanti dum viueret,& nunc poſt mortem in triumphanti, ſecundùm Chriſtum,primùm dignitatis locum obtineat.

Obiectioni Reſp. ſacræ ſcripturæ plures poſſe eſſe ſenſus litterales.

S. Virginem per Dei thronum Apoc. 4. potius quàm quidvis aliud exprimi.

§

Verùm ſi rem totam accuratius expendamus, quamquam non incongruè ea omnia, quibus ſedis Dei nomen ab Auctoribus illis tribuitur alijs in locis ſacrarum litterarum, ſaltem allegoricè per Dei ſedem ſignificari poſſint:hic tamen Apoc.4.aliquid aliud, nimirum B.Virginem adnotatam exiſtimamus.cùm enim Sancti,& Angeli,Doctores item, & Paſtores,Eccleſia quoque ipſa militans, & triumphans per alios typos in hac viſione commodius indicentur.Certè aliquid aliud per Dei ſedem accipi debere fatendum eſt; præſertim cum ſanctiſſimam Virginem in ea viſione,vt ſupra oſtendimus, prætermiſſam eſſe nulla ratione credibile ſit;neque quicquam ſit,quo ſubintelligi aptius poſſit. Sancti verò præcipui tum veteris, tum noui teſtamenti in viginti quatuor ſenioribus ſignificantur:

tur:quatuor Euangeliſtæ in quatuor animalibus;reliqua verò animarum ſanctarum multitudo in mari vitreo, vt benè docet Pererius in illum locum Apocal. & inter hos omnes ſunt reliqui Doctores,& Paſtores. Quod verò ad Angelos ſpectat,ſeptem quidem Angelorum principes per ſeptem lampades ardentes exprimuntur;reliqui autem Angeli cap.5.deſcribuntur ſub nomine multitudinis Angelorum,qui erant millia millium:neque vlla ratio vrget,cur iterum in eadē viſione ſub typo throni poni debuerint. Deinde licet Dei maieſtatem per Dei thronum alibi in ſacris litteris ſignificari vltro cōcedamus,in hoc tamē capite aliquid à Deo diſtinctum indicari exiſtimo. Cum enim hęc Dei ſedes cum quodam veluti apparatu,& emphaſi,quaſi aliquid peculiari animaduerſione dignum cōmemoretur, ſuper quam ſedere dicitur Deus; ſimiliter vigintiquatuor ſeniores,quatuor animalia,& reliqua,quæ ſedem ambiunt,quæ celebrant, ſeu aliqua ratione commendant,diligenter deſcribat S.Ioannes: hoc ſanè ſedis apparatu non tam poteſtatem,maieſtatemq; diuinam,quæ à Deo non diſtinguitur,quàm rem aliquam ab inſidente Deo ſeiunctam ſignificare voluit. quæ videtur ſententia Interpretum illorum, quos ſupra citauimus, variè Dei thronum in hoc loco accipientium, tanquam aliquid à Deo diuerſum; & ita Apoc. cap. 12. filius mulieris amictæ ſole,raptus ſcribitur ad Deum: & additur, *& ad thronum eius*, quaſi aliquid ab eo diuerſum,vt cap.31.dicemus plenius. Et Apoc.19.poſt voces cęlituum de dānatione Babilonis Deum collaudantium,*Et vox de throno exiuit dicēs:Laudem dicite Deo noſtro omnes ſerui eius,& qui timetis eum,puſilli,& magni*;qua oſtenditur thronus à cœlitibus, poſt quorum laudes loquitur,& ab illis omnibus ſeruis Dei puſillis,& magnis,quos inuitat ad Dei laudem diſtingui:imò etiam ab ipſo Deo,quem vox ipſa de throno prodiens appellat Deum noſtrū,præſertim quod Apoc.21.poſt vocem aliam de throno prodeūtem ſubijcitur ſtatim: *Et dixit,qui ſedebat in throno:* Ergo ſedēs in throno ab ipſo throno diſtinguitur.quare Thronus videtur fuiſſe creatura rationis particeps,quippè quæ loqui inducitur,Deo præ cæteris proxima:reliquis Angelis,& Sanctis,quos ad Deum laudandum excitat,ſuperior: & hæc aptiſſimè dicitur eſſe Deipara,vt docet Petrus Damianus ſerm.de Natiu.Virg.Hanc tamen rationem cap.33.plenius expendemus.Atque hæc de ſententijs eorum, qui aliter hūc locum ſunt interpretati.Reliquum eſt, vt probemus meritò hoc loco Deiparam per thronum Dei ſignificari. Cæterùm illud præmonendum videtur, quod ad ea omnia, quæ in toto hoc opere pertractabimus, conducit; licere in hac materia, vbi de ſanctiſſimæ Virginis prærogatiuis agitur,ex ſcripturæ locis etiam in ſenſu myſtico argumētum ducere. Quod etiam doctè animaduertit noſter Franciſcus Suarez tom.2.in 3.par.diſp.4.ſect.2.cum Eccleſia ipſa huiuſmodi ſcripturæ loca B.Virgini accommodet,& à Patribus,qui de Virgine ſcripſerunt, paſſim id fiat;vt videre eſt apud Sanctos Bernardum, Bonauenturam, Bernardinum Senenſem,Carthuſianum,Hugonem, & alios, qui in Cantica ſcripſerunt, quos habes apud noſtrum Martinum de Rio in Commentarijs in Cantica.

Pererius.

Apoc.12.

Cap. 31.

Apoc.19.

Cap. 33.

Ex ſcripturæ ſententijs etiam in ſenſu myſtico argumentari licet in hac materia.

Suarez. Bernard. Bonauent. Bernar. Senenſ. Carthuſ. Hugo. Mart. de Rio.

6 Quod igitur ſub typo diuinæ ſedis, vel throni beatiſſima Virgo ſubintelligatur; Primum argumentum ſit ex auctoritate SS.Patrum,qui de laudibus eiuſdem agentes inter alia præclara, illam Dei thronum appellant: etenim Deus ipſe in eius anima ab inſtanti immaculatæ Conceptionis perpetuò,ac perfectè reſedit per copioſiſſimam gratiam, cuius fuit,ēt ante filij incarnationem pleniſſima,teſte Angelo,qui eam,& gratia plenam,& inueniſſe gratiam apud Dominum aſſeruit:imò S.Bernardinus Senenſis tom.3.ſerm.11. art.2. cap.1. illud pſalmi 121. *Surge Domine in requiem tuam*, explicat de beatis iubilantibus,& Dominum exhortantibus obuiam ire ſuæ genitrici in aſſumptione,& ſic ait: *Vocant Beati Virginem glorioſam requiem Chriſti,non tantùm,quia in ea nouem menſibus requieuit;verùm etiam quia plus per quietum amorem requieuit in ea,quàm in tota alia creatura rationali: ſicut Eccleſ.24.ipſa B.Virgo teſtatur;& qui creauit me,requieuit in tabernaculo meo.* Ita S.Bernardinus. Cæterum præter hanc perfectiſſimam inhabitationem in eius anima per gratiam; in illius præterea vtero *ex caſtis* (inquit Damaſcenus) *& puriſſimis ſanguinibus eiuſdem Virginis ſibi ipſi carnem animatam anima rationali, & intellectuali conſtruxit*,atque nouem menſibus Chriſtus Dominus (*in quo*,Coloſſ.2. *complacuit omnem plenitudinem diuinitatis habitare corporaliter*) in eodem vtero permanſit,quem virgineo partu editum Deipara vbere de cœlo pleno lactauit, & infantem

B. Virginem thronum Dei appellari auctoritate Patrum probatur.

Bernar. Senenſ. Pſal. 131.

Eccleſ.24.

Damaſcen. lib. 3. de fide orthodoxa cap.2.

Coloſſ.1.

toties ipsa in sinu fouit, atque in vlnis gestauit, & ad hanc Virginis dignitatem declarãdam iam inde ab Apostolorum temporibus ipsa cum filio inter eius brachia residente depingi solet: quod à S. Luca Euangelista, & ab alijs consequenter factum, imagines Virginis ab ijsdem depictæ, quæ in Ecclesia religiosè asseruantur, perspicuè testantur. Hinc meritò SS. Patres eam, vt dixi, Dei thronum absolutè appellant, non tantum eo tempore, quo in terris Christum gestauit, sed etiam nunc ipsi in cœlo regnanti hoc nomen tribuendum docent, quod ex subiectis auctoritatibus perspicuum fiet.

PATRVM TESTIMONIA DEIPARAM Thronum Dei appellantium.

Offic. Eccl. in die Natiu. Deiparæ. IN primis Ecclesia in quadã Antiph. in die Nat. B. Virg. sic canit, *Natiuitatẽ hodiernã perpetuæ Virginis Genitricis Dei Mariæ solẽniter celebremus, qua celsitudo THRONI processit:* quasi diceret, qua natiuitate Virgo illa processit, quę est THRONVS celsissimus: vel processit celsitudo illa, quę est THRONVS: vel illa, quæ sũmũ est THRONI fastigiũ.

Quia significet illud, qua celsitudo throni processit.

In Litanijs Deiparæ, quæ Laureti decantari solent, *SEDES Sapientiæ* appellatur.

Litaniæ Laur. S. Iacobus. S. Iacob. Apost. in Liturgia, quã 6. Synodus vniuersalis can. 32. allegat. & habetur de consecratione dist. 1. cap. Iacobus, *Deus noster*, inquit, *tuum vterum THRONVM fecit.*

Methodius. Methodius orat. in hypapantem Domini, Virginem vocat SEDEM gloriosam, Deoq; dignam; quæ solis mentis oculis conspici possit.

Athanas. Metaphrast. Surius. S. Athanasius in serm. in descriptionem B. Mariæ, & S. Ioseph apud Metaphrastem, & refertur à Surio die 25. Decembris tom. 6. vbi S. Athanasius mysteria scrutatur loci, in quo Deipara Christum peperit, & inter alia sic ait: *Parua illa domus Ecclesiæ figuram continebat, præsepè verò altaris.* & mox: *Dominus*, inquit, *Iesus Pontificis formam in se gerebat, THRONVS autem Dei per Virginem Mariam figurabatur.* hæc ille.

Ephræm. Ephrẽ ser. de laud. Virg. eã salutãdo: *Aue*, inquit, *THRONE Creatoris mei gloriosissime.*

Epiphan. Epiphanius serm. de Laud Deip. *Deipara*, inquit, *etiam cœlorum virtutes in stuporem conuertit: Obstupuerunt omnes Angeli, Cherubim, ac Seraphim, & exhorrescebant: spectabant Virginem, Cœlum, & THRONVM, & formidabant dum conspicerent eum, qui principio caret, descendentem à throno Cherubico, IN VTERO VIRGINEO SEDERE.* & iterum: *Aue gratia plena, quæ thronum Cherubicum diuinitatis fulgore superas:* & iterum; *Stupendum*, inquit, *miraculũ in Cœlis ALTER THRONVS CHERVBICVS.* & rursum: *THRONVS*, inquit, *es diuinitatis, quæ coruscantem in Cœlo, & in terra solem habes Christum:* supra verò idem Epiphan. *Anna, gratia, interpretatur, & grauida effecta Cœlum, & THRONVM CHERVBICVM peperit sanctã puellam Mariam: illa enim reperietur esse Cœlum, templum, & THRONVS;* & iterum: Thronum cruciformẽ, & cęlestem eam vocat: *Dico*, inquit, *illum esse Cęlum, THRONVM SIMVL, & Crucem; extendens enim sanctas vlnas Dominã portauit THRONVS CHERVBICVS, cruciformis, & cœlestis.* sic Epiph.

B. Virgo vocatur thronus cherubicus.

Hieronym. Hieronymus lib. aduersus Heluidium, beatissimam Virginem non tantum filij Dei, qui in castis suis visceribus resedit, sed propter singularem, & copiosam præ omnibus puris creaturis gratiam, Dei templum, & Spiritus sancti SEDEM appellat.

Chrysost. sermo legitur in Eccl. Offic. die 12. Septembris. Chrysostomus in serm. de Virg. inter titulos, quibus sanctissimam Virginem salutat: *Aue*, inquit, *THRONVS.*

August. 7 Augustinus lib. de Assump. initio, *Sola*, inquit, *meruit Deum, & hominem paritura suscipere, facta THRONVS Dei, & aula Regis æterni: secundum quod nos docuisti per sanctos tuos Patriarchas, Prophetas, & Apostolos, figuris, & sermonibus, quibus credimus, & certi sumus, quia nunquam fefellisti, qui nec fallere, nec falli nouisti.* & infra de B. Virg. *THRONVM*, inquit, *Dei, thalamum Domini, domum, atque tabernaculum Christi, dignum est ibi esse, vbi ipse est.* ita Augustinus.

Ildefonsus. Ildefons. ser. 3. de Assump. de hac ipsa solẽnitate agens: *Hodie*, inquit, *audiuit illã vocẽ blandientis se se maiestatis, qua dicitur, Veni electa mea, et ponam super te thronum meum, quia concupiuit Rex speciem tuam; ad quam sanè vocem credimus, quod gaudens, & exultans soluta est beata illa anima, & perrexit ad Dñm, vbi facta est ipsa THRONVS, quæ fuerat in carne tẽplum diuinitatis.* Idẽ serm. 2. de Assump. *Thronus*, inquit, *beatissimæ Virginis præparatus ante mundi constitutionem in die Assumptionis celsior, glorificatur etiam ab Angelis: nec immeritò, quoniam, & ipsa facta est THRONVS DEI, & thalamus, in cu-*

ius

ius vtero veniens ſapientia Dei Patris, Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Heſych.

Heſych.hom.2.de laud.Virg. *Iure*, inquit, *omnis grati animi lingua ſalutat Virginẽ*, & poſt pauca: *Alius Dei THRONVM appellat, alius tẽplũ maius cęlo, alius CATHEDRAM non inferiorẽ Cathedra Cherubica, alij arcam, arca Noe latiorem, longiorem, & illuſtriorẽ.*

Andreas Cretenſis orat.2.de dorm.Virg. *THRONVM excelſum* eam appellat. Andr. Cret.

Damaſcenus orat.1.de dorm. *Tu*, inquit, *es SOLIVM illud Regium, cui aſtiterunt Angeli Dominum, & effectorem inſidentem cernentes.* & orat.1. de Natiu. manus Virginis Deum geſtantes, & genua vocat THRONVM Cherubinis ſublimiorem, quibus manus diſſolutæ, & genua debilia confortantur. Damaſc. Iſa. 6. Iſa. 35.

Bruno ſermone de Annuntiatione eam THRONVM Dei appellat. Bruno.

Georgius Nicomed.orat.de oblatio.Deip. THRONVM glorioſum vocat. Georg. Nicom.

Rupertus lib.5.in Cant.initio, illud *Ego dormio, & cor meum vigilat*, de Deipar. explicans, & ad eam ſermonem dirigens, *O eælum*, inquit, *Dei, vnica SEDES Domini.* Rupert.

Bernardus in ſerm.quodam de B.Maria, & habetur tom.2. ſuorum operum, *Ioannes*, inquit, *in Apocalypſi de THRONO ait, ſcilicet de MARIA, procedebant fulgura, & voces, & tonitrua; quia Mater filij Ieſu Chriſti parabolas, ænigmata legalia, mirifica geſta, dicta, opera auidius ebibit, fidelius credidit, ſyncerius, luculentiusq. alijs edidit.* hæc Bernardus. Bernard.

Bonauentura in ſpeculo B.Virg.cap.5. *Cœlum eſt*, inquit, *Maria, tum quia cœleſti puritate, cœleſti claritate, cœleſtibus alijs virtutibus abundauit: tum quia SEDES Dei altiſſima fuit, teſte Propheta, Dominus in cœlo parauit ſedem ſuam.* & cap.8. cum Virgine loquens: *Tu*, inquit, *es THRONVS ille indeficiens, THRONVS in æternum, THRONVS filij Dei, de quo Pater per Prophetam ait, THRONVS tuus ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum, & verè in æternum.* ita Bonauentura. Bonauent. Pſal. 102. Pſal. 88.

S.Bernardinus Senenſis tom.3.concio.ſerm.11.art.3.cap.1. citat illud pſalmi, quod Propheta in perſona Domini loquens dicit: *& Thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum, & teſtis in Cœlo fidelis: THRONVS ſiquidem Dei filij*, inquit ille, *Mater illius eſt, quæ in conſpectu eius ſicut ſol fulgens eſt, quantum ad gloriam animæ; & ſicut luna perfecta in æternum, quantum ad gloriam corporis ſine defectu: proinde gloriæ reſurrectionis fidelis eſt teſtis.* & artic.1.cap.2. citat pro Aſſumptione illud 2. Reg.3. quomodo iurauit Dominus Dauid, & vt eleuetur Thronus eius ſuper Iudam, & Ieruſalem. *THRONVS*, inquit, *iſte, in quo ſedit, & requieuit Dauid manu fortis, & vultu deſiderabilis Ieſus Dei filius, fuit Glorioſa Virgo Maria, quæ eleuata fuit ad altitudinẽ Regni, vt de ea dici poſſit, quod non ſolum dominatur à Dan vſque Berſabee, ſed dominatur à mari gratiæ, vſque ad mare gloriæ, & à flumine influxuum diuinorum, vſque ad terminos orbis terrarum ſuper omnem creaturam regnans.* ſic S. Bernardinus, & infra: *Hæc exaltatio Virginis præuiſa fuit Iſa.6. Vidi Dominum ſedentem ſuper SOLIVM, quia immobiliter requieuit ſuper Virginem glorioſam Mariam, excelſum quidem, & eleuatum ratione dignitatis latiſſimæ.* hucuſque S. Bernardinus. S.Bernardinus. Pſal.88. 2.Reg.3. Pſal.71. Iſa.6.

Atque hæc de multorum Patrum teſtimonijs, qui Deiparam Dei thronum abſolute prædicant: reliquum eſt, vt ex ſacris litteris ea proferamus, quibus Virgo beatiſſima per Dei thronum ex ſanctorum Patrum ſenſu ſignificatur.

DEIPARAM DEI THRONVM IN SACRIS LITTERIS ſæpè ſignificari.

8 ET primum quidem complures ex Patribus eam in celebri illo THRONO eburneo auro fuluo nimis conueſtito à ſapientiſſimo Salomone facto, figuratam dicunt; cãdor.n.ſoliditas, & pretium eboris B.Virginis puritatem; *qua*, vt ait Anſelmus, *maior ſub Deo nequit intelligi*; & virtutum eius ſoliditatem, ac priuilegiorũ inæſtimabile pretium: aurum verò fuluum nimis charitatis eius ardorem eximium oſtẽdebãt: quibus ipſa, velut præclara quædã ſedes veri Salomonis Chriſti Domini, qui eſt pax noſtra, tot admirabilibus inſignibus decorata eſt. cui quidem rectè illud de hoc Throno quadrat elogiũ: *Non eſt factum tale opus in vniuerſis Regnis.* Thronum hunc eburneum de *B.* Virgine explicãt Bonauentura in ſpec.B.Virg.cap.2. *Thronus*, inquit, *Salomonis eſt Maria; grandis omninò in gratia, & in gloria.* & Lyranus in expoſ.moral.3.Reg.10. & S.Antoninus 4.par.tit.15 cap.44. §.7. & Petrus Damianus egregium ſerm. de hoc throno Salomonis habuit in *Virgo in throno Salomonis eburneo ſignificatur.* 3.Reg.10. *Anſelm.lib.de Concept.Virg. cap.8.* 3.Reg.10. Bonauent. Lyran. S. Anton. Petr. Dam.

3 Reg. 10. Psal. 138. Psal. 44. Psal. 88. Apoc. 19.

Natiu. B. Virg. vbi illum Virgini eleganter accommodat, & subijcit: *Fecit*, inquit, *THRONVM, vterum videlicet intemeratæ Virginis, in quo SEDIT illa maiestas. Hanc sessionē filij, & probauit, & cognouit Pater, ipso dicente: Tu cognouisti sessionem meam, & thronus tuus Deus in seculum seculi. & Thronus iste sicut sol in conspectu tuo.* & post pauca: *Et vox de THRONO exiuit, dicens, Laudem dicite Deo nostro omnes sancti eius: & ex THRONO* inquit, *hoc est ex Virgine, laus Angelorum prorumpit, & hominū, quia dum hic restituitur,*

Apoc. 21.

ille resarcitur, vtrique gratiarum debent deuotionem. Nosti quidnam dicat, qui sedet in throno? Ecce noua facio omnia; felix THRONVS, in quo sedit Dominator Dominus, in quo,

Petr. Dam.

& per quem non solum omnes, sed omnia renouantur. Hactenus Petrus Damianus; Qui postea reliqua in throno illo à Salomone facta de Virgine luculenter exponit; & inter

3. Reg. 10.

alia, explicans quam grandis sit: *Quid*, inquit, *grandius Virgine Maria, quæ magnitudinem summæ diuinitatis intra sui ventris clausit arcanum? Attende Seraphim, & in illius superioris naturæ superuola dignitatem, & videbis quicquid maius est, minus Virgine; solumq. opificem opus istud supergredi.*

Virgo in solio excelso Isa. 6. figuratur.

9 Neq; solùm in throno illo Salomonis Dei matrem figuratam volunt Auctores grauissimi, sed crebrò etiam in Prophetis, vbi de solio, seu throno Dei habetur mentio significatam docent. Nam Isa. 6. per *SOLIVM excelsum, & eleuatum:* super quod Dominus ab Isaia sedere cōspicitur, B. Virginem intelligit S. Bernardinus loco citato: & ad hoc respiciens Damascenus orat. 2. de dorm. Virg. Virginem alloquens. *Tu*, inquit, *es SOLIVM illud regium, cui astiterunt Angeli, Dominum, & effectorem insidentem cernentes.* nisi malis Damascenum spectare ad thronum apud Danielem cap. 10. *Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Andreas Cretensis ad eundem Isaiæ locum respiciēs orat. 2. de dorm. B. Virg. eam *THRONVM excelsum* appellat. S. Bonauentura in spec. B. Virg. cap. 7. Domum illam, in cuius solio Dominus sedere visus est ab Isaia, vult esse B. Virginem, in cuius mentis solio Dominus requieuit; & exclamat Bonauentura, *O verè beatissimum, ò verè stabilissimum SOLIVM: Hoc solium excelsum est in intellectu, eleuatum in affectu; excelsum quoque inter homines, eleuatum super homines; excelsum est gratia, eleuatum in gloria. In SOLIO mentis Mariæ Dominus sedet, & domus corporis Mariæ plena erat maiestate eius.* hæc ex Bonauentura.

S. Bernard. Damasc.

Dan. 10.

Andr. Cret.

Isa. 6.

Bonauent.

Isa. 16.

Isaiæ etiam 16. habetur, *Præparabitur*, inquit, *in misericordia SOLIVM Agno dominatori terræ, & sedebit super illud in veritate.* Hoc solium diuinæ misericordiæ est B. Virgo, vt ait Bonauentura in spec. B. Virg. cap. 8. & Pelbartus de Temesuar in stellario virginis lib. 12. par. 2. art. 2. quomodo autem Dei misericordia per Virginem conferatur, plenius dicemus in cap. 16.

B. Virgo solium est in misericordia.

Bonauent. Pelbart. de Temesu. Cap. 16.

Illud etiam Ierem. 17. *SOLIVM gloriæ altitudinis à principio, locus sanctificationis nostræ, expectatio Israel Domine:* licet Lyranus Ierem. 17. de cœlo empyreo altissimo, vbi Deus se videndum exhibet sanctis; Glossa verò interlinearis Ierem. 14. & Lyranus ibidē de templo Salomonis. Augustinus etiam lib. 13. contra Faustum cap, 13. de Ecclesia, vt superiori capite dixi, intelligant. Galatinus tamen lib. 7. de arcanis catholicæ veritatis cap. 18. illa omnia de sanctissima Virgine ad litteram eleganter sic interpretatur. *Per SOlium*, inquit, *Gloriæ gloriosam Virginem Matrem Messiæ, intelligi arbitror, quæ cum sit in cœlesti gloria super omnes choros Angelicos exaltata, recte dicitur SOLIVM altitudinis, (idest sedes Dei altissimi, super quam diuina sedet maiestas) dicitur verò SOLIVM gloriæ, quia sicut sedes ornata, ac regio more parata, sedentis magnificentiam, ac maiestatem indicat: ita Deus in B. Virgine ostensurus erat gloriam suam, & claritatem; ipse enim Christus est lux vera, quæ illuminat omnem hominem. additur SOLIVM gloriæ à principio (idest ab initio immaculatæ Conceptionis, quæ fuit sine vlla labe peccati.)* hæc ex Galatino. Quòd autem de B. Virgine id intelligendum sit, probat non solum ex dictis, & præterea auctoritate cuiusdam Rabbi Hakados magnæ apud Hebræos auctoritatis, quē Hebræi honoris causa appellant Rabbi Hakadòs, idest magistrum nostrum sanctum, dicētis Matrem Messiæ esse SEDEM, quam Deus construxit, vt in ea sederet Rex Messias ad ostendendam omnibus mortalibus maiestatis suæ gloriam: sed etiam id confirmat Galatinus ex verbis illis: *expectatio Israel Domine*, quæ ibi proximè subnectuntur; vera enim

B. Virgo solium gloriæ. Lyran. Glos. interl. Lyran. August. Cap. 1 nu. 7. Galatin.

Rabbi Hakados.

Galatin. Ierem. 17.

expe-

expectatio Israel non erat nisi Messias, qui ex matre sua sanctissima proditurus erat.

10 Thronus quoque sapphirinus Ezech. 1. quid aliud quam B. Virginem præsignificabat? Sic enim legimus: *& super firmamentum quod erat imminens capiti eorum*, nimirũ quatuor animalium, *quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo THRONI, & super similitudinem THRONI similitudo quasi aspectus hominis desuper:* Per firmamẽtum enim plerique; Angelos: per Thronum verò sapphirinum aliqui, vt S. Antoninus 4. par. tit. 15. c. 44. §. 7. & Petrus Galatinus lib. 7. de arcanis cap. 18. B. Virginem super choros Angelorum euectam accipiunt. & S. Bonauentura in spec. B. Vir. cap. 11. *Ipsa*, inquit, *est THRONVS ILLE SAPPHIRINVS, qui, sicut in Ezech. legitur, super firmamentum Angelicum exaltatus est.* Dicitur autem B. Virgo similis sapphiro propter intemeratæ virginitatis gloriam, & omnimodam puritatem: tota enim erat cœlestis: Sapphirus enim ex Plinio lib. 37. cap. 9. cærulei, ideſt cœlestis coloris est, & aureis punctis collucet: Beatissima verò Virgo quidni cœlestis; quam sol vestit; stellę coronant; sub cuius pedibus luna ipsa subijcitur? In hoc verò sapphirino throno conspicitur quasi aspectus hominis, ideſt Christus Dominus ex Virgine conceptus, in cuius vtero nouem mensium spatio, tanquam in sede pretiosissima, resedit.

Ezech. 1. B. Virgo thronus sapphirinus Apoc. 4. S. Anton. Galatin. S. Bonau. Plin. Apoc. 12.

Apud Ezechielem præterea cap. 44. de porta orientali sic habetur, *Porta hæc clausa erit, non aperietur, & vir non transibit per eam; eritq. clausa Principi: Princeps ipse SEDEBIT in ea:* vel vt vertunt septuaginta, & legit Ambrosius de instit. Virg. cap. 6. *& erit clausa, quia Dux iste SEDEBIT in ea:* Porta ista orietalis clausa ex consensu Ecclesię, & Patrum ipsam sanctissimam Deiparã significat, in qua ex Ambros. lib. cit. c. 7. sedit Christus corporaliter, & ex qua exiuit; erat verò ad Orientem, quoniam verum lumen effudit, & genuit nobis Orientem; de quo Zacharias, *Ecce vir oriens nomen eius*, peperitq. solem iustitiæ. Idem Ambrosius cap. 8. *De Christo*, inquit, *dictum est ad Ecclesiam, Quoniã confortauit seras portarum tuarum, & suam portam confortare non potuit? sed confortauit profectò, & seruauit intactam, quam semel clausit sanctus, & verus, qui habet clauem Dauid, qui claudit, & nemo aperit.* hæc ex Ambrosio. Hieronymus verò in Apologia ad Pãmachium pro libris aduersus Iouinianum cap. 4. agens de B. Virgine: *Hæc est*, inquit, *Porta Orientalis, vt ait Ezechiel semper clausa, & lucida, operiens in se, vel ex se proferens sancta sanctorum, per quem sol iustitiæ, & Pontifex noster secundum ordinem Melchisedech ingreditur, & egreditur: quatenus enim clausa erat, eiusdem perpetuam virginitatem indicabat*, ita enim canit Ecclesia, & docet Hieronymus loco citato, & in Ezech. 44. Origenes hom. 2. ex varijs in Isa. tom. 3. Ambrosius locis citatis, Augustinus serm. 2. de Natiu. Dom. Chrysostomus orat. de Annunt. Epiphanius orat. de laud. Virg. Andreas Cretensis orat. 2. de dorm. & orat. de Annunt. Chrysippus homil. de Deipara. Damascenus lib. 4. de fide orthodoxa cap. 15. & orat. 1. de Natiu. Virg. & alij complures. Et licet per eam Princeps, ideſt Christus transierit: perpetuò tamen, etiam in ipso partu, fuit clausa: *ipse enim Christus*, vt eleganter ait Augustinus, *Virginis filius, & virginum sponsus, attulit matri fœcunditatem, sed non abstulit virginitatem;* imò causam perpetuæ virginitatis refert Propheta, iuxta septuaginta interpretum versionem citatam, *quia*, inquit, *Dux iste SEDEBIT in ea. Deũ enim* ex Bernardo, *huiusmodi decebat natiuitas, qua nõ nisi de Virgine nasceretur; talis congruebat, & virgini partus, vt non pareret nisi Deum:* in hac porta Orientali SEDERE dicitur à Propheta ipse Princeps: ergo in sanctissimæ Deiparę vtero virgineo, tanquam in throno magnificentissimo, sibiq; gratissimo resedit ipse Christus Princeps Regum terræ. Apoc. 1.

Ezech. 44. B. Virgo porta orientalis. Sapientiæ interpr. Ambros. Ambros. Ambros. Zacch. 6. Hieron. Ezech. 44. Origen. Ambros. Augus. Chrysost. Epiph. Andr. Cret. Chrysip. Damascen. Augustin. lib. 1. de fide ad Catechumenos c. 4. 70. Interpr. in Ezech. 44. Bern serm. 2. super missus est, & serm 4. de Assumpt. Apoc. 1.

11 Daniel 3. tres pueri in fornace quasi ex vno ore Deum collaudantes in hymno inter alia sic Domino concinebant: *Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ, & superlaudabilis, & superglorioſus in sæcula; Benedictus es in THRONO Regni tui, & superlaudabilis, & superexaltatus in sæcula.* Lyranus in hunc locum, illud: *Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ*, explicat de humanitate sanctissima Christi, in quo ex Apostolo Colos. 2. *inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*; illud verò *Benedictus es in THRONO Regni tui; hoc est*, inquit Lyranus, *in Virgine, quæ speciali modo coniuncta est Deo ratione maternitatis, & dicitur propriè ipsius THRONVS, quia in gremio eius sedit quando recepit munera à Regibus Matth.* 2. sic ille.

Dan. 3. B. Virgo Thronus Regni Dei. Lyran. Coloss. 2. Matth. 2.

Psal. 32. 70. Interpr. B. Virgo firmissimam solium. Hieron. Genebr. Felix. Sanctes Pagn. Hugo Cardin.

Psal. 32. vbi in vulgata ex septuaginta legimus, *de præparato habitaculo suo respexit super omnes, qui habitant terram.* S. Hieronymus ex hebræo vertit: *De firmissimo SOLIO suo prospexit:* ita etiam Genebrardus, & Felix, ac Sanctes Pagninus *de habitaculo SESSIONIS suæ.* Hoc autem habitaculum, quod ex hebræo dicitur solium, explicans Hugo Cardinalis inter alias significationes interpretatur de B. Virgine, quàm dicit Deum præ alijs parasse ad habitandum; de qua respexit super omnes, qui habitant terram, ideſt super omnes peccatores.

Sap. 18. B. Virgo dicitur regalis sedes.

I 2 Porrò illa Sapientiæ verba cap. 18. *Cum,* inquit, *quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de Cœlo à regalibus SEDIBVS, durus debellator in mediam exterminij terram prosiliuit:* hæc (inquam) Sapientiæ verba, quę Lyranus, & Ianſenius ad litteram intelligunt de præcepto, quo Aegyptiorum primogenita vniuersa sunt interfecta in exitu Israel de Aegypto; Ecclesia tamen in missa, & in officio ecclesiastico in festis natalitijs Domini, ad Christi natiuitatem, quæ circa noctis medium contigit, refert; in quo sensu omnipotens sermo Dei, ideſt Christus Dominus Verbum Patris, caro factum de Virginis vtero aduenit: licet enim filius Dei dicatur, non tantum Verbum, sed etiam sermo, vt docet Augustinus in Ioan. 17. tract. 108. in illa verba: *Sermo tuus veritas est.* & Cyprianus lib. 2. contra Iudæos cap. 5. & alij: tamen sermo valde accommodatè dicitur de Verbo incarnato; tum quia sermo apud nos solet dici ipsum verbum vocale, nimirum verbum mentis voce cõueſtitum, & expressum; tum quia videtur significare orationem ex pluribus vocibus compositam, ita Christus Dominus meritò Dei sermo appellatur; est enim verbum Patris nostra humanitate vestitum ex duabus constans naturis. Cum autem dæmon fortis armatus custodiret atrium suum, & in alto silentio, ac pace essent omnia, quæ possidebat, cumq; densissimæ peccatorum, & præsertim idololatriæ tenebræ vniuersum orbem terrarum (si vix vnum Iudææ angulum excipias) occupassent; ipse Christus, omnipotens sermo Dei, media iam nocte, (vt veritas figuræ responderet) natus est de sacratissima Virgine, quam meritò cœlum, vt cap. seq. dicemus, & de eius vtero virgineo, quem *REGALES SEDES* Sapiens vocat, & ad profligandas aereas potestates, ac diripienda vasa fortis, fortior ipse, & durus debellator prosiliuit: de Christo enim recens nato, vt cap. 23. pluribus ostendemus, intelligitur illud Isa. 8. *Voca nomen eius accelera, spolia detrahere, festina prædari, quia antequam sciat puer vocare Patrem suum, & matrem, auferetur fortitudo Damasci:* & illud Isa. 11. *Et delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis:* idem quoque de Christo infante prædixit Sibylla Cumæa apud Virgilium Egloga 4.

Christus sermo Patris dicitur. Luc. 11. Luc. 11. Christus adhuc infans dæmonis regnum eruit. Isa. 8. Isa. 11. Siby. Cum. Virg. Eglo. 4.

At tibi prima puer nullo munuscula cultu, &c.

Et infra.

Occidet, & serpens, & fallax herba veneni
Occidet, Assyrium vulgo nascetur amomum.

Hoc autem de Christo oraculum ex Sibylla Cumæa esse desumptum, dixit Constantinus in orat. ad sanctum Cetum cap. 20. apud Eusebium, & probat Augustinus lib. 5. de ciuit. cap. 27. ex illo eiusdem Eglogæ.

Augusti. Offic. Eccl.

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.

Huius enim sanctissimæ *Virginis partus,* vt canit Ecclesia, *extitit salutis exordium.* Et interfectio primogenitorum Aegypti, in qua liberati sunt filij Israel de ergastulo Aegyptiorum, figura fuit liberationis nostræ ex dura dæmonis seruitute in Christi aduẽtu perficiendæ; ideo illud Sap. 18. ad vtrumque significandum meritò referri potest.

Deipara vocatur excelsus thronus.

I 3 Ecclesia quoque Deiparam Thronum Dei excelsum eleganter appellare videtur in Dominica infra octauam festi Epiphaniæ, cum Magi stella duce intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius, hoc est in eius vlnis, tanquam in preclarissimo Throno residentem: eo. n. die Ecclesia missæ introitum sic auspicatur: *In excelso THRONO vidi sedere virum, quem adorat multitudo Angelorum psallentes in vnum.* Per hunc verò thronum excelsum satis patet Deiparam accipiendam esse, in cuius sinu Magi, nomine Ecclesiæ, Christum qui ab Angelis adoratur, & viderunt; & ipsi pariter adorarunt. Postquam enim Verbum caro factum est, Angeli iugiter adorant virum, hoc est Christum, qui Deus est, & homo; quem cum primum carnem susçepit, omnes iussi fuerãt adorare;

Exponitur introitus missæ in Dominica infra oct. Epiph.

rare;teſte Apoſtolo ad Hebr.1. *Et cum iterum,*inquit,*introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei*. Quod cernens Eccleſia in plenitudine temporum impletum,tanquam rem quandam nouam, diuq; cunctis gentibus deſideratam,tota lætabunda in dicto miſſæ introitu in hanc exultationis vocem prorumpit, eaq; de cauſa omnes ad Dei laudem,& obſequium excitat verſiculo illo pſal.99. qui ibi ſubnectitur: *Iubilate Deo omnis terra, ſeruite Domino in lætitia*. Quin etiam hac voce *Viri* Chriſtus à Magis adoratus non tantùm verus homo aſſeritur,verùm etiam in ea ætate, quamuis infans,& in matris gremio reclinatus, Vir tamẽ fuiſſe omni ſapientia,& gratiæ plenitudine perfectiſſimus,prædicatur,iuxta illud de Chriſti conceptione Ierem.31.*Fœmina circundabit virum:* Quod autem thronus ille ſit Deipara,illud argumento eſt;quia Eccleſia virum hunc in excelſo throno ab Angelis adoratum, non aliter his Epiphaniæ diebus eſt conſpicata,quam per Reges Magos;Magi verò non alibi,quam inter brachia matris, cum qua puerum inuenerunt, quæque, vt ſupra dixi,ab Eccleſia *celſitudo throni* dicitur;& celſiſſimus Dei thronus,iam tum fuiſſe cap.5.& 6. à nobis oſtendetur.Quibus conſonat verſiculus ille pſal.95.ex verſione,qua vtitur Pſalterium Romanum:*Adorate Dominum in aula ſancta eius;* quem verſiculũ Eccleſia in Officio Epiphaniæ toties vſurpat; quam enim ibi *excelſum thronum;* hic *Aulam Dei ſanctam* nominat. inuitat enim nos, vt cum ſanctis Magis Dominum adoremus in matris ſinu, quam Dauid appoſitiſſima metaphora,propter eius dignitatis amplitudinem,ac ſanctimoniam, *Aulam ſanctam Dei* vocat. quare Eccleſia à Dauid edocta in quadam ſolemni precatione,ſic ait: *Deus qui virginalem aulam B.Mariæ Virginis,in qua habitares,eligere dignatus es:* & SS. Patres Ambroſius,Auguſtinus,& alij, quos cap.ſeq. afferemus,Dei genitricem aulam Dei appellare conſueuerunt. Quod autem Eccleſia verba illa: *In excelſo THRONO vidi ſedere virum:* de Magis,qui Chriſtum in matris gremio viderunt,intelligat;ex eo colligitur: tum quia hoc myſterium per eos dies ab Eccleſia recolitur; tum etiam,quia Eccleſia agere videtur de celebri Chriſti apparitione,& adoratione, quæ ſanè per Magos eſt illi delata. *In Magis namq.* inquit Leo ſerm.2.de Epiph.*vocationis noſtræ,fideiq. primitias agnoſcimus, & quem in feſtiuitate Natiuitatis Virgo peperit,in feſtiuitate eius declarationis mundus agnouit.* ita ſanctus Leo: quo circa, & ipſum Epiphaniæ nomen ab apparitione eſt inditum.Neque enim Eccleſia verba hæc de paſtorum adoratione pronunciat,qui eum inter duo animalia inuenerunt poſitum in præſepio,throno minimè excelſo,quin etiam adeo humili,& diuerſo ab eo,in quo eius gloriam,vt ait Ioannes cap.12. inter Seraphim olim conſpexerat Iſa.in cap.6. ſuæ prophetiæ, vt Abacuch id ipſum ſpiritu prænoſcens in ſtuporem,pauoremq; adductus exclamarit, iuxta verſionem ſeptuaginta,quam Eccleſia de myſterio præſepij,vbi à Paſtoribus eſt inuentus, legit: *Domine,* inquit,*audiui auditum tuum,& timui; conſideraui opera tua,& expaui.In medio duorum animalium innoteſces?* quo circa non ab re aliqui meditantur Chriſtum Dominum, qui in die Natiuitatis paſtores *Iudeorum primitias,* (ſic enim eos vocat Fulgentius ſerm.3. de Epiphania) Sinagogæ nomine ad eum venientes quaſi familiariter, ac domeſticè in cunabulis præſepij iacens admiſerat, in die tamen Epiphaniæ Magos gentium primitias veluti ſolennes earum legatos quodammodo honorificentius excipere voluiſſe; quippe qui throno omnium, quos ſiue in cœlis, ſiue in terris habebat, magnificentiſſimo inſidens,inter brachia nimirum matris,ſe eis adorandum exhibuit. Et hoc quidem complures Patres expreſsè teſtantur,Ambroſ.ſerm.1.de Epiphania, *Mater,*inquit,*partui molli blanditur gremio, eum adorandum Magis ingerit.* Chryſoſtomus homil.8.in Matth. *Inuenerunt,*inquit,*Magi puerum cum Maria,quæ eum in ſuo gremio collocauit.* his aſtipulatus Hilar.Arelatenſ.homil.1.de Epiphania,Euſebius Emiſſenus in cap.2.Matth. *Puer,* inquit,*in ſinu matris erat,* & Euthymius in Matth.2. *Quando,*inquit,*ingreſſi ſunt Magi, Virgo Chriſtum ſuper genua habebat*.

Hebr.1. *Agg.2.* Pſal.99. Ierem.31. Matth.1. In officio Natiuitatis B.Virg. Pſal.95. Officium Eccleſiaſticum. Ambroſ. Auguſt. Leo. Luc.2. Ioan.12. Iſa.6. Abacuch 3. In officio in die Circumciſionis. Fulgentius. Ambroſ. Chryſoſt. Hilar. Arel. Euſeb. Emiſſ. Euthym.

Ex quibus omnibus liquido apparet Deiparam thronum Dei ab Eccleſia, & Patribus appellari,& per Dei thronum in ſacris litteris aptè ſignificari.

SE-

SECVNDVM ARGVMENTVM,

QVAE THRONI DEI NOMINE INTERdum censentur, Beatissimæ Virgini Deiparæ peculiari ratione tribui. Cap. III.

SVMMARIVM.

Deipara est Cœlum num. 1.
Quomodo figuretur per columnam nubis num. 5.

Secunda ratio, quæ Virgi throni Dei nomen conuenire probatur.

I SECVNDVM argumentum, quo probamus per thronum Dei beatissimam Virginem significari illud est; quod eorum nomen, quibus throni Dei interdum tribuitur appellatio, B. Virgini singulari ratione conueniat; vt per antonomasiam thronus Dei appellanda videatur; quod in hoc capite sic demonstrare conabimur. Sedes Dei, vt cap. 1. dicebamus, appellatur interdum cœlum: Angeli quoque sancti, iustorum animæ, & Ecclesia ipsa Dei thronus vocatur: columna item nubis diuinæ Sapientiæ thronus dicitur: sed B. Virgo, vel ijsdem nominibus in diuinis oraculis, & à sanctis Patribus appellatur, vel eminentiori modo ea continet, ob quæ hæc omnia sedes Dei dicuntur. quod si diuina maiestas interdum throni Dei nomine significatur, profecto inter puras creaturas in Deipara maiestas Dei potissimum relucet: ergo ipsa singulariter præ omnibus est thronus Dei.

DEIPARA SIGNIFICATVR PER COELVM.

B. Virgo dicitur Cœlum.

IN primis ipsa Virgo sanctissima sæpe dicitur à Sanctis, Cœlum, propter suam eximiã celsitudinem, claritatem, firmitatem, incorruptionem, amplitudinem, puritatem, propter suam cœlestem in terris conuersationem, & supra reliqua, præstantiam; & quia Christum solem iustitiæ nobis detulit. Simul etiam quia veluti cœlum in hæc inferiora, multa in nos bona suis precibus, & meritis influit, atque impetrat: quin etiam instar cœli mentem habuit omnibus diuitiarum, honorum, & delitiarum cupiditatibus superiorẽ: hæc enim sunt, quæ in mortalium animis veluti terreni vapores, & exhalationes in inferiori regione ventos, ac perturbationum procellas gignunt; ad cœlestem tamen regionem minimè pertingunt. S. Iacobus Apostolus in sua liturgia ad Deiparam: *Tuum*, inquit, *vterum thronum fecit, & tuum ventrem latiorem, & ampliorem cœlis reddidit.* Et idcirco Bernardus serm. 3. super *Salue Regina*, Virginem per firmamentum diuidẽs aquas ab aquis, quod Genes. 1. initio creasse scribitur Deus, significatam ostendit his verbis: *Et opera manuum eius annunciat firmamentum; Fiat*, inquit, *firmamentum, & diuidat aquas ab aquis. Omnibus firmamentis firmius firmamentum tu Domina; quæ eum, quem cœli capere non poterant, cepisti, & concepisti; portasti, & non defecisti; genuisti, aluisti, pauisti, mammasti, & educasti. Tu in medio aquarum diuisisti aquas ab aquis, affectus videlicet æternorum ab affectibus temporalium. Posuit Deus in hoc firmamento solem, & lunam, Christum, & Ecclesiam, & stellas, prærogatiuas gratiarum multas.* sic Bernardus. & Epiphanius serm. de laud. Deipar. cum dixisset vterum Virginis esse cœlum septem circulis constans, illisq; capaciorem, ita subijcit: *Dico*, inquit, *illam esse cœlum, thronum simul, & crucem, extendens enim sanctas vlnas Christum portauit.* & infra: *Gabriel salutat Virginem, Aue gratia plena; quæ est splendidum cœlum, quæ habet radium de cœlo lucidis facibus coruscantem, vtpote solem Christum.* hæc Epiphanius. S. Athanasius sermone in descriptionem sanctissimæ Mariæ, & S. Ioseph apud Metaphrastem, & habetur in Surio tom. 6. die 25. Decembris, loquens de virginitate Deiparæ post partum: *Non coinquinatum fuit*, inquit, *secundum illud Cœlum, neque commaculatum vas Mariæ Dei capax effectum.*

S. Iacobus.

Bernard. Virgo Deipara per firmamentũ significatur. Gen. 1. Psal. 18.

Epiphan.

S. Athanas. Surius.

ctum. Methodius oratione in hypapantem, Deiparam vocat *eius, qui loco comprehendi non poteſt, cœlum verè comprehenſibile*. Chryſoſtomus ſerm. de Annunt. B. Virg. inducit Deum mittentem Gabrielem ad Deiparam his verbis: *Vade*, inquit, *ad alterum COELVM, quod eſt in terra*. & in alio ſermone de B. Virgine, illam in hunc modum ſalutat: *Aue Cœlum*. Proclus Epiſcopus Conſtant. de Deipara: *Hæc*, inquit, *Ancilla, & Mater, Virgo, & Cœlum*. Auguſtinus ſerm. 18. de Sanctis: *Quid*, inquit, *dicam? ſi Cœlum te vocem, altior es; ſi Dominam Angelorum, per omnia te eſſe probaris*. Heſychius hom. 2. de B. Virg. loquens cum Chriſto: *Si tu*, inquit, *es gemma, meritò illa eſt arca; & quia ſol exiſtis, neceſſariò Virgo vocabitur cœlum*. ita Heſychius.

Methodius.

Chryſ. ſerm. legitur in officio eccleſiaſtico die 12. ſeptembr.

Proclus.

Auguſt.

Heſych.

2 Andreas Cretenſis oratione in Annuntiationem Virginis: *Salue*, inquit, *Cœlum, ſolis gloriæ cœleſte tabernaculum*: imò vocat eam domicilium Cœlo præſtantius. Damaſcenus orat. 1. de Natiu. *Hodie*, inquit, *ex terrena natiuitate cœlum Deus condidit, cœlo illo longè diuinius: nam qui in illo ſolem effecerat, ex hoc iuſtitiæ ſol ortus eſt*. & orat. 2. de Natiu. agens de Virgine: *Cuius*, inquit, *venter cœlum eſt*. & orat. 2. de dorm. *Virgo immaculata cum eſſet animatum cœlum, in cœleſtibus tabernaculis collocatur*. Rupertus lib. 5. in Cantica initio, vocat eam: *Cœlum Dei, veram ſedem Domini*. S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 4. §. 2. docet appellari firmamentum, & cap. 22. §. 9. explicat illud Iſa. 66. *Cœlum mihi ſedes eſt, & terra ſcabellum pedum meorum: Cœlum*, inquit, *eſt Virgo quoad animam totam cœleſtem, plenam claritate, & ſyderibus virtutum, in qua propter maximam eius puritatem requieuit Deus, & in corpore eius terreno humili, & fructifero, tanquam in ſcabello ſteterunt pedes eius; ideſt humanitas Chriſti in ventre eius aſſumpta, ibi & ſol maximus ſol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter; & quem cœli capere non poterant, ſuo gremio contulit*. ita S. Antoninus. Bonauentura in ſpeculo B. Virg. cap. 5. *Cœlum*, inquit, *eſt Maria; tum quia cœleſti puritate, cœleſti claritate, cœleſtibus alijs virtutibus abundauit; tum quia ſedes Dei altiſſima fuit, teſte Propheta; qui dicit, Dominus in cœlo parauit ſedem ſuã*. hæc Bonauentura. Idem confirmatur ex ijs Patribus, qui dicunt vterum Virginis cœlo capaciorem; quos cap. 13. afferemus, vbi de ſupernaturali capacitate Virginis ad excipiendum Deum agemus. Apoſtolus verò 1. Cor. 15. quodammodo eam cœlum appellare videtur, cum primum hominem dicit de terra terrenum, ſecũdum autem, ideſt Chriſtum, de cœlo cęleſtem; quem Galat. 4. dixit factum ex muliere: ergo mulier hæc, ex qua formatus eſt ſecundus homo cœleſtis, myſticum quoddam eſt cœlum. quamuis non ignorem Apoſtolum in ſenſu litterali Chriſtum appellare cœleſtem ratione Verbi, quod de cœlo deſcendens, humanæ naturæ in vtero Virginis Deiparæ eſt vnitum. Ad hæc Sapientiæ 18. Deipara non obſcure cœlum eſſe indicatur illis verbis: *Cum quietum ſilentium continerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus de cœlo à regalibus ſedibus, durus debellator in mediam exterminij terram proſiliuit*; quod de Chriſti quoque natiuitate intelligi poſſe diximus capite ſuperiori; ac proinde quemadmodum vterus Virginis regales ſedes; ita ipſa Deipara cœlum ibi nominatur. Quo circa Ambroſius de Inſtit. Virg. cap. 5. *Iſaias*, inquit, *exultans dicit, Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, quod eſt interpretatum, Nobiſcum Deus: vnde hoc munus? non de terra vtique, ſed de cœlo vas ſibi hoc, per quod deſcenderet Chriſtus elegit, & ſacrauit templum pudoris*. Ita Ambroſius de Virgine, quam vocat cœlum. Et ſanè ſicuti cœlum ſole, luna, & aſtris, quæ cunctis ſunt conſpicua, ornatur; illud tamen cœli dignitatem magis commendat, quia Deus, quamuis vbiq; locorum ſit; peculiari tamen ratione in cœlis eſſe dicitur; vt propterea Chriſtus nos ſic orare docuerit, *Pater noſter, qui es in cœlis*. Ita tot inter ornamenta, Deiparam nihil æquè decorat, atque ipſum Deum in ſe concepiſſe, & habuiſſe; Propterea mulier illa Apocaly. 12. (quę Deiparam in ſenſu ſaltem allegorico ſignificat, vt cap. 31. dicemus) apparuit veluti ſignum magnum in cœlo; ad cuius ornatum ſol, quo amicitur; & luna, quam calcat; & ſtellæ, quæ eam coronant, certatim concurrere videntur: id tamen quod eam in primis commendat, & quod in ea erat præcipuum, nimirum Deum in ſe concepiſſe, & hoc non ex virili opera, ſed virtute Spiritus ſancti, tanquam quid ineffabile, periphraſi illa, *habentis in vtero*, exprimitur; ſic enim legimus: *Signum magnum apparuit in Cœlo, mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim, & in vtero habens.*

Andr. Cret.

Damaſc.

Rupert.

S. Anton.

Quod Virgo cœlu ſit ſedes Dei, & ſimul etiam ſcabellum pedũ eius.

Bonauent.

Apoſtolus Virginem cœlum eſſe iudicat.

Cap. 13.

1. Cor. 15.

Galat. 4.

Sap. 18.

Cap. 2. nu. 12.

Ambroſ. Iſa. 7.

Apoc. 12.

Cap 31. num. 1. & 2.

bens. hæc ibi: sic enim illud *(habens in vtero)* ponderat S. Bernardinus Senensis tom. 3. serm. 1. de nomine glorioso Mariæ art. 1. cap. 3. Quod ipsum indicari videtur cant. 4. cum dicitur: *Quàm pulchra es amica mea, oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet:* filius enim, qui intrinsecus in vtero latuit, pulcherrimam reddidit B. Virginem: ex hoc enim vera Dei genitrix est effecta, quæ est dignitas quædam infinita, quemadmodum cap. 5. dicemus. Quare Damascen. orat. 1. de Natiuitate: *Hæc fœmina,* inquit, *summo Regi Deo tanquam fimbrijs aureis circumamictam virtutum elegantiam offert Spiritus sancti gratia coronatam, cuius gloria ab intus: Dei enim genitricis gloria interna est, nimirum fructus ventris.* sic ille. Illud porrò quod sequitur: *Clamabat parturiens, & cruciabatur, vt pariat,* in sensu tantum mystico aptatur Deiparæ; significat enim antiquorum Patrum, & ipsius Virginis, antequam Christum conciperet, vehemens desiderium, quo Dominicæ Incarnationis desiderio flagrabant, illamq; summis animi clamoribus à Deo efflagitabant: ideo enim Christus Agg. 2. dicitur, *desideratus cunctis gentibus,* & Genes. 49. *Desiderium collium æternorum:* si enim de Christi natiuitate in sensu historico loquamur, Virgo sanctissima quemadmodum absque carnis voluptate Christum concepit, ita absque vllo dolore illum peperit, iuxta illud Isa. 66. *Antequam parturiret peperit.* quod Isaiæ testimonium ad hoc confirmandum affert Damascenus lib. 4. de fide cap. 15.

Cant. 4.
Cap. 5. Damasceu.
Psal. 44.
Agg. 2.
Gen. 49.
Deipara sine dolore peperit.
Isa. 66.

3 Præterea si Angeli, in quibus Deus requieuit, propter naturæ præstantiam, & peculiariter throni, qui sunt tertius ordo supremæ hierarchiæ, propter similitudinem, vt diximus, ad materiales sedes: & Cherubim propter scientiæ, qua præditi sunt, plenitudinem (sic enim eorum nomen interpretari licet) sedes dicuntur Dei: Quantò magis hoc nomine præ illis appellabitur Deipara, quæ omnibus Angelis puritate præcellit, quæ, vt dicunt, S. Iacobus, & S. Chrysostomus in liturgia: *Et honoratior Cherubim, & glorioſior incomparabiliter est Seraphim,* in qua Deus præstantissimo modo, non in anima tantum, sed in vtero etiam singulariter requieuit, in qua, vt in sequentibus videbimus, excellentiori quadam ratione Thronorum Angelicorum proprietates inuenire licet, quę sapientiæ, & scientiæ plenitudine omnibus Cherubim antecellit. Quo circa Bernardus de Virginis cœlesti super omnes Sapientia serm. in Apoc. 12. *Iure,* inquit, *Maria sole perhibetur amicta, quæ profundissimam diuinæ Sapientiæ, vltra quam credi valeat, penetrauit abyssum; vt quantum sine personali vnione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa.* & ab Epiphanio, & Hesychio locis citatis vocatur: *alter thronus Cherubicus.* & à Damasceno orat. 1. de Natiu. *Thronus Cherubinis sublimior.* & Epiphanius serm. de laud. Virg. Angelos conferens cum Virgine respectu Christi illos vocat scabellum pedum Christi: *Exercitus,* inquit, *qui sunt scabellum pedum Christi procidentes, nec contingere possunt; hæc verò labra labris coniungens incomprehensum salutabat.* sic ille. S. Augustinus serm. 14. de Natiu. *Dixit,* inquit, *Angelus Mariæ, Dominus tecum, plusquam mecum: ita est Dominus tecum, vt sit in corde tuo, sit in vtero tuo, adimpleat mẽtem tuam, adimpleat carnem tuam.* Cæterum de sanctissimæ Virginis cum Christo familiaritate, qua Angelos longè superat, vberius agemus cap. 8.

B. Virginem magis quam Angelos Throni Dei nomen congruit.
S. Iacob. S. Chrysost.
Bernard.
Epiphan. Hesych. Damasc. Epiphan.
August.
Cap. 8.

4 Quod si anima iusti sedes Dei dicitur Sapientiæ 7. Patres item Ecclesiæ, & Doctores à Richardo sedis Dei nomine significari dicuntur; quantò magis Deipara sanctissima per Dei sedem intelligenda est, quæ inter iustos principem apud Christum obtinet locum? & propterea Ildefonsus serm. 2. de Assumpt. probare volens Deiparã esse thronum Dei: *Si enim,* inquit, *anima cuiuslibet iusti sedes est Sapiẽtiæ, teste scriptura, multò magis huius beatissimæ Virginis anima, quam Spiritus sanctus sic impleuit, etiam ante Conceptionis horam, vt salutaretur ab Angelo, Aue Maria gratia plena, quam postea filius Dei sic repleuit, sicq. possedit, vt in ea Verbum caro fieret.* De qua Anselmus in inuocatione Matris Virginis: *Sancta,* inquit, *& inter sanctos post Deum singulariter sancta.* Si ergo Sancti thronus Dei dicuntur, ipsa verò est singulariter Sancta, singulariter quoque erit thronus Dei. quare Petrus Damianus serm. de Assumpt. *Sanctam sanctarum* vocat. & Andreas Cretensis de dorm. Virg. *O sancta,* inquit, *& sanctis sanctior, & omnis sanctitatis sanctissime thesaure.* Damascenus orat. 2. de dorm. *Cernere,* inquit, *mihi videor hanc sanctis sanctiorem, & sacris sacratiorem, pijsq. pietate præstantiorem, &c.* Bernardus serm. de aquæ-

B. Virgo magis q uàm anima iusta thronus Dei vocupari debet.
Ildefons.
Anselm.
Petr. Dam.
Andr. Cret.
Damasc.
Bernard.

ductu,

ductu, vt probaret magnam vim, & efficacitatem precum Virginis, citat illud: *Oratio iusti penetrat cœlos*, & subdit: *Et quis iustus si non Maria iusta, de qua sol iustitiæ ortus est nobis?* S. Bernardinus tom. 3. serm. 11. art. 3. cap. 1. *Sicut*, inquit, *filius Mariæ est sanctus sanctorum; ita constat quòd Mater, quæ ipsum portauit, est sancta sanctarum, in qua erat ille pretiosus thesaurus, tabernaculum Dei, thronus Dei, atque thalamus Dei.* hæc S. Bernardinus. Et quoniam de sanctis virginibus, necnon interdum de alijs sanctis mulieribus illud peculiariter canit Ecclesia ex persona Christi: *Veni electa mea, & ponam in te thronum meum.* S. Ildefonsus serm. 3. de Assumpt. eadem verba B. Virgini à Deo dicta existimat in eius Assumptione. Et sanè potiori iure id dici potest Deiparæ, quæ Virgo est virginum, & virginitatis primiceria, quod fusè ostendemus cap. 32. & inter sanctas mulieres mulier per antonomasiam quandam dicitur Genes. 3. & mulier fortis Prou. 31. & à Christo mulier sæpè est compellata. Accedit eodem quòd omnia omnibus sanctis concessa dona; id quod cap. 5. ostendemus (modo sexui non repugnent) præstantissimo modo reperiuntur in Deipara, tum propter eius singularem dignitatem, qua est Dei genitrix: tum etiam propter similem quodammodo rationem, qua S. Thom. 1. par. q. 108. art. 5. docet, superiores Angelos per excessum continere inferiorum perfectiones. ergo etiam ipsa Deipara excellentius, quàm alij Sancti thronus Dei appellabitur. Iam verò si Ecclesia sedis Dei nomine insignitur, quidni beatissima Virgo sic appelletur, quæ olim in Ecclesia militante, & nunc in triumphante secundùm Christum præstantissimum est Ecclesiæ membrum, & summum in cœlis præ Angelis, & Sanctis adepta est locum? Quare honorificentissima illa, quæ in Canticis de Christi sponsa, hoc est Ecclesia, dicuntur elogia, beatissimæ quoque Virgini congruere, tanquam sponsæ, præ cæteris Christo dilectissimæ, non tantum per accommodationem; sed etiam in sensu aliquo à Spiritu sancto intento, docet Andreas Cretensis orat. 2. de dorm. Virg. *Te*, inquit, *Canticorum liber prædescribens, mysticè significauit.* Idem quoque tradunt omnes ferè, qui Cantica interpretantur; præsertim Honorius Augustudon, qui circa annum 1120. claruit; in libro, quē inscripsit, Sigillum Mariæ, Gulielmus Parisiensis in Comment. Cant. Rupertus Tuitiensis in Cant. & lib. 7. de gloria Trinitatis, & processione sancti Spiritus cap. 13. Dionysius Carthusianus in Cant. Aponius, qui ante 800. circiter annos floruit lib. 1. in Cant. qui etiam in fine Canticorum, infelicem pronunciat, qui hoc non credit.

Eccles. 35. habetur oratio humiliantis se penetrat cœlos, sed Prou. 15. orationes iustorum exaudies. S. Bernardinus.

Ildefonsus.

Cap. 32.

Cap. 5.

S. Thom.

B. Virgo non secus quam Ecclesia Throni Dei nomen meretur.

Andr. Cret.

Honor. August.

Gulielm. Rupert. Dion. Carthes. Aponius.

5 Iam verò thronus Dei dicitur esse in columna nubis: nam Eccles. 24. diuina Sapientia de se ipsa ait: *Ego in altissimis habitaui, & thronus meus in columna nubis.* Et quidem thronus hic diuinæ Sapientiæ in columna nubis aptissimè de B. Virgine dicitur; quemadmodum Hugo in illum locum, & in Isa. 66. explicat: Diuina autem Sapientia attribuitur, seu appropriatur filio Dei, iuxta Apostolum 1. Cor. 1. vbi Christum dicit Dei virtutem, & Dei sapientiam; de qua appropriatione ex Augustin. lib. 15. de Trinit. cap. vltimo. S. Thomas egregiè 1. par. q. 39. art. 7. & 8. Cùm verò Dei Verbum ex virgine carnem assumens in eius vtero resederit, eiusq; vlnis deferri voluerit, meritò ipsa peculiaris est diuinæ Sapientiæ thronus. Hic porrò thronus esse dicitur in columna nubis, quæ solis ardorem temperat, terramq; irrorat, atque fœcundat. Et quemadmodum ad tenebras depellendas fulgura, & ad obdurata hominum corda concutienda, tonitrua subinde existunt ex nubibus; ita Virgo sanctissima hæc omnia mysticè operatur in ijs, qui eius amore, ac deuotione tenentur; quemadmodum facilè quiuis ei aptare poterit. Dicitur etiam nubes non quidem terrestris, & pondere grauis, vel obscura, sed leuis, iuxta Isa. cap. 19. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & commouebuntur simulacra Aegypti à facie eius.* est etiam nubes lucida, iuxta psal. 77. *& deduxit eos in nube diei:* quæ omnia de Virgine accipienda esse docent Patres; Nubem enim leuem, Isaiæ 19. de Virgine intelligunt Chrysostomus oratione in Annunciatione: Ambrosius serm. 5. in psal. 118. & de instit. Virg. cap. 13. Hieronymus, & Procopios Gazeus in Isa. 19. Nubes quidem, quoniam ex Ambrosio, pluit in terras gratiam Christi, & quia pluit in nobis pluuiam spiritualem, temperamentum flagrantiæ corporalis, vt corporis omnes restinguantur ardores, atque interna mentis humescant: *Hæc pluuia*, inquit Ambrosius, *Euæ restrinxit appetentiam, hoc vnguentum fœtorem hæreditarij erroris abstersit. Leuis est hæc nubes, quæ*, ex eodem Ambros. & Hieronym. *nullo humani seminis pondere est prægra-*

B. Virgo quomodo dicitur columna nubis. Eccles 24. Hugo.

1. Cor. 1. S. August. S. Thom.

B. Virgo dicitur nubes.

Isa. 19.

Psal. 77.

Chrysost. Ambros. Hieron. Procop. Gaz. B. Virgo quomodo dicitur nubes leuis. Ambros. Est leuis.

prægrauata, Leuis etiam ex Ambroſio, *quia leuauit hunc mundum de graui fœnore peccatorum, quæ remiſſionem peccatorum vtero geſtabat: denique eleuauit Ioannem in vtero cõſtitutum, qui ad vocem eius exiliuit, & infans exultauit in gaudio prius ſenſus deuotione, quàm ſpiritus infuſione vitalis animatus.* hæc ad verbum ex Ambroſ. Quomodo autem Chriſtus ſuper hanc nubem leuem aſcendens ſimulacra Aegypti deiecerit, cap. 23. exponemus. Beatiſſimam quoque Virginem nubem vocant Chryſippus homil. 2. de Deip. *Aue*, inquit, *nubes pluuiæ, potum animis ſanctorum exhibentis.* & Heſychius homil. 2. de Deipar. Nubem eam dicit pluuias incorruptas continentem. De nube verò diei, de qua pſal. 77. Epiphanius ſerm. de laud. Virg. *Aue*, inquit, *gratia plena, Nubes columnæ ſimilis, quæ Deum habes, qui populum deduxit per deſertum.* & iterum. *O B. Virgo nubes*, inquit, *es lucida, quæ fulgur de cœlo lucidiſſimum ad illuminandum mundum deduxiſti, Chriſtum; nubes cœleſtis, quæ tonitruum Spiritus ſancti in ſe ipſa reconditum deduxit in mundum, & imbrem Spiritus ſancti in vniuerſam terram ad producendum fidei fructum cum impetu demiſit.* hæc Epiphanius. Proclus Epiſcopus Conſtantinopol. de Deipara: *Hæc*, inquit, *verè leuis nubes, quæ ſuper Cherubim ſedentem in corpore ſuo geſtauit.* Hieronymus in illum pſalmum: *Certè*, inquit, *nubem leuem debemus ſanctam Mariam accipere; pulchrè dixit in nube diei; nubes enim illa non fuit in tenebris, ſed ſemper in luce.* Ita Hieronymus. Hæc eſt nubecula illa parua 3. Reg. 18. quaſi veſtigium hominis, propter ſuam inſignem humilitatem, quæ aſcendebat de mari, ideſt ex parentibus, in hoc procelloſo, & amaro ſæculo degentibus; ſed altior, & leuior ipſo ſeculo: in qua veſtigium hominis, ideſt Chriſti, qui ex ea carnem ſuſcepit, apparuit; & grandem, atque optatiſſimam toti populo attulit pluuiam; ipſum ſcilicet Chriſtum, de quo Iſa. 45. *Rorate cœli deſuper, & & nubes pluant iuſtum.* Hæc eſt nubes, quæ ſolem ipſum veſtiuit, ſcilicet Dei filium, carne ſua, iuxta illud Ezech. 32. *Solem nube tegam.* & viciſſim ab eo gloria fuit veſtita, iuxta illud Apoc. cap. 12. *Mulier amicta ſole.*

Cap. 23. Chryſipp. Heſych. B. Virgo dicitur nubes diei. Pſal. 77. Epiphan. Proclus. Hieron. Virgo figuratur per nubeculam. 3. Reg. 18. Iſa. 45. Ezech. 32. Apoc. 12.

6 Quare Bernardus ſerm. *Signum magnum*, cum ad beatiſſimam Virginem loqueretur de Chriſto: *In te*, inquit, *manet, & tu in eo, & veſtis eum, & veſtiris ab eo: & veſtis eum ſubſtantia carnis, & veſtit ille te gloria ſuæ maieſtatis; veſtis ſolem nube, & ſole ipſa veſtiris.* Georgius verò Nicom. orat. de Præſent. Virg. vocat illam nubem, in qua ſedens is, qui ingreditur ſuper nubes cœleſtes, deſtruxit ſimulacra, quæ colebantur ab Aegyptijs. At verò dicitur columna nubis, & in Altiſſimis; in Altiſſimis quidem tum propter cœleſtem eius adhuc in terris degentis conuerſationem, tum etiam propter ſummam Virginis dignitatem, atque præſtantiam ab his terrenis longè ſeiunctam, & ſuper omnia euectam; vt in ſequentibus capitibus oſtendemus. Columna autem propter rotundam, atque exactam, necnon omni ex parte præcipuo artificio diuinitus elaboratam, atque omnibus numeris abſolutam, virtutum, & donorum omnium perfectionem, vitæq; ſanctimoniam, cuius patrocinio per mundi huius deſertum, ad cœleſtem Ieruſalem deducimur. quare Andreas Cretenſis orat. 2. de Deipar. *O columna*, inquit, *viuifica non carnalem per lucem deducens Iſraelem, qui fugatur; ſed ſpiritualem, qui deducitur ad inerrantem lucem cognitionis diuinis illuminans facibus. O nubes tota lucida, & mons vmbroſus non adumbrans ingratum populum Iudæorum, ſed delectum Dei populum, gentem ſanctam maternis tuis tedis illuſtratam.* Et ideo Hieronymus in pſal. 77. (vt dixi) de ea exponit illud: *Et deduxit eos in nube diei.* Propterea S. Bernardinus tom. 3. ſerm. 11. art. 1. cap. 3. vult Deiparam figuratam in columna nubis, quæ protegebat, & obumbrabat populũ; *Et aliquando*, inquit, *præcedebat, aliquando ſequebatur, aliquando ſuperferebatur, vt myſticè patrocinia multiplicia beatæ Virginis indicentur erga populum electorum, & omnium chriſtianorum.* hæc S. Bernardinus. Sanè columna illa nubis Exod. 13. filijs Iſrael in deſerto ad terram promiſſionis contendentibus non ſolum viam oſtendendo ducem ſe præſtitit, & à ſolis ardore protexit; verùm etiam ſtatione ſua locum caſtrorum oſtendebat. Numer. 9. quæ omnia ſpiritualiter Virgo operari ſolet in ſuis deuotis. Quando ergo ad loca, in quibus peccandi ſunt occaſiones, incitaris, ſanè ille non eſt locus tibi à Virgine oſtenſus; cum ibi ſit myſticè ſcorpio, dipſas, & ſerpens flatu adurens, de quibus Deut. 8. Virgo enim ea loca ad caſtrametandum nobis oſtendit; quæ animæ quieti, ac profectui ſunt opportuna. quo circa eius conſilium attenta mente excipiendum, eius ſequenda

Georg. Nicom. B. Virgo columnæ nubis in altiſſimis, & quare columna. Andr. Cret. Hieron. Pſal. 77. & Bernardinus. Exod. 13. Virgo eſt columna oſtendens locum caſtrorum. Numer. 9. Deuter. 8.

da vox est, vt nos admonet Bonauentura in spec. B. Virg. cap. 3. *Maria est nobis columna nubis, iuxta illud psalmi, Deduxit eos in nube, quia tanquam nubes protegit ab æstu diuinæ indignationis, & ab æstu diabolicæ tentationis, sicut dicitur in psalmo, Expandit nubem, &c. Maria quoque est columna ignis in nocte seculi huius illuminans mundum*, citatq; illud Bernardi, *Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, vbi dies? Tolle Mariam hanc maris stellam, quid nisi caligo inuoluens, vmbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquuntur?* hæc ex Bonauentura de Virgine, quæ dicitur columna nubis, & ignis. & quemadmodum Exod. 14. *In vigilia matutina respexit*, inquit, *Dominus super castra Aegyptiorum per columnam ignis, & nubis, interfecit exercitum eorum, & subuertit rotas curruum, ferebanturq. in profundum*: Ita Deus per Deiparam tanquam per fenestram cœli, & per mysticam columnam ignis, & nubis, respiciens dæmonis vires, & potentiam penitus euertit, quod fusius cap. 22. & sequentibus ostendemus.

Bonauent. Psal. 77. Psal. 104. Maria est columna ignis. Bernard. Exod. 14. Cap. 22.

Quod si denique dicas in Dei sede plerumq; Dei maiestatem, auctoritatemq; significari: hoc quidem negari non potest; attamen in nulla pura creatura ita relucet Dei gloria, atque maiestas, diuina item attributa, præsertim potentiæ, sapientiæ, & bonitatis, sicut in Virgine Deipara, vt propterea S. Bernardinus tom. 1. conc. 61. art. 6. cap. 4. dicat, Deiparam appellari psal. 8. *Dei magnificentiam*, quod fusius ostendemus cap. 15. vbi proprius erit huius rei tractandæ locus.

Dei maiestas in Virgine ostenditur. S. Bernardinus. Psal. 8. Cap. 15.

TERTIVM PRAECIPVVM ARGVMENTVM, Quod decem proximis Capitibus continetur, quo quatuor illa, propter quę Throni Angelici ex Dionysio Areopagita hoc nomen sunt adepti, longè prętantius in Deipara inueniri demonstratur.

GRATIAE MAGNITVDO VIRGINI DEIPARAE diuinitus in sua immaculata Conceptione collata. & de Glorioſissimo iuxta, ac Suauissimo Nomine MARIA, nu. 1. Cap. IIII.



TERTIVM principale argumentum, quo ostēdimus beatissimam Virginem per Dei thronum intelligi, sit ex ijs, quę sacri Doctores de tertio ordine supremæ hierarchiæ, qui Throni dicuntur, scribunt; & præcipuè Dionysius cap. 7. de Cœlesti hierarchia, vbi eorum proprietates ex eorūdem nomine sic inuestigat: *Thronorum*, inquit, *summorum, & excelsorum nomen declarat id, quod ab omni terrena humilitate sine admixtione secretum est, quodq. ad superiora diuino studio fertur, nec in infimis vllis rebus habitat; sed totis viribus in eo, qui verè summus est, immobiliter, firmiterq. hæret; diuinumq. aduentum sine vlla motione, atque materia recipit; ac Deum portat, officioseq. ad ea, quæ diuina sunt, capienda propensum est.* hæc Dionysius. Ex cuius doctrina colligit S. Thom. 1. par. q. 108. art. 5. ad 6. Thronorum Angelicorum ordinem per conuenientiam (vt ipse ait) ad materiales sedes exponi: in quibus quatuor docet considerari posse. primò situm, quia eleuantur à terra; & throni ita eleuantur, vt rationes rerum immediatè in Deo cognoscant. secundò firmitatem; in sedibus enim quis firmiter sedet: sed hic è conuerso ait euenire, ipsi enim throni firmantur per Deum. tertiò quòd sedes suscipiat sedentem, & in ea deferri possit; ita & throni Deum in se ipsis familiariter suscipiunt, & eum quodammodo ad inferiores ferunt. Ex quo S. Thomas artic. 6. ad 1. & 2. deducit, nomine thronorum designari in illis habitationem Dei, & propinquitatem ad eundē; nihil enim sedenti propinquius, quàm sua sedes. quartò figuram sedis, quæ est superius aperta, ad suscipiendum sedentem: ita & throni sunt per promptitudinem aperti ad suscipiendum

Tertia ratio, qua ex comparatione thronorum Angelicorum Virgo Dei thronus astruitur. Dionys. S. Thom. *Quatuor in quibus throni Angelici materialibus sedibus assimilantur.*

Deum, eiq; famulandum. hæc ex D. Thoma. Ex hac Dionysij, & S. Thomæ doctrina huiusmodi argumentum conficio: Quatuor illa, quæ materialibus sedibus insunt, nimirum Situs, seu eleuatio à terra, Firmitas, Excipere sedentem, & Figura; ex quorum similitudine Angelorum ordo, qui throni dicuntur ex Dionysio Areopagita, & S. Thoma, nomen hoc inuenerunt; eximia quadam ratione, & excellentius, perfectiusq; præ omnibus puris creaturis in Deiparam conueniunt; ergo ipsa singulariter præ alijs præstantissimo modo Dei thronus est appellanda. Antecedens per singulas partes ex sacris litteris, & SS. Patribus breuiter probari posset; cum ea contineat, quæ apud Catholicos absq; controuersia sunt receptissima. Verùm quoniam in horum probatione pleraq; quæ ad Virginis dignitatem celebrandam faciunt, continentur; constitutum verò nobis est, vt initio dicebamus, huius disputationis occasione de Virginis laudibus aliquid perscribere: nemo sit, qui miretur, si in his accuratius confirmandis aliquantulum immoremur, vt ad hæc capita nonnullas ex ampliſſimis Virginis laudibus reuocare possimus. Et quod attinet ad situm altissimum huius diuinæ sedis, Beatissimæ nimirum Virginis, illud statuendum est primò; præstantiam vnius creaturæ supra aliam, & propinquitatem eiusdem ad Deum sumendam præcipuè ex præstantia in donis supernaturalibus, in habitu nimirum gratiæ, & ex præstantia in visione beatifica. quod patet ex S. Thoma 1. par. q. 109. art. 4. vbi docet, Totum ordinem prælationis primò, & originaliter esse in Deo; participari autem à creaturis secundum quod Deo magis appropinquant: maximam verò perfectionem, & per quam maximè Deo appropinquatur, vult esse in creaturis fruentibus Deo: vnde infert in solut. 3. Angelum, qui est inferior ordine naturæ, præesse etiam dæmonibus illis, qui superiores eo sunt ratione naturæ. Hæc ex S. Thoma.

Throni cõditiones aliatæ Virgini magis quã Angelis tertiæ hierarchiæ congruunt.

Virginis sublimitas super omnes puras creaturas.

S. Thom.

2 Hoc constituto sic argumentari licet: Situs throni esse debet, vt ab humo se attolat: & quoniam Deus. Iob 11. *Excelsior cœlo dicitur*, & à sublimitate naturæ *Altissimus* per antonomasiam sæpè appellatur, vt psalm. 90. *Qui habitat in adiutorio Altissimi*, & psal. 112. *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat*; ideo Dei solium Isa. 6. *excelsum* dicitur, *& eleuatum*. & Ecclesiast. 24. de diuina Sapientia cum dixisset: *Ego in Altissimis habitaui*: inde infert altissimam sedem. *Et thronus*, inquit, *meus in columna nubis*. At beatissima Virgo dignitate, & meritis suam amplitudinem super omnes puras creaturas ita extulit, vt illas omnes multis spatijs antecellat. Ergo quod spectat ad rationem situs, quàm sublimissimè est erecta; ac proinde hæc prima sedis conditio cumulatè in illa reperitur. Minor huius argumenti, B. Virginem super omnes puras creaturas, siue Angelos spectes, siue homines, celsissimum locum adeptam, præter alios, docet Ecclesia in Antiphona illa, qua ait: *Natiuitatem B. Mariæ solemniter celebremus, qua celsitudo throni processit*: vbi vocat eam in abstracto, *celsitudinem throni*: nimirum thronum celsissimum, vt cap. 2. dixi, de quo pulchrè S. Bernardinus Senensis tomo 3. serm. 1. art. 1. cap. 2. vbi docet Virginem gloriosam ad culmen trpilicis dignitatis euectam, vt scilicet eius regnum sit altissimum, latissimum, & sempiternum: & quidem de altitudine eius explicat illud psal. 8. *Eleuata est magnificentia tua super cœlos*; vult enim B. Virginem fuisse singularem magnificentiam Dei, & super cœlos, ideſt super Angelos vniuersos, eleuatam: de latitudine verò, & firmitate eius regni S. Bernardinus fusè probat, de quo nos alibi agemus. Sed licet hoc apud catholicos satis sit exploratum; libet tamen in honorem Virginis quid de hoc ex sacris litteris senserint Patres, & Theologi in medium afferre. Sane triplicem Virginis statum, seu triplicem gratiæ eius perfectionem cum S. Thoma 3. par. q. 27. art. 5. ad 2. spectare possumus: Primum in immaculata sui Conceptione: secundum in eius ab Angelo annunciatione, cum Dei filium in castis suis visceribus concepit: Tertium in sui glorificatione, cum ad Dei dexteram est assumpta.

Iob 11.

Psal. 90.
Psal. 112.
Isa. 6.
Eccles. 24.

Cap. 2. nu. 6.

Psal. 8.

S. Thom.

Virginis gratia in instanti Conceptionis omnem gratiam omnium Angelorũ, & hominũ superabat. Prima ratio ex maternitate Dei.

3 Age nunc in singulis videamus gratiæ præstantiam, quæ in Virgine inuenitur. & quidem in immaculata sui Conceptione beatissimæ Virgini à præpotenti Deo infusam esse ampliorem gratiam, quàm ea sit, ad quam peruenerunt Angeli, & pro meritorum diuersitate perueniunt homines, Probatur primo ex fine, ad quẽ erat præelecta, & ex priuilegijs in sua Conceptione ei collatis; cum enim Virgo sanctissima ad singularem, & eximiã dignitatẽ Matris Dei, propter quam Christo secundum humanitatẽ propinquissima erat

futura,

futura, eſſet prædeſtinata: ideo, vt ait S. Thomas 3. par. q. 27. art. 5. *Maiorem præ cæteris gratiæ plenitudinem obtinuit; & quamuis in ſua Conceptione adhuc non eſſet Chriſto coniuncta per maternitatem; diuina tamen prædeſtinatione ad illam ordinem habebat, ad quam in ſua Conceptione per gratiæ plenitudinem diſponebatur:* vult enim S. Thomas loco ſupra citato ad 3. in Conceptione, ſeu (vt ipſe dicit) *in ſua ſanctificatione; Virginem habuiſſe perfectionem,* inquit, *gratiæ quaſi diſpoſitiuam, per quam reddebatur idonea ad hoc quòd eſſet Mater Chriſti.* ita S. Thomas. Quod ſatis indicare videtur Damaſcenus orat. 1. de Natiu. *Exultate,* inquit, *montes, hoc eſt ratione præditæ naturæ, quæq. ad ſpiritualis contemplationis faſtigium aſſurgitis; ſiquidem clariſſimus Dei mons paritur, mons (inquam) ille, qui collem omnem, ac montem, ideſt Angelorum, & hominum ſublimitatem exuperat: ex quo citra vllam manuum operam corporeo modo exſcindi voluit lapis angularis Chriſtus, vna perſona diſtinctas naturas copulans, diuinitatem nimirum, & humanitatem, Angelos, & homines, Gentiles, & carnalem Iſraelem in vnum ſpiritualem Iſraelem.* ſic ille. & infra ad Virginem ſermonem dirigens. *Tota ſpiritus thalamus es, gratiarum pelagus. Tota pulchra, tota Deo propinqua; ipſa namq. Cherubinos ſuperans, ac ſupra Seraphinos euecta, propinqua Deo extitit. O miraculum omnium miraculorum maxime, nouum, mulier Seraphinis ſublimior effecta eſt.* hæc Damaſcenus. Et huius Deiparæ ſublimitatis rationem pulchrè reddit in orat. 1. de dorm. Virg. *Omnium,* inquit, *bonorum initium, medium, & finis; ſecuritas item, ac vera confirmatio in illa ſeminis experte Conceptione, in illa diuina inhabitatione, in illo denique à labe omni remoto Partu poſita fuit.* hęc Damaſcenus: quaſi dicat, omnia quæ initio Virgini collata fuere, propter futuram Dei maternitatem ei data ſunt; fuit enim Paradiſus ſpiritualis, cœleſtis, omnibus delicijs refertiſſimus, ſecundo Adæ cœleſti, quemadmodum Paradiſus ille terreſtris primo Adæ fuerat præparatus. Ex quo benè colligimus, vt ſcholaſticorum verbis vtar, iuxta noſtrum modum intelligendi prius ſecundùm rationem Virginem eſſe prædeſtinatam, vt eſſet Mater Dei, quàm vt tanta ei gratia decerneretur, quæ tanta fuit in Conceptione, quanta eam decebat, quæ futura erat Dei Mater.

S. Thom.

Damaſcen.

Virgo prius ratione electa, vt eſſet Mater Dei quàm ad tãtam gratiam, quàm habuit.

4 Et propterea Bonauentura in ſpeculo B. Virg. cap. 3. applicat ei illud Eccleſ. 1. *Omnia flumina* (ſcilicet gratiarum) *intrant in mare,* ideſt in B. Virginem: id verò quod ſequitur, *& mare non redundat;* Aliqui exponunt, quia hæc gratiarum flumina Matris Dei dignitatem ad quam erat ipſa electa, non excedunt. Ita Suarez tom. 2. in 3. par. diſput. 18. ſect. 4. & diſput. 1. ſect. 3. vbi egregiè id explicat: pulchrè enim hoc expreſſit Bernardus ſerm. *ſignum magnum,* agens de corona duodecim ſtellarum in capite Deiparæ: *Dignum,* inquit, *plane ſtellis coronari caput, quod & ipſis longè clarius micans, ornet eas potius, quam ornetur ab eis.* Ambroſius lib. 2. in Lucam, agens de magnitudine fidei à Deo beatiſſimæ Virgini tributa, qua ante incarnationem Angelo nuncianti credidit ſe virginem parituram, eam rationem reddit, quæ, & reliquis Deiparæ virtutibus, quibus à Deo cumulatiſſimè ornata fuit, optimè congruit: *Nec mirum,* inquit, *ſi Dominus redempturus mundum operationem ſuam inchoauit à Matre; vt per quam ſalus omnibus parabatur, eadem prima fructum haberet ex pignore.* ſic Ambroſius. Bernardus homil. 2. ſuper miſſus eſt: *Proinde,* inquit, *factor hominum, vt homo fieret naſciturus de homine, talem ſibi ex omnibus debuit deligere, imò condere Matrem; qualem & ſe decere ſciebat, & ſibi nouerat placituram.* & Damaſcenus orat. 1. de Natiu. Virg. ad ſanctos Ioachim, & Annã: *Vos,* inquit, *Angelis ſuperiorem; at nunc Angelis dominantem filiam extuliſtis:* quoniam in ipſo eius ortu, ſeu conceptione ante annunciationem Angelis gratiæ magnitudine præſtabat, poſtea verò eorundem Domina eſt effecta. Deinde in immaculata Conceptione tantæ gratiæ copiam, adiuncto ſpeciali Dei auxilio, ac prouidentia eſt conſecuta, vt non ſolùm à peccato originali immunis fuerit; verùm etiam (ex ſacro Concil. Trid. ſeſſ. 6. can. 23.) nullum vnquam actuale peccatum, ne veniale quidem, commiſerit; imò nec committere potuerit; cùm tamen reliqui, vt habet idem Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 11. quantumuis ſancti, & iuſti in leuia ſaltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata, aliquando cadant: Tantam (inquam) gratiam eſt adepta, vt fomitis motus inordinatos B. Virgo nullos vnquam ſenſerit; vt omnes Theologi cum S. Thoma art. 6. docent. imò non tantùm in Annunciatione, quod concedit S. Thomas: ſed in ipſa etiam

Bonauent. Eccleſ. 1.

Suarez.

Bernard.

Ambroſ.

Bernard.

Damaſcen.

Ex magnitudine gratiæ immaculatæ Conceptionis, & auxiliorum nullum peccatum actuale commiſit.

Concil. Trident.

S. Thom.

Conceptione, vel (vt alij dicunt) prima ſanctificatione totaliter ei fomes fuerit extinctus, quod cum Alenſi 3.par.q.9.membr.2. art.5. ſentiunt pleriq; præſertim qui ab originali culpa eam præſeruatam exiſtimant: quæ omnia vt perfecto, & connaturali quodam modo fiant, magnam gratiæ intenſionem, & perfectionem requirunt, vt colligitur ex D.Thoma 3. par. q. 27. art.6.ad 1. Ergo ex hoc priuilegio ab inſtanti immaculatæ Conceptionis Virgini conceſſo, ad quod nullus Sanctus in præſenti vita peruenit, inferre licet, maiorem tunc illi gratiam tributam fuiſſe, quàm vllus vnquam Sanctorum aliquando habuerit. Equidem tota hæc gratiæ perfectio reſpondet dignitati illius, quæ in Matrē Dei præelecta iam fuerat. quod confirmatur auctoritate Auguſt. lib. de natura, & gratia cap. 36. de Virgine agens: *Inde*, inquit, *ſcimus quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum; quod concipere, ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum*.

S. Thom.

Auguſtin.

Bernard.

5 Quare Bernardus epiſt. 174. ad Canonicos Lugdunenſes: *Fuit*, inquit, *proculdubio Mater Domini ante ſancta, quàm nata:* & mox: *Ego puto, quod & copioſior ſanctificationis benedictio in eam deſcenderit, quæ ipſius non ſolùm ſanctificaret ortum; ſed & vitam ab omni deinceps peccato cuſtodiret immunem, quod nemini alteri in natis mulierum creditur eſſe donatum:* & poſt pauca: *Sanctus igitur ortus, quoniam immenſa prodiens ex vtero ſanctitas, ſanctum fecit illum.* hæc Bernardus. Qui ex hoc quod nunquam in vita peccarit, colligit copioſiorem, & immenſam Virginis gratiam, adhuc in Matris vtero exiſtētis. Sanctus verò Thomas opuſcul. 8. docet Virginem plenam fuiſſe gratia quantum ad tria. Primò quantum ad animam. Secundò quantum ad redundantiam gratiæ animæ ad corpus, de quo concepit filium Dei. Tertiò quantum ad refuſionem in omnes homines, quorum ſalutem iuuat: & de prima plenitudine dicit eam in anima habuiſſe omnem plenitudinem gratiæ, Primò ad vitandum omne peccatum; & affert auctoritatem allegatam ex Auguſtino in lib. de natura, & gratia. Secundò ad omnium virtutum opera exercenda, & ideo datam vult in exemplum omnium virtutum. S. Bernardinus tom.3. ſerm.11.art.1.cap.2. *Mons*, inquit, *domus Domini, Iſa. 2. eleuabitur ſuper omnes colles, quia Virginis altitudo ſublimiſſima eſt ſuper ſummos; & latiſſima ſuper cunctos; & firmiſſima, & inconcuſſa, vt moueri non poſſit.* His conſonat, quod ſicut præcurſor Domini dictus eſt Ioannes, quod gratiam ſonat, quia Chriſtum Ieſum, per quem gratia, & veritas facta eſt Ioan. 1. & de cuius plenitudine nos omnes accipimus, præcurrebat; & venerat vt teſtimonium perhiberet de lumine, digito Chriſtum demonſtrans: ita non ſine diuino conſilio Mater Virginis vocata eſt Anna; quæ, vt notat Epiphanius ſermone de Laud. Virg. & Damaſcenus orat. 1. de Natiu. gratiam pariter ſonat; vt intelligeremus Deiparā, quam Anna erat paritura, futuram gratia plenam, & quæ inueniret gratiam apud Deū, quod illi Gabriel dixit; & quia Chriſtum gratiæ fontem nobis attulit, quodammodo gratiam in omnes deriuauit, vt ait S. Thomas 3.par.q.27. art.5. ad 1. Sicut ergo Ioannes gratiæ Chriſti plenitudinem ſignificauit, ita Anna vbertatem gratiæ Virginis indicauit. Confirmatur hoc ipſum ex admirabili ratione, qua Deipara ſecundum carnem eſt concepta; quippè quæ ex parentibus ſenibus, ac diuturna ſterilitate laborantibus, aſſiduis precibus, ieiunijs, ac voto nuncupato prolem à Deo expetentibus, tandem Angelo eam illis, prænunciante, ſingulari Dei munere progenita eſt. quod ex ſanctis Patribus capit. 8. fuſius oſtendemus. At verò in veteri teſtamento tametſi aliqui viri Dei beneficio, cuius perfecta ſunt opera, ex ſterilibus patentibus exorti ſcribantur: nullam tamen aliam mulierem ex ſterilibus primo partu editam legimus, præter hanc, quæ Dei Genitrix erat futura; vt ex ipſo conceptionis modo eius præſtantia indicaretur.

Plenitudo gratiæ in Deipara. S. Thom.

Auguſtin.

S. Bernardinus. Iſa. 2.

S. Anna vbertatem gratiæ Virginis indicauit. Ioan. 1.

Epiphan. Damaſcen.

Luc. 1.

S. Thom.

Cap. 8. nu.

6 Secundo probatur, nam hoc ipſum in fundatione templi à Salomone extructi non obſcurè figuratum eſt: de quo legimus 3.Reg.cap.5. *Præcepit*, inquit, *Rex*, nimirum Salomon, *vt tollerent lapides grandes, lapides pretioſos in fundamentum Templi, & quadrarent eos:* & quamuis quanta fuerit horum lapidum magnitudo ibi non exprimatur, illam tamen colligere licet ex fundamentis domus ſuæ à Salomone exædificatæ, de quibus 3. Reg.7. *Fundamenta*, inquit, *de lapidibus pretioſis, lapidibus magnis decem, ſiue octo cubitorum*; cubitus aūt, vt probat noſter Villalpandus in Ezechielē, continet ex noſtris palmis duos,

Secunda ratio ex figura templi Salomonis. 3 Reg.5.

3.Reg.7.

Villalpandus.

duos,& ſemis;quare lapides erant vigintiquinque, ſiue viginti palmorum. Et ſanè fundamenta Virginis,nimirum virtutes, & priuilegia, quæ in Conceptione immaculata accepit,fuere nobiliſſima,omni lapide pretioſo ornata,inſtar cœleſtis Ieruſalem,cuius fundamenta legimus Apoc. 21. duodecim eſſe lapides pretioſos: Virgo enim dicitur pulchra,& decora ſicut Ieruſalem Cant.6.ergo in pretioſis lapidibus eſt fundata: & quamuis 1.Corint.3. Iuſti quoque templum Spiritus ſancti dicantur; Beata tamen Virgo peculiari quadam ratione per antonomaſiam templum Dei dicitur, vt teſtatur Eccleſia in pluribus Antiphonis: *Magnum,*inquit,*hæreditatis myſterium; Templum Dei factus eſt vterus neſciens virum*.

Magnitudo lapidum pretioſorum in fundamentum templi. *Apoc.21.* *Cant.6.* *1.Cor.3.* *Offic.Eccleſ.*

7 Cùm igitur B.Virgo ſingulari ratione verè templum Dei animatum à Chryſoſtomo, & alijs Patribus,quos cap.ſequenti citabimus,vocetur; & in illo templo Salomonis (vt Patres dicunt) præfiguretur; ſequitur in eius fundamenta, quæ in immaculata Conceptione ſunt iacta,lapides pretioſos ineſtimabilis magnitudinis,& pretij eſſe poſitos;quorum tanta eſt dignitas,atque pretium,vt ne in cultu quidem faſtigiorum,ne dum fundamentorum adhiberi conſpiciamus in alijs communium hominum ædificijs. Huiuſmodi porrò lapides pretioſos in fundamentis iactos dicimus immenſitatem gratiæ iuſtificantis,& heroicas,ac pretioſiſſimas virtutes infuſas: Dona item Spiritus ſancti, & priuilegia ſingularia; quæ omnia tunc Virgini in tanto, & tam intenſo gradu fuere collata, vt neque in Angelis, neque in perfectiſſimis viris vllo vnquam tempore in ea intenſione inuenire liceat,vt cap.21. vberius dicemus. Quod ſi ſpectemus ea, quæ in templi ædificationem præparauit Dauid,quàm multa,quàm magnifica,quàm pretioſa fuerint; facilè intelligemus, quæ Deus in ſanctiſſimam Virginem templum ſuum animatum congeſſerit.Nam de templo ædificando 1.Paralip.12.Dauid dicebat: *Ecce ego in paupertate mea præparaui impenſas domus Domini auri talenta centum millia; argenti mille millia talentorum;æris,& ferri non eſt pondus. Omnemq.* 1. Paralip. 29. *pretioſum lapidem,& marmor parium abundantiſſime*. Quòd ſi aurum, & argentum ad calculum noſtræ pecuniæ reuocare velimus, centum millia auri talenta, mille ſexcentos octoginta tres milliones ſcutatorum, vt vocant pecuniæ Romanæ: argenti verò mille millia talentorum,mille quadrigentos quadraginta milliones ſcutatorum conficiunt, vt docet noſter Villalpandus in Ezech.tom.3.Appara.tabula 1.de numiſmatis,& ponderibus pag.426.& tabula 2.Idq; probat lib.2.de ponderibus,& numiſmatis diſput.4.cap.33.& ſequent.pag.408. Rationem porrò tam magnifici apparatus reddit ipſe Dauid 1. Paral.29. vbi de templo conſtruendo ſic loquitur: *Opus namq. grande eſt,neque enim homini præparatur habitatio,ſed Deo*: ita de eximia Virginis Conceptione nihil mirum eſt, ſi tam glorioſa prædicentur;neque enim homini præparabatur habitatio,ſed Deo.

Virgo templum Dei animatum. *Chryſoſt.* *3 Reg.7.* *Cap.5.* *Cap.21.* *1.Paral.22.* *1.Paral.29.* *Villalpand.* *1.Paral.29.*

8 Tertiò probatur.In pſal.86.*Glorioſa,*inquit Dauid,*dicta ſunt de te Ciuitas Dei.*& quã aliam (inquit Damaſcenus orat.1.de dorm.Virg.) *Dei incircumſcripti,& pugillo omnia continentis,Ciuitatem intelligimus, quam eam, quæ verè,ac modo naturam ſuperante Dei verbum,& Deum citra vllam circumſcriptionem ſuſcepit; de qua glorioſa ab ipſo Domino dicta ſunt. Omnia enim in Virgine* (vt ait Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus oratione de Zona Virginis) *ſunt admirabilia, & vires naturæ excedentia; in qua Deus ſuam exeruit potentiam, Fecit enim in me magna qui potens eſt*. ita Germanus. & Andreas Cretenſis orat.2.de dorm. Virg. *Quid enim ex ijs, quæ ſunt longè maxima non in ea proceſſit cum maxima virtutis abundantia:* atque ita in huius myſticæ Ciuitatis fundatione canitur ab ipſo Dauid Dei potentia,atque bonitas, & ſimul totius orbis lætitia in pſal.47.cum ait: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis in Ciuitate Dei noſtri in monte ſancto eius; fundatur exultatione vniuerſæ terræ,mons Sion,latera Aquilonis, Ciuitas Regis magni*: ad quod alludit Eccleſia cum ait: *Conceptio tua Dei Genitrix gaudium annunciauit vniuerſo mundo.* De fundamentis porrò huius Ciuitatis in pſal.86.dicitur: *Fundamenta eius in montibus ſanctis:* nimirum fundamenta, & initia gratiæ, & priuilegiorum Virginis,in Conceptione eiuſdem iacta eſſe in culmine ſanctitatis, ad quam alij ſancti perueniunt:& ratio ſubditur: *Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob:* iſtam nimirum Virginis Conceptionem, quæ veluti ianua eſt ad reliquum vitæ Virginis ſpatium;diligit ſuper reliquos Sanctos, qui comparantur ad Virginem, ea pro-

Tertia ratio qđ fundamẽta Virginis in montibus ſanctis. *Pſal.86.* *Damaſc.* *Germ. Patriar.* *Andr.Cret.* *Pſal.47.* *Offic. Eccleſ.* *Pſal. 86.* *Diligit Dominus portas Sion Pſal. 86.*

portione,quam tabernacula, quæ ſunt habitacula, quæ loco mutari poſſunt, habent ad Ciuitatem ſtabili ſitu fundatam. Neque id mirum, quia, vt in eodem pſalmo habetur: *Homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam altiſſimus*; quaſi dicat illud Eccleſiaſtici 24. *Qui creauit me requieuit in tabernaculo meo*: maternitas enim Dei, ad quam erat prædeſtinata,radix fuit immenſæ gratiæ, quam accepit in ipſa Conceptione, vt etiam indicat S. Thomas 3.par.q.27.art.5.in corp. & ad 1. Verùm ſi portarum nomine, quod numero multitudinis exprimantur,vtramque portam, & eam, qua in hanc vitam ingredimur,hoc eſt conceptionem; & eam,qua è vita egredimur,hoc eſt mortem,ſignificatam velimus;ſanè Deus nullius alterius puri hominis vtramque portam diligit;cum alterarum,qua in peccatis concipimur,odio digna ſit; & pretioſa tantum in conſpectu Domini ſit mors ſanctorum eius; At verò Deiparæ per Sion ſignificatæ,ambas portas diligit;& eam,qua abſque labe per conceptionem in vitam eſt ingreſſa;& eam,qua ex hoc mundo recta in cœlum per mortem eſt egreſſa.

Ecclef. 24.

S. Thom.

Pſal. 115.

Quarta ratio ex auctoritate Sanctorum.

9 Quarto hoc ipſum auctoritate Sanctorum confirmatur, qui magnitudinem gratiæ Virginis ante annunciationem prædicant. S. Gregorius in 1.Reg.cap.1. de B.Virgine docet vaticinatum Iſaiam cum cap.2.dixit: *Et erit præparatus mons domus Domini in vertice montium*: vnde colligi poteſt plenitudinem gratiæ, quæ in alijs fuit vertex, & culmen, B.Virgini fuiſſe baſim,ac fundamentum: *Mons quippe* (inquit Gregorius) *in vertice montium fuit beatiſſima Virgo Maria, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis ſuæ dignitate tranſcendit. An non mons ſublimis Maria; quæ, vt conceptionem æterni Verbi pertingeret,meritorum verticem ſupra omnes Angelorum choros,vſque ad ſolium Deitatis erexit?* ſic Gregorius. Loquitur autem de gratia B.Virginis priuſquam Chriſtum conciperet. cui aſtipulatur Damaſcenus orat.1.de Natiuit.*Virgo*,inquit,*mons eſt ille,qui collem omnem,ac montem, ideſt Angelorum, & hominum ſublimitatem exuperat: mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo.* ita Damaſcenus. S.Epiphanius ſermone de laudibus Virginis: *Aue*,inquit,*gratia plena, quæ Cherubicum thronum diuinitatis fulgore ſuperas*. Bernardus ſermone *Signum magnum: In eo*,inquit,*quod tam reuerenter,atque officioſiſſimè ab Archangelo ſalutata eſt, vt iam in regali ſolio ſupra omnes cœleſtium ordines regionum exaltatam cernere videretur*. Idem Bernardus homil. 2. ſuper miſſus eſt: *Quam verò aliam*,inquit,*requirebat Salomon cum dicebat. Mulierem fortem quis inueniet? quod eſt dicere;ſi ita de manu fœminæ pendet,& noſtra omnium ſalus,& innocentiæ reſtitutio,& de hoſte victoria: ſic enim legerat Deum promiſiſſe, & ita videbatur congruere,vt qui vicerat per fœminam,vinceretur per ipſam; fortis omninò neceſſe eſt, vt prouideatur,quæ ad tantum opus poſſit eſſe idonea. At ne hoc quæſiſſe putetur deſperando,ſubdit prophetando, Procul & de vltimis finibus precium eius,hoc eſt non vile, non paruum,non mediocre,non denique de terra,ſed de cœlo:nec de cœlo proximo terris precium fortis huius mulieris, ſed à ſummo cœlo egreſſio eius.* hæc ex Bernardo. Sophronius inter opera Hieronymi ſerm. de Aſſumpt. *Beata, & glorioſa Virgo Maria quamuis dudum incomparabilis eſſet vniuerſis,quæ ſub cœlo ſunt virginibus, vt decenter poſſet in ſe ſuſcipere diuinitatis admixtionem ſalua vtraque natura; tamen cum gratia repletur,cum Spiritu ſancto perfunditur,cum virtute Altiſſimi obumbratur,ſit pretioſior meritis celſis, ſublimior faſtigijs,pulchrior ſanctitate,glorioſior ſuorum prærogatiuis meritorum, ita vt nullis iam vſibus ſit ipſa eademq. mancipanda,niſi diuinis*. hæc ille. B. Laurentius Iuſtinianus ſermone de Natiuit.S.Mariæ: *Illam*, inquit, *profectò adhuc in Matris vtero decubãtem, adamauit verbum, ſibiq. in genitricem elegit, vtpote ſuperabundanti iam benedictione præuentam,iamq. ſancti Spiritus magiſterio deputatam*; & vult plus amatam, quàm vllum Angelum,vel hominem: ſed gratia,vt docent Theologi,reſpondet amori,quo Deus proſequitur creaturam amatam,& eſt quaſi obiectum eius:ergo maior illi gratia in matris vtero infuſa eſt, quàm haberent Angeli, & beati. Idem docet S.Vincentius ſerm.1. de Natiu.B.Mariæ,& affert illud pſal.41.*Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei:* hinc eſt,quòd priuſquam conciperet filium Dei,ei ab Angelo dicitur:*Inueniſti gratiam apud Deum*,& in ſalutatione vocatur *Gratia plena*,non tantum qualis futura eſſet in filij conceptione, ſed qualis tunc eſſet: hac enim gratiæ plenitudine digna effecta eſt, vt Chriſtum conciperet,eiusq; dignum eſſet tabernaculum; idq; ſatis oſtenditur ex græco verbo

Damaſc.

Epiphan.

Bernard.

Prou. 31.

Sophron.

B. Laur. Iuſt.

S. Vincent.

Pſal. 41.

Luc. 1.

Sophron. Hieronym.

bo κεχαριτωμένη, quod est præteriti temporis, & à latino interprete vertitur, *Gratia plena*, idq; de gratia, qua tunc plena erat ante Christi conceptionem, quamuis quia eum mox conceptura erat, id accipiant Ambrosius in hunc locum, Augustinus in Enchirid. cap. 36. Sophronius de Assumptione, Chrysologus serm. 142. Beda homil. 3. de B. Virgine, Rupertus lib. 6. in Cantica. His astipulatur S. Athanasius homil. de Deipara, vbi rationem, cur Deipara *Gratia plena* ab Angelo salutetur reddit his verbis: *Ita quoque Spiritus sanctus descendit in Virginem cum omnibus suis essentialibus virtutibus, quæ illi per rationem principatus diuini adsunt, imbuens eam in gratia, vt in omnibus gratiosa esset, atque idcirco gratia plena cognominata est, eo quod adimpletione Spiritus sancti omnibus gratijs abundaret.* hæc Athanasius. Hoc item exponens Sophronius serm. de Assumptione, (qui sub nomine Hieronymi citatur à D. Thom 3. par. q. 27. art. 5. in argum. sed contra) ait igitur Sophronius: *Benè dicitur gratia plena, quia cæteris per partes præstatur; Mariæ verò se totam simul infudit gratiæ plenitudo.* quod etiam ab alijs solet dici. Chrysologus enim serm. 143. super illud, *Aue gratia plena*: *Singulis*, inquit, *gratia se est largita per partes, Mariæ verò simul se totam dedit gratiæ plenitudo. Omnes (inquit Euãgelista) de plenitudine eius accipimus.* ita Chrysologus. & Ildefonsus serm. 6. de Assump. *Cæteris*, inquit, *electis ex parte gratia datur, huic verò Virgini tota se infudit plenitudo gratiæ*; idem etiam habet Petrus Damianus serm. de Assumpt.

Ambros. Auguſt. Sophron. Chryſolog. Beda. Rupert. Athanaſ. *Sophon. S. Thom.* *Chryſolog. Luc. 1. Ildefonſ.* *Petr. Dam.*

10 S. Hieronymus epistola ad Fabiolam de 42. mansion. *Quadraginta duæ*, inquit, *mansiones per quas Israeliticus populus venit ad Iordanem sunt quadraginta duæ generatione Abraham vsque ad Christum; in quo numeri sacramento verus currit Hebræus, qui de terra transire festinat ad cœlum, & Aegypto seculi derelicta, terram repromissionis ingreditur: nec mirum si in huius numeri mysterio perueniamus ad regna cœlorum; sub quo Dñs, atque Saluator à primo Patriarcha peruenit ad Virginem, quasi ad IORDANEM, quæ pleno gurgite fluens Spiritus sancti gratijs redundabat.* hæc Hieronymus. Idem in psal. 18. hanc Virginis supra reliquos Sanctos præstantiam non obscurè indicat, cum Mariam in psalmo solem appellatam etiam ante Christi incarnationem docet; vt quemadmodum inter stellas omnes sol magnitudine, splendore, & efficacitate longè illis præcellit; sic & Deipara inter sanctos gratiæ immensitate, & virtutum prærogatiuis, & beneficiorum magnitudine cunctis præstet: verba Hieronymi hæc sunt: *In sole posuit tabernaculum suum, in sole in vtero sanctæ Mariæ Virginis; Maria interpretatur Stella maris; lumen solis magis lucet, quàm stellarum: sol iustitiæ Dominus (vt ait Propheta) Orietur vobis sol iustitiæ, quod est Christus; illuminauit sol iste stellam, id est Mariam, vt esset sicut SOL; ideo posuit tabernaculum suum in sole quando corpus assumpsit ex vtero suo.* ita Hieronymus. Petrus Damianus sermone de Assumpt. B. Virg. exponens illud Cant. 3. *Quasi virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij: Vniuersus*, inquit, *puluis pigmentarius in Virgine proiectus est, quando in ea virtutum conuentus reuerendum sibi thalamum consecrauit: & si cæteris per partes spiritus adfuit, Mariæ tamen tota plenitudo gratiæ peruenit:* ideo à Sophronio serm. de Assumptione vocatur hortus deliciarum, in quo sunt consita omnium florum genera, & odoramenta virtutum. & S. Thomas opusc. 8. in salutatione Angelica docet meritò ab Angelo Gabriele B. Virginem reuerenter salutatam illis verbis: *Aue gratia plena*, quia excedebat Angelos in plenitudine gratiæ, etiam priusquam Verbum ex ea carnem sumeret; quæ magis est in B. Virgine, quàm in aliquo Angelorum. Ita S. Thomas.

Hieron. *Num. 33.* *Virgo Iordanis dicitur à Hieronymo.* *Petr. Dam. in psal. 18.* *Malach. 4.* *Petr. Dam. Cant. 3.* *Virgo dicitur virgula fumi.* *Sophron.* *S. Thom.* *Virgo maiori gratia ornata, quàm Angeli etiam ante incarnationem.*

DE PRAECLARISSIMO, AC MELLIFLVO NOMINE MARIA.

11 QVinta ratio ducitur ex etymologia sacratissimi nominis Maria, quo Deipara cum nasceretur Angeli admonitu à parentibus est appellata, tum ad præclarissima munera declaranda, propter quæ à prępotenti Deo in mundi totius vtilitatem erat prędordinata, tum ad eius singularem præstantiam indicandam, quàm in Conceptione acceperat, & ad quam erat postea euehenda: quod eleganter expressit Nyssenus orat. de Natiu. Dom. *Anna*, inquit, *filiam vocauit Mariam, vt ipso etiam nomine testaretur munus acceptum à Deo;* quod repetit Nicephorus lib. 1. cap. 7. & Chrysologus sermone 142.

Maria nomen præstantissimum. *Nyssenus.* *Nicephorus.* *Chrysologus.*

Ante

Ante cauſam, inquit, *dignitas Virginis annunciatur ex nomine: nam Maria hebræo ſermone, latinè Domina nuncupatur.* ſic ille. Verùm vt hoc altius intelligatur, oſtendam primum multiplicem huius ſacri nominis notionem, illudq; iure optimo Deiparæ inditum: deinde eiuſmodi nomen longè ante in orbe præfiguratum, ac præcognitum fuiſſe; quin etiam ipſis Deiparæ parentibus ab Angelo præſignificatum: poſtremò afferam in medium eiuſdem nominis virtutem, ac potentiam dignitate ampliſſimam, efficacitate præſtantiſſimam.

Maria quid ſignificet, & quot modis ſumatur, Ambroſ.

Ergo Maria, quemadmodum ex Patribus, quos afferemus animaduertunt non pauci multa ſignificat, & vt omittam illud Ambroſij de Inſtit. Virg. cap. 5. vbi *Speciale*, inquit, *Maria Domini hoc nomen inuenit, quod ſignificat Deus ex genere meo.* ſic ille. Certe apud hebræos nomen eſt diſſyllabum, & pronunciatur Mir-Iam, cuius poſterior ſyllaba Iam, mare ſignificat; prior verò iuxta multiplicem, (vt Hebræi loquuntur) radicem, ex qua deduci poteſt, multa quoque ſonat: nos hac in re quid S. Epiphanius, & S. Hieronymus hebraici ſermonis peritiſſimi, quos reliqui omnes ſequuntur, tradiderũt, in medium

Epiphan.

afferemus. Epiphanius orat. de laud. Virg. *Mariam*, inquit, *interpretari ſolemus Dominam, atque etiam ſpem, peperit enim Dominum, qui eſt ſpes totius mundi, nempè Chriſtũ: rurſum nomen illud Mariæ interpretatur myrrha maris; Myrrham verò (dicet aliquis) quod ego etiam aio, de immortalitate, eo quod paritura eſſet gemmam immortalem in mari, hoc eſt in mundo; Mare autem dicet vniuerſum mundum, cui Virgo ſerenitatem, & tranquillitatem contulit, dum portum peperit Chriſtum. Rurſum itaque præclaræ puellæ Mariæ nomen interpretatur illuſtrata, vtpote quæ illuſtrata ſit à filio Dei, & cunctos vſque ad terminos terræ credentes Trinitati illuminauerit.* hactenus Epiphanius. S. Hieronymus verò in lib. dè nominibus hebraicis in Exodo eorum etymon tradens. *Maria*, inquit, *illuminatrix mea, vel illuminans eos, aut ſmyrna maris, vel ſtella maris*; & in Mattheo, *Mariam*, inquit, *dicamus ſonare ſtellam maris, ſiue amarum mare: ſciendum quod Maria ſermone ſyro Domina nuncupatur.* ſic Hieronymus. Ad quę reuocari ferè poſſunt, quæ de hoc ſacro nomine alij quoque Patres locupletiſſimè tradidere. Quocirca, reliquis omiſſis, quadruplex huius nominis videtur præcipua notio; valet enim idem quod Domina maris; idem quod ſtella, ſeu illuminatrix maris; idem quod ſmyrna græcè, latinè myrrha maris; denique idem atque amarum mare.

Hieron.

Nomen Maria er mare ſignifiaiur.

12 Et vt à poſteriori dictione, quæ eſt mare, ducatur initiũ, quæ in qualibet ex illis quatuor notionibus inuenitur; ea quidem interdum reddi poteſt in recto caſu, cum nimirum amarum mare dicimus; interdum in obliquo, cum Dominam, vel ſtellam, vel myrrham maris efferimus: quòd ſi priori modo ſumatur ſanè Deipara ipſa mare merito nũcupatur. primùm propter pleniſſimam gratiarum omnium, ac sãcti Spiritus chariſmatum vbertatem, ac copiam: Cùm enim congregationes aquarum Deus Geneſ. 1. appellarit Maria, cumq; Spiritus ſancti dona in ſacris litteris ſæpè, ſed præſertim Ezech. 36. nomine aquæ mundæ, & Ioan. 7. fluminum appellatione ſignificentur; profectò Deipara Spiritus ſancti donis vberrimè affluens, Mare iure optimo vocatur. quod eleganter Albertus Magnus ſuper miſſus eſt docuit: *Congregationem*, inquit, *aquarum vocauit Deus Maria: locus autem omnium gratiarum vocatur Maria.* & Bonauentura in ſpecu. cap. 3. *Maria*, inquit, *mare eſt gratia affluendo*, eiq; idem Bonauentura, vt ſupra dicebamus, aptat illud Eccleſ. 1. *Omnia flumina intrant in mare; hoc eſt, omnia gratiarum genera Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, & reliquorum Sanctorum in B. Virginem influunt.* Damaſcenus orat. 1. de dorm. propterea Deiparam vocat abyſſum gratiæ. Carthuſianus lib. 3. de laud. Virg. art. 30. *Maria*, inquit, *interpretatur mare; quia ſicut nullus valet guttas maris dinumerare, ſic miſericordiam, gratiæ excellentiam, gloriamq. Mariæ nullus valet exprimere.* hæc ille. Eadem docet S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 14. §. 2. & profecto quemadmodum Deus per hoc Deiparæ pacatiſſimum quidem mare, nec vllis vnquam procellis obnoxium, nullo reciprocationis æſtu exagitatum ad nos leniter adnauigare dignatus eſt; ita & nos per compendioſum eiuſdem maris curſum accedere properemus ad Deum, vt per eam nos recipiat, qui per illam datus eſt nobis. Deinde Virgo ſanctiſſima Mare, & quidem amariſſimum dici poteſt, propter eos, quibus Chriſto in cruce patienti compaſſa eſt dolores, magnitudine immanes, multitudine innumerabi-

Geneſ. 1.

Ezech. 36.

Ioan. 7.

Albert. Mag.

Bonauent.

Eccleſ. 1.

Damaſcen.

Carthuſ.

S. Anton.

les;

les; quos expendens Ieremias Thren. 2. ſub typo deuaſtatæ à Chaldæis Ieruſalem, Deiparam ſic affatur: *Magna eſt velut mare contritio tua, quis medebitur tui?* & Bonauentura loco citato de nomine Deiparæ agens. *Maria*, inquit, *amara eſt filio compatiendo*; quod etiam fuſius proſequitur S. Antoninus loco citato. Demum idem Bonauentura: *Deipara*, inquit, *mare eſt amarum diabolum ſubmergendo; quemadmodum mare rubrum amarum fuit Aegyptijs in ipſo ſubmerſis. O quam amara, & timenda eſt Maria dæmonibus. Vnde Bernardus, non ſic timent hoſtes viſibiles quaſi caſtrorum multitudinem copioſam, ſicut aereæ poteſtates Mariæ vocabulum, patrocinium, exemplum; fluunt, & pereunt ſicut cera à facie ignis vbicumque inueniunt huius nominis recordationem, deuotam inuocationem, ſolicitam imitationem.* ſic Bonauentura.

Thren. 2. *Bonauent.* *Bernard.*

13 At ſi reliquas Mariæ interpretationes, quibus in obliquo Mare dicitur, intueamur; cum Dominam, vel Stellam, vel Myrrham maris eam interpretamur; per Mare humanam naturam, cui Deipara opem affert, intelligi exiſtimamus; quemadmodum dicebat Epiphanius loco citato, & Ildefonſus ſerm. 1. de Aſſumpt. cum enim mare ſit amariſſimũ, & ventorum turbinibus vndiq; expoſitum, ideo humanæ naturæ conditionem peccatorum felle vitiatam, cordis mœrore circumfuſam, acerrimis dæmonum tentationibus, varijsq; huius vitæ calamitatibus, quaſi ventorum flatibus vndiq; exagitatam rectè indicat. At verò Virgo beatiſſima cum Dei ſit parens non tantum eſt hominum Domina, verùm etiam eorum amaritudinem in dulcedinem vertit; illosq; tanquam maris ſtella in turbulentiſſimo huius vitæ mari degentes illuminat, & ad portum dirigit, ac ſerenitatem eis affert; & tanquam myrrha incorruptionem eiſdem ſuis precibus confert. quod Epiphanius, cuius verba ſupra attulimus, luculenter docet; eiq; conſentit Ambroſius libr. de inſtit. Virg. cap. 5. vbi de nomine Mariæ agens: *Venit*, inquit, *Dominus in amaritudinem humanæ fragilitatis, vt conditionis amaritudo dulceſceret Verbi cœleſtis ſuauitate, & gratia temperata.* ſic ille.

Epiphan. *Ildefonſ.* *Ambroſ.*

14 Verùm ad priorem huius etymologiæ dictionem, quæ multa ſonat, accedentes, quanam ratione Deipara Domina, ſtella, & myrrha maris dicatur; tametſi breuiter id attigerimus, aliquanto vberius oſtendamus. Et quod ſpectat ad nomen Dominæ, præter Epiphanium, & Hieronymum ſupra citatos, omnes ferè Patres hanc etymologiam afferunt. ita Chryſologus ſerm. 142. *Maria*, inquit, *hebræo ſermone, latinè Domina nuncupatur. Vocat ergo Angelus Dominam, vt Dominatoris Genitricem trepidatio deſerat ſeruitutis, quam naſci, & vocari Dominam ipſa ſui germinis fecit, & impetrauit auctoritas.* hæc Chryſologus. Eucherius etiam lib. 2. Inſtructionum: *Maria illuminata, ſiue ſtella maris; genuit enim mundi lumen; ſed ſermone ſyro Domina appellatur.* eadem verba habet Iſidorus lib. 7. etymol. cap. 10. & Beda lib. 1. in Lucam cap. 3. Damaſcenus verò lib. 4. de fide: *Itaque*, inquit, *Gratia (nam hoc ſonat Annæ vocabulum) Dominam parit, id enim Mariæ nomine ſignificatur: nam re vera Domina facta eſt omnium creaturarum, cum conditoris omnium effecta eſt mater.* ſic ille. & Arnoldus Carnotenſis tract. de laud. Virg. *Maria*, inquit, *lingua ſyriaca Domina dicitur: Chriſtus Dominus, Maria Domina: & licet ipſa ſe Chriſti profiteatur Ancillam, hoc ſeruitutis genus omni regno ſublimius eſſe intelligit: Conſtituta quippe eſt ſuper omnem creaturam; & quicumque Ieſu curuat genua, Matri quoque pronus ſupplicat; & filij gloriam cum matre non tam communem iudico, quam eandem.* ſic Arnoldus. His conſentiunt Bonauentura in ſpeculo cap. 3. & S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 14. qui Mariæ nomen Dominam ſonare volunt. Quòd autem ipſa non tantum nomine, ſed re ipſa verè Domina, ac Regina ſit omnium, cùm ſit vera Dei genitrix, ſequenti capite fusè ex Patribus oſtendemus.

Maria nomen Dominæ ſignificat. *Chryſolog.* *Eucher.* *Iſidorus.* *Beda.* *Damaſcen.* *Arnoldus Carnotenſis.* *Bonauent.* *S. Anton. Cap. 3.*

15 Quod verò ad nomen ſtellę maris pertinet, Hieronymus non tantũ in lib. de nomin. hebr. vt ſupra diximus; verùm etiam in pſal. 18. id docet illis verbis: *In ſole poſuit tabernaculũ ſuum: in ſole, in vtero Sanctæ Mariæ Virginis: Maria interpretatur ſtella maris; lumen ſolis magis lucet, quàm ſtellarum: ſol iuſtitiæ Dominus, vt ait Propheta, Orietur vobis ſol iuſtitiæ, quod eſt Chriſtus: illuminauit ſol iſte ſtellam, ideſt Mariam, vt eſſet ſicut ſol, ideo poſuit tabernaculum ſuum in ſole, quoniam corpus aſſumpſit ex vtero ſuo.* ſic Hieronymus. Hanc eandem ſtellæ maris interpretationem in nomine Mariæ agnoſcunt Eucherius, Iſidorus, & Beda ſupra citati. Ildefonſus quoque ſerm. 1. de Aſſump. *Ipſa*, inquit, *ſtella*

Hieron. *Maria ſtella maris* *Pſal. 18.* *Maria ſol.* *Malach 4.* *Eucher.* *Iſidorus.* *Beda.* *Ildefonſ.*

ſtella maris, quam hodie cœlum ſuis recipit ſedibus, appellatur; quia ſecundùm verbum hebraicum MARIA, ita interpretatur. Hinc agite dilectiſſimi, vt luciſer ille, qui neſcit occaſum, oriatur in cordibus veſtris, dum in hoc ſæculo eſtis: Nam mare prorſus ſeculum eſt; Stella autem beata Virgo Maria, de qua ortus eſt ille, per quem illuminatur omnis mundus: Hinc ſecurius accedite ad laudem Virginis, & illuminamini, quoniam ipſa eſt, per quã vera lux in mare huius ſeculi refulſit. hæc ille. Sed luculenter Bernardus Virginis ſtudioſiſſimus homil. 2. ſuper miſſus eſt. *Maria, quod interpretatum maris ſtella dicitur, & Matri Virgini valdè conuenienter aptatur, ipſa namq. aptiſſimè ſideri comparatur, quia ſicut ſine ſui corruptione ſidus ſuum emittit radium, ſic abſque ſui læſione Virgo parturijt filium, nec ſideri radius ſuam minuit claritatem, nec Virgini ſuam filius integritatem. Ipſa eſt igitur nobilis illa ſtella ex Iacob orta, cuius radius vniuerſum orbem illuminat, cuius ſplendor, & præfulget in ſupernis, & inferos penetrat, terras etiam perluſtrans, & calefaciens magis mentes quàm corpora; fouet virtutes, excoquit vitia: ipſa (inquam) eſt præclara, & eximia ſtella ſuper hoc mare magnum, & ſpatioſum neceſſario ſubleuata, micans meritis, illuſtrans exemplis. O quiſquis intelligis in huius ſeculi profluuio magis inter procellas, & tempeſtates fluctuare, quàm per terram ambulare, ne auertas oculos ab huius ſideris fulgore, ſi non vis obrui procellis. Si inſurgant venti tentationum, ſi incurras ſcopulos tribulationum reſpice ſtellam, voca MARIAM: ſi iracundia, aut auaritia, aut carnis illecebra nauiculam concuſſerit mentis, reſpice ad Mariam; ſi criminum immanitate turbatus, conſcientiæ fœditate confuſus, iudicij horrore perterritus, barathro incipias abſorberi triſtitiæ, deſperationis abyſſo, cogita Mariã. In periculis, in anguſtijs, in rebus dubijs, Mariã cogita, Mariã inuoca, non recedat ab ore, non recedat à corde, & vt impetres orationis eius auxilium, non deſeras conuerſationis eius exẽplum. Ipſam ſequens non deuias, ipsã rogans non deſperas, ipſam cogitans non erras, ipſa tenente non corruis, ipſa protegente non metuis, ipſa duce non fatigaris, ipſa propitia peruenis, & ſic in temetipſo experieris; quia nomen Virginis MARIA,* ideſt ſtella maris. Idẽ Bernardus ſerm. de Natiu. Virg. *Tolle corpus hoc ſolare, quod illuminat mundum vbi dies? Tolle Mariam hanc maris ſtellam, maris vtiq. magni & ſpacioſi, quid niſi caligo inuoluens, & vmbra mortis, & denſiſſimæ tenebræ relinquuntur?* hæc Bernardus. Sanctus etiam Thomas opuſc. 8. *Conuenienter,* inquit, *vocatur Maria illuminata in ſe, & illuminatrix in alios quantum ad totum mundum, ideo aſſimilatur Soli, & Lunæ.* & infra: *dicitur Maria ſtella maris, ſicut nauigantes ad portum diriguntur per ſtellam maris, ita Chriſtiani diriguntur ad gloriam per Mariam.* ſic S. Thomas. Denique Eccleſia in celeberrimo illo hymno ſic Deiparam reuerenter ſalutat.

Bernard. Numer. 24. S. Thom. Officium Eccleſiaſticum.

,, *Aue maris STELLA,*
,, *Dei Mater alma*; & mox:
,, *Solue vincla reis,*
,, *Profer LVMEN cœcis,*
,, *Mala noſtra pelle,*
,, *Bona cuncta poſce.*

16 Cæterùm ſtellæ maris nomen Deiparæ multipliciter conuenire ſatis patet: primum ſiquidem eccleſiam ſuæ doctrinæ luce colluſtrauit; quod cap. 19. diligenter oſtendemus, eamq; propterea Doctorum aureolam aſſecutam inferemus. deinde præclariſſimarum virtutum fulgore, atque exemplis, vt dicebat Bernardus, adeò coruſcat, vt ad ſui imitationem prouocet vniuerſos, cuius vita inclyta, vt canit Eccleſia, cunctas illuſtrat Eccleſias; de eius porrò heroicis virtutibus copioſè cap. 21. de earumq; imitatione cap. 37. agemus. Denique ſicut ſtella maris, quàm Polarem appellamus; eis, qui nauigant inter maris procellas, ac ſyrtes, etiã ſolis lumine ſublato, curſum præmonſtrat, eosq; dirigit; ita ſanctiſſima Virgo in tenebricoſo vitę huius Oceano iactatos, & ſcelerum tenebris vndiq; circumfuſos, modo ad eam ſubindè reſpiciant, eamq; precibus inuocent, certum tenere curſum docet, & ad portum ſalutis appellere. quod eleganter Bernardus, Epiphanius, ac S. Thomas, quos ſupra attulimus, docent. Illud quoque minimè prætereundum S. Antoninum 4. par. tit. 15. cap. 14. §. 2. piè oſtendere, quo modo Deiparæ congruant ea, quæ de ſtella maris, quam Polarem vocamus, tradunt Aſtrologi: hæc enim in cauda Vrſæ minoris ſita, omnium ſtellarum, quæ videntur proxima Polo, loco Poli, qui

Cap. 19. Bernard. Crp. 21. Cap. 37. S. Anton.

minimè

minimè viſui patet,ſumi ſolet;eſt enim ex ipſa cœli ſubſtantia,non ſecus atque aliæ ſtellæ. Et quoniam hic vertex, vt verbis vtar Poetæ,nobis ſemper ſublimis, ea ſtella in noſtro hoc hemiſpherio degentibus nunquam occidit;magnetem,ferrumq; magnete oblitum ad ſe attrahit,Nautas dirigit, & circa eam reliquæ ſtellæ aſſidue moueri videntur: ita Deipara ſanctiſſima Chriſto omnium eſt proxima; eius vitæ conuerſatio tametſi in terris degeret, tota erat cœleſtis; reliquis omnibus Sanctis quàm longiſſimo interuallo præcellit; lapidea,ac ferrea peccatorum pectora ſua virtute trahit;in hoc mari nauigantes dirigit; & vt verbis vtar Bernardi ſerm.2. de Pentec. *ad illam ſicut ad medium,ſicut ad arcam Dei, ſicut ad rerum cauſam, ſicut ad negotium ſeculorum reſpiciunt; & qui in Cœlo habitant, vt reſarciantur; & qui in inferno,vt eripiantur; & qui præceſſerunt, vt Prophetæ fideles inueniantur;& qui ſequuntur,vt glorificentur.* Franciſcus quoque Mayro longè ante S.Antoninum in ſerm.de creatione animæ B.Virginis,plurimas ſtellæ maris conditiones Deiparæ eleganter accommodat, docetq; quemadmodum circa polum ſeptem vertuntur ſtellæ, ita Deiparam ad dexteram filij conſedentem, ſeptem Angelos ante Deum aſtantes circumambire; quod vberius cap.26. expendemus, ad rigoremq; Aſtrologorum examinabimus illud de ſeptem ſtellis polum ambientibus.

Virgil. *Bernard.* *Mayro.* *Cap. 26.*

Maria myrrha maris.

Nomen quoque MARIAE idem eſt, quod myrrha maris: Myrrha verò cum propter amaritudinẽ ſibi inſitam corpora à lue,ac mortalitate præſeruet; & veteres demortuorũ corpora ea condire conſueuerint;ideo apud ſacros Doctores chriſtianæ mortificationis ſymbolum eſt;quæ tametſi inſuauis,vtiliſſima eſt contra peccatorum luem. Deiparæ verò hæc notio dupliciter aptari poteſt: primum ratione ſui;quia,vt ſupra demonſtrauimus,mare quoque appellatur;& quamuis ipſa ab omni peccatorum corruptione libera ſemper extiterit, ad Dei tame gloriam,& ad imitationem filij mortificationem egregiè coluit.ꝙ cap.21.oſtendemus.Deinde myrrha dici poteſt reſpectu noſtri; quibus ipſa ex Epiphanio, quem ſupra citauimus, incorruptionem ſuis precibus,& meritis impertitur.

Cap. 21. *Epiphan.*

Denique amarum mare,quod erat vltima notio huius ſacri nominis ſatis explicatum eſt ex ijs,quæ ſupra de Mari diſſeruimus.

Maria nomen præfiguratum, & multo ante præcognitum. *Exod. 15.*

17 Sed oſtendamus iam nomen hoc Mariæ aliquando præfiguratum, & multo ante præcognitum, ac ipſis Deiparæ parentibus præſignificatum; quod erat ſecundo loco de hoc ſacro nomine tractandum. Et quidem Exod.15.Maria Prophetiſſa ſoror Moyſi, præſtantiſſimi videlicet Prophetæ, à Iudæorum Ducis, ac legiſlatoris, ſoror quoque Aaron,ſummi Sacerdotis, mulier ex Clemente Alexandrino lib.4.Stromat. ſapientia inſignis,demerſo Pharaone cum Aegyptijs in mari rubro ſumpto tympano reliquis mulieribus cum tympanis,& choris poſt eam egreſſis præcinebat:*Cantemus Domino glorioſe enim magnificatus eſt; equum,& aſcenſorem eius deiecit in mare:* quo circa eam Deiparæ typum geſſiſſe non tantum re, ſed ipſo etiam nomine docent complures Patres, Nyſſenus lib.de Virgin.cap.6. Chryſologus ſerm.146. S.Antoninus 4.par. tit.15. cap. 14.§.2.quin etiam eam in veteri teſtamento Virginem fuiſſe docent Nyſſenus,Ambroſius,& Chryſologus locis citatis,quippe quæ non à marito, ſed à fratre cognominatur. At verò Deipara Virgo puriſſima Chriſti ſummi ſacerdotis, populiq; fidelis Ducis, ac Legiſlatoris,vera mater,& affectu,ac natura ſoror ex Auguſtino lib.17.de Ciuit.cap.vltim.prima in nouo teſtamento prophetiſſa fuit; Prophetiſſam enim eam Iſaias cap.8.per prænotionem Spiritus ex Baſilio,& alijs,quos cap.ſequ.citamus,appellat: quæ inchoata humani generis liberatione in incarnatione,iam in ſuo vtero peracta, intelligensq; proſtratum Pharaonem infernalem, veluti præclara Tympaniſtria,quo nomine vocatur ab Auguſtino ſerm.17.de natali,exultauit in ſpiritu,Deoq; gratias agens cecinit: *Magnificat anima mea Dominum,*& quæ ſequuntur. Quare Aponius lib.6.in Cantica illam in veteri teſtamento,hanc in nouo virginitatis principes facit: *Quæ,*inquit,*cæpere Eccleſiæ genas mirandas efficere integritatem ſeruando.*

Clemens Alexandrinus. *Nyſſenus.* *Chryſolog.* *S. Antonin.* *Nyſſenus.* *Ambroſius.* *Chryſologus.* *Auguſtinus.* *Iſai.8.* *Baſilio.* *Auguſtin.* *Luc.1.* *Aponius.*

18 Neque Deus Optimus nomen hoc ſolum præfigurari,verùm etiam euulgari voluit: & vt omittam Rabbi Haccados Iudæorum doctiſſimum apud Galatinum lib. 7. de arcanis cap.13.qui in reſponſione 7. ad Antoninum Conſulem, contendit Matiæ Matris Meſſiæ nomen contineri Iſaiæ 9. illis verbis: *Et multiplicabitur eius imperium:* certe apud Ethnicos non omninò ignotum illud fuiſſe multa teſtantur: In primis Sibylla Eri-

Mariæ nomen apud Ethnicos quoque celeberrimum. *Galat.* *Iſa. 9.* *Sibyll. Orac.*

Erithræa lib. 8. oraculorum cum multa de Christo vaticinaretur, de eius Matre illud adiecit.

,, *Et breuis egrediens MARIAE de Virginis aluo*
,, *Exorta est noua lux.*

Plinius. Cedrenus. Et Argonautæ cum templum excitassent longè nobilissimum, oraculumq; consuluissent, cui nam dicari deberet, hæc ab eo ipsos accepisse scribit Cedrenus in compendio.

Assidua virtute decus sublime parate,
Atque vnum (sic mando) Deum, qui cuncta gubernat
Cœlesti residens solio colite, atque timete,
Illius æternum, atque ante omnia secula Verbum
Nescia Virgo viri nostras emittet in auras;
Quod velut igniferis impulsa sagitta procellis
Edomitum reddet diuino munere mundum.
Huius cui MARIAE nomen sanctissima mater
Agnoscet templum proprium sibi ritè dicatum.

Quod quidem oraculum veteres illi ereis litteris in marmore impressis in ianuæ fronte expositum posteritati transmisere; sed veritatis ignari Cacodæmonis impulsu Rheæ, quàm Deorum matrem fabulabantur, illud consecrarunt; quod postea Zenone Imperatore ad veræ Dei genitricis cultum est traductum. hæc ex Cedreno. Cuius narratio probatur etiam auctoritate S. Procopij inclyti Christi martyris, qui in persecutione Diocletiani coram Flauiano Iudice, cum fidei christianæ rationem redderet, vt Christi incarnationem Ethnicorum testimonio confirmaret, ex ipsorum Annalibus quandam profert Iasonis Argonautarum principis historiam de templo ab eo in arce Athenienſi posito, quod ab oraculo delphico Dei genitrici consecrandum acceperat; vbi nomen MARIAE, ab eodē oraculo prædictum aperte habetur; quemadmodum fusè dicemus tract. de Tēpl. Deip. ex Metaphraste apud Suriū tom. 4. die 28. Iulij in S. Procopij vita, ex qua in Synodo Nicena secunda exemplū quoddam pro veneratione sanctarum imaginum depromitur, vt eius vitæ auctoritatem magnifaciendā esse intelligas. Damascenus præterea in oratione de ijs, qui in fide decesserunt de nostris mysterijs, quæ aliqua ratione Ethnicis cognita fuere, nonnulla proferens, subijcit in hunc modum: *Alij*, inquit, *Verbi ortum ex Virgine, atque adeo nomen ipsius enunciarunt; MARIA enim, ait quidam, nomen puellæ.* sic Damascenus.

Zeno Impei. *S. Procopius M.* *Tract. de Templ. Deipar. Metaphrast. Surius.* *Damascen.*

Nouum de Iesu, ac Deipara vaticinium inuentum. Rodericus Sanctius.

19 Neque verò silentio prætereundum est quod annum Domini circiter 1220. Honorio III. Pontifice Maximo. & Friderico II. Imperatore, ac Ferdinando Castellæ Rege contigisse narrat Rodericus Sanctius in sua historia hispanica par. 2. cap. 40. *Huius*, inquit, *glorioſi Ferdinandi Regis tempore* (vt scribit Martinus Consentinus) *quoddam mirabile ad catholicæ nostræ fidei defensionem accidisse fertur. Nam cum apud Toletum quidam Iudæus gratia ampliandi vineam suam rupem comminuisset, in medio saxi concauitas reperta est, vbi liber erat folia lignea habens descriptus tribus linguis Hebræis, Græcis, & Latinis; scriptura verò quasi vnius psalterij videbatur. Hic liber de triplici mundo disserebat, ab Adam vsque ad Antichristum. Principium verò tertij libri incipiebat à Christo, sic exordiens. In tertio mundo filius Dei nascetur in mundo ex Virgine MARIA patieturq. pro hominum salute.* hæc ille, qui hanc historiam ex Martino Polono desumpsit in suo Chronico expurgato cap. 187. vbi etiam addit, Iudæum illum cum sua familia ad Christum conuersum; eam citat Canisius lib. 2. de B. Virg. cap. 7. Ex quibus satis patet longè ante Deiparæ natiuitatem eius nomen litteris consignatum. Hoc quoque Deiparæ nomen à parentibus non casu, neque humano consilio, sed Angelo eis illud significante cum eius conceptionem illis prænunciauit, impositum testatur liber de natiuitate Virginis inter opera Hieronymi, & indicat Ambrosius de instit. Virg. cap. 5. Id expressè affirmat S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 14. ante §. etenim sicuti nomen Isaac diuinitus prædictum est Abrahæ Gen. 17. & nomen Ioannis Baptistæ ipsi Zacharię Luc. 1. ita hoc singulare amoris, & diuinæ prouidentiæ signum alijs concessum, non est Deiparæ denegatum, vt rectè animaduertit Suarez 3. par. tom. 2. disp. 7. sect. 1. nam vt sapienter Ambrosius lib. 2. in Lucam. *Habent*, inquit, *hoc merita Sanctorum, vt à Deo nomen*

Canis. *Mariæ nomen ab Angelo impositum.* *Ambros. S. Anton.* *Gen. 17. Luc. 1.* *Suarez.* *Ambrosius.*

acci-

accipiant, quod multis exemplis probat, præsertim cum hoc nomen MARIAE post nomen Iesu tantam habeat contra Satanæ tentationes, & mundi pericula virtutem, vt omnes experimur, & infra dicemus, tantam significationem mysticam, vt diximus, tantam etiam suauitatem, vt meritò à Bonauentura in speculo cap. 3. dulcissimum, ab alijs mellifluum appelletur. *Bonauent.*

20 Reliquum est, vt de huius sacri nominis præstantia, atq; virtute aliquid disseramus; quod tertium erat ex ijs, quæ de eo dicenda proposuimus. atque illud initio statuatur, quod Plato in Cratylo, & complures Philosophi animaduertunt, sapientis esse nomina rebus imponere, quæ rerum naturis congruant; eaq; de causa sacri Interpretes Adamũ, vtpote sapientissimum, & naturarum omnium apprimè gnarum, Gen. 2. nominibus suis cuncta animantia appellasse tradunt. Cùm ergo sacrum hoc nomen Mariæ ex sua etymologia, vt vidimus, mysterijs sit refertissimum; totq;, ac tanta significet, illudq; diuino consilio Virgini sanctissimæ fuerit impositum; consequens est, Deiparam vndequaque perfectissimam nominis sui notionem adæquare, eiq; re ipsa egregiè respondere; atque adeo ex ipso etiam nomine illius præstantiam rectè colligi. neque illud mysterio vacare videtur, quod Viegas in Apoc. c. 12. comm. 2. sect. 1. obseruauit; quemadmodum Dei nomen hebraicè est Tetragrãmaton, seu quadrilitterum, deriuatum ab esse, de quo Hieronymus epist. 128. & 136. ita & nomina Iesu, & Mariæ hebraico idiomate esse pariter Tetragrãmaton, seu quadrilittera; quod ad eorum dignitatẽ spectare videtur. Et nomen quidẽ Iesu, quod Iesuag hebraicè à salute deducitur, Sãctes Pagninus hebraici sermonis peritissimus in suo hebraico dictionario in radice Iasaph ex quatuor litteris Iod, Scin, Vau, & Ghain constare docet; quamuis alij, inter quos est Bellarminus in exercitatione grãmatica hebręa super ps. 34. vers. 7. Ieho Suagh pronunciandũ, & quinque litteris scribendum contendant. At verò Mariæ nomen à multiplici radice, vt diximus, deductũ citra omnem controuersiam apud hebræos quatuor litteris nimirũ Mem, Res, Iod, & Mem continetur: puncta.n. quæ apud eos vocem vocalium subeunt, inter litteras non cõnumerantur. Quod si Dei nomen Tetragrãmaton, ineffabile propter eius reuerentiã apud hebręos erat; certè & Deiparę nomen non absq; magna reuerentia efferendum est. ꝙ satis docuit S. Gerardus Episc. in Hungaria, & martyr; qui Hungaros ita instituit, vt nomẽ hoc minimè pronunciarent, sed Dominam vocarent; quod si eius nomen protulissent, statim flexis genibus, & demissis capitibus se se inclinarent; vt est in eius vita apud Surium die 24. Sept. qui vsus in reliquis christiani orbis prouincijs inoleuit; cuncti.n. nostram Dominam eam vocant, & ad eius nomen reuerenter caput aperiunt. quin etiam non desunt, qui velint Archangelum Gabrielem ob Virginis reuerentiã initio salutationis à proprio Deiparæ nomine abstinuisse; postea tamen cum præ humilitate Deipara turbata esset in sermone eius, subiecisse, *Ne timeas Maria*. Canisius quoque lib. 1. c. 1. inter alia, quæ ad nominis Mariæ commendationem affert: *Hebræi*, inquit, *inter arcana sua celeberrimum ducunt, vnam inter creaturas longè perfectissimam esse; ipsi Mitraton, hoc est principem facierum appellant, quia semper stet ante faciem summi Imperatoris, & ius habeat ad ipsius præsentiam benemeritos introducendi. Animaduersum est autem ab eruditis, MARIAE nomen cum illo (Mitraton) haud perperã conuenire, cum numerus, & litteris collectis respondeat, & supputanti summã efficiat 999. nongentorum nonaginta nouem.* hęc Canisius. Et hæc eadem ex Georgio Veneto in harmonia mundi can. 1. tom. 5. affert Viegas loco citato, id quod eiusmodi doctorum auctoritate allatum sic explico. *Plato.* *Gen. 2.* *Maria ratione etiam nominis perfectissima.* *Viegas.* *Hieron.* *Sanctes Pagninus.* *Bellarmin.* *Gerardus Episcopus.* *Surius.* *Canisius.* *Viegas.*

Quemadmodum numerus bestię Apoc. 17. est sexcenti, & sexaginta sex; senarius.n. in sacris litteris est numerus laboris, ad quem Antichristi sectatores perueniunt; triplicatus autem insignem laboris imperfectionem non tantum superficialem, sed solidam, & æternam, veluti trina dimensione constantem indicat. & quemadmodum nomen sanctissimũ Iesu, ex Beda in commentarijs in Lucam, græcè numerum habet octingentorũ octoginta octo; qđ eius litteras supputanti satis liquet; & ipsa Sibylla prædixit in carmine apud Sistum Senensem in bibliotheca sancta lib. 2. V. Sibylla; numerus enim octonarius ad resurrectionem, & gloriam spectat; triplicatus autem ostendit solidam resurrectionis gloriam, atque æternam; ad quam Christus suos perducit: ita numerus nominis Deiparę nongentorum nonaginta nouem magnam præfert dignitatem; nouenarius enim ex ter- *Apoc. 17.* *Iesu ac Mariæ nomina mysterijs referta.* *Beda.* *Bibliotheca sanctorum.*

nario, qui diuinis perſonis conuenit, numero perfectiſſimo ter repetito conſtat; & Angelorum ordinibus propter ſanctiſſimæ Trinitatis honorem ex Dionyſio cap.6. cœleſtis hierarchiæ, eſt attributus. quare indicat Deiparam totam cœleſtem, & angelicam; quæ tametſi Angelis longè præſtet; inter res tamen creatas ad eximiam Deiparæ puritatem, & ſublimitatem declarandam nihil eſt Angelis magis accommodatum; triplicatus autē nouenarius hanc Deiparæ præſtantiam inſignem, & ſolidam oſtendit.

Dionyſ.

21 Quòd ſi Deiparæ nomen græcè, vel latinè vertatur, totidem litteris cum nomine Ieſu conſtat; Septuaginta enim Exod. 15. græcè nomen iſtud reddidere Μαριὰμ ſex litterarum, & indeclinabile cum accentu in vltima: eodem etiam modo illud vertit S. Lucas Euangeliſta in ſuo Euangelio (quamuis in actis Apoſtolorum illud declinet.) At ΜΑΡΙΑ græcè ſi diphthongus ſoluatur, quemadmodum facit Sibylla in ſua Acroſtichide, quam refert Auguſtinus lib. 18. de Ciuit. cap. 23. ſex litteris conſtat. Apud Latinos verò vtrumque nomen quinque litteris effertur; quibus S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 14. §. 4. & ſequentibus, & cap. 22. §. 9. multa myſteria aptat, inter quæ vult ijs litteris quincuplicem Deiparæ dignitatem indicari; quarum quælibet ab ijſdem litteris inchoatur, quod fusè ipſe probat; vt nimirum Deipara ſit Mater vniuerſorum, Arca fœderis, Regula viatorum, Iaculum inimicorum, ſcilicet infernalium, Aduocata peccatorum. Quàm illuſtre verò Deus ſacrum Mariæ nomen reddiderit, illudq; virtute, ac efficacia in cunctis hominum neceſſitatibus præditum effecerit, complures Patres non minus piè, quàm verè docent. Chryſologus ſermone 146. cum commemoraſſet Mariam prophetiſſam Virginem ſororem Moyſi, quæ tranſito mari rubro cæteris mulieribus præcinuit; de nomine Deiparæ hoc profert elogium. *Nomen hoc prophetiæ germanum eſt, hoc renaſcentibus ſalutare, hoc virtutis inſigne, hoc pudicitiæ decus, hoc indicium caſtitatis, hoc Dei ſacrificium, hoc hoſpitalitatis virtus, hoc collegium ſanctitatis: merito ergo matris Chriſti nomen eſt hoc maternum.* hæc Chryſologus. Methodius orat. in hypapantem: *Tuum*, inquit, *Dei genitrix nomen diuinis benedictionibus, & gratijs omni ex parte refertum.* S. Bonauentura in ſpeculo B. Virgin. cap. 8. eam alloquens: *Quia Dominus*, inquit, *nominatiſſimus, ſiue famoſiſſimus famoſiſſimè eſt tecum; ideo & tu es famoſiſſima, & nominatiſſima ſecum. Tu bene ſignata es per illam Ruth, de qua legitur ſic. Sit exemplum virtutis in Ephrata, & habeat celebre nomen in Bethlehem, ideſt in Eccleſia. O celeberrimi nominis Maria, quomodo poſſet nomen tuum non eſſe celebre, quæ etiam deuotè nominari non poteſt, ſine nominantis vtilitate. teſtatur tuus Bernardus dicens: O magna, ò pia, ò multum laudabilis Maria, tu nec nominari potes, quin accendas; nec cogitari quidem, quin recrees affectus diligentium te; tu nunquam ſine dulcedine diuinitus tibi inſita piæ memoriæ portas ingredieris. Maria ergo, fratres, optimè ſignata eſt per illam famoſiſſimi nominis fœminam Iudith, de qua ſcriptum eſt; Nec erat, qui de ea loqueretur verbum malum.* hæc Bonauentura.

Exod. 15. *Auguſtin.* *S. Anton.* *Mariæ nomen hominibus ſalutiferrimum.* *Chryſolog.* *Exod. 15.* *Method.* *Bonauent.* *Ruth 4.* *Bernard.* *Iudith 8.*

22 Quin etiam Dei genitricis nomini illud verè congruit, quod eidem Iudith ſub typo Deiparæ dictum legimus cap. 13. lib. Iudith: *Benedicta es tu filia à Domino Deo excelſo præ omnibus mulieribus ſuper terram. Benedictus Dominus, qui creauit cœlum, & terrã, qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum noſtrorum; quia hodie NOMEN tuum ita magnificauit, vt non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternum: pro quibus non peperciſti animæ tuæ propter anguſtias, & tribulationem generis tui: ſed ſubueniſti ruinæ ante conſpectum Dei noſtri, & dixit omnis populus fiat, fiat.* Idiota in lib. contempl. de Virg. Mar. cap. 5. ad eandem Virginem ſermonem dirigens, de hoc nomine eleganter in hunc modum loquitur: *Vocabitur tibi nomen nouum ò beatiſſima Virgo MARIA, quod os Domini, ſcilicet filius Dei, qui eſt os Patris per Angelum nominauit, videlicet, gratia plena. Poſtea verò nomen* MARIAE *expreſsit dicens: Ne timeas MARIA dedit. n. tibi virgini Mariæ tota ſuper ſancta Trinitas nomẽ, quod poſt nomen ſuperbenedicti filij tui eſt ſuper omne nomen; vt in nomine tuo omne genu flectatur, vti manifeſte patet, cœleſtium, terreſtrium, & infernorũ; & omnis lingua cõfiteatur huius ſanctiſſimi nominis gratiã, gloriã, & virtutem. Non. n. eſt in vllo alio nomine poſt nomen ſuperbenedicti filij tui tam potens adiutoriũ; nec eſt vllum aliud nomen datum ſub cœlo hominibus poſt dulce nomen IESV; ex quo tãta ſalus hominibus refundatur, quia ſuper*

Iudith 8. *Idiota.* *Mariæ nomen inſigne, & ſalutare; eiusq. nominis laudes.*

omnia

omnia Sanctorum nomina, reficit lapsos, sanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, recreat fessos, vngit agonistas, & iugum diaboli extrudit. Fama tui sanctissimi nominis, clarissima Virgo MARIA, prius clausa fuit, quandiù in mundo morata fuit; sed post Assumptionem tuam in Cœlum diuulgata fuit per omnia mundi climata: nam in prædicatione Apostolorum, in omnem terram exiuit sonus tui sanctissimi nominis, & manifestum toti mundo factum est. Tantæ virtutis, & excellentiæ est tuum sanctissimum nomen, Beatissima Virgo, quod ad inuocationem ipsius cœlum ridet, terra lætatur, Angeli congaudent, dæmones contremiscunt, & Infernus conturbatur. Tanta est virtus tui sanctissimi nominis, ò semper benedicta Virgo MARIA, quod mirabiliter emollit, & penetrat duritiem cordis humani. Ideo scribitur lucerna Domini, spiraculum hominis, quæ Prouer. 20. *inuestigat omnia secreta mentis: sic etiam dicere tibi possumus, lucerna Dominæ, idest MARIAE, quæ doctrix, & magistra maris interpretaris, spiraculum hominis, quia peccator per te respirat in spe veniæ, & gratiæ, quæ inuestigat, idest inuestigare facit omnia secreta mentis, idest abscondita cordis, O misericordiosissima Virgo MARIA, ego sceleratissimus peccator talis sum, & talem me feci, quod nomen meum præ confusione non ausim nominare, quia nomen christiani habebam, sed nunc peccatoris. Idcirco adiuuare me digneris, pijssima Virgo MARIA, vt christianus re, & nomine euadam; & sic perseuerando, gratiam, te, & tuum filium Regem æternum laudandi, obtineam in vitam æternam. Amen.* hactenus Idiota.

Non immerito igitur noster Canisius lib. 1. de B. Virg. cap. 1. de hoc nomine agens: *Si vllum aliud*, inquit, *venustum, præclarum, & gratiosum nomen vlli contigit mortalium, quod scribi, legi, decantari, pingi, sculpiq. mereatur, id MARIAE nomen videri potest; dignum sanè quod in omnium oculos, aures, & mentes incurrat; magnaq. cum reuerentia, & priuatim, & publicè nominetur.* sic ille: & sanè pia fidelium consuetudo hoc sacrum nomen depictum in Templis, & in domibus religiosè veneratur. *Canisius.*

23 Cæterùm de præstantissima huius sancti nominis in cunctis tentationibus virtute, atque efficacia, pulchrè Bernardus homilia secunda super missus est, quem supra fusè citauimus: sed ea, quæ huc spectant non inutile erit repetere. *Si insurgant*, inquit, *venti tentationum: si incurras scopulos tribulationum respice stellam, voca MARIAM: si iracundia, aut auaritia, aut carnis illecebra nauiculam concusserit mentis, respice ad MARIAM: si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, iudicij terrore, barathro desperationis incipias turbari, vel absorberi, & tristari: In periculis, in angustijs, in rebus dubijs Mariam cogita, Mariam inuoca; non recedat ab ore, non recedat à corde.* hæc Bernardus. *Efficacia nominis Mariæ. Bernardus.*

Cui consonat illud, quod habet S. Brigitta lib. 1. reuelatio. cap. 9. vbi Deipara hæc de suo nomine eidem reuelauit. *Filius*, inquit, *meus quantum etiam honorauit nomen meum audi. Nomen meum est MARIA, sicut legitur in Euangelio. Hoc nomen cum Angeli audiunt gaudent in conscientia sua, & regratiantur Deo, qui per me, & mecum talem gratiam fecit; & quod vident ipsi humanitatem filij mei in Deitate glorificatam. Illi, qui in purgatorio sunt vltra modum gaudent, tanquam æger in lecto iacens, si audierit ab aliquibus verbum solatij, & quod ei placet in animo, quod statim exultat. Angeli etiam boni audito hoc nomine, statim appropinquant magis iustis, quibus dati sunt ad custodiam, & gaudent de profectu eorum, quia omnibus hominibus Angeli boni dati sunt ad custodiam, & Angeli mali ad probationem: non sic quòd ipsi Angeli separentur à Deo, sed animæ sic seruiunt, vt non relinquant Deum, sed iugiter sunt in conspectu eius, & tamen inflammant, & incitant animam ad agendum bonum. Omnes etiam Dæmones verentur hoc nomen, & timent: qui audientes hoc nomen, MARIA, statim relinquunt animam de vnguibus, quibus tenebant eam. Sicut enim auis, quæ in prædam vngues, & rostrum habet, si audierit sonum aliquem relinquit prædam, & cum nihil operis sequi videt, statim reuertitur ad eandem; sic Dæmones audito nomine meo, statim relinquunt animam, quasi territi, sed iterum aduolant, & reuertuntur ad eam, quasi sagitta velocissima, nisi aliqua emendatio subsequatur. Nullus etiam tam frigidus ab amore Dei est, nisi sit damnatus, si inuocauerit hoc nomen hac intentione, vt nunquam reuerti velit ad opus solitum, quod non discedat ab eo statim diabolus, & nunquam amplius reuertitur ad* *S. Brigitta*

eum, nisi resumpserit voluntatem peccandi mortaliter. Tamen quandoq. permittitur ei turbare eum propter maiorem remunerationem eius, sed non possidere. hæc ibi. Quo circa iure optimo de hoc Deiparæ nomine illud psal. 68. de Ciuitate Ierusalem, quæ eiusdem Virginis typus est, pronuntiatum intelligo. *& qui diligunt nomen eius habitabunt in ea:* quasi qui hoc nomen piè venerantur, & colunt sub tutissimo Deiparæ patrocinio, tanquam in munitissima vrbe, inhabitaturi sint. quod exemplo Rachelis puellæ iudææ confirmatur, quæ beatissimæ Mariæ nomen magna cum lætitia audire gestiens, & ad eiusdem nominis reuerentiam mendicis eleemosynas erogare solita, tandem miro modo ad Christi fidem Deiparæ ope est conuersa; cunctis difficultatibus superatis sanctimonialium Monasterium est ingressa. quod vberius ex Thoma Cantipratensi lib. 2. apum cap. 29. par. 14. referemus tractatu de miraculis Deipar.

Psal. 68.

Rachel Iudea ad Christum fidem per Deiparam conuersa.

Thomas. Tractatu de miraculis.

24 His omnibus subijciam exemplum quoddam idoneis testimonijs egregiè confirmatum. accidit enim anno Domini 1173. tempore Theodorici Flandriæ Comitis in Monasterio S. Bertini apud Vrbem S. Audomari in Artheſia Belgij Prouincia, sub Leone dicti Cenobij Abbate; cuius rei monumentum extat in tabula affixa basi è regione sacelli beatissimæ Virginis Mariæ; quo exemplo apertè declaratur quantum Virgini sanctissimæ cordi sit pietas, ac religio erga eius nomen: hoc porrò exemplum cum apud Vincentium Beluacensem in speculo historiali lib. 7. cap. 116. ponatur, totidem verbis mihi referendum duxi; quo, nulla re addita, vel dempta, maiori sinceritate illud lectori proponatur; sic autem habet. *Quidam Archiepiscopus Cantuariensis Ecclesiæ olim à Curia Romana reuertens in Abbatia S. Bertini, quæ est apud S. Audomarum, hospitatus est; & die crastina ductus in capitulum sermonem ædificationis cum fratribus habuit, quo finito indicauit eis, quia cum esset apud Beneuentum audisset à quodam viro religioso, qui de partibus Ierosolymitanis erat, quòd in illa terra quinque psalmos incipiētes à singulis litteris nominis Beatæ Mariæ in honorem, & memoriam ipsius frequentare multi consueuerant, scilicet Magnificat, Ad Dominum cum tribularer, Retribue, In conuertendo, Ad te leuaui; singulis Aue maria præmittentes: erat autem ibidem in Conuentu S. Bertini quidam Monachus, Ioscio nomine, qui hoc vigilanter audiuit, & quotidie post matutinas prædictos psalmos in honorem B. Mariæ decantare cæpit. Accidit igitur, vt quadam nocte surgentibus fratribus ad vigilias ille frater Ioscio nomine non interesset choro psallentium; Superior verò chorum circumiens cum laterna, vbi eum nō inuenit, ad lectum citius eius perrexit, ibiq. eum defunctum reperit; conuocati autem fratres accurrunt stupentes, & lugentes, vultumq. ei discooperientes, inuenerunt quinque flores rosarum, vnus egrediebatur de ore, & lingua eius; duo de oculis; duo de auribus. Lætantes pro tali miraculo tulerunt eum in chorum, & facie discooperta cum recentibus rosis diligenter intuentes, in rosa, quæ de ore exibat, inuenerunt scriptu MARIA. Tenuerunt ergo illum per septem dies, donec tres Episcopi conuenirent, quorum vnus fuit Atrebacensis Episcopus, qui fuit Abbas Cistercienſis, & multi alij Clerici, & Laici, qui viderunt magnalia Dei.* hæc Vincentius. Cæterum, qua ratione in illis rosis initium quinque psalmorum, quos Ioscio recitare solebat descriptum fuerit, narratur plenius in Speculo exemplorum distin. 9. nu. 119. vbi hoc ipsum Ioscionis factum ex libro exemplorum B. Virginis describitur: cum enim reliqua, quę supra ex Vincentio retulimus posita essent, hæc subijciuntur: *Superior*, inquit, *eius monasterij, qui frater Ioscionis erat in nocte S. Andreæ anno 1173. vbi cognouisset dictum Ioscionē ad matutinas cantandas in choro non adesse, sumpta laterna iuit in dormitorium, vbi eum præcedenti Vespere viderat ire dormitum; cumq; venisset in dormitorium ante fratris sui lectisternium inuenit eum in lecto, sed mortuum; viditq. ex ore eius rosam miræ pulchritudinis excreuisse; similem quoque rosam vidit ex quolibet oculorum suorum, atque aurium exortam. Super rosam autem in ore radicatam habebatur inscripta prima littera nominis MARIA, atq. primus versus huius psalmi Magnificat: super rosam autem in dextro oculo radicatam littera A, primus quoq; versus psalmi Ad Dñm cum tribularer habebatur inscriptus; super rosā sinistri oculi R, & primus versus psalmi Retribue: super rosam dextræ auris littera I, atque primus versus psalmi In conuertendo: super rosam sinistræ auris littera A, atque primus versus psalmi Ad te leuaui. Cum autem his admirabilibus visis stuperet Superior, cum magno timore ad chorum cucurrit, visaq. fratribus nunciauit.*

Beluacens.

Quinque rosæ Mariæ laudes, ac nomen instantes è Ioscij Monachi capite post obitum progreduntur.

Speculo exemplorum.

Cumq.

Cumq. fratres ad ſpectaculum conueniſſent, viſo miraculo, miro timore conterriti, monachum ante dictum attingere verebantur; ſed mox miſerunt nuncium, & intimabant Epiſcopo ſub cuius ſtabant dominio, qui referens gratias Deo, ac beatæ MARIAE matri eius, multum ex audito miraculo eſt gauiſus, eo quod ſic Deo, & glorioſæ matri eius deuote ſeruientes ſolent remunerari. Epiſcopus quoque indutus Epiſcopalibus ſolemnem proceſſionem cum facibus, cum crucibus, atque thuribulis ordinauit; ſicq. cum conuentu, atque Clericorum ſolemni Collegio venit ad lectum Ioſcionis monachi iam mortui: eductam autem roſam de ore iam dicti Monachi, quæ trahentis manum facilè ſubſequebatur, atque cum ſuo vigore, & decore incorrupta manebat, fecit in criſtallo quodam formoſo artificioſe, ac reuerenter incluſam ſuper altare reponi, vbi ad miraculi euidentiam ab omnibus poſſet videri; cæteræ verò roſæ mox eductæ aruerunt, atque priſtinam pulchritudinem amiſerunt. Epiſcopus verò ſuſceptum corpus ante ſummum altare, quod in honorem beatæ Mariæ fuerat conſecratum, honore debito ſepeliuit; vbi ad declarandam clementiam Virginis, & deuoti miniſtri eius meritum oſtendendum, plura poſtmodum miracula contigerunt. hæc in ſpeculo exemplorum.

GRATIAE IMMENSITAS, QVAM VIRGO Deipara in ſua ab Angelo Annunciatione cum Filium Dei concepit eſt conſecuta: multiplex etiam gaudendi ratio ab eodem Angelo voce illa, AVE, ei ſignificata; varij quoque typi, ac nomina, quibus eiuſdem Deiparæ, qua Dei Mater eſt, dignitas exprimitur. Cap. V.

SVMMARIVM.

Deiparam omnium Dominam, ac Reginam eſſe. num. 5.
Vocem AVE in ſalutatione Angelica idem eſſe quod Gaude. num. 11.
Varij typi, ac ſymbola Deiparæ qua Mater Dei eſt; ſunt autem quæ ſecuntur. nu. 22.
Paradiſus voluptatis. num. 23.
Ciuitas Dei. num. 25.
Domus Sapientiæ. num. 26.
Aula Dei. num. 28.
Thalamus Sponſi. num. 29
Liber grandis, nouus, & obſignatus. num. 29.
Ferculum Salomonis. num. 30.
Mons Dei. num. 31.
Medium terræ. num. 32.
Fons hortorum, & puteus aquarum viuentium. num. 33.
Fons lucis. num. 37.
Cœlum Domini. num. 37.
Sanctuarium Dei. num. 37.
Tabernaculum ſui creatoris. num. 37.
Tabernaculum fœderis. num. 3 .
Templum Domini. num. 38.
Sacrarium Spiritus ſancti. num. 38.
Sanctiſſimæ Trinitatis nobile triclinium. num. 38.
Menſa panum propoſitionis. num. 40.
Vrna aurea. num. 41.
Arca Teſtimonij. num. 42.
Eximia Deiparæ tum corporis, tum animæ pulchritudo. num. 52.

Luc. 1. Gratia B. Virgini in Annunciatione collata.

I QVOD si de gratia in Annunciatione Virgini Deiparæ collata loquamur, quando vera Dei genitrix est effecta, & ratione maternitatis habet actu singularem coniunctionem cum filio gratiæ auctore, tantamq; gratiæ plenitudinem obtinuit, vt verbis vtar S. Thomæ 3.par.q.27.art.5.in corp.& ad 1.vt eum, qui est plenus omni gratia in se receperit, eumq; pariendo quodammodo gratiam in omnes deriuarit; facilè ex hoc non solùm eius supra omnes puras creaturas præstantiam, quàm in sua conceptione ei tributam diximus; verùm etiam præter illam, prærogatiuam quandam eximiam, & immensum gratiæ augmentum in hac filij Dei conceptione illi collatum intelligemus. In primis S. Thomas 1.par.q.25.art.6.agens, *num Deus possit meliora facere ea, quæ facit;* in solutione ad 4.docet, *B. Virginem ex hoc quòd est Mater Dei habere quandam dignitatem infinitam, ex bono infinito, quod est Deus; & ex hac parte non posse aliquid fieri melius ea, sicut non potest aliquid melius esse Deo.* hæc D. Thomas. Albertus Magnus apud S. Antoninum 4.par.tit.15.cap.20.§.9. *Non potest,* inquit, *intelligi maiòr gratia participari creaturæ, quàm esse Matrem Dei.* Idem habet Bonauentura in 1. sent. distin.44.in expos.text.in fine: *Virginem,* inquit, *quo ad conceptionem prolis, & quia fuit Mater Dei, quo nihil nobilius cogitari potest, sic tantam habuisse bonitatis dignitatem, quod nulla mulier amplius capere potuit: si enim omnes creaturæ; quantumcumque ascenderent in gradibus nobilitatis, essent præsentes, omnes deberent reuerentiam Matri Dei.* sic Bonauentura, qui in hoc sensu in speculo B.Virg.cap.8. *Ipsa,* inquit, *est, qua maiorem Deus facere non posset; maiorem mundum facere posset Deus, maius cœlum posset facere Deus; maiorem matrem, quàm Matrem Dei, non posset facere Deus.* ita Bonauentura: & verò quàm incomprehensibilis à nobis sit tanta Dei genitricis dignitas, mox pluribus ostendemus. Hinc oritur ratio, quare Virginis excellentiam nec oratione explicare, nec mente omnino consequi possimus: etenim vocabula, quæ in sacris litteris ex rebus nobis notis ad eius dignitatem metaphoricè declarandam adhibentur, per partes Virginis præstantiam vtcumque significant: atque ita per Nardum odoriferam eius humilitatem; per Altare thymiamatis, orationis sublimitatem, atque fragrantiam: per Candelabrum aureum, charitatis feruentissimæ precium inæstimabile: per virgulam fumi ex vniuersis aromatibus, virtutum omnium plenitudinem, cum imitanda boni odoris sanctitate coniunctam; & sic per alia symbola alias Virginis prærogatiuas exprimere conamur; ideo Soli, Lunæ, Stellis, Auroræ, Castrorum aciei ordinatæ, & sexcentis alijs in sacris litteris assimilatur: propterea dicitur, *Quasi cedrus exaltata sum in libano, Quasi cypressus in monte Sion;* & similia quàm plurima, quorum tamen nullum per se, neque omnia simul Virginis excellentiam exæquant. Quòd pulchrè animaduertit S. Bernardinus Senensis tom.3. sermo.1.de nomine Virginis initio: *Sicut Deum ipsum,* inquit, *non vno tantum nomine nominamus, sed multis, vt sic eius incomprehensibilitatem enunciemus; sic & gloriosam Virginem multis nominibus designamus; & nunc lucem, nunc solem, & huiusmodi nominare solemus, vt sic ad sublimitatem eius cognoscendam aliquantulum pertingamus.* ita ille.

Cant.6.

Eccles. 24.

S. Bernard.

Virginis maxima dignitas Deiparæ nomine significatur. Conc. Epbes.

2 Vnum est, quod Virginis dignitatem præcipuè cõmendat, & est magnum illud nomẽ, THEOTOCOS, hoc est DEIPARA, quod tanto studio Sacrum Concilium Ephesinum cõtra Nestorij impietatẽ defendit. Sed vt hoc perfectè à nobis cognoscatur, Deus ipse, cuius Mater est, comprehendendus esset. At verò quia Deus clarè quidem videri per lumen gloriæ, ab ipsomet tributum, potest; comprehendi tamen, vt docent Theologi cum S. Augustino epistol.109.& cum S. Thoma 1.par.q.12.art.7.ne à Beatis quidem, potest, nisi à se solo: ideo Deiparæ excellentia plenè à nobis cognosci nequit. Hinc S. Bernardinus Senensis tom.2.serm.51.art.3.cap.1.de B.Virg. *Tanta,* inquit, *fuit perfectio eius, vt soli Deo cognoscenda reseruetur, iuxta illud Eccles.1. Ipse creauit illam, in Spiritu sancto vidit, dinumerauit, & mensus est; scilicet ipse Deus solus.* ita ille. Idem tom.3.sermo.11.art.2.cap.2. loquens de Virginis assumptione: *Porrò,* inquit, *soli B. Virgini, & filio suo notæ sunt in plenitudine delitiæ amplexuum mutuorum, quod eundem habet filium, & sponsum.* hæc S. Bernardinus: propterea à Damasceno orat.2.de dorm.Virg.dicitur vitæ thesaurus, abyssus gratiæ, quasi nobis veluti abyssus impenetrabilis, & non com-

Augustin. D. Thom. Maternitas Dei dignitas à nobis incomprehensibilis. S. Bernardin. Eccles. 1.

Damascen.

comprehenſibilis. & Andreas Cretenſis orat. 1. de dorm. B. Virg. *Quam*, inquit, *Dei tantum eſt laudare pro dignitate, qui quas nouit rationibus in ea fecit miracula*. idem Andreas. *Si quid*, inquit, *quod nos ſuperat in ea diuina operata eſt gratia, nemo miretur intuens ad nouum, & inæſtimabile, quod in ea peractum eſt myſterium ab omni infinitate infinities infinitè exemptum*. Auguſtinus ſuper Magnificat tom. 9. cum de hoc myſterio ageret: *Dubium*, inquit, *non eſt cœleſtium gaudiorum, & æternæ dulcedinis quàm miram, atque incredibilem ſuauitatem Virgo ipſa concepit, quando illud æternum lumen cum toto maieſtatis ſuæ fulgore in eam deſcendit, & quem non capit mundus, totum ſe intra viſcera Virginis collocauit: audacter pronuncio quòd nec ipſa plenè explicare potuit, quod capere potuit; ſed Spiritu ſancto docente didicerat, ſic ſua per humilitatem tegere*. hæc Auguſtinus. Et Rupertus lib. 3. in Cant. 4. verba illa: *Quàm pulchra es amica mea, oculi tui columbarum, abſque eo quod intrinſecus latet*, Virginis pulchritudini ſoli Deo plenè cognitæ, quæ nos latet, ſic accommodat: *Igitur*, inquit, *oculi tui columbarum; & hæc vera pulchritudo eſt abſque eo quod intrinſecus latet, quod ſolus in te Deus; nobis autem quia inexpertum, idcircò ineffabile, imò incogitabile eſt: ſi enim Apoſtolus raptus ad tertium cœlum audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui; quanto magis tu, Regina cœlorum, perſæpè cœleſtibus interfuiſti: quippe quam circumſteterunt obſtreticum vice gloriam Deo concinentes Angeli, & inter hæc didiciſti, vel aſſequuta es aliquid, quod latet, & latere nos debet*. hæc Rupertus. Anſelmus de excell. Virg. cap. 2. *Hoc ſolum*, inquit, *de ſancta Virgine prædicari, quæ Dei mater eſt, excedit omnem altitudinem, quæ poſt Deum dici, vel cogitari poteſt; & altiſſimum quid habet ad contemplandum, & ruminandum mens humana*. ita Anſelmus. Bernardus homil. 4. ſuper miſſus eſt: *Quid eſt*, inquit, *& virtus Altiſſimi obumbrabit tibi? qui poteſt capere capiat: quis enim, excepta fortaſſis illa, quæ hoc ſola in ſe feliciſſimè meruit experiri, intellectu capere, ratione diſcernere poſſit, qualiter ſplendor ille inacceſſibilis virgineis ſe ſe viſceribus infuderit, & vt illa, Inacceſſibilem accedere ad ſe ferre potuiſſet, de portiuncula eiuſdem corporis, cui ſe animatè contemperauit, reliquæ maſſæ vmbraculum fecerit? & fortaſſe propter hoc maximè dictum eſt, obumbrabit tibi; quia te; nimirum in ſacramento erat, & quod ſola per ſe Trinitas in ſola, & cum ſola Virgine voluit operari, ſoli datum eſt noſſe, cui ſoli datum eſt experiri*. hęc Bernardus. Idem habet S. Bernardinus Senenſis tom. 1. conc. 6. art. 1. cap. 12. cuius verba infra afferam.

Andr. Cret. — Auguſtin. — Rupert. Cant. 4. — Luc. 1. — Anſelm. — Bernard. Luc. 1. — S. Bernardinus.

3 Ex hac dignitate maternitatis Dei deducitur, quòd ſicut ratione vnionis hypoſtaticæ debetur humanitati Chriſti ſumma gratia, & gloria; ita ratione maternitatis Dei multa ſuo modo, & ſecundùm ordinem diuinæ ſapientiæ Virgini debentur, præſertim magna quædam gratiæ plenitudo. & ita S. Thomas 3. par. q. 27. art. 5. in corp. *Beata*, inquit, *Virgo Maria propinquiſſima Chriſto fuit ſecundùm humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam; & ideo præ cæteris maiorem debuit à Chriſto gratiæ plenitudinem obtinere*. & quæſt. 7. art. 10. explicat plenitudinem gratiæ Virginis fuiſſe, quia ſcilicet habebat gratiam ſufficientem ad illum ſtatum, ad quem erat eleuata à Deo, vt eſſet Mater vnigeniti eius. Quare Cyprianus ſerm. de Natiu. Chriſti: *Vt matri*, inquit, *plenitudo gratiæ, vt Virgini abundantior gratia debebatur*. & Epiphanius ſerm. de laud. Deiparæ: *Quomodo*, inquit, *Virgo inuenitur eſſe cœleſtis ſponſa, & mater; quæ donorum ante nuptialium nomine Spiritum ſanctum accepit, dotis verò gratia Cœlum vna cum Paradiſo*. Et Auguſtinus lib. de natura, & gratia cap. 36. inde infert plus gratiæ Virgini collatum ad omne peccatum vincendum, quia nimirum concipere, & parere meruit Chriſtum. Idem initio libri de Aſſumptione Virginis: *Huius*, inquit, *dignitatis, & gratiæ effectum nec cor concipere, nec lingua valet exprimere:* & mox: *Ineffabilis ſanctificationis gratia quantum in corpore valuerit Virginis, illi ſoli notiſſimum, qui de ipſius natura naturam ſuſcepit, quam condidit:* & mox. *De tanta*, inquit, *ſanctitate loqui totum vt eſt, impoſsibile eſt omni linguæ humanæ*. hæc Auguſtinus. Similiter & D. Thomas 3. par. q. 27. art. 4. impeccabilitatem B. Virginis. & art. 5. plenitudinem gratiarum in eadem; & art. 6. ſanctificationem eius in vtero inde deducit, quia futura erat Mater Dei. atque ita Anſelmus de Cõcept. Virg. cap. 18. *Decens erat, vt ea puritate, quæ maiòr ſub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum filium ſuum, quem de corde ſuo æqualem ſibi genitum,*

Gratiæ plenitudo Virgini ex maternitate Dei conceſſa. — S. Thom. — Cyprian. — Epiphan. — Auguſtin. — S. Thom. *Virginis impeccabilitas gratiæ plenitudo, ſanctitas ex Dei maternitate conceſſa.* — Anſelm.

tanquam

tanquam se ipsum diligebat,ita dare disponebat,vt naturaliter esset vnus,idemq. communis Dei Patris, & Virginis filius; & quam ipse filius substantialiter facere sibi Matrem eligebat,& de qua Spiritus sanctus volebat,& operaturus erat, vt conciperetur, & nasceretur ille,de quo procedebat. hæc Anselmus. cui consonat Bernardus epist. 174. *Decuit,* inquit,*Reginam virginum singularis priuilegio sanctitatis absque omni peccato ducere vitam,quæ dum peccati mortisq. pareret peremptorem,munus vitæ, & iustitiæ omnibus obtineret.* Idem serm.de Aquæductu: *Ne steteris,*inquit,*vel inter Angelos Virgo sancta; sublimius aliquid tuo sibi ministerio propinandum terra sitiens præstolatur; Paululum cum pertransieris eos,inuenies quem diligit anima tua. Paululum,inquam,non quia non incomparabiliter superemineat,sed quod inter eum,& ipsos medium nihil inuenias.* & infra. *Intuere quomodo vsque ad Angelos plenitudine gratiæ,super Angelos autem superueniente Spiritu sancto Maria peruenit:* & mox; *Magnum est Angelo vt minister sit Domini: sed Maria sublimius quiddam meruit,vt sit Mater,tantoq. excellentior facta munere singulari,quanto differentius præ ministris nomen accepit.* ita Bernardus. Idem sermone signum magnum: *Iam in eo,*inquit,*quod tam reuerenter, atque officiosissimè ab Archangelo salutata est,vt iam in regali solio supra omnes cœlestium ordines legionum exaltatam cerniere videretur;& paulò minus adoraturus fœminam, qui solebat ab hominibus hactenus æquanimiter adorari; excellentissimum nobis Virginis nostræ meritum,& singularis gratia commendatur.* Idem homil.4.super missus est: *Si iuxta Salomonem,* inquit,*filius sapiens gloria est Patris; quanto magis gloriosum est, matrem ipsius effici sapientiæ.* ita Bernardus. B.Laurentius Iustinianus sermone de Assumpt. *Tantò,*inquit, *dignitate cæteris est effecta excellentior,quanto propinquior erat Verbo.* S.Bernardinus tom.3.conc.61. art.2.cap.4. *Mater Domini nostri Iesu glorioſa Maria tanto melior est Angelis effecta, quanto præ omnibus creaturis hæreditauit,vt obtineret dignissimæ matris nomen: vnde Propheta ait: Eleuata est magnificentia tua super cœlos Deus; magnificentia enim Dei dicta est Virgo Maria.* hæc S.Bernardinus. Damascenus orat. 1. de dorm. cuius verba præcedenti capite etiam citauimus. *Omnium,*inquit,*bonorum initium,& medium, & finis; securitas item,ac vera confirmatio in illa seminis experte conceptione,in illa diuina inhabitatione,in illo denique à labe omni remoto partu posita fuit.* ita Damascenus. & Basilius Seleuciæ Episcopus oratio.de Annunciat. *Si Petrus,*inquit,*ob id beatus appellatus, Regniq. cœlorum claues sortitus est,quod Christum Dei filium palam confessus esset, quomodo ea super omnes beata prædicanda non est; quæ illum parere promeruit, quem ille confessus fuerat? Si Paulus electionis vas cognominatus est, propterea quod venerabile Christi nomen vbiq. terrarum circumferret,& promulgaret; quale nam vas censenda est Deipara Virgo,quæ non manna,vt vrna illa aurea,sed cœlestem panem, qui fidelibus in cibum,& potum exhibetur,vtero complexa est?* hæc ille.

Bernard. Cant.3. Prou. 10. B.Laur.Iustin. S.Bernardinus. Psal. 8. Damascen. Basil. Seleuc.

Nullum gratiæ donũ puræ creaturæ conceſſum eſt, quod Virgini non fuerit collatum. Bernard.

4 Ex hac Dei maternitate deducitur etiam illud,apud omnes Theologos receptissimũ; Nullum gratiæ donum alicui puræ creaturæ esse concessum,quod simili, vel perfectiori modo non fuerit Virgini collatum,nisi sexui repugnet:quare gratiæ omnes, virtutes, & priuilegia in sanctis diuisa, in vna Virgine congregata inueniuntur. Hinc Bernardus epist. 174. *Quod itaq. vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certè non est suspicari tantæ Virgini esse negatum,per quam omnis mortalitas emersit ad vitam.* Idem super illud *(In plenitudine sanctorum detentio mea)* omnium ordinum sanctorum charismata singillatim esse asserit in Deipara, cuius verba capite sequenti afferemus. Idem serm.4.super Salue Regina,explicans de Virgine illud Cant.4. *Mille clypei pendent ex ea,omnis armatura fortium: Non est dubium,*inquit, *Te benedictam, intellectu, & affectu,& actu super omnes mortales Decalogum habuisse,& obseruasse; vnde prorsus mille clypei ex te pendere dicuntur; decalogus enim si ex cognitione in affectum dilatetur, quasi denarius quadratur, & parit centenarium, sed denarius solidus in operationem deductus millenarius est,& non solum clypei pendent ex ea,sed & omnis armatura fortium: Nihil est enim virtutis,quod ex te non resplendeat;& quicquid singuli habuerunt Sancti, tu sola possedisti. Lectulus es Salomonis,de quo in Canticis,en lectulum Salomonis, sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi.* sic ille. Et Bonauentura in speculo B.Virg.cap.3.6.& 7.idem eleganter, & optimè probat,

Ecclesi. 24. Cant.4. *Cant.3. Est lectulus Salomonis. Bonauent.*

bat,& cap.3. *Maria,*inquit,*dicitur mare propter affluentiam,& copiam gratiarum;vnde ſcriptum eſt Eccleſ.*1. *Omnia flumina intrant in mare,dum omnia chariſmata Sanctorum intrant in Mariam,flumen gratiæ Angelorum,Patriarcharum,Prophetarum, Apoſtolorum,Martyrum,Confeſſorum,& Virginum intrant in Mariam. quid mirum ſi omnis gratia in Mariam confluxit,per quam tanta gratia ad omnes defluxit:vnde ipſa optime dicere poteſt illud Eccleſ.*24.*In me omnis gratia viæ,& veritatis; in me omnis ſpes vitæ, & virtutis.* ita Bonauentura; Ipſa enim Mater eſt eius,qui eſt via,veritas, & vita. Bernardus ſerm.*Signum magnũ,* duodecim ſtellas in capite eius,docet eſſe duodecim prærogatiuas gratiarum quibus ſingulariter Maria adornatur; de quibus dixerat: *Dignum planè ſtellis coronari caput, quod & ipſis longè clarius micans ornet eas potius, quam ornetur ab eis.* hæc Bernardus. Albertus Magnus ſuper miſſus eſt: *Congregationes,* inquit, *aquarum vocauit Deus Maria, locus autem omnium gratiarum vocatur MARIA:* ſic Albertus,ad quod ipſum ante Albertum alluſiſſe videtur Petrus Chryſologus ſer.140. cuius verba cap.27.afferemus. idem Albertus in lib.de B.Maria Virg.cap.69.70.& 71. dicit,principium ex terminis per ſe notum eſſe, Virgini perfectius collatas eſſe omnium Sanctorum gratias.quod refert,& probat S.Antoninus 4.par.tit.15.c.16.§.2.& Franciſcus Suarez 3.par.tom.2.diſput.1.ſect.2. hoc intelligit ex terminis Matris, & Filij, qui ſit Deus, & principium omnis gratiæ. quod pulchrè Methodius orat. in hypapante explicat: *Euge,euge,* inquit, *quæ debitorem illum habes,qui omnibus mutuatur, Deo enim vniuerſi debemus;tibi autem etiam ille debet;proinde qui dixit, Honora Patrem tuum,& matrem tuam, vt is decretum à ſe promulgatum obſeruaret, & alios excederet, omnem matri,& gratiam,& honorem impendit.* ſic Methodius. Petrus Damianus ſerm. de Natiu. B.Virgin.ei accommodat,vt diximus cap.2. Thronum Salomonis eburneum,qui 3. Reg.10.dicitur fuiſſe grandis: *Quid grandius,*inquit Damianus, *Virgine Maria, quæ magnitudinem ſummæ diuinitatis intra ſui ventris concluſit arcanum;Attende Seraphim, & in illius ſuperioris naturæ ſuperuola dignitatem,& videbis quicquid maius eſt, minus Virgine,ſolumq. opificem opus illud ſupergredi.*

*Eccleſ.*1. *Eccleſ* 24. *Ioan.* 14. *Bernard. Apoc.* 12. *Stella duodecim in capite Virginis eius duodecim prærogatiuæ Albert Magn. Petr. Chryſol. Cap.*27. *S. Anton. Suarez. Methodius. Petr. Dam. Cap.* 2. *3. Reg.*10.

5 Hæc etiam maternitas Dei, quæ eſt ſuprema quædam coniunctio cum perſona Verbi infinita,non eſt tantum coniunctio carnalis,vt benè animaduertit Suarez diſput.1. ſect. 2. ſed etiam ſpiritualis: *Quia licet* (vt ipſe ait) *media conceptione carnis ſit facta;tamen ad Deum ipſum aliquo modo terminatur:* quam coniunctionem S.Thomas 2.2.q.103. art.4.ad 2.vocat affinitatem ad Deum,& propterea docet maximam reuerentiam (quæ appellatur hyperdulia) excellentiorem quidem quam alijs Sanctis deberi B.Virgini.

Maternitas Dei vocatur affinitas ad Deum. Suarez. S. Thom. Virgo hyperdulia adoranda.

DEIPARAM OMNIVM DOMINAM, AC REGINAM ESSE.

ADde ratione maternitatis ad bona filij,qui eſt omnium Dñs, eam habere ſingulare ius ex Athanaſio,Damaſceno,Anſelmo,& alijs;quos mox citabimus,ideoq; eſſe Reginam,ac Dominam omnium:nam & Dauid pſal.44.ſic eam vocat,cum dicit: *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate:* quæ verba de *B.* Virgine interpretantur Athanaſius,& alij,quos capite ſequenti citabimus: quod ipſum nomen Mariæ indicat,quæ ſignificat Dominam,quemadmodum ex Hieronymo de nominibus hebraicis in Matthæo,& alijs ſuperiori capite diximus; & præfigurata eſt in Sara, quæ antea vocabatur Sarai;quod idem ſonat,quod Domina,vel Princeps mea: ſed poſtea à Domino mutatum eſt nomen Geneſ.17.& vocata eſt Sara,ideſt Domina,vel Princeps abſolutè abſque addito pronominis (Mei) quaſi vniuerſaliter Domina, & Princeps: & propterea ab Eccleſia ſalutatur: *O glorioſa Domina:* item; *Salue Regina. Aue Regina Cœlorum,& Domina Angelorum:* Hinc eſt quòd Cant.3. in ferculo Salomonis, quod,vt infra dicam,Deiparam adumbrabat, Aſcenſus erat purpureus,ſignificat enim Virginem ſanctiſſimam ad regiam dignitatem,& poteſtatem (*cuius inſigne,* inquit Ambroſius in Luc.23.*eſt purpura*) aſcenſuram; ideo Baſilius, & Chryſoſtomus in ſuis Liturgijs crebrò eam Dominam noſtram vocant. Methodius orat. in hypapantem docet ſacrum Mariæ caput à Deo coronatum eſſe. Ephræm orat.de B. Virgine: *Reginam omnium:*& iterum;*Dominam Principem,atque Reginam præſtantiſſimam,& per quam benedictam*

Maria eſt Regina. Pſal. 44. *Mariæ nomen idem ſonat,quod Domina. Hieronym. Maria in Sara figuratur. Gen.* 17. *Offic.eccl. Cant.*3. *Baſil. Chryſoſtom. Method. Ephræm.*

dictam dominarum Dominam purissimam, & mox: *Reginam, ac Dominam cunctis sublimiorem:* & iterum; *Reginam supernorum Ciuium, & Dominam Angelorum eam appellat.*

Athanas. Athanasius serm. de B. Virg. *Quia ipse Christus*, inquit, *Rex est, & Dominus; Mater, quæ eum genuit, & Regina, & Domina verè censetur.*

Nazianz. Nazianzenus in Tragædia de Christo patiente, sic eam affatur.

,, *Regina, Domina, generis humani bonum.*

Andr. Cret. Damascen. 6 Andreas Cretensis omnium hominum Dominam vocat: quibus consonat Damascenus lib. 4. de fide cap. 15. *Itaque*, inquit, *gratia (nam hoc sonat Annæ vocabulum.) Dominam parit, hoc enim Mariæ nomine significatur; verè enim rerum omnium conditarum Domina effecta est cum Creatoris mater extitit.* & infra: *Sic propriè, ac verè Dei genitrix & Domina, quæ omnium creaturarum dominatrix, Ancilla, & mater omnium conditoris effecta.* Idem orat. 1. de Natiu. ad Sanctos Ioachim, & Annam: *Vos Angelis superiorem, at nunc Angelis dominantem filiam in lucem extulistis*, & orat. 2. de Assumpt. *Oportebat Dei matrem, ea quæ filij erant possidere, atque ab omnibus rebus conditis, vt Dei matrem, & ancillam adorari.* Petrus Chrysologus serm. 142. *Maria*, inquit, *hebræo sermone, latinè Domina nuncupatur; nasci, & vocari Dominam ipsa sui germinis, ideſt Christi filij, fecit, & impetrauit auctoritas*, & sicut Epiphanius hær. 78. ait: *Si Christus Leonis catulus, profectò etiam Genitricem eius lœnam dixerim:* vnde infert Virgini non contigisse secundum partum: *ita si Christus est Rex, profectò mater eius est Regina.* Deiparæ porrò auctoritatem apud Christum esse maximam indicat Athanasius in sermo. de Deipara, vbi ait: *Eam esse Reginam secundum sexum fœmineũ*, quasi dicat, teneri omnes ei reuerentiã exhibere, tanquam omnium rerum Reginæ, & potestatem impetrandi à filio maximam habere, qualem habet Regina vxor, vel mater Regis. quod ex Athanasio animaduertit Suarez tom. 2. in 3. par. disput. 2. sect. 2. propterea Augustinus serm. 35. de Sanctis: *Sufficere*, inquit, *debet notitiæ humanæ hanc verè fateri Reginam Cœlorum, pro eo quod regem peperit Angelorum.* & infra: *De te*, inquit, *quicquid dixero minor laus est, quàm dignitas tua meretur:* & mox. *Si Dominam Angelorum vocitem, per omnia te esse probaris.* Germanus orat. de oblat. Deip. introducit Zachariam excipientem Virginem Trimam à parentibus Deo in templo oblatam, & spiritu prophetico futuram matris Dei in ea dignitatem agnoscentem, eiq; dicentem: *Ades dum Domina omnium terrigenarum; ingredere in gaudium Domini tui.* & infra, illud psalmi 82. contra eos, qui Virgini obloquebantur, sic accommodat: *Erubescant*, inquit, *& deficiant, & pereant, & cognoscant, quia nomen est tibi Domina.* Anselmus de excell. Virg. cap. 9. *Mariam iure materno*, ait, *cœlo, terræq. cum filio suo esse præsidentem*, & cap. 7. *Sciebat*, inquit, *Virgo decurso labentis vitæ spatio in latitudinem Regni cœlestis ascensuram, seq. post filium omni creaturæ cœlestium, terrestrium, & infernorum perenni iure dominaturam.* Bernardus serm. Signum magnum, agens de humilitate Virginis, & de eius exaltatione: *Meritò*, inquit, *facta est nouissima prima, quæ cum prima esset, omnium se se nouissimam faciebat; meritò facta est omnium Domina, quæ omnium se exhibebat ancillam; meritò denique super Angelos exaltata est, &c.* hæc S. Bernardus. Rabbi Haccados magnæ apud Iudæos opinionis ad petitiones Antonini Consulis Matrem Messiæ Dominam absolutè, ac rursus omnium Prophetarum Dominam, & magistram fore docet. S. Thomas opusc. 8. de plenitudine gratiæ Virginis, quam dicit esse totius sanctissimæ Trinitatis nobile triclinium: *& ideo*, inquit, *conuenienter Maria syriacè, Domina, interpretatur.*

Suarez. Augustin. *Germ.* *Psal. 82.* *Anselm.* *Bernard.* *Rabbi Haccados.* *S. Thom.*

Petr. Dam. Luc. 1. Bonauent. Esther 15. 7 Petrus Damianus serm. de Natiu. *Fecit*, inquit, *in te magna, qui potens est, & data est tibi omnis potestas in Cœlo, & in terra.* Bonauentura in speculo cap. 3. *Virgo*, inquit, *re vera est Domina cœlestium, terrestrium, & infernorum*; & illud Esther 15. quæ duas famulas secum habuit cum ad Assuerum adiuit, eleganter exponit de natura Angelica, & humana, quæ Virgini famulantur. Idem in speculo cap. 8. explicat illud Eccles. 24. *In Ierusalem potestas mea*, ideſt, *in Ecclesia militante*, inquit, *& triumphante potestatem habet mater potentissimi Creatoris.* Rupertus lib. 3. in Cant. 4. ad Deiparam tanquã ad præcipuam sponsam, & amicam pertinere vult illud: *Coronaberis de cubilibus leonum, & de montibus pardorum*; & subijcit: *ita*, inquit, *coronaberis ò Virgo, vt in cœlis Regina Sanctorum; & in terris regina sis regnorum. item prædicabitur de te, quòd sis mater Christi;*

Rupert. Cant. 4.

sti; ac proinde Regina Cœlorum, totum iure possidens filij regnum. ita Rupertus. S. Antoninus 4.par.tit.15.cap.22.§.9. *Maria propter Christum imperatrix, & monarcha est mundi*; & cap.20.§.2.de Deipara interpretatur illud Eccles.24. *Et in Ierusalem potestas mea*; ideſt, in Eccleſia, *quoniam luna*, inquit, *quæ Eccleſiam ſignificat Apoc.12. ſub pedibus eſt Virginis, non tantum ſub eius patrocinio; verum etiam ſub eius eſt dominatione, ac poteſtate*. S.Bernardinus Senenſis tom.1.conc.61.art.1.cap.7. probat Dei genitricem hæreditario iure omnium, quæ ſunt infra Deum, habere regale dominium, & inclytum obtinere principatum: *quoniam Chriſtus Dominus eius filius in primo*, inquit, *inſtanti ſuæ conceptionis monarchiam totius promeruit, & obtinuit vniuerſi*, & tom.2.conc.3.art.2. cap.1.probat B.Virginem eſſe Reginam, & Dominam Cœli, & cap.2. dominari etiam Dæmonibus omnibus; omnium quoque factam eſſe patronam, & Aduocatam. Idem ait Idiota lib.1.contempl.de Virg. cap. 1. ideo in cœlis eam habere ſingularem aliquem ſplendorem, vel aliquid aliud, quod ſit velut inſigne regiæ dignitatis, & diadema regni in cap.ſeq.demonſtrabimus.

S.Anton. Eccleſ. 24. Apoc. 12. S.Bernardin. Idiota.

8 Et quod miraculo non caret hanc Virginis excellentiam cum concepit Deum, ſignificaſſe videntur Druides apud Gallos ſapientiſſimi, qui multis annis ante Chriſti Incarnationem Carnuti Vrbe Galliæ Lugdunenſis, aram poſuerunt hoc titulo inſignem: VIRGINI PARITVRAE, vbi nunc magnificentiſſima in Deiparæ honorem eſt extructa Baſilica. Aegyptij item ante Chriſti aduentum, Virginē in lecto, & infantem in præſepio collocare, & adorare ſoliti fuere, ex Ieremiæ Prophetæ, qui apud eos exulauit admonitione, quod tract.de templ.Deip. vberius demonſtrabimus. Imò, vt benè probat Suarez tom.2.in 3.par.diſp.22.ſect.2.Deipara ab initio ſeculi tam in Eccleſia triumphāte, quā in militante aliquo modo adorata fuit; veriſimile enim putat eam ab Angelis Beatis, in Verbo clarè cognitam, quoniam ad eorum ſtatum pertinebat cum perpetuò futura eſſet Domina eorum, & Regina, & videtur colligi ex D.Thoma 3.par.q.30.art.2. ad 3. ſi ſolutio cum ratione expendatur. Certè S.Brigitta in ſuis reuelationibus in ſermone angelico cap.4.dicit Angelos diuinitus ab initio eam futuram cognouiſſe, eamq; dilexiſſe, ac de ea gauiſos eſſe. S.Vincentius ſerm.2. de Natiuit.Virg. agens de eius conceptione ait; *non credatis*, inquit, *quòd fuerit ſicut in nobis, qui in peccatis concipimur, naſcimur, & nutrimur: ſed ſtatim poſtquam corpus Virginis fuit formatum, & anima creata, tunc fuit ſanctificata; ideo fit feſtum de eius conceptione, quia facta eſt lux ſanctificationis in ea, & ſtatim Angeli in Cœlo fecerunt feſtum Conceptionis*. hæc S. Vincentius, quoniam ſcilicet in eius Conceptione præuidebant eam Dei genitricem futuram.

Druides ante Chriſti aduentum Virgini paritvræ aram dicant. Tract. de templ. Deipar. Suarez. D. Thoma. S. Brigitta. S. Vincent.

Ad hæc quando concepit filium ſingulare augmentum gratiæ, & ſingularem perfectionem ſanctificationis præter omne meritum à Deo accepit propter præſentiam diuini Verbi ex ea carnem ſumentis, iuxta illud Angeli; *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te*: & de hoc augmento in conceptione filij nullus ſine temeritate, vt ait Suarez diſp.18. ſect. 4.dubitare poteſt: quare Beda homil.de Viſitatione: *Quis*, inquit, *dicere, quis æſtimare ſufficiat, quæ tunc gratia ſpiritum Dei genitricis repleuit, cum tanta in matre præcurſoris lux doni cœleſtis emicuit*.

Virgo in conceptione Verbi, gratiæ augmentum immenſum eſt conſecuta. Luc.1. Suarez. Beda. Luc.1.

9 S.Bernardinus Senenſis tom.1.conc.61.art.1.cap.12. hoc ipſum eleganter ſic explicat: *Quod Deus*, inquit, *generet Deum, nulla requirebatur in Deo diſpoſitio, cum ei ex natura conueniret, vt per viam naturæ intellectus produceret Verbum per omnia ſibi æquale. Sed quod fœmina conciperet, & pareret Deum, eſt, & fuit miraculum: oportuit enim, vt ſic dicam, fœminam eleuari ad quandam æqualitatem diuinam per quandam quaſi infinitatem perfectionum, & gratiarum; quam æqualitatem creatura nunquam experta eſt: vnde (vt credo) ad illam abyſſum imperſcrutabilem omnium chariſmatum Spiritus ſancti, quæ in B.Virginem deſcenderunt in hora diuinæ Conceptionis intellectus humanus, vel angelicus nunquam potuerunt attingere, & cum Virgo diceret, Quomodo fiet iſtud, &c. Angelus reſpondet ſe tantum myſterium ignorare, dicens: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi; quaſi dicat, Quod à me quæris ignoro: ſed æternæ ſapientiæ Doctor, qui ſibi ſolum hoc Altiſſimum myſterium reſeruauit, te per illuminatiſſimam experientiam edocebit*. hæc S.Bernardinus. & ideo Eccleſia in quadam oratione, ſic dicit: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui Glorioſæ Virginis matris Mariæ corpus, & animam*,

S. Bernardin. Luc. 1. Offic. Eccleſ.

mam, vt dignum filij tui habitaculum effici mereretur Spiritu ſancto cooperante præparaſti, &c. Et Andreas Cretenſis orat. 2. de dorm. reſpiciens ad præclariſſima dona, quibus Deipara ornata fuit, eius pulchritudinem tantam fuiſſe dicit, vt Deus illam deſiderarit. quod ſignificatur pſal. 44. *Et concupiſcet Rex decorem tuum*: verba Andreæ ad Deiparam hæc ſunt: *Tu es terra, quæ eſt verè deſiderabilis, Rex enim deſiderauit gloriam tuæ pulchritudinis, & amauit diuitias tuæ virginitatis, & in te habitauit, & inter nos fixit tabernacula, & per te Deo, & patri nos reconciliauit*. quare meritò Vincentius lib. de laud. Virg. vt refert Caniſius lib. 5. de Deipara cap. 30. citans ex Fulgentio de B. Virgine: *Tali ergo*, inquit, *ac tantæ perſonæ, nihil tandem ad honoris cumulum accedere maius poſſet, quàm vt Dei filium Virgo conciperet, & Virgo mater ederet*. & S. Bernardinus Senenſis tom. 2. concionum ſerm. 51. art. 3. cap. 1. dicit, B. Virginem actu illo fidei, & obedientiæ, quo Angelo Chriſti Incarnationem annuncianti aſſenſit, & aſſentiendo ſe ſe condigne diſpoſuit, ac de congruo meruit, vt eſſet Mater Dei, plus meruiſſe, quàm meruerunt omnes Angeli, & Sancti in omnibus actibus ſuis, quia ſcilicet (vt explicat Suarius diſput. 18. ſect. 4. eo actu meruit ſaltem de congruo eam dignitatem, cui excellentior gratia, & gloria quodammodo debebatur: verba S. Bernardini hæc ſunt: *Si quis*, inquit, *conſiderat virginei conſenſus ad tantum myſterium finalem terminum, clarè intelliget, quod omnis dignitas, & perfectio incluſa in hoc, quod eſt eſſe matrem Dei, tam mente, quàm carne comprehendatur in eo; quod quidem tranſcendit in merito in infinitum, quicquid aliud ſub Deo homine cogitari, vel dici poteſt. Si igitur terminus tam ineffabilis fuit ſuo merito proportionatus, oportet quod meritoria perfectio huius conſenſus fuerit perfectioni ſui termini comproportionata. Ex his igitur colligi poteſt Virginem Beatam in conceptionis filij Dei conſenſu plus meruiſſe, quàm omnes creaturas, tam Angelos, quàm homines in cunctis actibus, motibus, ac cogitationibus ſuis; nempè omnes, qui meruerunt, nihil aliud potuerunt mereri, niſi ſecundum varios ſtatus, & gradus gloriam ſempiternam: hæc autem Virgo in illo admirando conſenſu meruit totalem fomitis extinctionem, dominium, & primatum totius orbis, plenitudinem omnium gratiarum, omnium virtutum, omnium donorum, omnium beatitudinum, omnium fructuum ſpiritus, cunctarum ſcientiarum interpretationes ſermonum, ſpiritus prophetiæ, diſcretiones ſpirituum, operationes virtutum: meruit fœcunditatem in virginitate, maternitatem filij Dei; meruit quòd ſit ſtella maris, porta cœli, & ſuper omnia, quòd Regina miſericordiæ nuncupetur, ac talis nominis conſequatur effectum. vnde meritò Prou. vlt. de ipſa B. Virgine Salomon ait: Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas.* hactenus S. Bernardinus.

10 Et S. Auguſtinus ſerm. 18. de Sanctis ad illa verba; *Ecce ancilla Domini. O felix*, inquit, *obedientia, de qua dictum eſt: melior eſt obedientia, quàm ſacrificium. Hæc eſt omni ſacrificio gratior, hæc voluntas cunctis hoſtijs acceptior, propter hanc beatam eam dicent omnes generationes*. ita Auguſtinus. Adde tot, tantaq; diuinitus in hac admiranda filij Dei conceptione eam accepiſſe, vt Virgo humillima, Spiritu ſancto vrgente, ne tot, tantisq; beneficijs ingrata videretur; Deum magnificans, in hæc verba proruperit: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit in me magna, qui poteſt eſt*; de quo Auguſtinus ſuper Magnificat, tom. 9. *Fecit*, inquit, *mihi magna, magnum fuit, vt Virgo ſine virili ſemine filium conciperet, & mater fieret ſui plaſmatoris; fecit mihi; quod enim in ea ad omnium ſalutem factum eſt, hoc priuilegio dilectionis ad eius gloriam ſingulariter eſt ordinatum, & ideo dixit, magna, quia myſterium Incarnationis Verbi ſuper omnia conſtat eſſe ineffabile*. hæc Auguſtinus.

Hinc eſt quod S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 17. §. 1. *Fortè*, inquit, *in ipſo conceptu, vel partu ſibi datum eſt ad horam, vt videret myſterium huiuſmodi, vt in patria, ſicut Paulus vidit Deum in raptu, & pro illa hora fuiſſet fides, & viſio*. ita S. Antoninus, qui citat Albertum hoc colligentem ex verbis Bernardi homil. 4. ſuper *miſſus eſt*, vbi ait: *illi ſolum datum eſt noſſe, cui ſolum datum eſt experiri*. & infra: *quatenus qui tantum Patri eſt notus, ſit & illi*. ita Bernardus. & confirmatur ex Cypria. ſer. de Natiu. vbi de Virgine ait in hunc modum: *Virgo*, inquit, *carnis, & mentis integritate inſignis; ſpiritali, & corporali, intus, & extra Chriſti præſentia fruebatur*. ſic Cyprianus: & certè piè, ac probabiliter affirmari poteſt, interdum in hac vita Virginem eleuatam fuiſſe ad videndum clarè diuinam

Andr. Cret.

Pſal. 44.

Caniſius. Fulgent.

S. Bernard.

Luc. 1.

Quanam ratione Virgo ſuo cõſenſu in Annunciatione plus meruerit Angelis omnibus, & hominibus.

Prou. 31.

Auguſt.

De merito obedientiæ Virginis in Annunciatione.

1. Reg. 15.

S. Anton.

B. Virgo interdum in hac vita vidit Deum per eſſentiam.

Cyprianus.

gelus in Virgine hebraico idiomate annuncianda, eadem ſalutandi formula vſus eſſet, vtiq; non, Aue, ſed, Pax tibi, græcè redditurus fuiſſet: nam & S. Marcus c. 14. & Græcus S. Matthęi interpres cap. 26. eodem verbo, χαῖρε, Chriſtum à Iuda, & à Chriſto ſanctas illas mulieres Matth. 28. ſalutatas ponunt. Ex quibus duplicē ſalutandi formulam apud Hebræos in vſu fuiſſe colligi poteſt: quarum alteram, quæ apud Græcos, χαῖρε; apud Latinos, Aue, redditur, Angelus in Virgine annnncianda vſurpauit. quod magis confirmatur ex libro Tobiæ cap. 5. vbi in editione vulgata latina (nam in textu græco Tobiæ nulla ſalutationis formula habetur) legimus ſalutationem Archāgeli Raphaelis ad Tobiam ſeniorem cœcum verbo precantis ei gaudium in hunc modum factam: *Salutauit*, inquit, *eum, & dixit, Gaudium tibi ſit ſemper.*

Marc. 14. *Matth. 28.* *Tob. 5.*

14 Et quamuis vox illa, Aue, ſeu, gaude, precantis, ſeu optantis eſſe poſſit, & affirmantis; in hac tamen ſalutatione Angelica ad Virginem, quemadmodum animaduertit Salmeron tom. 3. tractat. 5. Maldonatus, & Toletus in Luc. cap. 1. annotat. 45. & alij, non eſt precantis, ſed affirmantis id, quod iam tunc Virgo beatiſſima habebat, & prænunciantis illud, quod mox cumulatiſſimè acceptura erat; Gabriel enim cœleſtis Paranymphus gratiæ plenitudinem, qua ob myſterium Incarnationis in eius vtero gerendum iam prædita erat, admiratus, prius quàm ſua legatione fungeretur, Virgini ſanctiſſimæ gratulandum, & honorificentiſſimis verbis, ac ſtudiosè quæſitis (quaſi laudum eius præconia nulla oratione conſequi poſſet) ſibi eam officioſiſſimè ſalutandam exiſtimauit. Ergo veluti Dominam ſeruus, ac Dei ſponſam, veramq; Dei matrem mox futuram Dei nuncius, ac miniſter illis verbis: *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres* reuerenter alloquitur: quibus verbis breui quodam compendio eius dotes, ac laudes vtcumque complecti conatus eſt. Hinc factum, vt Virgo humillima, & in oculis ſuis parua in hac inſolita, & perhonorifica ſalutatione, qua tanta de ſe præconia ab Angelo prædicari audiebat, turbata ſit: nam & turbata dicitur non in Angelo, cuius viſioni, vt capit. 26. dicemus, aſſueta erat, ſed *in ſermone eius; & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio*, quemadmodum rectè docuit Origenes homil. 6. in Luc. Chryſoſtomus oratio. de Natiuit. Sancti Ioannis Baptiſtæ. S. Bonauentura in meditationibus vitæ Chriſti cap. 4. Lyranus in Lucam, & Græcus quidam Interpres in catena S. Thomæ. Vnius tantum B. Laurentij Iuſtiniani in ſermone de Annuntiat. verba audiamus: *Turbata*, inquit, *eſt non ex Angelico aſpectu, quaſi inſolito; quippè quæ iugiter viſitabatur ab Angelis; ſed ob excellentiam diuini præſagij, quod propria merita præcellere videbatur: Conſueuit namq. humilitas ſicut ſemper ſtare ſub ſe, ita difficile fidem accommodare ijs, quæ ſupra eam eſſe cenſentur.* hæc ille. Bernardus verò homil. 3. ſuper miſſus eſt; pulchrè docet Virginem turbatam, non tamen perturbatam. *Quod turbata*, inquit, *eſt, verecundiæ fuit virginalis; quod non perturbata, fortitudinis: quod tacuit, & cogitauit, prudentiæ: cogitabat autem qualis eſſet iſta ſalutatio, Sciebat prudens Virgo, quia ſæpè Angelus ſatanæ transfigurat ſe in Angelum lucis, & quia humilis erat, & ſimplex, nihil tale penitus à S. Angelo ſperabat.* ita Bernardus. Et certè Angelus ille apud Danielem cap. 10. quem Caſſianus collat. 8. cap. 13. & Theodoretus, ac Pereria in Danielem exiſtimant fuiſſe Gabrielem, cum ſe Danieli videndum obtuliſſet, tantum ei, eiusq; comitibus terrorem incuſſit, vt hi in locum abſconditum aufugerint: Danielis verò, qui admirabilibus Dei, & Angelorum apparitionibus aſſuetus erat; ſpecies (vt eius verbis vtar) immutata eſt in eo, & emarcuit, nec habuit quicquam virium; & audiens Angelum iacebat cōſternatus, & vultus eius hærebat terræ: at Virgo beatiſſima propter eximiam animi fortitudinem nihil tale paſſa legitur.

Aue non eſt optantis, ſed affirmantis. *Salmeron.* *Maldonatus.* *Toletus.* *Coſterus in ſalutationem Angelicam.* *Barrada lib. 7. cap. 7. idem dicunt.* *Deipara ex humilitate turbata in ſalutatione Angeli.* *Cap. 26.* *Origen.* *Chryſoſt.* *Bonauent.* *Lyran.* *Græcus Interp.* *Laur. Iuſtin.* *Humilitatis proprietas.* *Bernard.* *Dan. 10.* *Caſſian.* *Theodore.* *Perer.*

15 Cæterùm Virgini Deiparæ multiplex erat cauſa gaudendi, vt propterea Angelus verbum illud, Aue, quod eſt, Gaude, in ſua ſalutatione ſibi præmittendum exiſtimarit, non tantùm ob ea, quæ ſubiecit, quia videlicet gratia plena, quia Dominus cùm illa, quia benedicta inter mulieres; verùm etiam ob ea, quæ mox adiecit: *Inueniſti gratiam apud Deum, ecce concipies, & paries filium* Altiſſimi; *& Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſsimi obumbrabit tibi: Siquidem inuenit*, inquit Bernardus homil. 3. in miſſus eſt, *gratiam, quam ipſa quærebat, & nullus ante ipſam inuenire potuit, Dei videlicet, & hominum pacem, mortis deſtructionem, vitæ reparationem.*

Rationes quare Virgini gaudendum in annuntiatione. *Bernard.*

ita Bernardus,& de ſuis caſtis viſceribus ipſa per Saram figurata (cuius nomen Dominam ſonat,genuit nobis filium Dei,verùm noſtrum Iſaac,hoc eſt,iuxta nominis etymologiam, riſum, & vniuerſæ terræ gaudium. Quare Auguſtinus ſermone 18. de Sanctis: *Eua,* inquit, *luxit; Maria exultauit: Eua lacrymas, Maria gaudium in ventre portauit, quia illa peccatorem, iſta edidit innocentem.*

Auguſtin.

Ad hæc Deiparæ gaudendum erat propter eximias prærogatiuas, chariſmata,atque priuilegia, quæ præpotens Deus non tantum ſupra omnem curſum naturalem; verum etiam ſupra omnem communem ordinem ſupernaturalem in eam ſingulariter contulerat; quę ipſamet cum agnoſceret,ingentis gaudij materiam ſibi attuliſſe affirmauit,cum dixit; *Et exultauit Spiritus meus in Deo ſalutari meo,quia reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes; quia fecit mihi magna qui potens eſt.*

Quod eximijs donata fuerit priuilegijs Deipara Euæ maledictionem in benedictionem conuertit.

16 Gaudebat præterea, quoniam maledictio in humanum genus per Euam inuecta, mœror item,atque ærumnæ in benedictionem, gaudium, atque lætitiam per eius partum erant commutandæ. Hinc Auguſtinus loco citato: *Per cuius partum,* inquit,*mutatur natura protoplaſtorum, deletur, & culpa;* & infra: *Cauſam inualeſcentis errati miraculum noui partus euicit, & Euæ planctum Mariæ cantus excluſit.* Quin etiam à miſerijs, & maledictionibus, in quas propter peccatum filij Adam inciderunt,immunis extitit; omnes enim in peccatis concipimur, omnes fomitem peccati, & ſæuientem membrorum legem patimur, ab omni culpa veniali omninò cauere non poſſumus;omnes in terram, de qua ſumpti ſumus, reuertimur; fœminis verò in pœnam illud irrogatum eſt, vt in dolore pariant filios. neque illud ſilendum eſt, ſterilitatem in veteri lege communi Iudæorum opinione adeò probro habitam, vt quemadmodum teſtatur Sanctus Hieronymus in Iſai.cap.57.& Sanctus Auguſtinus quæſtio.42. in Exod. maledicta cenſeretur ſterilis, quæ ſemen non faceret in Iſrael, *hoc eſt* (inquit Bernardus homil. 3. ſuper miſſus eſt) *opprobrio, & contemptui habebatur, tanquam inutilis, & infructuoſa.* At verò Deipara ſingulari Dei priuilegio ab his omnibus libera fuit; quippe quæ originalem culpam nulla ratione contraxit, fomite peccati omninò caruit,nulla culpa actuali, quamuis leuiſſima, inquinata eſt: & licet, vt filio ſuo ſimilis eſſet, eas quas Theologi pœnalitates vocant, quæ nullam inuoluunt culpæ imperfectionem, ſed magnam meritorum præbent materiam, ſubierit; ideoquè mortem obierit: eius tamen corpus non vidit corruptionem, cum poſt triduum, ex Damaſceno oratio. 2. de dormitatione glorioſa,reſurrexerit; & anima, & corpore nunc aſſumpta regnet in Cœlis. appoſitè igitur Damaſcenus loco citato Deiparam cum Eua confert his verbis: *Eua, quæ ſerpentis ſugeſtioni aſſenſum præbuit, partus dolore, & mortis ſententia damnatur, & in infernorum collocatur penetralibus: Hanc autem verè Beatam,quæ Dei verbo aures præſtitit, & Spiritus ſancti operatione repleta eſt, atque ad Archangeli ſpiritalem ſalutationem ſine voluptate, & virili conſortio Dei filium concepit, & ſine dolore aliquo peperit, ac totam ſe Deo conſecrauit, quomodo mors deuoraret? quomodo inferi ſuſciperent? quomodo corruptio inuaderet corpus illud, in quo vita ſuſcepta eſt? Huic recta, plana, & facilis ad Cœlum parata eſt via.* hæc Damaſcenus. Quod autem ad mulierum maledictionem illam ſpectat, de ea Bernardus homil. 3. ſuper miſſus eſt, ad eandem conuerſus Virginem eam ſic alloquitur: *Benedicta tu in mulieribus, quæ illam generalem maledictionem euaſiſti, qua dictum eſt, In triſtitia paries filios, & nihilominus illam, qua ſecutum eſt Maledicta ſterilis in Iſrael; Ac ſingularem conſecuta es benedictionem, vt nec ſterilis maneas, nec cum dolore parturias.* ſic Bernardus. Enim verò quemadmodum ipſa abſque carnis delectatione filium concepit, ita abſque doloris ſenſu eundem peperit,iuxta Iſaiæ vaticinium cap. 66. *Antequam parturiret peperit,* hoc eſt,ante partus dolores filium enixa eſt:quem Iſaiæ locum ad hoc demonſtrandum affert Damaſcenus lib.4. de fide cap. 15. De hoc etiam eleganter Auguſtinus loco citato: *Præciſum eſt,* inquit,*illud Euæ infelicitatis elogium,quo dicitur, In dolore paries filium,quia iſta in lætitia Dominum peperit:* Duo ſiquidē quam longiſſimè inter ſe diſſita coniunxit:nam & Genitricis dignitatem obtinuit,qua ſterilitatis opprobrium eo tēpore tantopere formidatum euaſit,& virginalem pudicitiam non amiſit; quin & virginitatis

Hieronym. Auguſtin. Bernard.

Deipara omnis maledictionis expers.

Damaſcen.

Bernard.

Gen.3.

Maria peperit ſine dolore. Iſa. 66. Damaſcen. Auguſtin.

vexil-

vexillum voto consecratum extulit, vt innumera postea Virginum examina eius exemplo virginitatem Deo dicarint, ac proinde inter coniugatas, Virgo, inter virgines verò de Spiritu sancto fœcunda extitit. Neque verò illud tenuis lætitiæ materiam eidem præbuit, quod cum tartareo, ac truculento dracone, eiusq. semine inimicitias à Deo Genes. 3. positas continenter exercuit, quòd noxium eius caput planè contritura, ac de omni hæretica prauitate triumphatura erat, iuxta illud Ecclesiæ elogium ante multa annorum secula decantatum quemadmodum cap. 24. dicemus, Gaude Maria Virgo cunctas hæreses sola interemisisti in vniuerso mundo.

Deipara de damone, & de hæretica prauitate triumphauit. Gen. 3. Cap. 24.

17 Nec verò silentio est prætereundum; nonnullos, ex quibus est noster Franciscus Costerus in meditationibus super Aue maris stella, & Barrada lib. 7. cap. 7. in voce illa, Aue, initio salutationis angelicæ posita, existimare diuino nutu factum esse, vt Interpres initio salutationis angelicæ hac voce, Aue, potius; quàm illis, Gaude, vel lætare; quæ tamen idem significant, vsus sit. Cùm enim vox hæc, Aue, opponatur voci, Eua, (scribitur namq; ijsdem, sed transpositis, imò inuersis litteris) per hoc veluti anagramma inuersum indicari volunt Deiparam, cui ab Angelo dictum est, AVE, oppositum eorum malorum, quæ in terrarum orbem Eua inuexerat intulisse; atque adeò Euę maledictionem, in benedictionem; mœrorem, in gaudium; ærumnas, in consolationem; miseriam, in fœlicitatem; mortem, in vitam; peccatum, in gratiam; pœnam, in gloriam per Christum, quem ipsa nobis ex suis castis visceribus edidit, feliciter commutasse. quin etiam per hanc Angeli salutationem inchoatam ab, Aue, (quod est Eua inuersum) dum sanctissima Virgo Mater Dei efficitur, significari videtur in veteris Euæ locum, quæ hominibus exitio fuit, Mariam humano generi maximè salutarem subrogari. quod Bernardus sermone signum magnum his verbis eleganter expressit: *Sic nimirum prudentissimus, & clementissimus Artifex, quod quassatum fuerat non confregit, sed vtilius omnino refecit; vt videlicet nobis nouum formaret Adam ex veteri, & Euam transfunderet in MARIAM.*

Costerus. Barrada. Aue mutat nomen Euæ. Bernard.

18 Hinc factum est, vt ex vna parte, aliqua quidem analogia, sed longè dissimilis inter Euam, & Deiparam inueniatur; ita vt Eua ab Epiphanio (vt dicemus) dicatur figura Deiparæ: nam quod illa in naturali hominum propagatione exhibuit, hoc Deipara multò melius, multoq; præstantius in supernaturali filiorum Dei procreatione efficit: illa enim ex Adam formata facta est in adiutorium simile ipsi Adæ, & dicta est cunctarum Mater viuentium, cum tamen cunctorum morientium ex Ruperto lib. 3. de Trinit. cap. 26. potius dicenda esset mater; ex hac verò formatus est Christus nouus, & cœlestis Adam, eumq; pariendo facta est mater verè viuentium; eorum nimirum, qui in spiritualem vitam denuo nascuntur; cui carnem ex suis visceribus præbendo facta est ei in nostra redemptione, in adiutorium, & ad humani generis salutem, quemadmodum cap. 17. dicemus multifariam est cooperata. Quo circa Epiphanius hær. 78. *Beata*, inquit, *mater Dei Maria per Euam significatur, quæ per ænigma accepit, vt mater viuentium diceretur: illa enim mater viuentium vocata est etiam postquam audiuit terra es, & in terram reuerteris; post transgressionem ab illa Eua omnis hominum generatio deducta est in terra, hic autem verè à Maria hæc vita mundo genita est, vt viuentem gigneret, & fieret Maria mater viuentium: Euæ datum est operire corpus sensibile propter nuditatem sensibilem, Mariæ verò datum est à Deo, vt pareret nobis Agnum, & ex gloria ipsius Agni fieret nobis velut à vellere sapientiæ per virtutem ipsius indumentum incorruptibilitatis.* hæc ille.

Inter Euam, & Deiparam quædam analogia, sed dissimilis. Ruperti. Cap. 17. Epiphanius.

19 Ex altera verò parte inter Euam, & Deiparam magna inuenitur antithesis; cum in illius præuaricatione superbia, imprudentia (quam Damascenus orat. 1. de dorm. incautam simplicitatem, verbis serpentis nimium credulam vocat) Gulæ delectatio, perfidia, & inobedientia appareant. at in Virgine sanctissima dum Incarnationis mysterium cum Angelo tractat, oppositæ virtutes, nimirum humilitas, prudentia; qua sapienter Angelo respondit; virginitatis studium, qua vniuersa carnis oblectamenta, etiam ea, quæ in coniugio licent, sibi penitus interdixit; Fides, & obedientia præcipuè eluent: Illa ad peccandum induxit virum Adam, per quem ex Apostolo Rom. 5. *peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* Hæc carnem, in qua redempti sumus, subministrauit Christo,

Inter Euam, & Deiparam antithesis. Damascen. Rom. 5.

per quem homines (vt verbis vtar Apoſtoli loco citato) reconciliationem, abundantiam gratiæ,& donationis, & iuſtitiæ accipientes in vita regnabunt. quod ſi Eua à ſerpente vincitur, eiuſdem ſerpentis caput per Deiparam conteritur. quo circa de hac inter Euam,& Deiparam antitheſi egregiè Patres omnes loquuntur. Irenæus lib. 5. cap. 19. *Sicut Eua ſeducta eſt per angelicum ſermonem* (ideſt diaboli) *vt effugeret Deum; ſic Maria per angelicum ſermonem euangelizata eſt, vt portaret Deum, & ſuaſa eſt obedire Deo, vti Virginis Euæ, Virgo Maria fieret aduocata: & quemadmodum aſtrictum eſt morte genus humanum per virginem; ſoluatur per Virginem æqua lance diſpoſita: virginalis inobedientiæ per virginalem obedientiam.* Tertullianus lib. de carne Chriſti cap. 17. *Quod Eua credendo ſerpenti deliquit, Maria Gabrieli credendo deleuit.* & Epiphanius loco citato. *Eua mortis cauſa facta eſt hominibus, Maria verò cauſa eſt vitæ, per quam genita eſt nobis vita, & per hanc filius Dei aduenit in mundum, & vbi abundauit peccatum, ibi ſuperabundauit & gratia, & vnde illata eſt mors, illinc proceſſit, & vita; vt vita pro morte fieret; & qui per mulierem nobis vita factus eſt, mortem ex muliere inductam excluderet; & quoniam illic Eua cum adhuc eſſet virgo per inobedientiam tranſgreſſa eſt, è contrario per Virginem obedientia gratiæ facta eſt, annunciato aduentu in carne de Cœlo, & vita æterna.* hæc Epiphanius. Idem oratione de Deipara: *Angeli,* inquit, *accuſabant Euam, nunc verè Mariam gloria proſequuntur; quæ mulierum infirmitatem verè glorioſam reddidit; quæ lapſam Euam erexit; & Adam è paradiſo deiectum in cœlos miſit; quæ paradiſum clauſum aperuit; & per latronem rurſum Adamum complantauit.* ſic ille. Et Chryſippus oratione de Deipara introducit dæmonem dum videt nos per mulierem reuocatos ad filiorum adoptionem, quam initio habebamus, hæc ſecum loquentem: *Mulier mecum effecit, vt in genus humanum tyrannidem occuparem, & mulier me à tyrannide deturbauit: Antiqua Eua me erexit in altum, NOVA deiecit.* hæc ille. Sophronius in ſermone de Aſſumpt. *Maria*, inquit, *verè gratia plena, per quam largo ſancti Spiritus imbre ſuperfuſa eſt omnis creatura; & ideo (inquit) benedicta tu in mulieribus, ideſt, plus benedicta, quàm omnes mulieres: ac per hoc quicquid infuſum eſt maledictionis per EVAM, totum abſtulit benedictio MARIAE.* hæc Sophronius. Bernardus ſermone 2. Pentec. *Miſſus eſt*, inquit, *coluber tortuoſus à diabolo, vt venenum per aures mulieris in ipſius mentem transfunderet, & ſic refunderet in totius poſteritatis originem. Miſſus eſt interim Gabriel Angelus à Deo, vt verbum Patris per aurem Virginis in ventrem, & mentem ipſius eructaret, vt eadem via intraret, & antitodū qua venenum intrauerat.* ſic ille. Hieronymus in epiſt. 22. *Mors per Euam, vita per Mariam.* Auguſtinus ſerm. 18. de Sanctis cum multa in hanc ſententiam præclarè diſſeruiſſet, quæ alibi citamus, ſubdit: *Mater generis noſtri pœnam intulit mundo: Genitrix Domini noſtri ſalutem attulit mundo; pro inobedientia enim obedientia commutatur, fides pro perfidia compenſatur.* & lib. 3. de ſymb. ad catec. cap. 4. *Per fœminam mors, per fœminam vita; illa poculum à ſerpente propinatum libenter accepit, & viro tradidit, ex quo ſimul mereretur occidi; Hæc gratia cœleſti deſuper infuſa, vitam protulit, per quam caro mortua poſſit reſuſcitari:* Eccleſia quoque in quodam hymno canit.

,, *Quod Eua triſtis abſtulit,*
,, *Tu reddis almo germine.*

Denique Nyſſenus homilia de humana Chriſti generatione, quem ſupra citauimus, idcirco Angelum ab Aue, quod eſt, Gaude, ſuam ſalutationem auſpicatum teſtatur, vt Virginem beatiſſimam Euæ opponeret; primum enim verbum contra Euam à Deo pronunciatum Geneſ. 3. fuit illud: *Multiplicabo ærumnas tuas*, quoniam initium fuit mortis: At ſanctiſſimæ Virgini, quæ initium extitit vitæ, primum verbum, quod ei dicitur meritò eſt Aue, ſeu Gaude. Quod ipſum inſinuat Procopius Gazeus ſupra allatus. & hæc in præſentia dicta ſint; hanc enim ipſam de Deiparæ cum Eua comparationem cap. 27. vberius expendemus. Quæ verò mala in ſua præuaricatione Eua admiſerit, Tertullianus in lib. de habitu muliebri cap. 1. cum muliere loquens paucis verbis, ita complexus eſt. *Tu es diaboli ianua; tu es arboris illius reſignatrix; tu es diuinæ legis prima deſertrix; tu es quæ eum ſuaſiſti, quem diabolus aggredi non valuit; tu imaginem Dei hominem tam facile eliſiſti; Propter tuum meritum, ideſt mortem, etiam filius Dei mori habuit.*

Irenæus.
Tertullianus.
Epiphanius.
Chryſippus.
Hieronymus.
Auguſtinus.
Nyſſenus.
Procopius Gazeus.
Cap. 27.
Tertullianus.

buit. hæc Tertullianus. Cui consonat Chrysologus serm. 79. *Mulier,* inquit, *mali causa, peccati auctor, via mortis, sepulchri titulus, inferni ianua, lamenti necessitas tota; ob hoc nascuntur lacrymis, mancipantur mœroribus, gemitibus addicuntur, & in lamentis tantum fortes sunt, quantum viribus inueniuntur infirmæ:* Hæc autem omnia per Deiparam, vt satis liquet, emendata sunt. Hinc est quod Bonauentura in specul. cap. 8. dicit: *Coruum Gen. 8. fuisse infidelem, quoniam emissus non redijt, Columbam verò fidelem. Sic & Eua infidelissima mediatrix perditionis; Maria fidelissima mediatrix salutis fuit inter summum Noe, & mundum spirituali diluuio submersum.* ita Bonauentura. Ex quibus omnibus, si rem ipsam per voces significatam spectemus, meritò dicitur Eua mutari in Aue (id quod litterarum inuersio significat) ad quod spectans Ecclesia in hymno illo, cuius initium est *Aue maris Stella,* sic canit.

Chrysologus.

Gen. 8.

„ *Sumens illud Aue*
„ *Gabrielis ore*
„ *Funda nos in pace*
„ *Mutans Euæ nomen.*

Neque hoc est nouum apud Patres, vt ex litteris in hunc, aut illum modum vel exaratis, vel dispositis sacra interdum mysteria colligant; vt videre est apud Epiphanium hæres. 62. Sabellianorum, vbi de A, & ω eleganter philosophatur; & quædam infert scitu non iniucunda; quæ apud eundem loco citato videri possunt.

Epiphanius.

20 Ad extremum circa eandem vocem, Aue, nonnulli quandam notionem, seu deductionem afferunt ad pietatem, & ad sensus veritatem magis, quàm ad solidam veræ etymologiæ trutinam accommodatam; vt scilicet ab, A, quæ particula est priuatiua, & VAE, quod miseriam, tum apud Græcos, tum etiam apud Latinos sonat, deriuetur; ita vt Aue, idem sit quod absque uæ; atque adeò hac voce in fronte salutationis ab Angelo posita Deipara ab omni uæ aliena significetur. ita S. Bonauentura in speculo B. Virginis cap. 2. *Personemus,* inquit, *illud Aue, quo initiata est nostra redemptio, ab omni uæ meritò Virgini Mariæ in principio salutationis dicitur. Aue vtique absque uæ, à quo fuit immunissima.* & infra. *Omnes dicamus ei Aue, omnes oremus, vt propter suum dulcissimum Aue, nos oret liberari ab omni uæ; per Dominum nostrum Iesum Christum filium suum.* hæc Bonauentura. Idem etiam habet S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 13. §. 4. Cæterùm notionem hanc, si vocem ipsam spectemus, vltrò concedimus iuxta exactam etymologiæ rationem minimè esse deductam; uæ enim cum diphthongo, Aue autem absque ea scribitur: deinde apud Latinos A, tametsi in nonnullis vocibus, vtpote Amens, hoc est sine mente; Auius, sine uia, particulæ priuatiuæ munus exerceat; vniuersè tamen non est particula priuatiua, sicuti apud Græcos; latinæ verò vocis deductio ex græco idiomate petenda non videtur; siquidē, vt monet Hieronymus lib. de traditionibus hebraicis in Genesim: *Nemo,* inquit, *in altera lingua quempiam vocans etymologiam vocabuli sumit ex altera, & ideo hebraicum nomen, non græcam, sed hebraicam habere debet rationem.* ita Hieronymus; ex altera verò parte huiusmodi vocum accommodationes quamuis ex peregrina lingua desumptæ, si in ipsa re fundamentum habeant, & ab Auctoribus grauibus vsurpentur, reijci nequaquam debent: scimus enim Hieronymum in fine lib. 2. aduersus Iouinianum etymologiam Romæ, quæ à Romulo denominationem sortita est; ex græca tamen, & hebræa lingua afferre: siquidem ad ipsam Romam apostrophem faciens: *Roma,* inquit, *aut fortitudinis nomen est apud Græcos, aut sublimitatis, iuxta hebræos, serua quod diceris, virtus te excelsam faciat, non voluptas humilem.* Quin etiam Sibylla ex Palladio in Lausiaca cap. 118. Romæ, quæ mille, & ducentis annis pulcherrima fuerat, & frequentissima, deuastationem per Gothos illatam prædicens, & ad eius latinum nomen, græca tamen significatione alludens: *Fiet,* inquit, *ῥώμη hoc est vicus, non Roma.* & Nazianzenus orat. 42. quæ est 2. in Sanctum Pascha, quamuis doceat nomen Pascha apud hebræos Transitum significare; commendat tamen eorum explicationem, qui eiusdem nominis etymon è græca lingua petentes, illud *ἀπὸ τῦ πασχειν*, quod est pati, deducunt; ideoq; ab eo quod Christus passus est, pascha appellatum existimant. verba Naziazeni cum de nomine Paschæ ageret hæc sunt. *Hoc pascha,* inquit, *ab Hebræis iuxta eorum linguam nominatur (quæ vox transitum sonat) historica quidem*

Aue quo modo idem quod absque uæ.

Bonauentura.

S. Antoninus.

Etymologia ex altera lingua quomodo peti possit.

Hieronymus.

ratio-

ratione propter Iſraelitarum ex Aegypto in Chananæam Regionem fugam, & migrationem: ſin autem ſpiritualem ſenſum ſpectemus, propter noſtram ex his inferioribus ad ſuperiora, adq. ad promiſſionis terram progreſſionem, & aſcenſum. quod verò in multis ſcripturæ locis accidiſſe comperimus, vt vocabula quædam ab obſcuriori ſenſu, ad apertiorem; atque à duriori ſono ad elegantiorem, commodioremq. immutata ſint; idem hic quoque contigiſſe animaduertimus. quidam ſalutiferæ paſſionis nomen hoc eſſe arbitrati, ac deinde per litteræ φ in π, & K in X mutationem, hanc vocem ad linguam græcam accommodantes, hunc diem Paſcha nominarunt. Atque hæc vox poſtea conſuetudine, atque vſu confirmata eſt; multitudine videlicet hoc verbum, vt magis pium calculo ſuo comprobante. hactenus Nazianzenus. Neque hic contendo Paſcha ab eo, quod eſt pati deriuatum; cum Hieronym. in cap. 26. Matth. *Phaſe*, inquit, *non à paſſione, vt quidam arbitrantur; ſed à tranſitu nominatur.* ſic ille. Sed id ſolum oſtendo, eiuſmodi nominum deriuationes, atque accommodationes à Patribus interdum vſurpari. Epiphanius hæreſi 29. nomen Ieſu, quod eſt hebraicum, non tantum Saluatorem, ſed etiam medicum ſignificare ex græca etymologia docet. quod etiam Cyrillus Ieroſolymitanus catecheſi 10. & Baſilius in aſceticis tradiderunt, & nos cap. 20. aliquid de hoc dicemus. & Ambroſius lib. 1. de Abraham cap. 3. cum Auguſtino lib. quæſt. ſuper lib. Iudic. q. 37. & Gregorio lib. 30. moral. cap. 13. myſterium numeri trecentorum Gedeonis commilitonum (qui tamen Hebræi, & in libro hebraica lingua conſcripto recenſentur) inueſtigat; ex T littera, quæ apud Græcos crucis figuram exprimit, & hunc numerum ſignificat. atque hæc quidem omnia eo ſpectant, vt oſtendamus Patres interdum ex peregrina lingua aliquot myſteria ſcrutatos eſſe.

Epiphanius: Ieſu nomē apud Græcos Medicū etiam ſonat.
Cyrillus Ieroſ.
Baſilius.
Ambroſius.
Cap. 20.
Auguſtin.
Gregor.

Quo uæ, ſeu miſeria caruit B. Virgo.
Tob. 5.

21 Et ſanè ſi in hac voce rem ipſam penitus introſpiciamus, dum Deiparæ dicitur Aue, quod eſt Gaude, ſeu lætare, omnis planè uæ, ſeu miſeriæ immunis oſtenditur: neque enim aliter perfectè gaudere poſſet, ideo enim Tobias oculis captus cum S. Raphael in ſua ſalutatione gaudium ei precatus eſſet, reſpondit: *quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video.* Sed ſi quiſpiam quærat à quonam uæ, ſeu miſeria libera, & immunis fuerit. Reſpondendum videtur à tribus præcipuè miſerijs eam alienam fuiſſe, nimirum à uæ culpæ originalis, à uæ cuiuſcumque culpæ actualis, quamuis leuiſſimæ, & à uæ fomitis peccati, quem perpetuò extinctum habuit, vt cap. 7. dicemus. quare non incongruè ab ijs, qui ſingula huius ſalutationis verba feſtis B. Virginis accommodari docuerunt, quemadmodum & nos alibi diximus huiuſmodi Aue, ſeu Gaude Conceptioni immaculatæ peculiariter accommodari poſſe tradunt, ſoli enim Virgini inter puros homines in ſua conceptione lætandum eſt, cum ſingulari Dei priuilegio caruerit originali culpa, quæ alijs luctum meritò affert, propter multiplices eius ærumnas, ac miſerias, quas S. Iob tragico quodam ſtylo cap. 3. libri ſui ſub varijs metaphoris vberius perſequitur, & deplorat, quemadmodum plerique Interpretes cum Gregorio in illum locum tradiderunt.

Maria concepta ſine originali.

Cap. 7.

TYPI ALIQVOT, SEV SYMBOLA, QVIBVS DEIPARAE *Virginis præſtantia, qua Dei mater eſt ſignificatur.*

Nomina Deiparæ in ſacris litteris.

22 DEnique ad Deiparæ dignitatem aliqua ex parte declarandam, quam ex Conceptione filij Dei eſt adepta, qui in eius vtero ex puriſſimis ipſius ſanguinibus carnem ſuſcepit, nouemq; menſibus ibi eſt commoratus, ipſa Virgo in ſacris litteris, & à SS. Patribus varijs typis, ac nominibus metaphoricis ductis, tum ex rebus, quæ in vſum hominum veniunt; tum ex rebus Deo conſecratis appellatur, ſeu ſignificatur. Quare *Bernardus* ſerm. 3. ſuper Salue Regina plura nomina, quibus Deipara nominari ſolet, recenſet his verbis. *Non ſolum Cœlum, & firmamentum Domina rerum intelligitur, ſed alijs nominibus conuenienter appellatur, & rerum vocabulis deſignatur, ipſa Tabernaculum Dei, Templum, Domus, Atrium, Cubiculum, Thalamus, Sponſa, Filia, Arca diluuij, Arca teſtamenti, Vrna aurea, Manna, Virga Aaron, Vellus Gedeonis, Porta Ezechielis, Ciuitas Dei, Cœlum, Terra, Sol, Luna, Stella matutina, Aurora, Lucerna, Tuba, Mons, Fons, Hortus, Lilium conuallium, Deſertum; ipſa eſt terra promiſſionis lacte, & melle manans,*

Bernardus.

Stel-

Stella maris; Nauis quoque, via in mari, Sagena, Vinea, Ager, Arca, Horreum, Stabulum, & Præsepe, Subiugale, Apotecha, Aula, Turris, Castra, Acies, Populus, Regnum, Sacerdotium, Ouis pascua, Paradisus, Palma, Rosa, Fluuius, Portus, Columba, Columna, Vestis, Margarita, Candelabrum, Mensa, Corona, Sceptrum, Panis, Oleum, Vinum, Arbor, Virga, Cedrus, Cypressus, Platanus, Cynnamomum, Balsamum, Myrrha, Thus, Oliua, Nardus, Crocus, Fistula, Calamus, Storax, Soror, & Mater est; & vt breuiter concludam de hac, & ob hanc, & propter hanc totus mundus factus est, & hæc gratia Dei plena est, & per hanc homo redemptus est, Verbum Dei caro factum est, Deus humilis, homo sublimis. huc vsque Bernardus. Similia encomia apud complures leguntur de Deipara, vt videre est apud Andream Cretensem, Epiphanium, & alios. Nos aliqua hic commemorabimus, additis Patrum testimonijs, qui eam ita vocare solent, adiecta interdum breui explicatione, quod etiam ad ea, quæ in vniuerso hoc opere dicentur conducet, cum crebro de his, quæ Virgini tribuuntur, sparsim varijs occasionibus mentio sit facienda; quare, & lectorem huc remittemus. *Andr. Cret.*

Typi verò, seu symbola, quibus Deipara quatenus mater Dei est, exprimitur, quæq; in præsentia explicanda suscepimus, hæc sunt. *Typi quibus Mater Dei exprimitur.*

Paradisus voluptatis.	*Fons lucis.*
Ciuitas Dei.	*Cœlum Domini.*
Domus Sapientiæ.	*Sanctuarium Dei.*
Aula Dei.	*Tabernaculum sui Creatoris.*
Thalamus sponsi.	*Tabernaculum fœderis.*
Liber grandis, nouus, & obsignatus.	*Templum Domini.*
Ferculum Salamonis.	*Sacrarium Spiritus sancti.*
Mons Dei.	*Sanctissimæ Trinitatis nobile triclinium.*
Medium terræ.	*Mensa panum propositionis.*
Fons hortorum, & puteus aquarum viuentium.	*Vrna Aurea.*
	Arca testimonij.

PARADISVS VOLVPTATIS.

23 IMprimis Deipara dicitur, PARADISVS VOLVPTATIS Gen. 2. quam Deus omnibus gratiæ voluptatibus cumulauit, quæq; summam hominum voluptatem, ac delitias nobis protulit; ideo S. Iacobus in sua Liturgia Virginem sic affatur: *Tibi, quæ es templum sanctificatum, PARADISVS spiritualis, &c. vniuersa creatura gratulatur.* Ephræm oratione de Deipara ad eandem: *Aue,* inquit, *PARADISE delitiarum, totiusq. amænitatis, & immortalitatis: Aue lignum vitæ, gaudium, & voluptas.* Chrysippus oratione de Virgine: *Aue, quæ es HORTVS Patris.* Andreas Cretensis oratione de Annuntiatione Deiparam dicit esse: *Intellectualem viuidi salutis nostræ ligni PARADISVM, quæ ipsius Horti Edem colonum, Christum (inquam) Dominum intra se habet figuris in ea adumbratum, qui ineffabili quadam potentia fluminis instar viuiparum vterum tuum egressus, quatuor velut initijs per Euangelium suum orbis faciem irrigauit.* ita Andreas. Idem: *Gaude,* inquit, *sancta terra virginea, ex qua nouus Adam formatur, qui veterem Adam seruat.* Damascenus oratio. 2. de dorm. Virg. *Hodie,* inquit, *Eden noui Adam PARADISVM suscepit animatum, in quo sublata est condemnatio, in quo plantatum est lignum vitæ, in quo operta fuit nostra nuditas.* idem oratio. 1. de dorm. *In hoc PARADISO,* inquit, *non patuit serpenti aditus.* hæc Damascenus. Proclus Episcopus Constantinopolitanus de Deipara: *Hæc,* inquit, *spiritualis est secundi Adam PARADISVS.* Ambrosius in psalmum primum: *Inter multa,* inquit, *ligna, quæ erant speciosa ad aspectum, & bona ad escam, etiam lignum vitæ terra produxit in medio PARADISI, vt cætera ligna eius viriditate florerent. Quid esse hoc lignum dicimus, nisi per quod nobis salus venit? & lignum hoc TERRA produxit, quia eum Virgo generauit, quæ erat terra.* & mox: *IESVS est lignum vitæ, lignum sapientiæ plantatum in vtero Virginis, voluntate Patris.* hæc Ambrosius. Rupertus lib. 4. in Cant. pulchrè ea, quæ de Paradiso terrestri in sacra Genesi scribuntur, Virgini accommodat, & fusè persequitur; quomodo nimirum

Gen. 2. Paradisus voluptatis Maria. S. Iacobus. Ephrem. Chrysippus. Andr. Cret. Damascen. Proclus. Ambrosius. Rupertus.

Virgo

Virgo ſit nouus Paradiſus cœleſtis à Deo plantatus, & quo modo in ea formauerit hominem,& ex ea cunctarum germina gratiarum, & cunctarum exemplaria virtutum produxerit;Chriſtum quoque,qui eſt lignum vitæ,& fluuius,ex ea egreſſus ſit,qui lætificat Ciuitatem Dei,qui inde diuiditur in quatuor Euangelia. Bernardus ſerm.2.de Aduentu,cum Deiparam per virgam ſignificari probaſſet,ſubijcit,eam eſſe lignum vitæ: *O verè*,inquit, *LIGNVM VITAE, quod ſolum fuit dignum portare fructum ſalutis*. hæc ibi. S.Bonauentura in Litanijs B.Virginis, eam ARBOREM VITAE FRVCTIFERAM vocat,fortaſſe ad Arborem vitæ in Paradiſo voluptatis alludens. Idem in ſpeculo B. Virg. cap.5. agens de gratia Deiparæ, quæ ſpiritualibus delitijs eam tanquam Paradiſum repleuit,ſic ait: *Gratia mentem,& animam Mariæ fecit delitioſam delitijs ſpiritualibus tãquam Dei viui ſpiritualem PARADISVM,iuxta illud Eccleſiaſtici ; Gratia ſicut Paradiſus in benedictionibus ; verè paradiſus Dei fuit in benedictionibus multiplicium delitiarum ſpiritualium; de quibus etiam B.Bernardus ait:Quid ni delitias dixerim decus virginitatis cum munere fœcunditatis ; inſigne humilitatis , diſtillantem charitatis ſauum ; miſericordiæ viſcera , plenitudinem gratiæ , prærogatiuam gloriæ ſingularis*. hæc Bonauentura.

Bernardus.

Bonauent.

Eccleſ. 40.

Bernard.

24 Petrus Damianus ſermone de Annuntiat. agens de Angelica ſalutatione ſic loquitur: *Denique & Archangelus ait , Aue gratia plena ; Dominus tecum , quia à Domino electam,& præelectam totam eam rapturus erat ſibi Spiritus ſanctus , & cœleſtibus inſigniturus ornamentis. Iam conſecranda erat in LOCVM VOLVPTATIS , de quo fons ille debebat aſcẽdere,qui vniuerſam terræ ſuperficiem irrigaret.*& mox: *Fluuius iſte eſt Deus meus Ieſus , qui à duobus locis voluptatis egreditur, ex vtero Patris; ex vtero Virginis . vnde Propheta : Dominus Deus noſter fluuius glorioſus , exiliens in terram ſitientem ; ſed ineffabilibus differentijs longè aliter à Patre,quàm à matre egreditur . quia , & ſi temporalis natiuitas glorioſa eſt,multò glorioſior eſt æterna.* & infra:*LOCVM VOLVPTATIS, vterum Mariæ intelligo, in quo cumulauit omnes delitias delitiarum Dominus ; de cuius delitijs Spiritus ſanctus admiratorio ſermone in amoris Cantico ſic eructat: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delitijs affluens? nunquid in Angelis voluptatem habet Altiſſimus , in quibus ipſe reperit prauitatem? nunquid in conſtellatione, vel ſcintillatione ſtellarum , quarum aliæ conuertuntur in ſanguinem, aliæ cadunt de cœlo ; aliæ in tenebras obſcurantur? nunquid in aere,vel igne,vel ventis? Nequaquam,quia non in igne Dominus ; non in commotione Dominus ; non in ſpiritu Dominus : ſi verax eſt ille , qui curru igneo, & equis igneis eſt aſſumptus in Cœlum. Nunquid in aquis,vbi furans,& tortuoſus leuiathan immoratur; aut in terra , quæ ſub maledicto Adæ ſpinas emittit, & tribulos ? Non eſt LOCVS VOLVPTATIS, niſi vterus Virginis. Ex hoc egreditur humanitate, quia veſtitus cilicio noſtræ mortalitatis viſibilis humanis oculis apparuit , & de Virgine virgam ; de libro autem generationis lineam faciens,diuinitatis hamum inuenit,quem carne operuit virginali,vt draco magnus illectus ad carnem ferrum diuini numinis ſubſentiret .* hucuſque Damianus. S.Chryſoſtomus oratione in Annunciatione introducit Deum mittentem Gabrielem ad Virginem , eiq; dicentem : *Vade ad PARADISVM meam rationem præditam* . Et Sophronius de Aſſumptione: *Verè*,inquit, *Virgo HORTVS DELITIARVM, in quo conſita ſunt vniuerſa florum genera,& odoramenta virtutum,ſicq. concluſus,vt neſciat violari, neque corrumpi vllis inſidiarum fraudibus . Fons itaq. ſignatus ſigillo Totius Trinitatis,ex quo fons vitæ manat,in cuius lumine omnes videbimus lumen ; cuius perfecta emiſſio vteri ſupernorum ciuium omnium eſt Paradiſus.* hæc ille . Quid ni ergo Deipara ſit Paradiſus , cuius emiſſiones ſunt Paradiſus, hoc eſt, quæ nobis Chriſtum genuit,qui eſt noſtra beatitudo ; quod infra vberius declarabimus.

Petr. Dam.

Gen.2.

Deipara delitijs affluet. Cant.8.

Quæ Virgo , & hamocaptus damon.

Chryſoſt.

Sophron.

CIVITAS DEI.

25 HAE C eſt Ciuitas Dei pſal.47. nimirum filij Dei,qui inter tres diuinas perſonas peculiari quadam ratione Deus noſter ob aſſumptam humanitatem dicitur; & ita Bernardus ſermone 2. de Aſſumpt. vocat illam , CASTELLVM IESV . Georgius Nicom.ſermone de oblatio.vocat CIVITATEM Dei animatam . Chryſoſtomus loco citato

Virgo dcitiur Ciuitas Dei noſtri pſal. 47. Bernard. Georg. Nicom. Chryſoſt.

ſine manu ſcriptum fuit. Idem orat. 1. de Nat. *Hodierno die is, qui omnia efficit Deus Verbum, quod Pater è pectore eructauit, Librum nouum condidit Dei lingua à ſpiritu tanquã calamo quodam in ipſo conſcribendum: qui quidem homini litterarum perito datus eſt, nec tamen ab eo legitur: Neque.n. Ioſeph Mariam cognouit; neque ipſius myſterij potentiã.* hæc Damaſcenus. Georgius Nicom. in orat. de oblat. Deiparæ, ad ipſam illud Iſa. 29. refert: *Eam,* inquit, *indicauit liber obſignatus, quem nullus legit ſciens litterarum: præter eum, qui obſignauit, & ſeruauit ſupra rationem, cum carta ſignificauit puriſſima, in qua Verbũ ſine ſcriptis impreſſum ſcidit fraudis chirographum.* hæc Georgius. Ephrẽ orat. de laud. Deip. ad legis tabulas ſpectans, vocat eam tabulam ſcriptam, legem mortalibus afferentem, & cartam diuiniſſimam. Euſebius Cęſarienſis lib. 7. de demon. Euang. cap. 3. *Nouus,* inquit, *Liber de aduentu Dei, qui continet natalia Chriſti filij prophetidis Mariæ.* S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 5. B. Virginem dicit eſſe librum illum grandem Iſa. 8. vbi ſcriptum eſt Verbum incarnatum: Illam autem prophetiſſam, quam Iſa. loc. cit. dicit concepiſſe filium, cui nomen inditum: *Accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari,* Deiparam Virginem eſſe ex Baſilio in Iſa. 8. & Nazianzeno, & alijs dicemus cap. 23.

Georg. Nicom. Iſa. 29. Ephrem. Euſebius. S. Antoninus. Iſa. 8. Baſilius. Nazianzen. Cap. 23.

FERCVLVM SALOMONIS.

30 HAEC eſt Ferculum, ſeu vehiculum, in quo regia magnificentia geſtabatur Rex Salomon, quod ipſe Salomon Cant. 3. *Fecit ſibi de lignis libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum, media charitate conſtrauit propter filias Ieruſalem.* De Virgine. n. id explicat Andreas Cretenſis orat. 2. de dorm. Honorius in ſigillo, & Gulielmus Petyte apud Martinum del Rio in Cant. 3. Ideo Georgius Nicom. in orat. de oblat. vocat eam vehiculum (ideſt Ferculum Regium) ſimiliter & S. Antoninus 4. par. tit. 15. c. 44. §. 7. Meritò autem Deipara in hoc Salomonis ferculo adumbratur, quam verus Salomon Chriſtus ſapientia Patris, & pax noſtra fecit ſibi, hoc eſt in proprium vſum conſtruxit, vt in eius corde ſpiritualiter, corporaliter autem in eius vtero, atq; vlnis digniſſimis geſtaretur; ligna verò libani, ex quibus ferculum illud cõſtabat, erant, ex Gloſſa interlineari: *Fortia, celſa, ſpecioſa, odorifera, imputribilia, atque candida:* Et his quidem lignis ſingulares, heroicæ, atq; eximiæ Deiparæ virtutes, quarum aliquas in cap. 21. attingemus, quibus eius ſpiritualis ſtructura conſtabat, ſignificantur. Virginis. n. virtutes erant ad omnem hoſtium impetum ſuſtinendũ fortes, proceritate ſua cęlo proximæ, ſpirituali pulchritudine decorę ad ſui dilectionem, vel ipſum Deũ, qui concupiuit ſpeciem eius, allicientes; boni exempli odore flagrantes; contra omnem cariem, atq; putredinẽ diuinitus ita munitæ, vt eſſent prorſus inamiſſibiles. quod non niſi peculiari Dei priuilegio obtineri poteſt. Deniq; puritate ſua, atq; candore omnibus conſpicuæ, & illuſtres. Columnas porrò argẽteas, quibus pondus ſtructuræ Ferculi innititur, ſeptem fuiſſe opinari licet, ſi numerũ ſpectemus earum, quas Prou. 9. Sapientia excidiſſe ſcribitur, cùm ſibi domũ ædificauit, easq; ſancti Spiritus dona nitidiſſima intelligemus, quæ ex D. Thoma 1. 2. q. 68. art. 1. dantur, vt quis promptius moueatur à Spiritu ſancto, quæ dona repercuſſa argenti inſtar ſonum edunt auribus gratiſſimùm: hæc autem dona tribulationis igne in Deipara illuſtriora ſunt reddita, iuxta illud pſ. 11. *Argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum.* Huius ferculi reclinatoriũ fuit aureũm, & per illud accipi poteſt tùm Deiparæ vterus, qui regio decore tanquàm auro fulgebat, in quo nouem menſibus Chriſtus eſt reclinatus: tùm etiam ipſa anima Virginis, in qua per gratiam perpetuò reſedit Chriſtus, & flagranti charitate tanquam auro fuluo nimis rutilat. Aſcẽſus eſt purpureus; ſiquidem virtute ſanguinis Chriſti, cuius efficaciam præſtãtiſſimo modo Virgo eſt conſecuta, meritorum ſuorũ verticem in ſublime ſupra omnes erexit: quare cap. 8. de ea dicitur: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delitijs affluens innixa ſuper dilectum ſuum.* Fuit quoq; Aſcenſus eius purpureus; quoniam ad altiſſimam in cęlis ſedem aſcendit non abſq; labore, atq; ſui mortificatione, vt cap. 12. dicemus, plurima pro Chriſto patiendo, cuius animam iuxta Simeonis vaticinium in Chriſti morte doloris gladius ita pertranſijt, vt Bernardus, & complures alij, eam pluſquam martyrem appellare non dubitent, quemadmodum cap. 11. oſtendemus: quin etiam, vt ex quadam reuelatione refert S. Bonauentura in medit. vitæ Chriſti c. 3. *Nullam gratiam, donum, vel virtutem habuit Virgo ſanctiſſima à Deo ſine magno labore; continua oratione; ardenti deſiderio; pro-*

Virgo Ferculũ eſt Salomonis. Cant. 3. Andr. Cretenſ. Honorius. Gulielmus. Mart. del Rio. Georg. Nicom. S. Antoninus. Cant. 3. Gloſſa interlin. Cap. 21. Pſal. 44. Prouerb. 9. S. Thom. Pſal. 11. Cant. 3. Cant. 8. Cap. 12. Bernardus. Cap. 11. Bonauent.

funda deuotione;multis lacrymis,& multa afflictione,excepta gratia, qua primùm in vtero ſanctificata fuit. hæc ibi. Deniq; Aſcenſus purpureus indicat regiam dignitatẽ,cuius poteſtatis inſigne eſt purpura,ad quam dignitatem fuit euecta,facta Regina Cœlorum, & Angelorum,ac reliquorum omnium Domina.Media deniq; huius ferculi charitate conſtrauit propter filias Ieruſalem:interna.n.miſericordiæ viſcera huius Virginis tanta erga omnes dilectione flagrant,vt charitate conſtrata ſint,ita vt nemo ſit,qui ſe abſcondat à calore eius:*Nemo.n.*(inquit Bernardus ſerm.1.de Aſſumpt.)*dubitare poteſt,omninò in affectum charitatis tranſiſſe Mariæ viſcera,in quibus ipſa,quæ ex Deo eſt charitas, nouem menſibus corporaliter requieuit;præcipuè tamen erga filias Ieruſalem,eos nimirum, qui ad cœleſtem Ieruſalem affectu,& deſiderio aſpirant:* hi.n.in hoc ferculo ampliſſimum præſidium,atq; patrocinium experiuntur,cum hæc mater ſit viuentium,& omnium Aduocata.quæ omnia vberius c.16.27.& 30.perſequemur. Quod ſi intelligas media huius ferculi conſtrata eſſe ijs,quæ ad eius charitatem,& amorem alliciunt;ſanè tot,tãtaq; ſunt in Virgine ſanctiſſima,quę nos ad eius dilectionẽ inuitant,de quibus c.34.agemus, vt nullus ferè ſit, etiam ſi in peccatis verſetur, qui aliquo affectu erga Virginem non feratur.Atque hæc de Salomonis ferculo,in quo Deipara ſignificatur,dicta ſint.

Cant.3.

Bernard.

Cap.16.27.& 30.

Cap.34.

MONS DEI.

Virgo dicitur mons Dei.

31 HAEC propter ſuam in prærogatiuis ſublimitatem ſuper terrenos affectus aſſurgens Cęlo proxima eminus omnibus conſpicua,quàm ſibi Deus ſingulariter elegit:*Mõs eſt Dei,* pſalm.67. *In quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo; etenim Dominus habitabit in finem.* Ita illam appellant Andreas Cretenſis orat.2.de dorm.& orat.de Annunc. additq; eam eſſe Montem adumbrantem,de quo Abacuch 3.Georgius Nicom.orat. de oblat.Virginis,& Damaſcenus orat.1.de dorm.dicit eſſe Mõtem pinguem. & orat.1.de Natiu.Montem Dei. S.Gregorius ſuper 1.Reg.eam Montem in vertice montium Iſa.2. dictam putat,quia ſuper Angelorum choros meritorum verticem erexit.S.Bernardinus tom.3.ſerm.11.art.1.cap.2. quem capite ſuperiori citaui.

Pſal. 67.

Andr. Cret.

Abacuch 3.

Georg. Nicom.

Damaſcenus.

S. Gregor. in 1. Reg 1.

S. Bernardinus.

De hoc Monte Dan. 2. ſine manibus abſciſſus eſt lapis, ideſt Chriſtus Dominus ſine viri opera. Id.n.ita explicat Irenæus lib.3. contra hæreſes cap. 28. Iuſtinus martyr in dialogo cũ Triphone,Chryſippus Presb.Ieroſ.hom. de B.Virgine, & Damaſcenus orat.1.de Natiu.& orat.1.de dorm.Hieronymus in epiſt.22.& in Dan.2. Andreas Cretenſis,& Georgius Nicom.locis citatis. Auguſtinus in concione ad Catechumenos contra Iudæos,Paganos,& Hæreticos. Epiphanius ſerm.de Virg.laud. Theodoretus in Danielem.Rupertus lib.1.in Dan.cap.6.Heſychius hom.de laud.Virg.B.Laurẽtius Iuſtinianus ſerm.de Annunc.S.Bernardinus loc.cit.Noſter Pereria in Dan.lib.2.quin etiam S.Hieronymus epiſt.22.animaduertit,ideo lapidẽ hunc dici abſciſſum ſine manibus,quia manus accipiuntur pro opere nuptiarum, iuxta illud Cant. 2. *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Chriſtus porrò eſt lapis firmiſſimus de Virgine abſciſſus probatus 1.Pet.2.*Pretioſus,& angularis,qui facit vtraque vnum,*& cui omne ſpirituale ædificium innititur, qui contriuit ſtatuam illam Nabuchodonoſoris per viſum obiectã, quæ quatuor præcipuas Monarchias, Chaldęorum,Perſarum,Græcorum,atque Romanorum ſignificabat;ſiue,vt ait Auguſtinus tract.1.in primam Ioannis epiſtolam, qui cõfregit omnia regna terrarum, ideſt dominationes Idolorum, & dæmoniorum, & factus eſt mons magnus,& impleuit vniuerſam terram, eiq; data eſt omnis poteſtas in Cœlo, & in Terra.

Dan. 2.

De B. Virgine abſciſſus, & lapis ſine manibus

Irenaus.

Iuſtinus.

Chryſippus.

Damaſcenus.

Hieronymus.

Andr. Cret.

Georg. Nicom.

Auguſtin.

Epiphanius.

Teodoretus.

Rupertus.

Heſychius.

B.Laurent.Iuſt.

Cant 2.

Chriſtus cur lapis dicatur.

1.Pet.2.

Virgo dicitur mons vnde excisſus eſt lapis ſine manibus

Auguſtinus.

MEDIVM TERRAE.

32 HAEC Pſalm.73. appellatur Medium terræ. Ita Bernardus ſermone 2.in feſto Pentecoſtes: *Tunc,* inquit, *operabatur ſalutem noſtram in medio terræ, in vtero videlicet Virginis Mariæ,qui mirabili proprietate terræ medium appellatur: ad illam enim tanquam ad medium, ſicut ad Arcam Dei, ſicut ad rerum cauſam, ſicut ad negotium ſeculorum reſpiciunt, & qui in Cœlo habitant, & qui in inferno, & qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus, & qui ſequuntur, & nati natorum, & qui naſcentur ab illis; Illi qui ſunt in Cœlo, vt reſarciantur; & qui in inferno, vt eripiantur; & & qui præceſſerunt,vt Prophetæ fideles inueniantur;qui ſequuntur,vt glorificentur.*& infra: *In te Angeli lætitiam,iuſti gratiam,peccatores veniam inuenerunt in æternum; meri-*

Pſal 63.

Bernardus.

Medium terræ Deipara.

tò

tò in te reſpiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus omnipotentis quicquid creauerat recreauit. hactenus Bernardus.

FONS HORTORVM, ET PVTEVS Aquarum viuentium.

33 HAEC eſt Cant. 4. *Fons hortorum, & Puteus aquarum viuentium*, quæ fluunt impetu de Libano, quibus ſanctorum animæ omnes quaſi cęleſtis Regis horti ameniſſimi illi quidem, ac regio cultu, manuq; conſiti, vberrimè irrigantur, ac fœcundantur: & quoniam quadruplex potiſſimùm eſt aquæ vſus, ſitim extinguere; ſordes abluere; irrigare hortos; cibos denique decoquere. Sanè Deipara aquam illam viuentem, hoc eſt Chriſtum Dominum. ex ſuo vtero protulit, in eoq; diù geſtauit, ſeruauit, ac demùm virgineo nixu inde eum in omnium vtilitatem fudit, per quem tanquam per aquam vehementiſſimus noſtræ concupiſcentiæ ardor refrigeratur; putidiſſimæ criminum noſtrorum maculæ, eluuntur; cor noſtrum quod pſal. 101. veluti fœnum aruit ad germinandum, floresq; ac fructus producendos fœcundatur; opera denique noſtra inſulſa illa quidem, ac cruda, nec digna, quæ diuinis epulis inferantur, ita excoquuntur, vt vel ipſi Deo gratiſſimi ſaporis ſint. Hinc ergo fit, vt Deipara, ex qua talis aqua ſcaturijt: *Fons hortorum, ac puteus aquarum viuentium* iure optimo dici poſſit. Quòd ſi aquæ viuæ nomine Spiritus ſanctus intelligatur, quo typo eum Chriſtus Dominus Ioan. 7. illis verbis expreſſit: *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*; quod Euangeliſta exponens ſubiecit: *Hoc autem dixit de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum*, quandoquidem ſancto etiam Spiritui, vt eſt in eius ſequentia, quadruplex ille aquæ effectus tribuitur; dicitur enim *in æſtu temperies*, lauare ſordida, rigare arida, fouere frigida, & quodãmodo concoquere; nam Sap. 9. per Spiritum ſanctum correctæ ſunt ſemitæ eorum, qui ſunt in terris, & quæ Deo placent didicerunt homines: rectè quoque hac ratione Deipara, quæ, vt infra dicemus, ab Eccleſia, & à Patribus Spiritus ſancti Sacrarium appellatur, & cuius meritis, ac precibus, quemadmodum cap. 28. oſtendemus, in homines eiuſdem Spiritus ſancti gratia copioſè, ac veluti perenniter deriuatur, fontis, ac putei nomine cenſeri, ac nuncupari poterit.

Cant. 4. *Fons hortorum, & Puteus aquarum Maria.* — Pſal. 101. — Ioan. 7. — Offic. Eccleſ. — Sap. 9. — Cap. 28.

Hinc SS. Patres tum ratione Chriſti, qui ex eius vtero prodijt, tum etiam ratione Spiritus ſancti chariſmatum, quæ eius interceſſione abunde in nos promanant, fontem eam appellant. Methodius in hypapantem, Deiparam ſic affatur: *Salue humanitatis filij Fõs; ſalue humanitatis vmbraculum.* S. Epiphanius orat. de Deipara: *Aue*, inquit, *gratia plena, quæ ſitientes perennis fontis dulcedine ſatias.* S. Ephræm orat. de laud. Deip. ipſam Fontem gratiæ, & totius conſolationis appellat. Chryſoſtomus: *Aue*, inquit, *quæ es Puteus ſemper viuentis aquæ.*

Maria fons à ſanctis Patribus nuncupatur. — Methodius. — Epiphanius. — Ephræm. — Chryſoſtomus.

34 Sophronius inter opera Hieronymi ſerm. de Aſſumpt, agens de Deipara: *Sic*, inquit, *exiuit Chriſtus ex Virgine, vt eſſet, ſicut Ezechiel fatetur, porta omninò clauſa; vnde canitur in eiſdem Canticis de ea, Hortus concluſus, Fons ſignatus: Emiſſiones tuæ Paradiſus; verè hortus delitiarum, in quo conſita ſunt vniuerſa florum genera, & odoramenta virtutum; ſicq. concluſus, vt neſciat violari, neque corrumpi vllis inſidiarum fraudibus. Fons itaq. ſignatus ſigillo totius Trinitatis, ex quo fons vitæ manat, in cuius lumine omnes videbimus lumen; quia iuxta Ioannem, ipſe eſt, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; cuius profectò emiſſio vteri ſupernorum ciuium omnium eſt Paradiſus.* hæc Sophronius. Ildefonſus ſerm. 4. de Aſſumpt. eam Fontem ſignatum, & Puteũ aquarum viuentium vocat. Damaſcenus orat. 2. de dormit. Sepulchrum Deiparæ alloquens: *Vbi eſt*, inquit, *Fons ille, ex quo vita orta eſt?* Rupertus in Cantica, Deiparam ait eſſe Fontem hortorum, ideſt fontem Eccleſiarum. S. Bernardinus tom. 1. conc. 61. art. 1. cap. 1. Deiparam docet eſſe Fõtem hortorum, & Puteum aquarum, cuius non deficiunt aquę Iſa. 58. propter gratiarum plenitudinem, quæ eſt in Virgine; Quo circa Deipara meritò figurata dicitur in fonte illo Paradiſi, qui Gen. 2. irrigabat vniuerſam ſuperficiem terræ, & ex Paradiſo diuiditur in quatuor capita. & Cant. 4. dicitur: *Fons ſignatus*, tum propter perpetuam virginitatem, vt omnes ferè Patres obſeruant, quos cap. 32. afferemus: tum

Sophronius. — Ezech. 44. — Cant. 4. — Pſal. 35. — Ioan. 1. — Ildefonſus. — Damaſcenus. — Rupertus. — S. Bernardinus. — Iſa. 58. — Gen. 2. — Cant. 4. — Cap. 32.

quia nullus in ea tartareo ſerpenti patuit aditus,quemadmodum animaduertit Sophro-
Cap.7. nius verbis citatis ; de quo nos cap. 7. Deipara quoque in ſomnio illo Mardochei per
Eſther figuratur;dicitur enim Eſther 10. *Paruus fons,qui creuit in fluuium, & in lucem ,*
Eſther 10. *ſolemq. conuerſus eſt,& in aquas plurimas redundauit,Eſther eſt,quam Rex accepit vxo-*
Damaſcen. *rem,& voluit eſſe Reginam.* hinc factum eſt,vt à Damaſceno ſerm. 1.de Natiu.& ab alijs
Cap.21. vocetur *Fons lucis*,de quo infra cap.21.quare intelligi quoque poteſt figurata in aquis
Ioſue 15. illis,quæ Ioſue 15.appellantur *Fons ſolis*:quin etiam Hieronymus in epiſt.ad Fabiolam ,
Hieronymus. in Iordane fluuio ſignificatam Deiparam vult: *Quadraginta duæ*,inquit, *manſiones, per*
Num.33. *quas Iſraeliticus populus venit ad Iordanem,ſunt quadraginta duæ generationes Abrahã*
ad Chriſtum;& mox:*ſub quo numero Dominus,atque Saluator à primo Patriarcha perue-*
nit ad Virginem quaſi ad Iordanem, quæ pleno gurgite fluens aquis Spiritus ſancti redun-
dabat. ſic Hieronymus.

Aquæductus gratiarum Mariæ. 35 Huc accedit,Deiparam meritò *Aquæductum* cęleſtium gratiarum vocari Eccleſ.24.
Eccleſ. 24. vbi ex eius perſona hæc dici intelliguntur:*Sicut Aquæductus exiui de Paradiſo,dixi ri-*
Bernardus. *gabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum.* Quare Bernardus in-
tegrum ſermonem de Aquæductu habuit, vbi Deiparam eſſe Aquæductum diuinarum
gratiarum eleganter oſtendit,& poſt multa:*Propterea*,inquit, *tanto tempore humano ge-*
neri fluenta gratiæ defuerunt:quod nec dum intercederet is , de quo loquimur tam deſide-
rabilis Aquæductus. ſic ille.

Hinc humani generis hoſtis æquè infenſiſſimus,ac callidiſſimus ſub Holofernis perſona
Iudith 7. Iudith 7.Aquæductum ad Bethuliam capiendam obſtruere nititur, nimirum vt fidelem
animam in ſuam redigat poteſtatem ad Deiparæ perfugium,ac clientelam aditum præ-
cludere conatur,cui tamen fortiter,ac ſtrenuè reſiſtere debemus.

Deiparã quoq; ſignificauit Ciſterna illa iuxta portam Bethlehem ſita , cuius aquam
2.Reg.23. 2.Reg.23.Dauid cum eſſet in præſidio contra Philiſtæos caſtrametatus concupiuit , al-
latamq; à tribus viris fortibus,qui in Philiſtinorum caſtra irruperant , libauit Domino ;
Methodius. Atq; id ſatis appoſitè interpretatur Methodius orat. in hypapantem, vbi Deiparam his
verbis alloquitur:*Tu Bethlehemitica illa Ciſterna, quam veluti vitæ refocillatricem Da-*
*uid deſiderauit,ex qua immortalitatis poculum cunctis emanauit.*ſic ille.Et verò ſicut Ci-
Deipara quare per ciſternam ſignificetur. ſterna aquarum eſt receptaculum ſubterraneum & amplum,quod aquam è cęlo pluuiã
excipit;eamq; puriſſimam ſeruat:pari etiam ratione Deipara vberes cęleſtium donorum
imbres,& immenſam gratiæ copiam in ſua anima,quaſi in vaſe, humilitate profundiſſi-
mo,& capacitate ampliſſimo excipit.& abſq; vllo peccati puluere,ac cęno retinet,oẽsq;
eius participes ſua interceſſione efficit.manet verò illa iuxta Bethelehem,quæ domũ pa-
S. Antoninus. nis ſonat;quia pãnẽ de cęlo verum quo veſcimur,nobis detulit. Huc referri poteſt illud
quod obſeruat S.Antoninus 4.p.tit.15.c.2.Deiparam figuratam eſſe in Berſabee Salo-
monis matre,cuius nomen idem eſt,quod Puteus ſeptimus,propter gratiarum omnium,
quæ aquarum nomine ſignificantur,plenitudinem ſeptimi putei numero expreſſam,quę
3.Reg. 2. in Dei parente continentur,quamuis vulgata legat non Berſabee, ſed Bethſabee,quod
idem eſt,quod Domus iuramenti,quod Deiparæ etiam facilè accommodatur.

Deipara manuat noſter Paradiſus. 36 Quantùm verò huic ſacro fonti debeamus, facilè quiuis intelliget , ſi perpendat non
Cant.4. ſolùm eius aqua noſtrarum animarum hortos irrigari, verùm etiam ex eo fonte noſtrũ
PARADISVM emanaſſe.quod pulchrè Cant.4.ſignificatur illis verbis:*Hortus concluſus*
*ſoror mea ſponſa.Hortus cõcluſus fons,ſignatus.Emiſſiones tuæ paradiſus:*quę verba tractãs
Sophronius. Sophronius ſerm. de Aſſumpt.*Cuius*,inquit,*emiſſio vteri ſupernorum ciuium omnium eſt*
PARADISVS;idq; iure optimo ; Virgo.n.ſanctiſſima ex ſuo virgineo vtero Deũ protu-
lit,& hominẽ Chriſtum Dñm,in quo,vt docent Theologi, omnis noſtra beatitudo, quã
in cęlis expectamus,tùm eſſentialis tũ præcipua accidentalis cõtinetur,iuxta illud Ioan.
Ioan. 10. 10.*Per me ſi quis introierit ſaluabitur,& ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet .*
Atque ea cauſa fuit cur latroni tametſi Limbum ſubeunti diceretur à Chriſto; *Hodie*
Luc.23. *mecum eris in Paradiſo*;quòd ibi Paradiſus ſit,vbi Chriſtus claram ſuæ diuinitatis viſio-
Pſal.35. nem præbet . Noſtra quoque beatitudo torrentis metaphora aptè ſignificatur pſal.35.
Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ,& torrente voluptatis tuæ potabis eos; hic autem
Pſal.126. torrens ex eo fonte profluxit; propterea enim Pſal. 126. Dauid mercedem noſtram

quàm

quam poſt ſomnum mortis expectamus circumſcribere videtur per fructum huius ventris: *Cum dederit*,inquit, *dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini filij merces,fructus ventris*,quod cap.15.preſſius expendimus: quamuis illud (*fructus*) apud ſeptuaginta ſit genitiui caſus,& idem valet,ac ſi diceret,Hæreditas Domini eſt merces, quæ eſt ipſe fructus ventris, hoc eſt Chriſtus filius matris ſuæ. huc ſpectaſſe videtur Bonaventura, cum in Litanijs B.Virginis eam *delitiarum Dei DAPIFERAM, & cœleſtis curiæ PINCERNAM vocat*. Quo circa cum de Chriſto ſanctiſſimæ Virginis filio canat Eccleſia,

Se naſcens dedit ſocium,
Conueſcens in edulium,
Se moriens in precium,
Se regnans dat in præmium.

Cap. 15.
70. Interpretes.
Bonauentura.
Officium Eccleſiaſticum.

Ideo & nos eidem Deiparæ immortales gratias agamus,habeamusq; hoc nomine, quòd Chriſtum noſtrorum ſcelerum pretium, noſtræ refectionis cibum, noſtræ gloriæ præmium ex ſuo ſacratiſſimo vtero in omnium vtilitatem protulerit.quod S.Antoninus 4.par. tit.15. cap.17. §.4. agens de Miſericordia, quam Deipara hominibus exhibuit, non minus piè,quàm verè his verbis docuit: *Maximum etiam effectum miſericordiæ nobis impendit,quia nobis miſeris,& captiuis,& mendicis dedit filium ſuum Deum;Captiuis in precium;famelicis in viaticum;laborantibus in præmium;infirmis in medicamentum, & cum ipſo dedit nobis regnum cœlorum,& omne bonum*. Hæc S.Antoninus: quæ cùm ita ſint,exclamare poſſumus,ac Deiparæ dicere: *Hortus concluſus;fons ſignatus, Emiſſiones tuæ Paradiſus*.

S. Antoninus.
Cant.4.

FONS LVCIS.

37 HAEC eſt fons lucis,de quo Eſther 10. *Paruus*,inquit,*Fons,qui creuit in fluuium, & in lucem,ſolemq. conuerſus eſt,& in aquas plurimas redundauit*. & ita eam vocant Epiphanius oratione de laudibus Virginis; Heſychius homil. 2. de S.Maria, & Chryſippus homil.de Deipara,& Damaſcenus oratio.1.de Natiuitate Virginis. Methodius oratione in hypapantem; Ephrem oratione de Deipara,quorum verba cap.21.vbi de hoc plenius agetur, referemus.

Virgo dicitur Fons lucis.
Eſther 10.
Epiphanius.
Heſychius.
Chryſippus.
Damaſcenus.
Methodius.
Cap. 21.

COELVM DOMINI.

HAEC pſal.113. dicitur: *Cœlum Cœli Domino*; Cœlum enim appellatur à S. Iacobo in Liturgia, à Chryſoſtomo ſerm. de laud. Virg. & Epiphanio ſerm. de laud. Virg.& ab alijs vt diximus cap. 3. vbi copiosè oſtendimus, qua nam ratione Deipara cœlum appelletur.

Virgo Cœlum cœli Domino pſ. 113.
S.Iacobus.
Chryſoſtomus.
Epiphanius.

SANCTVARIVM DEI, TABERNACVLVM SVI CREATORIS, *Tabernaculum fœderis*.

HAEC eſt Sanctuarium Dei Exod.15. Tabernaculum ſui Creatoris Eccleſ. 24. Tabernaculum fœderis Exod. 31. factum iuxta exemplar in monte monſtratum: *Quando* (vt verbis vtar Bernardi) *Patribus cœlitus promiſſa, & myſticis præfigurata miraculis, oraculis fuit prænunciata propheticis*. S. Athanaſius ſerm. de Deipara dicit: Verbum in ea ſuum Tabernaculum poſuiſſe.Andreas Cretenſis ſanctiſſimum Verbi omnium Creatoris Tabernaculum eam appellat.Chryſoſtomus orat.de Annunc.Sanctuarium Dei paratum vocat,& Habitaculum diuino Verbo dignum.Damaſcenus orat.1.de Natiu.vocat viuum,& ratione præditum Dei Tabernaculum, de quo pſal. 45. *Sanctificauit Tabernaculum ſuum Altiſſimus*.Idem orat.1.& 2.de dormit.eam Tabernaculum illud vocat,ex quo vita principium duxit. Similiter & Georgius Nicom.orat. de oblat. vocat Tabernaculum,quod eſt capax eſſentiæ immaterialis, quod noſtrum, quod ceciderat,erexit Tabernaculum. Auguſtinus lib.de Aſſumpt. D.Thomas 3.par.q.27.art.2. arg.ſed contra,de Virgine exponit pſal.45.*Sanctificauit Tabernaculum ſuum Altiſſimus*,

Exod.15.
Eccleſ. 24.
Virgo dicitur Sanctuarium,ac Tabernaculum Dei. item Tabernaculũ fœderis.
Exod.31.
Bernard.
Athanaſius.
Andr. Cret.
Chryſoſtomus.
Damaſcenus.
Pſal. 45.
Georg. Nicom.
Auguſtinus.
S. Thom.
Pſal. 45.

Psal 18. Arnobius. Damascenus. Virgo figuratur in Tabernaculo Abrahæ. Gen. 18.

& psal. 18. *In sole posuit Tabernaculum suum.* Arnobius in psal. 14. Damascenus verò orat. 1. de dorm. vult eam figuratam in Tabernaculo Abrahæ; loquens enim cum Virgine: *Nam Tabernaculum*, inquit, *Abrahæ te apertissimè indicabat: etenim verbo diuino in ventre tuo tanquam Tabernaculo habitanti, humana naturæ subcinericium panem, hoc est sui primitias, ex puris tuis sanguinibus obtulit à diuino igne quodammodo coctas, panemq. effectas, atque in diuina ipsius persona existentes, & ad veram corporis animati anima rationali, atque intellectuali substantiam venientes.* ita Damascenus. Idem orat. 1. de Natiu. *Cedat*, inquit, *illud Spiritus Tabernaculum, quod Moyses in deserto ex pretiosa, atque omnis generis materia construxit, atque etiam ante illud Patris Abrahami Tabernaculum viuo, & ratione prædito Dei Tabernaculo. Hoc enim non actionis dumtaxat, ac potentiæ diuinæ conceptaculum fuit, verùm essentiæ ratione ipsiusmet personæ filij, ac Dei.* sic Damascenus. Huic Tabernaculo optimè conuenit illud, quod de Ecclesia dicitur Isa. 4. *Et Tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem, & abscondonem à turbine, & à pluuia:* In Deipara enim tutissimum perfugium habemus ab æstu tentationum, omniq; alia periculorum procella, iuxta illud psal. 26. *Quoniam abscondit me in Tabernaculo suo, in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.*

Isa. 4.

Psal. 26.

TEMPLVM DOMINI, SACRARIVM

Spiritus sancti, sanctissimæ Trinitatis nobile triclinium.

3811 TAEC per Templum Domini 3. Reg. 6. figuratur, & ita eam vocat Ecclesia in Antiphona: *Magnum*, inquit, *hæreditatis mysterium, Templum Dei factus est vterus nesciens virum.* & alibi; *Templum Domini; Sacrarium Spiritus sancti:* quæ verba desumpta sunt ex Hieronymo lib. aduersus Heluidium, vbi eam Tẽplum Dominici corporis, & Sacrarium vocat Spiritus sancti: Et in hymno ex Sedulio.

3. Reg. 6. Virgo est Templum Domini. Officio Eccles. Hieronym.

Domus pudici pectoris,
Templum repente fit Dei.

S. Iacobus in Liturgia vocat Templum sanctificatum. Epiphanius sermone de Deipara: *O B. Maria Cœlum, Templum, & thronus diuinitatis:* & iterum Templum appellat impollutum. Chrysostomus in sua Liturgia animatum Dei Templum nominat. Ambrosius epistol. 82. vocat corporale Dei templum, in qua corporaliter habitauit plenitudo diuinitatis. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus oratione de oblatio. Deipar. *In templo intueamur*, inquit, *quemadmodum Templum Domini animatum templo inanimo dedicatur.* Augustinus serm. 17. de Natiu. Domini loquens de Incarnatione sic ait: *Per fidem Christus in templum pudoris, hoc est sanctissimam Virginem intrauit.* Cyrillus Alexandrinus homil. 6. contra Nestorium Templum indissolubile: similiter & Georgius Nicom. orat. de oblat. Virg. quasi dicant, non erat dissolubile, quale erat templum Salomonis, de quo intelligebant Iudæi illud: *soluite templum hoc*, à Christo tamen prolatum de templo corporis sui. Petrus Chrysologus serm. 144. *Virgo*, inquit, *factum est magnum Deitatis Templum, quæ erat pusillum humanitatis hospitium.* Ildefonsus in sermonibus de Assump. vocat eam serm. 1. Dei Templum, in quo pro salute hominum omnium Deus homo immolatus. & serm. 3. Templum Diuinitatis. & serm. 6. meritò Domini Templum, Spiritus sancti sacrarium, & appellatur, & creditur. & serm. 9. Tabernaculum gloriæ, Templum cœleste. Andreas Cretensis in salutationem Angelicam, illam magnificum diuinæ glorię Templum; Hesychius sermon. 2. de Deipara Templum Cœlo maius appellant. Damascenus lib. 4. de fide orthod. cap. 15. *Ad hunc*, inquit, *modum Virgo sanctissima sanctitatem consectatur, sanctumq. & admirabile, ac summo Deo dignũ Templum existit.* Idem orat. 1. de Natiu. Virg. *Templum Dei sanctum, quod Princeps Salomon (ideſt Christus) construxit, & habitauit, non auro, & inanimis lapidibus ornatum, verùm auri loco Spiritu fulgens; pro lapidibus autem pretiosis margaritam ingentis pretij Christum habens:* quin etiam orat. 2. de dorm. Virg. Sepulchrum eiusdem Deiparæ vocat, *Diuinum templum.* Petrus Damianus serm. 3. de Natiu. *Hodie prodijt ex vtero matris, quæ Templum fieri meruit diuinitatis.* Anselmus in inuocatione Virginis, *Templum misericordiæ* vocat cum Augustino serm. 2. de Assumpt. Bernardus serm. 1. de Assumpt. *Nec in mundo dignior locus fuit virginalis vteri Templo, quo Maria Dei filium susceperit.*

S. Iacobus. Epiphanius. Chrysost. Ambros. German Patr. Augustin. Cyrill. Alex. Georg Nicom. Ioan. 2. Petr. Chrysolog. Ildefonsus. Andr. Cretens. Hesychius. Damascenus. Petr. Dam. Anselmus. Augustinus. Bernard.

S. An-

S.Antoninus 3. par. tit. 31. cap.4. §. 1. accommodat Virgini illud pſal.47. *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui*, ideſt Virginis Deiparæ: & quoniam templum locus eſt immunitatis, & venerationis, ac oblationum, hinc infert peccatores magnam in Virgine immunitatem ſperare, eamq; venerari, ac per eam ſuas oblationes Deo offerre debere. S.Brigitta lib.3.reuelatio.cap.9. habet quomodo Virgo dicatur, Templum Salomonis, eidemq; applicat proprietates illius templi. vide ſuperiori capite quomodo virtutes Virginis præclariſſimæ per lapides pretioſos, & expenſas ingentes in tẽplo Salomonis factas adumbrantur. Et quemadmodum in templo Salomonis duo erant altaria, vt animaduertit Auguſtinus ſerm.225.de tempore: *In illo*, inquit, *quod foris erat animalium cædebatur ſacrificium; in illo verò altari, quod intus erat Thymiamatis offerebatur incenſum*: ex quo colligit Auguſtinus Deum à nobis (qui myſticè templum Dei ſanctum ex Apoſtolo 1.Cor.3. eſſe debemus) duplex ſacrificium quærere, vnum vt ſimus caſto corpore; aliud vt mundo corde, vt in exteriori altari ideſt corpore noſtro offerantur opera bona; in corde odore ſuauitatis redoleat cogitatio ſancta; & in illo altari iugiter quotidianus ignis ardebat, quod ignem charitatis, quem in corde habere debemus, ſignificat. hæc ex Auguſtino. Ita in Virgine ſanctiſſima, quæ templum fuit Domini, duo hæc altaria perfectiſſimè inueniuntur; vnum Thymiamatis, in quo per orationem intus; alterum ſacrificiorum, in quo per ſui mortificationem ſe ipſam extra Deo immolabat igne charitatis flagrantiſſimæ ſemper ſuccenſa. Hinc eſt quod Cant.3. Deipara comparatur *virgulæ fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris*, quæ mortificationis, & orationis ſunt ſymbola, quemadmodum cap.21. plenius dicemus. S.Antoninus loco citato Menſam panum propoſitionis, & reliqua, quæ in templo erant Deiparæ virtutibus eleganter accommodat, quod nos cap.21. afferemus.

S.Antoninus. Pſal. 47. S.Brigitta. 3.Reg.6. Auguſtin. 1.Cor.3. Cant.3. Cap. 21. S.Anton.

39 Illud tamen ſilentio minime prætereundum; Deiparam non tantum ratione filij Dei, qui ex eius vtero carnem ſuſcipere, in eoq; nouem menſes degere eſt dignatus, Dei tẽplum, & ſanctuarium appellari; verùm etiam ratione Spiritus ſancti, de quo filius Dei in Matris vtero ex ſacris litteris conceptus dicitur, quod Angelus Virgini præſignificauit illis verbis: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te*, peculiari ratione Sacrarium Spiritus ſancti, & Sedem Spiritus ſancti reuerenter nominari: ſi enim ex Apoſtolo 1.Cor.6. membra ipſa iuſtorum templum ſunt Spiritus ſancti, qui eſt in eis: quin etiam à S. Thoma 3. par. q.25. art.6. organa eiuſdem Spiritus ſancti per eos operantis eſſe perhibentur; quanto potiori iure Deiparæ corpus Tẽplum, & Organum ſancti Spiritus, & inſuper eam in cuius vtero Chriſti corpus Spiritus ſancti virtute eſt formatum, eiuſdem Spiritus ſancti Sacrarium dicemus vna cum Eccleſia in quadam Antiphona, & Ildefonſo ſerm.3. & 4. de Aſſumpt. quare Hieronymus libro contra Heluidium, qui Deiparæ perpetuam virginitatem negabat, contra hanc eius impietatem ſic exclamat: *Tu Templum Dominici corporis ſuccendiſti; tu contaminaſti Sacrarium Spiritus ſancti?* & in eodem libro eam vocat Sedem Spiritus ſancti. & S.Cyprianus in ſerm.de Chriſti Natiu. *Nec receſſerat*, inquit, *à venerabili pectore matris Spiritus ſanctus ad verbum Gabrielis elapſus; poſſidebat Domum ſuam, & Templum, quod ſibi conſecrauerat adornabat, ſeruabat Sacrarium ſuum, & ſanctimoniæ Thalamum honorabat.* hæc Cyprianus. & Bernardus ſermone 4. de Aſſump. *Quæ*, inquit, *vel Angelica puritas dignitati illi audeat comparari; quæ digna fuit Spiritus ſancti Sacrarium fieri, & Habitaculum filij Dei.* Ildefonſus ſerm.6. de Aſſumpt. *Quæ meritò*, inquit, *Domini Templum, Spiritus ſancti Sacrarium, & appellatur, & creditur.*

Luc.1. 1.Cor.6. S.Thom. Ildefonſus. Hieronym. S.Cypria. Bernardus. Ildefonſus.

Quoniam verò, vt Sacri loquuntur Theologi, ſanctiſſimæ Trinitatis opera ad extra, ſunt indiuiſa, idcirco corporis Chriſti conceptio licet Spiritui ſancto, qui eſt amor Patris, & Filij tribuatur, cùm opus fuerit ex maximo Dei amore; & licet ſolus filius ſit incarnatus, à tota tamen ſanctiſſima Trinitate, vt docent Theologi cum S.Thoma 3.par. q.32. art.1. & 2. in vtero Virginis peracta eſt. Quare Eccleſia in quadam collecta ait: *Patrem æternum glorioſæ Virginis corpus, & animam, vt dignum filij ſui habitaculum effici mereretur Spiritu ſancto cooperante præparaſſe*, eaq; de cauſa Deipara teſte S.Thoma opuſc. 8. dicitur: *totius Trinitatis nobile Triclinium*. quo titulo eam compellat S. Bonauentura in laude B.Virginis rhythmica, quæ in tomo 2.opuſculorum habetur. idq; ſingulari ratione præ alijs iuſtis. Nulli enim ſanctorum aſcribi poteſt, quod Gabriel Angelus

S. Thom. Officium Eccleſ. S. Thom. Bonauent.

Luc. 1. gelus ſoli Deiparæ tribuit. *Virtus*, inquit, *Altiſſimi obumbrabit tibi. Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei, Spiritus ſanctus ſuperueniet in te.* quare Bernardus ſerm. 3. ſuper miſſus eſt, in illa verba: *Dominus tecum*, docet, non ſolum IN, ſed etiam CVM MARIA, fuiſſe Dominum Patrem, cuius filium concepit, & Dominum filium, quem carne ſua induit, & Dominum Spiritum ſanctum, de quo concepit, qui cum Patre, & filio, eius vterum ſanctificauit. Idemq; Bernardus ſerm. 3. de Annuntiatione affirmat, Deiparam gratia plenam, ſingularem, & generalem gratiam accepiſſe: *Sola*, inquit, *generalem gratiam ſingulariter accepiſti, nam ſola præ omnibus gratiam inueniſti Singularem, quod ſola hanc inueneris plenitudinem. Generalem, quod de ipſa plenitudine accipiant vniuerſi.* ſic Bernardus.

Bernard.

MENSA PANVM PROPOSITIONIS.

Virgo dicitur Menſa panum propoſitionis. Exod. 25. Leuit. 24.

40 HAEC eſt illa Menſa panum propoſitionis Exod. 25. quæ Leuit. 24. dicitur: *Menſa puriſſima*; fuit enim Virgo ſanctiſſima inſtar illius menſæ omni puritate nitidiſſima ex lignis ſetim, virtutibus nimirum præclariſſimis conſtans: cur autem eximiæ Virginis virtutes lignis ſetim comparentur, infra, vbi de Arca, dicemus: fuit etiam auro puriſſimo inaurata, charitate videlicet feruenti fulgida, duplici cincta corona, altera quam vocant auream, qua gloria eſſentialis, quæ in Dei clara viſione, & amore eſt poſita, ſignificatur, quàm in cœlo Deipara præ omnibus puris creaturis maximam eſt aſſecuta: altera verò, quæ aureola nuncupatur, quam triplicem cumulatiſſimè Deipara eſt adepta Virginum nimirum aureolam, Doctorum, & Martyrum, vel aliquid Martyrum aureola præſtantius propter gladium doloris, qui in Chriſti paſſione eius animam pertranſijt, de quibus cap. 6. vberius.

Cap. 6.

In hac menſa repoſitus eſt panis viuus noſtris neceſſitatibus propoſitus, qui de Cœlo deſcendit: ſuper panes verò ponebatur diuino iuſſu thus lucidiſſimum, quod Chriſti diuinitatem in cuius honorem adoleri ſolet, ſignificabat. Ideo Deipara à Patribus Menſa panum propoſitionis dicitur, quam Methodius in hypapantem vocat; *Altare animatum panis vitæ*; ideſt ſanctiſſimæ Euchariſtiæ. Epiphanius ſerm. de laud. Virg. eam dicit Fidei Menſam intellectualem, quæ panem vitæ nobis ſuppeditauit. Georgius Nicomed. orat. de oblat. Virg. Menſam, quæ portat vitam, in qua vitę noſtrę panis propoſitus Ambroſia pauit eos, qui illius fuerunt participes. Damaſcenus orat. 1. de dorm. Virg. illam vocat Menſam, ex qua ille panis vitæ, ac cœleſtis pullulauit, & orat. 2. de dorm. animatam Menſam appellat. Quoniam verò contra noſtrorum hoſtium ſæuitiam tantum præſidij nobis eſt repoſitum in Chriſti corpore percipiendo, quod in ſacroſancta Euchariſtia continetur, & de hac menſa Deiparæ fuit deſumptum: idcirco meritò Dauid de ea pſal. 22. pronunciat: *Paraſti in conſpectu meo Menſam aduerſus eos, qui tribulant me*: Neque enim panis hic ſuperſubſtantialis Euchariſtiæ in Deipara tanquam in Menſa fuit ſolum aſſeruatus: verùm etiam ex eius ſubſtantia ſancti Spiritus opera fuit confectus; Cæterùm quibus typis corpus Chriſti in ſanctiſſima Euchariſtia exhibitum ex Deipara in Incarnatione deſumptum fuiſſe ſignificetur cap. 8. vberius oſtendemus.

Methodius. Epiphanius. Georg. Nicom. Damaſcenus. Pſal. 22. Cap. 8.

VRNA AVREA COELESTE MANNA CONTINENS.

Virgo dicitur Vrna aurea Exod. 16. Epiphanius. Andr. Cret. Baſil. Seleuciæ Epiſcoput. Ephrem. Georg. Nicom. Damaſcenus.

41 HAEC Exod. 16. eſt Vrna aurea in Arca fœderis aſſeruata ſuauiſſimum illud cœleſte Manna continens: ita illam appellant Epiphanius ſerm. de laud. Virg. Andreas Cretenſis ſermone de dorm. & oratio. de Annuntiatione: *Salue*, inquit, *Vrna aurea, quæ eum fers, qui dulce Manna reddit, ac Mel à petra ingrato Iſraeli elicuit.* Et Baſilius Seleuciæ Epiſcopus oratio. de Annuntiatione, Virgo non Manna, vt illa Vrna aurea, ſed cęleſtem Panem, qui fidelibus in cibum, & potum exhibetur, vtero complexa eſt. Ephrem orat. de laud. Virg. eam nominat Vrnam pulcherrimam, quę verum Mãna geſtat: ſimiliter & Georgius Nicomed. oratione de oblatione Virg. & Damaſcenus oratio. 1. de dorm. qui in oratione 2. eam dicit dulcem Mannæ Vrnam.

ARCA FOEDERIS, SEV ARCA TESTIMONII.

42 HAEC eſt Arca fœderis, ſeù Teſtimonij, quæ Exod. 25. ſic dicta eſt, quod in ea tabulæ legis, per quam Deus Exod. 34. cum Iudæis fœdus percuſſerat, & in qua teſtatum erat, quid ab iiſdem fieri vellet, aſſeruarentur: iure autem optimo Deiparam hoc ſymbolo adumbratam docent pleriquè ſanctorum Patrum, cum mirificè in illam quadrent, quæ de fœderis arca ſcribuntur; quod priuſquam à nobis demonſtretur, afferendi ſunt Patres, qui eam per Arcam ſignificatam volunt. Et quidem Eccleſia in quodam hymno de ea ſic canit: *Arca fœderis dicitur Deipara.* *Exod. 25.* *Exod. 34.* *Offic. Eccleſiaſt.*

Beata Mater munere,
Cuius ſupernus artifex,
Mundum pugillo continens,
Ventris ſub ARCA clauſus eſt.

Methodius orat. in hypapantem vocat eam Arcam animatam noſtri legiſlatoris Dei. Athanaſius ſerm. de Deipara, eodem nomine eam appellat. Ambroſius ſermo. 81. Deiparam Arcæ fœderis, in qua tabulæ teſtamenti erant comparat. Ephrem orat. de Deipara, Arcam veram eam nominat. Epiphanius ſerm. de Deipara: *Aue*, inquit, *gratia plena, gloriæ Arca ſpiritualis.* Chryſoſtomus in Liturgia Deiparam, ſic alloquitur: *Omnium Deus incarnatus in te ſacroſancta Arca, vt dixit iuſtus Dauid.* Andreas Cretenſis orat. 2. de dormit. inuitat omnes ad Deiparæ venerationem: *Ecce enim*, inquit, *Dei gloriæ noua Arca, in qua eſt Vrna aurea, & virga Aaron, quæ germinauit, & tabulæ Teſtamenti.* & rurſum: *Tabernaculum legis exemplar accepit Arcam ſupermundanam, cuius figura erat Arca legalis.* Idem orat. de Annunc. ad Deiparam: *Salua ſis*, inquit, *noua gloriæ Arca, in qua Dei ſpiritus delapſus quieuit; Arca, in qua nouæ ſanctificatio gloriæ.* Heſychius Presbyter Ieroſolymitanus homil. 2. de Deipara afferens verba illa pſalmi: *Surge in requiem tuam tu, & Arca ſanctificationis tuæ. Si tu*, inquit, & loquitur cum Chriſto, *es gemma, & illa eſt Arca.* Georgius Nicomedienſis orat. de oblat. Deipar. Arcam ſanctificationis eam vocat. Ildefonſus ſerm. 1. de Aſſumpt. agens de Virgine: *Arca*, inquit, *dicitur noui teſtamenti, in qua verus Deus verſatus non in figura, & in ænigmate, ſed in veritate.* *Methodius.* *Athanaſius.* *Ambroſius.* *Ephrem.* *Epiphanius.* *Chryſoſtomus.* *Andr. Cret.* *Heſychius.* *Pſal. 131.* *Georg. Nicom.* *Ildefonſus.*

43 Damaſcenus carmine de Annuntiatione eam appellat *viuam Dei Arcam, quam profanorum manus non tangit.* Idem orat. 2. de dorm. ſic ait: *Hodie ſacra, & animata Arca Dei viuentis, quæ ſuum in vtero concepit creatorem, requieſcit in templo Domini, quod nullis eſt extructum manibus, & Dauid exultat eius parens, & in eo choros ducunt Angeli,* & quæ ſequuntur. & infra. *Iubilemus in Arca Domini toto animo, & muri cadent Ierichuntini, contrariarum*, inquit, *poteſtatum infeſtæ munitiones.* & oratio. 1. de Natiuit. *Agnoſcat*, inquit, *Arca vndiq. auro confecta, & Mannifera illa vrna aurea, & Candelabrum, & Menſa, ac denique vetera omnia, quam nihil habent, quod cum hac (ideſt cum Deipara) comparari poſſit: etenim exemplaris adumbrationis typo ornatæ ſunt*; hoc eſt, vt rectè animaduertit Billius in illum locum Damaſceni, Arcam, Vrnã, Candelabrum, & cętera eiuſdẽ generis eo nomine in honore fuiſſe, quod Virginis ſanctiſſimę typũ gererent. Bernardus ſerm. de B. Virg. qui habetur tom. 2. ſuorum operum, vult Arcam fœderis ſignificaſſe Arcam gratiæ ſanctitatem Mariæ. Lyranus in morali expoſitione ſuper Exodi cap. 25. ſingula, quæ in Arca erant beatæ Virgini accommodat. Bonauentura in ſpeculo cap. 9. ad Deiparam refert illud 3. Reg. 8. *Intulerunt Sacerdotes Arcam fœderis Domini in locum ſuum.* Item Bonauentura in ſpeculo cap. 2. de Deipara explicat illud pſal. 131. *Surge in requiem tuam, tu & Arca ſanctificationis tuæ.* S. Bernardinus Senenſis tom. 3. ſerm. 11. art. 1. cap. 3. Deiparam vult eſſe Arcam ſanctificationis; cui conſentit S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 2. & cap. 14. §. 4. B. Laurentius Iuſtinianus ſerm. de Natiuit. Virg. *An non*, inquit, *Maria teſtamenti Arca veriſſima diuinis manibus fabricata, auro veſtita mundiſſimo; virtutum gemmis ornata, ac imputribilibus lignis ſpiritualiter facta, teſtamenti tabulas, frondentem virgam, & ſuauiſſimum in ſe manna continuit?* *Damaſcenus.* *Singula quæ in arca erãt Virg. congruunt.* *Ioſue 6.* *Billius.* *Bernardus.* *Lyranus.* *Bonauentura.* *3. Reg 8.* *Pſal. 131.* *S. Bernardinus.* *S. Antoninus.* *B. Laurent. Iuſt.*

44 Quod verò ea, quæ ſpectabant ad Arcam aptiſſimè in Deiparam vniuerſa conueniant, facilè oſtenditur ex ijs, quæ in ſacris litteris præſertim Exod. 25. de Arca habentur *Forma arcæ B. Virg figurabat.* *Exod 25.*

tur;quæ quidem omnia ad capita ferè ſeptem reuocari poſſunt. Primùm, Arca eorum omnium,quæ in veteri teſtamento diuino imperio fabricata,& in Tabernaculo, vel in Templo collocata ſunt, cuiuſmodi fuere Menſa panum propoſitionis, Candelabrum aureum,Altare thymiamatis,& ſimilia, præſtantiſſimùm quid fuiſſe ſanè videtur; quippè quæ digniſſimum,hoc eſt ſancta ſanctorum adepta locum. Secundò,conſtructa erat ex lignis ſetim,quæ in Arabiæ deſertis enaſcuntur:& quidem pulcherrima ſunt,fortiſſima,imputribilia,leuia,atque candida,teſte Hieronymo in Iſaiæ cap. 41. & in Ioelis cap. 3. Tertiò,deaurata erat auro mundiſſimo intus, & foris. Quartò, Corona aurea illi inerat per circuitum. Quintò,annulos habebat quatuor aureos in angulis,vectesq; duos de lignis ſetim auro conueſtitos,quibus ferebatur. Sextò, operiebatur arca Propitiatorio, ſeù oraculo de auro mundiſſimo; ſic autem dicebatur, quod cum inde cum Moyſe loqueretur Deus,oracula,ſeù reſponſa diuina reddebat,ac populo propitius reddebatur. Septimò, duo quoque Cherubim (qui ex Hieronymo in Ezechielis cap.10. plenitudinem ſcientiæ ſonant) aurei productiles ex vtraque parte oraculi verſis vultibus ſe mutuo aſpicientes,expanſis alis vtrumque latus propitiatorij tegebant; & quoniam inde ſupra propitiatorium,ac de medio duorum Cherubim reſponſa dabat Deus, propterea ſuper Cherubim ſedere dicebatur pſal.79. *Qui ſedes ſuper Cherubim.* Idem pſal. 98. & Iſa.37. Erant præterea in Arca,teſte Apoſtolo hebr.9.Vrna aurea,& Virga Aaron,quæ fronduerat;& tabulæ teſtamenti,ſeu legis Dei digito ſcriptæ.

Hieronymus.

Pſal. 79.
Pſal. 98.
Iſa. 37.
Hebr. 9.

45 Atque hæc quidem omnia myſticè in Deipara ſanctiſſima cumulatiſſimè reperiri, quamuis inficiari poſſit nemo;nos tamen pro inſtituti noſtri ratione ſimplici dumtaxat explicatione, ac locorum,quibus copiosè hæc probamus,ſignificatione, qua ratione Deiparæ accommodari poſſint breuiter oſtendemus. Principio quidem Deipara cùm in diuina prædeſtinatione inter omnes puras creaturas dignitate ſit prima,quod cap.14. vberius demonſtratur,& multiplicibus donis,ac priuilegijs præ cunctis ſit euecta, quod ex hoc capite,& ſuperiori,ac ſequenti liquido apparet;præſtantiſſimùm quoque locum, tùm in militanti, tùm etiam in triumphanti Eccleſia conſecutam eſſe perſpicua conſecutione conuincitur,de quo cap.12.quo circa *Bernardus* ſerm.1.de Aſſumpt.Nec in terris locus dignior vteri virginalis templo,in quo filium Dei Maria ſuſcepit: nec in cœlis regali ſolio,quo MARIAM hodie Mariæ filius ſublimauit.

Mariæ omnes puras creaturas dignitate antecellit.

Cap. 14.

Cap. 12.
Bernardus.

Secundò ligna ſetim pretioſa,ac imputribilia,ex quibus Arca conſtabat,Deiparę virtutes heroicas illas quidē,& in ſummo, ex quibus virtutibus ſpiritualis eius animæ ſtructura conficitur,nobis ob oculos ponunt: in ijs porrò virtutibus eminentiſſimis Deipara etiam dum erat in via,omnes puras creaturas longè præibat:Angeli enim,vt verbis vtar S.Antonini 4.par. tit.15. cap.17. §.4. habent virtutes inamiſſibiles, ſed non meritorias premij eſſentialis. Viatores homines ſancti habent virtutes meritorias, ſed amiſſibiles, (quod intellige de ijs, qui in gratia non ſunt confirmati, qui tamen à peccatorum venialium putredine non fuere immunes.) Beata autem Maria habuit cum Angelis virtutes inamiſſibiles, & cum Sanctis viatoribus meritorias, & ſic etiam excellentius cunctis eas habuit.ita S.Antoninus. Accedit eodem quòd omnis corruptionis, atque ſpiritualis putredinis culpæ, quamuis leuiſſimæ expers omninò,immunisq; ſic fuit,vt lignis ſetim incorruptibilibus conſtare meritò dici poſſet. De Virginis verò virtutibus præclariſſimis cap.21. vberius diſſeremus.

Ligna ſetim virtutes ſunt Deiparæ.

S. Antoninus.

Cap. 21.

Quòd ſi ligna ſetim ad corpus etiam Deiparæ referre velimus;dicimus cum Galatino lib.7.de arcanis cap.4. & 12. per ea ligna imputribilia ſignificari ſanctiſſimæ Virginis corpus non vidiſſe corruptionem; ſiquidem poſt mortem tertia die animæ iterum vnitum in cœlum commigrauit:quin etiam Suarez tom.2.in 3.par.diſp.2.ſect.2.ex ſententia omnium, qui de B.Virgine ſcripſerunt, affirmat, Deiparæ corpus fuiſſe in ſua ſpetie,& ſexu maximè perfectum: quia enim ex illo corpore Chriſti corpus formandum erat, ad Dei prouidentiam pertinuit accommodare medium fini, & materiam aptam præparare:Deinde decebat Chriſtum,eiusq; Genitricem non ſolùm moribus,ſed etiam corporis perfectione,& affectibus eſſe inter ſe quàm ſimillimos; hæc enim ſimilitudo,& ad conciliandum amorem,& ad maiorem perfectionem pertinet; quod S.Brigittæ reuelatum eſt lib.1.cap.50.& 51.

Galatinus.

Suarez.

S. Brigitta.

At

46 At rogabit quiſpiam,cum quadruplex ſit ex Philoſophorum,ac Medicorum ſententia humani corporis conſtitutio,quàm complexionem vocant, phlegmatica nimirum, cholerica,melancholica, & ſanguinea,quod nam ex his temperamentum Chriſti corpus ſanctiſſimum ex virginis ſanguinibus Spiritus ſancti opera formatum,ſortitum ſit;vt hinc Deiparæ etiam complexionem,quæ ex diuina prouidentia Filio quàm ſimillima præparabatur,intelligamus. Ad quod reſpondendum videtur Chriſtum Dominum ſanguineæ complexionis temperamento præditum fuiſſe; tùm quòd hæc conſtitutio omnium optima eſt;cum calore,& humido abundet,quibus,teſte Ariſtot.l.de long.& breu.vitę c.3. & Galeno in Aphoriſm. comm. 15. vita potiſſimùm continetur,ac fouetur: tùm quòd plurimum ſanguinis, quem pro nobis funderet, habere voluit: tùm denique quòd hac etiam ratione nos magis amauit,ſeq; nobis magis amabilem reddidit,quę duo huic cõplexioni peculiariter tribuuntur.Quare in Canticis cap.5. ſanguineæ complexionis color ei tribuitur,quo ſe ſorori ſponſæ caſtiſſimo amore,cuius ibi fit mentio,eum diligenti, maximè amabilem exhibebat.ſic enim legimus. *Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto* (hoc eſt dilectiſſimus) *ò pulcherrima mulierum? Dilectus meus candidus,& rubicundus,electus ex millibus:* Quòd licet myſticum puritatis, & charitatis colorem præcipuè ſignificet, corporalem etiam ſpecioſi præ filijs hominum ſponſi cõſtitutionem ſatis nobis indicat. Cuius rei figura præceſſiſſe videtur in Dauid,qui 1. Reg.17. congreſſurus cum Goliath non ab re à Spiritu ſancto dicitur: *Adoleſcens fuiſſe ruſus,& pulcher aſpectu*, quò nobis ob oculos poneret Chriſtum,cuius typus erat Dauid,ad dimicandum cum Sathana hoſte ſæuiſſimo, eumq; ſua morte ſuperandum, ex amore,quo nos proſequebatur; cuius ſymbolum erat rubicundus ille color Dauid, proceſſiſſe. Hinc multi,teſte Suarez loco citato, colligunt Deiparam propter optimam corporis complexionem cum magna animi moderatione coniunctam nunquam in verum,ac proprium morbum incidiſſe: quare Sophronius in epiſtola ſynodica,quæ habetur in 6.Synodo act.11.dicit:Virginis corpus ab omni contagione fuiſſe liberum,eiusq; carnem immaculatam, & puriſſimam vocat. Et hoc ipſum confirmatur ex ſimilitudine,quàm habet cum Chriſto: etenim Chriſtus nõ habuit morbum,ex D.Baſilio in regulis breuioribus interroga.177. & Athanaſio lib.de Incarnatione Verbi,& S.Thoma 3.par.q.14. art. 4. Idq; egregiè docet Caietanus tom. 2.opuſc.cap.13.de ſpaſmo B.Virginis. *Diſſonum*, inquit, *rationi eſt B. Virginem ægritudinem aliquam paſſam eſſe, quia ſimilis debebat credi filio per omnia quantum fas eſt.* ita Caietanus. Idem habet,& Galatinus lib.7.cap.10.quicquid dicat Abulenſis q.13. in cap.12.Leuit.vbi abſque fundamento contrarium ex parte ſentit.

Corporis Chriſti, ac ſanctiſſima Matris temperamentum.

Ariſtoteles.

Galenus.

Cant.5.

1.Reg.17.

Suarez.

Sophronius. 6. ſynodo.

Baſilius. Athanaſius. S. Thom. Caietanus.

Galatinus. Abulenſis.

47 Tertiò, aurum mundiſſimum, quo Arca intus,& foris circumtecta erat, ardentem Virginis charitatem indicat,qua Deum intus,& proximos foris proſequebatur, de qua cap.9.& 21.vel etiam vitam intus contemplatiuam, & foris actiuam ſignificat; in vtraque enim Deipara egregiè enituit,de quo cap. 21. vt propterea in eius Aſſumptione euangelium legatur,vbi Marta, & Maria Magdalena vtriuſque huius vitæ typus cõmemorantur,vel etiam ſanctitas Deiparæ innuitur, quæ interiori,& exteriori cultu Deum venerabatur;de ipſa enim pſal.44. *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus*, extra verò proximos bono vitæ ſuæ odore,& exemplo ædificabat; ideoq; balſamum aromatizans dicitur,de quo cap.21.vtrumque enim viro ſpirituali cordi eſſe debet,vt ſicut anima conſtamus,& corpore; ita internas animi virtutes cum externis actionibus bonis iungere ſatagamus, quo ſolidus internæ ſanctitatis fructus externis actibus admixtus hominem omni ex parte abſolutum oſtendat. Vel denique eximiam Deiparæ pulchritudinem, tùm animæ, tùm corporis nobis ob oculos ponit,de cuius pulchritudine aliquanto plenius mox agemus.

Virginis charitas per aurum arcæ exprimitur.

Cap. 9.

Cap. 21.

Miſſale Romanum.

Pſal. 44.

Cap. 22.

Quartò,corona aurea in circuitu,quæ eſt Regium inſigne,ipſam,cũ ſit vera Dei genitrix,Sanctorum omnium,& Angelorum Reginam,ac totius mundi Dominam oſtendit, quod ſupra in hoc capite demonſtrauimus.

Aurea corona ſummum Virginis imperium.

48 Quintò,Annuli quatuor aurei cũ vectibus duobus auro conueſtitis ſignificant Deiparæ promptitudinem, qua facilè à Spiritu ſancto mouebatur, maiorem certè quàm animalia illa Ezech.1.quæ vbicumque erat impetus ſpiritus,illuc gradiebantur: ſi enim ex Apoſtolo Rom.8. *Qui ſpiritu Dei aguntur,ij ſunt filij Dei:* quanto magis Virgo beatiſſima

Aureis annulis Mariæ promptitudo aſſimilatione.

Ezech. 1.

Rom. 8.

tissima in cunctis suis actionibus maiorem Dei gloriam semper spectabat, & Dei spiritu agebatur, quæ Dei erat singulariter filia, sponsa, ac Parens? nec incongruè dici potest per quatuor annulos,& duos vectes,& per aurum,quo vectes erant circumtecti, septem sancti Spiritus dona significari,quibus anima ex D.Thoma 1.2.q.68. promptius ex impetu Spiritus sancti ad opera virtutum mouetur. Dubitari enim à nemine potest; quin his septem donis præ cunctis cumulatissimè perfusa Deipara fuerit; vt non incongrue Bernardus,atque alij columnis illis septem,quas Sapientia excidit Prou.9.cum ædificauit sibi domum,septem dona Spiritus sancti significari existimarint,quibus Deipara cum produceretur, prædita fuit.

S. Thom.

Bernardus. Prou. 9.

Propitiatorium aureum Maria.

Methodius.

S. Ephræm.

Andr. Cret.

Cap. 16.

Cap. 30.

Sextò, Propitiatorium aureum est ipsa Deipara, quæ mortalium omnium Patrona charitatis auro rutilans Deum contra hominum scelera iustè succensum placare,ac propitium reddere neutiquam cessat. Quare Methodius orat.in hypapant. sic eam affatur. *Tu propitiatorium, per quod Deus humanam naturam indutus mortalibus apparuit.* S.Ephrem orat. de laud. Virg. ipsam Propitiatorium vniuersæ terræ vocat. & Andreas Cretensis orat.2.de dorm.eam commune Propitiatorium, & commune reconciliatorium appellat: cæterùm de hoc fusè cap. 16. vbi per eam Dei misericordiam in nos offundi ostendimus,compluresq; eius rei typos afferimus. & cap. 30. vbi eam Aduocatam, ac Mediatricem ad intercedendum Sanctorum testimonijs, multisq; exemplis demonstramus.

Cherubim scientiæ plenitudinẽ in Deipara ostendunt.

Bernardus. Apoc.12.

Dion.Carthus.

S. Bernardinus.

49 Septimò,duo Cherubim ex auro productiles,qui erant in Arca,plenitudinem scientiæ,quam Cherubim nomen importat,in Deipara ostendunt. *Maria enim* (inquit Bernardus serm.Signum magnum) *iure Sole perhibetur amicta, quæ profundissimam diuinæ Sapientiæ,vltra quam credi potest,penetrauit abyssum; vt quantum sine personali vnione creaturæ conditio patitur,luci illi inaccessibili videatur immersa.* hæc ille. Dionysius Carthusianus super illud Cant.5. *Ego dormio, & cor meum vigilat,* sapientiam Deiparæ infusam vocat splendidissimam,& exuberantissimam. Et D.Bernardinus tom.2. serm.51. art.1.cap.2. *Tanta,* inquit, *sapientiæ claritas à Deo superinfusa est virgini,quod hæc septẽ perfectè intelligebat secundum quosdam. Primò,naturam creatam irrationalem. Secundò naturam creatam rationalem. Tertiò,naturam creatam spiritualem. Quartò,naturam increatam diuinalem. Quintò,omnia,quæ erant fugienda,& spernenda. Sextò,omnia,quæ erant sequenda, & amplectenda. Septimò, per quem modum, & ad quantum gradum omnia essent odienda,vel diligenda.* hæc S.Bernardinus.

Offic.Eccles.

Neque hoc cuiquam mirum videri debet: si enim S.Io.Euangelista in vltima cœna super pectus Domini recumbens *fluenta Euangelij,* vt in eius festo canit Ecclesia, *de ipso sacro Dominici pectoris fonte potauit:* quantò maiorem sapientiæ copiam habuisse existimanda est Deipara, quæ nouem mensibus Christum in vtero gestauit,& totos triginta tres annos eius doctrina est imbuta; quemadmodum cap.9. dicemus: quo circa & Apostolorum, Euangelistarumq; Magistra fuit,de quo cap. 19. Adhæc cum Lyrano in morali expositione Exod.25. dici potest duos Cherubim assistentiam Angelorum B. Virgini famulantium significare: qua verò ratione Angeli omnes, & peculiariter septem illi præcipui, qui diuino throno assistunt,Deiparam venerentur, eiq; reuerenter obsequantur cap.26.exponemus.

Cap.9. Cap. 19. Lyranus.

Cap 16. Exod.25. Per Manna, &c. Christus Dominus significatur. Coloss.2.

Denique Manna,virga Aaron,& tabulæ legis, quæ in Arca erant reposita Christum Dominum,qui in vtero Virginis nouem mẽsibus fuit,adumbrant; Christi enim Corpus, quo suauissimè vescimur,per Mãna dulcissimùm,eiusdem Anima, in qua teste Apostolo Coloss.2.sunt omnes thesauri Sapientiæ,& scientiæ absconditi,per legem; Diuinitas verò per virgam Dominij symbolum aptè exprimuntur. Vel etiam dici potest in tribus illis tria quoque præclarissima,quibus Deipara prædita est, significari; in Manna enim Deiparæ misericordia dulcissima, qua materno affectu apud filium homines defendit, atque excusat,de qua nos cap.16.commodè indicatur.In legis tabulis diuinæ legis seruandæ studium, atque amor, quo ipsa adeò tenebatur, vt cum Dauid psal.30.dicere possit: *Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei,* quod nonnullis exemplis cap. 37. ostendemus. In virga denique regia potestas, ac dominium enitet, quo à filio cunctis est prælata creaturis; hac etiam virga,Isa.30.percussus pauebit Assur,hoc est eius

Cap. 16. Psal. 30. Cap. 37. Isa. 30.

potesta-

poteſtate tartarei draconis caput conteretur, de quo cap. 24. Cap. 24.

50 Quòd ſi cætera, quæ de Arca fœderis in diuinis litteris leguntur, expendamus, ea quoque Deiparæ congruere inueniemus, ex ijs nonnulla tantum recenſebimus. *Singula, quæ arcæ congruunt B. Virg. accommodantur.*

Primò quidem de Arca 3. Reg. 8. habemus illatam eam fuiſſe à Sacerdotibus in locũ ſuum, in Salomonis templum, nimirum intra ſancta ſanctorum. quod Bonauentura in ſpeculo B. Virgin. eius Aſſumptioni accommodat, qua Deipara ſuper omnes Angelorum choros digniſſimo loco à ſummo Sacerdote Chriſto Domino eſt collocata, cui conſonat illud pſalm. 131. *Surge Domine in requiem tuam, tu & Arca ſanctificationis tuæ*; per hanc autem Arcam ſanctificationis à Chriſto in requiem æternam exceptam Deiparam intelligunt Chryſoſtomus, Andreas Cretenſis, Heſychius, Damaſcenus, Georgius Nicomedienſis, Bonauentura, S. Bernardinus, & S. Antoninus locis ſupra citatis: vt propterea illud Apocal. 11. *Et apertum eſt Templum Dei in Cœlo, & viſa eſt Arca teſtamenti eius in Templo eius*, de Deipara rectè explicari poſſit, quemadmodum cap. 20. dicemus. 3. Reg. 8. *Bonauent.* *Pſal.* 131. *Chryſoſtomus.* *Cretenſis.* *Heſychius.* *Damaſcenus.* *Georg. Nicom.* *Bonauent.* *S. Bernardin.* *S. Antonin.* *Apoc.* 11.

Secundò ex propitiatorio Arcæ Deus reſponſa ſe daturum pollicitus eſt Moyſi Exod. 25. & 1. Reg. 14. Saul conſulere volens diuinum oraculum, Sacerdoti dicebat: *Applica Arcam Dei*: ita & Deus per Deiparam hominum Aduocatam noſtras preces exaudit, vt capit. 30. dicemus, & per eam ſuæ miſericordiæ reſponſa reddit, de quo capit. 16. *Cap.* 20. *Exod.* 25. 1. *Reg.* 14. *Cap.* 30. *Cap.* 16.

Tertiò in deſerto filij Iſrael cum ad terram promiſſionis contenderent Num. 9. ad *imperium Domini proficiſcebantur, & figebant tabernaculum, & tentoria.* & Num. 10. *Profecti ſunt de monte Domini viam trium dierum; Arca autem fœderis Domini præcedebat eos per dies tres prouidens caſtrorum locum:* ita & nos ad imperium Domini omnes noſtras actiones componamus; Deiparam verò tanquam Arcam Dei inuocemus, vt ſua interceſſione nobis locum manendi prouideat, noſq; in hoc ancipiti ad Cœlum itinere dirigat. *Num.* 9. & 10.

51 Quartò cum filij Iſrael tranſituri eſſent Iordanem, vt ad terram promiſſionis peruenirent; Sacerdotibus, qui Arcam fœderis portabant, Iordanem ingreſſis, diuiſæ ſunt aquæ Iordanis, & populus per arentem alueum tranſiuit: eodem modo aquæ tribulationum huius mundi Deiparæ patrocinio ita diuiduntur, & extenuantur, vt inoffenſo pede diuino auxilio fulti per eas tranſire valeamus. *Exod.* 14.

Quintò Numer. 10. cum eleuaretur Arca, dicebat Moyſes: *Surge Domine, & diſſipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te, à facie tua*; cum autem deponeretur aiebat: *Reuertere Domine ad multitudinem exercitus Iſrael:* Quæ verba explicat S. Bernardinus Senenſis tomo 3. ſermone 11. artic. 1. capit. 2. de Deipara, quam vult in Arca Moyſi præmonſtratam: *His enim*, inquit, *verbis Numer. 10. myſticè innuitur, quod quando eleuata fuit Virgo glorioſa ad cœleſtia regna, Dæmonis potentia imminuta eſt, & diſſipata: vnde pro illa dici poteſt illud Eccleſiaſtici: Superborum, & ſublimium colla propria virtute calcaui.* hæc S. Bernardinus. cui addere poſſumus, Verba illa Moyſis, cum deponeretur Arca, oſtendere Dei miſericordiam ad nos cum hac myſtica Arca reuerti. *Num.* 10. *S. Bernardin.* *Num.* 10. *Eccleſ.* 24.

Sextò, muri Ierichuntini Ioſue 6. Arca Domini circumlata clangentibus tubis corruerunt, quod Damaſcenus orat. 2. de dorm. his verbis de Deipara exponit: *Iubilemus in Arca Domini Dei toto animo, & muri cadent Ierichuntini, contrariarum*, inquit, *poteſtatum infeſtæ munitiones.* *Ioſue* 6. *Damaſcenus.*

Septimò, Arca Dei à Philiſtæis capta 1. Reg. 5. Idolum Dagon euertit, eiq; caput, ac manus præcidit. Azotios, reliquosq; populi Dei hoſtes percuſſit, & multis plagis affecit, quod myſticè fit cum per Deiparam Dæmonis caput, viresq; atteruntur, vt eos, qui Deiparæ pietatem exercent, ab hoſtibus ſeruet incolumes, quod multis exemplis capit. 20. planum fiet. 1. *Reg.* 5. *Cap.* 20.

Octauò, percuſſio Ozæ ſuper temeritate, qua extendit manum ad Arcam Dei, vt teneret eam 2. Reg. 6. nobis ſatis indicat quanta cum reuerentia Deiparam tractare debeamus. ad quod ſpectat Damaſcenus carmine de Annunciatione, cum Deiparam appellat: *Viuam Dei Arcam, quam profanorum manus non tangit.* 2. *Reg.* 6. *Damaſcenus.*

1.Reg.6. Nonò 1. Reg. 6. de viris Bethſamitibus, eo quod vidiſſent Arcam Domini, percuſſit Dominus de populo ſeptuaginta viros, & quinquaginta millia plebis, vt intelligamus quamlibet in Matrem Dei irreuerentiam, tametſi alijs videatur leuis, non futuram inultam, quod compluribus exemplis in tractatu de Miraculis aperte oſtendimus.

DEIPARAE EXIMIA TVM CORPORIS, tùm animæ pulchritudo.

52 QVAE de Deiparæ præſtantia expoſuimus ſymbola, ea ſunt, vt ipſius, & corporis, & animæ pulchritudinem ſatis nobis indicare videantur: quare operæ pretium duxi in præſentia de vtraque Virginis forma aliqua in medium afferre; & quamquam pulchritudo, formaq; corporis exterior bonum eſt caducum, de qua quidam ſic cecinit:

Pulchritudo donum Dei.

Ouid. ,, *Forma bonum fragile eſt, quantumq. accedit ad annos*
,, *Fit minor, & ſpatio carpitur ipſa ſuo.*

Boetius. Quæ etiam ex Boetio lib. 3. de Conſolatio. proſa 8. triduanæ febris igniculo poteſt diſſolui; eaquè de cauſa à Nazianzeno oratione 31. Temporis, ac morbi ludibrium appellatur; Dei tamen donum eſt, quod ex Auguſtino lib. 15. de Ciuitate Dei cap. 22. Quamuis ſit temporale, carnale, & infirmum bonum, propterea tamen illud Deus largitur etiam malis, ne magnum bonum videatur bonis, quo fit, vt eiuſmodi Dei quale quale donum in Deipara quoque extitiſſe Patrum complures conſtanter affirment, & rationum momenta perſuadeant, quod ex ijs, quæ dicemus planum fiet.

Nazianz. *Auguſtin.*

Et vt inde ducatur initium, vnde pulchritudinis ratio petitur, ea ex Alberto apud ſanctum Antoninum 4.par.tit.15.cap.11. in debita corporis quantitate, & qualitate, in eleganti membrorum diſpoſitione, & proportione, & in coloris venuſtate ſita eſt: quibus omnibus cum Deipara, vt dicemus, prædita egregiè fuerit, conſequens etiam eſt, eam præſtanti corporis forma, & inſigni pulchritudine ornatam pariter fuiſſe. Iam huius rei Patrum teſtimonia afferamus. Nazianzenus in Tragedia, Chriſtus patiens, ſic cecinit ex perſona Nuntij.

S. Antonin.

Nazianz.

,, *Eheu, pudicas inter, & pulcherrimas,*
,, *Atque venerandas prima, Virgo eadem, & parens*
,, *Maria*.

Et rurſum ex perſona Chori.

,, *O Virgo, formæ quæ nitore cæteras*
,, *Præis, puella nobilis, quæ baiulans*
,, *Infantem in vtero (vt tu refers) tuo Deum*,
,, *Theſaurum eodem baiulaſti maximum*.

Ephrem. S. Ephrem oratione de Deipara eam Vrnam pulcherrimam vocat, quæ cœli manna geſtat. Epiphanius oratione de laudib. Virgin. ad eam ſermonem dirigit his verbis: *Quæ ſolo Deo excepto cunctis ſuperior exiſtis, Formoſior es ipſis Cherubim, & Seraphim, & omni exercitu Angelico*. Andreas Cretenſis oratione de dormit. Deiparam ſic alloquitur: *Eximia pulchritudo, à Deo ſculpta ſtatua, rectè deſcripta, Viui Archetypi Imago*. Georgius Nicomedienſis oratione de oblatione Deiparam ſic affatur: *O pulcherrima pulchritudo omnium pulchritudinum; O Dei genitrix pulchrorum omnium ſummum ornamentum*.

Epiphanius. *Virginis formoſitas.* *Andr. Cret.* *Georg. Nicomed.*

Richardus de ſancto Victore. 53 Richardus de ſancto Victore in Cantica cap. 26. docet amoris ignem, & interiorem candorem, exterius in Virgine lucere, vt quæ puritatem Angelicam habuit, vultum etiam Angelicum haberet; eiq; accommodat illud Cantic. 4. *Tota pulchra es amica mea*. Albertus Magnus non minus piè, quàm ſolidè, ac ſapienter, vt ſolet in libro de B. Virgin. apud Dionyſium Carthuſianum lib. 1. de laudib. Virgin. art. 3. *Quemadmodum*, inquit, *corpus Chriſti, quod Deus ſupernaturaliter per ſe ipſum formauit eſt perfectiſſimum, atque pulcherrimum in natura, quod fieri potuit ſecundum ſtatum viæ;*

Cant. 4. *Albert. Magn.* *Carthuſianus.* *Albert. Magn.* *Chriſtus Maria fructus pulcherrimus.*

ſic

ſic corpus Virginis ad hoc immediatè ordinatum fuit pulcherrimum ſecundum ſtatum viæ, quod natura per ſe operans facere poteſt; ideo dicimus, quòd ſicut Chriſtus fuit ſpecioſus forma præ filijs hominum, ſic Virgo pulcherrima fuit inter filias hominũ; & quòd ipſa habuit ſummum, & perfectiſſimum, quod potuit eſſe in mortali corpore fœmineo ſecundum ſtatum viæ, operante natura. hæc Albertus. Bonauentura in Litanijs eam his verbis inuocat: *Sancta Maria fœminarum pulcherrima.* Idem in ſpeculo cap. 14. cum ageret de fructu Virginis, ideſt Chriſto, quem (vt eius verbis vtar) ait non ſolum eſſe delitioſum odore, ſed delitioſiorem ſpecie, & decore, citat illud Leuit. 24. *Sumetisq. die primo fructus arboris pulcherrimæ. Primus dies,* inquit, *animam illuminans eſt fides; & certè ſi ſumere debemus fructus arboris pulcherrimæ, arbor pulcherrima eſt Maria; pulchra quidem in foliis oris, pulchrior autem in floribus cordis, pulcherrima verò in pulcherrimo fructu ventris; de quo B. Bernardus infert ſic. Si, inquit, fructus ille mortis non ſolùm ſuauis fuit ad veſcendum, ſed etiam, teſte ſcriptura, delectabilis aſpectu; quanto magis huius vitalis fructus viuificum decorem debemus inquirere? illum (inquam) in quem deſiderant Angeli proſpicere. Pulcher vtique fructus Chriſtus eſt, qui ſpecioſus forma præ filijs hominum eſt: ſi autem plenius cognoſcere volumus fructus huius pulchritudinem, recurramus ad ipſam arborem pulcherrimam, requiramus ipſam pulcherrimam eius matrem, & dicamus illud Cant. 5. Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto ò pulcherrima mulierum? & ecce ipſa reſpondens ſtatim dicit, Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus: Ipſe candor lucis æternæ. Candidus quidem eſt diuinitate, rubicundus autem humanitate: candidus quoque conuerſatione, rubicundus paſſione. Ecce quàm pulcher fructus; propter hoc bene de ipſo dicit Auguſtinus, pulcher in cœlis, pulcher in terris, pulcher in Patre Verbum, pulcher in matre caro, & Verbum. hæc autem pulcherrima arbor Maria non ſolum habet pulcherrimum fructum ventris, ſed etiam pulcherrimos habet fructus mentis; de quibus Apoſtolus ad Galatas ſcribens ait; Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas.* hactenus Bonauentura.

Pſalm. 44. Bonauentura. Leuit. 24. Bernardus. Gen. 2. Pſal. 44. Cant. 5. Auguſtinus. Galat. 5.

54 Dionyſius Carthuſianus lib. 1. de laud. Virg. artic. 35. *A planta,* inquit, *pedis vſque ad verticem capitis nihil penitus fuit in Virgine, neque in corpore, neque in anima indecens, reprehenſibile, indecorum, imò totum fuit diuinæ Sapientiæ circino formatum, pulcherrimè circumciſum ab omni ſuperfluitate, pleniſſimè, ac ſpecioſiſſimè operatum. Nempè ſicut Chriſti humanitatem propter eius perſonalem cum Deo vnionem decuit omni perfectione naturæ, & gratiæ in termino excellentiæ præfulgere, ita ipſius genitricis perſonam poſt vnigeniti ſui humanitatem oportebat in omnibus ſic ornari. quoniam poſt hypoſtaticam in Deo coniunctionem non eſt alia tam vicina, vt vnio matris Dei cum Deo filio ſuo.* hæc Dionyſius. Idem art. 36. exiſtimat Virginis ſanctiſſimæ cultum ſplendore quodam illuſtratum, eiusq; carnem ſuauem odorem ſpiraſſe. *Virgo,* inquit, *quò abundantioribus diuinorum chariſmatum infuſionibus fuit præuenta, eò hæc ipſa exuberantia magis in eius reſulſit vultu, ac viſu. & quò quotidie in omni gratia, ac virtute; & in omni luce contemplationis Theoricæ, & myſticæ Theologiæ ſplendore, in puritate interna, & ſanctitate Angelicæ excellentius profecit; eò interior illa, ac diuina ſynceritas luminoſa euidentius in eius facie apparebat: atque, vt quidam etiam magni Doctores dicunt, viſibiliter radiabat.* Addit etiam Carthuſianus; *Cur non putetur,* inquit, *credibile, quod virginea eius caro dulcem ſit ſortita odorem?* Hoc ipſum de Deiparæ pulchritudine docet S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 11. vbi cum multa de eius pulchritudine diſſeruiſſet, agit de eius colore in cute, & in capillis, ac oculis, cuius verba hæc ſunt. *Beata Virgo ex Alberti ſententia in colore cutis fuit alba, & rubra mixtim; in capillis autem, & oculis nigra, & temperata, ſicut & eius filium ſpecioſiſſimum credimus coloratum.* Ratio S. Antonini ea eſt, quoniam nobiliſſimus color ex albo, & rubro, qui à Galeno in complexione temperata conſtituitur, corpori benè diſpoſito conuenit, & hic fuit in Virgine, de cuius filio Cant. 5. dicitur: *Dilectus meus candidus, & rubicundus:* quamquam ſi myſticè, id de anima intelligatur, candor deſignat puritatem; Rubor autem charitatem; quæ virtutes puritas, & charitas fuerunt in Virgine in ſummo. Capilli verò Deiparæ ex Alberto, & Conſtantino medico fuere temperatè nigri: quoniam perfectiſſima corporis humani diſpoſitio, qua prædita

Carthuſ. *Vultus Deiparæ fulgebat, & corpus eius odorē ſpirabat ſuauem.* S. Antonin. *Color Deiparæ in corpore, & in capillis.* Galenus. Cant. 5. Albertus. Conſtantinus medicus.

fuit Deipara, exigit cerebrum calidum,& ſiccum; à calore enim oritur velocitas apprehendendi; à ſiccitate verò firmitas retinendi; ex tali autem cerebri diſpoſitione color niger in capillis, & in oculis oritur: oculi porrò nigri ſunt clariores ad videndum, ac proinde nobiliores, propter ſenſuum vtilitatem. quare in Canticis, vbi ſpiritualis pulchritudo per exteriorem compoſitionem deſcribitur, ſic habemus cap. 5. *Comæ eius ſicut elatæ palmarum, nigræ quaſi coruus.* hæc ex S. Antonino, & Alberto ijſdem ferè verbis; quamuis Epiphanius apud Nicephorum, quem infra afferemus, velit colorem B. Virginis fuiſſe triticeum; capillos verò flauos.

Cant. 5.

Epiphanius.

Abulenſis.

55 Abulenſis quoque paradoxo 2. cap. 101. Deiparæ pulchritudinem aſtruit ea ratione; *Quoniam pulchritudo*, inquit, *atteſtatur ſuper bonam complexionem, quæ eſt ſignum, & cauſa efficax boni ingenij, cum phantaſmata rectè diſpoſita intelligenti ſubſeruiant.* Recentiores quoque hoc idem de pulchritudine Virginis affirmant, & rationibus confirmant. Caniſius lib. 1. de *B.* Virg. cap. 13. Suarez tom. 2. in 3. par. diſput. 2. ſect. 2. Barrada lib. 6. cap. 9. Denique S. Brigitta in ſerm. angel. cap. 13. *Quemadmodum*, inquit, *Deus & Angeli de Virginis animæ venuſtate gratulabantur in Cœlis, ita etiam gratiſſimæ eius corporis pulchritudo omnibus eam cernere cupientibus, vtilis fuit, & conſolatoria in terris.* & lib. 5. poſt interrog. 9. Chriſtus Dominus ſingula ſuæ genitricis membra laudibus extollit, & myſticè eorum pulchritudinem declarat, & lib. 1. cap. 51. Matri ſuæ hæc dixiſſe ſcribitur: *Angeli conſiderant alter alterius pulchritudinem, & pulchritudinem omnium animarum, & omnium corporum admirantur: ſed animæ tuę pulchritudinem vident eſſe ſuper omnia, quæ creata ſunt, & corporis tui honeſtatem excellere omnes homines, qui creati ſunt, & ſic omnes Angelos, & omnia, quæ creata ſunt excellit pulchritudo tua.* hæc ibi.

Maria pulchritudo creaturas omnes antecellit

Caniſius.

Suarez.

Barrada.

S. Brigitta.

Deiparæ forma & mores.

56 Cæterùm inſignem corporis Deiparæ delineationem, ac formam Epiphanius Presbyter Conſtantinopolitanus accuratè nobis ob oculos ponit apud Nicephorum lib. 2. hiſt. cap. 23. Epiphanio autem fides meritò haberi poteſt; is enim in græcis auctoribus excutiendis magno ſe ſtudio vſum affirmat, vt de vita Deiparæ non tantum credibilia, ſed vera etiam, ac firma proferret, reiectis quibuſdam malæ fidei auctoribus; Nicephori verba ex Epiphanio hæc ſunt; *Sacratiſſimæ Deiparæ mores, formæq. & ſtaturæ eius modus talis* (inquit Epiphanius) *fuit, erat in rebus omnibus honeſta, & grauis, pauca admodum, eaq. neceſſaria loquens, ad audiendum facilis, & perquam affabilis; honorem ſuum, & venerationem omnibus exhibens; ſtatura mediocri, (quamuis ſint qui eam aliquantulum mediocrem longitudinem exceſsiſſe dicant:) decenti dicendi libertate aduerſus homines omnes vſa eſt, ſine riſu, ſine perturbatione, & ſine iracundia maxime. Colore fuit triticum referente, capillo flauo, oculis acribus, ſubflauas, & tanquam oleæ colore pupillas in eis habens; ſupercilia ei erant inflexa, & decenter nigra; Naſus longior, labia florida, & verborum ſuauitate plena; Facies non rotunda, & acuta, ſed aliquanto longior; Manus ſimul, & digiti longiores: erat denique faſtus omnis expers, ſimplex, minineq. vultum fingens, nihil mollitiei ſecum trahens, ſed humilitatem præcellentem colens; Veſtimentis, quæ ipſa geſtauit, coloris natiui contenta fuit; id quod etiam num ſanctum capitis eius velamen oſtendit. & vt paucis dicam, in rebus eius omnibus multa diuinitus inerat gratia.* hæc Epiphanius apud Nicephorum: cui conſonat Cedrenus in compendio hiſtoriæ: Anſelmus quoque eadem habet. Et verò imago Deiparę à S. Luca coloribus expreſſa, quæ Romæ in S. Maria Maiore piè colitur huic Epiphanij deſcriptioni mirificè congruere videtur.

Nicephorus.

Epiphanius.

Cedrenus.

Anſelmus.

Summa B. Virg. in ore maieſtas.

57 Huc etiam ſpectat Maieſtas gloriæ, qua Deipara cum adhuc inter mortales degeret, oſtenſa dicitur magno Dionyſio Areopagitæ, de quo Carthuſianus in 1. ſent. diſt. 16. q. 2. cum de miſſione Spiritus ſancti ageret, quærit vtrum huiuſmodi gloriæ manifeſtatio in Deipara diuinitus facta appellari poſſit viſibilis ſancti Spiritus miſſio, atque hęc ſubijcit: *In opuſculo*, inquit, *quod de laudibus electiſſimæ Mariæ edidimus è ſcripturis fide dignis retuli, & probaui, quod Diuinus Dionyſius quadam vice terram ſanctam intrauit, & Ioannem acceſsit Apoſtolum rogans, vt eum ad ſanctiſſimæ Virginis Chriſtiferæ præſentiam, & conſpectum introducere dignaretur. quo facto illuſtriſſima, ac honeſtiſſima Virgo in tanto ſplendore, ſublimitate, & gloria oſtenſa fuit magno Dionyſio,*

Carthuſianus.

quod

quod præ ſtupore ruens in terram defecit: & reuerſus ad ſe dixit: Niſi ex ratione, & fide cognoſcerem inuiſibilem Deum, non aliam putarem Deitatem, quàm Virginem hanc ſublimem. An verò apparitio, ac manifeſtatio illa, quæ vtique facta fuit ad declarationem eximiæ ſanctitatis, dignitatis, ac gratiæ præclariſſimæ Virginis, debeat dici viſibilis miſſio Spiritus ſancti, diſputantibus deſero: Mihi tamen videtur, quod imò, & forſan (vt piè credendum cenſetur) frequenter ita oſtenſa eſt, atque circumdata lumine copioſiſſimo improuisè inuenta, præſertim cum & aliæ quædam vtriuſque ſexus perſonæ ſic circumdatæ luce ſuperna viſibili interdum inuentæ, ac viſæ legantur. hæc Carthuſianus, qui in ſerm. 2. de Natiu. Virg. citat Epiſtolam Dionyſij Areopagitæ, vbi hoc totum narrat. Hanc verò Epiſtolã, quod adhæc, quæ tractamus, faciat hic totidem verbis aſcribendã duximus. *Carthuſianus.* *Dionyſ. Areop.*

Seruus, & nouiſſimus vnctus Dionyſius electiſſimo vaſi cœlico Paulo Præceptori, & Principi. S.

NON credidi (confiteor) coram Deo, Princeps mi maximè, extra Deum ſummum, & optimum eſſe, haberi etiam, neque ab hominibus poſſe percipi, quam ego oculis non tantum mentis, ſed corporis vidi, perſpexi, atque proprijs oculis intuitus ſum Deiformem, atque ſupra omnes cœlicos ſpiritus ſanctiſſimam Matrem Chriſti Ieſu Domini noſtri, quam mihi benignitas Dei, & clementia Saluatoris, & gloria maieſtatis Deiformis Virginis Matris eius. Quoniam cum à Ioanne vertice Euangelij, & Prophetarum, qui in corpore habitans quaſi ſol fulget in cœlo, ductus fui ad Deiformem præſentiam altiſſimæ Virginis; tantus me immenſus diuinus ſplendor circumfulſit exterius, & plenius irradiauit interius; tanta etiam in me omnium odoramentorum ſuperabundauit fragrantia, vt nec corpus infelix, nec ſpiritus poſſet totius, ac tantæ felicitatis inſignia ſuſtinere. Defecit cor meum, defecit ſpiritus meus tantæ gloriæ maieſtate oppreſſus. Teſtor qui aderat in Virgine Deum, ſi tua diuina mente concepta non me docuiſſent, hanc verùm Deum eſſe credidiſſem: quoniam nulla videri poſſet maior gloria Beatorum, quàm felicitas illa, quàm ego infelix nunc, tunc verò feliciſſimus degustaui. Gratias ego ſummo, atque optimo Deo, diuinæq. Virgini, & eminentiſſimo Apoſtolo Ioanni, & tibi Eccleſiæ vertici, atque Principi triumphanti, qui mihi talia clariſſimè, & clementiſſimè præſtitiſtis. Vale. hactenus Epiſtola Dionyſij, de cuius auctoritate an ſit Dionyſij, non eſt noſtrum in præſentia decernere. ſanè Epiſtolæ Dionyſij Areopag. ad Ioan. Apoſtolum meminit Adrianus Papa in prima Epiſtola ad Carolum cap. 36. *Dionyſius Areopagita Epiſtola*

58 Nunc ad alia, quibus Deiparæ pulchritudo demonſtratur accedamus. & in ſacris quidem litteris ſæpiſſimè tum Deipara ipſa, tùm etiam ea, quæ Deiparæ typum gerunt à pulchritudine commendantur; quæ tametſi ſpiritualem animæ eius pulchritudinem præcipuè ſignificent, corporalem tamen eiuſdem ſpeciem, atque decorem nobis etiam indicant: nam teſte Ambroſio lib. 2. de Virginibus, ipſa corporis Deiparæ ſpecies ſimulachrum fuit mentis, figura probitatis; ſatis igitur erit locos oſtendere, præſertim Canticorum, in quibus ſub typo ſponſæ Deiparam peculiariter intelligi ex Patrum ſententia alibi diximus. Igitur Cant. 1. ex perſona Deiparæ pronunciatur: *Nigra ſum ſed formoſa filiæ Ieruſalem.* quæ verba Eccleſia ſæpè in officio ciuſdem repetit. rurſum dicitur: *Pulcherrima inter mulieres* Cant. 1. & 5. rurſum Cant. 1. *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis, collum tuum ſicut monilia.* & iterum: *Ecce tu pulchra es amica mea: ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum.* & Cant. 2. *Surge amica mea,* & mox: *Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Cant. 4. *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es;* ſingulasq; corporis ſponſæ partes, oculos, capillos, dentes, labia, genas, collum, vbera præclaris quibuſdam ſymbolis ex inſtituto commendat. denique concludit: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Cant. 6. *Pulchra es amica mea, & ſuauis, & decora, ſicut Ieruſalem:* & iterum: *Pulchra vt luna.* Cant. 7. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui;* & iterum: *Quàm pulchra es, & quam decora chariſſima in delicijs.* eiusq; ſtaturam, vbera, guttur peculiariter extollit: quare pſalm. 44. *Aſtitit Regina à dextris tuis:* de qua mirum non eſt ſi ſubijcitur infra: *& concupiſcet* *Pulchritudo Deiparæ.* *Ambroſius.* *Cant. 1.* *Cant. 1. & 5.* *Cant. 2.* *Cant. 4.* *Cant. 7.* *Pſal. 44.*

Bonauentura. Sap.7. *Rex decorem tuum.* Bonauentura in ſpeculo cap.3.illud Sap.7.quod de diuina Sapientia effertur; *eſt enim hæc ſpecioſior ſole,* de Deipara dici poſſe affirmat.idem cap.14.quéadmodum ſupra diximus,illud Leuit.24. *Sumetis fructus arboris pulcherrimæ,* Chriſtum intelligit Deiparæ pulcherrimæ fructum.

Leuit. 24.

Ad hæc Deipara in typis quibuſdam inſigni decore, ac pulchritudine præditis, quos in hoc capite eidem accommodauimus,figuratur; hoc eſt Gen.2.in Paradiſo adeo pulchro,vt à voluptate nomen acceperit: In ferculo eiuſdem Salomonis Cant. 3. In arca auro mundiſſimo intus,& foris circuntecta: In throno eiuſdem Salomonis eburneo, de cuius magnificentia,& pulchritudine 3.Reg.10.pronunciatur, *Non eſt factum tale opus in vniuerſis Regnis.*

Gen.2. Cant.3. 2.Reg. 10.

Maria Chriſto ſimillima. Pſal.44. Chryſoſtom. Auguſtinus. Caſſiodorus. Ambroſius. Hieronymus. Bernardus. Caietanus.

59 Hæc ipſa Deiparæ pulchritudo confirmatur ex ſimilitudine perfectiſſima, quam habuit cum Chriſto; quem ex pſalm.44.fuiſſe *ſpecioſum forma præ filijs hominum*, vtpote à Spiritu ſancto formatum,omnes docent; Chryſoſtomus homil.18.in Matth. Auguſtinus,& Caſſiodorus in pſal.44.Ambroſius lib.1.de Virg.Hieronymus lib.1.in Matth. Bernardus ſerm.1.in feſto Aſſumpt.inter genitum autem, & gẽnerantem ſimilitudo intercedit,niſi ex aliquo accidente impediatur:& hæc eſt ratio Alberti Magni verbis ſupra allatis,& Caietani tom.2.opuſc.13. de ſpaſmo B. Virg. Quin etiam perfectio complexionis naturalis,qua Deipara,vt ſupra diximus cum de Arca ageremus,fuit prædita, idem oſtendit;& eſt ratio Abulenſis loco citato;ex optima enim complexione,& membrorum diſpoſitione oritur corporis pulchritudo.

Abulenſis.

Mulieres,quæ in ſacris litteris Deiparæ pulchritudinem præfigurarunt. Gen.12. Gen. 24. Gen.29. 1.Reg.25. Iudith 10. Eſther 2. Iob 42.

Ex his rectè inferimus mulieres illas,quæ in diuinis oraculis à pulchritudine laudantur,typum geſſiſſe pulchritudinis Deiparæ.eiuſmodi fuit Geneſ.12. *Sara vxor Abrahæ pulchra nimis.*& Gen.24. *Rebecca decora nimis,virgoq. pulcherrima, & incognita viro.* & Geneſ. 29. *Rachel virgo decora facie, & venuſto aſpectu.* & 1.Reg. 25. *Abigail vxor Nabal mulier prudentiſſima,& ſpecioſa.* & Iudith vidua *eleganti aſpectu nimis,* cui Dominus,Iudith 10.ad Holofernem debellandum contulit ſplendorem: & hanc, in illam pulchritudinem ampliauit,vt incomparabili decore omnium oculis appareret. & Regina Eſther Aſſueri vxor,de qua ſic legimus cap.2. *Erat formoſa valde, & incredibili pulchritudine,omnium oculis gratioſa,& amabilis videbatur.* & Iob 42.de filiabus Iob, *non ſunt inuentæ,*inquit,*mulieres ſpecioſæ,ſicut filiæ Iob in vniuerſa terra*, quæ ipſo nomine præferebant aliquid ad venuſtatem pertinens,prima enim dicebatur Dies, altera Caſia,tertia Cornu ſtibij.

Maria Virg. aſpectus ad puritatis cultum excitabat. S. Thom. Ambroſ.

60 Cæterum eximia Deiparæ pulchritudo tanta cum morum, actionumq; grauitate, ac honeſtate erat coniuncta,tanta ex ieiunijs, & aſſidua contemplatione erat ſui corporis maceratio; tantus ſanctitatis odor, qui ex ea fragrabat,vt accedente ſingulari Dei dono,vt ait S.Thomas,ipſam intuentes ad pudicitiam excitarentur; quod complures grauiſſimi Patres affirmant. Ambroſius in lib.de Inſtit.Virg. cap.7. loquens de Deipara, *Tanta,*inquit,*erat eius gratia,vt non ſolum in ſe virginitatis gratiam ſeruaret; ſed etiam his,quos viſeret,integritatis inſigne conferret;viſitauit Ioannem Baptiſtam, nec immeritò manſit integer corpore,quem in tribus menſibus oleo quodam ſuæ præſentiæ,& integritatis vnguento Domini mater exercuit.* Alenſis 3.par.ſuæ theol.quæſt.9.nu.2.art.5.*B.Virgo,* inquit, *ſuo aſpectu concupiſcentiæ motus extinſit.* S.Thomas in 3.p.diſt.3.q.1.art.2.quæſtiuncula 1.ad 4.*Gratia,*inquit,*ſanctificationis in B.Virgine non tantum repreſſit in ipſa motus illicitos,ſed etiam in alijs efficaciam habuit,ita vt quamuis eſſet pulchra,à nullo vnquam potuit concupiſci.* Bonauentura in tertio diſt.3.art.2.q.3.Iudæorum quorundam aſſertione docet,Virginem tametſi pulcherrimam,à nullo tamen viro concupitam.idem docet Gabriel in 3.diſt.3.q.2.art.3.dub.1. Henricus de Haſſia apud Carthuſianum lib. 2.de laud.Virg.art.2. *Maria,* inquit,*plena gratia optimæ compaginis naturalis,ſingulariſſimæ pulchritudinis corporalis; decentiſſimæ habitudinis moralis*; & mox: *In exteriori etiam eius effigie gratia diuina tam copioſe,efficaciterq. lucebat,quod eius aſpectus carnalium æſtus extingueret, peccatorum corda compungeret, mundanorum hominum deſideria ad cœleſtia eleuaret.* ſic ille. Gerſon quoque in ſermone de Concept. Virg. idem cum S. Thoma docent.

Alenſis. S. Thom. Bonauent. Gabriel. Henricus de Haſſia apud Carthuſ. Gerſon. S. Thom.

Cant.2. 61 Cæterùm Carthuſianus verba illa Cant.2. *ſicut lilium inter ſpinas;* ad hæc, quæ dicimus,

cimus,confirmanda eleganter in eum locum Canticorum art.8.exponit; vult enim reliquas fœminas pulchras veluti ſpinas pungere intuentes; Deiparam verò ſicut lilium ſua pulchritudine nemini offenſioni fuiſſe;verba Carthuſiani hæc ſunt: *Quamuis fuerint multæ virgines ſanctæ,tamen reſpectu Virginis beatiſſimæ,quaſi ſpinæ fuiſſe videntur,inquantum aliquid culpæ habebant: & quamuis in ſe fuerint mundæ, non tamen fuit in eis fomes prorſus extinctus. fuerunt & alijs ſpinæ, qui ex earum intuitu concupiſcentia pungebantur.Porrò Deipara Virgo ab omni culpa fuit prorſus immunis, fuit fomes in ea plenè extinctus,& tam intenſa caſtitate erat repleta, quod intuentium corda ſic penetrauit ſua inæſtimabili caſtitate virginea, quod à nullo potuit concupiſci; imò potius extinxit ad horam illorum libidinem*. hæc Carthuſianus. His omnibus libet adiungere miraculum quoddam de beatiſſimæ Virginis admirabili pulchritudine,cuidam clerico oſtẽſa, quod apud Ioannem Herlot in Promptuario miraculorum B.Virgin.exemp.79. habetur; nos autem ex Speculo exemplorum diſtinct.8. §. 69. huc ijſdem planè verbis tranſtulimus. *Clericus quidam beatæ Mariæ deuotiſſimus, crebris eam precibus fideliter exorabat, vt ſibi ſuam pulchritudinem oſtendere dignaretur; quæ in ſcripturis ſacris ſæpius comendatur;*vt eſt illud Cant.4. *Tota pulchra es amica mea,& macula non eſt in te, &c.* Item Cant.7. *Quàm pulchra es,& quàm decora,chariſſima in delitijs tuis, &c. cuius piè petitioni mater miſericordiæ annuens,per Angelum ei mandauit,quòd tali hora ſibi appareret: ſed tamen ſciret inconueniens,& indignum eſſe oculis;quibus eam videret,poſtea terrenum aliquid cernere:Cum autem reſponderet Clericus ſe non curare ſi poſt eius viſionẽ fieret cæcus;tamen Angelo diſparente cæpit anxiè cogitare,quia ſi viſum penitus amitteret,eũ mẽdicare de cætero oporteret. excogitauit ergo conſilium vno oculo clauſo,alterum tantum ad eam videndam aperire. Apparente autem ſibi B. Virgine tempore aſſignato, inæſtimabilem claritatem,& pulchritudinem vidit, & cupiens plenius eam videre etiam oculum, quem retinuerat clauſum aperuit: ſed viſio tunc repente diſparuit. Cum ergo oculo, quo eam viderat,eſſet orbatus,altero ſaluo manente, ipſe lacrymans eo quod oculo pepercisſet,ſe cæpit vehementer arguere dicens: Vtinam totus fuiſſem oculus, vt eam vidiſſem plenius: Cum autem demuo Dominam noſtram inſtantiſſimè exoraret, vt ſe adhuc ſemel ei oſtenderet;quia propterea etiam reſiduum oculum libenter amitteret,iterato piiſſima Virgo Maria ei apparuit,& ſua viſione ineffabiliter eum conſolata,& reſiduum oculum ſibi ſeruauit, & prius amiſſum reſtituit.* hæc ibi.

Cant. 2.

Promptuarium B. Mariæ Virg. Speculum exemplorum. Pulchritudinem Mariæ deuotus Clericus aſpicit. Cant. 4. Cant. 7.

62 Sed iam de ſpirituali Deiparæ pulchritudine,quæ illi corporeæ longè præſtat,aliqua breuiter perſtringamus. Cùm enim hic animæ decor in virtutum omnium ſplendore, ac diuinæ gratiæ præſentia ſit poſitus, cumq; nos toto hoc opere præſertim cap.13. & 21.de Deiparæ gratiæ immenſitate,deq; eius heroicis virtutibus agamus,non eſt cur in præſentia pluribus hac in re immoremur; nonnulla tamen attingemus. Et verò omnis animæ formoſitas,ac pulchritudo ex Deo oritur,qui per gratiam in anima manſionem facit,quod eleganti ſimilitudine Auguſtinus tract.32.in Ioan.explicat: *Sicut animus,*inquit,*facit decus in corpore; ſic Deus in anima.* & mox:*Decus ergo corporis animus,decus animi Deus.* Quantùm verò hęc interior animæ pulchritudo cæteris humanis rebus antecellat Gregorius lib.vlt.moral.in illud Iob 42.*Non ſunt inuentæ mulieres ſpecioſæ ſicut filiæ Iob in vniuerſa terra,* pulchrè declarat his verbis: *Electorum quippe animæ omne humanum genus,quod in terra ſecundum hominem conuerſatur,ſuæ pulchritudinis decore tranſcendunt,quantòq. ſe exterius affligendo deſpiciunt,tanto ſe verius intus componunt. Hinc eſt enim quod ſanctæ Eccleſiæ,quæ electorum pulchritudine decoratur Pſalm.44.dicitur,Concupiuit Rex ſpeciem tuam, de qua paulò poſt ſubditur:Omnis gloria eius ab intus;nam ſi foris gloriam quæreret,intus ſpeciem,quàm Rex concupiſceret,non haberet.* ſic Gregorius.

Animæ pulchritudo rebus omnibus præferenda. Cap.13. Cap.21. Auguſtinus. Gregorius. Pſal.44.

63 At verò Deipara diuina gratia, & ſingularibus eius donis præ cunctis puris creaturis cumulatiſſimè eſt ornata,vt propterea Cant. 1. & 5. *pulcherrima mulierum* appelletur:quoniam ex Alano,& Hailgrino in Cantica ipſa priuilegijs ſpiritualibus præ cæteris eſt ornata; ea enim ſacrarum litterarum teſtimonia, quæ ſupra ad corporis Deiparæ pulchritudinem oſtendendam attulimus:Mulieres quoque,quas pulchritudinis Deiparæ typum gerere diximus,animæ eius formoſitatem præcipuè nobis ob oculos ponunt.

Anima B. Virg. pulcherrima. Cant.1. & 5. *Alanus. Hailgrinus.*

Quare

Rupertus. Epist. 55. Psalm. 209.

Quare Rupertus lib.3. in Cant.in illud cap. 4. *Quàm pulchra es amica mea oculi tui columbarum:* septem Deiparæ virtutes in septem corporis membris significatas esse animaduertit; propter quas à sponso laudatur, & formosa ab Angelis, & hominibus iure optimo reputatur: *O pulchritudo,* inquit, *admirabilis, quam sic admiratur, & collaudat pulcherrimus auctor pulchritudinis; septem præconijs considerauit, oculos, capillos, dentes, labia, genas, collum, & vbera; & pro singulis dilectis singula decantauit dignæ collaudationis capitula; laudatur in oculis simplicitas; in capillis cogitationum tuarum munditia; in dentibus innocentia; in labijs doctrina; in genis verecundia; in collo humilitas; in vberibus tuis admiranda cum fœcunditate virginitas.* hæc Rupertus, quæ singula fusius ipse explicando persequitur. Ideo Augustinus serm.6. de tempore de Deipara in hunc modum loquitur. *Videamus, quæ est illa Virgo tam sancta, ad quam Spiritus sanctus venire dignatus est; quæ tam speciosa, quàm Dominus elegit sponsam; quæ tam copiosa, cuius generationem totus orbis excipiat; quæ tam casta, vt possit Virgo esse post partum: Hęc est immaculata concubitu, fœcunda partu, Virgo, & casta perpetuo. Hæc est sponsa Christi, gentium Magistra.* sic Augustinus. Bernardus homil.3. super missus est. *Meritò,* inquit, *concupiuit Rex decorem Virginis; Fecerat enim quidquid longè antea præmonita fuerat à Patre suo Dauid, dicente sibi: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum Patris tui: & si hoc feceris, concupiscet Rex decorem tuum. Audiuit quippe, & vidit, non vt quidam, qui audientes non audiunt, & videntes non intelligunt; sed audiuit, & credidit; vidit, & intellexit; & inclinauit aurem suam ad obedientiam, & cor suum ad disciplinam, & oblita est populum suum, & domum Patris sui, quia nec populum suum augere prolis successione, nec domum Patris sui relinquere curauit hæredē; sed quidquid honoris in populo, quidquid de paterna domo rerum terrenarum habere potuisset, omnia arbitrata est vt stercora, vt Christum lucrifaceret. Nec fefellit eam intentio, quando & Christum sibi filium vendicauit, nec propositum pudicitiæ violauit.* hæc Bernardus.

Augustinus. Bernardus. Psalm. 44. Luc. 8. Philip.3.

64 His subijciam piam quandam Idiotæ contemplationem de ijs, per quæ formositas Deiparæ significatur, quam in lib. contemplationum de B. Virg. cap. 3. ponit: *Speciositas,* inquit, *tua, beatissima Virgo Maria, designatur per septemplicem speciem, quæ in sacra scriptura inuenitur; est namq. species oliuæ, de qua scribitur, Quasi oliua speciosa in campis: est species columbæ, de qua canitur, Vidi speciosam sicut columbam: est species libani, de qua dicitur, Species eius vt libani: est species Cœli, de qua legitur, Species Cœli cum visione gloriæ: est species ignis in nocte, de qua scribitur, Operibat Tabernaculum quasi species ignis: est species arcus, de qua scribitur, Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum, valde enim speciosus est: est etiam species solis, de qua scribitur, Est enim speciosior sole. Species oliuæ consistit inter cætera in viroris amœnitate; sic tua species, O beatissima Virgo Maria, consistit inter alia in fidei synceritate: & sicut viror paciferæ oliuæ delectat oculum corporis, sic fides tua, quæ pacem inter Deum, & hominem reperit, delectat oculum mentis. Species columbæ consistit in simplicitate, pulchritudine oculorum, colorum mutatione, & varietate circa collum: sic tua species, ò beatissima Virgo Maria, consistit in humilitate, pulchritudine sanctarum cogitationum, & doctrinæ varietate, quæ in collo intelligitur, quia doctrix fuisti Doctorum, & magistra Apostolorum. vnde & beatus Lucas, qui inter cæteros Euangelistas descriptio Dominicæ Incarnationis attribuitur, Euangelij seriem à te Maria didicisse traditur. Species libani consistit in continua virgultorum fœcunditate, & delectabilium florum candore, & significat, ò gloriosissima Virgo Maria, candorem tuæ fœcundæ virginitatis; quia tu es de qua dicitur, Egredietur virga de radice Iesse, & Flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini. De tua autem supereminenti virginitate iustè dici potest, quod scribitur, Pulchritudinem candoris eius admirabitur oculus. Species cœli est in visione gloriæ, & significat in te sanctissima Virgine Maria contemplationis sublimitatem, de qua scribitur, Species mulieris exhilarat speciem viri, per quod intelligere quis possit altitudinem contemplationis acceptam esse, & placentem in conspectu diuinæ pulchritudinis. Species ignis consistit in ardore, & splendore, in te autem, ò beatissima Virgo Maria, fuit ignis charitatis ardens, & splendens ante Deum, & nos miseros peccatores protegens; & sicut tu Regina Virginum nominaris, sic charitas illa tua Regina virtutum appellatur, quia virtus nomen amittit, quæ charitati non famulatur.*

Idiota. Septem speciebus pulchritudo Deiparæ figuratur. Eccles. 24. Cant. 2. Cant. 5. Eccl. 43. Num. 9. Eccl. 43. Sap. 7. Maria dicitur oliua. Dicitur colūba. Species libani Maria. Isa. 11. Eccl. 43. Species cœli cū visione gloriæ. Eccl. 36. Species ignis.

Arcus

Arcus cœlestis sit ex radijs solis in humida nube, & significat Incarnationem filij tui superbenedicti in te; tunc enim sol iustitiæ, qui est splendor Patris ingressurus in mundum, ascendit super nubem leuem, idest sibi vniuit mundissimam carnem sine pondere peccati; quod factum est in tua carne in tuo virginali vtero, & sic facta est visibilis imago solis iustitiæ cum profusionis gratiarum plenitudine, vt sit visibilis imago solis cum sit arcus, sed non nisi in die profusionis pluuiæ. Species solis consistit in splendentium radiorum emissione, & significat in te Aduocata nostra Virgine Maria largam gratiæ effusionem in omnes, qui ad te se conuertunt, quæ es sole speciosior, & emissione gratiarum fœcundior. Tua ergo species, Virgo Maria, in corporis castitate, in conscientiæ puritate, in exteriori conuersatione, & in diuinorum contemplatione consistit; Munda igitur cor meum immundum, & inquinatum, ò pijssima Virgo Maria, & tuis precibus mihi obtine speciem spiritualem, per quam in seruitio tuo, & superbenedicti filij tui placeam tibi in vitam sempiternam. Amen. huc vsque Idiota.

Cœlestis arcus Maria.
Hebr. 1.
Isa. 19.

Ex his omnibus, quæ hactenus hoc capite disseruimus aliqua ex parte conijcere licebit, altissimam dignitatem, quam Virgo in sua Annunciatione cum filium Dei concepit est assecuta.

ALTITVDO GLORIAE, AD QVAM BEATissima Virgo Deipara in sua Assumptione est euecta. Cap. VI.

SVMMARIVM.

Deipara super omnes Sanctos chorum facit separatum. nu. 4.
Deipara magno excessu omnes Sanctos superat in gloria. nu. 7.
Deipara plus gratiæ, & gloriæ ipsa vna obtinet, quàm reliqui Sancti, & Angeli simul. num. 11.



IAM verò in eius glorioſa Aſſumptione quis explicare queat præcelſum gloriæ gradum ſupra omnes puras creaturas, ad quem Virgo ſanctiſſima eſt prouecta? *Quis illas*, inquit Bernardus, *æſtimet gemmas? quis ſtellas nominet, quibus Mariæ regium diadema compactum eſt:* & ſerm. 1. de Aſſumpt. *Nec in terris locus dignior vteri virginalis templo, in quo filium Dei Maria ſuſcepit: nec in Cœlis regali ſolio, in quo Mariam hodie Mariæ filius ſublimauit:* & mox: *Quis cogitare ſufficiat, quam glorioſa hodie mundi Regina proceſſerit, & quanto deuotionis affectu tota in eius occurſum cœleſtium legionum prodierit multitudo, quibus ad thronum gloriæ canticis ſit deducta, quàm placido vultu, quàm ſerena facie, quàm diuinis amplexibus ſuſcepta à filio, & ſuper omnem exaltata creaturam, cum eo honore, quo tanta Mater digna fuit; cum ea gloria, quæ tantum decuit filium:* & iterum: *Chriſti generationem, & Mariæ aſſumptionem quis enarrabit? quantum enim gratiæ in terris, tantum & in cœlis obtinet gloriæ ſingularis: quod ſi oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe, quod præparauit gignenti ſe: & (quod omnibus eſt certum) diligenti præ omnibus quis loquatur?* hæc S. Bernardus. Et S. Bernardinus tom. 3. ſerm. 11. art. 1. cap. 1. agens de ſanctitatis eminentia ſupra Angelos, & Virgines, quam Deipara adhuc viuens eſt adepta, illud Geneſ. 7. *Multiplicatæ ſunt aquæ, & eleuauerunt Arcam in ſublime à terra*, B. Virgini accommodat: *Multiplicatio*, inquit, *aquarum in arca denotat gratiarum plenitudinem in Maria, quæ eleuauerunt Arcam, in qua ſaluatum eſt vniuerſum ſemen generationis electæ in ſublime à terra; idest ab omni terrenitate, & amore infecto; dixit autem (in ſublime) quia ad hanc puritatem, & munditiam nulla pura creatura aſcendit, nec Angeli, nec Virgines: nam Angeli habent munditiam tantum in mente, Virgines mente, & carne: ſed glorioſa Virgo Maria cum quadam vtriuſque perfectione ſuper omnem creaturam eſt eleuata in ſublime.* hæc S. Bernardinus. Ex magnitudine porrò

Virginis gloria in Aſſumptione nobis inexplicabilis.
Bernardus.
S. Bernardinus.
Geneſ. 7.
B. Virgo per Arcam Noe figurata, eleuatur a multitudine gratiarum, quæ per aquas ſignificantur.

porrò gratiæ magnitudinem gloriæ rectè colligimus: sanè S.Elisabeth post ingentia, & innumerabilia dona Virgini in Verbi Incarnatione collata, quando vera Dei genitrix est effecta, quorum aliqua superiori capite pro tenui nostra facultate attigimus; adhuc alia nec communia, nec vulgaria, vt ex verbis, & modo ipso dicendi constat, eidem diuinitus conferenda prædixit: siquidem Spiritu sancto repleta exclamauit voce magna, & inter alia ei dixit: *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.* quæ in eius saltem assumptione magna ex parte completa esse nemo est, qui ambigat. Verùm, vt ad capita quædam hæc reuocemus; ostendam primò Beatissimam Virginem omnes, siuè Angelos, siuè Sanctos in gloriæ beatitudine excedere. secundò eam in cœlo chorum per se separatum super omnes constituere. tertiò gloriæ eius magnitudinem esse immensam. quartò denique ipsam vnam plus gloriæ assecutam, quàm omnes simul Sanctos, & Angelos. Ex quibus omnibus perspicuè apparebit huius diuini Throni sublimitas inæstimabilis.

Luc. 1.

Virginis gloria superat gratiã Sanctorum, & Angelorum omnium.

2 Et quod attinet ad primum de fide est sanctissimam Virginem Deiparam beatitudinis, ac gloriæ perfectione omnes Angelos, & Sanctos superare: & quoniam, vt docent Theologi, gloriæ magnitudo respondet gratiæ, hinc infertur, gratiæ intensione omnibus fuisse superiorem: ideo Bernardus loco citato: *Quantum gratiæ in terris adepta est præ cæteris, tantum obtinuit in cœlo gloriæ singularis.* Probatur id quod diximus ex consensu Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum asserentium Virginem in cœlo digniſſimo præ omnibus loco ad dexteram filij collocatam: *Quod,* inquit S.Bernardinus tom.3.serm.11.artic.2. *mystice figuratum fuit 3.Reg.2. vbi scriptum est: Quod surrexit Rex Salomon in occursum matris suæ, & adorauit eam, & sedit super thronum suum, positusq. est thronus matri Regis, quæ sedit ad dexteram eius: vbi contemplare mirificam obuiationem, quia surrexit Salomon in occursum matris suæ; mirificam adorationem, quia adorauit eam: Altissimam sublimationem, quia positus est thronus matri Regis: immediatissimam coniunctionem, quia sedit ad dexteram eius: Surrexit igitur glorioſus Iesus in occursum suæ dulcissimæ matris.* hactenus S. Bernardinus. Hoc ipsum adumbratum est in Esther, quam Assuerus Esther 2. adamauit plusquam omnes mulieres, & posuit diadema Regni in capite eius, quod de B.Virgine explicat Bonauentura in speculo B.Virg.cap.5. & S.Bernardinus loco citato cap.2. de quo fusius cap.12. dicemus. Hoc Dauid psal.44. prædixit illis verbis: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.* quod explicans S.Bernardinus tom.3.serm.11.art.3. *Nam sicut,* inquit, *benedictus Iesus sedet à dextris Patris, idest in potioribus bonis paternis; sic ista Virgo glorioſa in potioribus bonis filij sui Iesu iuxta ipsum in throno sublimata consedit.* ita S. Bernardinus. Eundem psalmi versiculum de gloria Virginis intelligunt Athanasius serm.de Deipara, Georgius Nicomed. orat.de oblat.Deiparæ, Petrus Damianus serm.de Assumpt. & Ildefonsus serm. 1. & 2. de Assumpt. Hinc voces illæ Ecclesiæ: *Exaltata est sancta Dei genitrix super choros Angelorum ad cœlestia Regna. Maria Virgo assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex regum stellato sedet solio.* & Prouerb.31. post multa præconia illius mulieris fortis, quæ B.Virginem adumbrãt, adijcitur: *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, Tu supergressa es vniuersas.* & Eccles.24. varijs metaphoris, quas Ecclesia Virgini in eiusdem missa, & officio accommodat, idem significatur, cum ex persona Deiparæ sic dicitur: *Quasi cedrus exaltata sum in libano, & quasi cypressus in monte Sion; quasi palma exaltata sum in cades, & quasi plantatio rosæ in Ierico, quasi oliua speciosa in campis, & quasi platanus exaltata sum iuxta aquas in plateis.* Harum enim arborum comparatione Deiparæ præ reliquis omnibus Angelis, ac Sanctis sublimitas, atque exaltatio, quam in cœlo est consecuta, meritò adumbratur: quippe quæ suis virtutibus, atque proprietatibus, Deiparæ præstantiam aliqua ex parte exprimunt. & vt de singulis aliquid dicamus.

Bernardus.

S. Bernardin.

3.Reg. 2.

Esther 2.

Bonauent.
S. Bernardin.
Cap. 12.
Psal. 44.

Athanasius.
Georg. Nicom.
Petro Dam.
Ildefonsus.
Offic. Eccl.
Prouerb. 31.
Eccles. 24.

Cedrus arbor enodis, suo odore serpentes fugat, liquore autem incorruptionem à vermibus tribuit, atque in miram proceritatem attolitur: nam & in Cypro Insula, nedum in monte libano ad centum triginta pedum altitudinem assurgere, crassitudinis verò ad trium hominum complexum, testatur Plinius lib. 16. cap. 40. Ita Deipara absque vllo peccati nodo, vel carnis rebellione fuit; cuius memoria & pia inuocatio ab hominibus, qui ad eam confugiunt, tartareos serpentes expellit, & à peccati putredine tuetur, ac

B. Virgo cur cedro assimilatur.
Eccles. 24.
Plinius.

seruat,

ſeruat, atque in immenſam meritorum altitudinem, & magnitudinem excreuit: Dicitur porrò exaltata in Libano, hoc eſt in Chriſti meritis; aſcendit enim, vt habetur Cant. 8. *Innixa ſuper dilectum ſuum:* Libanus enim candidum ſonat: at Chriſtus Sap. 7. *Candor eſt lucis æternæ.* Cant. 8. Sap. 7.

Cypreſſus arbor item procera, & odorifera, ſanctitatis Deiparæ ſublimitatem nobis proponit; quæ ſuæ conuerſationis exemplo ſuauitatem odoris circumquaque effundens, omnes mirificè recreat, atque oblectat. Dicitur autem (in monte Sion) quod ſpeculum ſonat, ex qua tanquam ex loco editiſſimo Virgo Beata longè, lateq; omnia ſpeculatur, atque perſpicit. *Deipara aſſimilatur cypreſſo.*

Palma victoriæ ſymbolum, ſublimis, recta, & inflexibilis, nullo curueſcit pondere; quin etiam quo maiori premitur onere, eò magis in altum obnititur; dactylos miræ dulcedinis, ac ſuauitatis fructum affert. his omnibus, & Deiparæ victoria ſignificatur, quã, vt cap. 22. & ſequentibus dicemus, de venenato dracone multipliciter reportauit. & quia hæc palma in Cades (quod ſanctitatem ſonat) exaltata dicitur, editiſſimæ ſanctitatis eius cuſmen nobis ob oculos ponit, vt propterea Cant. 7. ei dicatur: *Statura tua aſſimilata eſt palmæ;* inuictiſſimam etiam eiuſdem conſtantiam indicat, quæ nullo tentationum, vel tribulationum, quas in filij vita, & paſſione ingentes, atque innumeras pertulit, incuruata eſt. quin etiam, iuxta illud Apoſtoli ad Rom. 5. *Tribulatio in ea patientiam operabatur:* Chriſtum denique fructum ventris ſui ſuauiſſimum, ac vtiliſſimum mundo edidit. *Palmæ.* Cap. 22. Cant. 7. Roman. 5.

Plantatio roſæ, quæ quãuis inter ſpinas, florum tñ eſt pulcherrima, & in Ierico (quod lunam ſonat) in maiorem aſſurgit magnitudinem, ibiq; roſas odoratas affert gratiores, candore, & rubore inſignes, Deiparæ in hoc mundo (qui per lunam incõſtantem ſignificatur) & inter ſpinas hominum peccatorum degentis pulcherrimã eius prę omnibus venuſtatem, dignitatis item & gratiæ ſuaueolentiam cum puritate vitæ, charitatis ardore, morumq; ſuauitate coniunctam nobis exhibet. Damaſcenus orat. 1. de Natiu. Deiparam alloquens: *O Roſa, inquit, quæ ex ſpinis, hoc eſt Iudæis, orta es; ac diuina fragrantia cuncta perfudiſti.* Ad hęc ſicuti Iris ſerenitatis eſt ſignum Gen. 9. ita & roſa hyemis inclementia, atque aſperitate depulſa, & commutata temporum ſerie in verè quaſi lætitiæ prænuncia enaſcitur, & nouam mundi temperiem è cœlo adueniſſe indicat; ſic & Deiparæ myſticę roſæ ortus Chriſtum iuſtitię ſolem propediem in eius vtero incarnandum, qui peccati frigore expulſo, ſuo calore omnes ad germinandum foueret, indicabat: vt meritò Deiparæ illud Eccleſ. 50. aptetur: *Quaſi arcus effulgens inter nebulas gloriæ, & quaſi flos roſarum in diebus vernis.* Præterea auctore Hieronymo in Ioel 3. & Epiſtola ad Demetriadem, ſicuti lilium ſignum eſt caſtitatis, ita roſa pudoris, ac verecundię virginalis, quem adeo in mulieribus commendat Nazianzenus oratione de laudibus Gorgoniæ, & Columella lib. 10. Roſam florem pudicitię plenam appellat: merito igitur Deipara virginali pudore inſignita roſæ aſſimilatur. *Deipara cur roſæ aſſimiletur.* *Damaſcenus.* Gen. 9. Eccleſ. 50. *Hieronymus.*

Oliua miſericordiæ typus, eaq; in campis poſita, ſanctiſſimæ Virginis effuſiſſimam miſericordiam in campis, hoc eſt omnibus, expoſitam oſtendit. cuius ſymboli explicationem cap. 16. fuſius perſequemur, vbi de Virginis miſericordia erit ſermo. *Oliua.* Eccleſ. 24. Cap. 16.

Platanus iuxta aquas exaltata ſemper eſt virens, latiſſimè patulis diffuſa ramis, vnde & nomen inuenit: πλατος enim latum ſignificat, vmbra ſua refrigerium à ſolis æſtu viatoribus præſtat in plateis, hoc eſt in vijs latis, vbi maior eſt vmbræ neceſſitas. ex quo facilè oſtenditur quantum ſpei, atque perfugij in ſanctiſſimæ Virginis vmbra, atque præſidio ſemper virenti, ex proxima, & vberrima diuinæ gratiæ aqua, nobis ſit ponendum: ſiuè cum à noſtro fomitis ardore, atque tentationibus vrgemur, ſiuè cum ab ira præpotentis Dei, qui eſt ſol iuſtitiæ, pro peccatis noſtris iuſtè affligimur. *Platanus.*

3 Hanc Deiparæ ſuper reliquos Sanctos præſtantiam indicat corona præcellentiſſima Virginis ex ſtellis confecta; aliqui enim Sancti lapidibus coronantur pretioſis, iuxta illud pſal. 20. *Poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo:* at Virginis corona dicitur ex ſtellis compacta Apoc. 12. *Et in capite eius corona ſtellarum duodecim:* Mulierem porrò illam ſole amictam, atque corona ſtellarum duodecim redimitam Virginem ſignificare ex ſanctorum Patrum auctoritate, ſaltem in ſenſu myſtico, & allegorico, dicemus *Virginis corona è ſtellis pretioſior, quàm ſanctorum lapillis.* Pſalm. 20. Apocal. 12.

cap.

Cap. 31. cap. 31. quantò ergo ſtella magis fulget quolibet lapide pretioſo, tantò gloria Virginis aliorum ſanctorum gloriam excedit, atque ſuperat. Hanc Deiparæ gloriam, qua omnes cælites longo interuallo antecellit, pleno ore omnes Sancti docent; aliquos afferendos duxi.

S. Iacobus. S. Iacobus in Liturgia: *Dignum eſt*, inquit, *vt te verè beatam dicamus Deiparam honorabiliorem, quàm Cherubim, & glorioſiorem, quàm Seraphim; quæ ſine corruptione Deum peperiſti.* S. Ephrem orat. de laud. Virg. *Intemerata*, inquit, *Deipara Regina omnium, ſublimior cœlicolis, honoratior Cherubim, ſanctior Seraphim, & nulla comparatione cæteris omnibus ſuperis exercitibus glorioſior*. Nazianzenus in Tragædia de Chriſto patiente, ſic cum Deipara loquitur.

S. Ephrem: Deipara ſuper omnes Angelorum choros exaltata. Nazianzen.

ò puella gratia
,, *Equanda nullis; Mater, & Virgo ſupra*
,, *Omnes decora virgines, & maxima*,
,, *Quæ ſola vincis cœlitum omnes ordines*.

Epiphanius. Epiphanius orat. de laud. Virg. Mariam dicit ſublimiorem Angelis eſſe factam, adeoquè ab ipſis Angelis adorari, & ſolo Deo excepto cunctis ſuperiorem exiſtere. Idem Andreas Cretenſis orat. de dorm. Virg. Ildefonſus ſerm. 3. de Aſſumpt. admirationem illam Angelorum in Canticis: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij:* dicit profectam non de virginitate ſola, quæ fuit ſingularis in Maria, ſed de immenſitate gratiæ, quia vniuerſæ virtutes in ea reſpergebant ex incendio diuini amoris ſuauitatem odoris: *Et benè*, inquit, *in modum virgulæ fumi ex aromatibus, quia facta eſt tota in holocauſtum Dei, odoramenta de ſe ſpargens vſque ad cœlos, non qualiacumque, ſed vniuerſi pulueris pigmẽtarij.* hæc ex Ildefonſo. Quæ eadem ferè ad verbum habentur in Sophronio inter opera Hieronymi ſerm. de Aſſumpt. Chryſoſtomus in ſermone, qui legitur infra octauam Natiuitatis Virginis de ea agens: *Quidnam*, inquit, *illa ſanctius: non Prophetæ: non Apoſtoli: non Martyres: non Patriarchæ: non Angeli: non Throni: non Dominationes: non Seraphim: non Cherubim: non denique aliud quidpiam inter creatas res viſibiles, aut inuiſibiles maius, aut excellentius inueniri poteſt: eadem Ancilla Dei eſt, & Mater: eadem Virgo, & Mater. vis ne cognoſcere quanto Virgo hæc præſtantior ſit cœleſtibus potentijs; illæ cum timore, & tremore aſſiſtunt faciem velantes ſuam; hæc humanum genus illi offert, quem genuit.* ſic Chryſoſtomus. Baſilius Seleuciæ Epiſcopus orat. in Deiparæ Annunciationẽ de ea agens: *Quæ dona*, inquit, *offeremus ipſa non indigna? quippe quæ tanta ſit, vt vniuerſa, quæ mundi ambitu continentur cum illius dignitate comparari non valeant: Si enim Apoſtolus Paulus de alijs Sanctis verè aſſerit, quibus dignus non erat mundus; quid de Dei parente Virgine cogitare nos par eſt, quæ vniuerſos martyres ſuo ſplendore tantum excedit, quantum ſol reliqua aſtra.* Damaſcenus orat. 2. de dorm. Virg. agens de ea: *Videor mihi videre hanc ſanctis ſanctiorem, & ſacris ſacratiorem, & pijs magis piam; dulcem mannæ vrnam, aut (vt verius dicam) fontem ſuper aliquem lectum recumbentem in diuina, & inclyta Ciuitate Dauidis.* & iterum: *Omnes*, inquit, *res creatas ſuperat, omnibus dominatur operibus, ſuper cœlos cœlorum extollitur incomparabiliter*. Anſelmus de excell. Virg. cap. 4. *Tota*, inquit, *chriſtianitas nouit, quæ illam ſuper omnes cœlos exaltatam, & angelicis choris prælatam certiſſimè credit.* & cap. 8. *Deus*, inquit, *eam cunctæ ſecum creaturæ perenni iure dominaturam in throno gloriæ ſuæ collocauit.* Bernardus ſerm. ſignum magnum: *Hanc*, inquit, *ſuper omnes Angelorum choros, ſuper Cherubim quoque, ac Seraphim exaltatam neſas eſt dubitare*. & ſerm. 1. ſuper miſſus eſt: *Nonne tuo, imò veritatis iudicio, illa quæ Deum habuit filium ſuper omnes etiam choros exaltabitur Angelorum?* Guarricus ſermone de Aſſumpt. ex perſona Chriſti ad Virginem: *Nullus*, inquit, *mihi plus miniſtrauit in humilitate mea, nulli abundantius adminiſtrare volo in gloria mea, nec ſatis glorificatus videor, donec tu glorificeris.* Rupertus lib. 3. in Cant. 4. *Veni*, inquit, *coronaberis; ita coronaberis, vt in Cœlo Regina Sanctorum, & in terris Reginaſis regnorum*. S. Bernardinus tom. 3. ſerm. 11. art. 2. cap. 3. de Aſſumpt. Virginis agens: *Tota*, inquit, *Trinitas vniformi, & concordi voluntate hanc inæſtimabilem Virginem oſtẽdit eſſe ſuam ſponſam incommunicabilis charitatis; Cœli Reginam inattingibilis dignitatis;*

Andr. Cret. Ildefonſus. Cant. 3.

Sophronius: Chryſoſtom.

Baſilius Seleuciæ Epiſcopus.

Hebr. 11.

Damaſcen.

Anſelmus.

Bernardus.

Guarricus.

Rupertus.

S. Bernardin.

mundi

mundi Dominam imparticipabilis potestatis; electorum omnium genitricem piam inexsiccabilis pietatis; omnium Dei hostium conculcatricem triumphalissimam insuperabilis strenuitatis; omnium cœlestium thesaurorum dispensatricem largissuam pro suæ complacentia voluntatis. hæc S.Bernardinus.

DEIPARA SVPER OMNES SANCTOS chorum facit separatum.

Deipara super omnes Sanctos chorum facit separatum.

QVòd verò spectat ad secũdum, Deiparam scilicet super omnes euectam, per se chorum facere ab alijs distinctũ, manifestè ex Patribus habetur: quamuis.n. Sancti pro meritorum varietate ad diuersos Angelorũ choros assumantur; Beatissima tamen Virgo quoniam dignitatem obtinet altioris ordinis, & statum seruorum excedit; ideò supra oẽs incomparabiliter est collocata, & per se chorum facit seorsim; & ab alijs Sãctis, & Angelis distinctum, vt docent Theologi; & Angelorum, ac Sãctorum Domina, ac Regina verè prædicatur: ideò 1.Cor.15. Apostolus agens de diuersitate gloriæ eorum, qui sunt in cęlo: *Alia*, inquit, *claritas solis, quòd Christo, alia claritas lunæ, quòd Deiparæ, & alia claritas stellarum, quod reliquis Sanctis accommodare possumus.* & vt omittam claritatem Christi solis iustitiæ, de lunæ claritate Eccl.43. sic habetur: *Vas*, inquit, *castrorum in excelsis in firmamento cęli resplendens gloriosè:* qua autem proportione luna stellarũ lumen superat, nec aliqua ex illis ei cõparari potest, ea Virgo incomparabiliter aliorum Sanctorum gloriam excedit. quin etiam Virgo sanctissima non tantùm lunæ, sed etiam soli assimilatur: etenim Cant.6. dicitur *electa vt sol*, qui sicut similem non habet, ita nec similem habuit Deipara, neque est habitura, ideo separatum chorum facit.

1. Cor. 15.

Eccles. 43.

Cant. 6.

Damascenus orat.1.de dorm.Virg. *Dei matris*, inquit, *& seruorum Dei infinitum est discrimen:* sic Damascenus: tantò melior Angelis effecta, quantò differentius prę illis nomen hæreditauit; sicut enim Pater æternus nulli Angelorum, sed soli Christo dicit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te:* ita sola Virgo inter creaturas hæc verissimè eidem Christo dicit: *Filius meus es tu, ego genui te.*

Damascenus.

Ideò S.Bernardinus tom.3.ser.3.de glor.nom.Mariæ art.2.c.1. *Certudinaliter*, inquit, *tenendum est, quod ipsa sit super omnem puram creaturã in gloria exaltata, tanquam per se implens, & cõtinens vnum integrum, ac totalem statum; cui secundùm rectam rationem altera persona congruè non potest addi; quia nullatenus decet filium Dei, nisi vnam solam naturalem matrem habere: sed ratio naturalis ex gratuita lege dictat, quòd mater Regis omnium est in sede regia super omnes ministrorum ordines collocanda.* ita S.Bernardinus. idem habet serm.11.art.2.cap.2. Fulbertus Carnotensis Episcopus ad Virginem; *Tu in cœlestibus*, inquit, *Regnis prælata es cunctis virginum choris: Tu in illa beatorum felicissima regia primi ordinis dignitatem adepta.* & post pauca: *Te ipse Rex regum, vt matrẽ veram, & decoram sponsam præ omnibus diligens amoris amplexu sibi associat.* S.Antoninus 4.par.tit.15.cap.20.§.15. dicit Virginem esse exaltatam super omnem puram creaturam in quarta hierarchia; & ex Alberto affert aliquas rationes ad hoc probandum: *Plus enim* inquit, *distat Virgo à Seraphim in dignitate, & gloria, quàm Seraphim à Cherubim: sed Seraphim per excellentiam dignitatis ordinem habet superiorem ad Cherubim, ergo Virgo erit super hierarchiam Angelorum. Item plus improportionabiliter differt Dominus à seruo, quàm seruus à seruo: sed omnes Angeli sunt administratorij spiritus, idest serui, & tamen inter eos diuersi ordines sunt: sed B.Virgo est Domina Angelorum; ergo & improportionabiliter est supra Seraphim, & supra omnem hierarchiam Angelorum exaltata.* hæc S.Antoninus ex Alberto Magno. Gerson tract.4.super Magnificat: *Virgo*, inquit, *sola constituit hierarchiam secundam sub Deo Trino, & vno, Hierarcha primo, & summo, apud quem Hierarcham humanitas filij sola sublimata sedet à dextris virtutis Dei per vnitatem suppositi.* Idem docet Gabriel Biel serm.25.qui est de Assumptione.

S.Bernardinus.

Fulbertus.

S.Antoninus.

Gerson.

Hæc porrò Deiparæ super omnes tum Sanctorum ordines, tùm etiam Angelorũ choros exaltatio, qua chorum ab ijs facit separatum, colligi potest ex modo diuerso ab alijs, quo Deipara ex hoc deserto subuecta esse scribitur ad suum in cęlo thronum: etenim Cant.8. ascẽdisse dicitur *innixa super dilectum suum*; Elias namq; 4.Reg.2. curru igneo, & equis igneis sublatus est, quoniam eo raptu elementarem regionem trãsgressurus minimè erat: sed, vt verbis vtar Gregorij homil.29.in Euangelia: *In cęlum aereum subleuatus*

Cant.8.

4 Reg.2.

Gregorius.

tus est,vt in secretam quandam terræ regionem repente duceretur,vbi in magna iam carnis,& spiritus quiete viueret,quousque ad finem mundi redeat, & mortis debitum soluat.

Luc.16. Lazarus verò quondam mendicus Luc. 16. quoniam in beatitudine post Christi passionem inter Angelos locum habiturus erat,ab ipsismet Angelis,veluti curru altioris ordinis,quàm erat Eliæ currus,portatur in sinum Abrahæ,qui erat tunc Limbus Patrum; in quo animæ sanctorum detinebatur,donec Christus in sanguine testamenti sui emitteret eas de lacu,in quo non erat aqua. At verò Virgo beatissima,vt verbis vtar Leonis serm. 11.de Ascensione,quamuis alio spectantis,quia super omnium creaturarum cœlestium dignitatem euehenda,supergressura angelicos ordines, & vltra Archangelorum altitudines eleuanda;nec vllis sublimitatibus modum suæ prouectionis habitura,nisi *ad æthereum thalamum*,vt canit Ecclesia,*in quo Rex regum stellato sedet solio*,assumpta,ad dexteram filij collocaretur;idcirco sublimiori virtute,quæ Angelos excedit,subuehitur; *Et delicijs affluens ascendit innixa super dilectum suum.*

Zach.9. Leo.

Beata Virgo omnium Sanctorum gloriam supergressa. 5 Hæc eadē Deiparæ super omnes Angelos,& Sanctos exaltatio non obscurè præsignificata videtur in eiusdem Præsentatione,cum primū à parentibus in templum adducta, Deoq; solemniter ex voto oblata,atq; consecrata est:tunc.n.quindecim tēpli gradus,ad quos quindecim illi Psalmi Cantici graduum spectabant,non sine mysterio ascendit, de quo Hieronymus in lib.de ortu,seu Natiu.B.Mariæ,sic scribit: *Cum trium annorum circulus volueretur,& ablactationis tempus completum esset, ad templum Domini Virginem eius parentes cum oblationibus adduxerunt:erant circa templum iuxta quindecim graduū psalmos,quindecim ascensionis gradus:in horum itaq.vno B.Virginem Mariam paruulam parentes constituerunt:cumq. ipsi vestimenta,quæ in itinere habuerant, exuerent, & cultioribus,ex more,vestibus se,& Mundioribus induerent,Virgo Domini cunctos singillatim gradus sine ducentis,& leuantis manu ita ascēdit,vt perfectæ ætati in hac dumtaxat causa nihil deesse putares. Iam quippe Dominus in Virginis suæ infantia magnum quid operabatur,& quanta futura esset,huius miraculi indicio præmonstrabat.* hæc Hieronymus.

Hieronymus.

S. Antoninus. Quindecim enim illi gradus templi ex S.Antonino 4.par.tit.15.cap.6.§.2. quindecim beatorum status in tēplo cęlestis glorię infra Deum significabant,Nouem videlicet Angelorum ordines,& sex Sanctorum gradus,Patriarcharum scilicet,Prophetarū, Apostolorum,Martyrum,Confessorum,atq; Virginum;quorum omnium perfectionē eam transgressurā hoc quindecim graduum ascensu demonstratum est,quemadmodū animaduertit S.Antoninus loc.cit.& S.Vincētius ser.1.& 2.de Natiu.B.Marię,& alij.& in huius rei confirmationem S.Vincentius,& S.Antoninus citant illud Prou. 31. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias* (virtutum scilicet dignitates) *sed tu*,ò Virgo beata,*supergressa es vniuersas.* Quòd si de eius super sex Sanctorum ordines sublimatione loquamur, rectè de hoc illud Eccl.24.ex persona Deiparæ (quod eidem ab Ecclesia in missa, & officio accommodatur) intelligi potest: *Et in plenitudine*,inquit, *Sanctorum detentio mea; Quasi cedrus exaltata sum in Libano,& quasi Cypressus in monte Sion: Quasi Palma exaltata sum in Cades,& quasi Plantatio rosæ in Iericho: Quasi Oliua speciosa in campis,& quasi platanus exaltata sum iuxta aquas in plateis.* quibus verbis indicat Virgo sanctissima, quicquid præclari in alijs Sanctis est sparsum, in se plenissimè, cumulatissimeq; inueniri collectum;de quo egregiè Bernardus in illa verba:*Et in plenitudine Sanctorum detentio mea. Meritò*,inquit,*in plenitudine sanctorum detentio eius,cui nec fides defuit Patriarcharum,nec spiritus Prophetarum,nec zelus Apostolorum,nec cōstantia Martyrum,nec sobrietas Confessorum,nec castitas Virginum,nec fœcunditas Coniugatorum,nec puritas Angelorum.* hæc ille:ideoq; statim ducta similitudine ex illis sex arboribus,quæ ibi subnectuntur,& in suis quæq; locis propter earum,siue proceritatem,siue vtilitatem,siue suauitatem,siue pulchritudinem peculiariter celebrantur,quomodo ipsa in cœlesti Ierusalem exaltata,sex Sanctorum ordines sit supergressa demonstrat:verùm quomodo his arboribus Deiparæ præstantia exprimatur supra exposuimus: qua verò ratione ijsdem sex arborum generibus,eiusdem exaltatio supra sex ordines Sanctorum indicetur; singillatim quamuis diuerso modo piè accommodant S.Antoninus 3.par.tit.31.cap.3. & Iacobus de Voragine serm.6.de Assumpt.

Ecclus. 24.

Bernardus.

S. Antoninus. Iacobus de Voragine.

6 Quod autem spectat ad eiusdem Deiparæ super Angelos exaltationem,nemini mirum esse

esse debet si Virgo sanctissima omnium Angelorum ordines multis gradibus transcenderit. Cæteri namq; sancti pro meritorium varietate, vti diximus, ad diuersos Angelorũ choros efferuntur: At verò sanctissima Virgo cum omnes angelicorum ordinum proprietates, & officia maiori cum charitatis excellẽtia ipsa vna obtineat, omnibus Angelorum delicijs, & prærogatiuis vberrimè affluens (quod S. Antoninus loco citato cap. 44. pluribus ex Alberti doctrina egregiè persequitur) & præterea actum aliquem præstantissimũ, suoq; modo Deo quàm simillimum; &, vt Alberti verbis vtar, Deiformem habuerit. propterea non tantùm ad Angelorum ordines ascendit, verùm etiam super omnes illorum choros incomparabiliter est euecta, sic vt chorum ipsa per se distinctum efficiat. Atq; vt id, quod probandũ suscepimus, planius fiat; dicam breui de singulorum ordinum officijs, atque excellentia; vt cum analogia quadam nobiliori modo ea in Virgine reperiri ostenderimus, tandem ad actum illum, quo Angelos longè excedit, deueniamus.

Virgo sanctissima omnium ordinum Angelicorum proprietates excellentius in se habet. *S. Antoninus.* *Alber. Magnus.*

Et primò quidem Angelorum munus est homines custodire; sic tamen, vt singuli Angeli singulos homines custodiant, ac tueantur: At verò sanctissima Virgo cum omnium communis sit Domina, & mater, ad quam suorum seruorũ, & filiorum cura pertinet, custodit, vt rectè ait S. Antoninus, vniuersaliter singulos, & singulariter vniuersos. *Angeli.*

Secundò, Archangeli ciuitatibus præsunt: At virgo sanctissima omnes vbiq; ciuitates, omnesq; ecclesias tutatur, atque defendit; vt non immeritò ipsa de se dicat Cant. 1. *Posuerunt me custodem in vineis*. i. ecclesijs: nullaq; vrbs est, quæ tot magnificentissimis tẽplis in tantę patronę honorem excitatis se se sub eiusdem Virginis patrocinio, fideq; esse non profiteatur, ac prædicet. *Archangeli.* *Cant. 1.*

Tertiò, Principatus Prouincijs, & Regnis præficiuntur: sed Virgo regna omnia, & ipsã vniuersalem ecclesiam suo præsidio complectitur, & tutatur. Quare luna, quę ex Gregorio hom. 29. in Euãgelia, & Bernardo serm. signum magnum, propter lumẽ à Christo sole iustitiæ acceptum Ecclesiam significat, à S. Ioanne Apoc. 12. sub Virginis pedibus, ideſt patrocinio, conspicitur: ideoq; periclitanti mundo sæpè visa est suis precibus succurrere, vt cap. 16. vberius dicemus, cum de eius misericordia differemus: & cap. 30. cum eam Aduocatam omnium ostendemus. *Principatus.* *Gregorius.* *Bernardus.* *Apoc. 12.* *Cap. 16.* *Cap. 30.*

Quartò, Potestates ex secunda hierarchia dæmones coercẽt; quod singulariter B. Virgo præstat: ideo Ecclesia sic eam precatur: *Tu nos ab hoste protege*: ipsa. n. tartarei serpẽtis caput contriuit Gen. 3. quod cap. 22. & seqb. ostendemus. *Hac. n. virga*, (quæ Virginem significat) *percussus*, vt dicitur Isa. 30. *pauebit Assur*, ideſt dæmon: eamq; ita verentur, ac timent dęmones, ex reuelatione eiusdem Virginis apud S. Brigittam lib. 1. reuelationum cap. 9. vt eius audito nomine statim animam, quæ eorum vnguibus astricta tenebatur, relinquant: verùm nisi aliqua sequatur emendatio, quasi sagitta velocissima reuertuntur ad eam. & lib. 6. earundem reuelationum S. Brigittæ cap. 21. Christus Dominus præclara dixisse scribitur de Virginis virtute supra dæmones. *Potestates.* *Cap. 22.*

Quintò, Virtutes, quę sunt quintus Angelorum ordo, miracula supra naturam operãtur: At B. Virgo *miraculorum abyssus, & officina dicitur*, præsertim à Damasceno orat. 1. de Natiu. quod cap. 20. multis exemplis ostendemus, & cap. 30. magis perspicuum fiet: omnibus. n. in locis, in omnibus temporibus, ac personis, & in quibuslibet morbis opitulatur, tanquam vniuersalis omnium patrona, eiusq; templa, vbiq; miraculorum gloria illustrantur, & in dies noua eriguntur, vt de ea dici possit illud Iob. 29. *Gloria mea semper innouabitur, & arcus meus in manu mea instaurabitur.* *Virtutes.* *Cap. 20.* *Cap 30.* *Iob 29.*

Sextò, Dominationes præcipiunt de agendis; sed B. Virgo mater Dei verè est Domina mundi, & Angelorum Regina, vt capite præcedenti plenius demonstrauimus: imò ipsum nomen, MARIA, syriacè Dominam sonat. *Dominationes.*

Septimò, Throni, qui & sedes Dei dicuntur, sunt ex prima hierarchia, in quibus Deus familiariter inhabitat: At Virginem sanctissimam præ omnibus Angelis Dei thronum dici, in qua peculiari ratione Deus inhabitauit, toto hoc opere probamus. Quæ tamen de hoc sancti Patres dicant, & quibus figuris ipsa in Dei throno adumbretur, vide quæ peculiariter dicta sunt cap. 2. *Throni.* *Cap. 2.*

Octauò, Cherubim, plenitudinem sciẽtiæ sonant: At in Virginis vtero Christus, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei* Col. 2. requieuit: & Deũ, quem ne ipsi qui- *Cherubim.* *Coloss. 2.*

dem Seraphim propter emicantem inde ſplendorem liberè intueri audent, ſed alis faciē obducunt, vt ex Iſaia adnotauit Chryſoſtomus hom. 60. ad populum Antiochenum, ipſa Virgo familiariter in ſe excepit, & cum eo agit. & quis dubitat Deiparæ oculū ad diuina perſpicienda longè clariorem eſſe ipſis Cherubim, & Seraphim? Quare Bernardus ſerm. ſignum magnum, propterea ſole veſtitam dici vult: *Quoniã*, inquit, *diuinæ ſapientiæ, vltra quam credi poteſt, penetrauit abyſſum; vt quãtum ſine perſonali vnione creaturæ conditio patitur, luci illi inacceſſibili videatur immerſa.* Rupertus in illud Cant. 1. *Introduxit me Rex in cellaria ſua*, ex perſona Virginis: *Et quæ ſunt*, inquit, *illa cellaria Regis Dei? Nimirum ſacra myſteria quæcumque continentur in ſcripturis ſanctis. Nihil enim à me abſcondit, ſed omni dulcedine ſua me inebriauit. Qui enim verbum ſuum quod erat, & eſt in corde ſuo mihi totum infudit, quomodo non etiam cum illo mihi omnia donauit?* Hæc Rupertus.

Rupertus. Cant. 1.

Nonò, Seraphim ardẽtes, & charitate (quæ vinculum eſt perfectionis) incenſi, ac incẽdentes meritò dicuntur: ſed Virgo ſanctiſſima maiori charitate æſtuabat; vt iure ei aptetur illud Cãt. 5. *Dicite dilecto meo, quia amore langueo.* At de eximia Virginis erga Chriſtum dilectione copioſè agemus cap. 9. Hic ſolum afferam Ildefonſum ſerm. 1. de Aſſumpt. *Beatam Mariam*, inquit, *velut ignis ferrum, Spiritus ſanctus totam decoxit, incanduit, & igniuit; ita vt in ea Spiritus ſancti flamma videatur; nec ſentiatur niſi tantum ignis amoris Dei.* hæc Ildefonſus.

Seraphim. Cant. 5. Cap. 9. Ildefonſus.

7 Verùm his omnibus prætermiſſis, quæ aliqua ratione communia Virgini ſanctiſſimæ cum alijs, aliqua ſaltem ex parte eſſe poſſunt, in quibus tamen omnes excedit; illud eſt, in quo omnes Angelos, atque Sanctos ſingulariter longo interuallo ſuperauit, quodq; illam Deo proximam conſtituit, quia actum habuit ſuo modo Deo, quàm ſimillimum. Verbum enim Patris nuſquam Angelos, ſed ſemen Abrahæ, idq; in vtero eiuſdem Virginis Deiparæ apprehendit: ideo B. Virgo (vt ait Albertus apud S. Antoninum 4. par. tit. 15. cap. 44. §. 8.) habuit actum Deiformiſſimum: in ſummo enim actu, quo ſcilicet Deus Pater Deum filium genuit, Deum ſuo modo ipſa eſt imitata: nam & ipſa Deum, & hominem generauit. Hanc autem maternitatis Dei dignitatem non minus piè, quàm eleganter S. Bernardinus tom. 1. conc. 61. art. 1. cap. 2. explicat, cuius verba ſuperiori capite attulimus.

B. Virgo habuit actum Deiformem, quia Deũ genuit. Albertus. S. Bernardinus.

Hinc eſt, quod Virgo Beatiſſima tanquam vera Dei genitrix dignitatem quandam, vt capite ſuperiori probauimus, obtinet infinitam, & ſuper omnes Angelos, & Sãctos proximè ad Chriſtum accedens chorum ab illis omnibus facit ſeparatum. De quo pulchrè Bonauentura in ſpeculo cap. 2. *Mariæ*, inquit, *Deus præparauerat magnam gloriam in cœlo, vt ſicut fuit grandis in merito, ita etiam grandis eſſet in præmio: vnde ipſa eſt Thronus ille grandis, de quo dicitur: Fecit Rex Salomon Thronum de Ebore grandem; Thronus verò Salomonis eſt Maria grandis omninò in gratia, & in gloria.* & infra: *Mariæ Deus præparauerat non ſolum magnitudinem, ſed multitudinem bonorum in Cœlo, ita vt nullus Angelus, nullus Sanctorum ei æquari poſſit in multitudine, & congregatione bonorum cœleſtiũ: iuxta illud: Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſola ſupergreſſa es vniuerſas: ſi filias iſtas intelligamus animas ſanctas, vel intelligentias angelicas; nunquid non ſupergreſſa eſt diuitias omniũ, cum ipſa ſit Primitiua Virginum, Speculum Confeſſorum, Roſa Martyrum, Regiſtrum Apoſtolorum, Oraculum Prophetarum, Filia Patriarcharũ, Regina Angelorum. Quid enim de diuitijs omnium horum deſuit? Hieronymus enim ait, Mariam ſi diligentius aſpicias, nihil virtutis eſt, nihil ſpecioſitatis, nihil candoris, & gloriæ, quod in ea non reſplendeat.* hactenus Bonauentura.

Bonauentura. 3. Reg. 10. Prouerb. 31. Hieronymus.

Nec ſolùm in animæ beatitudine, quàm Theologi eſſentialem appellant, quæ in fruitione Dei, vt clarè viſi, & amati eſt poſita, Deipara ſupra omnes Sanctos, vt diximus, ad chorum ſeparatum eſt euecta; verùm etiam in gloria, tùm animæ, tùm corporis accidentali, quæ eſſentialem conſequitur, eiq; commenſuratur, reliquis Sanctis longo interuallo antecellit; ad gloriam enim animæ accidentalem pertinent variæ reuelationes, quæ Beatis extra Verbum (vt Theologi loquuntur) fiunt. multarum item rerum impetrationes, & gaudia, & pleraq; huiuſcemodi, quibus præ cæteris Beatis Deipara plenè, cumulateq; abundat. Idem quoque de corporis glorioſi dotibus omnibus, impaſſibilitate nimi-

Deipara in gloria accidentali reliquos Sanctos antecellit.

mirum,ſubtilitate, agilitate, & claritate; quas, vt animaduertit Suarez tom.2.in 3.par. diſp.21.ſect.4.tanto excellentius ipſa habet,quanta perfectiori animæ beatitudine perfruitur.De quibus Bonauentura in ſpeculo cap.6. *Si omnium*,inquit, *Beatorum corpora his quatuor dotibus Deus glorificauit;quantò magis corpus Mariæ,quod ipſum glorificatorem omnium genuit,quæ in hac vita ornata extitit ijs virtutibus,quæ cum dotibus corporis ſimilitudinem habent;fuit.n.clariſſima per ſanctitatẽ,ſubtiliſſima per humilitatẽ,agiliſſima per pietatem,impaſſibilis per patientiã*.ita Bonauentura.Triplicem quoq; Aureolã excellentius,quàm alij eſt adepta:*Aureola enim* (vt verbis vtar S.Thomæ in 4.diſtin.49.q.5. art.5. quæſt. 1. & 3. *eſt priuilegiatum quoddam præmium reſpondens priuilegiatæ victoriæ circa opera perfectionis,in quibus homo maximè Chriſto conformatur ſecundum perfectam victoriam.Porrò Aureola tribus hominum ſtatibus,Virginibus ſcilicet,Doctoribus,& Martyribus tribuitur.Et ſanè in eadẽ Aureolæ ſpecie iuxta meritorum ex parte ipſius operis,ob quæ Aureola confertur,varietatem excellentior vni,quàm alteri confertur*. hæc ex D.Thoma . Ex quibus rectè colligimus Aureolarũ Deiparæ ſupra reliquos Beatos,quibus eæ competunt,præſtantiam ſingularem, quod ſigillatim ſuis locis in hoc opere planum fiet: de Virginitatis enim eius Aureola cap.32. & de Doctorum Aureola,quàm habet cap.19.plenius differemus:de martyrij verò aureola cap.11. oſtendemus eam in hoc genere conſecutam eſſe aliquid veluti inſigne ſuæ eximiæ fortitudinis , & charitatis,quod vel Aureola appellatur,vt multi loquuntur : vel aliquid Aureola eminentius , quod alij magis verè,ac propriè dici exiſtimant.

Suarez.

Bonauentura.

B. Virg tripli. cem aureolam excellentiſſime eſt adepta: S.Thom.

Cap.32.
Cap.19.
Cap.11.

Quin etiam præter virginitatis Aureolam fructum continentiæ centeſimum,qui virginibus deputatur,eſt conſecuta;qui,vt cap.32.ex Theologorum ſententia dicemus,eſt præmium quoddam accidentale ab Aurea , & Aureola diſtinctum , quatenus homo à carnali vita,vt loquitur S.Thomas in 4.diſtin.49.q.5.art.2.in quandam vitam ſpiritualem per continentiam tranſit: ex quo colligere poſſumus præſtantiam fructus centeſimi ſupra alias Virgines in Deipara : quippe quæ propter ſuam eximiam puritatem , ac ſanctitatem tota ſpiritualis alijs Virginibus multis ſpatijs antecedit,adeò vt ipſa,Cœlum, quod à terra , terrenisq; quàm maximè eſt ſeparatum , meritò appelletur, quemadmodum cap.3. oſtendimus.

Deipara fructũ continentiæ centeſimum obtinet. Cap 32.

S. Thom.

Adhæc ratione maternitatis Dei,qua omnium eſt Domina,atque Regina,vt fusè ſuperiori capite ſanctorum Patrum teſtimonijs oſtendimus,exiſtimat Suarez tom.2. in 3. par.diſput.21.ſect.4.Deiparam habere in corpore ſingularem aliquem, & admirabilem ſplendorem,vel aliquid aliud,quod ſit veluti inſigne Regiæ dignitatis,& diuinæ maternitatis,ac principatus,& dominij in omnes Beatos. & hoc certè confirmatur ex doctrina Bonauenturæ in ſpeculo cap. 6. vbi eleganter id probat ex figura Eſther 2. de qua ibi ſic legimus:*Ducta eſt itaq. ad cubiculum Regis Aſſueri,& adamauit eam Rex pluſquam omnes mulieres,habuitq. gratiam,& miſericordiam coram eo ſuper omnes mulieres; & poſuit diadema Regni in capite eius. Iſta Eſther Regina Beata Virgo Maria ducta eſt*, inquit Bonauentura) *in cubiculum Regis æterni in Aſſumptione in cubiculum quietis æternæ,gratiam veri Regis habens ſuper omnes mulieres, ideſt ſuper omnes intelligentias Angelicas,& ſuper omnes beatas animas,vt ſit in Maria gratia ſuper gratiam omnium beatorum: nam re vera in capite eius Rex Regum diadema Regni poſuit tam impretiabile, tam delectabile,tam mirabile,quod hoc omni linguæ inenarrabile,omni ingenio inſcrutabile eſt.* hæc Bonauentura. Quo circa Methodius in hypapantem docet ſacrum Marię caput à Deo coronatum eſſe: idcirco Rupertus lib.3.in Cant.4.de illa exponit: *Coronaberis de cubilibus Leonum,& montibus Pardorum: Coronaberis*,inquit,*vt in cœlis Regina Sanctorum,& in terris Regina ſis regnorum.*

Regiæ dignitatis maieſtas in forma Deiparæ. Suarez.

Bonauenturæ. Eſther 2.

Methodius.

Rupertus. Cant.4.

DEIPARA MAGNO EXCESSV OMNES Sanctos ſuperat in gloria.

SED quærat quiſpiam, etiam ſi Deipara chorum ſupra omnes Angelos , & Sanctos diſtinctum conſtituat , quo nam tamen exceſſu illos ſuperat ? quod erat tertium ex ijs,quæ in hoc capite tractanda propoſuimus . Reſpondeo exceſſum eſſe maximum .

Virginis gloriæ quo in gradu Sanctorum , & Angelorum gloriam excedat .

Cap. 12. & licet hoc colligi poſſit ex ijs,quæ dicemus cap.12.vbi multis rationibus Chriſto proximam eam eſſe in gloria oſtendemus; nunc tamen immenſitatem gloriæ eiuſdem Virginis ſupra Angelos, & Sanctos ſic demonſtramus. Virgo in præſenti vita innumeris actibus meritorijs ad immenſum gratiæ cumulum peruenit,ſiquidem in Conceptione acceperat gratiæ plenitudinem ſupra omnes Sanctos,& Angelos,vt cap.4.probauimus: ſed B.Virgo operabatur ex tota virtute gratiæ,& ſimul etiam auxilij,ſeu motionis diuinæ,& ex toto conatu,abſque vllo fomitis impedimento; ideo actum ſaltem æqualis intenſionis cum habitu gratiæ,ex qua proficiſcebatur,eliciebat: ſed actus amoris Dei eliciti à charitate ſunt meritorij augmenti eiuſdem charitatis,& per conſequens gratiæ, & gloriæ ſecundum totam latitudinem graduum,ita vt ſi actus ſit vt ſex,mereatur ſex gradus augmenti gratiæ; ergo gratia per hos actus fiebat ſaltem duplo maior. Hi verò actus in tota vita B.Virginis fuere innumeri:ſiquidem omnibus, & ſingulis actibus humanis, quos in præſenti vita habuit poſt gratiam in immaculata Conceptione acceptã, meruit augmentum gratiæ,charitatis,& gloriæ;& habuit perfectiſſimos actus, tum vitæ contemplatiuæ, tum actiuæ, præſertim in obſequio erga Chriſti perſonam, eundem ſequendo vſque ad crucem, cui materno ſupra quàm dici poteſt compatiabatur affectu: nec ſomno interrumpebatur eius meritum, vt rectè S.Bernardinus tom.2.ſerm.51. art. 1.& tom.3.ſerm.4. de B.Virg. art.1. cap.2. & nos cap.21.vbi in omni actu meruiſſe oſtendemus;ergo in immenſum excreuit habitus gratiæ,cui nunc correſpondet gloria, quæ eſt gratia conſummata. Accedit quòd in Deipara beatiſſima ex diuino priuilegio nulla vnquam fuit ad bonum faciendum difficultas,nulla ad malum procliuitas; ac proinde ad omnem ſancti Spiritus impulſum abſque vlla contradictione celerrimè agebatur:ſi enim ex Apoſtolo ad Rom.8. *Quicumque ſpiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei*, & Ezech.1. *Animalia illa,vbi erat impetus ſpiritus,illuc gradiebantur,& ibant,& reuertebantur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis*, cuius velocitatem mente vix aſſequi poſſumus;quantò magis de ſanctiſſima Virgine id aſſerendum eſt,vt propterea Deiparam per Rotam illam cap.1.Ezechielis eleuatam,& volubilem à ſpiritu vitæ ſignificatam velit S.Bernardinus tom.3.ſerm.11.art.1.cap.1. his verbis: *Secundò eleuata fuit B. Virgo per excellentiam conuerſationis deſignatam in eleuatione Rotæ,de qua Ezech.1. ſcriptum eſt, Apparuit rota ſuper terram iuxta animalia, habens quatuor facies, & aſpectus rotarum,& opus earum quaſi viſio maris:& ſequitur, Cum eleuarentur animalia de terra, eleuabantur ſimul & rotæ; & additur, Spiritus enim vitæ erat in rotis. Per illa quatuor animalia myſticè doctrina euangelica denotatur: per rotam verò illam,quæ quatuor facies habet,Virgo beata meritò indicatur: quæ quatuor virtutes habet, ſecundum quas vita actiua regitur,& omnimoda perfectione ad euangelicam conformatur.& quoniam hę virtutes licet vniantur in gratia; diſtinguuntur tamen in operatione ſua, ideo pluraliter dicit,quod rotæ illæ eleuabantur, quia virtutes in ea fuerunt in ſummo perfectionis tam ad agendum,quàm ad patiendum; & hoc in tanta incomprehenſibilitate intellectui humano, vt meritò dicatur, quod aſpectus rotarum, & opus earum quaſi viſio maris: Nam inæſtimabiliter ſuperauit omnem obedientiam,& actionem Martyrum,& Confeſſorum: nam in omnibus fuit pondus difficultatis ad bonum,& pronitas ad ipſum malum: in Virgine Beata nullum fuit omninò retardatiuum: proinde rota volubilis fuit ſecundum omnem Spiritus ſancti nutum.* huc vſque S.Bernardinus. Nec illud ſilentio prætereundum; Deum optimum tanti feciſſe in rotis hanc volubilitatem,ſeu facilitatem,qua à Spiritu ſancto facilè moueri ſe ſinebant,vt cum rotæ multa præclara haberent,quæ Ezechiel cap.10. recenſet,nimirum colla,manus,pennas,oculorum multitudinem; ab hac tamen volubilitate nomen eis indidit: *Et Rotas*,inquit,*iſtas vocauit volubiles, audiẽte me*,ita Ezechiel cap. 10.*Etenim*,inquit Guarricus ſerm. 4. de Aſſumpt. *ipſa Virgo voluntatem Patris in tantùm faciebat,vt de ipſa prædiceret Pater Iſa.62.Vocaberis voluntas mea.* ſic ille.

Rom. 8.

Ezech. 1.

S. Bernardinus.

B. Virgo in Rota Ezechielis ſignificatur.

Ezech. 10.

Guarricus.

Iſa. 62.

8 Adde alias rationes,quibus in Virgine gratia mirificè augebatur; puta in ſuſcipiendis Sacramentis,quæ ex opere operato efficacia fuere: & eò magis, quò maiore ſtudio, ac diſpoſitione ad ea accedebat.Nam & Sacramentum baptiſmi à Chriſto Domino accepit;quemadmodum teſte Euthymio in Ioan. 3. ſcriptum reliquere aliqui temporibus Apoſtolorum proximi: & ſacroſanctam Euchariſtiam quotidie, vt piè creditur, poſt filij

Virginis gratia in ſuſcipiendis Sacramentis au ẽta.

Euthymius.

Aſcen-

Aſcenſionem ſumebat. Adde,vt ſupra dixi, gratiæ plenitudinem in filij Conceptione ob admirabilem præſentiam diuini Verbi, & in aduentu Spiritus ſancti in die Pentecoſtes;& reliqua,quæ non minus verè,quàm eruditè perſequitur Franciſcus Suarez 3.par. tom.2.diſput.18. & 21. Confirmatur etiam ex immenſo amore, quo Deus Virginem diligebat. Vnde Anſelmus de excell.Virg. cap.4. *Eſt ne putatis*,inquit, *vlla mens hominis,quæ modum hunc dilectionis,quam Deus ad hanc Virginem habuit, queat penetrare?* & infra. *Poteſt ne,quæſo, vllus hominum, aut Angelorum iſtius amoris immenſitatem penetrare,vel dignitati honoris illius quicquam cogitatu percipere comparabile?* & ideo viciſſim B.Virgo immenſo amore Deum proſequebatur. Bonauentura in ſpeculo cap. 6. *Quid mirum ſi præ omnibus diligat,quæ præ omnibus eſt dilecta.*

Suarez.
Dei amor erga B Virg.
Anſelmus.
Bonauentura.

Cæterum hic meritorum cumulus in Deipara mirum in modum eſt auctus ex diuturna,quàm poſt filij Aſcenſionem,traduxit vita, in qua & ſacroſanctæ Euchariſtiæ perceptionem,& actus illos meritorios,à quibus nunquam ceſſabat,quàm ſæpiſſimè iterauit. quod Deipara ipſa S.Brigittæ lib.6.Reuelationem cap.61.his verbis indicauit. *Ego poſt Aſcenſionem filij mei,longo tempore vixi in mundo,& hoc voluit Deus, vt viſa patientia mea,& moribus meis,plures animæ conuerterentur ad eum: Apoſtoli Dei, & alij electi roborarentur: & etiam naturalis diſpoſitio corporis mei hoc exigebat,quod diutius viuerem, vt corona mea augeretur. Nam omni tempore,quod poſt Aſcenſionem filij mei vixi,viſitaui loca,in quibus ipſe paſſus eſt, & mirabilia ſua oſtendit. ſic quoque paſſio ſua in corde meo fixa erat,quòd ſiue comedebam,ſiue laborabam quaſi recens erat in memoria mea. ſic etiam ſenſus mei abſtracti erant à mundialibus, quod iugiter quaſi nouis deſiderijs inflammabar,viciſſimq. doloribus excitabar: veruntamen ſic dolorem temperabam, & gaudium meum,quod nihil omittebam de his,quæ erant Dei: ſic quoque inter homines conuerſabar,quod nihil præter victum tenuem de his, quæ delectabilia hominum erant,attendebam,imò nec ſumebam.* hæc apud S.Brigittam.

S.Brigitta.

9 Quòd ſi quæras quandiù vixerit? ſanè res eſt incerta, nec inter eos, qui hac de re ſcripſere,ſatis conſtat:primùm enim Petrus de Natalibus lib.7.catalogi Sanctorum cap. 65. ex reuelatione B. Eliſabethæ de Sconaugia, Deiparæ poſt Chriſti Aſcenſionem vnum annum,& paucos menſes tribuit. S.Ildefonſus ſerm.6. de Aſſumpt.non diu eam in terris poſt filj Aſcenſionem remanere potuiſſe exiſtimat: *Quam Angeli*,inquit, *deſiderabant, & cœlum ipſum de eius aſcenſione quærebatur.*

Quandiu vixerit B. Virgo.
Petrus de Natalibus.
Ildefonſus.

Secundò,Euodius apud Nicephorum lib.2. hiſtor. cap.6. Virginem ad annos ætatis quinquaginta nouem peruenisſe ſcribit, quem ferè eodem loco ſequitur ipſe Nicephorus. & cap.21.vbi Virginem vult obijſſe anno ætatis ſexageſimo: quam communem eſſe opinionem refert S.Antoninus 1.par.hiſtor.tit.6.cap.3.§.1.eamq; probat Driedo lib. 3.de dogmatibus ſacræ ſcripturæ tract. 3. cap.4. vbi duodecim vitæ annos poſt Chriſti Aſcenſionem eidem Virgini tribuit.

Euodius.
S. Antoninus.
Driedo.

Tertiò,alij Deiparam vixiſſe volunt annos ſexagintatres, quam vulgi eſſe opinionem ſcribit noſter Franciſcus Turrianus lib.3.pro epiſtolis Pontificum cap. 16. quod confirmari videtur ex corona eiuſdem Virginis ex globulis precatorijs confecta, & ex lib. 7. reuelat.S.Brigittæ cap.26.vbi Deipara dixiſſe ſcribitur, ſe poſt filij Aſcenſionem quindecim annis in mundo vixiſſe. Hæc videtur ſententia Euſebij in Chronico, vbi anno à Chriſti natiuitate 48.aſſerit Deiparam in cœlum aſſumptam: ſed decimo quinto ætatis ſuæ anno illum peperit, ergo ſexageſimum tertium agebat cum in cœlum eſt aſſumpta. huius ſententiæ eſt Dionyſius Carthuſianus lib.4.de laud.Virg.art.6.

Franc. Turr.
S. Brigitta.
Euſebius.
Dionyſ.Carth.

Quarta denique ſententia eſt eorum, qui Deiparam ad ſeptuaginta duos annos vitam produxiſſe affirmant:ſupponunt enim ex communi ſententia,eam in Chriſti Aſcenſione quadrageſimum octauum vitæ ſuæ annum egiſſe:ſiquidem decimo quinto ætatis anno Chriſtum peperit;quibus ſi addas triginta tres,quos Chriſtus vixit, ſummam efficiunt quadraginta octo annorum. ac deinde viginti quatuor annos in terris tranſegiſſe.Hæc ſententia eſt Cedreni in compendio hiſtor.in Tiberio: *Tradit*,inquit, *ſanctam animam Domino,ac filio, & Deo ſuo annos nata ſeptuaginta duos,vixit ergo viginti quatuor annos poſt Chriſti ad Cœlum aſcenſum*. hæc ille. Idem ſentit Epiphanius Presbyter Conſtantinopolitanus in vita Virginis. & quidam apud Anſelmum opuſc. de forma, &

Cedrenus.
Epiphanius.

mori-

moribus *B.* Virgin. qui omnes viginti quatuor annos poſt Chriſti Aſcenſionem Virgini tribuunt. & hæc quidem ſententia hoc firmiſſimo argumento probatur; nam Virginis dormitioni Dionyſius Areopagita cap.3.de diu.nomin. ſe interfuiſſe teſtatur cum Apoſtolis,& ſelectiſſimis Apoſtolorū Diſcipulis,Hierotheo,Thimotheo,& alijs. Sed Dionyſius Areopagita conuerſus eſt ad Chriſti fidem ab Apoſtolo Paulo anno Domini quinquageſimo ſecundo,qui erat poſt Aſcenſionē decimus nonus,vt optimè probat Cardinalis Baronius tom.1.Annal.ad annum Chriſti 52.ex libro actuum Apoſtolorum:& veriſimile eſt aliquot annis in chriſtiana fide ſe probaſſe;ergo ſaltem ad illud tempus circiter Deipara vixit. Quòd autem Dionyſius Areopagita ea quæ cap.3. de diuin. nom. ſcribit, de dormitione Virginis intelligat, probatur ex conſenſu Patrum Græcorum, ſic enim illum exponunt Damaſcenus orat.2.de dormit.Iuuenalis Patriarcha Conſtantinopolitanus,Hiſtoria Euthymiaca, quàm vna cum Iuuenali refert Damaſcenus loco citato,Andreas Cretenſis,Metaphraſtes,Glycas, Epiphanius Presbyter Conſtantinopolitanus,Michael Syngelus Maximus in ſcholijs ad Dionyſiū, & egregiè id probat Baronius ad annum Chriſti 48.contra Hilduinum, qui locum illum Dionyſij de ſepulchro dominico accipiendum arbitratur: & eodem modo reijcitur Matthæus Galenus in præfatione ad Areopagitam,qui de ædibus Ioannis Euangeliſtæ ea exponit;& Ioannes Scotus, is qui Dionyſium in latinum conuertit, qui in præfatione ad Carolum de Chriſti corpore,verba illa Dionyſij interpretatur, quaſi Dionyſius cum Apoſtolis Chriſtum poſt Reſurrectionē aſpexerit;quod falſum eſſe conuincitur,cum Dionyſius longè poſt Chriſti Aſcenſionem, vt diximus, Chriſti fidem ſuſceperit. Cæterùm quòd Deipara ad ſeptuaginta duos vitæ annos peruenerit ex recentioribus docet Cardinalis Baronius ad annum Chriſti 48. Caniſius lib.5.de B.Virg.cap.1. Suarez tom.2. in 3.par. diſput.21. ſect.1. Barrada lib.6.cap.14. in hoc inclinat Caſtro in vita Deiparæ cap. 20. num.19. Et confirmari poteſt ex Metaphraſte,qui in oratione de vita,& obitu Deiparæ, eam teſtatur prouecta ætate ad multam ſenectutem peruenisſe,cui conſentit Glycas lib.3. Annal.& citat Andream Cretenſem. Quæ ſententia mihi maximè probatur, ſic enim diutius fideles initio naſcentis Eccleſiæ ſua præſentia,& doctrina corroborauit, & plura ſibi merita comparauit.

Dionyſius Areopagita cum alijs dormitioni B. Virg. interfuit.

Baronius.

Damaſcenus. Iuue. Pat. Cōſt. Hiſtor. Euthy. Andr Cret. Metaphraſte. Glycas. Epip. Preſ. Cōſt. Mich. Syng. M. Baronius. Scotus.

Baronius. Caniſius. Suarez. Barrada. Caſtro. Metaphraſte. Glycas.

Virginis gloria immenſitas Patrum auctoritate probatur. Andr. Cret. Ildefonſus.

Chryſoſtom.

Petr. Dam.

Hieronym.

Baſilius Seleuciæ Epiſcopus.

Bernardus.

IO Sed de immenſo gloriæ Virginis cumulo Patrum dicta afferamus: & præter illos, quos ſupra citauimus,quorum plerique hoc quoque locupletiſſimè probant; Andreas Cretenſis orat.de dorm. Virg. *O ſancta,* inquit, *& ſanctis ſanctior, & omnis ſanctitatis ſanctiſſime theſaure.* Ad hunc gloriæ cumulum immenſum reſpiciens dicebat Ildefonſus ſerm.2.de Aſſumpt. *Sicut incomparabile eſt quod geſſit,& ineffabile donum,quod percepit;ita inæſtimabile, atque incomprehenſibile præmium, & gloria,non dico inter cæteras ſacras virgines,verùm etiam vltra omnes Sanctos, quod promeruit.* Chryſoſtomus in Liturgia eam vocat: *Incomparabiliter glorioſiorem, quàm Seraphim.* Petrus Damianus ſerm.de Aſſumpt.oſtendit rationem,cur Virgo dicatur: *Pulchra vt luna: Virgo,*inquit, *inter animas ſanctorum,& Angelorum choros ſupereminens, & euecta, merita ſingulorum,& omnium titulos antecedit; & quantumlibet aliæ ſtellæ reluceant: Luna tamen magnitudine præeminet, & ſplendore: ſic vtramque naturam Virgo ſingularis exuperat immenſitate gratiæ, & fulgore virtutum.* deinde affert rationem cur etiam dicatur: *Electa vt ſol,Quoniam ſol,*inquit,*lucidius incandeſcens,ita ſibi ſyderum,& lunæ rapit poſitionem,vt ſint quaſi non ſint,& videri non poſſint: ſimiliter & virga Ieſſæ veri præuia luminis in illa inacceſſibili luce prælucens,ſic vtrorumque ſpirituum hebetat dignitatem,vt ſint quaſi non ſint;& comparatione illius,nec poſſint,nec debeant apparere.* Hoc ipſum prius ſignificauit Hieronymus in Prologo ad Sophoniam Prophetam, vbi in commendationem mulierum commemoratis aliquibus ex veteri teſtamento; *Taceo,*inquit,*de Anna, & Eliſabeth,& cæteris ſanctis mulieribus, quarum velut ſyderum igniculos clarum Mariæ lumen abſcondit.* ſic Hieronymus. Idem habet Baſilius Seleuciæ Epiſcopus oratione de Annunciatione: *Virgo,*inquit,*vniuerſos martyres ſuo ſplendore tantum excedit, quantum ſol reliqua aſtra.* Bernardus ſermone Signum magnum:*Iure,*inquit,*Maria ſole perhibetur amicta,quæ profundiſſimam diuinæ Sapientiæ, vltra quam credi valeat, penetrauit abyſſum; vt quantum ſine perſonali vnione creaturæ conditio patitur,luci illi inacceſſi-*

DEI-

bili videatur immersa;illo nimirum igne Prophetæ labia purgantur, & illo igne Seraphim accenduntur:longè verò aliter Maria meruit,non velut summatim tangi,sed operiri magis vndiq;,& circumfundi; & tanquam ipso igne concludi. Candissimus sanè,sed & calidissimus huius mulieris amictus,cuius omnia tam excellenter irradiata noscuntur,vt nihil in ea non dico tenebrosum,sed obscurum saltem,vel minus lucidum; sed ne tepidum quidem aliquid,vel non feruentissimum liceat suspicari. huc vsque Bernardus. Bonauentura in speculo B.Virg.cap.6. *Ecce,*inquit,*quam gloriosum gloriæ Mariæ priuilegium,quod ipsa in gloria gloriosissima est post Deum: gloriosum gloriæ Mariæ priuilegium est,quod quicquid post Deum pulchrius,quicquid dulcius,quicquid iucundius in gloria est, hoc Mariæ, hoc in Maria,hoc per Mariam est;Gloriosum omninò gloriæ Mariæ priuilegium est, quod post Deum maior gloria nostra,maius nostrum gaudium de Maria est:vnde Bernardus, summa gloria est,ò Maria,post Dominum te videre*. hactenus Bonauentura. Meritò ad Virginem Dauid psalm. 44. *Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis;* quasi dicat,non tantum communes viri, sed præcipui in Ecclesia Dei, quod cap. 17. pluribus ostendemus, & peculiariter de Angelis quanta Virginem reuerentia prosequantur cap. 26. dicemus.

Bonauent.

Psal.44.

Cap. 17.

Cap. 26.

DEIPARA PLVS GRATIAE, ET GLORIAE IPSA VNA obtinet, quàm reliqui Sancti, & Angeli simul.

11 AD extremum circa quartum,quod initio proposuimus,dico, valdè probabile esse B.Virginem nõ solum multis gradibus gratiæ,& gloriæ excedere, vt diximus, quemlibet Angelorum,& Sanctorum: verùm etiam ipsam vnam plures omninò gradus gratiæ,& gloriæ adeptam,quàm sint in omnibus Angelis, & sanctis; etiamsi collectiuè in vnum veluti aceruum cogitatione conferantur.quod noster Barrada lib.6.cap.16.& Suarius tom.2.disp.18.sect.4.optimè probant,ad quos Lectorem remitto. Solum hic afferam rationem Suarij;qua dicit *B.*Virginem non minus meruisse quolibet actu suo meritorio,quàm supremum Angelum actu illo perfectè libero,quo meritum consummauit: & cum totum meritum supremi Angeli non sit minus perfectum, quàm sit totum meritum cuiuslibet hominis,saltem regulariter loquẽdo, sequitur B.Virginem quolibet actu suo plus meruisse,quàm singulos Sanctos toto tempore vitæ suæ: sed actus meritorij B. Virginis in tota sua vita,in qua perpetuò rebus diuinis, vel propter Deum ex feruentissimo amore intendebat,fuerunt innumerabiles;& præterea semper actus sequens, quia fiebat ex intensiori habitu aucto per actum præcedentẽ ex toto conatu,erat duplo perfectior,quàm actus ille præcedens,vt supra ostendimus; ergo gratia beatæ Virginis excessit gratiam omnium Sanctorum collectiuè. hæc ex Suario. Hanc sententiam nonnulli confirmant exemplo Regis,cuius mater plures opes possidet,quàm omnes simul famuli: atque ita Damascenus orat.1.de dorm. *Dei matris,*inquit,*& seruorum Dei infinitum est discrimen.* exemplo item fluuij magni,qui plus aquæ in se continet, quàm vasa omnia,quæ in vrbe aliqua reperiuntur;Christus verò mari assimilatur,Virgo flumini,Sancti verò vasis.Quare Eccl.24.Virgo dicere poterat:*Ego quasi trames aquæ immensæ.* Confirmatur etiam Cant.6.vbi dicitur: *Pulchra es amica mea,suauis, & decora,sicut Ierusalem;* quasi velit eam gratiæ decore exæquare Ierusalem cœlestem, quæ Angelis constat,& hominibus.

Virginis gloria omnium simul Sanctorum, & Angelorum gloriam excedere ratione, & auctoritatibus confirmatur.

Barrada.

Suarius.

Damascenus.

Eccles.24.

Cant.6.

12 Sed dicet quispiam;Virgo sanctissima pars est quædam Ecclesiæ, quamuis præstantissima,ergò non videtur excedere reliquas omnes partes collectiuè sumptas. Ad quod respondemus concedendo Deiparam partem esse Ecclesiæ,sed talem,quæ vniuersas alias inferiores simul acceptas admirabili sua gratia,atque præstantia excedat; eisq; præsit:cuius rei exemplum habemus in naturalibus;Cœlum enim pars est orbis,sed quę reliquas partes simul sumptas dignitate,atque magnitudine vincat,& simul illas contineat:ex Astrologis enim,vt videre est apud P.Clauium in sphęram sacroboſci in cap.1. in fine, & apud Franciscum Maurolycum,à centro mundi vsque ad conuexum Saturni, sunt semidiametri terræ 22612. ab eodem tamen centro mundi ad conuexum firmamenti intercedunt semidiametri terræ 45225.quare crassities solius firmamenti superat om-

Obiectioni satisfit.

P. Clauius.

Francisc. Maurolycus.

omnium ſimul inferiorum craſſitiem: ſed ſi ſpectemus ambitum, inueniemus adhuc ſolũ firmamentum reliquos omnes orbes, & elementa ipſa in vnum poſita magnitudine longè excedere: ita & in propoſito de B. Virgine: hinc eſt quòd Cant. 7. ſingula membra B. Virginis in Sulamite adumbratæ deſcribuntur, & aſſimilantur rebus quibuſdam ſua magnitudine abſque comparatione excedentibus, communem hominum menſurã: *Collum enim tuum*, inquit, *ſicut turris eburnea, Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon, Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum, Caput tuũ vt Carmelus, Statura tua aſſimilata eſt palmæ*, quæ inter arbores maximè eſt procera, & *cap. 8. Vbera mea ſicut turris:* quoniam qua proportione Carmelus caput hominis cuiuſlibet, & innumerabilium ſimul hominum magnitudine ſuperat, ita caput Deiparæ myſticum, & ſpirituale excedit alia particularium Sanctorum capita myſticè accepta; & idem de alijs membris eſt intelligendum. Ideò in reuelationibus S. Brigittæ in ſerm. Angelico cap. 5. vocatur Deipara, *minor mundus*, quoniam ipſa vna complectitur ea, quæ diuiſim in alijs mundi partibus ſibi inferioribus continentur, in qua, vt ibi dicitur, plures virtutes fuerunt, quàm in omnibus generibus rerum, quæ in totius orbis amplitudine inueniri poſſunt. Certè S. Bernardinus Senenſis hoc affirmat ſatis apertè tom. 1. conc. 61. art. 2. cap. 10. citans illud ex Hieronymo: *Cæteris quidem per partes præſtatur; Mariæ verò tota ſimul ſe infudit gratiæ plenitudo, quæ fuit in Chriſto, quamquàm aliter, & aliter.* & addit: *Nam in Chriſto fuit plenitudo gratiæ ſicut in capite influente, in Maria verò ſicut in collo trãsfundente: ex quo*, inquit S. Bernardinus, *patet, quod excepto Chriſto tanta gratia Virgini à Domino data eſt, quanta vni creaturæ puræ dari poſſibile eſſet.* Idem tom. 2. ſerm. 51. art. 3. cap. 1. dicit B. Virginem quando conſenſit in conceptione filij Dei, plus meruiſſe, quàm omnes creaturas, tàm Angelos, quàm homines in cunctis actibus ſuis: quem locum fusè capite præcedenti retulimus. & tom. 1. ſerm. 61. art. 3. cap. 3. loquens de Virgine: *Hic eſt*, inquit, *hortus ille Aſſueri, qui regia manu, & cultu conſitus erat; In hoc horto factum eſt conuiuium grande pro nuptijs, & coniunctione Eſther, quàm adamauit Rex Deus ſuper omnes mulieres, & poſuit diadema regni ſuper caput eius, & voluit eam eſſe Reginam: iſtud eſt diadema ſpeciei, & gloriæ corona, qua Virgo ſuper Angelos coronatur, vt intra Trinitatis gloriam ipſa ſola amplius ſit euecta, ac plus ſanctiſſimæ Trinitatis diligat gloriã, capiat, ſentiat, ac fruatur, quàm omnis alia pura creatura ſimul ſumpta; de cuius gloria poſt filium participant vniuerſi.* & eodem ſerm. 61. art. 2. cap. 3. *Tantum*, inquit, *differt gloria Virginis à gloria omnium Beatorum, quantum ſol à cæteris luminaribus cœli, & quodammodo ſicut cætera luminaria irradiantur à ſole, ſic tota cœleſtis curia à glorioſa Virgine lætificatur, & decoratur. Quamobrem Bernardus ſerm. de Aſſumpt. in hanc ſententiam, ita affirmat: Itaq. glorioſa Virgo dum cœlos aſcendit, etiam ſupernorum gaudia Ciuium copioſis augmentis cumulauit.* hæc S. Bernardinus. & capite præcedenti citat etiã S. Bernardum dicentem: *Mariæ præſentia totus illuſtratur orbis, vt ipſa iam cœleſtis patria clarius rutilet virgineæ lampadis illuſtrata fulgore.* & cap. 8. dicit: *Virginem ſuper omnes inferiores ordines tam hominum, quàm Angelorum ſimul ſumptorum improportionaliter eſſe prælatam: & quicquid eſt gloriæ in omni inferiore glorificata natura, tàm angelica, quàm humana, multò præcellentius eſſe in Virgine matre Dei.* Idem tom. 3. ſerm. 11. art. 2. cap. 1. *Virginem beatam*, inquit, *vocant Requiem Chriſti pſal. 131. non tantum, quia in ea nouem menſibus requieuit, verùm etiam, quia plus per quietum amorem requieuit in ea, quàm in tota alia creatura rationali.* ſic S. Bernardinus. Et Petrus Damianus ſupra citatus: *Virgo*, inquit, *inter animas Sanctorum, & Angelorum choros ſupereminens, & euecta, ſingulorum, & omnium titulos antecedit*, vbi non tantum ſingulorum, ſed etiam omnium addere non dubitauit.

Cant. 7.

S. Brigitta.

S. Bernardinus.

Hieronymus. Tota ſimul plenitudo gratiæ Deiparæ infuſa.

Eſther 7.

Eſther 2.

Bernardus.

Petr. Dam.

Immenſitas gloriæ beatiſſimæ Virginis adumbratur.

13 Hanc ſententiam confirmant pleræq; ex auctoritatibus ſupra allatis, illæ preterea, quæ gratiam Virginis dicunt eſſe immenſam. Ita Epiphanius orat. de laud. Virg. Damaſcenus orat. 2. de dorm. Virgin. *Virginem pretioſum theſaurum, qui vitam ſuſcepit, & abyſſum gratiæ appellat.* Ildefonſus ſerm. 2. de Aſſumpt. *Sicut eſt*, inquit, *incomparabile, quod geſſit, & ineffabile, quod percepit; ita eſt incomprehenſibile præmium, quod meruit.* Andreas Cretenſis orat. de dorm. Tantam dicit preeſſe gloriam Virginis, *vt quia nec diſcerni poſſit, honoretur ſilentio.* & infra: *Quæ habes*, inquit, *cum alijs non comparabilem appel-*

Epiphanius. Damaſcenus. Ildefonſus.

Andr. Cret.

lationem

lationem,quæ excepto Deo ſolo es omnibus altior. Idiota lib.6. *Sanctorum,*inquit,*omnia priuilegia, ò Virgo, omnia habes in te congeſta, nemo æqualis eſt tibi, nemo maior te, niſi Deus.* S.Anſelmus de excell.Virg.cap.8. *Immenſitatem,*inquit,*gratiæ, & gloriæ, & felicitatis tuæ conſiderare cupienti,ò Virgo,ſenſus deficit,lingua fatiſcit.*Bernardus ſerm.4.de Aſſumpt.teſtatur *ineffabile eſſe priuilegium meritorum Mariæ:* & ſermone de Natiu.Virgin.de Aquæductu: *Chriſtum dicit eſſe fontem vitæ, B.Virginem Aquæductum, qui plenitudinem fontis ipſius de corde Patris excipiens,nobis edidit illum*; & ſupra dixerat: *Plenum Aquæductum,quia Virgo gratia plena, vt accipiant cæteri de plenitudine Aqueductus,ſed non plenitudinem ipſam.*hæc ex Bernardo. S.Bonauentura in ſpeculo Virg. cap. 7.in fine applicat B.Virgini illud Eccl.42.*Gloria Domini plenum eſt opus eius: Hoc enim opus,*inquit,*plenum eſt dominica gloria,quia ſupra omnem puram creaturam reſultat, & relucet pleniſſimè in Maria:nam præter aſſumptam à verbo naturam,nullum eſt opus,nulla eſt creatura,in qua tanta diuinæ gloriæ materia reluceat,ſicut in Maria.* Anſelmus de Concept.Virg. cap.18. *Decens erat, vt ea puritate,qua maior ſub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret.* Quod Dionyſius Carthuſianus lib.1.de laud.Virg.art.14.dicit verum eſſe,non quia Deus abſoluta potentia non poſſit maiorem præſtare gratiam alteri: ſed quia neque decet,neque fiet;tùm quia eius ſanctitatis magnitudinem ad plenum in hac vita præſenti apprehendere non valemus,etiam ſi loquamur de ſanctitate,quam in terris adepta eſt: *Incomprehenſibilis enim* (vt ait S.Ambroſius) *incomprehenſibiliter operabatur in matre: tùm quia poſt vnionem hypoſtaticam nihil præſtantius poteſt homini conferri,quàm vt Deiparens exiſtat:tùm quia ampliorem alicui impertiri neque decet,neque contingit.* & rurſus: *Quoniam Mariæ ſanctitas,iuxta præoſtenſa,infinita eſt.* hæc ex Dionyſio Carthuſiano. Idem etiam eodem lib.art.8. *Palam,*inquit, *eſt Chriſtum ſine menſura omnis gratiæ plenitudinem ſortitum; huic plenitudini, gratiæq. infinitæ Maria vehementer appropinquat.* hæc ille. B.Laurentius Iuſtinianus ſermone de Aſſumpt. *Meritò quicquid honoris, quicquid felicitatis habebatur in ſingulis,totum abundat in Maria.* Hoc idem confirmari poteſt Petri Comeſtoris ſcholaſticæ hiſtoriæ Magiſtri verſibus, quos refert S.Antoninus 3.par.hiſt.tit.18.cap.8.quibus Virginis dignitatem,naturę ingenio minimè explicabilem,ſic prædicat.

Idiota. *S.Anſelmus.* *Bernardus.* *Bonauentura.* *Eccleſ. 42.* *Anſelmus.* *Dionyſius Carthuſianus.* *Ambroſius.* *Carthuſianus.* *B. Laurentius Iuſtinianus.* *Petrus Comeſtorius.* *S.Antoninus.*

,, *Si fieri poſſet quot arenæ puluis,& vndæ,*
,, *Vndarum guttæ,roſa,gemmæ,lilia,flammæ,*
,, *Aethera,cœlicolæ,nix,grando,ſexus vterquè,*
,, *Ventorum,pennæ volucrum,pecudum genus omne,*
,, *Syluarum rami,frondes, auium quoque pennæ,*
,, *Germina,ros,ſtellæ,piſces,angues,& ariſtæ,*
,, *Et lapides,montes,conualles,terra,draconcs,*
,, *Linguæ cuncta forent: minimè depromere poſſent,*
,, *Quæ ſit,vel quanta Virgo Regina Maria;*
,, *Quæ tua ſit pietas,nec littera,nec dabit ætas,*

Nec tamen propterea æqualem facimus gratiam B.Virginis cum gratia Chriſti, quæ longè ſuperat *B.*Virginis,& omnium aliorum gratiam, etiamſi in vnum coaceruentur; Chriſto enim Ioan. 3. *Non eſt datus ſpiritus ad menſuram, & de plenitudine eius ipſa Virgo,& nos omnes accepimus.* *Ioan. 3.*

14 Denique ad gloriam Virginis declarandam dico cum Suarez tom.2. diſp. 21. ſect. 3.& 4. probabile eſſe illam videre in Verbo quicquid omnes Angeli,& homines puri: item quicquid videt Deus ſcientia viſionis,ijs exceptis, quæ ſingulariter ad Chriſtum, & ad interiores animæ eius cogitationes pertinēt,quas ſine manifeſtatione ipſius Chriſti non exiſtimat à Virgine cognoſci:& prætereà ob filij Dei generationem ſanctiſſimam exiſtimat Suarez,Virginem habere ſingularem,& admirabilem ſplendorem, vel aliquid aliud,quod ſit velut inſigne diuinæ maternitatis, & regiæ dignitatis in omnes Beatos: ipſam enim eſſe omnium Reginam iam capite ſuperiori probauimus. Ex hac maxima altitudine Deiparæ infertur,ipſam longè perfectius,quàm Angelos ſupremæ hierarchiæ rationes rerum cognoſcere in Deo,cum Virgo à nullo Angelo, nec Sancto (quippe qui inferiores ſunt ea) illuminetur,imò ipſa illuminet eos,vt cap.33.dicemus. *Suarez. quænam in verbo videat Deipara.* *Cap.33.*

Atque

Atque hæc de ſitu altiſſimo huius diuini Throni beatiſſimę (inquam) Deiparæ, quę ſupra puras creaturas adeò exaltata eſt, vt meritò Bernardus ſerm. 4. de Aſſumpt. *Et ipſi*, inquit, *cœleſtis curiæ principes in conſideratione tantæ nouitatis clamant non ſine admiratione, Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens:* nec enim pares inueniuntur deliciæ, *vel in nobis, quos in Ciuitate Domini lætificat fluminis impetus, qui à vultu gloriæ, voluptatis gloria potamur*. Ideoq; à S. Ioanne Apoc. 12. ſub typo mulieris amictæ ſole, lunam ſub pedibus, in capite verò coronam ſtellarum duodecim habentis, appellatur ſignum magnum in cœlo, vt cap. 31. dicemus. Quæ ita ſe à noſtræ mentis oculis ſubduxit, vt vix ad tantæ maieſtatis ſublimitatem admiratione ſublati pertingamus; igitur quam ne admiratione quidem poſſumus intueri, deiectis oculis humili ſaltem veneratione celebremus; & exacta prima parte tertij argumenti, ad alteram quæ eſt de firmitate huius diuini Throni tranſeamus.

Bernardus. Cant. 8. Apoc. 12. Cap. 31.

VIRGINIS PVRISSIMAE DEIPARAE PERpetua impeccabilitas, quàm Dei beneficio eſt conſecuta; ex qua huius Diuini Throni perpetua in Deo firmitas apparet.
Capit. VII.

SVMMARIVM.

Deipara nullum admiſit peccatum actuale. num. 3.
Deipara non contraxit peccatum originale. num. 4.
Symbola, & figuræ ex ſacris litteris deprompta, quibus Deiparæ Conceptio immaculata varijs modis præſignificatur. num. 12.
Deipara ſingulariter confirmata in gratia in ſui Conceptione. num. 22.
Fomes in Deipara à ſui Conceptione extinctus. num. 24.
An Deipara iuſtitiam originalem habuerit. num. 26.

Virginis firmitas, quæ ſecunda eſt huius diuini throni conditio oſtenditur.

QVOD verò ſpectat ad firmitatem huius diuinæ ſedis (hoc enim erat ſecundum, quod in ſedibus materialibus S. Thomas, ex Dionyſio Areopagita reperiri dicebat) hæc quidem perfectiſſimè in Virgine inuenitur: etenim hęc firmitas, ex D. Thoma, in materialibus ſedibus ſpectatur, vt firmiter quis in eis ſedeat: At in thronis Angelicis è conuerſo ait rem ſe habere; ipſi enim firmantur per Deum, & in eis Deus inhabitat. Quod ita in nomine Thronorum ſignificatur, vt idem S. Thomas 1. par. q. 109. art. 1. ad 3. neget dæmones poſt caſum vocari aliquando thronos; quamuis ex ſingulis ordinibus, etiam thronorum ceciderint; quoniam Dei inhabitatio, quam thronorum nomen importat, opponitur peccato, quod capite ſequenti plenius explicabitur.

S. Thom. Dionyſ. Areopagita.

Huiuſmodi porrò firmitas præ cæteris omnibus puris creaturis, abſolutiſſimè in Deiparam conuenit, cum in Deo præſtantiſſimo quodam modo fuerit firmata, vt de ea meritò pſal. 45. dicatur: *Sanctificauit tabernaculum ſuum altiſſimus, Deus in medio eius non commouebitur*; quod infra diligentius expendemus: adeoq; hæc ſedis proprietas in ea potiſſimū elucet, vt propterea pſal. 32. vbi ex verſione ſeptuaginta de Deo legimus: *De præparato habitaculo ſuo reſpexit ſuper omnes, qui habitant terram* (quod habitaculum inter alia de Virgine exponit Hugo Cardinalis) S. Hieronymus, & alij vertant, vt cap. 3. dixi: *De firmiſſimo ſolio proſpexit*; quaſi hoc ſolium, quod eſt Virgo ſanctiſſima, firmiſſimū ſit, nullis mutationibus, vel caſibus obnoxium: ideo etiam Virgo figuratur per montem in vertice montium Iſa. 2. & per montem, in quo pſal. 67. *Beneplacitum eſt Deo habitare in eo*, vt dixi cap. 4. & 5. tùm propter celſitudinem, tùm etiam propter ſuam ſtabilitatem, ac firmitatem. figuratur pariter per Turrim libani Cant. 7. de qua Bernardus ſerm. 4. ſuper Salue Regina: *Tu*, inquit, *Domina Naſus es ſpecioſus, ad quam dicit Sponſus, Naſus tuus ſicut Turris libani; Naſus duo habet foramina, per quæ ſpiritum à capite emittit:*

Pſalm. 45. Pſalm. 32. Hugo Cardinal. S. Hieronymus. Cap. 3. Iſa. 2. Pſalm. 67. Cap. 4. & 5. Cant. 7. B. Virg. Naſus eius Turri libani aſſimilatur.

tit: ita tu Domina virginitate, & humilitate tua de Cœlo eduxisti filium Dei. Spiritus oris nostri, dicente Propheta, Christus Dominus, quippe qui vt spiritus oris nostri charitate calefacit, cupiditatem nostram refrigerat, ad bonam nos voluntatem mouet, fide iustificat: Tu ergo Nasus Ecclesiæ similis es Turri, Celsa videlicet dignitate, Firma grauitate, Turris es libani: Libanus mons, qui dicitur dealbatio, Altam præ omnibus significat innocentiam tuam. hæc ille. Et S. Bonauentura in speculo B. Virg. cap. 7. *Domus*, inquit, *illa in cuius solio Dominus sedit, est Virgo, in cuius mentis solio Dominus requieuit; O verè beatissimum, ò verè stabilissimum solium, sicut dicitur in lib. Reg. Firmissimum solium tuum in æternum.* hæc Bonauentura. S. Bernardinus tom. 3. sermone 11. art. 1. cap. 2. *Virginis*, inquit, *Altitudo firmissima est, & inconcussa, vt moueri non possit stabilitas montis quandiù durat firmitas lapidis: Nec Regnum matris quandiu durat imperium prolis, de cuius imperio Dan. 7. scriptum est, Potestas eius æterna, & Regnum eius, quod non corrumpetur, hoc enim significatur Isa. 6. Vidi Dominum sedentem super solium, quia immobiliter requieuit super Virgine gloriosa.* ita S. Bernardinus. De hac singulari firmitate in præsentia agendum erit.

Thren 4. *3. Reg. 8.* *Dan. 7.* *Isa. 6.*

2 Atque in primis supponendum est id, quod diuini throni firmitatem labefactare, vel aliqua ratione concutere potest, esse peccatum, quod à Deo creaturam rationis participem auertit, ac separat; propterea enim, vt dixi, negat S. Thomas dæmones appellari Thronos, quòd eorum peccatum cum hac in Deo firmitate stare non possit; verissimum enim est illud Isa. 59. *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra abscondérunt faciem eius à vobis.* & Ierem. 5. *Peccata vestra prohibuerunt bonum à vobis.* & Ezech. 4. ad Prophetam: *Et tu sume tibi sartaginem ferream, & pones eam in murum ferreum inter te, & ciuitatem:* qua sartagine diuidente ex Hieronymo, & Theodoreto implacabilis ira Dei auersi à populo propter eorum scelera significabatur. Duplex autem ex Theologis est peccatum, originale, & actuale; quod rursus in mortale tribuitur, & veniale: & licet propter peccatum veniale non amittatur diuina gratia, nec contrahatur diuina inimicitia, nec sit contra legem Dei; habet tamen quandam deformitatem, & deordinationem saltem circa ea, quæ sunt ad finem, & est præter legem, impedit feruorem charitatis, estq; verè, ac propriè peccatum: ita vt ex S. Thoma 1. 2. q. 89. art. 1. inducat, vt loquuntur Theologi, maculam secundum quid & reatum pœnæ temporalis, estq; dispositio ad mortale: quæ commemorare placuit propter ea, quæ dicturi sumus. Sed Virgo sanctissima ab omni labe peccati tum originalis, tum actualis, siue mortalis, siue venialis diuino priuilegio fuit perpetuò immunis, ergo nulla vnquam ratione à Deo fuit diuisa, sed semper in eo firmata.

Peccatum firmitatem cum Deo labefactat. *S. Thom.* *Isa. 59.* *Ierem. 5.* *Ezech. 4.* *Hieronymus.* *Theodoretus.* *S. Thom.*

DEIPARA NVLLVM ADMISIT PECCATVM ACTVALE.

3 VIrginem autem purissimam nullo vnquam peccato inquinatã fuisse breuiter ostendamus: & prius quidem de actuali, tum de originali: neq; enim animus est ex professo hanc instituere disputationem, sed ea tantum, quę ad propositam à nobis tractationem facere videbuntur, attingere; vt liquidò appareat, Virgini hanc sedis firmitatem non defuisse, imò in hoc non solum homines, verum etiam Angelos superasse.

Virgo nec originali, nec actuali peccato inquinata.

Quod igitur spectat ad peccatum actuale tum mortale, tum veniale, apud catholicos satis constat, Virginem sanctissimam ex speciali Dei priuilegio nullam aliquando culpam, ne leuissimam quidem, commisisse, quicquid dicant hæretici; quibus illud Ambrosij Epist. 5. ædit. Romanæ rectè congruit: *Claudat*, inquit, *sua ora perfidia; obmutescat, ne Matrem Domini aliquo audeat temerare conuicio.* Contra quos egregiè scripsit Canisius noster in eo opere, quod de B. Virg. Maria edidit lib. 1. cap. 10. & alij complures; licet enim, vt habet sacrum Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 11. in hac mortali vita quantumuis sancti, & iusti in leuia saltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoq; cadant; Virginem tamen ex speciali Dei priuilegio omnia venialia vitasse, est de fide quod testatur sacrum Concilium Tridentinum sess. 6. can. 23. cum dicit: *Ecclesiam de Virgine id tenere.* & Vega lib. 14. in Trident. cap. 18. affirmat esse definitum in Concilio Claremontano sub Vrbano II. & S. Thomas 3. par. q. 27. art. 4. id

Virgo ne venialiter quidem commisit. *Ambrosius.* *Canisius.* *Probatur ex Conciliorum auctoritate.* *Concil. Trid.* *Idem rationibus fundatur.* *Vega* *Concil. Clarem.* *Rationes S. Tho.*

probat. Primò, quia si aliquando peccasset, non fuisset idonea Mater Dei. Secundò, quia sicut honor parentis redundat in prolem Prouerb. 17. ita ignominia matris redundaret in filium. Tertiò, propter singularem affinitatem, quam habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit: *quæ enim conuentio Christi ad Belial?* 2. Cor. 6. Quartò, quia singulari modo Dei filius, qui est Dei sapientia in ipsa habitauit, non solum in anima, sed etiam in vtero: & tamen Sap. 1. dicitur: *In maleuolam animam non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis:* & ideo, concludit S. Thomas, Virginem nullum peccatum actuale, nec mortale, nec veniale commisisse; vt sic in ea impleatur, quod dicitur Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te;* hæc ex S. Thoma.

Prouer. 17.
2. Cor. 6.
Sap. 1.
S. Thom.
Cant. 4.

Ratio S. Augustini.

Augustinus in lib. de natura, & gratia cap. 36. *De sancta*, inquit, *Virgine Maria propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem: inde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quòd concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* ita Augustinus. cuius locum ita legendum animaduertit Iansenius cap. 50. Concordiæ ex quodam antiquo codice catenæ aureæ.

Iansenius.

Ratio Bernardi.

Bernardus Epistol. 174. multa in hanc sententiam dicit, & inter alia: *Decuit*, inquit, *Reginam Virginum singularis priuilegio sanctitatis absque omni peccato ducere vitam, quæ dum peccati, mortisq. pareret peremptorem, munus vitæ, & iustitiæ omnibus obtineret.* & serm. 2. de Assumpt. *Absit*, inquit, *vt proprij quicquam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur, vt in ea proinde scopa Lazari quæreretur.*

Ratio Bonau.

S. Bonauentura in 3. dist. 3. par. 1. art. 1. q. 1. *Congruebat*, inquit, *Aduocatam generis humani, vt nullum haberet peccatum: congruebat, vt Virgo ita vinceret Diabolum, vt nec ei succumberet ad modicum: congruum etiam fuit, vt sic esset immaculata mente, sicut intemerata carne.* Et hæc satis sint adhoc confirmandum: si quidem Patres, & Scholastici cum D. Thoma in 3. par. q. 27. & in 3. sentent. abundè in laudem Virginis hanc veritatem confirmant, vbi etiam aliquorum Patrum dicta, qui interdum aliquid in contrarium dicere videntur, explicant, & in nostrum sensum interpretantur.

S. Thom.

DEIPARA NON CONTRAXIT PECCATVM ORIGINALE.

B Virgo originale peccatum non contraxit.

QVOD verò spectat ad originale peccatum, nos supponimus ex communi omnium ferè Theologorum nostri æui consensu, Virginem sanctissimam ab originali labe fuisse præseruatam; & hoc ita apud eos receptum, vt nequaquam ex instituto, & accuratè hanc quæstionem mihi tractandam, sed potius Lectorem ad Theologos remittendum putauerim: aliqua tamen, quæ nostræ disputationi visa sunt opportuna, afferre operæ pretium existimaui: Itaq; dicimus, beatissimam Virginem, quia Mater Dei futura erat, singulari priuilegio, & copiosa gratia ita occupatam fuisse, atque præuentam; vt originale peccatum minimè contraxerit: sicut enim ex S. Thoma 1. par. q. 62. art. 3. & ex Augustino lib. 12. de Ciuitate cap. 9. *Deus Angelos* (verba sunt sancti Augustini) *cum bona voluntate, id est cum amore casto, quo illi adhærent, creauit; simul in eis condens naturam, & largiens gratiam.* quod idem de Adamo docet S. Thomas 1. par. q. 95. art. 1. ita in eodem instanti, quo animam Virginis creauit, gratia iustificante ex vi passionis Christi præuisæ, eam repleuit; nec permisit cõtrahere peccatum originale; sic. n. decebat dignitatem Dei, qui futurus erat eius filius: sic etiam decebat dignitatem talis Matris. Et hanc Virginis Conceptionem dignissimam, vt in Antiphona eius festi dicit Ecclesia, solemni ritu ex instituto Ecclesiæ celebramus, nimirum Conceptionem ipsam, eo quod sancta fuerit, vt pluribus probat Suarez 2. tomo in 3. part. disputat. 3. sect. 5. ex Extrauagantibus Sixti IIII. de reliquijs, & veneratione Sanctorum, vbi Pontifex in Extrauaganti, Cum præcelsa: *Dignum*, inquit, *quin potius debitum reputat vniuersos Christi fideles, omnipotenti Deo de ipsius immaculatæ Virginis mira Conceptione gratias, & laudes referre, & instituta propterea in Dei Ecclesia Missas, & alia diuina Officia decere, & vt illis interfint, indulgentijs, & peccatorum remissionibus inuitare.* hæc ibi; & plurimas indulgentias concedit in hanc festiuitatem, ea ratione, quæ ibi præscribitur, piè colentibus: quas Constitutiones sacrum Concilium Tridentinum sess. 5. obseruandas

S. Thom.
Augustinus.
S. Thom.
Suarez.
Sixti 4.
Concil. Trident.

præ-

præcipit. Addè in Ecclesia, teste Suarez loco citato, institutam esse, & approbatam religionem in honorem immaculatæ Conceptionis: cuius regulam, & institutum probarunt Alexander VI. Iulius II. Leo X. concedendo priuilegia, vt videre est ex compendio mendicantium verb. communicatio §. 18. & verb. Conceptio §. 10. 12. & 13.

5 Et verò hoc est festum populi christiani de mysterio in terris gesto omnium quæ celebrantur antiquissimo; nam festa mysteriorum Christi tempore cæperunt ab ipsa Christi Incarnatione, quæ in die Annunciationis Virginis facta est; & festum Conceptionis tempore reliqua B. Virginis festa antecedit; & quamuis à Damasceno orat. 3. de Natiu. Virginis. Natiuitas dicatur festorum anteambulo, & mysterij Christi præludium: *Oportebat. n.* inquit, *prius palatium parari, atque ita Regem adesse:* & quamuis Petrus Damianus in serm. de Natiu. Virg. natiuitatem eiusdem appellet primam festiuitatem Christianorum: id tamen dixerunt, quia tunc nondum erat per vniuersam Ecclesiam institutum festũ Conceptionis. Sanè S. Vincentius serm. 2. de Natiu. Virg. Angelos statim celebrasse festum Conceptionis affirmat his verbis: *Non credatis,* inquit, *quod fuerit sicut in nobis, qui in peccatis concipimur, nascimur, & nutrimur: sed statim postquam corpus fuit formatum, & anima creata, tunc fuit sanctificata: ideo fit festum de eius sanctificatione, quia facta est lux, scilicet sanctificationis in ea, & statim Angeli in Cœlo fecerunt FESTVM Conceptionis.* ita S. Vincentius.

Conceptio Virginis antiquissimum festũ Christianorum. *Damascenus.* *Petr. Dam.* *S. Vincentius.*

6 Possem nostram sententiam auctoritate plurimorum Patrum, qui apertis verbis docent, Virginem ab originali peccato præseruatam, confirmare; ita. n. docet Damascenus pluribus in locis, Cyrillus Alexandrinus, Ildefonsus, Idiota, B. Laurentius Iustinianus, & alij: sed peculiariter Petrus Damianus serm. de Assumpt. *Caro,* inquit, *Virginis ex Adam sumpta, maculas Adæ non admisit, sed singularis continentiæ puritas in candorẽ lucis æternæ conuersa est.* S. Ildefonsus antiquissimus auctor natus anno 610. doctissimus, & Deiparæ studiosissimus in lib. de perpetua virginitate, & parturitione S. Mariæ, sic ait: *B. Virgo Maria nisi in vtero matris sanctificata fuisset, minimè eius natiuitas colenda esset: Nũc autem, quia auctoritate totius Ecclesiæ dignè veneratur, constat eam ab omni peccato originali immunem fuisse: per quam non solum maledictio Euæ matris soluta est, verum etiam benedictio omnibus condonata. Nullis ergo quando nata est delictis subiacuit, nec originale peccatum in vtero sanctificata contraxit.* hæc ille: quod testimonium Ildefonsi ad verbũ affert Vincentius Beluacensis in spec. hist. lib. 6. cap. 65. & lib. 7. cap. 121. qui paulò ante tempora S. Thomæ scripsit: nam speculum historiale absoluit anno 1244. vt videre est lib. 31. spec. hist. cap. 105.

Auctoritas Patrum pro immaculata Virginis Conceptione. *Damascenus.* *Cyrillus.* *Ildefonsus.* *Idiota.* *B. Laur. Iustin.* *Petr. Damian.* *Ildefonsus.* *Beluacensis.*

Confirmare similiter possem auctoritate Patrum, qui simpliciter ab omni eam culpa liberam prædicant, vt Augustinus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Sophronius, Richardus, & reliqui: Aliorum quoque, qui Virginem immaculatam, incontaminatam, Angelis puriorem appellant; eorum etiam, qui per Virginem destructum originale peccatũ, & dæmonis imperium affirmant. Verùm huiusmodi locos cum pluribus Scholasticis, & Academijs diligenter citat, & expẽdit Suarez tom. 2. in 3. par. disp. 3. sect. 5. & Canisius lib. 1. de *B.* Virg. & alij ex Theologis, vbi etiam auctoritates in contrarium allatas dissoluunt, & reuelationes nonnullas diuinitus factas referunt, quas cum nonnullis casibus aduersis, qui contigere ijs, qui Virginem in originali conceptam docuerunt; vide apud Cornelium Schultingium in bibliotheca ecclesiastica circa expositionẽ missalis, & breuiarij tom. 2. in festo Conceptionis par. 45. Nos breuitati studentes hæc omnia in præsentia omittimus. Nonnullas reuelationes de hoc festo afferemus Tract. de festi Deiparæ, vbi de festo Conceptionis. Aliquas solùm rationes, necnon figuras huius mysterij ex sacris litteris petitas afferemus.

Augustinus. *Cyprianus.* *Ambrosius.* *Hieronymus.* *Sophronius.* *Richardus.* *Suarez.* *Canisius.* *Cornel. Schult.*

Rationibus, & figuris Virginem fine originali fuisse conceptam probatur.

7 Prima ratio sit, peccatum originale à nobis in conceptione nostra cõtractum verè est peccatũ, & mors animæ; & qui illud habet, Dei est inimicus, filius iræ, seruus, & captiuus satanæ, vas immundũ, & abominabile, & verè dicere potest: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea;* quòd si in eo decedat, nunquam Deũ videbit. Quare S. Augustinus tract. 44. in Ioan. agẽs de cæco nato, & quomodo per peccatum originale efficimur, ex Apostolo, *filij iræ,* infert: *Si,* inquit, *filij iræ, filij vindictæ, filij pœnæ, filij gehennæ.* ita Augustinus. Quo posito eædem rationes, quas supra attulimus,

Cap. 29.

Prima ratio, quia originale peccatũ est mors animæ. *S. Augustinus.* *Ephes. 2.*

S.Thom. quibus S. Thomas 3.par.q.27.art.4.negat Virginem cõmiſiſſe aliquod veniale, proportione quadam probant etiam caruiſſe originali; ſiquidem tot mala,& abominationes ſecum affert originale, vt ne tantillum quidem temporis dicendum ſit Virginem ſub Satanæ dominio,& filiam iræ,Dei inimicã,& abominabilem fuiſſe: etenim ſicuti ibi dicebat S. Thomas, Virginem ſi peccatum veniale commiſiſſet, non futuram fuiſſe dignè idoneã matrem Chriſti,& ignominiam matris in filium redundare, quod ipſum habet Bonauen-

Bonauentura. tura in 3.diſt.3.p.1.art.2.q.3.ad 3. Idem proportione ſua dicere poſſemus, ſi originale

Cordubenſis. contraxiſſet.& Cordubenſis lib.1.quæſt.theol.q.49. ait Virginẽ potius eligere debuiſſe

Originale peccatum maior eſt macula, quàm veniale. carere originali peccato, quàm eſſe matrem Dei; quia ſi præciſè hæc conſiderentur, magis eſt deteſtanda culpa, quàm carentia cuiuſcunq; boni. ergo Deus, qui Virginẽ ad tantam dignitatem euexit, credendus eſt illam etiam ab hac fœditate præſeruaſſe.& Suarez

Suarez. loc.cit.ſect.5.affirmat maiorem maculam eſſe originale peccatũ, quàm aliquod veniale;

Azor. illud.n.facit hominem ſubditum dæmoni.& noſter Azor lib.4.cap.33.q.vlt. ſimpliciter vult grauius,& deterius eſſe originale peccatum, quod à Deo ſeparat, quàm veniale.

Secunda ratio Auguſtini. Secunda ratio; regula eſt Auguſtini lib.5.contra Julianum cap.9.eum, qui grandioris ætatis peccatum actuale non commiſit in infantili ætate, nec originale contraxiſſe: ſed

Conc. Trid. Virgo ſanctiſſima ex Concilio Tridentino, vt dixi,& ex ipſo Auguſtino nullum actuale commiſit; ergo nec originale contraxit.

Tertia ratio. Caietanus. Tertia ratio, certum eſt Virginem ex peculiari priuilegio potuiſſe à labe originalis peccati præſeruari, quod ij etiam, qui contrarium ſentiunt, vt Caietanus opuſcul.de Concept.cap.3. vltro fatentur: ſed hoc maximè matrem Dei decebat, iuxta illud

Pſalm. 92. pſal.92. *Domum tuam decet ſanctitudo Domine in longitudinem dierum:* quod de Virgine ſanctiſſima per domum Dei ſignificata, vt cap.5.dixi, intelligendum exiſtimat Bonauentura in ſpeculo cap.8.

8 Et ſanè vnum ex præcipuis priuilegijs, quæ quis optare poſſet, illud eſt, vt creatus fuerit in gratia,& perpetuò in illa perſeuerauerit; ergo dicendum eſt hoc priuilegium non fuiſſe Virgini denegatum; præſertim cum Angelis ſanctis fuerit conceſſum;& Adam ipſe creatus fuerit in gratia, licet per peccatum eam amiſerit, & per pœnitentiam iterum recuperarit. Nullum autem gratiæ donum puræ creaturæ conceſſum eſt, quod Virgini non fuerit collatum, vt cap.5. fusè oſtendimus. Nec eſt dicendum Deum noluiſſe; cum enim Deus futurus eſſet eius filius, eam honoraſſe piè credendum eſt. De quo

Auguſtinus. Auguſtinus loquens de Aſſumptione Virg. in lib.de Aſſumptione: *Lex*, inquit, *honorem Patris præcipit, pium eſt credere ſingulari ſaluatione eam in morte, & ſpeciali gratia honoraſſe*; Idem ex paritate rationis dicendum videtur in Conceptione, quòd à peccato

Hippolytus. originali liberata ſit. & Hippolytus oratione de ſanctificatione: *Qui dixit, honora patrem, & matrem, vt decretum à ſe promulgatum obſeruaret, omnem gratiam matri, & honorem impendit.*

Quarta ratio Mayronis, vt & corpore, & anima eſſet Virgo. Quarta ratio, & eſt Mayronis ſermone 2.de Conceptione Virginis: Spiritualis virginitas creaturæ rationalis in eo poſita eſt, vt nunquam per peccatum (quod eſt ſpiritualis fornicatio) à Deo receſſerit, & in Satanæ dominium tranſierit; per peccatum verò originale corrumpitur virginitas animæ, quæ per illud verè efficitur inimica Dei, & ſerua Dæmonis: & quamuis per gratiam præcedens corruptio tollatur, dignitas tamen virginea non reparatur: licet enim per gratiam homo non ſit peccator; non tamen tollitur, quin poſſit dici peccatorem fuiſſe: ſicut etiam in virginitate corporea S.Mariæ Aegyptiacæ, quæ etiam ſi magna gloria perfruatur, & in reſurrectione habitura ſit cor-

Mayro. pus integrum (vt ait Mayro) non tamen aureolam virginitatis. Hoc poſito, Chriſtus tot miracula naturæ fecit, vt in matre carnis integritatem non ſolum poſt partum, ſed etiam ante partum, & in partu ſuo ſeruaret: quæ tamen longè inferior eſt virginitate ſpirituali: voluit etiam ſepeliri in monumento nouo, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat: quanto magis exiſtimandũ eſt, ſpiritualem Matris virginitatem voluiſſe, vt in eius anima

Cyprianus. dæmon nunquam habitauerit. Quare Cyprianus de operibus Chriſti Cardinalibus de Nat.Chriſti, vtramq; virginitatẽ animæ,& corporis in Deipara agnoſcit; loquens.n.de Virgine: *Illud*, inquit, *vas electionis plurimũ à cæteris differens, natura communicabat, non culpa.*& mox: *Vnde & matri plenitudo gratiæ debebatur, & Virgini abũdãtior gloria, quæ*

carnis,

carnis,& mentis integritate insignis;spirituali;& corporali;intus,& extra Christi præsentia fruebatur. sic Cyprianus. & Damascenus orat.1.de dorm. *Gratiæ,* inquit, *abyssum inuenit Virgo, quæ duplicis virginitatis nauem incolumen seruauerat,animamq. non minus, quàm corpus virginem custodierat.* Et Sophronius inter opera Hieronymi de Assumpt. *Idco,*inquit,*immaculata,quia in nullo corrupta.* & S. Bonauentura. Quicquid dicat de Conceptione Virginis,eius tamen doctrina,dùm in Virgine negat veniale peccatum,immaculatam etiam Virginis Conceptionem confirmat:nam in 4.sent.dist.3.art.2. q.1. *Congruum,*inquit,*fuit,vt illa,quæ placuit Altissimo adeò,vt fieret eius sponsa,& Mater filij Dei vnigeniti,sic esset immaculata mente,sicut intemerata carne.* Ex quibus videmus omnes tanti facere virginitatem animæ in Deipara; cùm tamen hæc virginitas per peccatum etiam originale amittatur. Et certè Deipara figuratur in Rebecca, quæ præparata erat filio Abrahæ ; Rebecca enim dicitur fuisse hebraicè Alma, quod significat non tantùm virginem,sed neque viro cognitam: & ita Virgo sanctissima anima, & corpore nulli cognita ad concipiendum Christum accessit. Quod si Augustinus lib. de Assumpt.probans Virginis assumptionem,hoc argumento vtitur: *Si voluit,*inquit,*integram matrem virginitatis seruare pudore, cur non voluit incorruptam à putredinis seruare fœtore?* & nos ex paritate rationis inferemus, cur non magis voluit incorruptam ab originalis labis seruare pudore, & fœtore. Quare Eccles.24. *Balsamum non mixtum odor meus,*applicatur Virgini, in qua nullius labis fœtor admixtus vnquam fuit. Similiter & ei accommodare pussumus illud quod de diuina sapientia dicitur Sap.7. *Speculum sine macula;* semper enim Deipara speculum fuit maximè tersum, atque politum nulla macula inquinatum.

Damascenus. Sophronius Hieronymus. S.Bonauentura. Genes. 24. Augustinus. Eccles. 24. Sap.7.

9 Quinta ratio,sicuti de Christo omnium redemptore Hebr.7.dicitur: *Talis decebat,vt nobis esset Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus,& excelsior cœlis factus,&c.* Sic proportione quadam Virgo sanctissima,quæ futura erat apud Christum Aduocata omnium vniuersalis,vt cap.30.dicemus,& per quam opprobrium à nobis tollendum erat;congruum fuit,vt nulla labe,ne originali quidem inquinaretur. Discrimen tamen maximum est inter Christum, & Virginem ; Christo enim hanc sanctitatem ex vi conceptionis,qua de Spiritu sancto conceptus est,& ex vi suppositi diuini cõuenire : Virgini autem singulari priuilegio ex vi meritorum Christi esse concessam dicimus:cui rei optimè accommodantur verba Vlpiani in l.Princeps ff.de legibus:*Princeps,* inquit,*legibus subditus non est; Augusta verò licet sit subdita, Princeps tamen eadem priuilegia illi concedit,quæ ipse habet.* Hinc est, quod Ecclesia in festis Virginis Lectiones, & Epistolas ex ijs,quæ in sacris litteris de diuina Sapientia dicuntur,sumere solet,vt intelligamus proportione quadam pleraq; ex ijs Virgini, singulari Dei priuilegio, esse concessa. Et verò in magnam hoc gloriam non tantum Christi eius filij omnium Saluatoris cedit,vt dicemus,sed etiam Angelorum,quorum ruinæ per Virginem reparantur, quiq; tali Regina in omnem æternitatem gloriabuntur. Quare (vt diximus) ex S. Vincentio statim ac Virgo concepta,ac sanctificata est, festum Conceptionis celebrarunt ipsi Angeli in cœlis;imò hoc ad eximiam etiam hominum,ex quorum genere est, gloriam pertinet. Adde homines peccatores ad eam omni puritate conspicuam, & ab omni peccato alienam,magnam fiduciam in suis peccatis concipere. & vis huius rationis colligitur ex Bernardi verbis supra citatis ex epist.174.& ex Bonauentura in 3.distin 3.art.2.q.2. *Hoc,*inquit,*congruebat Aduocatam generis humani,vt nullum haberet peccatum,quod suã conscientiam remorderet:vnde audiui narrari, quod ipsa cuidam personæ reuelauit, quod non reprehendebat eam cor suum in omni vita sua. Congruum erat,vt Beata Virgo Maria,per quam aufertur nobis opprobrium,vinceret diabolum,vt nec ei succumberet ad modicum. Quare de ipsa exponit tàm Bernardus, quàm Augustinus illud, Ipsa conteret caput tuum: si ergo suggestio est caput diaboli,nulla suggestio ingressum, vel locum habuit in mentem Virginis.* hæc Bonauentura: ex quo ipse concludit, Virginem ab omni mortali,& veniali immunem fuisse. verùm eædem ferè congruentiæ inferunt,vt dixi,ab originali quoque præseruatam.

Hebr.7. *Quinta ratio, quia Aduocata est nostra.* Cap.30. *Conceptionis Christi, & Mariæ discrimen.* Iur.Cons.in l. princeps ff. de legibus. *Immaculata Virginis Conceptio in filij Angelorum, & hominum gloriam cedit.* S. Vincentius. Bonauentura. Bernardus. Gen.3. Augustinus.

Accedit etiam S.Brigitta,cui reuelatum fuit, Virginem conceptam fuisse sine peccato originali, vt videre est in eius reuelationibus lib.1.cap.9.& lib.6.cap.49.& 55.Idem S.Brigitta.

S. Mechtilda. quoque affirmat S. Mechtildis in ſuis reuelationibus lib. 1.

Obiecta diluenda. 10 Sed antequam ad figuras, quæ ex diuinis oraculis idem confirmant, progrediamur duo, quæ præcipuè obijci poſſunt, quæq; nonnullos ex antiquioribus Scholaſticis, præſertim S. Thomam, & S. Bonauenturam erga Virginem pietate maximè affectos permouerunt, vt negarent eam ab originali fuiſſe immunem, diluenda ſunt. Primùm eſt vniuerſales ſacrarum litterarum, & aliquorum Patrum locutiones, quibus omnes ex Adam per ſeminalem, vt dicunt Theologi, generationem propagati, originale peccatum contrahere affirmantur exempli gratia ad Rom. 5. *Omnes in Adam peccauerant*, & ſimiles. Secundùm, quia ſequeretur Chriſtum non fuiſſe Virginis redemptorem, nã ex 2. Cor. 5. *Si vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt. Atque ita cauendum*, vt ait Bonauentura in 3. diſtin. 3. art. 1. q. 2. *nedum matris excellentia ampliatur, filij gloria minuatur*.

S. Thom. S. Bonauent. Rom. 5. 2. Cor. 5. Bonauent.

Cæterùm, primùm nihil obſtat, quia ex priuilegio dicimus in huiuſmodi vniuerſalibus locutionibus Virginem non comprehendi; & ſicut ſacrum Concilium Tridentinum ſeſſ. 5. declarat ſe ſub ſua definitione vniuerſali de peccato originali, in qua citat locum illum ad Rom. 5. non comprehendere Virginem ſanctiſſimam: ita declarandi ſimiles ſacrarum litterarum locutiones dat facultatem. Similes etiam locutiones ſunt de peccatis venialibus, cum dicitur: *In multis offendimus omnes* Iacobi 3. & tamen beatiſſimam Virginem ex ſacro Concilio Tridentino ſeſſ. 6. can. 23. certum eſt nullum actuale commiſiſſe, atque adeò non includi in illis. & ſicuti ex Dei maternitate colliguntur multa priuilegia à D. Thoma, & alijs, quæ matrem Dei decent, vt ſanctificatio in vtero, extinctio fomitis, ſaltem in Annunciatione, confirmatio in gratia, & reliqua: cur non etiam hoc quod, vt vidimus, matrem Dei mirificè decet? aliqui quoque ex Patribus eodem modo explicari poſſunt. Et certè ſi S. Bernardus, & S. Bonauentura, & S. Thomas vniuerſali Eccleſiæ inſtituto hoc feſtum celebrari tantò fidelium conſenſu vidiſſent, haud dubium, quin obuijs, vt dicitur, vlnis hanc ſententiam complexuri fuiſſent: nam & S. Thomas cuius verba infra afferemus in 1. ſent. diſtin. 44. q. vn. art. 3. ad 3. expreſsè puritatem Virginis dicit eſſe maximam, qui à peccato originali, & actuali immunis fuit. & Bernardus in illa Epiſtola 174. ea quę de peccato originali in Virginis conceptione dixit, vult abſque præiudicio eſſe dicta, auctoritati, atque examini Romanæ Eccleſiæ omnia referuans.

Conc. Trid. Rom. 5. Iacob. 3. S. Thom. Bernardus. Bonauent. S. Thom. S. Thom. Bernardus.

Diluitur ſecundum, quatenus Virgo fuit redempta. 11 Secundum quoque facilè diluitur; dicimus enim Virginem verè fuiſſe redemptam, quia niſi præſeruata eſſet, contraxiſſet peccatum originale: duplex enim eſt modus redemptionis ex Dionyſio cap. 8. de diu. nom. & Auguſtino in illud pſal. 85. *Eruiſti animã meam ex inferno inferiori*. & Bernardo in Cant. ſerm. 22. Primus liberando hominem ab hoſtibus captum: Secundus præueniendo iam capiendum, ne capiatur, iuxta illud pſal. 143. *Redemiſti ſeruum tuum de gladio maligno*; ideſt ſeruaſti ne occideretur; & hic ſecundus modus eſt maioris gratię; &, cęteris paribus, maioris poteſtatis. Et ideo ad maiorem Chriſti gloriam facit, quòd matrem nobiliſſimo modo redemerit, & non permiſerit illam inquinari, ex qua carnem ſuſcepturus erat: hæc enim præſeruatio ex vi paſſionis Chriſti ab æterno præuiſæ facta eſt. Nam Apoc. 13. *Agnus dicitur occiſus ab origine mundi*. & 1. Pet. 1. De ſanguine huius Agni dicitur: *Illum præcognitum quidẽ ante mundi conſtitutionem; manifeſtatũ autem nouiſſimis temporibus*, vt omnia bona ante Chriſti aduentum præſtita, eiuſdem Chriſti meritis in diuina mente præcognitis tribuenda eſſe intelligamus. Quare S. Bernardinus Senenſis tom. 2. conc. 51. art. 3. cap. 3. Primogenitam Redemptoris filij ſui Ieſu, eam fuiſſe, & plus pro ea redimenda, quàm pro omni alia creatura veniſſe dicit.

Dionyſius. Auguſtinus. Pſalm 85. Bernardus. Pſalm. 143. Apoc. 13. 1. Pet. 1. S. Bernardin. Chriſtum maximè ad redimendam Virginem ueniſſe.

SYMBOLA, ET FIGVRAE EX SACRIS LITTERIS DEPROMPTA, quibus Deiparæ Conceptio immaculata varijs modis præſignificatur.

Ex varijs epithetis & figuris eadem confirmatur. 12 HIS expeditis, oſtendamus ex varijs epithetis virgini attributis, vel ex locis ſcripturæ, quæ Virgini accommodantur, addita aliqua breui declaratiuncula, Virginem ſine peccato conceptam: quæ ad hanc veritatem illuſtrandam plurimum lucis afferre poſſunt.

Pri-

Primò, Virgo est Paradisus cœlestis secundo Adæ præparatus, vt dixi cap. 5. *Cui Paradiso* (inquit Damascenus serm. 1. de Assumpt.) *non patuit serpenti aditus, sicut patuit Paradiso terrestri.* At verò patuisset serpenti aditus, si Virgo contraxisset originale peccatum; ideoq; Virgo dicitur *Hortus conclusus*: imò etiam *fons signatus*, non tantum propter virginitatem, sed quia à serpente veneno suo illa infici non potuit. Quare Sophronius serm. de Assumpt. de Virgine agens: *Verè*, inquit, *Hortus deliciarum, in quo consita sunt vniuersa florum genera, & odoramenta virtutum; sicq. conclusus, vt nesciat violari, neque corrumpi vllis insidiarum fraudibus: fons itaq. signatus sigillo totius Trinitatis, ex quo fons vitæ manat, in cuius lumine omnes videbimus lumen.* & infra: *Hæc est Hortus conclusus, fons signatus, ad quam nulli potuerunt doli irrumpere; nec penetrauit fraus inimici, sed permansit sancta mente, & corpore, multis donorum priuilegijs sublimata.* ita Sophronius. Et, vt rectè dicebat S. Andreas Apostolus Aegeæ Proconsuli, & habetur in eius passione descripta à Presbyteris Achaiæ: *Sicut primus Adam ex terra immaculata formatus, ita & Christus ex Virgine immaculata*; quod clarius habetur apud Abdiam in gestis S. Andreæ lib. 4. *Sicut Adam*, inquit, *formatus ex terra antequam esset maledicta: ita & secundus Adam ex terra virginea nunquam maledicta.*

Virgo est Paradisus cœlestis. Damascenus.

Cant. 4.

Sophronius.

S. Andr. Apost.

Abdias.

Secundò, Deus Genes. 3. priusquam primis parentibus pœnas irrogaret, cum malediceret serpenti dixit: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, semen tuum, & semen illius, & ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius:* quo in loco voci illi (mulieris) præfigitur articulus tum in hebræo idiomate, tum etiam in græco, quod in latina lingua, quæ huiusmodi articulis non vtitur minimè fieri potuit: articulus autem, vt plenius ostendimus in lib. 1. de septem Angelis cap. 6. & vt dicunt hebraicè linguæ periti, teste Canisio lib. 1. de B. Virgine Maria cap. 2. designat hoc loco non qualemcunque, sed certam quandam mulierem, ideſt Virginem gloriosam, Dei consilio selectam ad procreandum semen illud benedictum, ideſt Christum, quod vberius cap. 22. ex Cypriano, & alijs probabimus. Et huius mulieris, quæ Redemptorem paritura erat cognitio, maximum fuit primis parentibus post peccatum in illa tanta afflictione solamen: his autem verbis perpetuæ inimicitiæ inter hanc mulierem, & serpentem diabolum futuræ denunciantur. At si Virgo contraxisset originale, sanè eo tempore, quamuis breuissimo, non habuisset cum dæmone inimicitias, sed ei fuisset subdita, quod piæ aures perhorrescunt. hanc perpetuam Deiparæ cum serpente tartareo inimicitiam ostendit Thronus Salomonis eburneus, quo Deipara significatur: Ebur enim est os elephantis perpetuam cum serpente gerentis inimicitiam ex Halgrino, vt infra dicemus.

Virgo perpetuas habuit cum serpente inimicitias. Genes 3.

Canisij.

Cap. 22.

Ebur inimicitiã cum serpente indicat. 3. Reg. 10.

13 Tertiò, hæc quoque mulier benedicta caput serpentis contritura prædicitur: caput verò serpentis rectè intelligitur peccatum originale; fuit enim origo, & radix aliorum, & in vnoquoque nostrum per originale diabolus non secus, ac serpens capite immisso illabi totus per alia peccata nititur. Scio aliquos legere: *Ipse*, ideſt, Christus, *conteret caput tuum*: sed vulgata cum Augustino, & alijs legit, IPSA, ideſt Virgo sanctissima; verùm in idem recidit, vt cap. 22. dicemus: Ipsa enim per Christum caput tartarei draconis obtriuit: si ergo Virgo originale contraxisset, quo modo serpentis caput contritura diceretur? quare eleganter de hoc quidam cecinit.

Virgo serpentis caput contriuit. Genes. 3.

Augustinus, Cap. 22.

„ *Ergo Dei matrem fœdent contagia culpæ?*
„ *Hoc caput est anguis, sic teret illa caput?*

Vt meritò in Iudith, quæ Holofernis ferociſſimi hostis caput præcidit, & in Iahel, quæ Siſaræ caput clauo transfixit, eam figuratam dicant. Et verò serpens Virginis calcaneo, ideſt conceptioni, insidias moliturus dicitur, sed venenatum dentem huic calcaneo figere non valuit, quin potius caput ei conterendum prænunciatur. Quod vt intelligamus, Sciendum est, calcaneum iuxta Philosophos partem esse illam pedis, quam inter gradiendum naturæ ductu primùm in terra sistimus, cum sit veluti basis, cui ad perpendiculum totum corporis pondus innititur, & ideo pro initio alicuius motus sumi potest: atque ideò in materia, de qua agimus, pro Virginis Conceptione, qua primùm in orbem terrarum gressum posuit, seù cum primùm esse cæpit, cui serpens antiquus sicut & reliquis filijs Adæ per peccatum originale insidiari nitebatur, iuxta illud Iob 3. *Expectet lucem, & non videat, nec ortum surgentis Auroræ*, vt infra fusius dicam; sed illam morde-

Virginis figura in Iudith, quæ Holoferni caput amputauit. Iudith 13. Iudic. 4. Serpens insidiatur calcaneo Virginis, sed frustra, & quare.

Iob 3.

re

re neutiquam potuit: ſiquidem calceamentis diuinæ gratiæ egregiè munita, atque copiosè præuenta ita proceſſit, vt ipſemet ſponſus, qui calceamenta contulerat, quaſi admirans tum greſſus, quibus animi generoſitas indicatur, tum calceamentorum venuſtatem, dicat in Canticis: *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis?* quod de Deipara exponit Ambroſius de inſtitut. Virg. cap. 14. Hæc autem Deiparæ calceamenta cœleſtia fuere: nam Apoc. 12. *Mulier illa amicta ſole*, quæ Deiparam ſignificat, ſub pedibus habuiſſe dicitur lunam, quæ calceamentorum vicem ſubibat, ac proinde calceamenta hæc excelſiora fuere, quàm vt eo venenatis dentibus ſerpens poſſet aſſurgere: quippe qui in ſua maledictione Geneſ. 3. accepit, vt ſuper pectus ſuum graderetur, humi raptans, & terrã comederet cunctis diebus vitæ ſuæ, ideſt homines terrenis rebus inhiantes. Et ſicut in benedictione Aſer Deuter. 33. dicitur: *Ferrum, & æs calceamentum eius*, & Ezech. 16. ad Ieruſalem: *Calceaui te ianthino*, ſeu, vt alij vertunt, hyacintho, quod eundem ſenſum facit: ita calceamenta Virginis non minus fortia calceamentis Aſer fuerunt ad noxium ſerpentis caput conterendum, nec minus decora, & ſpecioſa calceamentis illis Ieruſalem ianthinis, ſeu hyacinthinis, coloris violarum, & cœleſtis propter cœleſtium rerum deſiderium, quo in ſuis affectionibus per pedes ſignificatis, iam tunc erat ornata. & quidem pulcherrima fuerunt hæc Virginis calceamenta ad rapiendum ſponſi ſui oculos, quorum typus fuere ſandalia Iudith, quæ vel Holofernis infenſiſſimi Iudæorum hoſtis oculos rapere potuerunt.

Cant. 7.
Ambroſius.
Apoc. 12.
Geneſ. 3.
Deuth. 33.
Ezech. 16.

Geneſ. 47. *Virgo eſt terra ſacerdotalis immunis.*

14 Quartò, Geneſ. 47. vniuerſa terra Aegypti Pharaoni tributum perſoluebat, excepta terra ſacerdotali, quæ immunis ab ea conditione fuit: ita quamuis reliqui homines originalem noxam contrahentes, dæmoni quodammodo tributum pendant; excipitur Virgo ſanctiſſima veluti terra peculiaris ſummi Sacerdotis Chriſti, quæ immunis ab omni tributo fuit propter ſacerdotem Chriſtum ex ea gignendum.

Exod. 25. *Virgo eſt Arca fœderis ex lignis ſetim.*

Quintò, huius Virginis typus fuit Arca fœderis Exod. 25. vt dixi cap. 5. quæ erat ex lignis ſetim imputribilibus, ideo nulla vnquam carie, vel putredine peccati etiam originalis affecta fuit.

Eſt menſa panũ propoſitionis puriſſima.
Cap. 5.
Exod. 25.
Leuit. 24.
Anſelmus.

Sextò, eiuſdem Virginis typus fuit menſa panum propoſitionis, vt cap. 5. dicebamus ex lignis pariter ſetim imputribilibus conſtructa, auro puriſſimo veſtita Exod. 25. quam Dominus Leuit. 24. vocat *menſam puriſſimam ſuper quam reponendi erant panes propoſitionis, & ſuper panes thus lucidiſſimum.* quia Virgo, in cuius vtero fuit Chriſtus panis vitæ, qui etiam eſt thus propter diuinitatem, menſa fuit non tantum pura, ſed puriſſima, ab omni ſcilicet impuritate quàm remotiſſima, iuxta illud Anſelmi de Concept. Virgin. cap. 18. *Decens erat, vt Virgo ea puritate niteret, qua maior ſub Deo nequit intelligi:* quod explicans S. Thomas in 1. ſentent. diſtin. 44. quæſt. vnic. art. 3. ad 3. expreſsè dicit, Virginem etiam ab originali peccato puram fuiſſe; verba D. Thomæ hæc ſunt: *Puritas*, inquit, *intenditur per receſſum à contrario, & ideo poteſt aliquid creatum inueniri, quo nihil purius eſſe poteſt in rebus creatis, ſi nulla contagione peccati inquinatum ſit, & talis fuit puritas B. Virginis, quæ peccato originali, & actuali immunis fuit; fuit tamen ſub Deo in quantum erat in ea potentia ad peccandum.* hæc S. Thomas. qui etiam in opuſc. 8. dicit: *Exceſſiſſe Angelos quantum ad puritatem, quia non ſolum erat pura in ſe, verùm etiam alijs puritatem procurauit; fuit etiam pura quò ad culpam, & quantum ad triplicem pœnam mulierum.* ita D. Thomas. At ſi contraxiſſet originale, in hoc eſſet Angelis inferior.

S. Tho. in 3. ſen. *Virginem ab originali peccato liberam fuiſſe decet.*

Eſt Templum Salomonis de lapidibus dolatis.
3. Reg. 6.
Pſal. 50.

15 Septimò, Templum Salomonis fuit Virginis figura ampliſſima, vt cap. 5. diximus. quod tamen, vt habetur 3. Reg. 6. de lapidibus dolatis, atque perfectis ædificatum eſt, & malleus, & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in eo, cum ædificaretur. quia ſcilicet in Virgine nulla aſperitas peccati dolanda, vel leuiganda fuit: non ſic in alijs, etiam in vtero ſanctificatis, qui verè dicere poterat: *Ecce in iniquitatibus concepti ſumus*, & propterea opus iſtis fuit à peccato purgari. Verùm de fundamentis templi Salomonis pretioſis Virginis Conceptioni aptatis, ſupra cap. 4. copiosè egimus.

Eſther 15. *Figuratur in Eſther quo ab Aſſuero ſuſtentatur.*

16 Octauò, Eſther 15. Aſſuerus ipſi Eſther (quæ figuram Virginis geſſit in multis, vt ſæpè in hoc opere oſtendemus) dixit: *Non morieris, non enim pro te, ſed pro omnibus lex hæc conſtituta eſt; Accede igitur, & tange ſceptrum, & feſtinus exiliuit de ſolio ſuſtentans*

tant eam vlnis ſuis. Hæc à Deo Virgini dicta piè cogitare poſſumus, lex enim originalis peccati pro alijs fuit, & non pro ipſa, quàm videns caſuram in illud, niſi iuuaretur, feſtinus cucurrit gratia ſua, ſuſtentans eam ne caderet, ſceptrumq; tangendum porrexit, quia ex vi crucis, & paſſionis Chriſti præſeruata eſt. Ideo Bonauentura in 3. ſent. diſt. 3. art. 2. q. 2. citat ſententiam quorundam dicentium, alios poſt caſum erectos, Virginem verò quaſi in ipſo caſu ſuſtentatam ne caderet: & propterea rectè pſal. 45. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, ſanctificauit tabernaculum ſuum Altiſſimus, Deus in medio eius non commouebitur.* cuius rationem ſtatim ſubijcit Dauid: *Adiuuabit eam Deus mane diluculo;* mane quidem adiutus fuit S. Ioannes Baptiſta, & Ieremias in vtero ſanctificati: ſed Virgo ſanctiſſima mane, & diluculo, in ipſa ſcilicet Conceptione, quàm impetus fluminis diuinæ gratiæ lætificauit. & infra eodem pſal. 45. *Poſuit prodigia ſuper terram, auferens bella vſque ad finem terræ,* quia ex Richardo Victorino lib. 2. de Emmanuele cap. 29. In Virgine nullum fuit internum bellum, ſed ſumma pax. Item Deus arcum dæmonis contriuit, confregit arma, & ſcuta combuſſit igni, ne Virgini vnquam nocere poſſent.

Bonauentura. Pſal. 45. Luc. 1. Virgo adiuta mane diluculo. Pſal 45. Richar. Victor.

17 Nonò, Iob. 3. *Expectet lucem, & non videat, nec ortum ſurgentis Auroræ,* quod de nocte peccati originalis intelligit S. Thomas 3. par. q. 27. art. 2. ad 2. cum Bonauentura in ſpeculo B. Virg. cap. 9. & ſic explicat: *Expectet,* inquit, *lucem, ideſt Chriſtum, & non videat, nec ortum ſurgentis Auroræ, ideſt Virginis, quæ in ſuo ortu, ſeu natiuitate à peccato originali fuit immunis.* Sed aliorum iudicio illa vox (Ortus) in hoc propoſito magis congruit ipſi Conceptioni, qua verè Deipara cæpit eſſe, & dicitur ortus in vtero iuxta Bonauenturam in 3. diſt. 3. art. 1. q. 3. ad 2. ad differentiam natiuitatis ex vtero: ſicut etiam Matth. 2. de Chriſto adhuc in vtero Virginis: *Quod enim in ea natum eſt, &c.* Alioquin ſi ſola Virginis natiuitas fuiſſet ſine peccato, nihil peculiare de Virgine dictum eſſet, cum S. Thomas 3. par. q. 27. art. 6. concedat, Sanctos Ioannem Baptiſtam, & Ieremiam in vtero ſanctificatos, atque adeò ſine peccato natos: mirum autem eſſe non debet, dæmonem Virginis conceptionem expectaſſe: nam & Chriſtum omnis ſanctitatis fontem, vt in citata auctoritate explicat S. Thomas, expectare non eſt veritus: *Habet enim fiduciam* Iob. 40 *quod Iordanis, fluuius ita ſanctius, influat in os eius.* & Apocal. 12. *Stabat draco ante mulierem ſole amictam, quæ erat paritura, vt cum peperiſſet deuoraret filium eius:* ſed fruſtra expectauit, ſiquidem contritum eſt caput eius ab hac muliere. Et certè de muliere forti, quæ Virginem ſignificabat, dicitur Prou. 31. *Non extinguetur in nocte lucerna eius;* quia quando alij tenebras patiuntur culpæ originalis, ipſa nunquã fuit extincta, & erat nubes diei, pſal. 77. ideſt tota lucida; de Virgine enim illud explicat Hieronymus in illum pſalmum, & propterea à Cyrillo homil. 6. in Neſtorium dicitur, lampas inextinguibilis, quod ſemper diuina gratia, & charitate fuerit accenſa.

Bonauentura. Dæmõ ne ortum quidem Virginis vidit. Bonauentura. Matth. 2. S. Thom. Iob 40. Apoc. 12. Prouer. 31. Pſalm. 77. Hieronymus. Cyrillus.

His adde dæmones vehementer exhorreſcere hanc myſticam Auroram, hoc eſt Deiparam, non ſecus, ac nocturni adulteri, qui ſuis ſceleribus noctis tenebras prætendunt, & eius, quam corporeis oculis intuemur, Auroræ lucem reformidant, atque odio proſequuntur. ea enim appetente, atque aduentante, ne in ſuis maleficijs deprehendantur, quàm ocyſſime diffugiunt, ſe ſeq; proripiunt. quod de illis egregiè ſic cecinit S. Iob cap. 24. *Si ſubito apparuerit Aurora, arbitrantur vmbram mortis:* quæ verba B. Virgini Auroræ quam ſimillimæ, & dæmonibus, qui eius lucem totis viribus execrantur, ac fugiunt eleganter accommodat S. Bonauentura in ſpeculo cap. 9. Quod ſi dæmones huius ſacratiſſimæ Auroræ lucem tantopere pertimeſcunt; qui fieri potuit, vt eius potiundæ poteſtatem aliquando acceperint? At accepiſſent vtique, eamq; ſub ſuam ditionem profectò pertraxiſſent, nedum in Deiparam aſpiraſſent, ſi originali labe, vel momento temporis aſperſa, imbutaq; fuiſſet. cui quidem rei, quemadmodum dicebamus, reclamat illud eiuſdem Iob vaticinium cap. 3. *Exſpectet lucem, & non videat, nec ortum ſurgentis Auroræ.*

Iob. Iob 3.

18 Decimò, Prouerb. 9. *Sapientia,* inquit, *ædificauit ſibi domum excidit columnas ſeptem:* hæc Domus eſt Virgo (vt cap. 5. diximus) quàm peculiari ratione ſapientia Dei ſibi ædificauit columnis ſeptem ſuffultam, ſeptem ſcilicet donis Spiritus ſancti, vt ait Petrus Damianus, & ratio eſt, quia hæc Domus à Sapientia SIBI, ideſt in propriũ vſum ædifi-

Prouerb 9. Eſt domus à Sapientia ædificata. Petr. Damian.

cata

cata est, & propter hæc dona Spiritus sancti, in quibus tanquam firmissimis columnis
Isa. 2. fundata erat, longè ab ea fuit omnis originalis culpa. Hæc præterea Domus Isa. 2. dicitur esse in monte, scilicet virtutum celsitudine: *Venite*, inquit, *& ascendamus ad montem*
Ezech. 43. *Domini, & ad Domum Dei Iacob*: ideo Ezech. 43. *Hæc est lex Domus in summitate montis, omnis finis eius in circuitu sanctum sanctorum est*, quia beatissimæ Virginis, quæ est Domus Dei in montis summitate, finis, seu terminus à parte ante, vt Scholastici loquuntur, qui est Conceptio, & finis à parte post, nimirum felicissima eius dormitio, & in circuitu, idest tota eius vita, & actiones, sanctum sanctorum, idest sanctissima, & purissima
Prou. 9. fuere. hæc porrò sanctitas à Christo prouenit, nam Sapientia est, quę ędificauit sibi hanc Domum, & excidit columnas septem.

Gen. 28. Et Patriarcha Iacob Genes. 28. euigilans è somno, in quo scalam illam à terra in
Cap. 16. cœlum vsque protensam viderat, quæ Deiparam adumbrabat, vt cap. 16. dicemus, rectè de loco hoc pronunciauit: *Non est hic aliud nisi Domus Dei, & Porta Cœli.* At si Virgo beatissima originali labe fuisset, vel ad breuissimum temporis spatium inquinata, vere aliquando fuisset Domus Dæmonis, ac proinde fuisset aliquando aliud, quam Domus Dei; cuius contrarium Iacob illis verbis significasse videtur. Deiparam verò peculiari ratione domum Dei dici cap. 5. ostendimus.

Et quod rem nostram proprius attingit, subiecit Iacob: *Non esse ibi aliud, quàm Portam cœli;* Porta autem, qua in hunc mundum omnes ingredimur, Conceptio est: Deipara verò, quemadmodum cap. 3. diximus, propter insignem sanctitatem, & cœlestes, quibus fulgebat, prærogatiuas, cœlum meritò appellatur. vt intelligamus ergo non modo vitam eius reliquam extitisse cœlestem, sed Conceptionem quoque à labe peccati, ac tenebris quàm remotissimam, omniq; gratiæ splendore conspicuam; non dubitanter affirmatur eius Conceptio nihil aliud esse, quàm Porta Cęli. At si Deipara originale peccatum contraxisset, quamuis postea per gratiam expiata esset Conceptio eius, tantum abest, vt Porta cœli vllo vnquam tempore appellari posset, vt etiam porta Inferi meritò appellanda effet, quò originale peccatum pondere suo fertur; quouè, nisi Christi gratia eluatur, animam eo infectam pertrahit. Cæterùm Deiparam Portam Cœli iure optimo
Cap. 16. appellari in cap. 16. ex Sanctorum Patrum testimonijs perspicuum fiet.

19 Vndecimò, in Canticis præter ea, quæ huc vsque attigimus, pleraq; sunt, quæ Virginis Conceptioni immaculatæ accommodari possunt; cuiusmodi est illud Cant. 2. *Sicut*
Cant. 2. *lilium inter spinas sic amica mea inter filias*; sola enim Virgo omni spina originalis reEst lilium inter spinas. tus caruit; &, vt ait Petrus Damianus serm. 3. de Natiu. Virg. *De spinosa progenie Iudæo-*
Petr. Dam. *rum nata candescebat munditia virgineæ castitatis in corpore, flammescebat autem ardore geminæ charitatis in mente, flagrabat passim odore boni operis, tendebat ad sublimia intentione continua cordis:* Spina enim, inter quas lilium esse dicitur, & ex quibus rosa originem ducit, Deiparæ prosapiam Patres interpretantur, ex qua ipsa nihil asperum, nihil horridum contraxit; sed tota suauis, atque amæna, non secus, ac lilium, & rosa extitit: quare Sedulius lib. 2. de Virgine sanctissima sic cecinit.

Sedulius.

,, *Et velut in spinis mollis rosa surgit acutis,*
,, *Nil quod lædat habens, matremq. obscurat honore;*
,, *Sic Euæ de stirpe sacra veniente MARIA,*
,, *Virginis antiquæ facinus noua Virgo piauit,*
,, *Sicut spina rosam, genuit Iudæa MARIAM.*

Adam de Sancto Victore. Et Adam de sancto Victore Deiparam sic affatur.

,, *Salue verbi sacra parens,*
,, *Flos de spina, spina carens,*
,, *Flos spineti Gloria:*
,, *Nos spinetum, nos peccati,*
,, *Spina sumus cruentati,*
,, *Sed tu spinæ nescia.*

Basilius. Ambrosius. Quin etiam cum rosa ante peccatum ex Basilio hom. 5. hexameron, & Ambrosio lib. 3. hexam. cap. 11. spinis careret, postea ex spinis nascens asperitatem tamen nullam habet. verba Ambrosij sunt: *Surrexerat antea floribus immixta teneris, sine spinis rosa, &*

pul-

pulcherrimus flos ſine vlla fraude vernabat poſtea ſpina floris gratiam ſepſit. ita ille. Quod in Deiparam optimè quadrat, quæ poſt originale peccatum ex humani generis ſpinis aſperitatem nullam contraxit.

Nec reticendum illud quod ij, qui plantarum naturam inueſtigarunt, de vi, atque efficacitate lilij, qua aduerſus ſerpentes, eorumq; venena pollet, litteris prodiderunt; cum ad illuſtrandum hunc typum, quo Deiparæ conceptio immaculata per lilium adumbrari diximus, maximè faciat Plinius lib. 21. cap. 19. *Radices*, inquit, *lilij multis modis florem ſuum nobilitauerunt contra ſerpentium ictus ex vino, & contra fungorum venena.* hæc ille. Dioſcorides verò lib. 3. cap. 90. vbi agit de lilio: *Folia*, inquit, *herbæ illita, ſerpentium morſibus ſubueniunt, eadem cocta in aqua ignis aduſtionibus, & cum aceto condita vulneribus.* quod ipſum de lilio confirmat Petrus Andreas Matthiolus lib. de plantis cap. de lilio pag. 570. additq; ſemen lilij potum aduerſari ijſdem ſerpentium morſibus. & Guglielmus Rouillius in hiſtoria generali plantarum lib. 15. pag. 1496. hæc eadem refert, quæ Plinius, & Dioſcorides. Idem quoque Dioſcorides lib. 1. cap. 1. de alia lilij ſpecie, quæ latinè iris; italicè verò, lilium cœleſte appellatur, radicem eius cum aceto potam venenatorum animalium morſibus mederi docet: & Petrus Matthiolus in commēt. addit eandem radicem in puluerem contuſam cum aceto potam vniuerſaliter aduerſus omnia venena conferre.

Plinius. *Dioſcorides.* *Petr. Matthiol.* *Gugliel. Rouill.*

Quòd ſi lilium, & præſertim eius radix tantam contra venenata animalia vim habet; qui fieri poterit, vt ſerpentes ſæuum dentem lilio infigant, eiq; virus ſuum infundant? pari itaq; ratione cum Virgo Deipara Cant. 2. lilio inter ſpinas comparetur, quemadmodum Petrus Damianus loco citato, & Ephrem ſermone de laudibus Virginis tradidere (quippe quæ filium gignendo vniuerſis venenis antidotum protulit præſentiſſimū) quis originali veneno à ſerpente primum infuſo, & per Adam in poſteros transfuſo, eam aliquando infectam dicere audebit? ſimili quodammodo ratiocinatione, qua Matth. 5. Dominus vtitur: *Si ſal*, inquit, *euanuerit, in quo ſalietur*; ideſt ex Auguſtino lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 6. *Si vos, per quos condiendi ſunt quodammodo populi, amiſeritis Regna cœlorum, qui erunt homines, per quos à vobis error auferatur?* Adde quia ſi Virgo eſt lilium, Radix huius lilij (cui nominatim antidotum contra ſerpentes ineſſe traditur) eiuſdem reſpondet conceptioni, quæ totius vitæ veluti radix eſt, & principium. Ex quo facilè colligimus ipſam, quæ delecta erat ad gignendum eum, qui Dæmonum venena curaturus aduenerat, omnis veneni ſingulari Dei priuilegio in Conceptione expertem fuiſſe, id quod in lilij typo non obſcurè expreſſum videtur: ideoq; inter ſacratiſſima myſteria vitæ Deiparæ (cuius precibus, & meritis nos ad regna cœlorum à Deo perduci ſolemni oratione precatur Eccleſia) Conceptio eius ab eadem Eccleſia populo chriſtiano celebranda proponitur: fideles enim ad Deiparæ opem confugientes, per hanc conceptionem, tanquam per myſticam lilij radicem, à veneno, & peccati contagione liberam contra tartarei ſerpentis ictus, ac tentamenta remedium à Deo ſibi impetrandum exiſtimant. Nec illud ſignificatione vacat; Radicem hanc lilij ex vino, vt dicebat Plinius, venenatis morſibus auxiliari: vinum enim in ſacris litteris plerumque Chriſti ſanguinem ſignificat in torculari crucis ex corpore Chriſti, qui eſt vitis vera, expreſſum; in quo omnis Sanctorum interceſſio nititur. Nam ex ſacro Concilio Tridentino ſeſſ. 25. cap. de ſanctorum inuocatione ad ſanctorum orationes, opemq; confugimus ob beneficia impetranda à Deo per filium eius Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui ſolus noſter Redemptor, & Saluator eſt; quem inquit Apoſtolus ad Rom. 3. *Propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius.* Hinc eſt, quòd Eccleſia ab ipſo Chriſto Ioan. 14. edocta; collectas omnes, quibus per Deiparæ, vel ſanctorum interceſſionem Dei miſericordiam implorat, concludit clauſula illa nobis ſuauiſſima, & apud Patrem efficaciſſima, *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum.*

Lilium vim habetur contra venenata animalia. *Matth. 5.* *Auguſtinus.* *Plinius.* *Concil. Trident.* *Rom. 3.* *Ioan. 14.* *Offic. Eccleſ.*

20 Adhæc eius conceptio ab Eccleſia vniuerſo mundo gaudium annunciaſſe canitur, quoniam ex ea ortus eſt ſol Iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter; eiuſdem quoque Conceptionis votiua ſolemnitas pacis incrementum, vt tribuat ab ipſo Deo per Ieſum Chriſtum ſuppliciter flagitamus: quale porrò gaudium hæc conceptio nobis annunciare potuiſſet, ſi Deipara in mœrore, & tenebris peccati originalis à diuinæ gratiæ luce aliena

B. Virg. Conceptio vniuerſo mūdo gaudium. Officium Eccleſ.

fuiſſet

fuiſſet concepta? cum quilibet originali labe inquinatus quandiu meritis Chriſti non iuſtificatur, illud Tobiæ ſpiritualiter vſurpare poſſit: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video?* ſimiliter quale pacis incrementum per conceptionem eius ſperare poſſemus, ſi in ipſa Conceptione Deipara contra Deum inimicitias, & bellum (quæ in peccato originali neceſſariò inuoluuntur) geſſiſſet? Maneat igitur huius ſacratiſſimi lilij radicem, qua Deiparæ conceptio ſignificatur, omni veneno caruiſſe, & inuocatam venenatis morſibus per Chriſtum potenter auxiliari. Huius autem gaudij, quo in Virginis conceptione mundus eſt perfuſus, meminit Dauid pſal. 47. Agens enim Deipara, cui ille Pſalmus, vt cap. 14. dicemus conuenit, ſic ait: *Fundatur exultatione vniuerſæ terræ Mons Sion latera Aquilonis Ciuitas Regis magni*. quomodo autem fundata dicatur ad latera Aquilonis contra dæmonis inſultus cap. 24. oſtendemus.

Tobiæ 5.

Pſalm. 47.

Cap. 14.

Cap. 24.

Cant. 4. Eſt turris Dauid cum propugnaculis.

Duodecimò, huc ſpectat illud Cant. 4. quod Eccleſiæ dicitur: *Sicut Turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium:* Virgo enim in corpore myſtico ſanctæ Eccleſiæ per collum ſub Chriſto capite ſignificatur, vt cap. 16. dicemus; Hoc porrò collum aſſimilatur turri inexpugnabili cum ſuis propugnaculis ædificatæ, quæ non tantum ab hoſtium incurſu propugnari, & defendi poteſt, & ideo ab originali culpa expugnari non valuit: ſed etiam omni armorũ genere, quibus fortiſſimi milites vtuntur, ita eſt inſtructa, vt inde ad oppugnãdos, & debellandos hoſtes abundè fidelibus arma ſuppeditari poſſint; mille enim clypei pendent ex ea omnis armatura fortium. neque hoc eſt nouum in Virgine, nam Pſal. 44. de Regina à dextris Dei, vbi in ſeptuaginta dicitur, *aſtitiſſe in veſtitu deaurato circumdata varietate*, S. Hieronymus vertit: *Faſcijs aureis veſtita eſt; in ſcutulatis ducetur ad Regem*; quia adhuc tenera in vtero matris veluti faſcijs aureis charitate circumdata erat, in veſtibus ſcutulatis; ſcutulis ſcilicet diſtinctis, quibus quaſi ſcutis munita à iaculis originalis culpæ lædi non potuit. Hæc turris miræ puritatis ab omni nigredine, quàm remotiſſima fuit: propter hunc enim candorem dicitur pſalm. 44. *A domibus eburneis ex quibus delectauerunt te filiæ Regum in honore tuo*: & Cant. 7. *Collum tuum ſicut turris eburnea*: quibus verbis Rupertus in hunc locum docet fortitudinem Deiparæ pulcherrimam, indicari: fuit enim inſtar turris eburneæ, aſpectu amabilis Deo, & ſtatura fortis, ac diabolo terribilis, & inacceſſibilis. Hailgrinus verò in eundem locum obſeruat in turri ſignificari refugium miſerorum; in ebore verò præter candorem caſtitatis, & firmitatis conſtantiã, indicari perpetuam Virginis cùm dæmone pugnam: Ebur enim eſt os elephantis, qui naturalem cum dracone habet inimicitiam. hæc ex illo.

Pſalm. 44.

Hieronymus.

Eſt turris Eburnea. Cant. 7.

Rupertus.

Hailgrinus.

Cant. 4.

Decimotertiò, illud etiam Cant. 4. quod S. Thomas loco citato Virginis ſanctificationi accommodat: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*, rectè in Conceptionem immaculatam cadit; præſertim ſi verba, quæ præcedunt, expendamus: dicitur enim, *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*, & ſtatim ſubijcitur: *Tota pulchra es, &c.* Quaſi dicat, mecum reputabo præſtantiam Chriſti, qui eſt veluti mons myrrhæ propter humanitatem amaritudini paſſionis ſponte expoſitam: eſt etiam collis thuris, quod in Dei honorem incenditur propter diuinitatem; & vbi Chriſti dignitatem infinitam conſiderauero, non dubitanter pronunciabo de Matre, quòd omni culpa etiam originali vacet, dicamq; *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*: talem enim filium mater abſq; omni prorſus macula decebat, cui propterea aptari ſolet illud, quod de diuina ſapientia effertur Sap. 7. *Speculum ſine macula*. Quare Idiota, qui ante aliquot annorum ſecula vixit in contemplatione Virginis cap. 2. *Tota*, inquit, *pulchra es Virgo glorioſiſſima, non in parte, ſed in toto; & macula peccati ſiue mortalis, ſiue venialis, ſiue originalis non eſt in te*. hæc ille.

Quomodo de Chriſto dicatur Cant. 4. *Vadam ad montem myrrhæ, & collem thuris.*

Sap. 7.

Idiota.

Cant. 4.

Nec quemquam moueat, quòd myrrhæ attribuat montem, thuri verò collem, qui monte eſt inferior. Theodoretus enim in illum locum, per myrrham Chriſti mortem, per thus autem eiuſdem gloriam accipiens (quod pariter ad explicandum, quod volumus eſt accommodatiſſimum) id ad myſterium profundiſſimum tantæ Chriſti humilitatis in atrociſſima, ac ignominioſiſſima paſſione ſuſceptæ referendum cenſet his verbis: *Quærendum eſt igitur cur montem de morte loquens dixerit, Collem autem de gloria? quia illud tam excelſum, atque arcanum eſt, vt ab homine animo, & cogitatione nequeat*

Theodoretus.

compre-

comprehendi: vt autem ad gloriam rediret, & clarificaretur ea gloria, quam habuit antequam mundus fieret, id verò nec magnum, nec laboriosum, imò facile admodum fuit. hæc Theodoretus: simili quoque ratione si per thus diuinitatem Christi intelligamus dicere possumus in Christi crucis mysterio cognoscendo maximam difficultatem passos Iudeos pariter, ac Gentiles: ideoq; Apostolus 1. Cor. 1. *Prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Iudæis, atque Græcis Christum Dei virtutem, atque sapientiam.* & cap. 2. *Loquimur Dei sapientiam, quæ in mysterio abscondita est;* hinc est quòd myrrhæ accommodatur mons; thuri autem collis. 1. Cor. 1.

21 Decimoquartò, Cant. 6. *Pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut Ierusalem;* cuius Ierusalem fundamenta psal. 86. *In montibus sanctis* esse dicuntur; in culmine videlicet aliorum Sanctorum, inde enim quo sancti peruenere, in conceptione incepit Virginis sanctitas; cuius ratio ibidem assignatur: *Diligit enim Dominus portas Sion,* idest Virginis conceptionem; qua Virgo veluti per portam ingreditur mundum; *super omnia tabernacula Iacob,* plusquàm alios sanctos: quem locum cap. 4. vberius expendimus, & ad rem præsentem rectè referri potest, & psal. 146. vt intelligamus has portas, idest Conceptionem Virginis, non superabiles, & nulla culpæ labe effringendas, habetur: *Quoniam confortauit seras portarum tuarum,* ne hostis perrumpere posset, de qua Ciuitate Isa. 37. in figura Virginis dicitur: *Hæc dicit Dominus de Rege Assyriorum, non intrabit Ciuitatem hanc, & non iaciet ibi sagittam:* neque enim sagittam peccati originalis eum permisit Deus in Virginem iaculari, cuius arcum contritum diximus ex psal. 45. Adde inter alia, propter quæ Virgo dicitur *Ciuitas Dei, & Ancilla Dei,* illud est, quia nullum alium Dominum vnquam agnouit, quem tamẽ habuisset si originale peccatum contraxisset: quomodo ergo tanta dignitate Virginem priuabimus? & hoc beneficium agnoscit Virgo in illis verbis, quæ vt cap. 14. dicemus, eidem accommodantur Prou. 8. *Dominus possedit me in initio viarum tuarum,* quia sine vlla rebellione, vel contradictione perpetuò Deus illam possedit.

Cant. 6. *Virginis sanctitas in Conceptione aliorum Sanctorum culmen exæquebat.* *Psal. 86.* *Psal. 146.* *Isai. 37.* *Psal. 86.* *Luc. 1.* *Cap. 14.* *Prou. 8.*

Decimoquintò, 1. Mach. 4. legimus Iudam Machabæum cum alijs altari holocaustorum, quia contaminatum fuerat à gentibus, ne fortè esset illis in opprobrium, vti noluisse: sed acceperunt lapides integros, & ædificauerunt altare nouum secũdum illud, quod fuit prius: quantò magis Dei filius noluit in matrem accipere eam, quæ per peccatum fuisset contaminata, ne in eius opprobrium cederet; nam, vt ait S. Thom. 3. par. q. 27. art. 4. *Sicut gloria filiorum patres eorum.* Prou. 17. Ita per oppositum ignominia matris ad filium redundaret; & ideo negat Virginem peccasse venialiter: eadem prorsus ratione infero, neq; contraxisse originale, sed omni nouitate gratiæ, nouam sine vlla vetustate veteris Adæ Christo filio fuisse præparatam tanquam *altare sanctissimum, & animatum,* sic enim eam vocat Methodius in hypapantem.

Nouum altare Domini Maria. *1. Mach. 4.* *S. Thom.* *Prouer. 17.* *Methodius.*

Decimosextò, Apoc. 12. *Factum est prælium magnum in cœlo Michael, & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius, & non præualuerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in cœlo.* hæc Apoc. verba S. Prosper opusc. de dimidio temporis cap. 3. Scholastici item cum Magistro in 2. sent. dist. 6. & S. Thom. 1. par. q. 63. art. 8. ad prælium illud, quod olim in cœlo empyreo gestum est, cum Lucifer inde est deiectus, referunt; quin etiam ijdem Patres, qui ea de prælio, quod in Ecclesia, quæ, cœlum, quoque dicitur, sub mundi finem tempore Antichristi futurum est, intelligunt; fatẽtur etiam simile prælium sub Angelorum creationem commissum fuisse, cui certè verba hæc aptissimè accommodantur. Quo posito, cum Lucifer superbia elatus ad multa aspiraret, sed peculiariter suum Thronum super astra collocare, & in monte testamenti sedere affectaret, in eaq; verba prorumperet, quæ apud Isa. cap. 14. ex eius persona sub typo Regis Babylonis pronunciantur. *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* S. Michael diuini honoris propugnator acerrimus, indignissimè id, vt par erat, ferens, vna cum suis Angelis (quemadmodum ex Apoc. c. 12. dixi) illum cum eius assecla è cœlo turpissimè deturbauit. Quocirca, si tot, tantæq; inter Angelicarũ legionum agmina contentiones, concertationesq; extitere, ne Satanas momento quidem temporis suæ sedis fastigium super astra poneret, nevè in monte testamenti

Ab originali peccati labe omnino immunis Deipara. *Apoc. 12.* *S. Prosper.* *Magister sententiarum.* *S. Thom.* *Isa. 14.* *Apoc. 12.*

ſederet;qui credi poterit,eundem poſtmodum S.Michaelis virtute iam proſtratum,atq; è cœlo deiectum,permiſſum,vel tantillo temporis ſpatio in loco multo ſublimiori,quam ſuper aſtra ſolium ſuum ſtatuere,& in longè pręclariſſimo teſtamenti monte conſedere, hoc eſt in ipſa Virgine Deipara,quam non tantum Dominam excelſam ſuper ſidera, vt canit Eccleſia, ſed inter puras etiam creaturas longè celſiſſimam in ſuperioribus capit. ſatis demonſtrauimus,& montem Dei ſacratiſſimum, eiuſdemq; Thronum eſſe animatum cap.5.oſtendimus. At verò ſuper eam ſolium ſuum collocaſſet vtique Satanas, in eaq; conſediſſet, ſi illam in eius Conceptionis primordijs originaria labe aſperſam in ſuum ius,poteſtatemq; redegiſſet.Et hęc de gratia,qua Deipara ab omni originalis peccati labe immunis fuit.

Officium Eccl.

DEIPARA SINGVLARITER CONFIRMATA IN gratia in ſui Conceptione.

B. Virgo in ſua Conceptione fuit confirmata in gratia,vt ne venialiter quidem vnquam peccaret. Concil. Triden.

22 QVòd autem attinet ad confirmationem Deiparæ in gratia,certum eſt eam in ipſo conceptionis ſuæ immaculatæ articulo talia gratiæ, & virtutum dona,atq; habitus perfectiſſimo,atq; heroico modo accepiſſe;talia quoque auxilia ſpecialia,& actualia cum ſingulari Dei protectione ex eo tempore illi contributa fuiſſe,vt ſpeciale priuilegiũ nulli hominum,quantumuis ſancto,conceſſum habuerit,infallibiliter vitandi omnia peccata etiam venialia,vt teſtatur Sac.Concil.Trid.ſeſſ.6.can.23.& hoc eſt,quod docet S. Thomas 3.par.q.27.art.6.ad 1.cum dicit B.Virginẽ à Deo in matrem electam ampliorem ſanctificationis gratiam obtinuiſſe,quàm Ioan.Baptiſtam, & Ieremiam ſanctificatos in vtero:*Cuius ſignum*,inquit,*eſt quod B.Virgini præſtitum eſt,vt de cætero non peccaret, nec mortaliter,nec venialiter, alijs autem ſanctificatis creditur præſtitum eſſe,vt de cætero mortaliter non peccarent,diuina eos protegente gratia*. ita S.Thomas. Item in 3.diſt.3. q.1.art.2.quæſt.3. in corp. *In prima*,inquit,*ſanctificatione Virgini gratia collata fuit ad bonum efficaciter liberum arbitrium inclinans,quamuis non eſſet ſufficiens ad tollendam flexibilitatem liberi arbitrij in malum,quàm etiam homo in primo ſtatu habuit:in ſecunda verò ſanctificatione gratia ſuperaddita fuit,quæ ita potentiam liberi arbitrij impleret, vt in contrarium flecti non poſſet,non quidem tollendo naturam libero arbitrio,ſed defectum: ſicut materia cœli ex eo,quòd ſubſiſtit,formæ, quæ omnem priuationem ab eo excludit, non eſt in potentia ad corruptionem*.& in ſolut.2.docet:*Tantã gratiam ei fuiſſe infuſam quando concepit filium Dei,vt ablata ſit ei potentia peccandi*.Ita S.Thomas,qui, vt ait Suarez, videtur velle Virgini in prima ſanctificatione datum, vt nunquam peccaret: ſed in filij Conceptione additum eſſe,vt nec peccare poſſet.& certè verba S.Thomæ hoc indicant; & ſanè nihil aliud ſibi vult S.Thomas, quàm fomitem in prima ſanctificatione Virgini fuiſſe ligatum,& in conceptione filij Dei omninò extinctum,vt habetur 3.par.q.27. art. 4.ad 1.de quo mox agemus: hoc tamen non impedit,quin ex mente S.Thomæ etiam in prima ſanctificatione fuerit confirmata in gratia, adhoc vt nunquam, ne venialiter quidem,peccaret;ad quod ſatis eſt accepiſſe à Deo infallibiliter hoc priuilegium,quod cõcedit in Virginẽ art.6.ad 1.Nam & alij ſanctificati in vtero apud S.Thomam eodẽ loco cenſentur cõfirmati in gratia ne peccent mortaliter: quare licet B.Virgo liberè impleret præcepta;tamen in ſenſu compoſito ex mente S.Thomę cum illa gratia,& auxilijs peccare non poterat.quod ſua proportione commune eſt cum alijs confirmatis in gratia, quibus confertur non peccare mortaliter: ſed in Virgine fuit excellentius, quia erat priuilegium ad vitandum etiam omnia venialia collectiuè, & hoc priuilegium dixit Suarez tom.2.in 3.par.diſp.4.ſect.4.eſſe idẽ cum confirmatione in bono:addit tamen Suarez,Virginem non fuiſſe minus impeccabilem in prima ſanctificatione,quàm fuerit poſt ſecundum ſanctificationem,quam adepta eſt cum concepit Dei filium:niſi dicas poſt Incarnationem fuiſſe magis impeccabilẽ,quia iam actu habebat dignitatẽ matris Dei, cui velut ex natura rei debita erat hæc gratia confirmationis: ante Incarnationẽ verò Deus perfectioni ſuæ ſapientiæ,ac prouidentiæ veluti debebat illam Virgini conferre,quam in matrẽ ſuam prędeſtinauerat.Ita ex Suarez.Hanc porrò Virginis confirmationẽ in gratia licet in modo eã explicandi non oẽs conueniant;in re tamen eam affirmant non ſolũ

S. Thom. Luc.1. Ierem. 1.

S.Thom.

Suarez

S. Thom.

Suarez.

Virgo fuit impeccabilis ab inſtanti ſuæ Conceptionis.

Doctò-

Doctores,qui ſine originali labe eam conceptam exiſtimant;ſed ij ēt,qui ſecus ſentiunt, eamq; confirmant ex conſenſu,& traditione Eccleſiæ,vt ait Suarez ſect.3.quæ hoc modo intelligit plenitudinem gratiæ Virginis. & ex rationibus item,& Patrum teſtimonijs, quorum aliqua ſupra attulimus: Eccleſia præterea cum Virginis Conceptionem, & Natiuitatem celebrat,arbitratur eam tunc habuiſſe ſanctitatem,quæ non poterat amitti;ſolemni enim ritu eam ſanctitatem veneratur, quæ eſt perpetuò duratura. Hanc Virginis impeccabilitatem ligna ſetim ob imputribilitatem tantopere celebrata ſignificabant,ex quibus conſtabant arca fœderis, & menſa panis Exod.25. quæ Virginem,vt dixi capite quinto, adumbrabant. Quàm impeccabilitatem Regius Propheta pſalm. 45. illis verbis prædixit: *Deus in medio eius non commouebitur*; & quaſi reddendo rationem ſubijcit: *Adiuuabit eam Deus manè diluculo*; nimirum ſtatim initio; quo indicat auxilium opportuno tempore, nimirum in ipſo puncto immaculatæ Conceptionis eidem Virgini conceſſum.

Suarez.

Offic. Eccleſ.

Virginis impeccabilitas variè ſignificatur.

Exod. 25.

Pſalm. 45.

Ex quibus præſtantiam ſanctiſſimæ Virginis intelligere poſſumus, ſiquidem Clemens Alexandrinus lib.1.pedago. cap.2. *Optimum*,inquit, *eſt nullo modo peccare penitus,quod quidem Dei eſſe dicimus*.& Nazianzenus orat.4.*Eum*,inquit,*vitæ ſtatum,qui omni prorſus peccato vacat,Deus ſupra humanæ naturæ modum conſtituit*. Et tamen ſingulari priuilegio Virgini hoc eommunicare voluit.

Virginis ex impeccabilitate præſtantia.

Clem. Alexan.

Nazianzenus.

23 Ex dictis infero, vt initio huius capitis dicebamus, à Virgine, quod quidem pertinet ad hanc firmitatem, qua proximè Deo ſemper adhæſit,non ſolum homines ſanctitate præclaros,ſed etiam Angelos omnes,antequam illi beatitudinem conſequerentur, longè fuiſſe ſuperatos: nam licet aliqui inſignes Sancti confirmati fuerint in gratia, vt pote Apoſtoli in die Pentecoſtes; omnes tamen originale peccatum contraxerunt,& à venialibus etiam poſt confirmationem in gratia, non fuere immunes, ex Tridentino Conc. ſeſſ. 6. cap. 11. Angeli quoque Sancti dum erant in via, vt Theologi ſcholaſtici loquuntur,antequam per beatitudinem confirmarentur in bono, licet non peccauerint ex dono gratiæ efficacis, & perſeuerantiæ à Deo ipſis collato, vt ex Auguſtino colligitur 12. de Ciuitate cap.9. & Gregorio lib. 34. moralium cap. 37. tamen non dicuntur confirmati, vt colligitur ex S.Thoma 1.par.quæſt.95.art.1. ad 3. & ex Alberto, vt dicemus, ſicuti fuit Virgo ſanctiſſima, quæ non tantum ex ſingulari beneuolentiæ ſtudio, quo eam Deus proſequebatur; ſed etiam quia futura erat Mater Chriſti immaculata, ampliſſimam firmitatem, ac in Deo ſtabilitatem, ſeu confirmationem in gratia per dona ſpecialia copioſiſſima ab ipſo Deo eſt adepta. Huc ſpectat, quod ex Alberto Magno affert ſanctus Antoninus 4.par.tit.15. cap.44. §.9. vbi probat charitatem Virginis fuiſſe magis inceſſabilem,vt ipſe dicit,charitate Seraphim his verbis:*Inceſſabilitatem*, inquit, *habuit B. Maria ſuper Seraphim, quod ſic probat Albertus. Magis inceſſabile eſt quod non ceſſat,nec poteſt modo ceßare, nec vnquam potuit ceßare, quàm quod non ceſſat, nec poteſt ceſſare, ſed tamen potuit aliquando ceßare: ſed charitas Seraphim, & ſi non poteſt modò,potuit tamen aliquando ceſſare, ſcilicet in prima eorum conditione. quod patet per exemplum Luciferi,qui ſecundum Beatum Gregorium ſupremus fuit de ordine Seraphim,qui à charitate ſibi collata cecidit de cœlo: ſed charitas B. Mariæ nunquam potuit ceßare; quod oſtenditur per hoc, quia charitas non poteſt ceſſare, niſi per mortale peccatum; ſed nunquam potuit peccare mortaliter, quia in vtero ſanctificata antequam poſſet peccare per ipſam ſanctificationem ita fuit confirmata in gratia, & charitate, quod poſtea peccare non potuit etiam venialiter, vnde nec amittere charitatem, quod tamen potuerunt Seraphim agere, & de facto aliqui amiſerunt, ſcilicet Luciſer cum ſuis, ergo Beata Maria in hoc omnes excellit*. huc vſque ſanctus Antoninus ex Alberto Magno. Quid tamen addat donum confirmationis in gratia Virgini in tanta plenitudine collatum,vt ne venialiter quidem peccare potuerit,ſupra donum perſeuerantiæ efficacis Angelis ſanctis conceſſum, cum quo in ſenſu compoſito infallibiliter non poterant à gratia finaliter excidere, non eſt huius loci docere,videndi ſunt Theologi in 1.2. & Suar.lib. 3.in primam partem cap. 10.

Virgo Angelos, & ſanctos in impeccabilitate ſuperat.

Triden. Concil.

Auguſtinus.

Gregorius.

S. Thomas.

Albertus.

Ratio Alberti ea inceſſabilitate charitatis.

Albert. Magn.

S.Antoninus.

B. Gregorio.

FOMES IN DEIPARA A SVA CONCEPTIONE EXTINCTVS.

Fomes quid sit, & quando fuerit in Virgine extinctus.

24 CIrca fomitem verò quando in Virgine fuerit extinctus ſuppono ex 1.2. Fomitem, ſeù concupiſcentiam eſſe appetitum ſenſitiuum iuſtitia originali, vel ſimili dono ſupernaturali non cohibitum, ſeu refrenatum, quatenus inordinatè, & abſque rationis conſenſu ſenſibilia interdum appetere poteſt; quæ concupiſcentia aliquando ab Apoſtolo appellatur peccatum Rom. 7. *Quod habitat in me peccatum;* non quòd verè in renatis ſit peccatum, ſed quia, vt docet ſacrum Concilium Tridentinum ſeſſ. 5. *Ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat.* quod docuerat Auguſtinus lib. 1. de nuptijs, & concupiſcentia cap. 23. & eſt relicta in baptizatis ad agonem: *Qui enim legitimè certauerit, coronabitur.* Hæc eadem concupiſcentia à Magiſtro ſent. in 2. diſt. 30. dicitur: *Lex membrorum*, iuxta illud Rom. 7. *Inuenio in membris meis aliam legem repugnantem legi mentis meæ;* dicitur, *languor naturæ, & tyrannus.* quod idem docuit Auguſtinus ſerm. 12. de verbis Apoſtoli, vbi de hac concupiſcentia loquens: *Ego*, inquit, *quicquid in me rebellat aduerſus mentem meam, & litigat mecum delectatione contraria omninò interficere volo. Etſi ei fortè adiuuante Deo non conſentiam, nolo habere cum quo litigem, multum eſt mihi optabilius inimicum non habere, quàm vincere.* hæc Auguſtinus.

Rom. 7.
Conc. Trid.
Auguſtinus.
Magiſt. ſent.
Rom. 7.
Auguſtinus.

His præmiſſis omnes Theologi conſentiunt, in Virgine ex diuina gratia, & peculiaribus auxilijs, nunquam fuiſſe actum fomitis, cùm dicat aliquid indecens, & inordinatum præueniens rationem. vt propterea Richardus Victorinus lib. 2. de Emmanuele cap. 29. illud pſalm. 45. *Venite, & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram, auferens bella vſque ad finem terræ.* de Virgine explicet: *Quæ eſt*, inquit, *terra iſta, de qua bella omnia fine tenus auferuntur, niſi illa, de qua idem Propheta, Veritas de terra orta eſt, de hac terra omnis pugna tollitur, in hac pax plena reparatur*, & cap. 31. *In cæteris*, inquit, *Sanctis magnificum habetur quod à vitijs non poſſint expugnari; In Virgine mirificum videtur, quòd à vitijs non poteſt ipſa, vel in modico impugnari.* hæc ille.

Richar. Vict.
Pſalm. 45.
Pſalm. 84.

Fomes qua ratione Virgini ſublatus.

25 Difficultas tamen eſt quomodo fuerit ſublatus. qua in re S. Thomas 3. par. quæſt. 27. art. 3. in corp. & art. 4. ad 1. cum Richardo à S. Victore cum Alberto, & Bonauentura, dicit, fomitem in Virgine per abundantiam gratiæ in prima ſanctificatione acceptam, & perfectius per diuinam prouidentiam ſenſualitatem ab inordinato motu prohibentem remanſiſſe ligatum: ſed quando Chriſtum concepit tunc omninò fuiſſe extinctum. Ratio eius eſt, quia non decuit aliquemodò à fomite totaliter liberari, donec Chriſtus carnem ſanctam acciperet, ſicut ante Chriſtum nullus hominum ad gloriæ beatitudinem eſt admiſſus. At verò contrarium ſentit Alenſis in 3. par. quæſt. 9. memb. 2. art. 5. vbi docet in prima ſanctificatione purgatam Virginem à fomite, ita quod nihil in perſona ſua remanſerit purgandum. Cum Alenſi conſentit Scotus, Gabriel, Almaynus, Mayro, qui in ſermone de B. Virgine dicit fomitem in Virgine non ſolum fuiſſe extinctum, ſed etiam vt perfectam eius extinctionem indicet, fuiſſe ait eradicatum. conſentit etiam Suarius tom. 2. in 3. par. diſputat. 4. ſect. 5. & Barrada lib. 6. cap. 3. & hæc ſententia mihi maximè probatur; Dignitati enim Deiparæ magis congruit: ſi enim Deus optimus fomitem in Virgine impedire voluit in actu ſecundo, vt Theologi loquuntur, cur reliquiſſet in actu primo? qui ſonat aliquid imperfectum, & de ſe, niſi impediatur, ad malum inclinat, quo carere optabat S. Auguſtinus, vt dixi. Nam ex D. Thoma in 2. diſtin. 32. q. 1. art. 1. ad 4. ſimpliciter loquendo, melius eſt homini fomite carere, quàm ipſum habere, ſed quo ad aliquid, & quantum ad aliquem ſtatum hominis expedit, ne in ſuperbiam elatus cadat. Præterea iuxta illud Anſelmi cap. 18. de conceptu Virg. *Decuit Virginem ea puritate nitere, qua maior ſub Deo nequit intelligi.* Deinde Virgo in ſua immaculata Conceptione accepit virtutes per ſe infuſas, & ſeptem dona Spiritus ſancti, in quibus tanquam *in ſeptem columnis firmiſſimis Prouerb. 9. ædificata eſt*: accepit præterea virtutes morales, & per accidens infuſas valdè perfectas, vt rectè probat Suarez diſputat. 4. ſectio. 2. quibus appetitus ſenſitiuus intrinſecè perficitur, & adiuncta Dei prouidentia per ſua auxilia, vt concedit ſanctus Thomas artic. 3. perfectiſſimè ordinabatur. Hinc infero fomitem omninò fuiſſe extinctum. Quòd ſi contendas aliquid aliud requiri, illud dicimus ab initio collatum Virgini, vt iſte tyrannus,

Scotus. Gabriel. Almaynus. Mayro. Suarius. Barrada.
S. Auguſt. S. Thom.
Anſelmus.
Prouer. 9.
Suarez.
S. Thom.

vt iſte tyrannus,& hæc concupiſcentia,de qua Apoſtolus ad Rom.7. *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore,vt obediatis concupiſcentijs eius;* in Virgine non ſolum non regnarit,ſed ne habitarit quidem,vt animaduertit Richardus loco citato. Ad hæc, in ſententia illorum,qui negant Virginem cum originali labe conceptam,multò magis hoc affirmandum eſt,vt ſicuti ex Domo Saræ eiecta eſt ancilla Agar cum filio; ita à Virgine peccatum originale cum filio ſuo,qui eſt fomes, diuinitus ſit excluſum. Atque hoc tantùm abeſt,vt Chriſti dignitati aliqua ex parte deroget,vt efficaciam meritorum eius, & charitatem erga illam, quam ſibi in matrem elegerat,magis commendet: ſicuti enim anima Virginis peccatum originale non contraxit ante Chriſti Incarnationem, non tamen ſine meritis Chriſti,idem de carne Virginis ab omni fomite ab initio liberata dicimus:nec eſt idem de perfectione gloriæ,quæ ſpectat ad terminum, in quo primus omnium Chriſtus in anima,& corpore conſtitui debuit:hæc autem fomitis extinctio eſt perfectio accommodata viatori,atque adeò ei communicabilis.

Rom.7. Richardus. Notandum exemplum Gen.21. Fomitis extinctio in Virgine nõ derogat Chriſti excellentiam

DVBITATIVNCVLA, AN DEIPARA Iuſtitiam originalem habuerit.

26 VLterius quærat quiſpiam, num fomes in Virgine fuerit extinctus per donum iuſtitiæ originalis? hoc autem petit quæſtionem illam,num Virgini in ſua immaculata Conceptione tributa fuerit iuſtitia originalis,de quo agit Suarez diſp.4. ſect.6. & Barrada lib.6.cap.3.& citant nonnullos graues auctores,quorum aliqui ſolum indicant,alij expreſsè ſentiunt,Virginem habuiſſe iuſtitiam originalem.

Num Deipara habuerit iuſtitiam originalẽ. Suarez. Barrada.

Ad quod breuiter dico,Iuſtitiæ originalis tres fuiſſe effectus ex D.Thom.1.par.q.95. art.1.vt ſcilicet per eam ratio ſubderetur Deo,rationi autem vires inferiores, & corpus animæ. Virgini ergo datum fuit donum originalis iuſtitiæ,non ex vi ſuæ originis,ſed ex ſingulari priuilegio quò ad præcipuos,& quaſi formales effectus eius,qui ſunt, ſubdere rationem Deo,& potentias inferiores rationi: atque ita per hoc donum fomes extinctus fuit. Quantùm verò ad mortem,& ſimiles pœnalitates, quæ de ſe non inclinant ad malum,quas etiam Chriſtus aſſumpſit,vt docet D.Thomas q.27.art.3.ad 1.has Virgo habuit,vt filio eſſet ſimilis,& ne careret magno merito ex earundem perpeſſione, vt pluribus explicat Suarez. Atque hæc dicta ſint de Virginis ſtabili in Deo firmitate.

S. Thom. Virgo habuit originalem iuſtitiam,quò ad præcipuos effectus. S. Thom. Suarez.

VIRGO SANCTISSIMA DEIPARA PRAE ALIIS PVRIS creaturis Deum in ſe excepit, atque ad homines detulit, eiq. maximè vicina fuit, tùm ante Chriſti Incarnationem, tùm præcipuè in ipſa Incarnatione, cum ex ea Chriſtus Dominus corpus ſuum, quod in cruce pro nobis eſt immolatum, & in ſanctiſsima Euchariſtia nobis exhibetur ſuſceperit. Cap. VIII.

SVMMARIVM.

Deiparæ ſanctitas ante Chriſti incarnationem, & quomodo Deo ex voto conſecrata fuit in templo. num. 6.

Deiparæ cum Chriſto vicinitas in incarnatione, & de admirabili myſterio Incarnationis. num. 13.

Chriſti humanitas ſacratiſſima veſtimenti metaphora ſignificatur. nu. 18.

Corpus Chriſti, quod in Euchariſtia exhibetur, in Incarnatione ex Deipara formatum. num. 19.

IERTIA Thronorum Angelicorum ad materiales ſedes (vt loquitur S. Thomas)conuenientia in eo poſita eſt,teſte Dionyſio cap.7. cœl.hierar. & S.Thoma 1.par.q.108. art.5.ad 6. & art.6. quia ſedes ſuſcipit ſedentem, qui in ea deferri poteſt, nihilq; ſedenti vicinius eſt ſua ſede: quod quidem in Thronis,qui ſunt tertius ordo ſupremæ hierarchię,vt explicãt locis citatis Dionyſius, & S. Thomas, reperitur. Hoc verò totum ſingulari ratione præ

S.Thom. Dionyſius. Dionyſius. S. Thom.

omnibus puris creaturis, quamuis Virgini Deiparæ ineſſe ita in confeſſo ſit apud omnes, vt probatione non egeat; atque adeò ex hac parte ſedis Dei nomen illi ſingulari ratione iure optimo ſit tribuendũ: nihilominus tamen cum hoc eximias Deiparæ laudes contineat, in eiuſdem honorem in præſentia accuratè id mihi oſtendendum exiſtimaui.

S. Thom.

Cur dæmonibus Thronorum nomen nunquam tribuatur.

Pro cuius declaratione illud præmitto; Thronos Angelicos adeò familiariter ex D. Thoma 1. par. q. 108. art. 6. ſuſcipere Deum, vt in eis inhabitare dicatur: imò hæc inhabitatiõ diuina, ita in nomine Thronorum importatur, vt S. Thomas 1. par. q. 109. art. 1. ad 3. inueſtigans rationem, quare cum dæmones de ſingulis ordinibus Angelorum, etiam Thronorum ceciderint, nunquam tamen illis poſt caſum Thronorum nomen, ſicuti nec Seraphim, vel Dominationum, tribuatur: ſed aliorum aliquorum tantum ordinum. (Nam Lucifer Ezech. 28. dicitur *Cherub*, quod à ſcientia deducitur, & ad Epheſ. vlt. Dæmones dicuntur, Principes, & Poteſtates; quæ nomina à principatu, & potentia deriuantur.) S. Thomas, inquam, ad hoc reſpondet: Quoniam in nominibus Seraphim, Thronorum, & Dominationum importantur ea, quæ opponũtur peccatõ; nomen enim Seraphim ab ardore charitatis, Thronorum verò ab inhabitatione diuina imponitur, nomen autem Dominationum quandam libertatem importat: ideo Angelis peccantibus, huiuſmodi nomina non tribuuntur. hactenus ex D. Thoma. Ex quibus illud ad mores inferamus, nobis non magnopere gloriandum eſſe de ſcientia, cuius plenitudinem ſonat nomen Cherubim: neque de potentia, ac fortitudine, vel ſuper alios principatu, quæ omnia non tantùm in ſanctis Angelis, ſed etiam in Dæmonibus reperiri poſſunt; æmulandam verò nobis eſſe charitatem, necnon Dei in nobis inhabitationem, & libertatem illam, qua teſte Apoſtolo Galat. 4. *Chriſtus nos liberauit*, quæ non niſi SANCTIS Angelis conueniunt. his poſitis.

Ezech. 28.

Epheſ. 6.

Moralis animaduerſio.

Galat. 4.

2 Excipere in ſe Deum familiariter, ſic vt inhabitet, eundemq; præterea ad alios deferre, necnon Chriſto eſſe vicinum, B. Virgini præcipua quadam ratione præ omnibus conuenit; id quod ſic oſtendimus. In primis in Virginis anima per copioſiorem gratiam, quàm in reliquis creaturis, quæ rationis participes ſunt, Deus non ſolùm familiariſſimè eſt exceptus, verùm etiam manſionem perpetuam fecit ab inſtanti eius Conceptionis immaculatæ, & in eius poſtea vtero ex ea carnem ſuſcipiens, nouem menſibus reſedit Chriſtus Dominus, in quo Coloſ. 2. *Inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*. Præterea Apoc. 7. Agnus, qui Chriſtum ſignificabat, in medio huius Throni, ideſt Deiparæ, eſſe ſcribitur: ita vt Virgo ipſa, teſte Ildefonſo ſermone 2. de Aſſumpt. & S. Bernardino Senenſi tom. 3. ſerm. 11. art. 2. cap. 1. verè dicere potuerit illud Eccleſ. 24. *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo*; quod idem teſte Ildefonſo ſerm. 1. de Aſſumpt. cecinit Dauid pſal. 86. *Homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam Altiſſimus*; In Virgine porrò inhabitauit Deus abſque vlla repugnantia, & contradictione, non modo voluntatis omninò Deo ſubiectæ, ſed abſque vlla, vel minima fomitis rebellione, vt capite præcedenti diximus. Ideò ex Andrea Cretenſi orat. de dorm. Virg. & Damaſceno orat. 1. de Natiu. *Beatiſſima Virgo eſt mons Sion, mons coagulatus, mons pinguis, mons ille pſalm. 67. In quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo, etenim Dominus habitabit in finem*. Idcircò Bernardus hom. 3. ſuper Miſſus eſt: *Aue*, inquit, *gratia plena, Dominus tecum, nec tantum Dominus filius tecum, quem carne tua induis, ſed Dominus Spiritus ſanctus, de quo concipis, & Dominus Pater, qui genuit, quem concipis; Pater (inquam) tecum, qui filium ſuum fecit & tuum; Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile ſacramentum, miro modo, & ſibi referat genitale ſecretum, & tibi ſeruat virginale ſignaculum: Spiritus ſanctus tecum, qui cum Patre, & filio tuum ſanctificat vterum.* ita Bernardus. Et Auguſtinus ſerm. 14. de Natiu. eleganter docet, Deum magis eſſe cum Virgine ſanctiſſima, quàm cum Angelis: *Dixit*, inquit, *Angelus Mariæ, Dominus tecum pluſquàm mecum; ita eſt Dominus tecum, vt ſit in corde tuo, ſit in vtero tuo, adimpleat mentem tuam, adimpleat carnem tuam: Procedat formoſus de vtero tuo tanquam ſponſus de thalamo ſuo: Procedat Princeps ex Aula regali, ita vt virginitatem tuam non faciat violari.* & D. Thomas opuſc. 8. ſanctiſſimam Deiparam Angelos in familiaritate diuina ſuperare teſtatur: *Et ideo* (inquit S. Thomas) *hoc deſignans Angelus dixit (Dominus tecum) quaſi dicat, ideo exhibeo tibi reuerentiam, quia tu familiarior es Deo quàm ego: nam Dominus eſt tecum,*

In Virgine Deus perpetuò inhabitauit.

Coloſ. 2.

Apoc. 7.

Ildefonſus.

S. Bernardinus.

Eccleſ. 24.

Pſal. 86.

Andr. Cret.

Damaſcenus.

Pſal. 67.

Bernardus.

Auguſtinus.

Virgo magis familiaris Deo, quàm Angeli.

D. Thom.

Luc. 1.

cum, Dominus (inquit) Pater cum eodem filio, quod nullus Angelus, nec aliqua creatura habuit Luc. 1. Quod enim nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei: Deus filius in vtero Isa. 12. Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel: Aliter ergo Dominus cum B. Virgine, quàm cum Angelo; quia cum ea, vt filius, in Angelo vt Dominus: Dominus Spiritus sanctus, sicut in Templo, vnde dicitur, Templum Domini, Sacrarium Spiritus sancti, quia concepit de Spiritu sancto, Luc. 1. Spiritus sanctus superueniet in te; sic ergo familiarior est cum Deo Virgo, quam Angelus, quia cum ipsa Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus, scilicet tota Trinitas: vnde cantatur de ea, totius Trinitatis nobile triclinium. hæc S. Thomas. *Isa. 12.* *Luc. 1.*

3 Alij quoque Patres ex comparatione Seraphim duabus alis apud Isaiam cap. 6. faciem velantium Deiparæ dignitatem, & cum Deo præ Angelis familiaritatem ostendunt; Chrysostomus enim in sermone de B. Virgine: *Vis ne cognoscere,* inquit, *quanto Virgo hæc præstantior sit cœlestibus potentijs? Illæ cum timore, & tremore assistunt faciem velantes suam; Hæc humanum genus illi offert, quem genuit; per hanc & peccatorum veniam consequimur.* ita Chrysostomus. & Epiphanius sermone de Deipara, probans eam transcendere Seraphim, ac Cherubim: *Hæc enim auertuntur,* inquit, *cum nequeant spiritalem ignem diuinitatis fixis oculis intueri; Hæc autem apertis oculis fixè intuens incomprehensibilem, & somni expertem oculum Christi cum desiderio, & osculo salutabat: Exercitus Angelorum (qui sunt scabellum pedum Christi) procidentes, nec videre possunt, nec contingere; hæc verò labra labris coniungens incomprehensum salutabat. O Virgo incomprehensi mysterij ferens miraculum, quæ fidem ter optatam orbi prædicasti; Virgo sublimior Angelis facta est, Superior ipsis Cherubim, & Seraphim, placens Christo Regi, à Deo in honore habita tanquam ancilla digna, & mater.* hæc Epiphanius. Ideo Methodius oratione in hypapantem ad calculum illum, seù carbonem ignitum, quo Isaiæ labia mundata sunt; spectans, quem vnus de Seraphim non est ausus contingere, sed forcipe Isa. 6. accepit de altari: sic ad Deiparam ait: *Tu purificantis carbonis forceps.* & Georgius Nicomediensis orat. de oblat. Deiparæ de ipsa agens: *Eam,* inquit, *forceps expressit propheticus, qui carbonem ferebat, & labra expurgabat, quæ Seraphice custodiebatur, & per Spiritum sanctum prædicabatur.* sic ille. Christus enim charitate ardens, purgationem peccatorum faciens, per calculum illum adumbratur, vt docet Theodoretus in Isa. cap. 6. & Basilius, & Cyrillus, & Damascenus orat. 1. de Natiu. *Carbo enim ignitus vnionem Dei, qui per ignem significatur in humanitate, absque naturarum confusione ostendit. Christus autem* (ait Cyrillus) *est Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.* & Damascenus loco citato Christum vocat diuinitatis carbonem: *Quem,* inquit, *vt labia nostra tangeret obsecrabat, vt hac ratione purgati, ipsum cum Patre, ac Spiritu laudemus clamantes Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabaoth: licet autem Seraphim* (inquit Theodoretus) *omnium Angelorum sint supremi, neque tamen manu diuinum corpus attingunt, rem sanctiorem quærunt, forcipe accipiunt:* At verò Christus Dominus à Deipara in suo virgineo vtero exceptus ab ea tanquã forcipe immediatè ad nos purgandos delatus est. Propter hoc etiam ab Andrea Cretensi oratione de Annunciatione Virginis dicitur: *Salue Seraphica mystici anthracis fibula.* quod maximam eius cum Christo vicinitatem indicat. *Isa. 6.* *Isa. 6.* *Chrysostomus.* *Epiphanius.* *Methodius.* *B. Virgo est forceps calculi purificantis.* *Georg. Nicomed.* *Theodoretus.* *Basilius.* *Cyrillus.* *Damascenus.* *Theodoretus.* *Andr. Cretens.*

4 Deinde B. Virgo Deum non tantum excepit, sed etiam portauit: si enim iustis dicitur ab Apostolo 1. Corin. 6. *Glorificate, & portate Deum in corpore vestro:* quantò magis hoc virgini conuenit, propter vberiorem eius præ reliquis gratiam, & quia singulariter de suis sanguinibus conceptum gestauit in vtero; de qua in euangelio extollens vocem illa mulier verè dixit Christo: *Beatus venter, qui te portauit,* quod Ecclesia identidem repetit illis verbis: *Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portauerunt æterni Patris filium.* Ipsa toties infantem Christum in gremio fouit, in vlnis sacratissimis gestauit, eumq; adhuc in vtero existentem detulit in montana Iudeæ ad sanctificandum Ioannem Baptistam eiusdem Domini Præcursorem. Quare Hieronymus Epist. 7. *Sic Ioannes Baptista,* inquit, *ad introitum Mariæ exultauit, & lusit, Audiebat enim verba Domini per os Virginis personantis.* Ideo S. Gregorius Thaumaturgus orat. de Annunciat. de Deipara: *Sola,* inquit, *ferens eum, qui verbo portat omnia.* & Methodius orat. in hypapantem: *1. Corinth. 6.* *Luc. 11.* *Hieronymus.* *Lucæ.* *Greg. Thaum.* *Methodius.*

Tu

Tu cuncta continentis, & comprehendentis comprehenſio; tu illius geſtatrix, qui verbo ſuo portat vniuerſa: propterea, vt dixi c. 5. figuratur per FERCVLVM illud Salomonis magnificentiſſimum, in quo cum magna maieſtate Salomon deferebatur, de quo Cant. 3. *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum, media charitate conſtrauit propter filias Ieruſalem:* cuius ferculi ſtructuram loco citato explicauimus; Ad hoc ferculum reſpiciens Georgius Nicomed. orat. de Præſent. Virg. vocat illam *Thronum glorioſum, & regium Vehiculum, quo vectum Verbum cum carne aduenit:* propterea etiam, vt cap. 3. diximus, appellatur, Cœlum, à Patribus, non tantum propter cœleſtem puritatem, & excellentiam, ſed etiam quia ſol iuſtitiæ Chriſtus Dominus, qui tabernaculum ſuum in ea poſuit, cum infinita diuinorum bonorum vbertate ab ea veluti in ſuo tabernaculo, & tanquam ab animato cœlo delatus omnes illuminat, calefacit, & ſuis bonis cumulatiſſimè replet. Hinc Bernardus ſerm. 7. in Pſalm. Qui habitat, de Deipara ſic ait: *Magnus ille Ignatius diſcipuli quem diligebat Ieſus auditor in pluribus, quas ad eam conſcripſit epiſtolis, Chriſtiferam conſalutat; egregiùs planè titulus dignitatis, & commendatio honoris immenſi, Nempe cui ſeruire regnare eſt, Geſtare hunc non onerari eſt, ſed ornari.* ita Bernardus.

Cant. 3. *Virgo eſt ferculum Salomonis.*

Georg. Nicomed.

Bernar. in Pſal. Ignatius. *Maria Chriſtifera.*

5 Hæc eſt Iſa. 29. nubes illa leuis ſuper quam Dominus aſcendit, & ingreſſus eſt Aegyptum, & à facie eius commota ſunt ſimulacra Aegypti: de Virgine enim nubem hanc leuem interpretatur Ambroſius de inſtit. Virg. cap. 13. Hieronymus, & Procopius Gazeus in Iſa. 19. ſuper quam Dominus aſcendens eius vlnis, vt ait Procopius, Herodianam rabiem fugiens, cum iuxta Iſaiæ vaticinium commota ſunt, & contrita ſimulacra Aegypti, in Aegyptum eſt delatus. de quo pulchrè S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 2. §. 1. cur autem B. Virgo dicatur nubes leuis cap. 3. diximus. Andreas verò Cretenſis orat. 2. de dorm. alludens ad illud pſal. 67. *Currus Dei decem millibus multiplex,* inter alia ad B. Virginem: *Tu es ille decies mille millibus multiplicatus Dei currus, quæ millia millium locupletum adduxiſti ad eum in carne tectum.* Similiter à Damaſceno orat. 1. de Natiu. Beatiſſima Virgo currus Dei multiplex appellatur eorũ, qui diuinæ gratiæ copijs affluũt.

Iſa. 29. *Virgo eſt nubes leuis.* *Ambroſius.* *Hieronymus.* *Procop. Gaz.*

§. *Antoninus.*

Andr. Cretenſ. Pſal 67. *Virgo currus Dei multiplex.* *Damaſcenus.*

Hinc eſt, quod Virgo ſanctiſſima, quia Mater eſt Chriſti, pleraq; fecit ſimilia Sacerdotibus nouæ legis; qui Dominicum corpus in auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento conficiunt, & tractant. Nam verbis illis: *Ecce Ancilla Domini, &c.* Verbum Patris humana carne in ſuo vtero veſtiuit, in quo veluti in pretioſiſſima, ac nobiliſſima pixide ſacrum illud corpus nouem menſibus circumgeſtauit: Natum poſtea manibus tractauit, alijsq; videndum, adorandum, oſculandum, & tenendum exhibuit. Denique Chriſto viciniſſimam eſſe ex eo patet; cum enim Chriſtus ſit altiſſimus; ipſa, quæ præ cæteris omnibus eſt in ſublime euecta, vt cap. 4. 5. & 6. oſtendimus, Chriſto quoque præ reliquis magis erit vicina. Sanctus quoque Thomas 3. par. q. 27. art. 5. ad 1. Virginem probat fuiſſe gratia pleniſſimam: *Quia,* inquit, *Chriſto auctori gratiæ propinquiſſima.* hoc ipſum indicat illud, quod in corpore myſtico ſanctæ Eccleſiæ ipſa colli locum tenere dicitur, vt cap. 16. patebit. quod capiti viciniſſimum eſſe conſtat. S. Bernardus ſerm. in Apoc. 12. ex Deiparæ cum filio vicinitate, ac familiaritate probat eiuſdem interceſſionem apud filium efficaciſſimam. *Amplectamur,* inquit, *Mariæ veſtigia, fratres mei, nec dimittamus donec benedixerit nobis; potens eſt enim, nempe vellus eſt medium inter rorem, & aream; Mulier inter ſolem, & lunam; Maria inter Chriſtum, & Eccleſiam conſtituta: ſed forte miraris non tam vellus opertum rore, quàm amictam ſole mulierem: magna quidem familiaritas, ſed mira omninò vicinitas; Quo modo enim in tam vehementi feruore tam fragilis natura ſubſiſtit?* & infra: *Quàm familiaris ei facta es Domina, quàm proxima, imò quàm intima ſieri meruiſti; quantam inueniſti gratiam apud Deum? in te manet, & tu in eo, & veſtis eum, & veſtiris ab eo: veſtis eum ſubſtantia carnis, & veſtit ille te gloria ſuæ maieſtatis; veſtis ſolem nube, & ſole ipſa veſtiris.* huc vſque Bernardus. S. Bernardinus Senenſis tom. 3. ſerm. 1. de glorioſo nomine Mariæ art. 2. cap. 1. agens de Virginis vicinitate ad Chriſtum, animaduertit B. Virginem comparari ſtellæ polari, quæ polo eſt viciniſſima; per vtrumq; autem polum immobilem intelligi vult filium Dei, qui principium, & finis eſt omnium, cui *B. Virgo* (vt ipſe ait) *fuit viciniſſima quadrupliciter. Primò, in Incarnatione, per carnis identitatem; quia eadem caro, quæ fuit Virginis Matris,*

B. Virgo multa ſacerdotibus nouæ legis ſimilia fecit. *Luc. 1.*

Virgo Chriſto viciniſſima.

§. *Thom.*

Cap. 16. *Bernardus.*

§. *Bernardinus.* *Virgo ſtellæ polari, quæ polo eſt vicina aſſimilatur.*

tris, facta est caro filij Dei; ideo illi dictum, Dominus tecum. Secundò, in conuersatione, Siquidem eum lactauit, eiq. ministrauit, eius absentiam sustinere non potuit; nam & dolens eum quæsiuit, & in Templo inuenit. Tertiò, in passione fuit vicinissima per compassionem, quia recedentibus discipulis non recessit; stabat enim iuxta crucem Iesu. Quartò, in assumptione per gloriam. sic S. Bernardinus. Luc. 1. & 2. Ioan. 19.

DEIPARAE SANCTITAS ANTE CHRISTI INCARNATIONEM: & quomodo Deo ex voto consecrata in Templo.

6 CAeterùm, vt Virginis beatissimæ maximam præ reliquis ad Deum propinquitatem ostendamus, non secundùm animam solum, verùm etiam secundùm corpus, quæ ad quadruplicem hanc, cuius meminit S. Bernardinus, vicinitatem ferme reuocari potest: de vnaquaque illarum, quòd multiplices eiusdem Virginis laudes complectantur, aliquanto vberius mihi agendum duxi. Et quidem positis ijs, quæ de immensitate gratiæ, præsertim quam in immaculata sua Conceptione, tum in filij Dei admirabili Conceptione, denique in sua glorioſa Assumptione, est adepta, de qua cap. 4. 5. & 6. disseruimus; ex quibus eius præ alijs omnibus cum Deo vicinitas facilè intelligi potest; nonnulla præterea, quæ hoc ipsum perspicuè demonstrant, afferamus. S. Bernardinus.

Et prima sanè Virginis cum Deo vicinitas spectari potest tum ante diuini Verbi Incarnationem, tum etiam in ipsamet Incarnatione: & de vtraque quidem in præsenti capite agemus, reliquas verò in sequentibus expediemus. Quod autem spectat ad vicinitatem, qua Deo proxima fuit ante filij Incarnationem, vt rem totam ex suis initijs retexamus. Deipara semper Virgo antequam conciperetur à sanctis Ioachimo, & Anna eius progenitoribus iam senibus, & diuturna sterilitate laborantibus (de quorum egregia pietate cap. 18. vberius agendum) multis precibus, lacrymis, atque ieiunijs, voto etiam nuncupato consecrandi in Templo ad diuinum obsequium, quam suscepissent prolem; fuit ipsi Deo promissa. vbi verò est in lucem edita, & ablactata, sanctissimi eius parentes voti rei, illiusq; reddendi memores, Trimulam ad Templum adductam, atque sua etiam sponte se ipsam offerentem Deo dicarunt, ibiq; eam dimiserunt non educandam tantum, quemadmodum complures virgines, quæ in Templo degebant; sed etiam veluti sacratissimum munus Deo ex voto redditum, atque oblatum; vt iuxta illud psalm. 91. *Plantata in domo Domini, in atrijs domus Dei* nostri floreret, eoq; in loco cunctis virtutibus præ alijs omnibus, quæ ibi degebant enituit, vt ipsi meritò dicatur illud Prou. 31. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas:* & Ecclesia ex eius persona in quodam responsorio: *Congratulamini mihi, quia cum essem paruula placui Altissimo*. Cæterùm de præclarissimis Deiparæ virtutibus, quæ dum esset in templo, emicabant copiosius cap. 21. agemus. Quoniam autem erat Deo singulariter consecrata, & omni virtutum genere insigniter exornata: hinc factum est, vt singulari priuilegio in ipsis templi adytis, atque in sanctis sanctorum, quæ reliquis inaccessa erant, fuerit educata, vt mox videbimus, cibusq; ei cœlitus ab Angelo allatus, vt cap. 26. fusius ostendemus; id quod complures Patres, quos mox citabimus, affirmant. ipsa verò omnium mortalium prima virginitatis perpetuæ votum Deo obtulit cum in Templum est præsentata; vel, quod magis mihi probatur, illud in ipso instanti suæ immaculatæ Conceptionis nuncupauit; tunc enim, & vsus rationis ei est acceleratus, & simul id Deo gratum esse cognouit, quod plenius cap. 32. vbi de eius virginitate agemus, probabimus. Atque hinc in eius desponsatione inter Sacerdotes ortam dicunt difficultatem cum ex vna parte virgines omnes, quæ in templo viuebant, iam ad nubilem ætatem perueniissent, nuptui tradi solerent: ex alia verò parte Sacerdotes egregiam Virginis sanctitatem non ignorantes, & virginitatis votum ab ea editum ex ipsa cognoscentes, eamq; ex parentum voto, & suo consensu Deo dicatam esse scientes; tale, ac tantum donum Deo consecratum homini desponsare non audebant: quapropter Deum consuluerunt, atque eius indicio diuinitus sunt admoniti, vt Ioſepho ex tribu Iudæ viro integerrimo, atque sanctissimo desponderetur: qui Virginis sanctitatem adeò colebat, atque suspiciebat; vt licet posteà eam in vtero concepisse cerneret nihil tamen sinistri de ea opinari sit ausus; vt

Maria vicinitas ad Deum ante Incarnationem.

Cap. 18.

Psalm. 91.

Prouerb. 31.

Cap. 21.

Cap. 26.

Maria omnium prima virginitatem vouit.

Cap. 32.

docent

Origenes. Hieronymus. Chryſologus. Theodoretus. Bernardus. Iuſtinus.

docent Origenes hom.1.in diuerſis. Hieronymus in Matth. 1. Chryſologus ſerm.145. Theodoretus in Matth.1. Bernardus hom.2.in Miſſus eſt; quamuis Iuſtinus in Dialogo cum Triphone,& alij contrarium ſentiant, de quo nihil in præſentia ſtatuo. Cæterùm S.Ioſeph nolens eam traducere voluit occultè dimittere eam, donec ab Angelo totius myſterij certior factus,eam deinceps tanquam Domini ſui matrem obſeruauit, atque reueritus eſt; eiq; fideliter miniſtrare ſtuduit; cui hoc etiam nomine plurimum omnes debemus. Quo circa in reuelationibus B.Gertrudis lib.4.cap.12.ſic legimus: *Cùm in cœlo nominabatur B.Ioſeph,cui erat deſponſata mater virginea,Omnes ſancti capita ſua reuerenter ob honorem eiuſdem inclinabant, & nutu oculorum amicabiliter blandiebantur,ipſius dignitati congaudentes.* hæc ibi. Verùm inclytæ laudes,& eximia merita S. Ioſeph,qui ſpõſus Virginis Deiparæ fuit,& Pater Chriſti eſt reputatus,maiora ſunt, quàm vt breui digreſſione comprehendi poſſint; ideò illa alijs pro dignitate iuſto volumine pertractanda relinquamus: de eius tamen integerrima virginitate agemus in tractatu de Virginibus ſect.2. Illud tamen minimè prætermittendum,quod Deipara lib.7. reuelat. S.Brigittæ cap.25. eidem reuelauit. *Pro certiſſimo,* inquit, *ſcire debes, quod Ioſeph antequam deſponſauit me,intellexerit in Spiritu ſancto me vouiſſe virginitatem meo Deo, immaculatamq. eſſe cogitatione verbo,& opere. Qui ea intentione deſpouſauit me, vt ſeruiret mihi habendo me pro Dòmina ſua,& non pro vxore. Ego autem in Spiritu ſancto ſciui certiſſimè,quod virginitas mea perpetuè permaneret illæſa, licet ex occulta diſpenſatione Dei viro deſponſabar: ſed poſtquam conſenſi nuncio Dei Ioſeph videns vterum meum Spiritus ſancti virtute intumeſcere,expauit vehementer, nec ſuſpicatus contra me aliquid ſiniſtrum,ſed recordatus dicta Prophetarum prænunciantium filium Dei naſciturũ de Virgine,reputabat ſe indignum tali ſeruire Matri, donec Angelus in ſomnis præcepit ſibi non timere,ſed cum charitate mihi miniſtrare.* hæc ibi. Cæterùm ad ea,quæ diximus Patrum teſtimonio confirmanda veniamus; omiſſis ijs, quæ alibi à nobis ex inſtituto pertractari ſignificauimus.

B. Gertrudis.

S.Brigitta.

B. Virg. adhuc infans Deo eſt dicata.

Euodius. S. Ignatius. Nicephorus.

7 Euodius primus poſt S. Petrum Antiochenus Epiſcopus à S. Ignatio in Epiſtola ad Antiochenos beatiſſimus appellatus in Epiſtola quadam, quæ inſcribitur, Lumen, apud Nicephorum lib.2.cap.3. inter alia ſic ait: *Maria trimula cum eſſet in Templo eſt præſentata, & ibi in ſanctis ſanctorum traduxit annos vndecim, deinde verò Sacerdotum manibus Ioſepho ad cuſtodiam eſt tradita, apud quem cum menſes egiſſet quatuor ab Angelo Gabriele lætum illud accepit nuncium.* ſic Euodius. Gregorius Nazianzenus in Tragœdia,quæ inſcribitur,Chriſtus patiens;hæc ex perſona Deiparæ ad Chriſtum cecinit.

Georg. Nazian.

,, *Simul atque nata ſum,patris tui,vt arbitror,*
,, *Ex mente ſumma,me meus nutrit pater,*
,, *Non inter illos,quos colunt homines,lares;*
,, *Sed me ſacratæ mater ædi deſtinat.*

Georg. Nyſſen.

Gregorius Nyſſenus hom.de Chriſti natiuitate ex arcana quadam hiſtoria plura referens: *Virginis,* inquit, *Mater cum eſſet ſterilis matrem Samuelis imitata,ſupplex Deum orat pro fœcunditate. quòd ſi mater euaſerit ſe quodcumque pepererit, ei dedicaturam; quamobrem cum filiam ſuſcepiſſet,eam vocauit Mariam,vt ipſo etiam nomine teſtaretur acceptum munus à Deo: Illam igitur cum iam grandiuſcula eſſet, nec vbere matris amplius indigeret,ducens ad templum Deo reddidit,& ſtudiosè promiſſum exoluit. Sacerdotes autem quandiu paruula fuit ad Samuelis ſimilitudinem in ſanctis ædibus educarunt: ſed cum iam adoleſceret,conſulebant quidnam agerent de ſacro illo corpore,ne Deum offenderent. eteniin naturæ legi illam ſubijcere,vt cuipiam in matrimonio collocata ſeruiret,abſurdiſſimum videbatur. Inſtar enim ſacrilegij fuiſſet,ſi muneris Deo ſacrati,dominus homo fieret; legibus enim erat conſtitutum,vt maritus dominaretur vxori. Mulierem rurſus inter Sacerdotes in Templo verſari,nec lex,nec grauitas permittebat. Deliberantes igitur in hanc ſententiam diuinitus conuenerunt,vt eam connubij nomine cuipiam deſponderent, qui tamen ad cuſtodiam eius dumtaxat eſſet idoneus. Ad hoc autem munus aptiſſimus inuentus eſt Ioſephex eadem Tribu,& patria, qua erat Virgo.* huc vſque Nyſſenus. Metaphraſtes oratione de vita, & dormitione Deiparæ citat Nyſſenum, eademq; prorſus refert; cui conſentit Nicephorus lib.1. eccleſ.hiſtor.cap.7. qui Deiparam ait iuxta vo-

1.Reg.1.

Qua ratione Deipara S. Ioſepho eſt deſponſata.

Metaphraſt. Nicephorus.

tum

tum à parentibus in Templo Deo consecratam, tertium iam tum agentem ætatis annũ: *Et Sacerdotes*, inquit, *tum eam tanquam sanctius quoddam donarium susceperè, & puellam in sacrario fouendam esse duxere, ad antiqui illius Samuelis similitudinem; Itaq. illa, vt res intacta, & sacrosancta in templi sanctiore loco, & adytis ipsis viuebat.* hæc Nicephorus. S. Epiphanius hær. 79. contra Collyridanos, agens de Conceptione Deiparæ ab Angelo parentibus prænuntiata, citat historiam Mariæ, & traditiones; & adijcit, Virginem per preces, & omnem diligentiam secundùm promissionem patri, ac matri datam esse. Idem serm. de laud. Virg. & hæres. 78. Virginem ait secundum promissionem velut Isaac dispositam. *S. Epiphanius.*

8 Hieronymus in libro de natiuitate Mariæ tom. 9. eadem refert, quæ Nyssenus, & alij, & addit S. Ioachim pro suscipienda sobole oranti ab Angelo prædictum: *Anna vxor tua pariet tibi filiam, & vocabis nomen eius Mariam: hæc erit, vt vouistis, ab infantia sua Domino consecrata, & Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris:* & vbi Hieronymus natiuitatem Deiparæ narrasset, subijcit: *Cumq. trium annorum circulus volueretur, & ablactationis tempus completum esset, ad templum Domini Virginem cum oblationibus adduxerunt.* & post pauca: *Voto suo perfecto Virginem intra septa Templi cum alijs virginibus ibidem educandam dimiserunt; ipsi verò Domum regressi sunt: Virgo autem Domini cum ætatis processu, & virtutibus proficiebat, quotidie namq. ab Angelis frequentabatur, quotidie diuina visione fruebatur. Cum autem Virgo ad quartumdecimum annum peruenisset, & denuntiatum esset, vt Virgines, quæ hoc impleßent tempus, domum reuerterentur, & nuptui traderentur; sola Virgo Domini Maria hoc se facere non poss- respondit dicens; se quidem, & parentes suos Domini seruitio mancipasse, & insuper seipsam Domino virginitatem vouisse;* pergit postea Hieronymus describere, quomodo Pontifex anceps quid facto opus esset, primorum consilio Dominum consuluit, cuius oraculo is de domo Dauid est electus, cuius virga ad altare allata florem germinasset, & in eius cacumine spiritus Domini in specie columbæ consedisset; sicq; ostensus est Ioseph grandeuus, cui commendari, & desponsari debebat Virgo. Idq; factum est. hæc ex Hieronymo. Andreas Cretensis oratione 1. de dormit. Deiparæ, refert parentes Deiparæ steriles enixè Deum pro fœcunditate rogasse, & crebra sacrificia facienda curasse, diuinumq; responsum, ac promissionem accepisse. & post pauca de eius Præsentatione. *Potest*, inquit, *inter alia summatim recenseri Virginis aduentus ad Dei templum, quomodo sit pulchrum munus Deo dedicatum, quomodo in adytis tanquam in aureis vecta thalamis immortalem, non autem communem cibum sumebat.* hæc Andreas. *Hieronymus.* *Andr. Cret.* *Parentes Deiparæ steriles eã precibus à Deo impetrarunt.*

9 Germanus Patriarcha Constantinopolitanus vir sanctissimus in orat. de præsentatione Deiparæ, S. Annam Zachariæ Sacerdoti Ioannis Baptistę parenti narrantem introducit, quomodo sterilis cum esset filiam suscepisset, cum enim plurimas preces Deo se obtulisse diceret, suumq; coniugem quadraginta dierum ieiunio hoc idem à Deo flagitasse: *Hoc quoque*, inquit, *adieci, quoniam tibi Domine donum gratiarum actionis omnino tibi dedicabo, quem mihi dederis filium, vt is sit, & maneat in tuo Sanctuario tanquam sacrum donarium, & munus pretiosissimum, quod mihi datum est à te, qui es perfectissimus dator pretiosissimorum munerum.* & mox. *hinc ergo eo ablactato vota mea reddo Domino, quæ distinxerunt labia mea, & locutum est os meum in afflictione, Non Regi terræ meam offerens filiam, sed Deo cœlesti, & Regi dicatam. Accipe deinceps ò Propheta meam à Deo datam filiam, & introductam planta in loco sanctuarij in prompto Dei habitaculo.* & infra. *Zacharias puellam letus tenens, eam prompto, & alacri animo introducit in sancta sanctorum.* & iterum: *Mansit autem puella de cætero in sanctis sanctorum, seu in Templi penetralibus, Ambrosiam nutrimentum per Angelum accipiens vsque ad secundam ætatem.* Idem Germanus initio illius orationis sic habet: *Vbi non sæpe, sed semel solum in anno Sacerdos ingrediens peragebat cultus mysticos, illuc Mater Domini, vt ibi perpetuò maneret à suis adducitur parentibus, & vt esset in sacris gratiæ adytis. Quis vidit, aut quis audiuit fœminam, quæ adduceretur in intima sancta sanctorum, ad quæ vix patet aditus hominibus, vt in his habitet, & versetur?* & mox: *Intueamur quemadmodum Propheta Zacharias eam sua manu accipit, & adducit in adyta, non dicens eius parentibus; Non faciam hanc rem maximè nouam, neque puellam introducam in sancta sanctorum,* *Germ. Patriar.* *Germanus.* *In sacris templi ædibus Deipara educata.*

rum,vt in eis habitet assiduè,in quæ semel in anno iussus sum intrare: Nihil tale dixit Propheta Zacharias,sed vt qui præsciuisset futurum,quoniam erat Propheta, eam expectans, sicut qui post eum fuit Simeon illius filium,eam is quoque excipit prompto, & alacri animo. hæc Germanus. Georgius Nicomediensis orat. de oblat. Deiparæ eadem fere habet,quæ Nyssenus,& Germanus,& inter alia ait: *Deiparam Angelis circumcirca stipantibus,& collætantibus à parentibus in Templo oblatam, Zachariam verò prophetico spiritu afflatum Virginis aduentu esse lætatum; Atque cum ea versante (vt solebat) in adytis,vidisse Angelum sermocinantem, eiq. præbentem alimentum.* & infra, cum præclara de Virgine dixisset,subijcit: *Tu autem ò homo admirabilem,& nouam in Templo viuendi rationem audiens Virginis, noli de eo dubitare, noli examinare ratione ea, quæ non potest capere cogitatio.* & infra: *Oportebat non in sanctis sanctorum Tabernaculi, sed in ipso cœlo cœli in prima ætate educari eam, quæ his conspecta est latior,& puritate antecelluit.* hæc ille,qui pleraq; alia in laudem Deiparæ persequitur. Damascenus lib.4.de fide cap.15. *Quemadmodum,*inquit,*prisca illa Anna cum sterilitatis morbo laboraret,per orationem,ac promissionem Samuelem procreauit:eodem modo hæc etiam per obsecrationem,& promissionem Dei genitricem à Deo accepit, vt ne hic quoque cuiquam ex illustribus matronis cederet.* & infra: *Adducitur Deipara in Templum, atque in domo Dei plantata, atque per spiritum saginata, instar oliuæ frugiferæ virtutum omnium domicilium efficitur.* Pantaleon Diaconus in Encomio S. Michaelis apud Metaphrastem, & habetur in Surio 29. Septembris: *Idem,*inquit, *Zacharias vidit Gabrielem in sanctis sanctorum cibum è cœlis afferentem ad Dei Matrem.* Metaphrastes præter ea, quæ habet in oratione de ortu, & vita Deiparæ (vbi,vt supra dixi,eadem, quæ Nyssenus supra citatus narrat) in Commentario de S.Ioaane Baptista,hæc addit:*Zacharias,*inquit,*senex,& Sacerdos cum Saluatorem nostrum maternis vlnis gestari videsset,& sic ab ea sæpè in Templum introduci, & eum esse Deum minimè ignorasset,propterea ei concedit, vt ingrediatur in sancta sanctorum, cum cognouisset eam esse Deiparam, & vt illic stet,ei largitur propter excellentiam.* sic Metaphrastes. Georgius Cedrenus in compendio historiæ: *Dei genitrix,* inquit,*in Templum deducta à parentibus anno ætatis suæ tertio,vndecim annos nata parentes amisit:neque verò vnquam Templo excedebat:sed si qua re opus haberet ad solam Elisabetham ibat cognatam,& Templo vicinam.Litteras hebraicas superstite etiam num Ioachimo didicit.*

Georgius Nicomediensis.
Damascenus.
Psalm.51.
Pantaleon.
Surius.
Metaphrastes.
Nyssenus.
Georgius Cedrenus.

Obiectionibus satisfit.

IO Ex his porrò Patrum testimonijs posset quispiam tria in quæstionem vocare. Primùm qui fieri potest,vt mulieres in Templo habitarent,quibus ne accedere quidem intra illud fas erat?Iosephus enim lib.6.de bello iudaico cap.6.*Templum,*inquit,*aramq. cingebat ex pulcherrimo lapide septum vsque ad cubitum surgens, quod populum à Sacerdotibus segregabat.* & mox: *Prædictum limitem, nec puris mulieribus transgredi permittebatur.* ita Iosephus. Secundùm,quonam pacto Deipara fuerit tum ex parentum voto, tum ex suamet oblatione Deo perpetuò consecrata;cum Leuit.27. *Etiam mulier si spopondisset Deo animam suam pecunia redimenda esset.* Tertiùm,an Deipara in ipsis intimis Templi adytis,nimirum in sanctis sanctorum educata fuerit, cum ex Apostolo ad Hebr. 9. *In illa semel in anno solus Pontifex non sine sanguine introibat.* & Iosephus lib.2.contra Appionem: *In adytum,*inquit,*idest sancta sanctorum soli principes sacerdotum ingrediebantur propria stola amicti.* & lib.8.antiquit.cap.2.idem indicat, & Philo de legatione ad Caium testatur quibuslibet etiam Sacerdotibus, imò & ipsi Pontifici si duobus anni diebus;aut eadem die ter,quaterue in intimum sacrarium ingredi vellet, sub pœna capitis esse interdictum. idem docet in lib.de Monarchia.

Ioseph. Hebr.
Leuit. 27.
Hebr. 9.
Iosephus Hebr.
Philo.

Et ad primum quidem facilè respondetur, in Templo Ierosolymitano, vt auctor est Iosephus lib.6. de bello iudaico cap. 6. fuisse proprium locum religionis causa mulieribus destinatum, qui muro discernebatur, & in hoc peculiaris locus virginibus ad orandum erat assignatus; quemadmodum Origenes, Basilius, Nyssenus, & alij complures, quos cap.32.afferemus,testantur: & quidem de atrio mulierum Villalpandus in tom.2. par.2.in cap.42.Ezech.lib.4.cap.69. negat in primo Templo Salomonis huiusmodi peculiare atrium mulierum fuisse; lege tamen,vel consuetudine mulieres à porticu Sacerdotum prohibitas:in secundo verò Templo,Zorobabelis lib.3.cap.28.in cap.40.Ezech.

Mulieres in Templo Ierosolymitano habitabant.
Iosephus Hebr.
Origenes.
Basilius.
Nyssenus.
Cap.32.
Villalpandus.

ex

ex Rabinorum ſententia vult fuiſſe atrium mulierum in tabulato quodam, in quo ex ſuperiori parte mulieres, ex inferiori verò viri ſpectabant: itaq; iuxta hoc atrium ad orandum mulieribus deſtinatum domicilia quædam fuere; in quibus mulieres diuino cultui dedicatæ; & Virgines, præſertim illæ, quas parentes diuino obſequio deuouebant, educabantur. Talis erat Anna prophetiſſa vidua, quæ Luc. 2. *Non diſcedebat de Templo, ieiunijs, & obſecrationibus ſeruiens nocte, ac die*. quare Ambroſius lib. 1. de virginibus; cum probaret in teſtamento veteri aliquos virginitatem coluiſſe; ſubijcit: *Nam etiam in Templo Ieroſolymis fuiſſe legimus Virgines deputatas*; quo in loco Ambroſius ſpectare videtur ad illud 2. Machab. cap. 3. vbi ſic legimus: *Virgines, quæ concluſæ erant procurrebant ad Oniam, aliæ autem ad muros, quædam verò per feneſtras aſpiciebant*; quod de virginibus, quæ in Templo clauſæ morabantur, intelligitur; quicquid Lyranus dicat, qui de virginibus, quæ domi ſuæ cuſtoditæ erant, accipiendum exiſtimat, videntur enim per feneſtras domicilij ſui in Templum, quæ ibi gererentur, proſpectaſſe. nam Exod. 38. Labrum æneum cum baſi ſua à Moyſe factum ſcribitur, *De ſpeculis mulierum, quæ excubabant in oſtio tabernaculi*; & ſeptuaginta vertunt, *de ſpeculis ieiunantium apud oſtium tabernaculi*: ideoq; Hieronymus lib. 1. aduerſus Iouinianum: *De ſpeculis*, inquit, *mulierum ieiunantium, quaſi de puriſſimis corporibus virginum Luter in tabernaculo funditur*. & Rabbi Abenazana, mulieres illas dicit, ſpreta mundi vanitate, ſpecula Domino obtuliſſe; quas certè non fuiſſe paucas illud indicat; nam inſtar exercitus ad oſtium tabernaculi orantes, & ieiunantes excubabant, & inter peccata filiorum Heli 1. Reg. 2. & hoc commemoratur quòd dormirent cum mulieribus, quæ obſeruabant ad oſtium tabernaculi. & 4. Reg. 11. Ioas Rex infantulus educatus eſt cum nutrice à Ioſaba ſorore Ochoziæ, eratq; cum ea ſex annis clam in domo Domini, Ioſaba enim erat vxor Ioiadæ Pontificis, & cum ſua familia in domo Domini degebat. quin etiam apud Ioſephum lib. 5. de bello Iudaico cap. 12. recenſentur quædam turres fœminæ, quaſi in illis fœminæ morarentur. Maneat ergo in Templo fuiſſe mulierum domicilium propè atrium illud Templi, ad quod mulieribus ad orandum patebat adytus; & in hoc fuiſſe Deiparam educatam. & hæc eſt ſententia Patrum, quam Eccleſia amplexa eſt, cum ſolemne feſtum Præſentationis Deiparæ in Templum celebret die vigeſimaprima Nouembris, quod eruditiſſimè contra Hæreticos probat Caniſius lib. 1. de B. Virgine cap. 12. idem confirmant Cardinalis Baronius in apparatu ad tomum primum Annalium, Suarez tom. 2. in 3. par. diſp. 7. initio. Eſpencæus lib. 3. de continentia cap. 7. Barrada tom. 1. lib. 6. cap. 6. & tom. 2. lib. 3. cap. 40. Serarius in cap. 3. lib. 2. Machab. Caſtro in hiſtoria Deiparæ cap. 3.

Luc. 2. — *Ambroſius.* — 2. *Mach.* 3. — *Lyranus.* — *Exod.* 38. — *Rabbi Abenazana.* — 1. *Reg.* 2. — 4. *Reg.* 11. — *Ioſephus Hebr.* — *Caniſius.* — *Baronius.* — *Suarez.* — *Eſpencæus.* — *Barrada.* — *Serarius.* — *Caſtro.*

II Quòd ad ſecundam verò difficultatem ſpectat, dicimus ex capite illo 27. Leuit. duplicem colligi oblationem hominis Deo ex voto factam; alteram qua id, quod offerebatur, pretio redimi poterat, de qua hæc ibi legimus: *Homo, qui votum fecerit, & ſpoponderit Deo animam ſuam, ſub æſtimatione dabit pretium*; & hac ratione tam maſculi, quàm fœminæ Deo oblati redimebantur pretio, quod ibi pro varia, tum maſculorum, tum fœminarum ætate, diuerſum quoque præſcribitur. Alteram verò, qua id, quod offerebatur, in diuini cultus vſum perpetuò dicabatur, nec redimi poterat, de qua in fine eiuſdem capitis ſic habetur: *Omne quod Domino conſecratur, ſiue homo fuerit, ſiue animal, ſiue ager non vendetur, nec redimi poterit: Quicquid ſemel fuerit conſecratum ſanctum ſanctorum erit Domino*; & hoc modo Anna mater Samuelis 1. Reg. 1. votum nuncupauit dicens: *Domine exercituum ſi dederis ſeruæ tuæ ſexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius*: ideoq; vbi ablactauit eum, adduxit in domum Domini, vt maneret ibi iugiter, quemadmodum ibi legimus. & eadem ratione aliqui, quos ſequitur Lyranus Iudic. cap. 11. exiſtimant filiam Iephte hoc modo Domino fuiſſe conſecratam: *Per obſeruationem* (inquit Lyranus) *virginitatis viuendo in orationibus, ac ieiunijs, & pijs operibus, ſic fuit ſacrificata, non per mortem corporalem, ſed per mortem ciuilem, & ſpiritualem diuinis obſequijs eſt deputata, eo modo, quo Religioſi dicuntur mundo mortui*. hæc Lyranus. Eodem quoque modo parentes Deiparæ ante eius conceptionem, prolem quam ſuſcepiſſent diuinis obſequijs perpetuò mancipandam per votum obtulerunt. quemadmodum Nyſſenus, & alij Patres ſatis apertè indicant; ideoq; ſuſceptam filiam vbi eſt

Votum in antiqua lege 2. ex redimibile, & irredimibile. — 1. *Reg.* 1. — *Iudic.* 11. — *Lyranus.* — *Maria per votum mancipata fuit diuinis obſequij perpetuo*

ablactata, ad Templum adductam ibi eam sponte etiam sua se Deo offerentem dimiserunt.

Hinc factum est, vt Sacerdotes templi adeò fuerint perplexi cum Deipara ad ætatem nubilem peruenisset, quid de ea fieri oporteret, quippe quæ ex parentum voto, & sua quoque voluntate Deo fuerat in perpetuum consecrata: quare Patres eam appellant diuinum donarium, & ipsa insuper suam Deo virginitatem obtulerat; quo circa Sacerdotes communicato ea de re consilio, Domini voluntatem consulentes, Virgæ diuinitus florentis, & Columbæ, vt ait Hieronymus supra citatus, in eius fastigio considentis indicio, Iosepho spectatæ, & notæ probitatis viro ex eadem tribu Iuda eam desponderunt; id quod non solùm indicat Nyssenus, Metaphrastes, & Nicephorus, quos supra attulimus; qui addunt eam desponsatam Iosepho, qui ad custodiam eius dumtaxat esset idoneus; verùm complures alij, quos mox citabimus, qui sorte Ioseph in sponsum Deiparæ electum tradunt. Sortium verò nomine apud eos diuina voluntas signo aliquo manifestata accipienda est; quo indicatur is, qui eligitur; de quo eleganter Dionysius cap. 9. de Eccles. hierarch. agens de electione S. Matthiæ Actor. 1. *Videntur mihi*, inquit, *scripta diuina sortem quæ diuinitus Matthiæ obtigit, appellare, diuinum quoddam munus, quod illi Pontificum choro, eum, qui diuino iudicio, delectuq. esset renunciatus, indicaret.* sic ille. Atque id de S. Ioseph tradit Epiphanius hæres. 78. *Quando*, inquit, *Virgo tradebatur ipsi Ioseph sortibus cogentibus, ipsum ad hoc venire; non tradita est ipsi ad coniunctionem, quoniam viduus erat, si verè dicere oportet, sed propter legem quidem vir illius vocatus.* & infra: *Ioseph accepit Mariam viduus agens annum viduitatis suæ sortassis octogesimum, & vltra.* & in Ancorato: *Hic Ioseph*, inquit, *senex existens, secundum necessitatem sortibus missis in viduos, & non habentes vxores in singulis tribubus in virgines, eo quòd consecrati essent in Templo primogeniti filij masculi, & fœminæ, accepit iuxta sortem sanctam Virginem Mariam, ex qua secundùm carnem natus est Dominus noster Iesus Christus.* Germanus in oratione de oblatione Deiparæ: *Tunc*, inquit, *Dei nutu, & consilio Sacerdotum de ea datur sors, & sorte eligitur Ioseph iustus.* Cedrenus in compendio agens de Deipara: *Cùm annum decimumquartum attigisset, Iudæi in Templo eam deinde morari non sunt passi. Porrò Sacerdotes eius causa Deum precati sunt. ibi Pontifex duodecim senum cognatorum Mariæ ferulas accepit, inque ara posuit dicens, ostende Domine cui Virgo hæc debeat copulari: floruit autem virga Ioseph fabri, atque huic octogenario in matrimonio tradita est.* ita Cedrenus. Et quidem de ætate S. Ioseph, quam dicti Auctores indicant, nihil mihi in præsentia accuratius agendum existimaui. Damascenus enim oratione 1. de dormit. Virgin. sic habet: *Sanctus Ioseph integram, atque inuiolatam legem ad senectutem vsque seruauerat, cum ei sponsa, hoc est virginitatis custodi, à Sacerdotum choro tradita est Beata Virgo.* Et Nicephorus lib. 1. cap. 7. *Ioseph*, inquit, *senio, & honestate morum iampridem bonæ fidei existimationem consecutus erat.* Nobis verò probatur sententia Abulensis in cap. 1. Matth. quæst. 32. & Numer. 1. quæst. 31. S. Iosephum quamuis ad senectutem declinaret; ea tamen ætate fuisse, quæ gignendis filijs, vt sic Virginis famæ prospiceretur, & labori fabrili ad sustentandam familiam, apta esset: & hoc modo aliqua ratione conciliari possunt aliquot Doctorum sententiæ, quæ de ætate S. Ioseph contraria sentire videntur. existimo etiam cum Hieronymo libro contra Heluidium, S. Ioseph Virginem fuisse, quicquid dicat S. Epiphanius in tractatu de Virgini: sect. 2. & cap. 32. vberius probabo.

Cur autem Christus ex Virgine desponsata nasci voluerit, plurimæ à sanctis Patribus afferuntur rationes, quæ apud Hieronymum in 1. cap. Matth. & apud alios videri poterunt: vnius Bernardi verba, qui paucis multas earum complectitur ex homil. 2. super Missus est proferam: *Desponsata est*, inquit, *Maria Ioseph quando per hoc, & à canibus (hoc est Dæmonibus) sanctum absconditur, & à sponso virginitas comprobatur, & Virginis tam verecundiæ parcitur, quàm famæ prouidetur.* sic Bernardus. Nam, vt ipse dixerat paulò superius: *Tolerabilius, atque honestius fuit putari ad tempus Christum de coniugio fuisse natum, quàm de fornicatione.* maluit enim Dominus ex Ambrosio in Lucam: *Aliquos de sui generatione, quàm de Matris pudore dubitare.*

Virginitatem vouit.
Hieronymus.
Nyssenus. Metaphrastes. Nicephorus.
Ioseph sorte in sponsum Mariæ electus.
Dionysius.
Actor. 1.
Epiphanius.
Germanus.
Cedrenus.
Ætas S. Ioseph.
Nicephorus.
Abulensis.
Hieronymus.
Epiphanius. Cap. 32. Tract. de Virg.
Cur Christus ex Virgine desponsata nascitur.
Hieronymus. Bernardus.
Ambrosius.

Et

Et ſanè *hoc exemplo*, inquit Auguſtinus lib. 2. de conſenſu Euangel. cap. 1. *Magnifice* Auguſtinus.
inſinuatur fidelibus coniugatis etiam ſeruata pari conſenſu continentia poſſe permanere, vocariq. coniugium, non permixto corporis ſexu, ſed cuſtodito mentis affectu: atque ita factum eſt, vt exemplum hoc complures coniuges ſeruata virginitate in Chriſti Eccleſia, ſint ſecuti, quorum aliquos in tractatu de virginibus ſect. 8. recenſebo.

12 Tertia porrò difficultas petit quæſtionem illam, an Virgo beatiſſima in ſanctis ſanctorùm fuerit educata. Et ſanè Auctorum teſtimonia, quæ in difficultate propoſita afferuntur, probant non fuiſſe Deiparam eo ingreſſam: & licet Auguſtinus in Exodum quæſt. 133. *Non tantùm*, inquit, *ſemel in anno intrare ſolere Sacerdotem in ſancta ſanctorum, ſed ſemel in anno cum ſanguine, & quotidie quidem ſolere intrare ſine ſanguine cauſa ponendi incenſi.* ita Auguſtinus, qui exiſtimat cum Origene homil. 9. in Leuiticum, altare thymiamatis fuiſſe intra ſancta ſanctorum: ab alijs tamē id communiter negatur. dicunt enim fuiſſe illud altare in Templo extra ſancta ſanctorum cum candelabro, & menſa panum propoſitionis, de quo fusè Ribera de Templo lib. 2. cap. 8. & Barrada tom. 2. lib. 3. cap. 16. & alij. Ex alia verò parte pleriq; omnes ex Patribus Græcis ſupra citatis, quos veriſimile eſt habuiſſe veteres hac de re hiſtorias, (quas allegant Nyſſenus, Epiphanius, Hieronymus, Nicephorus, & alij) diſertis verbis aſtruunt, Deiparam in ſanctis ſanctorum in templi adytis, & penetralibus enutritam. ita in ſupra allatis teſtimonijs Euodius apud Nicephorum; ipſe Nicephorus, Andreas Cretenſis, Georgius Nicomedienſis, Pantaleon, Metaphraſtes, & Germanus: qui addit eam ad intima ſancta ſanctorum, quæ ſummo Sacerdoti ſemel in anno patebant, inductam. horum auctoritate permotus Barrada tom. 1. lib. 6. cap. 6. dicit horum Patrum ſententiam, ſi ſit tantum opinio, reijciendam eſſe; non autem ſi ſit maiorum traditio. *Quod ſi traditio*, inquit, *eſſet, reſponderemus ſoli Pontifici licuiſſe ingredi ſancta ſanctorum ex lege, ex priuilegio verò etiam Virgini Deiparæ: Quod Diuo quoque Iacobo conceſſum ſcribit Hieronymus, recepitq. Eccleſia in Breuiarij Lectionibus: Iacobo*, inquit, *vni licebat ingredi in ſancta ſanctorum; ſi Iacobo, cur non Virgini? in qua virtutes fulgorem tantum emittebant, vt teſtamenti altera Arca ſanctis ſanctorum digniſſima videretur.* hæc Barrada. Caſtro in hiſtoria Deiparæ cap. 3. num. 14. hanc difficultatem verſans, ait nulli licuiſſe, cum res diuina ſolemniter ageretur, ingredi in ſancta ſanctorum, præterquàm ſummo Sacerdoti ſemel in anno; tranſacto verò illo tempore licuiſſe ijs, qui eſſent ſanctitate inſignes. quod probat Leuit. 16. vbi habetur: *Nullus hominum ſit in tabernaculo quando Pontifex ſanctuarium ingreditur, vt roget pro ſe, & domo ſua, & vniuerſo cœtu filiorum Iſrael, donec egrediatur.* Confirmat quoque exemplo S. Iacobi Apoſtoli, cui ſoli ex Hegeſippo lib. 5. apud Hieronymum de viris illuſtribus in Iacobo: licebat ingredi ſancta ſanctorum. quod etiam atteſtatur Epiphanius hæreſ. 29. ex Clemente, Euſebio, & alijs ſcribens, permiſſum eſſe Iacobo ſemel in anno ingredi ad ſancta ſanctorum. nihil ergo mirum ſi permiſſum ſit Virgini puriſſimæ in ætate tenera Deo conſecratæ, quæ cœleſtis cuiuſdam ſanctitatis ſpecimen præ reliquis ſanctis conſpicuum omnibus præbebat, in ijſdem ſanctis ſanctorum orare. hæc Caſtro.

Maria in ſanctis ſanctorum fuit educata. *Auguſtinus.* *Origenes.* *Ribera.* *Barrada.* *Nyſſenus.* *Epiphanius.* *Hieronymus.* *Nicephorus.* *Euodius.* *Nicephorus.* *Andr. Cret.* *Germ. Nicom.* *Pantaleon.* *Barrada.* *Hieronymus.* *Caſtro.* *Hegeſippus.* *Epiphanius.*

Ex quibus omnibus liquido apparet, Virginem ſanctiſſimam etiam ante Chriſti Incarnationem ſingulari ratione non tantum ſecundùm animam per copioſiſſimam gratiam præ cæteris Deo coniunctam; verùm ipſo etiam corpore Deo ſingulariter in templo conſecratam; quod parentum ſterilium precibus, ac voto Deus eam ipſis conceſſiſſet; vitam quoque puriſſimam in intimis, ac ſacroſanctis Templi adytis vſque ad deſponſationem traduxiſſe: quo factum exiſtimo, vt Ancillæ Dei nomine peculiari ratione, tùm in reſponſione ad Angelum, tùm etiam in ſuo cantico apud S. Eliſabeth iure optimo ſeipſa appellarit: quod nomen digniſſimum per antonomaſiam ſingulari ratione ei eſt tribuendum, non tantum quòd Deus optimus eius animam ab inſtanti immaculatæ eius Conceptionis admirabilibus donorum prærogatiuis, ac priuilegijs in ſuum peculiarem Thronum, & in Templum ſibi ſacratiſſimum conſecrarit, ac exornarit; verùm etiam quòd à nullo vnquam alio fuerit poſſeſſa; idq; abſque vlla prorſus carnis, vel ſpiritus rebellione, ſeu contradictione; quod de alijs hominibus in peccato originali conceptis, qui in membris ſuis legem repugnantem legi mentis ſuæ inue-

niunt, dici nequaquam poteſt. Atque hæc de vicinitate Deiparæ cum Deo ante Incarnationem.

DEIPARAE CVM CHRISTO IN INCARNATIONE vicinitas, & de admirabili eiuſdem Incarnationis myſterio.

Virginis vicinitas cum Chriſti in Incarnatione.

13 AT verò vicinitas, quæ eidem Virgini beatiſſimæ cum Deo in Verbi Incarnatione interceſſit, ea fuit, vt omnem noſtri intellectus captum ſuperet, nulliſq; verbis à nobis plenè explicari poſſit; quin etiam ipſi eidē Virgini peculiari ſancti Spiritus præſidio opus fuit, cum Verbum Patris in ſuo virgineo vtero excepit. De quo pulchrè S. Damaſcenus orat. 2. de dorm. Virg. in hymnis, quos ab Apoſtolis in eius dormitione editos ſcribit; inter alia admiratione digna, quæ Apoſtoli in myſterio Incarnationis laudibus efferebant; in quibus Dei bonitas, ac potentia elucebant recenſet, & hoc: *Quonam pacto*, inquit, *Virginis corpus, quod ex materia concretum eſt, atque ad fæni naturā accedit, huius claræ Deitatis ignem conſumendi facultate præditū exceperit, atque auri inſtar purum extiterit.* ita Damaſcenus, qui orat. 1. de Natiu. huic difficultati ſic reſpondet: *Spiritus ſanctus*, inquit, *diuinitatis ſuæ rore ita conſeruauit, vt ab igne diuino minimè abſumereris, nā hoc quoque Moſis rubus præſignabat.* ſic Damaſcenus. Eidem quoque difficultati ſimiliter reſpondet Bernardus ſerm. Signum magnum, id referens in Spiritus ſancti obumbrationem; explicans. n. ex Apoc. 12. mulierem typum Deiparæ gerentem ſole amictam in Dominica Incarnatione, & comparans cum rubo illo ardenti, & incombuſto: *Magna*, inquit, *familiaritas, ſed mira omninò vicinitas ſolis, & mulieris; quomodo enim in tam vehementi feruore tam fragilis natura ſubſiſtit? meritò quidem admiraris Moyſes ſanctè, & curioſius deſideras intueri.* & infra: *Magna plane viſio, rubus ardens ſine combuſtione, magnum ſignum, mulier illæſa manens amicta ſole; non eſt mulieris potentia, vt ſuſtineat ſolis amictum; non eſt virtutis humanæ; ſed nec Angelicæ quidem; ſublimior quædam neceſſaria eſt: Spiritus ſanctus, inquit, ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Nil itaq. mirum ſi ſub tali obumbraculo talis etiam ſuſtineatur amictus.* hæc Bernardus. Propterea Damaſcenus orat. 1. de dorm. inter virginis figuras, quas commemorat, ad Virginem ſermonem dirigens: *An non te*, inquit, *fornax illa deſignauit, quæ ignem ſimul, & refrigerantem, & inflammantem oſtendebat, diuiniq. illius ignis in te habitantis typum gerebat.* hæc ille.

Beruardus.

Apoc. 12.

Exod. 3.

Luc. 1.

Damaſcenus.

Dan. 3.

Myſterium Incarnationis in die Annunciationis dignitate, plerisq. ſolemnitatibus antecellit.

14 Hoc porrò ſanctiſſimum myſterium cum Dei Verbum in vtero Virginis ex eius puriſſimis ſanguinibus, præuio eiuſdem Virginis conſenſu, carnem ſuſcepit, fuit ita eximium, atque præclarum, vt Franciſcus Mayro in ſermone quodam de Virginis annunciatione hanc ſolemnitatem (ſi id, quod in ea geſtum eſt ſpectemus) ſolemnitatibus alijs ad Chriſti humanitatem pertinentibus, dignitate præcellere affirmet: & propterea diei annunciationis, in qua fuit primum Verbi incarnati myſterium, accommodari poſſe dicit illud Numer. 28. *Dies prima venerabilis, & ſancta erit*; cum hæc omnes alias ſolemnitates, quæ ad Chriſti humanitatem pertinent, tranſcendat; eamq; cum plerisq; confert; cuius doctrinam ſcholaſticis verbis traditam; quia multa paucis egregiè exprimit, nonnullis breuitatis ſtudio omiſſis; placuit eius ferè verbis afferre: *Incarnatio*, inquit, *Chriſti in die annuntiationis in vtero Virginis peracta, tranſcendit primo ſollemnitatem Dominicæ natiuitatis; quæ quidē Natiuitas eſt magna ſollemnitas, propter Incarnationem hodiernam; quia ſi iſta non præceſſiſſet, Deus homo natus non fuiſſet. Secundò, tranſcendit ſollemnitatem Oblationis, quando fuit præſentatus in Templo. ſanctior enim fuit vterus virginalis, quàm Templum Salomonis. Tertiò, ſollemnitatem Transfigurationis, quia ibi de nouo fuit ſolum corpus illuſtratum, in Incarnatione verò anima Chriſti fuit illuſtrata intellectualiter ſublimiori lumine gloriæ. Quartò, ſollemnitatem conſecrationis ſui corporis, & ſanguinis; quia in conſecratione panis, & calicis non fuit Diuinitas Verbi ex vi verborum, ſed ſolum ex concomitantia; in Annuntiatione autem fuit diuinitas ex vi Incarnationis; quoniam ſcilicet humanitas hypoſtaticè vnita eſt Verbo. Quintò, ſollemnitatem humanæ Redemptionis, quæ celebrata fuit in morte Chriſti; quia mors iſta non fuiſſet ſufficiens pro redemptione humani generis, niſi humanitas illa fuiſſet*

Mayro.

Numer. 28.

Solemnitatem Natiuit. tranſcendit

Præſentationis in Templo. Transfigurationis.

Inſtitutionis ſanctiſſimi Sacramenti

D. Tho 3 par. q. 76. art 1. ad 1. & art 2.

ſolemnitatem paſſionis.

ſet

ſet diuino Verbo vnita; vnde valorem infinitum habuerunt Chriſti actiones ad nos redimendum. Sextò, ſollemnitatem infernalis expoliationis, quia in infernum non deſcendit niſi anima cum diuinitate: At in B. Virginis vtero fuit hodie diuinitas cum corpore, & anima. Septimò, ſollemnitatem Reſurrectionis; quoniam in hac vnita fuit anima Chriſti cum corpore: At in Incarnatione vnita eſt diuinitas cum humanitate; cuius vnitatis extrema, ſi præcisè eorum naturam ſpectemus, ſunt nobiliora. Octauò, ſollemnitatem Aſcenſionis; ſicut enim humanitas tunc aſcendit ad dexteram Patris quaſi localiter; ita nunc humanitas aſcendit perſonaliter, quia aſſumpta ad perſonam filij. At vero maius eſt cum quis in Regem aſſumitur; quàm cum in throno collocatur. Nonò, tranſcendit ſollemnitatem Pentecoſtes, cum Spiritus ſanctus in Apoſtolos deſcendit in ſpecie ignis; etenim ignis non erat Spiritui ſancto hypoſtaticè vnitus, ſed ſolum erat eius ſignum, in quo apparere voluit: At verò hodierna die Filius Dei humanam naturam ſibi hypoſtaticè vniuit, vt per eam operaretur; actiones quippè ſunt ſuppoſitorum. ita dies Annuntiationis eſt ille de quo dicitur ad litteram Malach. 3. Quis poterit cogitare diem aduentus eius, ſcilicet in Virginem, quod eſt myſterium nobis incomprehenſibile per naturam. hæc ex Mayrone. Illud quoque peculiare in hoc Incarnationis myſterio ab Eccleſia fieri videmus; quod dùm illud ſollemniter commemoratur, non capitis ſolum inclinatione, ſed etiam genuflexione proſternimur. enim verò ita fieri conſuetum eſt ad illa ſymboli verba: *ET HOMO FACTVS EST*, & ad illa Euangelij: *ET VERBVM CARO FACTVM EST*. Idq; iure optimo, quamuis enim Deus optimus in omnibus ſuis erga humanum genus beneficijs omni tum animi, tum corporis demiſſione colendus ſit: in eo tamen, in quo inclinauit cœlos, & deſcendit, in quo ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, ſingulari quadam totius corporis demiſſione tantum, ac tam ſingulare beneficium agnoſci par erat. quod vel ipſius Satanæ admonitu comprobatum ſic legimus in ſpeculo Exemplorum diſt. 9. exemplo 75. *Quidam monachus quadam vice ſtetit in choro cum cantaretur, Incarnatus eſt de ſpiritu &c. & cum alij fratres inclinarent, ipſe ſtetit cum erecto collo, & ſe non inclinauit: Adfuit Diabolus dans ei alapam dicens: O monache ingrate, quo modo ſic ſtas erecto collo? cur non inclinas te cum fratribus? non ne audis, quod cantatur, quod Deus propter te factus eſt homo? Si propter me miſerum tantum feciſſet, ego ſibi in perpetuum inclinarem.* ſic ibi.

Spoliationis limbi.

Reſurrectionis Dominicæ.

Aſcenſionis.

Pentecoſtes.

D. Thom. 1 par. q. 43. art. 7. ad 1. & ad 4. Malach. 3.

Symbol.

Ioan. 1.

Specul. exempl. Incarnationis myſterium abſque debita veneratione monachus recolēs per Dæmonem corripitur.

15 Ad hanc quoque Deiparæ cum Chriſto ratione Incarnationis vicinitatem ſpectat, quòd nulla alia mater tam diu fœtum anima rationali animatum in vtero habuerit, ſicuti Deipara Chriſtum; quod eleganter explicat Abulenſis paradoxo primo cap. 21. & ſequentibus, vbi Deiparam vaſis nomine aptiſſimè appellari pluribus demonſtrat, quod Chriſtum ex ſuis ſanguinibus de Spiritu ſancto conceptum, ac perfectiſſimè organizatum, & anima rationali animatum ab ipſo inſtanti Incarnationis in ſuo vtero ſacratiſſimo nouem integris menſibus geſtauerit; cum in aliarum matrum fœtibus anima rationalis ex Philoſophorum ſententia non ante corporis organizationem infundatur; quæ quadraginta circiter dierum ſpatio efficitur, quemadmodum colligitur ex Ariſtotile in lib. 7. de hiſtoria animalium cap. 3. & pluribus ex Auguſtini Epiſtola ad Hieronymum docet S. Thom. in 3. diſt. 3. q. 5. art. 2. ex quo aliud ſubinfert Abulenſis cap. 25. *Fuit*, inquit, *corpus Dominicum ſub valde parua quantitate formatum, cum fuit perfecte organizatum; ita quod nullum vnquam corpus humanum fuit in aliqua regione, quod tam paruæ quantitatis exiſteret cum perfecte organizatum eſſet.* ſic Abulenſis. quod intelligendum exiſtimo reſpectu quantitatis perfectæ, ad quam per augumentum homo peruenit, nam maiorum hominum maiorem quantitatem corpora habent in prima animatione; *Chriſtus autem in perfecta ætate*, inquit S. Tho. 3. par. q. 3. q. 5. art. 2. ad 2. *habuit decētem & mediocrem quantitatem, cui proportionabatur quantitas, quam corpus eius habuit in tempore, quo aliorum hominum corpora animantur; Minorem tamen habuit in principio ſuæ conceptionis, in qua tamen poſſet ratio animati corporis conſeruari, cum in tali quantitate quorundam paruorum hominum corpora animentur.* hæc S. Thomas. Itaq; ex Suarez tom. 2. diſput. 11. ſect. 2. corpus Chriſti formatum eſt in minima quantitate, quæ tali corpori poterat eſſe naturalis, conſiderata eius complexione, & diſpoſitione; deinde nouem menſium nutritione in vtero matris peruenit ad maximam ſuæ complexioni accō-

B. Virg. perfectiori modo, quā alia mulieres puerum in vtero habuit. Abulenſis.

Ariſtotelis.

S. Thom. Abulenſis. Chriſti corpus ſub minima quantitate formatum.

S. Thom.

Suarez.

modatam;& in hoc differt ab alijs. Propter hanc verò exiguam in incarnatione corporis paruitatem reſpectu magnitudinis,ad quam peruenit, de Chriſto in figura Dauid illud dici poteſt: *ipſe eſt quaſi tenerrimus ligni vermiculus.* Nam,ſi teſte Ariſtotele loco citato,quem affert S. Thomas in 3.ſentent. diſt. 3. q.5. art.2.ad 3.Mas,qui quadrageſimo die ab vtero emittitur,apparet cum membris iam inde diſcretis magnitudine formicæ maiuſculæ:quantulus ergo fuit Chriſtus Dominus in inſtanti ſuæ conceptionis,cum deinde quadrageſimo die per nutritionem ad quantitatem illam quadraginta dierum ſpatio alijs fœtibus proportionatam peruenerit.

2. Reg. 23.
S. Thom.

16 Ar dicet quiſpiam;cum myſterium hoc Incarnationis Dominicæ adeò eximium hac die in ſacratiſſimo Deiparæ vtero geſtum prædicetur; quid cauſæ eſt,quod Eccleſia maiori ſollemnitate Chriſti Domini natiuitatem,quàm eius Incarnationem,vt omnibus eſt perſpicuum,celebret? imò Dominicam Incarnationem ſub Virginis Annuntiatæ feſto recolat?

Cur Chriſti natiuitas maiori ſollemnitate, quàm Incarnatio celebretur. Suarez.

Ad quod reſponſio in promptu eſt; quam etiam affert Suarez in opere de Religione lib.2.de diuino cultu cap. 5. *Quoniam,* inquit, *quamuis feſtum Incarnationis, ſi ſecundum ſe ſpectetur, ſummæ dignitatis,& lætitiæ inter omnia,quæ ad humanitatem Dei pertinent,eſſe videatur; tamen quò ad nos non videtur donum illud perfectè collatum vſque ad Virginis partum, & ideo quo ad exteriorem lætitiam ſollemnius illa Natiuitatis feſtiuitas celebratur, & ob eandem cauſam feſtiuitas illa præcipuè ad Chriſtum, hæc verò ad Virginem referri videtur,vt in Eccleſiaſtico Officio cernere licet.* hæc Suarez.

Offic. Eccl.

Quin etiam hæc ſollemnitas ab Eccleſia Virgini adeò tribuitur, vt in Concilio Toletano 10.cap.1.per antonomaſiam feſtiuitas Dominicæ Matris appelletur, cuius ratio ibi ſubijcitur: *Nam quid feſtum,*inquit,*eſt Matris,niſi Incarnatio Verbi? cuius feſtum ita debet eſſe ſollemne, ſicut eſt, & eiuſdem Natiuitatis Verbi.* hæc in Concilio Toletano. Quamuis S.Bonauentura non minus verè, quàm piè hanc eſſe omnium diuinarum perſonarum ſollemnitatem,ipſius item Virginis,& Angelorum,ac hominum,in libro Meditationum vitæ Chriſti cap.4.agens de Chriſti Incarnatione,pulchrè oſtendat his verbis: *Hodie,*inquit,*eſt ſollemnitas Dei patris, qui nuptias fecit filio ſuo in deſponſatione humanæ naturæ, quam hodie filius ſibi vniuit inſeparabiliter: Hodie eſt,& ſollemnitas nuptiarum filij,& dies natalis eius in vtero,ſed poſtea erit ex vtero: Hodie eſt ſollemnitas ſancti Spiritus propter hoc opus mirificum,& ſingulare ipſius Incarnationis,quod eidem attribuitur;& hodie incepit oſtendere benignitatem ſingularem humano generi: Hodie eſt ſollemnitas glorioſa Dominæ noſtræ, quæ à Patre in filiam, à Filio in matrem, & à Spiritu ſancto in ſponſam eſt recognita, & aſſumpta: Hodie eſt ſollemnitas totius curiæ cœleſtis, quia inchoatur eorum reparatio: Hodie eſt multò magis ſollemnitas humanæ naturæ,quia eius ſalus incæpta,& redemptio,& totius mundi reconciliatio,& ſublimata eſt,atque deificata.* hæc Bonauentura.

Feſtiuitas Dominicæ Matris, quæ ſit. Conc. Tolet. 10.

Bonauentura.

Quæ omnia eò ſpectant, vt ex magnitudine myſterij Incarnationis in vteri virginalis thalamo ex eiuſdem ſanguinibus peracti; & ex Deiparæ in tanto myſterio omnium ſacratiſſimo cum Chriſto coniunctiſſima vicinitate,eiuſdem Virginis præſtantiam vtcumque conijciamus. & ſanè intima Virginis in Incarnatione cum Deo coniunctio, ex ijs, quæ ex Sanctorum doctrina ſubijciemus,adhuc magis apparebit.

Petr. Damian.

17 Petrus Damianus ſermone de Natiu. Virg. hanc Deiparæ vicinitatem ſecundum carnem,cum ex ea Verbum caro factum eſt, ita vt verè Dei genitrix extiterit, eleganter explicat:docet enim Deum eſſe in rebus omnibus, primò per eſſentiam. ſecundò eſſe in bonis per operationem,vt ſcilicet bona operentur. tertiò in plerisq; bonis per illuminationem rerum futurarum: *Sed in Virgine,*inquit, *fuit quarto ſpeciali modo, ſcilicet per identitatem,quia idem eſt,quod illa. Hic taceat,& contremiſcat omnis natura,& vix audeat aſpicere tantæ dignitatis,& dignationis immenſitatem.* ſic Petrus Damianus. S.Bernardus hom.3.ſuper Miſſus eſt: *Cum,*inquit, *Deus ſit cum omnibus Sanctis propter concordiam voluntatis; ſpecialiter tamen cum Maria, cum qua vtiq. tanta ei conſenſio fuit, vt illius non ſolum voluntatem, ſed etiam carnem ſibi coniungeret,ac ſi de ſua, virgmisq. ſubſtantia vnum Chriſtum efficeret;vel potius vnus Chriſtus fieret; qui & ſi nec totus de Deo,nec totus de Virgine; totus tamen Dei, & totus Virginis eſſet, nec duo filij, ſed vnus*

In Virgine quomodo fuerit Chriſtus per identitatem. Bernardus.

vtriuſ-

vtriusque filius. hæc Bernardus. S.Bernardinus loco citato. *Virgo*, inquit, *fuit vicinissima filio Dei per carnis identitatem: quia eadem caro, quæ fuit Virginis matris, facta est caro filij Dei.* sic S.Bernardinus. nec immeritò si enim Laban ad Iacob nepotem ex sorore dicere licuit Gen.29. *Os meum es, & caro mea.* & Genes.37. Iudas de Ioseph: *Frater enim noster est, & caro nostra:* quantò magis hoc dicere poterat Virgo sanctissima de filio suo, qui ex sanguinibus purissimis ipsius solius sine viri societate, carnem susceperat. Quare Augustinus lib. de Assumpt. cap. 5. *Caro*, inquit, *Iesu caro est Mariæ; & multo specialius quàm Ioseph, Iudæ, cæterorũq. fratrum eius, quibus dicebat; Frater enim, & caro nostra est; caro enim Christi quamuis gloria resurrectionis fuerit magnificata, & potenter super omnes cœlos ascensione glorificata; eadem tamen carnis mansit, & manet natura, quæ suscepta est de Maria.* hæc Augustinus. Ex quo colligit Suarius tom.2. in 3. par.disput.2.sect.2. substantiam carnis à Christo ex Maria assumptam nunquam fuisse omninò dimissam, nec actione continua caloris naturalis resolutam; sed eandem omninò fuisse conseruatam Verbo Dei vnitam; quod ex temperatissimo cibo, quo vtebatur Christus, & ex speciali prouidentia, & voluntate Christi factum fuisse existimat Suarius.

S. Bernardinus. Gen.29. Gen.37. Augustinus. Suarius. Christus carnẽ ex Virgine acceptam semper retinuit.

CHRISTI HVMANITAS SACRATISSIMA VESTImenti metaphora significatur.

18 A Thanasius sermone de Deipara: *Ex carne*, inquit, *eius*, scilicet Virginis, *& ex ossibus eius, veluti ex veteri Adamo nouus iste Adam, vt vicem eius expleret, costam sibi finxit; nimirum istam Incarnationem, eamq. semel indutam perpetuò gestat.* ita Athanasius; qui sanctissimam Christi humanitatem Verbo hypostaticè vnitam appositissimæ indumenti ex Virgine desumpti metaphora exprimit; quod etiam complures faciunt, præsertim Methodius oratione in hypapantem, vbi loquens cum Deipara: *Tu*, inquit, *es propitiatorium, per quod Deus humanam naturam indutus mortalibus apparuit.* Et Ephrem oratione de Deipara: *Deus*, inquit, *creator tuus in virginali tuo vtero sine semine carnem induit.* Ex quo etiam intima Christi cum Matre in Incarnatione coniunctio eleganter indicatur; Quare Ambrosius sermone 13. de natali, agens de vellere, de quo psal.71. *Descendet sicut pluuia in vellus*, quòd Deiparam præfigurabat, quemadmodum cap.32. ostendemus. *Rectè*, inquit, *Maria velleri comparatur, de cuius fructu salutaria populis vestimenta texuntur. Vellus planè Maria est, siquidem de molli sinu eius Agnus egressus est, qui & ipse Matris lanicium, hoc est carnem gestans, molli vellere cunctorum operit vulnera populorum: omne enim peccati vulnus Christi lana suffunditur, Christi fouetur sanguine, & vt sanitatem recipiat Christi indumento vestitur.* sic Ambrosius. Et Epiphanius hæres.78. conferens Euam cum Deipara: *Eua*, inquit, *est texens vestes sensibiles propter Adam, quem denudauit; ipsi enim datus est hic labor, quoniam per ipsam nuditas inuenta est: ipsi datum est amicire corpus sensibile propter nuditatem sensibilem; MARIAE verò datum est à Deo, vt pareret nobis Agnum, & Ouem; & ex gloria ipsius Agni, & Ouis factum est nobis velut à Vellere in Sapientia per virtutem ipsius indumentum incorruptibilitatis:* quibus verbis Ambrosius, & Epiphanius significant Christi corpus esse veluti indumentum Verbi hypostaticè ei vnitum, & ex vellere Matris contextum; ac simul esse indumentum, quo nostra nuditas operitur. Hinc est, quòd Tertullianus lib.4. contra Marcionem illud Isaiæ 63. *Quare rubrum est indumentum tuum*, de Christi humanitate intelligit. Et Augustinus in lib.83. quæst. q.73. illud Apostoli Philip. 2. *Habitu inuentus vt homo*, habitum vestem exponit ex voce σχήματι, quæ ex textu græco habetur. Quo circa Dauid, vt cap.5. diximus, sub eodem vestimentorum symbolo Messiæ humanitatem omnium virtutum fragrantiam spirare docet psalm. 44. loquens cum eodem: *Myrrha*, inquit, *gutta, & casia à vestimentis tuis.* Hinc mirum non est, si Apostolus Rom.13. cum Christianos contra carnis vitia, & opera tenebrarum armat, exhortatur, vt induant arma lucis: hoc autem fieri docet, si Christi virtutes in se exprimant; id quod eadem indumenti metaphora explicat illis verbis: *Induimini Dominum nostrum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desiderijs.* Christum autem induimus in baptismo iuxta illud Gal.3. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum indui-*

Athanasius. Humanitas Christi vestis nomine appellatur. Christi humanitas sub nomine indumenti. Methodius. Ephrem. Ambrosius. Psalm.71. Cap. 32. Epiphanius. Ambrosius. Epiphanius. Tertullianus. Isa.63. Augustinus. Philip.2. Psalm.44. Rom.13. Rom.13. Gal.3.

Coloſ. 3. Epheſ. 4. *induiſtis*: & per imitationem Coloſ. 3. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, induimini nouum.* & Epheſ. 4. *Induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia.* quin etiam Chriſti benignitatem intueri licet, qui non tantum ſe ad imitandum nobis præbuit, ſed ſua pretioſiſſima infiniti valoris merita nobis communicauit, ijſq; veluti veſte induit, & ſe totum nobis tradidit, iuxta illud ex Eccleſia.

Offic. Eccleſ.

,, *Se naſcens dedit ſocium*,
,, *Conueſcens in edulium*,
,, *Se moriens in pretium*,
,, *Se regnans dat in præmium*.

1. Reg. 18. Quòd eleganter præſignificatum, ac præfiguratum cernimus 1. Reg. 18. in Ionatha Regis Saulis filio, cuius anima ea dilectione conglutinata eſt animæ Dauid, vt ſuas veſtes, ſuaq; arma tum defenſiua (vt vocant) tum etiam offenſiua ei tradiderit; ſic enim de Ionatha ibi legimus: *Diligebat enim eum quaſi animam ſuam, Nam expoliauit ſe Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua veſtimenta ſua, vſque ad gladium, & arcum ſuum, & vſque ad baltheum.* hæc ibi.

4. Reg. 2. Ex his, quæ diſſeruimus factum eſt, vt nonnulli Pallium ab Elia cum diſcederet Eliſeo relictum, in quo Iordanem poſtea Eliſeus diuiſit, ſanctiſſimam Euchariſtiam, in qua Chriſti corpus velut indumentum Verbi cõtinetur, in vltima cœna inſtitutam, & à Chriſto ſuæ Eccleſiæ relictam, intelligendam velint; per quam aquæ tribulationum mundi diuiduntur, & ſuperantur: licet nihil obſtet, quo minus per hoc idem Pallium, Deipara quoque aliâ ratione ſignificari poſſit, vt cap. 28. dicemus: ſed qua ratione hæc Chriſti veſtis ex Deipara ſit contexta Proclus Epiſcopus Conſtantinopolitanus ſic deſcribit, loquens de ea: *Hæc*, inquit, *vellus mundiſſimum cœleſti pluuia madens, ex qua paſtor ouem induit: Hæc Ancilla eſt, & Mater; Virgo, & Cœlum. Hæc ſola pons eſt, per quem Deus ad hominem deſcendit. Hæc admirandæ illius œconomiæ TELA, ex qua, & in qua ineffabili modo quodam admirabilis illius vnionis tunica confecta eſt, cuius quidem textor extitit Spiritus ſanctus, Netrix virtus ex alto obumbrans; lana, vetuſta, villoſaq. Adami pellis, ſubtegmen impolluta Virginis caro, radius textorius, immenſa geſtantis gratia; Artifex, Verbum per auditum illapſum: Quis vidit? Quis audiuit talia? incircumſcriptus Deus vterum inhabitat; quem Cœli non capiunt, venter complexus eſt Virginis.* hæc Proclus.

Cap. 28. Proclus. I

CORPVS CHRISTI, QVOD IN EVCHARISTIA EXHIBETVR, in Incarnatione ex Deipara formatum.

Chriſti corpus quod eſt in Euchariſtia ex Virgine acceptum. 19 CVm ergo Chriſti corpus ſanctiſſimum veluti veſtis quædam ex Virgine tanquam ex Vellere fuerit contextum, & eadem carnis ſubſtantia, quæ aliquando fuit Virginis, nunc ſit in Chriſti corpore, quod in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento ſub ſpeciebus panis, & vini nobis ſumendum proponitur; ideo & de hoc aliquanto accuratius in præſentia à nobis agendum erit; vt intelligamus hoc etiam nomine nos Virgini Deiparæ plurimum debere; quod ex ſuis puriſſimis ſanguinibus, & in eius vtero tanquam in clibano diuini amoris igne valde ſuccenſo, virtute ſancti Spiritus formatus ſit hic panis vitæ, qui de Cœlo deſcendit. Quo circa Cant. 7. Virgini dicitur: *Venter tuus ſicut aceruus tritici vallatus liliÿs*, quia ſcilicet in ſuo vtero virgineo, cuius ſumma, ac perpetua puritas, vt ait Alanus in Cantica, per liliorum ſeptum indicatur, hunc panem vitæ concepit, qui eſt cibus ſolummodo iuſtorum, non ſecus ac triticum alimonia eſt, non quidem brutorum animalium, ſed hominum ratione præditorum. De vtero autem Virginis locum hunc Canticorum interpretatur Ambroſius de Inſtitut. Virg. cap. 14. In eius. n. vtero, dicit, fuiſſe granum illud tritici cadens in terram: *De quo*, inquit, *aceruus factus eſt; quia granum illud mortuum plurimum fructum attulit; & hoc quidem granum omnes homines perpetua cœleſtium munerum eſca ſaturauit, dicente Dauid; Cibauit eos ex adipe frumenti: in hoc etiam grano dicit fuiſſe lilium: Chriſtus enim eſt lilium conuallium.* hæc ex Ambroſio. Eadem ferè ad verbum habet Ildefonſus ſermone 1. de Aſſumptione. Andreas Cretenſis oratione de Annuntiatione: *Tu*, inquit, *verè benedicta, cuius venter aceruus quidem areæ, quoniam fructum benedictionis, ſpicam immortalitatis, Chriſtum,*

Ioan. 6. Cant. 7. Virginis venter caraceruus tritici. Alanus. Ambroſius. Pſalm. 80. Cant. 2. Ildefonſus. Andr. Cret.

ſtum,inquam,ſine ſeminantis,ac coloni opera perfectiſſimè produxiſti. & iterum: *Benedictus fructus,ex quo vitalis ille panis,corpus inquam Dominicum producitur, & immortalitatis calix ſalutaris panis exhibetur*. ita Andreas. S. Epiphanius ſermone de laudib. Deiparæ ad eandem ſermonem dirigens: *Aue*,inquit,*clibanus intellectualis;qui ignem,& panem vitæ calidum mundo in eſum attulit, de quo Saluator mundi Chriſtus ait; accipite, & comedite, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur in remiſſionem peccatorum*. *Eſt (chariſſimi) virtutibus plena menſa virginea, optimis quibuſcumque cibis abundans, quibus terra fruatur*. & infra: *O Virginem*, inquit, *ſtupendum Eccleſiæ theſaurum, qui adeptus eſt ingens myſterium;Virginem,inquit, appellat verum ſacerdotem pariter, & altare; quæ quidem menſam ferens dedit nobis cœleſtem panem Chriſtum in remiſſionem peccatorum*. hæc Epiphanius. Ideò S. Bonauentura in Litanijs B.Virginis vocat eam *deliciarum Dei Dapiferam*. Methodius in hypapantem ad ſanctiſſimam Euchariſtiam ſpectans,eam altare animatum panis vitę appellat: ideo ſignificatur Exod.25. per menſam panum propoſitionis.quemadmodum cap.5.ex auctoritate Patrum diximus.panes enim illi propoſitionis cum thure lucidiſſimo illis ſuperpoſito,Chriſtum,qui eſt panis vitę noſtris vſibus propoſitus,quiq; verus eſt Deus, cui thus offertur,adumbrant. ideo & Virgo ſanctiſſima vera Dei Mater eſt,& dicitur. Damaſcenus orat.2.de dorm. Virg. vocat eam *menſam animatam*. & oratione prima de dormitione appellat *menſam, ex qua ille panis vitæ, ac cœleſtis,ille nullis agricolæ manibus excultus fructus corporeo modo pullulauit*. & mox,loquens cum Virgine:*Nam tabernaculum*,inquit, *Abrahæ te apertiſſimè indicabat:etenim Verbo Domino in ventre tuo tanquam tabernaculo habitanti humana natura,ſubcinericium panem,hoc eſt ſui primitias ex puris tuis ſanguinibus obtulit à diuino igne quodammodo coctas,panemq. effectas,atque in diuina ipſius perſona exiſtentes,& ad veram corporis animati anima rationali, atque intellectuali ſubſtantiam venientes*. hæc Damaſcenus. Imò Methodius loco citato ad Virginem:*Tu*,inquit,*verè omnis ſacrificij pinguedo*, quoniam ſcilicet Chriſtum,qui in Miſſę ſacrificio incruento offertur,nobis ex ſuis viſceribus protulit; & meritò omnis ſacrificij pinguedo aſſeritur. Siquidem (*vt verbis vtar Leonis ſerm.8.de Paſſ.*) *omnes differentias legalium hoſtiarum vna corporis, & ſanguinis Chriſti implet oblatio*.

Epiphanius.
Virgo eſt clibanus intellectualis,in quo coctus eſt panis vitæ. Luc 22.
Virgo dicitur mẽſa panis propoſitionis.
Deipara eſt Dapifera. Methodius. Exod. 25.
Damaſcenus.
Virgo in tabernaculo Abrahæ figurata.
Methodius.
S.Leonis.

20 Hæc eſt enim mulier illa Euangelica, quæ, vt ait Bernardus ſermone 2. de Natali: *Acceptum fermentum abſcondit in farinæ ſatis tribus*, Chriſtus enim eius filius in vna perſona Verbi triplicem habuit ſubſtantiam,nimirum diuinam,& ſubſtantiam animę rationalis;ſubſtantiam item corporis,vt ex Auguſtino 13.de Trinit.cap.12.docet S. Thomas 3.par.q.1.art.1.quorum fermentatio, ſeu vnio admirabilis abſque naturarum confuſione in eius vtero eſt celebrata:ibi enim Deus homo factus eſt;id quod fuit permanſit,quod non erat aſſumpſit; non commixtionem paſſus, neque diuiſionem. Verùm audiamus ipſum Bernardum loco citato, vbi loquens de vnione admirabili Verbi æterni cum anima,& carne.*Hæc ſunt*,inquit,*Euangelica illa ſata farinæ,quæ pariter fermentantur, vt ſit panis Angelorum, quem manducet homo, cor hominis confirmans. Felix mulier benedicta in mulieribus,in cuius caſtis viſceribus ſuperueniente igne ſancti Spiritus coctus eſt panis iſte: felix, inquam,mulier,quæ in hæc tria ſata immiſit fidei ſuæ fermentum: ſiquidem fide concepit,fide peperit. Nec mireris quod fide eius mediante vnitum dixerim Verbum carni,quandoquidem,& carnem ipſam de eius carne ſuſcepit. Sanè ne hoc quidem præſenti expoſitioni obuiare poteſt,quod de cœleſtis Regni dicitur ſimilitudine. Neque enim indignum videtur ſi cœlorum Regnum fidei Mariæ comparatur,qua & reparatur*. hactenus Bernardus. Hæc eſt etiam illa mulier,quæ Prouer. 31. *Facta eſt quaſi nauis inſtitoris,de longe*,ideſt de cœlis,per vitæ huius pelagus *portans panem ſuum*: illud enim (*de longe*) diſtantiam indicat inter Verbum Dei, & humanam naturam,quàm ſibi hypoſtaticè vniuit in vtero huius benedictæ mulieris. rectè verò panem hunc vocat S V V M, quia ipſa abſque viri opera illum concepit,quem apud Bethleem,quæ domus panis,interpretatur;per partum ſuum virgineum, tanquam ex naui in omnium vtilitatem expoſuit;quo in ſanctiſſima Euchariſtia paſcimur, nutrimur, ac vires ad laborandum in Domini vinea,& ad confligendum cum noſtris hoſtibus reficimur,iuxta illud pſal.22. *Parati in conſpectu meo menſam aduerſus eos,qui tribulant me*.

Bernardus. Matth 13. Virgo eſt mulier,qua fermentum in farinæ ſatis tribus abſcondit. Auguſtinus. S. Thom. Eccleſia in Antiphona. Bernardus.
Prouer.31. Virgo eſt nauis inſtitoris de lõge portans panẽ.
Pſalm.22.

Et

21 Et quoniam diuiniſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſub ſpeciebus non tantum panis, ſed etiam vini in vltima cœna à Chriſto Domino eſt inſtitutum, iuxta illud Zach. 9. *Quid bonum, & quid pulchrum eius; non ne frumentum electorum, & vinum germinans Virgines,* (licet ſub vnaquaque ſpecie totus Chriſtus contineatur.) Ad vtramque ſpeciem exprimendam Cant. 7. in Virginis vtero non tantum triticum, vt diximus, ſed etiam vinum contineri affirmatur: *Vmbilicus,* inquit, *tuus ſicut crater tornatilis nunquam indigens poculis,* de quo Ambroſius de Inſtitut. Virg. cap. 14. *Verè,* inquit, *aluus ille Mariæ crater tornatilis, in quo erat Sapientia, quæ miſcuit in cratera vinum ſuum, indeficientem cognitionis piæ gratiam, diuinitatis ſuæ plenitudine ſubminiſtrans. In quo Virginis vtero ſimul aceruus tritici, & lilij floris gratia germinabat; quoniam & granum tritici generabat, & lilium.* Et S. Ildefonſus ſermone 1. de Aſſumpt. eadem mutuatur ex Ambroſio: *Verè,* inquit, *aluus Mariæ tornatilis fuit, quia in eo Sapientia ſe influxit, quæ in cratere illo vinum miſcuit.* ſic Ildefonſus, quem citat Vincentius Beluacenſis in ſpeculo hiſtoriali lib. 7. cap. 121.

Zach. 9.
Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 1.
Cant. 7.
Virginis vmbilicus cur crater tornatilis non indigens poculis.
Ambroſius.
Ildefonſus.
Beluacenſis.

Adhoc etiam ſpectare videtur Andreas Cretenſis orat. 2. de dorm. cum vocat eam Sapientiæ, quæ non poteſt exinaniri, craterem; vitæ, cui nihil poteſt auferri, penarium: quibus verbis Ambroſius, Ildefonſus, & Andreas Cretenſis indicant Virginem Deiparam non tantum eſſe hunc craterem, de quo Cant. 7. verùm etiam eſſe craterem illum, de quo Prou. 9. vbi Salomon cum dixiſſet, *Sapientiam ædificaſſe ſibi domum in columnis ſeptem, & immolaſſe victimas ſuas;* ſubijcit iuxta verſionem ſeptuaginta: *Miſcuit in cratere vinum ſuum.* & mox: *Miſit ſeruos conuocans cum excelſa prædicatione ad craterem.* Ex quo magis etiam confirmatur id, quod dicebamus, de vtero Virginis prodijſſe tanquam ex cratere Chriſti ſanguinem, qui ſub ſpeciebus vini in Euchariſtia ſanctiſſima profertur. Nam S. Cyprianus lib. 2. epiſt. 3. locum hunc Prouer. 9. legit iuxta Septuaginta, & de Dominico ſacrificio, vbi ſub ſpeciebus panis, & vini Chriſtus immolatur, luculenter exponit.

Andr. Cret.
Ambroſius. Ildefonſus. Andr. Cret. Cant. 7. Prouer. 9.
Cyprianus.

Aſſimilatur ergo Virginis vmbilicus crateri, qui plenus eſt vino; qui quantumcunque ex eo hauriatur, exhauriri nequit; propterea quod ſanguis Chriſti in Incarnatione ex Virginis viſceribus acceptus ex vi verborum ſub ſpeciebus vini continetur: licet ſub illis etiam integer Chriſtus ſit. quod vt magis appareat, ſingula expendamus, & quomodo Virgini accommodentur, oſtendamus.

Vmbilicus in hoc loco commemoratur, quia ſub vmbilico concipitur, fouetur, & alitur fœtus; Crater autem vas eſt capacius, quo ad vinum propinandum, & in libationibus, & ſolemnioribus epulis veteres vtebantur: quare Poeta.

Virg. 1. Aenei.
,, *Crateras magnos ſtatuunt, & vina coronant.*

Tornatilis verò exactam, ac omnibus numeris abſolutam rotunditatem, quæ eſt figurarum capaciſſima, oſtendit, quare huius vmbilici amplitudinem, & perfectionem indicat. Tornatilis etiam fuit Deipara ex Alano in Cant. 7. quia ſine angulo, & ruga, ſine acceptione perſonarum omnibus, quod eſt in ſe, ſalutem propinat: ſignificat etiam in externa conuerſatione eam omninò leuigatam, ac mundam fuiſſe.

Alano.

Poculorum autem nomine id, quod in poculis continetur, per metonymiam accipi debet, ſicuti apud Poetam.

Virg. 1. Georg.
,, *Poculaq. inuentis Acheloia miſcuit vuis.*

In his poculis vinum illud germinans Virgines, & cor hominis lætificans continetur; ſeu, quod idem eſt, in illis continetur mixtum, vt ex Septuaginta legit Ambroſius loco citato, hebraicè enim habetur Mazeg, quod eſt vinum aqua mixtum: nam ex ſacro Concilio Tridentino ſeſſ. 22. cap. 7. Chriſtus in vltima cœna aquam vino miſcuiſſe creditur. & ideo in Miſſa idem ex Eccleſiæ præcepto faciendum præſcribitur. Illud porrò (nunquam indigens poculis) ideſt ſemper plenus poculis, copiam indeficientem oſtendit, qua omnibus ſitientibus abunde hoc vinum exhibetur, nec vnquam exhauritur; quod ſingulare, & admirabile eſt in venerabili Sacramento Euchariſtiæ, quantumcumque enim ſumatur, nunquam abſumitur, iuxta illud quod canit Eccleſia.

Zach. 9. Pſalm. 103. Ambroſius.
Conc. Trid.
Offic. Eccleſ.
,, *Sumit vnus, ſumunt mille,*
,, *Quantum iſti, tantum ille,*

Nec

,, *Nec ſumptus conſumitur.*

Et S. Andreas Apoſtolus Aegeæ Proconſuli: *Ego*, inquit, *omnipotenti Deo immolo quotidie immaculatum Agnum in Altari, cuius carnes poſtea quam omnis populus credentium manducauerit; Agnus, qui immolatus eſt, integer perſeuerat, & viuus.* S. Andr. Apoſt.

22 Propter hoc vinum ſuauiſſimum, eque atque odoratiſſimum, quod in cratere vmbilici virginei fuit productum, ne dum conſeruatum ipſe Chriſtus à S. Eliſabeth appoſitiſſima metaphora ab arbore deſumpta *fructus ventris Deiparæ* appellatur: ipſa verò Virgo Eccleſ. 24. aſſimilatur viti: *Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris; & flores mei fructus honoris, & honeſtatis*; quod de Virgine legit Eccleſia in Miſſa vigilię Aſſumptionis. & Damaſcenus orat. 1. de Natiu. *Vinea*, inquit, *vberrima* (ideſt Deipara) *ex Anna pullulauit, atque vuam ſuauiſſimam protulit nectar mortalibus fundentem in vitam æternam.* & Chryſippus homil. de Deipar. hoc idem ei accommodat, cum eam his verbis ſalutat: *Aue vitis vuas pulchras producens.* & Ildefonſus ſerm. 1. de Aſſumpt. *Mater Domini quaſi vitis fructificauit ſuauitatem odoris, & protulit cunctis gentibus fructus honeſtatis, & gratiæ.* ſic ille. B. Virg. eſt vitis. Luc. 1. Eccleſ. 24. Damaſcenus. Chryſippus.

Flores autem illius fructus eſſe dicuntur honoris, & honeſtatis; id quod puriſſimam Virginis in Chriſti conceptione integritatem oſtendit; quam etiam liliorum vallum in aceruo tritici ſignificare diximus: quamuis enim in textu græco pro voce illa (honeſtatis) legamus πλουτου, ideſt diuitiarum, ac ſi dicat, flores mei fructus ſunt, qui honorem proferunt, ac diuitias: Latina tamen editio vulgata habet, honeſtatis, ex quo verbo duplici ratione Deiparæ virginitas ſignificari videtur: primùm, quia ad honeſtatem pertinet ex D. Thoma 2. 2. q. 145. art. 4. turpes voluptates rationi contrarias repellere: Virginitas verò adeò honeſtate delectatur, vt carnis voluptates non tantum rationi diſſonas, quas reijcere caſtitatis eſt munus; ſed ne licitas quidem in vſu coniugij admittat: quo circa hæc ſumma virginitatis honeſtas honori meritò coniungitur; quòd homines adeò honore dignos efficiat, vt eos Angelis ipſis per quã ſimiles reddat; vt cap. 32. dicemus. Deinde, quia flos ſymbolum eſt virginitatis, ſicut & fructus ſymbolum eſſe poteſt fecunditatis: Cùm ergo flores Deiparæ fructus honoris dicantur, & honeſtatis, his verbis virginitas eius fœcunda, & fœcunditas virginea omni honore proſequenda, omnique; honeſtate conſpicua oſtenditur: Etenim in arboribus flores ſimul cum fructibus, qui ex ijſdem emanant, & in quos ipſimet flores tranſeunt, exiſtere nequaquam poſſunt; ſed erumpente fructu decidit flos, quandiù autem flores vigent fructus nondum aduenere: ita & in cæteris mulieribus virginitas cum fœcunditate eodem tempore eſſe nequit: At verò in ſola Deipara ſuper omnem naturæ curſum hæc duo coniuncta reperiuntur. Quo circa ipſa vna meritò dicere poteſt flores ſuos eſſe pariter, & fructus: nam eleganter quidam cecinit. Quomodo flores Virginis ſunt fructus. S. Thom. Cap. 32.

,, *Partus, & integritas diſcordes tempore longo,*
,, *Virginis in gremio fœdera pacis habent.* Sanazarus in Templo Mergellino Neapoli.

Quemadmodum verò vitis in hyeme ijs, qui exiguam rerum naturalium habent peritiam, videtur arbor deſpecta, & arida; ſuo tamen tempore frondeſcit, florumq; ſuaueolentiam, ac fructum mittit gratiſſimum, vinum nimirum; quod, vt quidam extulit Iudic. 9. *Lætificat Deum, & homines:* ita Virgo beatiſſima Dominicæ paſſionis tempore *ſtabat iuxta crucem lacrymoſa* à Iudæis deſpecta, quibus ob vnici filij necem omninò arida videri poterat: Verùm Chriſto mox reſurgente Deiparæ præſtantia, & odoris eius ſuauitas, necnon fructus ventris vtilitas toti mundo innotuit; præſertim cum filius eius in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio ſub ſpecie vini in Dei honorem, & hominum vtilitatem offertur; & hac ratione huius ſanctiſſimæ vitis vinum, vt ille dicebat: *Deum lætificat, & homines.* Iudic. 9.

Sicuti autem Virgo Deipara viti comparatur, ita & Chriſtus, qui Cant. 1. propter paſſionis amaritudinem *faſciculus myrrhæ* appellatur; propter Euchariſtiæ tamen ſanctiſſimæ myſterium ſtatim à ſponſæ aſſimilatur *botbro cypri in vineis engaddi* propter vuam perfectiſſimam; vel quę in Cypro Inſula creſcit, qualis etiam naſcitur in vineis Engaddi, vel quæ naſcitur in vineis Engaddi, & ex Cypro frutice odorata prope naſcente, eius odorem, ſaporemq; gratiſſimum refert; & hic quidem bothrus in paſſione calcatus, in Cant. 1.

crucis

crucis torculari expreſſus, in calice ſacroſanctæ Euchariſtiæ propinatus ex Virginis vite germinauit,ac prodijt: quare ex Virgine etiam illud nobis editum non ſine gratiarum actione agnoſcere,ac prædicare debemus.

Offic. Eccleſ. Miſſale Rom.

23 Propter hanc ergo coniunctionem inter myſterium Incarnationis, & Euchariſtiæ in officio ſanctiſſimi Sacramenti Hymni terminantur ſtropha illa: *Gloria tibi Domine, qui natus es de Virgine.* & in Miſſa eiuſdem,Præfatio illa: *Quia per incarnati Verbi myſterium* adhibetur;& in ipſo cantu modulatio eadem, qua in feſtis vtimur B.Virginis præſcribitur in Gloria in excelſis,& ſimilibus.

S. Bernardinus. Corpus Chriſti ex Virgine acceptum Eccleſiæ eſt ornamentũ.

Propterea S.Bernardinus Senenſis tom.1.ſerm.61.art.1.cap.10. probat ex Virgine totam Eccleſiam militantem ornari,ac decorari: *Quoniam,* inquit, *de carne Virginis benedictæ,& in parte corporis eius exciſa conſiſtit;perficitur,& terminatur totum decus, ac pondus Sacramentorum Eccleſiæ: certum eſt enim quod omnis inſtitutio Sacramentorum, & omnia alia Sacramenta tanquam in vltimum finem, & ad illud Sacramentum omniũ Sacramentorum excellentiſſimum,quod eſt Euchariſtia,ordinatur:quæ quidem conficitur, & conſecratur dum panis in corpus Chriſti conuertitur,&c.* hæc S.Bernardinus; qui addit carnem illam de Virgine deciſam ita nobilitatam,& tanto vinculo vnitã Verbo Dei, vt in Chriſti morte ſeparari potuerit à propria forma,ideſt ab anima,non tamen à Verbo. Hinc eſt,quòd iure ſuo Virgo beatiſſima,quæ per Menſam panum propoſitionis, vt ſupra dixi Exod.25.figuratur,inuitat ad Euchariſtiam, ac propterea ei accommodare poſſumus verba illa,quæ à diuina Sapientia dici ſcribuntur Prou.9. *Venite comedite panem meum,& bibite vinum,quod miſcui vobis:* licet enim Sacramentum illud ſit panis, & vinum diuinæ Sapientiæ,hoc eſt corpus,& ſanguis Chriſti Verbo hypoſtaticè vnita, nihilominus tamen eſt etiam panis ſuus, ideſt Deiparæ de ipſius ſanguinibus acceptus, in ſuis viſceribus conceptus;& ſimiliter eſt vinum,quod miſcuit ipſa; & illud Eccleſ.24. *Tranſite ad me omnes,qui concupiſcitis me;* inuitantur enim à Virgine illi,qui eam concupiſcunt,qui ſcilicet peculiari reuerentia,& affectu eam proſequuntur; *& à generationibus meis implemini,* ideſt à filio meo,quem genui;explete veſtrum deſiderium in ſanctiſſima Euchariſtia,per quam tot bona in Eccleſia communicantur. Quare ardenti fame, ac deſiderio huius cœleſtis cibi diligenter præparemur, ac diſponamur ad illum dignè ſumendum:etenim,vt ipſa Virgo in ſuo Cantico monuit: *Eſurientes impleuit bonis,* vt ſic ex eo repromiſſum fructũ reportemus; & vt verbis vtar Leonis ſer.10.de Paſſ. *In id quod ſumimus tranſeamus.* Quare meritò Chryſoſtomus in ſua Liturgia ante ſumptionem Euchariſtiæ,huius Virginis opem implorat,vt dignè communicet: hæc enim verba in quadam oratione recitanda præſcribit: *Et interceſſione immaculatæ Dominæ noſtræ Deiparæ,& ſemper Virginis Mariæ dignum me fac,vt ſine condemnatione accipiam immaculatum tuum donum in remiſſionem peccatorum in vitam æternam.* ita Chryſoſtomus.

Exod. 25. Virgo inuitas omnes ad Euchariſtiam.

Prou. 9.

Eccleſ. 24.

Leo.

Chryſoſtomus.

Qui communicant Virginis deuotionem in ſe excitent, quãtumque Virgini debeant.

24 Qui igitur erga Virginem peculiari amore flagrant ad excitandum,& acuendum ex hac etiam parte erga Virginem deuotionis ſenſum, cum ad ſanctiſſimam Euchariſtiam percipiendam accedunt, cogitent in Chriſti corpore quod ſumunt eſſe ſubſtantiam illã, quæ fuerat Virginis,ex qua Chriſti corpus formatum,& poſtea ex eiuſdem Virginis ſubſtantia auctum,quandiù ſanguine in vtero Matris, quandiù etiam poſt natiuitatem matris lacte nutritum fuit,quæ ſubſtantia olim Virginis, nunc hypoſtaticè eſt vnita Verbo Dei;& ſic etiam Virgini gratias agant, ex qua tantorum bonorum vbertas ad nos emanauit. Si enim Ioſephum filium Iacob Patriarchæ Geneſ.41. vt triticum huic vitæ mortali perneceſſarium in futurum ſterilitatis ſeptennium conſeruandum curaret Pharao in tantam dignitatem euexit,vt ſupra omnes eum conſtituerit,eiq; ſuum annulum, ſtolam byſſinam,& torquem auream dederit,atque ſuper currum ſuum ſecundùm aſcendere fecerit,clamante præcone,vt omnes coram eo genuflecterent,& Præpoſitum eſſe ſcirent vniuerſæ terræ Aegypti:nec quicquam abſque Ioſeph imperio fieri voluerit, eumq; lingua ægyptiaca Saluatorem mundi appellarit; quantò magis Deiparæ debet vniuerſus orbis,quæ panem vitæ,qui de cœlo deſcendit,quo à morte æterna liberamur, non in ſolùm ſeptennium,ſed in omnem ætatem:nec vni tantum Aegypto,ſed nationibus omnibus in Eccleſia, & perpetuò permanſurum ex ſuis ſanctiſſimis viſceribus concepit, & lacte poſtea nutriuit; ut meritò Deus eam de mundo optimè meritam in tantam ſublimarit

Geneſ. 41.

marit dignitatem,vt vni Deo sit secunda,Dominamq; mundi,& dispensatricem diuinarum gratiarum eam constituerit. Quare B.Laurentius Iustinianus serm. de Natiu. Virg. agens de sanctissimo Christi corpore, quod in Eucharistiæ Sacramento nobis proponitur: *Hoc*,inquit,*Manna,quod in vtero Mariæ repositum,tibiq. expositum,atque appositum est,frequenter vtere ad salutem:vteri huius venerare pudicitiam, & arcæ huius mysticæ gratiam contemplare; quæ tale excepit munus, talemq. genuit prolem, quæ te corporis sui manna reficeret,inebriaret cruore,passione redimeret,morte saluaret.* hæc ille. B.Laur.Iustin. Exod.16.

IN OMNI VITAE CVRSV VIRGO DEIPARA filio familiariter proxima, eiusq. eximia erga Christum charitas. Cap. IX.

1 DE secunda porrò vicinitate, quæ Deiparæ in conuictu, seu conuersatione cum filio interceſſit; multa,eaq; præclara dici possent: quis enim nō videt ad Virginis sanctitatem augendam,eiusdemq; dignitatem nobis declarandam, non parum contulisse eius intimum,ac familiarem cum Christo Dei, suoq; pariter filio tot annorum conuictum in eadem domo, in eadem mensa, in suauissimis, crebrisq; colloquijs? vt non immeritò Franciscus Mayro in sermone de creatione animæ Virginis dixerit ei conuenire illud Sap.8. *Generositatem eius glorificat contubernium habens Dei*; loco enim vocis, contubernium, græce habetur συμβίωσις. quod idem est, quod conuictus; ac si diceret,ipsa habens contubernium, & conuictum cum Deo hoc celebrat tanquam veram generositatem. Virginis cum filio cōuersatio. Mayro. Sap. 8.

De hoc Bernardus homil.1. super Missus est: *Maria*,inquit, *Matrem se agnoscens, Maiestatem illam,cui Angeli cum reuerentia seruiunt,cum fiducia suum nuncupat filium, dicens fili quid fecisti nobis sic?* & mox: *Et erat subditus illis, quis? quibus? Deus, cui Angeli subditi sunt; cui principatus, & potestates obediunt, subditus erat Mariæ; nec tantum Mariæ, sed etiam Ioſepho propter Mariam. Mirare siue filij benignissimam dignationem, siue Matris excellentissimam dignitatem: vtrinque stupor, vtrinque miraculum; & quòd Deus fœminæ obtemperet,humilitas sine exemplo; & quòd Deo fœmina principetur, sublimitas sine socio.* sic ex Bernardo. Quo etiam spectasse videtur Ildefonsus sermone 1.de Assumptione,vbi cum plurima,quæ Deipara Christo exhibuit obsequia,numerasset; subijcit: *Ergo qui cuncta pascit, cœlestia, & terrestria simul regit, hunc sacratissima Virgo lacte carnis aluit, & nutriuit. ad cuius deinde nutum vniuersi reguntur, sub eius disciplina,vel arbitrio infans Deus versatur.* & mox: *B. Virgo gladio passionis Christi vulnerata est in anima. O sanctissima omnium fœminarum, quæ cum Deo tale, tantumq. contubernium habuit in terris; & ecce hodie exaltatur apud eum, quem genuit,vt permaneat sine fine gloriosa in cœlis.* ita Ildefonsus. Et Epiphanius hæres.78. *Erat*,inquit, *Maria assectatrix Iesu cum ipso semper existens.* Augustinus item libro de Assumptione: *Absque dubio*, inquit, *omni opere ministratrix extitit, quæ hunc in vtero gessit, partuq. profusum aluit,& fouit, in præsepio reclinauit, & à facie Herodis in Aegyptum fugiens abscondit,& omnem infantiam eius matris affectu ita prosequuta est,vt vsque ad crucem, in qua filium iam virum perfectum vidit pendentem,ab eius indubitanter ministerio non recesserit; consequuta non solùm gressibus pedum, tanquam pro amore filij, verùm etiam imitatione morum,tanquam pro reuerentia Dei. Maria ergo ministra Christi spiritualium operum qualitatibus, sicut deuotissima extitit, ita absque dubio religionis fide,& veræ credulitatis charitate secutrix fuit.* ita Augustinus. Bernardus. Ildefonsus. Epiphanius. Augustinus. Luc. 1. & 2. Matth. 2. Ioan. 19.

2 Bernardus sermone Signum magnum: *Toties Maria filium audiuit non modò turbis loquentem in parabolis, sed & discipulis seorsim Regni Dei mysteria reuelantem: vidit miracula facientem, vidit deinde in cruce pendentem: vidit expirantem, vidit resurgentem: vidit ascendentem.* Idem etiam tomo 2. in sermone de B.Virg. *Maria Virgo*, inquit, *sanctissima, quæ Saluatorem genuit, peperit, & aluit; quæ iugiter eius adhæsit* Bernardus. Bernardus.

lateri, quæ comes indiuidua nullo ferè abfuit itinere, quæ intenta præ cæteris intuigilauit verbo, & operi eius, fola Saluatoris actuum inſignia operum opera, melliſtua prædicationis genera, inaudita contra mundum, & peccatum, & tartareum zabulum diuinæ ſeueritatis acerrima eloquia, quo eis diù interfuit, ſpecialius vidit, ſecretius audiuit, citius agnouit, propenſius retinuit, & Apoſtolis, alijsq. Diſcipulis locupletius edidit, diligentius retulit, melius indidit, fidelius tradidit: hinc eſt, quòd de ea legitur in Euangelio. Maria autem conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo. Hinc in eius laudibus legitur: Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas: licet enim in parabolis loqueretur ad turbas, licet omnia Apoſtolis nota faceret vt amicis; quædam tamen credendum eſt præ cæteris matrem ſuam, quemadmodum dilexiſſe, ita etiam propenſius eruiſſe, quædam ei ſecretius intimaſſe, frequenter eam ad montem myrrhæ, & ad colles thuris ſublimaſſe, in cellam vinariam occultaſſe, ſui prout nouit, & voluit gloriam Deificam, & ſupercœleſtem reuelaſſe notitiam: vnde Ioannes in Apocalypſi; De throno, ait, procedebant fulgura, voces, & tonitrua, quia Mater filij Ieſu Chriſti parabolas, ænigmata, legalia, & mirifica geſta, dicta, opera auidius ebibit, fidelius credidit, ſyncerius, luculentiusq. alijs edidit. hactenus Bernardus.

Chriſti ſermones maximè omnium Mariæ percepit.

Luc. 2.

Prouer. 31.

Luc. 8.

Cant. 4.

Cant. 2.

Apoc. 4.

Et quidem ex ſacra Euangeliorum hiſtoria ſatis hoc conſtat; quare laborum, & incommodorum omnium, quæ Chriſtus Dominus in toto vitæ ſuæ curſu pro humani generis ſalute ſubire dignatus eſt, ipſa in primis particeps fuit: etenim ſimulatq; in virgineis vteri ſui clauſtris eum excepit, nihil itineris labore retardata eſt, quo minus ad montana abiret cum feſtinatione; vt Ioannes adhuc in vtero matris exiſtens ab originali labe expiaretur; deinde Bethleem venit, vt illic cum Ioſeph ſponſo profiteretur; ibi in ſumma rerum omnium egeſtate, illum peperit, pannis inuoluit, reclinauit in præſepio, ac vbere de cœlo pleno lactauit: deinde in eius circumciſione ſanguini, & lacrymis infantuli intimè compaſſa eſt: à Magis, qui cum muneribus ex Oriente, ſtella duce, aduenerãt; vna cum filio inuenta eſt; eundem quadrageſimo die detulit ad Templum, deditq; hoſtiam ſecundùm legem (quæ quidem erat pauperum oblatio) par turturum, aut duos pullos columbarum; tunc à Simeone viro iuſto ſuam animam gladio tranſfigendam audiuit: cum filio etiam in Aegypto plures annos in medio hominum idolorum cultui inprimis deditorum exulauit: mox cum filius annum ageret duodecimum, ac Matre inſcia remanſiſſet in Templo, dolens ſtudioſè, ac ſolicitè eum quæſiuit, ac triduo quæſitum inuenit in Templo in medio Doctorum; poſtmodũ ſimul habitarunt in Nazareth vſque ad trigeſimum eius annum, quo quidem tempore prædicationem aggreſſus eſt: ſed neque tunc eum dimiſit; imò in nuptijs Cana Galileæ erat cum filio. & Ioan. 2. *Cùm eodem deſcendit Capharnaum, ibiq. cum eo manſit:* eundem in prædicatione proſequebatur, vt videre eſt apud S. Matthæum cap. 12. quo circa cum Chriſtus Dominus à Iudæis contradictionum, calumniarum, ſubſannationum, ac maledictorum probris impetebatur, in Matrem etiam ſæpè præſentem ſuo modo vniuerſa redundabant.

Maria particeps laborum Chriſti.

Luc. 1. & 2.

Matth. 2.

Luc. 2.

Ioan. 2.

Matth. 12.

Cæterùm cum de corporali Virginis ſequela, qua Chriſtum cum viueret eſt proſecuta, dixerimus, non videtur alienum ſi quid de eiuſdem charitate ſubtexamus, qua tanquam glutino ita Deo ſemper vicina fuit, atque coniuncta; vt peculiari ratione Deo dicere potuerit: *Adhæſit anima mea poſt te;* hac maximè flagrauit Virgo ſanctiſſima ab inſtanti ſuæ immaculatæ Conceptionis, quæ iugiter actibus meritorijs inſignibus, ijsq; frequentiſſimis incrementum capiens, in immenſum excreuit. Et quidem charitas virtutum regina, per aurum metallorum pretioſiſſimum, & per ignem elementorum nobiliſſimum, calidiſſimum, & actiuiſſimum; & per ſolem planetarum præſtantiſſimum, qui omnibus aſtris lucem impertitur (quo Apocal. 12. hæc beatiſſima Mulier amicta dicitur) ſignificari ſolet: hinc eſt quòd huiuſmodi, & alijs ſymbolis Virginis charitas exprimitur: Candelabrum Templi aureum, in quo ſeptem erant lucernæ oleo inſtructæ, & ardentes Exod. 25. tùm ratione rutilantis auri; tùm ratione ignis flagrantis Virginis charitatem ſeptem donis ſancti Spiritus præclariſſimis inſtructam, & oleo diuinæ gratiæ in ſingulis repletam adumbrabat; quæ non ſolùm obſequium Deo exhiberet, ſed etiam proximis exemplo, & doctrina præluceret: quin etiam ſicut aurum electum in igne magis probatur; ita charitas Deiparæ in tribulationibus, & præſſuris ne minimum quidem

Virginis in Chriſtum charitas eximia.

Pſal. 66.

Apoc. 12.

Exod. 25.

retar-

retardabatur,ſed in dies illuſtrior euadebat; de qua meritò Cant. 8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*; poterat enim ipſa veriſſimè illud Apoſtoli ad Rom.8. vſurpare: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti; tribulatio, an angustia, &c.* Quare Patres eam candelabrum templi aureum vocant; ita Epiphanius oratione de B.Virgin. & Georgius Nicomedienſis oratione de oblatio. Virg. Damaſcenus verò orat.1.de dormit.eam vocat Candelabrum,ex quo lumen illud ſempiternum, & inacceſſum prodijt:ideo Ephrem de laudib.Virgin.Lucernam eam vocat clariſſimam. & Andreas Cretenſis oratione in Annunciatione Virginis: *Benedicta*, inquit, *tu inter mulieres, quàm Zacharias vir diuiniſſimus aureum ceu candelabrum ſeptem vidit lychnis ornatum, nimirum ſeptem illis ſancti Spiritus donis clarum, & lucidum.* hæc Andreas. Cant.8. Rom.8. Epiphanius. Georg. Nicom. Damaſcenus. Ephrem. Andr. Cret. Zach.4.

4 Quare Virginis charitati flagrantiſſimæ illud Cant.8.iure quidem optimo accommodari poteſt: *Fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio: Lampades eius lampades ignis, atque flammarum:* opera enim Virginis,ſeu cor ipſum Virginis (vtrumque enim per lampades intelligere poſſumus) dilectionis igne maximo ardebant, flammas euomebant,ſplendoremq; foras mittebant; illo nempè igne accenſa, quem Dominus Ieſus eius filius miſit in terram,& voluit vehementer accendi; non quales lampades extinctæ,oleoq; defectæ in virginibus fatuis inuentæ ſunt; ſed quales habuiſſe deſcribuntur prudentes virgines obuiam ſponſo exeuntes: huiuſmodi lampadibus præ reliquis virginibus maximè ornatis,Virginum omnium prudentiſſima in Abigail 1.Reg.25. prudentiſſima pariter,& ſpecioſa præfigurata,Chriſto filio, & ſponſo occurrit. Ideo ex Bernardo ſermone 2.de Aſſumptione, de Deipara dicitur illud Prouer. 31. *Non extinguetur in nocte lucerna eius.*& Cyrillus hom.contra Neſtorium Deiparam vocat lampadem inextinguibilem. Cant 8. *Charitas Virginis fortiſſima.* Luc. 12. Matth. 25. 1 Reg.25. Bernardus. Prouer. 31.

Hanc Virginis charitatem eximiam ſignificauit etiam Exod.25.aurum mundiſſimũ, quo iuſſus eſt Moyſes deaurare arcam intus, & foris; & aurum illud præcipuum,quo 3. Reg.10. Thronus Salomonis eburneus (in quo,vt diximus cap.2.ſanctiſſima Virgo deſcribitur) conueſtitus erat;quod non commune aurum,ſed faluum nimis dicitur. Hanc etiam Virginis charitatem ſignificabat coccum illud non ſemel, ſed bis tinctum; ad rubrum colorem magis exprimendum, cuius frequentiſſimus erat vſus in cortinis Tabernaculi,& veſtibus Sacerdotum Exod.25.& alibi ſæpè: eandem etiam indicabat mulier illa amicta ſole planetarum nobiliſſimo, & maximè omnia calefaciente. Quare Bernardus ſermone Signum magnum. *Candidiſſimus*, inquit, *ſed & calidiſſimus huius mulieris amictus; cuius omnia tam excellenter irradiata noſcuntur, vt nihil in ea, non dico tenebroſum, ſed obſcurum ſaltem, vel minus lucidum; ſed ne tepidum quidem aliquid, aut non feruentiſſimum liceat ſuſpicari.* & S.Bernardinus Senenſis tom.2.ſermone 51.art.3. cap.2. *Mens Virginis*, inquit, *in ardore dilectionis continuè tenebatur*. Sed quid mirum hanc Reginam à dextris Regis aſtitiſſe *in veſtitu deaurato* Pſal.44.charitate ſcilicet ornatam, cùm in eodem pſalmo fimbriæ veſtimenti eius dicantur aureæ: fimbriæ porrò ſunt extrema pars veſtis iuxta terram,quæ in Virgine nulla terrena macula inquinatæ, ſed aureæ erant:quia non ſolùm in magnis operibus,quæ ex ſe ſpiritualia ſunt,cuiuſmodi ſunt oratio, contemplatio, &c. Deiparæ charitas tanquam in veſtitu deaurato fulgebat: ſed etiam minora opera,quæ corporis neceſſitati deſeruiunt,cuiuſmodi ſunt cibum capere, dormire,manibus laborare erant pariter aurea,pleniſſima ſcilicet perfectæ charitatis, & ab omni terrenarum rerum ſtudio vacua,iuxta illud Apoſtoli 1.Cor.10.*Siuè manducatis, ſiuè bibitis, ſiuè aliud aliquid facitis, omnia in gloriam Dei facite*,quod egregiè de Virgine aduertit S.Antoninus 3.par.tit.31. cap.3. Exod.25. 3.Reg.10. *Maria charitas præclariſſima.* Exod.25. Bernardus. S.Bernardinus. Pſal.44. 1.Cor.10. S.Antoninus.

5 Verùm triplicem amorem Virginis erga filium omni ſapientia, & virtutibus ornatum conſiderare poſſumus, naturalem ſcilicet, acquiſitum, & ſupernaturalem; quemadmodum adnotauit S.Antoninus 4.par.tit.15.cap.21.§.14. *Triplex amor Virginis erga filium.* S.Antoninus.

Et naturalis quidem erat maximus:etenim amor parentum in filios talis,tantusq; eſſe ſolet,vt S.Thom.2.2.q.26.art.9.ex ſententia Ariſtotelis in 8.Ethic. cap.12. dicat, hominem quamuis ratione obiecti magis debeat diligere parentes, ratione tamẽ ſui naturaliter magis diligere filium;quippe ſibi coniunctiorem, & veluti partem ſui. hinc factũ eſt,vt Deus optimus eximiũ,quo ſuos complectitur,amorem,matris comparatione expli- *Virginis naturalis in Chriſtum amor perfectiſſimus.* S. Thom. Ariſtoteles.

Isa. 49. carit Isa. 49. *Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui.* eademq; metaphora deliciarum, quibus nos paſcit, ſuauitatem Isa. 66. illis verbis, expreſſit: *Ad vbera portabimini;* perinde ac ſi diceret, veluti mater vos paſcam, & enutriam, ac terrenum vitæ mortalis iter quaſi maternis in vlnis infantium more portati, nullo veſtro labore, maxima cum voluptate conficietis. Hunc etiam amorem natura, vel ipſis animantibus rationis expertibus erga ſuos fœtus adeò vehementem indidit, vt ad eos alendos, educandos, ab omni iniuria tuendos, & ſi forte abducti fuerint recuperandos, nihil non ſuſcipiant laboris, nihil non aggrediantur: quin etiam ea de cauſa ferociores effectæ, vel aperto mortis diſcrimini ſe ſe obijcere non vereantur. Nam ex ijs, propter quæ bruta inter ſe quandoq; dimicant, vnum illud eſt, vt prolem ſuam defendant. Narrat Albertus Magnus lib. 8. de anim. cap. 2. vbi de hoc agit, Coruum abka, qui ex Apuleio ab Ethnicis Apollini erat dicatus, Miluum interficere ſolere; is enim dum corui pullos ex nido conatur abripere, à coruo tametſi viribus impari, deprehenſus vnguibus, & roſtro interficitur. Idem etiam ſcribit, Turturem pro pullis morti ſe exponere contra auem quandam rapacem ex genere Milui parui, quę latinè ait appellari Glatonem, cui dum rapere conatur Turturis pullos è nido, Turtur fortiter obſiſtit, & accidit interdũ, vt in eo certamine ab aue illa rapaciſſima concidat. Omnium ſermone conteritur illud de Pellicano, quod ex aliorum ſententia S. Auguſtinus pſal. 101. & S. Gregorius in eundem pſalmum referunt, qui ſeipſum grauiter vulnerat, vt extinctos pullos ſanguine ſuo perfuſos in vitam reuocet. Quare Deus Oſeæ 13. iuſtitiæ ſuæ ſeueritatem contra peccatores ſceleribus obſtrictos hac ſimilitudine declarat: *Occurram eis quaſi Vrſa raptis catulis, & diſrumpam interiora iecoris eorum.* Adhæc Ariſtoteles lib. 9. Ethic. cap. 7. quem citat S. Thomas 2. 2. q. 26. art. 10. in 2. argum. & ſequitur idem S. Thomas in illum locum Ethicorum. *Matres,* inquit, *magis ſunt amantes filiorum, quàm patres; laborioſior enim eſt generatio matrum, & magis ſciunt qui ipſarum ſint filij, quàm patres.* ſic ille. Quæ cum ita ſint, rectè colligimus amorem Deiparæ Matris erga filium, quem genuerat, lactauerat, & multis laboribus enutrierat, extitiſſe maximum, quippe cuius natura nobiliſſima, & optimè conſtituta nullis prauis, vel priuatis cupiditatibus retardata, ſuo pondere erga eiuſmodi filium ardentiſſimè ferebatur. Quare S. Bernardinus Senenſis tom. 3. ſerm. 1. de glor. nom. Mariæ art. 1. cap. 2. agens de amore naturali Virginis ad Chriſtum: *Similitudo,* inquit, *& propinquitas eſt cauſa naturalis amoris: vnde Eccleſ. 13. ſcriptum eſt: Omne animal diligit ſibi ſimile, & ſic omnis homo proximum ſibi ſimilem; profectò inter filium, & quamcunque aliam matrem tanta propinquitas, & ſimilitudo non fuit, quia Chriſtus totus fuit de ſola ſubſtantia matris; igitur inter nullos tanta dilectio.* hæc S. Bernardinus.

Albert. Magn. Amoris naturalis exempla aliquot.

S. Auguſtinus. Gregorius.

Oſea 13.

Ariſtoteles.

S. Thom.

S. Bernardinus.

Eccleſ. 13.

Virginis acquiſitus erga filium amor ſummus.

6 Quòd ſi de Virginis Deiparæ erga Chriſtum amore, vt vocant acquiſito, quatenus à charitate, quæ eſt virtus theologica, diſtinguitur, agamus; quamuis ad nonnullos illius actus præclariores auxilium Dei ſpeciale requiratur, ſanè & hic extitit ſummus; cùm ea, quæ Virginem ſanctiſſimam ad eiuſmodi filium diligendum permouebant, maxima planè fuerint: &, vt præteream in præſentia rationem, qua Chriſtus vt Deus diligibilis eſt ex charitate ſupernaturali, de qua infra; certè quod ſpectat ad bona tum animi, tum corporis, quæ honeſtiſſimum amorem inter homines conciliare ſolent, ea in Chriſto cumulatiſſimè inueniebantur, ac Matri ſuæ optimè cognita erant, atque perſpecta; ideoq; arctiſſimo amoris vinculo ei iungebatur: Nam animo ſapientiſſimus, ſanctitate maximè conſpicuus, optimis morum ornamentis præditus, matri vſque adeò obſequentiſſimus, vt tametſi Deus eſſet, & vniuerſorum Dominus, cui Angeli famulantur omnes, non matri tantum, ſed propter matrem etiam Ioſeph fabro matris ſponſo ſubditus eſſe non dedignaretur.

Luc. 1.

Pſal. 44.

Chriſtus forma ſpecioſiſſimus.

Baſilius.
Cyrillus.
Gregorius.
Chryſoſtomus.
Auguſtinus
Caſſiodorus.
Ambroſius.
Hieronymus.
Bernardus.

7 Iam corpore ex pſal. 44. *Speciouſus forma fuit præ filijs hominum:* quæ quidem verba, & ſi de pulchritudine diuinitatis intelligantur à Baſilio in illum pſalmum, à Cyrillo lib. 5. ſuper cap. Iſa. 53. & à Gregorio, alijsq; de pulchritudine gratiæ; Sanctus tamẽ Chryſoſtomus hom. 18. in Matth. Auguſtinus item, & Caſſiodorus in eundem pſalmũ de pulchritudine corporis explicant: & certè Chriſtũ fuiſſe forma pulcherrimum aſtruunt Ambroſius lib. 1. de Virg. Hieronymus lib. 1. in Matth. Bernardus ſerm. 1. in feſto omnium Sanctorũ:

præte-

prætereà Matri erat facie quàm ſimillimus,complexione item,vt cap.5.diximus, prædi-
tus ſanguinea,quæ hominem alijs magis amabilem, eumq; magis ad alios amandum
promptum reddit. Quare iure optimo Cant. 5. vbi ſub ſponſæ typo Deipara Chriſti *Cant.5.*
pulchritudinem per ſingula membra deſcribens, eiusq; colorem, caput,comas,oculos,
genas,labia,ventrem,crura,& guttur, exquiſitis ſimilitudinibus commendans; conclu-
dit tandem dilectum ſuum totum eſſe deſiderabilem;ac ſi diceret, & animo, & corpore
longè amabiliſſimum. Non me latet huiuſmodi membrorum commendatione ſpiritua-
lem Chriſti pulchritudinem nobis ſignificatam.Nam quemadmodum ex Ambroſio lib. *Ambroſius.*
2. de Virgin. in Deipara ipſa corporis ſpecies ſimulacrum fuit ſanctitatis, & figura pro-
bitatis; ita & membrorum Chriſti pulchritudo ſpecimen interioris pulchritudinis no-
bis exhibebat.

8 Adhæc maternum erga filios amorem multa,vt ſatis patet,accendere ſolent;ſi nimi- *Virginis erga Chriſtum amor flagrantiſſimus.*
rum filius ſit vnicus; ſi diù,multumq; deſideratus;& precibus enixè à Deo impetratus;
ſi multorum bonorum hæres;ſi eius conſuetudo temporis præſertim diuturnitate robo-
rata,iucundiſſima ſit; ſi viciſſim à filio mater ipſa vnicè diligatur. At hæc omnia Dei-
paræ erga filium amorem acquiſitum mirificè augebant;Chriſtus enim vnicus genitrici
ſuæ à toto terrarum orbe,per tot annorum ſpatia ſummis votis,ac precibus expectatus,
& concupitus,vt propterea Gen.49.*Deſiderium collium æternorum;* & Abacuch 2. *Cun-* *Gen. 49.*
ctis gentibus deſideratus appelletur; *quem Pater* Hebr. 1. *Conſtituit hæredem vniuerſo-* *Abacuch 2.*
rum; de quo Gabriel Angelus ad Virginem: *Dabit ei Dominus ſedem Dauid patris eius,* *Hebr. 1.*
& regnabit in domo Iacob in æternum,& regni eius non erit finis; cuius erat conſuetudo *Luc.1.*
dulciſſima,quàm Deipara tot annos guſtauerat ſuauiſſimè, quod exemplo Apoſtoli Pe-
tri confirmatur,qui Chriſti conſuetudinem tãtiſper expertus in ea verba prorupit Ioan. *Chriſti conſue-*
tudo dulciſſima.
6. *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes;* de Chriſto enim quatenus homo eſt dici *Ioan.6.*
poteſt id, quod de diuina Sapientia pronuntiatur Sap. 8. *Non habet amaritudinem con-* *Sap.8.*
uerſatio illius,nec tædium conuictus illius,ſed lætitiam,& gaudium. Nullus denique filius
matrem ita dilexit,& coluit ſuam,tot,tantaq; matri contulit beneficia, tantaq; pro ea
ſuſtinuit,ſicut pro matre ſua Chriſtus.

Neque tantùm Deipara filium amore ſummo complectebatur, verùm etiam maxima *Deiparæ cum Chriſto amicitia maxima.*
eidem cum illo amicitia interceſſit;ſiue humana amicitia,vt Theologi dicunt,virtuoſa
peculiaris ſit virtus ab alijs diſtincta,quòd Henrico Gandauenſi quodl.10.q.12. & Pa- *Henric. Gand.*
ludano in 3.diſt. 27.q.1. placet, ſiue fundetur in alijs virtutibus, in quod propendet S. *Paludanus.*
Thomas 2.2.q.23.art.3.ad 1.eumq; ſequuntur Caietanus ibidem,& Capreolus 3.ſent. *S.Thom.*
diſt.27. q.vnic. inter parentem verò, & filium amicitiam propriè conſiſtere poſſe docet *Caietanus.*
Ariſtoteles 8.ethic.cap.7.& 14. & 9.ethic. cap.1. neque hic agimus de ea amicitia ad *Capreolus.*
Deum,quæ ex D.Thoma 2.2.q.23.art.1.in charitate ſupernaturali continetur,de qua *Ariſtoteles.*
mox dicemus: ſed de amicitia, vt ita dicam, acquiſita. Quæ verò ad huiuſmodi amici- *S.Thom.*
tiam conſtituendam requirit Ariſtoteles in 8.ethic.quem refert S. Thomas loco allega- *Ariſtoteles.*
to,ea ferè numerantur;vt nimirum ſit amor beneuolentię erga rem amatam,quo ei bo- *S. Thom.*
num velimus;ſitq; amor mutuus,fundatus ſuper aliquam communicationem bonorum,
vtpote in communione ſanguinis,cuiuſmodi eſt inter conſanguineos; vel in communio-
ne virtutis,qualis eſt inter viros probos: denique vt amor mutuus vtrique amico ſit co-
gnitus;*eſt enim amicitia* (inquit Ariſtoteles 8.ethic. cap.4.) *Redamatio non latens.* At *Ariſtoteles.*
verò hæc omnia in Deiparæ cum filio amicitia pleniſſimè extitiſſe ex ijs, quæ toto hoc
capite à nobis diſſeruntur,perſpicuè apparet.

9 Illud verò ſilentio prætereundum non eſt;in hac dilectione,& amicitia, tùm naturali, *Amori non plus iuſto indulgendum, ſiue naturali, ſiue acquiſito.*
tùm etiam acquiſita,qua parentes erga filios afficiuntur,illud eis magnopere curandum
eſſe,ne plus iuſto huic amori, & amicitiæ indulgentes rectæ rationis fines tranſgredian-
tur,& diuino amori filiorum amor præponatur, vel opponatur; vel propter eos nimium
animo diſcruciemur,& à rebus ſpiritualibus auocemur;quod nonnullis infeliciter euenire ſolet;vt propterea Chriſtus Dominus Luc.14. *Si quis non odit patrem ſuum, & ma-* *Luc. 14.*
trem,& vxorem,& filios,&c. non poteſt meus eſſe diſcipulus; & de amicis in veteri pro-
uerbio habemus: *Amicus vſque ad aras.* Quare inter ſapientiſſimi Pythagoræ monita, *Pythagoræ monitum.*
& hoc recenſetur,*Arctum annulum ne geſtato,*hoc eſt, ne erga eos, quibus cum agis,ni-

mius sit amor, qui te angat, & excrùciet. At Virgini beatissimæ hoc neutiquam timendum erat; cùm eius in filium amor non eam à Deo auelleret, sed quantumcumque excresceret, magis, magisq; ipsam cum eo coniungeret; cùm enim filium amabat, Deum suum diligebat; nec poterat tantum eum diligere, quin maiori dilectione dignus esset.

Virginis supernaturalis in filium amor immensus.

10 Supernaturalis denique amor charitatis, quæ est virtus theologica, longè superat quemcumque amorem naturalem, vel acquisitum; cùm nullus parens pro filijs ea fecerit, vel passus sit, quæ Martyres, & sancti Confessores hac charitate supernaturali incensi pro Christo passi sunt, vel fecerunt, vt videre est in Abraham, qui vnigenitum suum Isaac Dei iussu in holocaustum eidem offerre volebat; & in Matre septem Machabeorum, quæ cap. 3. fortiter eos hortabatur ad vitã pro Dei lege ponendam, & in innumerabili Martyrum, ac Confessorum multitudine, qui omni tormentorum genere superiores extitere; vel sua omnia vt stercora arbitrantes nudi nudum Christum sunt secuti.

Gen. 22.

2. Mach. 3.

Hæc porrò charitas in Deipara erga Christum omninò erat immensa; charitas enim respondet gratiæ, qua Virgo plena erat, & superplena; de cuius magnitudine in superioribus fusè egimus; ideò etiam charitate supernaturali erat pleniſſima; vt propterea meritò affectus illi castissimi amoris sponsæ erga Christum sponsum, qui in Canticis describuntur, præcipuè Virgini sanctissimæ applicentur; vtputa Cant. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi, inter vbera mea commorabitur:* quasi dicat, omnibus contemptis, illi soli viuo, & in intimis mei pectoris penetralibus collocaui, & Cant. 5. *Dicite dilectò, quia amore langueo;* & id genus reliqua, vel elogia, vel præconia innumerabilia, quæ in Canticis, Psalmis, alijsq; sacrarum litterarum libris leguntur. Quod si ex persona seruorum Dei Augustinus lib. 9. confess. cap. 1. dixit: *Sagittaueras tu Domine cor nostrum charitate tua,* & Quid de Matre Dei dicendum erit? audiamus Bernardum serm. 29. in Cant. *Sagitta electa est amor Christi, quæ Mariæ animam non modò confixit, sed etiam pertransiuit, vt nullam in pectore virginali particulam amore vacuam relinqueret, sed toto corde, tota anima, tota virtute diligeret, & esset gratia plena.* hæc Bernardus. & Hugo de sancto Victore, cuius verba refert S. Thomas opusc. 8. *Quia in corde Virginis amor Spiritus sancti singulariter ardebat, ideo in carne mirabilia faciebat; in tantum quòd de ea nasceretur Deus, & homo. Luc. 1. Quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei.* sic Hugo apud S. Thomam. Quòd si diligentius perscrutemur ea, quæ Virginis animam ad eximium erga filium amoris ardorem inflammabant, inueniemus septem præcipuè capita, quæ hanc dilectionis flammam nutriebant, ac mirum in modum propagabant.

Cant. 2.

Cant. 5.

Augustinus.

Bernardus.

Isa. 49.

Hugo.

S. Thom.

Luc. 1.

Virginis in filium charitatem multa nutriebant.

Primò, quia Christi infinita bonitas.

11 Primùm igitur Virgo sanctissima Christum filium summè diligebat, vt Deum infinitè bonum, & obiectum summè diligibile; sub qua ratione omnia diuina attributa, quæ ad sui amorem nos alliciunt, complectimur; quoniam verò Deipara maiori sapientia, maioriq; rerum diuinarum cognitione erat prædita, & profundius res diuinas, vt alibi diximus, penetrabat; maiori etiam quàm cæteri in Deum charitate ferebatur.

S. Thom. Secundò, quia Christus etiam vt homo erat omni amore dignissimus.

D. Thom.

Secundò, cùm charitas supernaturalis ex D. Thoma 2. 2. q. 25. art. 1. non solùm ad dilectionem Dei, sed etiam proximi se extendat, idcirco Deiparæ charitas ad filium ardentissimè ferebatur, non solùm qua Deus, sed etiam qua homo erat; & quo ad animam, & quò ad corpus; præsertim quia humanitas illa sanctissima Verbo erat hypostaticè vnita; quod singulare erat dilectionis incentiuum: quod si ex D. Thoma 2. 2. q. 26. art. 6. ad 4. proximi, qui maiori bonitate pollent, magis sunt diligendi ex charitate propter maiorem propinquitatem cum Deo; quanta charitate diligendus erat Christus, qui vt homo omni gratia, sapientia, reliquisq; virtutibus, quæ eum omni ex parte amore dignissimùm redderent, cumulatissimè erat ornatus? hinc est, vt beatissima eius mater, quę hæc omnia probè nouerat, immenso eum amore prosequeretur. Quare Anselmus de excell. Virg. cap. 4. *Ex amore, quo se amant bonus filius, & bona mater,* aliquatenus, inquit ipse, *tentemus, si quomodo coniectare valeamus amorem huius bonæ matris erga verè bonum, & vnicum filium suum; & istius boni filij sui erga verè bonam, & dulcissimam matrem suam.* ita Anselmus. S. Bernardinus tom. 3. sermone 2. de glorioso nomine Mariæ artic. 1. cap. 3. *In Christo,* inquit, *fuerunt omnes conditiones, propter quas mater amat filium; & habuit eas in summo: erat quippe Dominus Iesus Christus præ cæteris*

Anselmus.

S. Bernardinus.

omnibus

omnibus potentior, ſapientior, generoſior, formoſior, atque melior; quæ omnia eleganter ex ſacris litteris explicat, & confirmat.

12 Tertiò, Deipara filium ſuum ardentiſſimo amore complectebatur, non tantùm vt Deum ſummè diligibilem, & vt hominem omni dilectione dignum; verùm etiam vt ſuum inſignem beneficum; à quo innumera, & animæ, & corporis beneficia creationis nimirum, redemptionis, & ſimilia acceperat; quæ tametſi communia ſibi eſſent cum alijs, in ijſdem tamen diuino munere reliquis ſe præcellere, ac præſtantiori quadam ratione ſe illorum ab eodem filio participē eſſe factam agnoſcebat. Hinc Bernardus ſerm. 4. de Aſſumpt. *Cæteras quoq; virtutes,* inquit, *SINGVLARES prorſus inuenies in Maria, quæ videbantur eſſe communes.* Nam ſi S. Paulus præclariſſimus Chriſti Apoſtolus in eundem Chriſtum, cui ſe multis nominibus adeò debere profitebatur, tanto amore exarſerat, vt conſtanter aſſereret ad Rom. 8. *Nullius creaturæ vi, atque conatu poſſe ſe ab eius charitate ſeparari,* quin etiam ad Philip. 2. *Propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti omnia exiſtimabat detrimentum eſſe, & omnia arbitrabatur vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaceret.* cuius rationem reddit ad Gal. 2. *In fide,* inquit, *viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Quanto ergo maiori Chriſti charitate flagrabat Deipara, quæ hæc filij beneficia diligentiori examine perpendebat; & vt de vno, vel altero exemplum afferam; agnoſcebat enim non ſolùm ſe à Deo creatam, verùm etiam in ipſa creatione pluribus, maioribusq; donis, ac prærogatiuis, quàm vlla pura creatura, & his quidem in præcellenti gradu cumulatam. Pari ratione redemptam ſe quidem à Chriſto nouerat; attamen nobiliori modo, quàm alij; quippe quæ ab omni mortalis, venialis, & originalis peccati labe præſeruata, totq; bonis per hanc redemptionem exornata fuerat. Quo circa in ſuo Cantico Deum communem totius humani generis ſaluatorem propter ſingulares in eo ipſo redemptionis beneficio prærogatiuas, ſuum peculiarem appellare non dubitat. *Et exultauit ſpiritus meus in Deo SALVTARI MEO;* non tantùm quòd redemptionis beneficium, ac ſi in ſe vnam eſſet collatum, magnificaret (id quod Chryſoſtomus in verba illa citata ad Gal. 2. *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me* exemplo Pauli ab omnibus faciendum eſſe animaduertit: *Vnuſquiſque enim noſtrum non minus,* inquit, *gratias agat Chriſto, quàm ſi ob ipſum ſolum aduenisſet: neque enim recuſaturus erat ob vnum tantum exhibere diſpenſationem.* ita Chryſoſtomus. Verùm etiam ſingulari iure id poterat Deipara prædicare cum nobiliori modo præ cęteris omnibus redemptionis beneficium ſit conſecuta: quare in eodem Cantico rationem ſuæ exultationis reddidit: *Quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius.*

Tertiò, quia ſumma in eam beneficia contulerat.

Bernardus.

Rom. 8.

Philip. 2.

Gal. 2.

Luc. 1.

Chryſoſtomus. Gal. 2.

Luc. 2.

13 Quartò, hunc Deiparæ erga Chriſtum amorem præter beneficia illa, de quibus iam diximus cum alijs communia; augebant ſingularia, eaq; eximia priuilegia, de quibus in toto hoc opere, ſed præſertim cap. 20. quæ præ cæteris in ſe vnam ab eodem Chriſto munificentiſſimè collata experiebatur: & (vt reliqua taceam) de maternitate Dei, in qua præcipuè eius dignitas, atque præſtantia ſita eſt, quæq; veluti radix eſt, & origo innumerabilium donorum, quæ larga manu in eam ſunt congeſta, aliquid obiter in mediū afferam. Sanè ipſemet filius eam ſibi in Matrem delegit, & in tantum dignitatis culmen euectam ijs cumulauit donis, quibus creaturas omnes longo præcederet interuallo: quid ni ergo in eum ſingulariter præ cæteris ardentiſſimo feratur amore? hoc porrò in Virginem beneficium à Chriſto profectum pulchrè ob oculos ponit illud Prou. 9. *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, &c,* quod Bernardus ſerm. 9. ex paruis ſic explicat: *Chriſtus Dei virtus, & Dei ſapientia, qui Deus erat, de ſinu Patris ad nos veniens ædificauit ſibi domum, ipſam ſcilicet Matrem ſuam Virginem Mariam, in qua ſeptem columnas excidit, ipſam dignum ſibi habitaculum in fide, & operibus præparando.* hæc ex Bernardo. & pſal. 86. *Homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam Altiſſimus.* Ideo Sophronius ſermone de Aſſumptione: *Tantam,* inquit, *fecit eam, vt ipſe fieret per eam.* & Ildefonſus ſerm. 7. de Aſſumpt. *Lacta eum, qui talem fecit te, vt ipſe fieret in te.* quòd pulchrè expendit Anſelmus loco citato, vbi ſermonem ad Virginem dirigens: *Et tu,* inquit, *ò beatiſſima fœminarum, in quam fluxit tam copioſa, & ſupereminens gratia omnium gratiarum, quid enim animi, quæſo, gerebas ad eum, qui tibi hæc magna fecit? vnde ſicut ipſa dixiſti ab omni generatione beata dici meruiſti.* hæc Anſelmus. Qui tandem eo capi-

Maternitas Chriſti maximum beneficiū. Cap. 20.

Prouer. 9.

Bernardus.

Pſal. 86.

Sophronius.

Ildefonſus.

Anſelmus.

Luc. 1.

te

Amor Virginis in Christum superat omnes amores.

te concludit in hæc verba: *Superat ergo omnes omnium rerum creatarum amores, & dulcedines magnitudo amoris illius Virginis in filium suum, & dulcedinis immensitas, qua exultabat, & liquefiebat anima eius in eundem Dominum Deum suum.* & infra: *Quo, vel quali gaudio replebatur tota substantia eius, quando eum, quem tantopere diligebat, quem creatorem, & dominatorem omnium rerum esse sciebat, secum agentem, secum edentem, se quæcumque nosse volebat dulci affatu docentem haberet, quis caperet?* hæc Anselmus.

Maria ratione consanguinitatis Christi amantissima.

14 Quintò, beatissima Virgo præcipua erga Christum Dominum charitate ferebatur non eo solùm nomine, quo eum suum benefactorem, ac singularem benefactorem, vt diximus, agnoscebat; verùm etiam vt eius Mater, & vt eius vicissim quodammodo benefactrix, cui ipsa aliquid contulerat ex suo, carnem nimirum, ex suis purissimis sanguinibus; quod Deiparæ cordi adeò infixerat Deus, vt vel ipsum Mariæ nomen id præferret,

Ambrosius.

ac indicaret, si nominis MARIAE etymologiam ab Ambrosio in lib. de Instit. Virg. cap. 5. allatam sequamur: *Vbi speciale*, inquit, *Maria Domini hoc nomen inuenit, quod significat Deus ex genere meo*: & ratio quidem maternitatis, si spectemus consanguinitatis vinculum, ad alliciendum erga filium amorem magnam habet efficacitatem, quemadmodū supra de amore matrum naturali dicebamus; charitas verò supernaturalis perficit ipsam

Valentia. S. Thom.

inclinationem naturalem, teste Valentia 2.2. disp. 3. q. 4. pun. 5. vt propterea S. Thomas 2.2. q. 26. ordinem charitatis, quo diuerso ordine proximos diligimus ex naturali inclinatione, & ex Aristotelis doctrina ferè colligat. Cæterùm dilectionem qua mater quælibet in gratia existens filium charitate supernaturali prosequitur ex S. Thoma quæst. cit. inuestigemus; is art. 6. ad 2. cum docuisset eos, qui maiori bonitate sunt præditi magis

Aristoteles.

S. Thom.

etiam diligendos ex charitate, quàm alios minus bonos. *Quoniam illi*, inquit, *sunt Deo propinquiores*; in articulo tamen septimò multis rationibus astruit, eos qui nobis sunt propinquiores intensiori affectu ex charitate diligi, quàm alios; tametsi probitate meliores: & art. 9. consanguineos propter coniunctionem naturalis originis magis diligendos, quàm eos, qui alia ciuili coniunctione nobiscum communicāt, ex quo matris erga filium

Maria vt benefactorem summopere Christum diligebat.

dilectionis vim intelligimus. Quòd si in eadem maternitate non tantum consanguinitatem cum filio, sed etiam beneficentiæ rationem erga eundem attendamus, profectò id etiam amorem erga filium mirificè conciliat; cum beneficus erga eum, in quem confert beneficium, propensiori dilectione ferri soleat, quàm erga eum, à quo beneficium recipit. quo circa S. Thomas quæst. cit. art. 9. in corpore, & ad 2. concludit, filium, & si sub

S. Thom.

ratione principij naturaliter magis diligat patrem; ratione tamen maioris coniunctionis ex Aristotele 8. Ethic. cap. 2. Patrem naturaliter magis diligere filium tanquam partem sui, & art. 12. in corpore, & ad 2. ex Aristotele 9. Ethic. cap. 7. vult benefactores magis amare eos, in quos beneficium contulerunt, quàm amari ab ijs, licet amor erga benefactorem sit ei magis debitus; sanè Aristoteles lib. 2. moral. cap. 14. *Cur nam*, inquit, *pater filium magis amat, quàm filius patrem: vtrum* (vt nonnulli inter multos aiunt) *quod pater beneficus erga filium sit, quodq. filius de patre benemeritus, & eius factio sit.* hæc

Aristoteles.

Aristoteles; qui alijs etiam rationibus id confirmat ibi, & 8. Ethic. cap. 2. ex quo vulgatum illud axioma manauit: *Amorem magis descendere*; vt propterea ex hoc etiam capite Deiparæ in Christum amor non exiguum, vt dicebamus, acceperit incrementum. Quare

Methodius.

Methodius oratione in hypapantem: *Tu admirabilem*, inquit, *Incarnationem, quam aliquando non habuit, Deo mutuam dedisti. Euge euge Mater Dei, & Ancilla, quæ debitorem illum habes, qui omnibus sub fœnore mutuatur, Deo namq. vniuersi debemus, tibi verò ipse debet.* ita Methodius. Et S. Bernardinus Senensis tom. 3. serm. 11. art. 2. cap. 2. *O stupendum*, inquit, *miraculum, & inauditæ altitudinis fastigium, vt à muliere Dei filius quodammodo recognoscere videatur suum esse humanum.* ita S. Bernardinus.

S. Bernardinus. Patris simul, ac Matris amore Virgo Christum prosequebatur. Anselmus.

15 Sextò, quia Christus totus erat Virginis, etenim qua homo est patre caret, atque ita Virgo vtrumque amorem simul patris, & matris filio debebat; & vicissim Christus amorem, quem filij vtrique parenti debent, exhibet soli matri. quod pulchrè Anselmus lib. de excell. Virg. cap. 4. docet: *Amorem*, inquit, *quem pater, & mater singuli debent filio suo, debet hæc felicissima matrum sola filio suo; amorem etiam, quem debet filius simul suo patri, & matri, ille filius verè Virginis suæ debet soli matri: nam sicut alij filij nascuntur ex patre, & matre, ita filius eius natus est ex ea sola matre; excedit itaq. omnes amores*

pa-

parentum in filios, aut filiorum in parentẽ amor istius matris in filium suum, & istius filij in matrem suam. hæc Anselmus.

Septimò, Virgo ipsa tota erat Christi, qui erat vnigenitus; quando enim plures sunt filij, matris amor in plures diuiditur; non sic autem in Virgine, cuius filius erat illi vnicus: amor verò filij vnici magnus esse solet; propterea Dauid 2. Reg. 1. suum in Ionatham amorẽ eximium vnici filij à matre dilecti similitudine declarat: *Sicut*, inquit, *mater vnicũ amat filium suum, ita ego te diligebam.* Quare Plutarcus lib. de amicitia, naturam eius, cui vnicum filium dedit, amorem colligere; cui verò plures filios contulit, amorem diuidere: quia verò Virgo mater tota, vt dixi, erat Christi, & Christus totus Virginis, meritò verba illa Cant. 2. vsurpare poterat: *Dilectus meus mihi, & ego illi.*

Amor vnigeniti præclarior. 2. Reg. 1. *Plutarcus.* *Cant. 2.*

16 Et hæc satis de septem illis capitibus, quæ veluti septem amoris fontes copiosissimi erãt; ex quibus ingens illè charitatis Deiparæ fluuius igneus erga filium magna vi manabat: vel septem erant annuli, quibus arctissimo dilectionis vinculo eidem filio deuinciebatur. Concludam septem horum capitum disputationem illis Bernardi verbis: *Quid mirum si MARIA præ omnibus diligit, quæ est præ omnibus dilecta?* nam eadem septem capita, quæ quasi totidem incendia Deiparam sanctissimam ad Christi amorem tantopere inflammabant, si proportione quadam ex parte Christi erga Deiparam sumantur, rationes dici possunt, quibus ille genitricem suam immenso amore iam inde præuenerat, quippe qui in eam, vt in singulare opus suæ omnipotentiæ, quam præ cunctis ab æterno præelegerat, suæ thesauros bonitatis effuderat, ac tot, tantisq; beneficijs, ac peculiaribus priuilegijs cumulauerat, vt in ea præ cæteris puris creaturis suæ diuinitatis attributa relucerent, quamq; in matrem, ex qua sine viri consortio carnem sumeret, delegerat; & sic de reliquis capitibus philosophari licebit; quæ omnia eximium Christi in eam amorem testabantur.

Bernardus. *Summus Christi erga Matrem amor.*

17 Post Ascensionem verò Domini absentia dilecti, quæ in alijs interdum obliuionem gignere solet, Virginem propter eximiam, qua Christum prosequebatur, dilectionem, nouis amoris facibus erga dilectum incendebat. quod pulchrè Cant. 3. exprimitur, vbi sponsa dilectum non inueniens, absentiæ eius impatiens ait: *In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni: surgam, & circuibo Ciuitatem, per vicos, & plateas, quæram quem diligit anima mea; quæsiui illum, & non inueni; inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem; Num quem diligit anima mea vidistis?* & Cant. 5. Angelis sponsi sodalibus sub nomine filiarum Ierusalem Deiparam sæpè inuisentibus, ipsam identidem dicere solitam piè meditari possumus cum Guarrico serm. 2. de Assumpt. *Adiuro vos filiæ Ierusalem si inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei quià amore langueo*. de quo Sophronius sermone de Assumptione: *Cogitate*, inquit, *& perpendite quantis afficiebatur B. Virgo doloribus post Christi ad Cœlos ascensum; considerate quo cruciebatur amore, quouè desiderio æstuabat hæc Virgo, dum reuolueret animo cuncta, quæ audierat, quæ viderat, quæ cognouerat: quanto indesinenter cremabatur ardore pij amoris; quantis mouebatur repleta Spiritu sancto cœlestium secretorum incitamentis; quia & si diligebat Christum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente; nouis tamen quotidie inflammabatur præsentia absens desideriorum affectibus: tanto siquidem validius, quantò diuinis illustrabatur intus visitationibus, quam totam repleuerat Spiritus sancti gratia, quam totam incanduerat diuinus amor; ita vt in ea nihil esset mundanus quod violaret affectus, sed ardor continuus, & ebrietas perfusi amoris eius, qui illius erat, & Dominus, & filius: fortassis ergo præ nimio amore in loco, quo sepultus dicitur, habitasse eam credimus; quatenus pijs pasceretur internus amor obtutibus, non quod iam viuentem quæreret cum mortuis, sed vt suis consolaretur aspectibus; & quem genuerat mentis complectebatur amplexibus. Amor Christi desiderium pariebat, desiderium verò gliscens quasi nouis reparabatur ardoribus.* hactenus ille. Et Carthusianus serm. 1. de Assumpt. B. Virg. hoc ardens eius desiderium videndi Christum eleganter explicat: *Non sic*, inquit, *Iacob Patriarcha affici potuit ad videndum filium suum Ioseph iucundum, ac dominantem in Aegypto; quantùm afficiebatur pijssima mater, & Virgo ad conspiciendum vnicum suum filium IESVM glorioſissimum, atque regnantem in cœlo; nempè quò intensius, ardentius, incomparabiliusq; amauit vnigenitum suum secundùm vtriusque ipsius naturam, eò præcordialius*

Amor quo Iesũ B. Virgo post ascensionem est prosecuta. *Cant. 3.* *Cant. 5.* *Guarricus.* *Sophronius.* *Carthusianus.* *Gen. 47.*

anhela-

anhelabat ad facialem eius intuitum, ad immediatam, ac intimam vnionem, ad beatificam visionem, præsertim quia eius suauitatem gloriosè, ac frequentissimè erat experta, per quod ad plenarium gustum accendebatur validius, iuxta illud, quod increata sapientia loquitur: Ecclesi. 24. *Qui edunt me adhuc esurient.* hæc Carthusianus.

B. Virg. amoris vi ex hac luce migrauit. 18 Quin etiam Deipara sanctissima propter innumerabiles, eosq; eximios actus meritorios, à quibus toto vitæ suæ tempore ne momento quidem destitit, ea diuinæ charitatis capiebat incrementa, vt eius anima tandem huius amoris æstu, atque magnitudine è corporis vinculis soluta, ad filium, quem intimis cordis visceribus dilexerat, euolarit: & quamuis nonnullos apud Ambrosium, & Bedam in cap. 2. Luc. & apud Isidorum in lib. de vita, & morte Sanctorum dixisse legamus, B. Virginem martyrio affectam decessisse; id tamen, quemadmodum citati Auctores affirmant, nulla historia, nulla traditione, nullo probabili fundamento nititur; gladius enim, qui eius animam iuxta Simeonis vaticinium pertransiuit, non pro corporali gladio, sed metaphoricè pro acutissimo dolore, quo in Christi passione transfixa fuit, sumendus est teste Sophronio serm. de Assumpt. & Ildefonso serm. 2. de Assumpt. Beda in Luc. 2. Damasceno lib. 4. de fide cap. 15. Anselmo cap. 5. de excell. Virg. Ruperto in cap. 19. Ioan. Euthymio in cap. 2. Luc. Bernardo sermone Signum magnum: Virgo enim, quemadmodum cap. 5. diximus præfigurata est in altari, quod Deus Deuter. 27. ædificandum iussit de lapidibus, quos ferrum non tetigit: & in Templo Salomonis, in quo malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita cum ædificaretur: ita cum è vita excederet Deipara, ferrum gladij non eam tetigit. Quare eam nullis tyrannorum tormentis, quin etiam nullo dolore correptam, nullo tentatam morbo, sed vi amoris erga Christum eximij ex hac luce migrasse complures grauissimi Patres astruunt, Damascenus orat. 2. de dormit. *Priusquàm dolorem sensisset, peperit; absque dolore fuit eius quoque ex hac vita excessus.* Simeon Metaphrastes oratione de vita Deiparę: *Cùm rursus,* inquit, *dixisset, Fiat mihi Domine secundum verbum tuum, emisit tanquam in somno spiritum, & eum in amicis deponit filij manibus.* Idem habet Nicephorus lib. 2. histor. cap. 21. Albertus Magnus in suo Mariali: *Beata Virgo,* inquit, *præ amore, & sine dolore mortua est.* & Carthusianus lib. 4. de laudibus Virg. art. 3. *Ad intuitum,* inquit, *dilecti filij cum incomparabili aspirauit ardore; diuinarum quoque rerum contemplationi erat profundissimè tunc intenta: ergo præ spirituális suauitatis affluentissima experientia, & feruentissima dilectione separabatur sine pœna à corpore.* hoc ipsum ex reuelatione ipsius Deiparæ apud S. Brigittam lib. 6. reuelat. cap. 62. confirmatur: *Paraui,* inquit Deipara, *me ad exitum circumiens omnia loca more meo, in quibus filius meus passus fuerat: cumq. quadam die animus meus suspensus esset in admiratione diuinæ charitatis, tunc anima mea in ipsa contemplatione repleta fuit tanta exultatione, quod vix se capere poterat, & in ipsa consideratione anima mea à corpore fuit soluta:* & sanè quemadmodum Moyses quamuis centum viginti annorum esset, vegetus tamen, & incolumis, cuius oculus non caligauerat, nec dentes moti erant, iubente Domino Deuter. 34. mortuus est: quid ni Deipara similiter nullo morbo confecta obierit, cùm hoc mortis genus innocentiæ, ac puritati Deiparæ mirificè congruat, quæ absq; libidine concepit, & omni concupiscentiæ motu semper caruit, & ex filij morte longe maiores perpessa fuerat cruciatus.

Ecclesi. 24. Ambrosius. Beda. Isidorus. Luc. 2. Sophronius. Ildefonsus. Beda. Damascenus. Rupertus. Euthymius. Bernardus. Deuter. 27. Damascenus. Metaphrastes. Nicephorus. Alber. Magn. Carthusianus. S. Brigitta. Deuter. 34.

Suarez. Qua ratione absq; morbo Deipara obierit. 19 Quanam autem ratione absque morbo vi amoris Deipara obierit, Suarez qui hoc tenet tom. 2. in 3. par. disput. 21. sect. 1. rectè explicat: *Fieri,* inquit, *potest, vt mens tanta efficacia, & intensione in his actibus amoris, & ardentissimi desiderij, & altissimæ contemplationis occupetur; vt veluti destituat corpus, ita vt paulatim eius dispositiones remittantur, ac deficiant, ac tandem ob earum defectum non possit anima in corpore conseruari.* hæc Suarez.

In ipso obitu maiori charitate Deipara conflagrabat. Suarez. Adhęc de Deiparę charitate non interrupta illud affirmat Suarez loco citato sect. 2. eam ne in obitu quidem, cum à via transijt ad patriam charitatis actum intermisisse: sed vel eundem, quem in terra viuens vsque ad mortem liberè exercuit in termino viæ maiori quadam perfectione, & necessitate continuasse; si actus amoris in via, & in patria possunt esse eiusdem rationis: vel si sunt diuersi, Deiparam ab actu amoris viæ immediatè absque vlla intercapedine transijsse ad actum amoris patriæ: neque enim in obitu

corpo-

corporis dolore,vt diximus,vel ſenſuum perturbatione impediebatur:ſed quò magis ad exoptatum terminum accedebat, eò vehementius diuina charitate flagrabat vſque ad primùm non eſſe hominis, vt verbis philoſophorum vtar, in quo Deum videre, eumq; beatifica charitate diligere cæpit. hæc ex Suarez.

20 Ex his omnibus rectè intelligimus, cur ab Eccleſia Virgini glorioſæ accommodetur illud,quod de diuina ſapientia profertur Eccleſ.24.*Ego mater pulchræ dilectionis,timoris,agnitionis,& ſanctæ ſpei:* quibus verbis trium illarum virtutum, quas thologicas appellant,quæq; reliquis præſtant,& ſimul timoris Domini, qui eſt initium ſapientiæ mater exprimitur,quod ſcilicet ei familiariſſimæ fuerint non ſecus,ac filiæ cum matre: imò quòd eius precibus eas à Deo alijs impetret,atque adeò in alijs illas gignat. Primò autem loco Mater dicitur pulchræ dilectionis,quæ reliquis theologicis antecellit; de qua pulchrè Bernardus ſerm.29.in Cant.vbi cum dixiſſet amoris ſagittam animam Virginis pertranſiſſe, vt nihil in ea amoris vacuum relinqueret, ſubiungit: *Aut certè amoris ſagitta pertranſiuit eam,ſcilicet animam Virginis,vt veniret amor vſque ad nos, & de plenitudine illa omnes acciperemus,& fieret Mater charitatis,cuius pater eſt charitas Deus parturiens,& in ſole ponens tabernaculum eius,vt ſcriptura impleretur,quæ dicit: Dedi te in lucem gentium,vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ: hoc enim impletum eſt per Mariam, quæ in carne viſibilem edidit, quem inuiſibilem,nec de carne, nec cum carne ſuſcepit.*ita Bernardus. Huiuſmodi porrò dilectio,cuius mater Eccleſ.24.dicitur *Virgo,pulchra eſt, ſeu bona;* græcè enim καλὴ habetur, quod & bonum,& pulchrum ſignificat: tùm quia charitas eſt,quæ pulchram & bonam reddit animam, ita vt ei dici poſſit illud Cant.4.*Tota pulchra es amica mea;*inde enim pulchra,quia amica,ſolus enim Dei amor teſte Nazianzeno in carmine de virginitate,formoſum reddit amantem:tum etiam quia carnis dilectio, quæ deformem reddit animam, iuxta illud Oſeæ 9. *Facti ſunt abominabiles ſicut ea, quæ dilexerunt* procul eſſe debet ab ijs, qui Virgini ſanctiſſimæ Matri pulchræ dilectionis placere ſtudent. *Talis enim quiſque eſt* (inquit Auguſtinus tract.2.in epiſt.Ioan.) *qualis eius dilectio eſt; terram diligis? terra es, Deum diligis? quid dicam? Deus eris.*

Mater dilect ionis Maria. Eccleſ.24.

Bernardus.

Pſal. 18. Iſa. 49.

Eccleſ 24. Quid ſit dilectio pulchra.

Cant.4. Nazianzenus:

Oſea 9.

Auguſtinus.

Atque hæc de Virginis in conuictu cum filio vicinitate, eiuſdemq; charitate excellenti,qua ei perpetuò,& inſeparabiliter adhæſit.

VIRGINIS DEIPARAE IN FILII PASſione vicinitas,& de gladio doloris, qui eo tempore ipſius animam pertranſiuit. Cap. X.

1 

TERTIA Virginis vicinitas cum Chriſto ſpectatur in eius paſſione;eo præſertim tempore,quo fortitudine pluſquàm virili *ſtabat,* vt ait Ioannes,*iuxta crucem Ieſu,* eiq; materno compatiebatur affectu; quando & ipſius animam, iuxta Simeonis vaticinium, doloris gladius pertranſiuit. Quod pulchrè expendunt complures ex Patribus, quorum aliquos afferre non grauabimur; vt intelligamus quantum ex Chriſti cruciatibus,cui patienti,ac morienti aſtitit,animo dolorem hauſerit;quantumq; ei corde compaſſa fuerit; ſiquidem hoc etiam ad eximiam Virginis laudem ſpectat: *Etenim erit,* inquit Simeon Metaphraſtes oratione de vita,& dormitione Deiparæ) *inter Virginis magnalia,& præclara,ſi oſtenderimus eam fuiſſe perpetuò verſatam cum filio,& ei ſemper aſſediſſe;& ne in tempore quidem rerum aduerſarum,nec in paſſione fuiſſe ab eo ſeparatam; quando & Diſcipuli,& amici,& omnes noti, alij quidem,ipſo omnino relicto,ſe in pedes cõtecerunt: Alij verò cum paululum expectaſſent,negauerunt.* ita Metaphraſtes.

Virginis cum Chriſti paſſione vicinitas. Ioan 19.

Luc 2.

Virginis iuxta crucem dolores Patrum teſtimonijs explicantur.

Metaphraſtes. Et habetur apud Surium die 15. Aug. tom.4.

Ephrem igitur in lamentatione Mariæ: *Stans,* inquit, *apud crucem puriſſima Virgo, Saluatoremq. in ligno ſuſpenſum ſuſpiciens, plagas reputans, intuens, & clauos, & querelas, colaphos, ac flagellationem cum grauibus ſuſpirijs, cum fletu ingenti, exclamauit:*

Ephrem.

Mi

Mi fili dulciſſime; & quæ ſequuntur patheſico affectu deſcripta.

S. Ambroſius. S.Ambroſius de Inſtit.Virg.cap.7. *Stabat*,inquit, *ante crucem Mater, & fugientibus viris ſtabat intrepida,ſpectabat pijs oculis filij vulnera,per quæ ſciebat omnibus futuram redemptionem,ſtabat non degeneri Mater ſpectaculo, quæ non metueret peremptorem, pendebat in cruce filius,mater ſe perſequentibus offerebat.* hæc Ambroſius.

Sophronius. Sophronius inter opera Hieronymi ſermone de Aſſumptione : *Beata*, inquit, *Virgo Dei genitrix,quia in ea parte paſſa eſt,quæ impaſsibilis habetur:ideo (vt ita fatear) quia ſpiritualiter,& atrocius paſſa eſt gladio paſsionis Chriſti,pluſquam martyr fuit: vnde conſtat quia plus omnibus dilexit,propterea & plus doluit;in tantum,vt animam eius totam pertranſiret,& poſsideret vis doloris ad teſtimonium eximiæ dilectionis; quæ, quia mente paſſa eſt,pluſquam martyr fuit. Nimirum,& eius dilectio amplius fortis,quàm mors fuit, quia mortem Chriſti ſuam fecit.* ita Sophronius.

Ildefonſus. Et Ildefonſus ſermone 2.de Aſſumptione : *Venerabilis*, inquit, *Virgo candidior inter martyres dignè prædicatur,eo quod ſi corpora martyrum pro Domino ſupplicia pertulerũt, nihilominus hæc admirabilis Virgo in anima paſſa,teſte Domino comprobatur; ait enim Simeon, vel Dominus ad eam, Tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Quod ſi gladius vſque ad animam peruenit, quando ad crucem ſtetit, fugientibus Apoſtolis, cum videret Dominum pendentem:etiam pluſquam martyr fuit,quia in animo non minus amoris,quam mæroris eſt intus gladio vulnerata : parata enim ſtetit, ſi non deeſſet manus percuſſoris. Beata Dei genitrix iure pluſquam martyr mater eſt,quę nimio amore vulnerata,teſtis extitit Saluatoris,& pro mœrore in animo cruciatum ſuſtinuit paſsionis.* hæc Ildefonſus.

Virgo pluſquam martyr nuncupatur.

S. Paulinus. S.Paulinus in Epiſt.ad S.Auguſtinũ, quę eſt 58.inter Auguſtini Epiſtolas explicationem quærens illorum verborum Simeonis: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*; hæc ait: *Nunquid Simeon de paſsione Mariæ,quæ nuſquam ſcripta eſt, hoc prophetaſſe credendus eſt? An verò de materno eius affectu, quo poſtea in tempore paſsionis aſsiſtens cruci,qua hoc erat fixum quod ipſa pepererat,maternorum viſcerum dolore confixa eſt: & animam illius illa,quę eius ſecundùm carnem filium ipſa ſpectante conſoderat,crucis rhomphæa penetrabat.Video enim in pſalmis de Ioſeph ita dictum eſſe:Humiliauerunt in compedibus pedes eius,ferrum pertransijt animam eius;ſicut in Euangelio dixit Simeon:Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Non ait carnem, ſed animam, in qua pietatis affectio continetur, & doloris aculeus quaſi gladius operatur,cum aut aliqua carnis ſuæ iniuria afficitur; vt Ioſeph,qui non mortis, ſed iniuriarum pertulit paſsiones,in ſeruum venditus, & in reum vinculatus,& carceri datus:aut cum affectionis internæ triſtitia, vel dolore cruciatur,vt in Maria.* ſic Paulinus. Cui quæſtioni reſpondens Auguſtinus Epiſt. 59. *Tribulationem*,inquit, *gladij nomine ſignificatam eſſe, credibile eſt, quo materna anima vulnerata eſt doloris affectu : Ipſe fuit gladius in ore perſecutorum, de quibus in pſalmo dicitur:Et gladius in ore eorum:Ipſi enim erant filij hominum,quorum dentes,arma,& ſagittæ,& lingua eorum gladius acutus.* hæc Auguſtinus,

Luc. 2.

Pſal. 104.

Auguſtinus.

Pſal. 58.

Pſal. 56.

Damaſcenus. 2 *Verùm ipſa B.Virgo* (inquit Damaſcenus lib.4.de fide orthodoxa cap. 15.) *quos in partu dolores effugerat,paſsionis tempore ſuſtinuit,vt quæ pro materno ſuo affectu, viſcera ſibi lacerari ſenſerit;& dum eum,quem Deum gignendo norat,vt ſontem,ac facinoroſum morte affici conſpiceret,intimis cogitationibus tanquam gladio diſcerperetur; atque ita intelligendum eſt illud:Et tuam ipſius animam doloris gladius pertranſibit : verùm reſurrectionis gaudium mœrorem hunc excepit.* hæc Damaſcenus.

Luc.2.

Anſelmus. Anſelmus de excell.Virg.cap.5., *Verè*,inquit,*pertranſiuit animam tuam gladius doloris,qui tibi amarior fuit doloribus cuiuſuis corporeæ poſsionis; Quicquid enim crudelitatis inflictum eſt corporibus martyrum, leue fuit, aut potius nihil comparatione tuæ paſsionis; quæ nimirum ſua immenſitate transfixit cuncta penetralia tua, tuiq. benigniſsimi cordis intima. & vtiq. pia Domina non crediderim te potuiſſe vllo pacto ſtimulos tanti cruciatus,quin vitam amitteres, ſuſtinere; niſi ipſe ſpiritus vitæ, ſpiritus conſolationis, ſpiritus ſcilicet dulciſsimi filij tui,pro quo moriente torquebaris,te intus doceret, non eſſe mortem eum abſumentem,ſed magis triumphum omnia ei ſubijcientem,quod in ipſo fieri coram moribundo videbas.* hucuſque Anſelmus.

Bernardus. Bernardus ſermone Signum magnum: *Martyrium*,inquit, *Virginis tam in Simeonis prophe-*

prophetia, quàm in ipsa Dominicæ passionis historia commendatur; Verè tuam, ò Beata Mater, animam gladius pertransiuit: alioquin non nisi eam pertransiens, carnem filij tui penetraret. Et quidem posteaquam emisit spiritum tuus ille IESVS (omnium quidem, sed specialiter tuus) ipsius planè non attigit animam crudelis lancea, quæ ipsius (nec mortuo parcens, cui nocere non posset) aperuit latus: sed tuam vtiq. animam pertransiuit, ipsius nimirum anima iam ibi non erat, sed tua planè inde nequibat auelli. Tuam ergo pertransiuit animam vis doloris, vt plusquam martyrem non immeritò prædicemus, in qua nimirum corporeæ sensum passionis excesserit compassionis affectus. hucusque Bernardus. Luc. 2.

Idem Bernardus de lamentatione Virginis Mariæ: *Nec lingua,* inquit, *poterit loqui, nec mens cogitare valebit, quanto dolore afficiebantur pia viscera Mariæ. Nunc soluis Virgo cum vsura, quod in partu non habuisti à natura. Dolorem, pariendo filium, non sensisti, quem millies replicatum filio moriente passa fuisti.* & infra de lacrymarum Deiparæ vestigijs, quæ in monumento adhuc extare dicebantur: *Rigabat,* inquit, *felicibus lacrymis corpus exanime filij; & monumentum, in quo posuerunt eum, modo mirabili madidabat, vbi & eius lacrymæ adhuc apparere dicuntur indicatiuæ doloris intimi, qui animã eius tanquam gladius acutus pertransiuit.* & mox: *Non credo plenè enarrari, vel meditari posse dolorem Virginis, nisi tantũ fuisse credamus, quãtum vnquam dolere potuit de tali filio talis mater.* Bernardus. Lacrymarum Deiparæ vestigia in monumento.

3 Simeon Metaphrastes loco citato asserens ea, quæ ibi dicit se ex grauissimis Auctoribus accepisse: *Mater,* inquit, *passionis tempore sicut in alijs superabat mulierem, ita hic quoq; videtur PLVS QVAM MVLIER, quæ ab illo, ideſt Christo, minimè recedit, sed propius sequebatur, nihil timens quod esset formidabile, non quod tantùm maternis vinceretur visceribus, quàm potius diuino induceretur iudicio; adeò vt duas alias Marias hortata sit, vt secum versarentur.* & infra: *Sic autem vna quoque ingressa est in atrium Annæ, & Caiphæ, cernens vnumquodq. eorum, quæ gerebantur, & apud eum manens dùm iudicaretur, vna autem proficiscens dùm abduceretur ad mortem; eorumq. qui ibant, egressus, & ingressus considerans, & omnium ora attendens, vt sciret quænam in eum ferretur sententia. in cruce quoque vna aderat, & ideo licet considerare cuiusmodi illa esset, quæ hæc difficilia cernebat, & molesta, illusiones, flagella, alapas, purpuræ amictum, coronæ impositionem, contumelioſam traductionem.* & infra enumerat, quæ ipsa præsente gesta sunt in Caluariæ Monte: *Quomodo sanguinis,* inquit, *guttis effluentibus non acerbiores lacrymarum aquæductus fluerent ex Mariæ oculis? Quomodo illum tulit videre in cruce distensum; Ipsam, & eos, qui aderant aspicientem aspectu benignissimo? Quid verò irrisiones? quid impia transeuntium scommata? Ingratorum subsannationes? probra eorum, qui circumstabant? Quæ quidem omnia eam transuerberabant profundius, quàm vlli claui, & innumerabilibus quidem plagis sauciabatur, stimulis autem confodiebatur innumerabilibus. Hoc verò erat ei molestissimum, quòd ad illum quidem accedere, & eum alloqui sitiebat; repellebatur autem à multitudine canum eam circumdantium; postea verò cum parricidæ illi negligerent custodiam; Tunc verisimile est Deiparam sibi data facultate ad eum accessisse, & intemeratos quidem eius pedes, & impressas ei plagas libenter deosculatam, & sanguine miscentem lacrymas, oculos, & genas attriuisse.* & infra ex sententia quorundam virorum piorum dicit Deiparam sanguinem, & aquam ex Christi latere exeuntem hausisse reuerenter, & diligenter. ita Metaphrastes. Quod idem habet Nicephorus lib. 1. histor. cap. 39. qui addit, vasculo illa excepisse. Metaphrastes. Matth 27. Virgo è Christi latere sanguinẽ exeuntem, & aquam seruasse dicitur. Nicephorus.

Neque alicui mirum videri debet id quod Metaphrastes verisimile existimat; Deiparam nimirum Christi de cruce pendentis pedes exosculatam esse, nam & hoc ipsum affirmat Nazianzenus in Tragœdia; Christus patiens; vbi Deiparam inducit Christo hæc dicentem. Nazianzenus.

,, *Per hos sanctos pedes, quos osculor,*
,, *Materno amore te nunc misereat mei.*

Neque.n. Christi Domini crux vsque adeò præalta fuisse videtur, quin ad eius pedes exosculandos pijssima mater pertingere potuerit: *Opinio.n.est,* inquit Bonauentura in meditationibus vitæ Christi cap. 77. *Crucem Domini, vt dicitur in historijs, quindecim pedes habuisse in altum;* & noster Iacobus Gretserus lib. 1. de sancta cruce cap. 7. Crucem fuisse quindecim pedum, testatur fuisse traditionem, cui persuasioni tempore & publico cõ- Bonauenturæ. Gretserus.

sensu corroboratæ, ait non videri temere contradicendum. & profectò cum Christus illã sibi baiularit, non videtur maioris fuisse longitudinis: quare hominis statura proceri, & in hac cruce extensi (cuius crucis in altum erectæ, pars infima foramini, quod adhuc in Caluariæ loco visitur, erat infixa,) pedes facilè osculari quis poterat. Euthymius in Matth. 27. *Verisimile est*, inquit, *tunc Dei Matrem propiùs Iesu cruci astitisse, quàm reliquas mulieres: id viscerum inflammatione Iudæorum vincente timorem*: hucusque Doctorum de Virginis dolore testimonia.

Ioan. 19.

Euthymius.

De quibus agenda.

In quibus duo in Virgine Deipara, quæ patienti filio compatiebatur, præcipuè eluxere. Primùm dolor eiusdem maximus; alterum in eo dolore perferendo admirabilis Virginis fortitudo, animiq; constantia, de quibus accuratè nobis in hoc, & proximè sequenti capite agendum erit.

Dolor Virginis in Christi passione maximus.

De virtute compassionis super aliena miseria. S. Thom.

4 Et quidem dolorem Deiparæ sanctissimæ in filij passione, cui præsens astitit, fuisse vehementissimum, facilè intelligemus si animum referamus ad virtutem illam, quæ commiseratio, seù compassio super aliena miseria dicitur, de qua S. Thomas 2. 2. q. 30. vbi eam dicit vocari misericordiam: sed libet compassionis nomine vti, quod affectum animi dolentis super alieno malo, de quo in præsenti agimus, magis exprimere videatur. hæc porrò compassio (vt idem S. Thomas dicit) ex amore proficiscitur, quo aliquis amicum tanquam se ipsum reputans eiusdem miseriam apprehendit, de eaq; dolet tanquam de sua: vnde Aristoteles lib. 9. Ethic. cap. 3. inter amabilia ponit condolere de malo amici sicut de proprio; hic autem dolor in volũtate à ratione regulatus, regulans etiam similem motum doloris in appetitu sensitiuo virtus est, quàm appellamus misericordiam, estq; potissima inter virtutes, quæ ad proximum pertinẽt, quippe quæ defectibus aliorum subuenit. hæc ex D. Thoma. Quare Apostolus omnis pietatis magister inter alia, ad quæ fideles hortatur ad Rom. 12. *Gaudete*, inquit, *cum gaudentibus, & flete cum flentibus.* & Bernardus serm. 10. in Cant. Duo sponsæ vbera prælatis præsertim vult esse necessaria: *Congratulationem*, vt ipse dicit, *cum gaudentibus, & compassionem cum lugentibus.* & inter cæteras virtutes S. Iob ore Dei laudati, compassionis virtus illi non deerat, ita enim de se ipse testatur cap. 30. *Flebam quondam super eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi:* quæ verba expendens Gregorius lib. 20. moral. cap. 26. docet: *Plus esse nonnunquam compati ex corde, quàm dare; quia vir Sanctus apud omnipotentem Deum aliquando maius datum nouerat mentis esse, quàm muneris.* ita Gregorius: vbi n. facultas deest proximum à miseria subleuãdi, animo saltẽm eidem compati debemus. Idem Gregorius: *Tanto*, inquit, *quis perfectior est, quanto eius pietas alienos perfectius sentit dolores.* & de ipso Christo Apostolus Hebr. 4. *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris;* Quare Augustinus lib. 14. de Ciuit. cap. 9. Probat laudabilem esse aliquam tristitiam, quando scilicet procedit ex sancto amore. & eiusmodi est hæc, de qua loquimur compassio.

Aristoteles.

Rom. 12.

Bernardus. Cant. 4.

Iob 30.

Gregorius.

Hebr. 4.

Augustinus.

Cur Christus mulieribus, dixerit nolue flere super me. Luc. 23.

Verùm vt ad compassionem animi veniamus, qua Christi passionẽ prosecuta est Virgo sanctissima; sciendum est, Christum Dominum mulieribus se ad mortem euntem plãgentibus, ac lamentãtibus dixisse ne flerent super ipsum sed super se, & filios suos; illæ. n. quamuis ex pia quadam commiseratione mouerentur, ignorantes tamen mysteriũ Dominicæ passionis, ac resurrectionis, falsò putabant eum non sponte, sed coactum mori; vt qui se à Iudæorum manibus non posset defendere; & hunc fletum ex falsa existimatione profectum prohibet Christus, quod indicat S. Leo serm. 10. de Pass. *Istum*, inquit, *planctũ sibi Dominus Iesus dedignatur impendi, quia non decebat luctus triumphum, nec lamẽtatio victoriam.* & infra: *Lugendum vobis plane est filiæ Ierusalem non de Saluatore credentium, sed de impietate, & temeritate pereuntium. ego crucem volens patior, mortem in me quam sum peremptur us admitto.* ita ibi. At verò à fidelibus rectè de sua passione, & resurrectionis gloria sentientibus, qui animo reputant quanta pro nobis benignissimus Dominus perpeti sit dignatus, hunc compassionis affectum Christus exigit, nam & inter pios animi affectus, qui à Spiritu sancto dimanant, etiam iste recensetur Zach. 12. iuxta versionem Septuaginta, quam Ecclesia adhoc idem in Missa de passione vsurpat: *Effundam*, inquit, *super domum Dauid, & super omnes habitantes Ietusalem spiritum gratiæ, & miserationis, & aspicient in eum, quẽ confixerunt, & plangent eum planctu quasi super vnigenitum,*

S. Leo.

Christus à fidelibus compassionis affectum exigit.

Zach. 12.

tũ, & dolebunt ſuper eum, vt doleri ſolet in morte primogeniti: in illa die erit planctus magnus in Ieruſalem. & Thren. 3. Ieremias in perſona Chriſti hortatur animam fidelem ad gratam memoriam amaritudinum, quas in paſſione pro nobis guſtauit: *Recordare*, inquit, *paupertatis, & tranſgreſſionis meæ, abſynthij, & fellis.* (Peccata enim noſtra, quæ expianda ſuſcepit, vocat ſua; ſicut & in pſal. 21.) *Longè à ſalute mea verba delictorum meorũ.* & ſtatim ſubnectitur reſponſio eiuſdem animæ fidelis: *Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea*; ac ſi diceret, præ cõpaſſione ex talium recordatione deficiam. & Dauid in pſal. 68. qui eſt de paſſione Domini, in perſona item Chriſti cum Patre loquentis: *In conſpectu*, inquit, *tuo ſunt omnes, qui tribulant me, improperium expectauit cor meum, & miſeriam; & ſuſtinui qui ſimul mecum contriſtaretur, & non fuit, & qui conſolaretur, & non inueni.* Quibus verbis conqueritur de Iudæis, tùm quia in ſuis cruciatibus improperantes ei inſultabant: tùm etiam, quia affectum compaſſionis minimè exhibebant. & S. Thomas 3. par. q. 46. art. 6. ad 5. loquens de Chriſti doloribus, quibus compati debemus: *Ex innocentia*, inquit, *patientis augetur dolor in eo, inquantum apprehendit nocumentum illatum, vt magis indebitum: vnde etiam, & alij magis ſunt reprehenſibiles, ſi ei non compatiantur ſecundùm illud Iſa. 57. Iuſtus autem perit, & non eſt qui recogitet in corde ſuo.* hæc D. Thomas.

Thren. 3.

Pſal. 21.

Pſal. 68.

Chriſtus cõqueritur de eis, qui ei minimè compatiuntur.

S. Thom.

Iſa. 57.

5 Quare Sancti omnes in paſſionis Dominicæ contemplatione tanto compaſſionis ſenſu afficiebantur, vt plerumque in lacrymas ſoluerentur. De S. Franciſco narrat S. Bonauentura in eius vita cap. 1. *Dum*, inquit, *vna dierum ſic ſequeſtratus oraret, apparuit ei Chriſtus Ieſus veluti cruci confixus, ad cuius conſpectum liquefacta eſt anima eius, & memoria paſſionis Chriſti viſceribus cordis ipſius adeò impreſſa medullitus, vt ab illa hora, cum Chriſti crucifixio veniret in mentem, vix poſſet à lacrymis, & gemitibus exterius cõtineri.* & cap. 2. *Cùm lacrymoſis oculis Franciſcus intenderet in Dominicam crucem.* & cap. 13. in impreſſione ſacrorum ſtigmatum: *Cùm*, inquit, *compaſſiua dulcedine Franciſcus in eum transformaretur, qui ex charitate nimia voluit crucifigi, viro Dei apparuit inter alas vnius Seraphim effigies hominis crucifixi.* & infra: *Lætabatur quidem in gratioſo aſpectu, quo à Chriſto ſub ſpecie Seraphim cernebat ſe conſpici, ſed crucis affixio compaſſiui doloris gladio ipſius animam pertranſibat.* hæc ex Bonauentura. Et lib. 1. Chronic. S. Franc. cap. 86. narratur qđ S. Franciſcus ſemel alta voce plorans à quodam interrogatus quid haberet: *Ita*, inquit, *deberem ire per totum mundum ſine verecundia plangendo paſſionem Domini mei.* S. Bonauentura ſæpe meditationem paſſionis Domini ad excitandum erga Chriſtum compaſſionem vehementer commendat, de quo ipſe in meditationibus vitæ Chriſti cap. 74.

Sanctorum exempla qui Chriſto patienti plurimum compatiebantur.

S. Franciſci exẽplum, ex Bonauentura.

Chron. S. Franciſci.

S. Bonauenturæ exemplum.

S. Bernardus ſerm. 43. in Cant. faſciculum myrrhæ ex amaritudinibus Domini ſibi ad vbera mentis ſuæ collocarat. vide Cæſarium lib. 8. cap. 10. & 11. vbi de quodam Daniele Religioſo ſcribit, illum à Domino ſibi apparente donum obtinuiſſe lacrymarum dùm recordaretur paſſionis Domini, atque ita quando de eadem paſſione cogitabat, aut loquebatur mox lacrymæ erumpebant. & in lib. qui inſcribitur Speculum humanæ ſalutis cap. 43. refertur de quodam religioſo, qui ſcire cupiebat obſequium aliquod Deo gratiſſimum, & à Chriſto in ſpeciem magnam crucem baiulantis audiuit, vt ſe iuuaret in graui crucis pondere perferendo, hac quidem ratione: *In corde*, inquit, *per crebram recordationem, & compaſſionem, in ore per deuotam gratiarum actionem, in auribus tuis per pœnarum mearum auditionem, in dorſo per carnis tuæ aſſiduam macerationem.* hæc ibi.

S. Bernardi exemplum. Cant. 1. Cæſarius. Exemplum cuiuſdã Danielis. Hic liber editus eſt Pariſiis anno 1506. Aliud exemplũ.

6 Ex his omnibus rectè intelligimus, compaſſionis virtutem erga filium dira patientem, inter reliquas pijſsimæ Virginis virtutes fuiſſe non vulgarem, imò multis partibus ſuperaſſe reliquorum omnium Sanctorum erga ea, quæ commiſeratione ſunt digna, & præſertim erga Chriſti cruciatus compaſsionem, quippè quæ plus omnibus illum diligebat, & pietatis virtute, quæ alienis miſerijs compatitur, reliquis omnibus longè præſtabat. Quare Bernardus ſermone Signum magnum, probans Virginem propter animi compaſſionem maximam, meritò dici martyrem: *Non miremini*, inquit, *fratres quod Maria martyr in anima fuiſſe dicitur, miretur qui non meminerit ſe audiſſe Paulum inter maxima gentium crimina memorantem, quod ſine affectione fuiſſent, longè id fuit à Mariæ viſceribus, longè ſit à ſeruulis eius.* ita Bernardus. & S. Bernardinus tomo 1. ſermone 61. ar-

Compaſſionis affectus in Virgine maior, quàm reliquorum Sanctorum.

Bernardus.

Rom. 11.

S. Bernardinus.

tic.3.cap.2. *Tantus*, inquit, *fuit dolor Virginis, quod si in omnes creaturas, quæ pati possunt diuideretur, omnes subito interirent*, hæc ille. quomodo autem hoc intelligi possit non est nostrum longius persequi.

Quoniam verò Deipara hoc eximio charitatis actu, quo ingẽti animi dolore filij passionem, ac mortem est prosecuta, præclarissimùm, & inenarrabile præmium, vt Theologi dicunt, essentiale, & martyrij quoque Aureolam, vt capite proximo dicemus, est consecuta: idcirco inter duodecim eius priuilegia per duodecim stellas significata, quæ Apoc. 12. in corona mulieris sole amictæ visæ sunt, meritò S. Bernardus sermone Signum magnum, hunc eius dolorem numerat, quem martyrium cordis vocat. & Albertus Magnus in lib. de laud. B. Virg. apud S. Antoninum 4. par. tit. 15. cap. 20. vndecimum priuilegium Deiparæ illud fuisse dicit, quia passio Christi fuit ei singulariter communicata: *Quoniam sola*, inquit, *Beatissima Virgo habuit eo tempore fidem, & compassionem crucifixi Dei, & hominis; & ex compassione patientis per se passionem.* Nos quoque cap. 39. inter duodecim Deiparæ priuilegia, & hoc reponimus.

Apoc. 12. S. Bernardus.

Albert. Magn. apud S. Anton.

Cap. 39.

Gratissimum est Virgini dolores recolere, quibus pro Christo est affecta.

7 Hinc est, quòd Deiparæ gratissima est fidelium pietas, qua dolores eius, quibus propter Christum affecta est, religiosa commemoratione recolunt, cum propter illos, & insignem maternæ pietatis laudem, & eximium in cœlo præmium sit adepta, id quod multa satis testantur; primùm complures imagines, quæ in Ecclesia visuntur, in quibus Deiparam in speciem mœrentis septem vitæ Christi mysteria ambiunt, & vulgo septem Virginis præcipui dolores appellantur, è quibus septem gladij prodire, & cor Virginis recta petere apparent, quo significatur Matris anima doloris gladio iuxta Simeonis vaticinium transfixa. Secundò, inter mysteria Rosarij in honorem Christi, eiusq; Genitricem instituti, secunda Angelicarũ salutationum quinquagena mysteria passionis Christi, quæ eadem materia fuere compassionis Deiparæ, complectitur. Tertiò, religiosissimus Seruitarum ordo, qui hoc præclaro nomine gloriantur, quòd se beatissimæ Dei genitricis seruos ipso etiam nomine profiteantur, atras vestes, quas Deipara per visionem primis eius ordinis institutoribus per quietem præmonstrauit, in huius virginei mœroris honorem induendas elegit; quamuis nonnullæ aliæ Religiosorum familiæ, vtpote Montis Oliueti, & aliæ candentibus vestimentis in honorem puritatis eiusdem Deiparæ vtantur.

Luc. 2.

Compassionis sensus in Virgine vnde petendus.

Sed qualis, quantusq; in Virgine fuerit huiusmodi compassionis affectus, & ex compassione dolor, atque afflictio, id ex amore, & coniunctione ad eundem, & ex intima rerum cognitione, quæ ad commiserationem maximè permouere solent, atque ex ipsius Christi cruciatuum magnitudine, & atrocitate existimari debet. Vt enim maxima sunt eiusmodi cognitio, & amor erga eum, cui condolemus, atque compatimur, & præterea tormentorum atrocitas, quam in eodem cernimus: ita maximè augetur dolor, qui ex amissione, vel læsione personæ, quam diligimus, & ex compassione erga eandem proficiscitur, vt non immeritò in alienæ miseriæ compassione amor erga eum, cui compatimur, mensura sit doloris. quare Augustinus lib. 21. de Ciuitate cap. 26. *Ex earum*, inquit, *personarum amissione, quæ nobis necessitudine aliqua sunt coniunctæ, tantum necesse est vrat dolor, quantùm hæserat amor.* sic Augustinus. Hinc est, quòd Greci amorem dixerint γλυκύπικρον: hoc est dulce amarum, quod nimirum amorem erga rem amatam aliqua doloris amaritudo propter eiusdem amissionem, vel læsionem plerumque consequi soleat.

Augustinus.

Deipara ex summo erga filium amore compatiebatur.

1. Reg. 18. Luc. 2.

8 At verò quòd spectat ad amorem Virgo sanctissima multis nominibus summa charitate Christum filium suum prosequebatur: nam si 1. Reg. 18. *Anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas quasi animam suam*: quantò maiori amore Deipara erga filium ferebatur, vt superiori capite diximus; adeò vt nec triduanã illius duodennis absentiã absq; dolore ferre potuerit. Quare ipsa ad Christum: *Fili quid fecisti nobis sic, ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*: præsertim quia Christus filius eius erat vnicus, ac proinde ex illius morte maximus erat dolor iuxta illud Ierem. 6. *Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum.* & Zach. 12. *Et dolebunt super eum sicut doleri solet in morte primogeniti*. Quo circa Augustinus in lib. Meditationum cap. 7. nostra peccata singillatim commemorans, propter quæ Christus acerbissimos pertulit

Ierem. 6. Zach. 12. Augustinus.

crucia-

cruciatus,poſt multa cum Chriſto loquens,concludit: *Ego pomi dulcedinem,tu fellis guſtas amaritudinem:mihi ridens congaudet Eua:tibi plorans compatitur Maria.* hæc ille.

Prætereà amor Deiparæ erga filium erat amor mulieris, quæ ad dolorem ſentiendum eſt mollior: & quia ſimul erat Virgo,adhuc amor erat tenerior, præſertim quia ex virgineo pudore, ac modeſtia nunquam fortè ad illum vſque diem ſuis oculis contuita erat,aliquem flagellis cædi,vel in crucem tolli, quod primùm in filio exerceri vidit; & ideo tanquam res inſolita compaſſione digna, & in filio conſpecta, maiori commiſeratione,ac compaſſione eius pijſſimum animum afficiebat.hic verò amor Deiparæ mirùm in modum excreuit, quando filium in tanta crucis acerbitate poſitum vidit ipſius memorem, de eaq; ſollicitum curam eius geſſiſſe: *Cùm nimirum illam præſentem* (inquit Hieronymus contra Heluidium) *de cruce Dominus iam viduam, vt Matrem commendabat Ioanni dilecto diſcipulo, quem ei reliquit in obſequium, & in ſolitudinis ſolatium.* Hieronymus. Ioan. 19.

9 Illud verò animaduerſione dignum videtur,hunc erga Chriſtum amorem, qui in martyribus proprios eorum cruciatus leniebat, vel etiam magna ex parte leuabat,in Deipara dolorem,qui ex Chriſti compaſſione proficiſcebatur,mirum in modum auxiſſe: quanto enim auctior fuit amoris magnitudo,tanto maior facta eſt doloris acceſſio.ſicuti namq; valde amarum eſt eius, quem diligis,atrociſſima proprijs oculis ſpectare tormenta,quod Deipara in Chriſti Domini paſſione eſt experta;ſic dulce eſt pro eo, quem diligis,aſpera,ac dura pati,quod Sanctis martyribus accidebat. quare Apoſtoli tametſi à Iudæis cœſi *ibant* Actor. 5. *gaudentes à conſpectu concilij,quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati:* & S.Agatha lætiſſima,& glorianter ibat ad carcerem, & quaſi ad epulas inuitata agonem ſuum Domino commendabat:Sancti item Marcus, & Marcellianus, quorũ anniuerſaria dies 18.Iunij recolitur,cum eſſent ad ſtipitem alligati pedibus clauis confixis: *Nunquam,* inquiunt, *tàm iucunde epulati ſumus, quàm hæc libenter Ieſu Chriſti cauſa perferimus, in cuius amore nunc fixi eſſe cæpimus; vtinam tandiù nos hæc pati ſinat, quandiù hoc corruptibili corpore veſtiti erimus.* Sancto autem Tiburtio Chromatij præfecti filio,cuius feſtum in diem vndecimum Auguſti incidit, prunæ,ſuper quas Chriſti cauſa à Fabiano Iudice incedere cogebatur,flores videbantur; & ſexcenta alia huiuſmodi martyrum exempla proferri poſſent. Hoc ipſum indicat S.Leo ſermone 1. de S.Laurentio: *Flammis,* inquit, *ſæuæ crudelitatis ſuperari charitatis Chriſti flamma non potuit,ſegnior fuit ignis,qui foris vſit,quàm qui intus accendit:* & Gregorius hom.3.in Euangelia cum ageret de S.Felicitate ſeptem filiorum martyrum matre: *Neque,* inquit, *filios, quos carnem ſuam eſſe nouerat ſine dolore poterat morientes videre, ſed erat vis amoris interius,qui dolorem vinceret carnis.* ſic ille. *Compaſſionem Virginis amor augebat.* Actor.5. S. Agatha Virgo,& mart. SS. Marcus, & Marcellianus mart. S. Tiburtius martyr. S. Leo. Gregorius. S.Felicitas cum ſeptẽ filijs martyr.

10 Quòd ſi ad ea,quæ Deipara in filio agnoſcebat,quæq; ad commiſerationem eam peculiariter excitabant,animum conuertamus,ea ſanè multa fuerunt; quæ nemo magis,quàm ipſa Virgo ſanctiſſima cognouit; ad hoc enim caput ſpectat,Chriſti,qui patiebatur,dignitas infinita;eius in humanum genus, & in eos ipſos, à quibus indignum in modum tractabatur,amor eximius,& beneficia præclariſſima; eiuſdem etiam ſanctitas, & innocentia,quod commiſerationem augere ex D.Thoma ſupra diximus: nemo magis,quàm Deipara intime perpendebat grauiſſimam Dei offenſam, quam patrabant ij, qui per ſummam impietatem Chriſto necem inferebant; quod Virgini ob eximiam in Deum charitatem dolorem afferebat maximùm.Et quemadmodum Virgo ſanctiſſima per ſuam,quæ in ea præcipuè commendatur,miſericordiam,præclara,innumeraq; in nos miſeros,licet indignos,pietatis ſuæ beneficia confert, quanto magis erga ſuum filium dilectiſſimum omni ratione diuina,& humana ſibi coniunctiſſimum, & propter tot acerba,quæ innocens pro nobis patiebatur,commiſeratione digniſſimum,compaſſionis affectum exhibuit. Cùm enim eſſet mater, quæ ſola ſine viri conſortio eum genuerat, nullum mors filij magis tangebat,quàm ipſam:neque matrem Chriſti ſe oſtendiſſet, niſi ad talem,tantumq; filium,cuius crudeli carnificinæ preſens interfuit,maternum compaſſionis habuiſſet affectum. Hac enim ratione in celebri illo Salomonis iudicio 3. Reg. 3. cùm duæ mulieres de infante viuo cuiuſnam eſſet filius pertinaciter contenderent, illa deprehenſa eſt vera infantis mater,cuius commota ſunt viſcera ſuper filio ſuo,quæq; ne *Virginis animum plurima ad cõmiſerationem excitarunt.* S. Thom. 3.Reg.3.

diuideretur orabat,simulq; alterius impudentia est reiecta,quæ audacter dicere non est verita,*Diuidatur.*

Illud prætereà Virgini dolorem non parum augebat, quod dulcissimæ filij conuersationi totos triginta tres annos assueta,qui ei instar omnium erat, iam per eius mortem planè destituta,& desolata remaneret; id quod egregiè expendit Ephræm in Threnis, seù Lamentatione Deiparæ super passione Domini his verbis ex persona Deiparæ ad filium in cruce suffixum: *Respice mi fili lacrymas meas,attende suspiria mea,ac gemitus,& os tuum aperi. Solatium mihi præbe mi fili: Non enim habeo prorsus vbi, vel caput reclinem: Non aliud mihi superest cognatus, pater,vel mater, frater, aut soror, qui animum mihi reddant:Tu mihi es pater,tu frater,tu filius:Tu mihi vita,& spiritus,spes,atque protectio: Tu mea es consolatio, & creatio: Tu Dominus meus,& Deus meus:Tu creator,& opifex meus.* hæc Ephræm.

Ephrem.

Cruciatuum Christi magnitudo.

II Cruciatuum porrò Christi magnitudinem aliqua ex parte percipiemus,si animo reputemus quàm multa,quàm magna, quàm acerba, quàm ignominiosa in singulis corporis membris, in omnibus bonis,ab omni hominum genere Saluator noster cum esset delicatissimæ complexionis, & viuacissimi sensus pro nobis perpeti non sit dedignatus; quorum sola recogitatio in illius noctis agonia sudorem ei sanguineum, & copiosum in horto expressit, vt guttæ,seù quemadmodum græcè habetur θρόμβοι, Crassiores scilicet guttæ,quasi grumi fluerent sanguinis decurrentis in terram: vnde licet conijcere, vt B. Ignatius de Loyola piè contemplatus est: *Vestimenta eius iam tunc fuisse madefacta cruore;* & hæc omnia absque vllius consolationis admixtione,quod in cruce testatus est illis verbis: *Deus Deus meus,vt quid dereliquisti me?*

Luc.22.

B. Ignatius Loyolæ in medit. exere.

Matth. 27.

Cicero 6. verrin.

Seneca descriptio de Crucis acerbitate.

Verùm reliquis omissis,vt atrocitatem supplicij solius crucis (quàm Cicero *crudelissimum,teterrimumq. supplicium vocat*) expendamus, præter ea, quæ hac de re grauissimi Auctores in suis contemplationibus, & alijs in libris scripta reliquere; audiamus Senecam,cuius tempestate ad facinorosos mulctandos, frequentissimus erat crucis vsus; qui in Epist.101. peracerbam eorum,qui crucifixi erant, conditionem quam sæpè suis oculis spectare illi licuit,ad viuum his verbis describit. *Dùm patibulo crucis quis pendet destrictus,Quid huius viuere est? Diu mori;Vulnus suum premere; Inter supplicia tabescere; Perire membratim; Toties potius per stillicidia quasi amittere animam, quàm semel exhalare; Quin etiam adactus ad illud infelix lignum iam debilis,iam prauus, & in fœdum scapularum,ac pectoris tuber elisus,trahere animam tot tormenta tracturam: Huius siquidem vita supplicij mora est.* hæc ex Seneca. Cuius verba quoniam pressiora,& obscuriora sunt,quàm vt facilè ab omnibus percipi possint, plusque innuere, quàm exprimere videntur,faciendum mihi putaui,vt paucis additis ea latius,ac magis perspicue, paraphrastikῶς sic efferrem. Hominis corpus in crucem elati, atque ferreis clauis suffixi miserrimè iacet erectum, & omnibus artubus pendet astrictum, cuius vita mors potius diuturna, atque ærumnosa dicenda videtur; Is enim suspensus è cruce sua se mole deprimit,ac totus incumbit in pondus,quo suum vulnus præsat,& degrauat,ac simul magis exacerbat,atque dilacerat;Quin etiam inter supplicia intabescit:Et per omnia membra,atque artus sæuiente dolore articulatim conciditur,& intermoritur;Viuo etiam spiritus diuturnam in mortem extrahitur, vt stillicidio quasi guttatim diffluere quodammodo videatur:Adhæc in infelicem stipitẽ adactus, omnibus exhaustus viribus præ cruciatuum atrocitate ex distractione contrahitur, ex contractione distenditur, & distorquetur;iamq; in dolorem suum vndiq; conglobatus intumescit, & extuberat in tergus; eliditur,& turgescit in pectus, sentire mortem suam cogitur omnium membrorum cruciamenta sensuram: Huius siquidem vita atrocissimi supplicij, & calamitosissimæ mortis diuturnitas est.

Paraphrastikè redditur dicta Senecæ descriptio.

Ex quibus perspicuum relinquitur mœrorem Virginis fuisse grauissimum, & intimo animi sensu innocentissimi filij cruciatus defleuisse. neque id mirum videri debet; quæ enim sublimius alijs exaltanda erat ad Regnum cum Christo;ita prę alijs passionis Christi amaritudinem degustauit vberrimè,iuxta illud,quod filijs Zebedęi petentibus dexteram,& sinistram Christi in Regno,dictum est Matth.20. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum.* & veluti columba,quæ alijs omnibus simplicitate,bonorum operum

Matth.20.

fœcun-

fœcunditate præſtabat, ad perfectiſſimam cum Chriſto transformationem inuitatur ab eodem in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, in vulneribus nimirum ſuis. *Cant. 2.*

12 Cæterùm quanquam Deipara nulli mortalium comparanda eſt in dolore commiſerationis, qua afficiebatur erga Chriſtum, ſicuti nemini conferenda eſt in amore, quem menſuram eſſe diximus compaſſionis, & doloris, attamen hunc Virginis dolorem ex collatione aliorum exemplorum, quæ in ſacris litteris legimus vtcumque conijcere licebit. nam ſi adeò graue fuit S. Petro Apoſtolorum Principi Chriſtum vnicè diligenti eundem audire ſuam paſſionem diſcipulis generatim prædicentem Matth. 16. vt propterea *contumelias* (vt verbis vtar S. Leonis) *paſſionum, & crudeliſſimæ mortis opprobria, religioſo, vt putabat, & libero faſtidio reſpueret, & quaſi indignum id reputans non ſine animi ab hoc abhorrentis commotione reſponderet, Abſit à te Domine, non erit tibi hoc*; quare à Chriſto grauiter eſt reprehenſus illis verbis, *Vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi, quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed ea, quæ hominum:* Quantò fuit grauius, quantoq; acerbius, quod ſanctiſſimæ accidit Dei genitrici, cui cum in filium, qui Cant. 5. *Eſt totus deſiderabilis*, charitate flagraret incredibili, eandem ſpectare paſsionem, ſingulorumq; cruciatuum momenta compaſsionis trutina coram expendenda fuerunt. *Virginis dolor ex compaſſione aliorum.* *Matth. 16.* *Leo homil. de Transfiguratione Domini.* *Cant. 5.* *1. Cor. 12.*

Apoſtolus 1. Cor. 12. *Si quid patitur*, inquit, *vnum membrum, compatiuntur omnia membra*; atque (vt eſt in prouerbio.)

Quando caput languet cætera membra dolent.

Ideo beatiſsima Virgo in corpore myſtico ſanctæ Eccleſiæ agnoſcens Chriſtum, qui patiebatur caput membrorũ totius corporis nobiliſsimum, ipſa veluti collum reliquorum membrorũ capiti coniunctiſsima, ei præ cæteris etiam maximè cõpatiebatur. Quod ipſa Virgo appoſitiſsimo exemplo S. Brigittæ lib. 1. Reuelation. cap. 35. agens de Chriſto, ſic explicauit: *Cùm*, inquit, *naſceretur ex me, ſenſi ego quòd quaſi dimidium cor meum naſceretur, & exiret ex me, & cum ipſe pateretur, ſenſi quod quaſi cor meum patiebatur; ſicut enim illud, quod dimidium eſt extra, & dimidium intra, & ſi illud pungitur, quod eſt extra, æquè ſentit dolorem quod intus eſt: ſic ego cum flagellaretur, & pungeretur filius meus, quaſi cor meum flagellabatur, & pungebatur.* hæc in Reuelatione S. Brigittæ. *Reuelatio S. Brigittæ de acerbitate cruciatuum Virginis.*

13 Quòd ſi Agar in ſolitudine Berſabeæ Geneſ. 21. à filio ſuo Iſmaele procul receſsit, & fleuit: *Non videbo*, inquit, *morientem puerum* (quamquam protinus ab Angelo præſenti neceſsitati opem experta eſt) Si multitudo mulierum ſequentium Chriſtum cum ad Caluariæ montem duceretur, etiam ſi nihil cognatione ad Chriſtum attinerent, plangebant, & lamentabantur eum, quaſi vt ipſis videbatur magna commiſeratione dignum, vtpote corona ſpinea redimitum, & flagellis, ac alijs perculſionibus malè acceptũ ad atrociſsimam mortem nimia etiam militum importunitate ſollicitatum properãtem. *Ex dolore Agar.* *Gen. 21.*

Si Iacob exiſtimans filium ſuum Ioſeph præ cæteris dilectum à fera peſsima deuoratum, ſciſsis veſtibus, & cilicio indutus lugebat illum multo tempore, tametſi ſuperſtites vndecim haberet filios, congregatisq; reliquis filijs, ad Patris dolorem leniendum, noluit conſolationem accipere, vt habetur Gen. 37. Quo tandem doloris ſenſu materna Virginis viſcera torquebantur, cum filium ſuum vnigenitum ſiti afflictum in tot cruciatibus morientem conſpiceret, & cum eius eſſet vera mater, non auditione tantùm vt Iacob, ſed ſuiſmet oculis vnicum filium à fera peſsima, à morte nimirum acerbiſsima deuorari intueretur, nec licebat ei opem aliquam illi ferre; non vulnera alligare, non caput deuexum, atque deciduum ſuſtentare: non ſitienti potum dare, non morientem oſculari? *O qualis* (inquit Bonauentura cap. 37. meditationum vitæ Chriſti) *erat anima matris, cùm ſic penosè videbat filium deficere, languere, lacrymari, & mori.* Et S. Brigitta lib. 4. Reuelatio. cap. 70. refert à B. Virgine ſibi dictum ex aculeis ſpineæ coronæ infixis plurimos riuos ſanguinis defluxiſſe per Chriſti Domini faciem, & crines, & oculos, & barbam repleuiſſe, vt quaſi nihil niſi ſanguis videretur: *Nec ipſe*, inquit, *me aſtantem cruci videre potuit, niſi ſanguine expreſſo per ciliorum compreſſionem.* hæc S. Brigitta, quæ etiã ſermone angelico cap. 18. expendit illud 1. Reg. 5. de vxore Phinees, quæ audiens arcam Dei captam expirauit: qualis fuit dolor Virginis, quæ filij ſui corpus, quod per Arcam figurabatur, inter clauos, & crucem detineri videbat? vnde concludit ſe ex ſpeciali Dei dono non fuiſſe præ dolore mortuam. hæc ibi. *Ex dolore Iacob.* *Gen. 37.* *Bonauentura.* *S. Brigittæ reuelatio de eodem.* *1. Reg. 5.*

Tobiæ

Ex dolore matris Tobiæ Iunioris.

Tobiæ iunioris mater filij abſentiam non ita tandem diuturnam ægerrimè ſuſtinens, propterea quòd die ſtatuto non reuerteretur: *Flebat* (vt verbis vtar ſacri libri Tobiæ cap. 10.) *irremediabilibus lacrymis, atque dicebat, Heu, heu me fili mi, vt quid te miſimus peregrinari lumen oculorum noſtrorum, baculum ſenectutis noſtræ, ſolatium vitæ noſtræ, ſpem poſteritatis noſtræ: omnia ſimul in te vno habentes, te non debuimus dimittere à nobis.* ſic illa. Et 2. Reg. 19. Dauid audita nece Abſalom filij, quamuis ſceleſtiſſimi, & de ſe peſſimè meriti, præ dolore operuit caput ſuum, & clamabat voce magna: *Fili mi Abſalom Abſalom fili mi*, & cap. 18. flens dicebat: *Quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te, Abſolon fili mi:* nec tamen viderat eum de quercu ſuſpenſum, & tribus lanceis in corde transfixum. Ex his igitur lacrymis matris Tobiæ, & Dauid, filios in diſſimili caſu ita lãguentium (ſi cauſas mœroris expendamus) abſque vlla proportione longè plures, longeq; grauiores in Virgine facilè inueniemus, vt propterea mirandum non ſit Simeonem ſenem ei prædixiſſe gladium non ſuperficie tenus, ſed pertranſiturum eius ipſius animã, quaſi ad intima vſque penetraturum. Ad hoc idem oſtendendum afferam, quod S. Gregorius lib. 1. moral. cap. 5. quamuis aliud ſpectans, refert de duabus citharæ chordis ad proportionem quandam ita attemperatis, vt vna percuſſa, altera ſpontè reſpondeat: *Hi*, inquit Gregorius, *qui chordarum harmoniam temperant, tanta hanc arte diſpenſant, vt plerumque cum vna tangitur longè alia, ac multis interiacentibus poſita chorda quatiatur, cum iſta ſonitum reddit, illa quæ in eodem conatu temperata eſt, alijs impercuſſis tremit.* hæc Gregorius. Quòd ſi in ijs, quæ ſenſu, vitaq; carent tanta conſenſionis vis eſt, quàm Philoſophi græcè ſympathiam vocant, tantaq; efficacitas, rectè colligimus propter maximùm ſympathiæ conſenſum, atque ſimilitudinem, & conuenientiam, quæ tùm in naturalibus, tùm etiam in donis gratuitis Virgini intercedebat cum filio, ex ipſius paſſione adeò acerba dolorem, ac compaſſionem, in matre præſertim coram omnia inſpectante, quàm maximam eſſe excitatam, vt meritò in illa celebri, & recepta precatione, quam nonnulli tribuunt S. Gregorio, (vt refert S. Antoninus 3. par. hiſtor. tit. 22. cap. 3. §. 32.) dicatur.

Luc. 2.

S. Gregorius. Sympathiæ vis exemplo duarũ cythararum.

S. Gregorius. S. Antoninus.

„ *Stabat mater doloroſa*
„ *Iuxta crucem lacrymoſa*
„ *Dum pendebat filius;*
„ *Cuius animam gementem,*
„ *Contriſtatam, & dolentem*
„ *Pertranſiuit gladius.*
„ *O quàm triſtis, & afflicta*
„ *Fuit illa benedicta*
„ *Mater vnigeniti.*
„ *Quæ mœrebat, & dolebat,*
„ *Et tremebat cum videbat*
„ *Nati pœnas inclyti.*
„ *Quis eſt homo, qui non fleret,*
„ *Chriſti matrem ſi videret*
„ *In tanto ſupplicio.*

Rupertus. Cant. 2.

14 Rupertus in Cantica cap. 2. *MARIA*, inquit, *fuit lilium inter ſpinas, quia quæcumque ſpinæ filium, eãdem Matrem confixerunt, & laceraruint vulneribus condolentiæ, & compaſſionis; & ſicut filius ſpinas pertulit, & confregit, ſic de Matre veraciter ſemper prædicabitur, Cunctas hæreſes interemiſti.* ſic Rupertus. Et certè ſicut lilium inter ſpinas, ita Deipara inter filij tentationes, & tribulationes vigebat. Bernardus de lamentatione B. Virginis: *Stabam*, inquit, *& ego videns eum, & ipſe me, & plus dolebat de me, quàm de ſe.* & infra: *Vulnera Chriſti morientis erant vulnera matris dolentis.* ſic Bernardus. Virgini igitur Deiparæ illud Threnorum 2. conuenire poteſt: *Cui comparabo te, vel cui aſſimilabo te filia Hieruſalem.* & infra: *Deduc quaſi torrentem lacrymas per diem, & noctem, non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui:* & quidem in tanta afflictione poſita tali filio crudeliſſima, & ignominioſiſſima morte perempto, multò melius dicere poterat ex Bonauentura cap. 3. in ſpec. illud, quod Ruth 1. dixiſſe memoratur, Noemi orbata marito, & filijs naturali morte extinctis: *Ne vocetis*, inquit, *me Noemi, ideſt pulchram, ſed vocate me Mara, ideſt amaram, quia amaritudine valdè repleuit me omnipotens;* & illud Thren. 1. *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus.* Hæc Virginis amaritudo maxima, Mari, quod amarum pariter, & immenſum eſt Thren. 2. aſſimilatur dum dicitur: *Cui exæquabo te, & conſolabor te filia Sion; magna eſt enim veluti mare contritio tua, quis medebitur tui?* Hanc quoque amaritudinem nomen ipſum Mariæ præſeferebat; ſonat enim, Dominam maris, vel ſtellam, ſeu illumina-

Bernardus.

Thren. 2.

Bonauentura. Ruth 1.

Thren. 2.

Maria nomen interpretatur, quòd inter alia ſamaritudinem oneat.

tricem

tricem maris, vel ſmyrnam græcè, latinè myrrham maris: vel denique amarum mare, quemadmodum cap. 4. ex S. Hieronymo de nomin. hebr. in Exodo, ſed magis in Matthæo diximus; Maria enim apud Hebræos nomen eſt diſſyllabum, & pronunciatur MIRIAM, ac poſterior ſyllaba IAM, mare ſignificat: ſed prior ſyllaba multipliciter deriuari poteſt, & ideo multiplex eſt, vt diximus, huius nominis etymologia. & quidem in qualibet interpretatione ſemper ſonat Mare, quod amarum eſt; & præterea in vna illarum, amarum mare, & in altera maris myrrham, quæ propter amaritudinem illi inſitam vim habet mortuorum corpora à corruptione præſeruandi. *S. Hieronymus.*

15 Et S. Bonauentura in ſpeculo B. Virg. cap. 3. pulchrè hanc amari maris etymologiã explicat, dicitq; Virginem fuiſſe amaram per filij compaſſionem. Similiter S. Bernardinus Senenſis in 3. tom. ſermone 2. de glorioſo nomine Mariæ egregiè eandem Virginis amaritudinem in paſſione declarat. Erant præterea in Virginis mente tres veluti conflictus, ex quibus colligere poſſumus animæ eius ſtatum. Primus dùm reputabat Chriſti innocentiam, & ſimul omnia hominum peccata, pro quibus ſatisfacere Chriſtus volebat: & ex alia parte eius tormenta ad ſatisfaciendum acerbiſſima; videbat enim Virgo hæc excedere menſuram illorum: cùm enim poſſet Chriſtus vnica ſtilla ſanguinis pro omnibus cumulatiſſimè ſatisfacere; elegit tamen tam rigoroſam ſatisfactionem, vt copioſa eſſet redemptio, ita vt meritò Chriſtus illud Iob dicere potuerit: *Vtinam appenderentur peccata mea* (quæ ſcilicet expianda in me ſuſcepi) *quibus iram merui; & calamitas, quam patior, quaſi arena maris hæc grauior appareret.* Iſaiæ vero 40. *Suſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis*. Et S. Thomas 3. par. q. 48. art. 2. rationes aſſignat cur paſſio Chriſti non ſolùm ſufficiens, ſed etiam ſuperabundans ſatisfactio fuerit pro hominum peccatis, præſertim propter dignitatem vitæ, quam pro ſatisfactione poſuit, quippe quæ erat vita Dei, & hominis, & propter magnitudinem charitatis, & propter magnitudinem doloris aſſumpti. ita ex D. Thoma, & hoc augebat Virginis erga filium compaſſionem. Secundus conflictus inter Virginis compaſſionem erga filium dira patientem, qua dolebat, ita vt gladius animam eius pertranſiret, & inter voluntatem diuino beneplacito maximè conformem, quæ lætabatur de fructu ex paſſione filij conſequuturo, nimirum de gloria diuina, & hominum ſalute, quæ ex paſſione reſultabant. Tertius inter dolorem Virginis acerbiſsimum, & conſtantiam eiuſdem inuictam; vnde ſtabat Mater doloroſa, ſed intrepida, dolore interim acriter Virginis viſcera torquente. *S. Bonauentura.* *S. Bernardinus.* *Conflictus tres in corde Virginis in Christi passione. Primus in hominum peccata, & Christi merita illa excedens.* *Iob 6.* *Isa. 40.* *S. Thom.* *Secundus inter suam compassionem, & diuinum placitum conformationem.* *Tertius inter dolorem acerbissimum, & eius constantiam.*

16 Propter hunc Virginis mœrorem Chryſoſtomus in myſterio ſacratiſsimæ paſsionis Domini duplex altare contemplatur, Paſſionis vnum, in quo Chriſti corpus in cruce per paſſionem offerebatur, Alterum in quo anima Matris per compaſſionem transfigebatur: cùm enim amor ex D. Thoma 1. 2. q. 78. art. 2. vim habeat vt amans videatur eſſe in amato quaſi idem factus amato; Virgo per amorem in filium transformata, melius quàm Apoſtolus dicere poterat: *Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Chriſtus*; quæ etiam poſuerat ſibi Chriſtum vt ſignaculum ſuper cor ſuum, iuxta illud Cant. 8. Sicuti ergo characteres, & figuræ ſigilli in ceram transfunduntur, ita & Chriſti vulnera, atque cruciatus in cor Mariæ, nullumq; verberum ictum, nullum ſpinarum aculeum, nec vulnerum plagã recipiebat Chriſti corpus; cui triſtis echo in corde matris per compaſsionem non reſponderet. Propterea Auguſtinus *Chriſtus Ieſus*, inquit, *carnem, Maria, Virgo immolat mentem*. *Chryſoſtomus In Caluaria duplex altare paſſionis Christi, & compaſsionis Virginis.* *S. Thom.* *Cant. 8.* *Auguſtinus.*

In Reuelationibus S. Brigittæ lib. 6. cap. 30. S. Agnes dixit quaſi tot ictus gladij Virginem ſuſtinuiſſe per compaſsionem, quot in filio ſuo vulnera, & plagas præuidebat, & videbat: Adde lanceam pectus Chriſti mortui, ſed cor viuum Mariæ per compaſsionem transfixiſſe. quod rectè animaduertit Bernardus ſupra citatus: Imò horum duorum dolores ſe mutuo augebant, Chriſtus enim in dulciſsima Dei genitrice cruciatus ſuos inſpectante, grauius patiebatur, quod ipſum Virgini dolorem augebat. Quemadmodum in duobus ſpeculis videmus accidere, quæ ſi è regione ſibi opponantur pleraſq; imagines, ſuiq; reflexus mutuo efficiunt: ita ob filij cruciatus dolebat Mater, Matris dolore corripiebatur Chriſtus, Chriſti dolore corripiebatur Mater; dolebat enim Mater ſuum dolorem doleri à filio; dolebat contra Chriſtus ſuum dolorem doleri à Matre: ita denique alter ſuo dolore alterius dolori mutuò reſpondebat, vt in plurimos vterque dolo- *S. Brigitta.* *Dolor Christi, & Virginis per compassionem se mutuo augebant exemplo ex duobus speculis.*

res

res exardesceret: & quanquam in nobis quippe paruo, & imbecilli ingenio tam multi reflexus locum ferè non habeant, sed ad primum ferè congressum finiri, atque deficere soleant; tamen vt perspicacissima est intelligendi vis, atque intimè quicquid objicitur penetrat, ita plurimi emanent reflexus necesse est. Quare in Christo Domino, ac sanctissima eius Matre propter excellens vtriusque ingenium, & præstantissimam intelligendi virtutem, in numerum longè maiorem reflexus eiusmodi excreuerunt. Et S. Brigitta lib. 1. Reuelatio. cap. 35. *Ego*, inquit B. Virgo, *stabam vicinius cruci eius, & sicut hoc grauius pungit quod vicinius est cordi; sic dolor eius grauior erat præ cæteris mihi: cumq. respexisset ad me de cruce, & ego ad eum, tunc de oculis meis quasi de venis lacrymæ exibant, & cum ipse me cerneret dolore confectam in tantum amaricabatur de dolore meo, quòd omnis dolor vulnerum suorum erat quasi sopitus sibi præ dolore meo, quem in me videbat: propterea audacter dico, quia dolor eius erat dolor meus, quia cor eius erat cor meum.* hæc S. Brigitta.

S. Brigitta. Apta explicatio dolorum Virginis ex reuelatione S. Brigittæ.

Ex compassione Virginis, quæ vtilitas ad nos dimanet. Carthusianus.

Ex hac compassione Virginis plurimum vtilitatis ad nos peruenit: nam Carthusianus in Cant. 7. art. 24. *Virgo*, inquit, *compassione præcordialissima in filij sui passione meruit, & obtinet nobis pauperculis, & pusillis fructum, virtutem, & meritum passionis filij sui.* sic Carthusianus.

VIRGINEM DEIPARAM OB DOLORIS GLADIVM, qui in Christi passione eius animam pertransijt, Martyrum præmium assecutam: eaq. de causa diem Sabbati illi dicatum, insignis quoque eius constantia tempore Dominicæ Passionis: Cui omnium primæ Christus ab inferis rediuiuus apparuit. Cap. XI.

Virginem dolus martyrum, & plusquam martyrem esse authoritate, & rationibus comprobatur. Bernardus. Sophronius. Ildefonsus. Bernardus. Richardus. Anselmus. S. Brigitta. Ratio Sophronij, Ildefonsi, & Bernardi.

IPROPTER summum in Christi passione Virginis dolorem factum est, vt Ephræm oratione de Deipara, *Decus martyrum* eam vocet. & Bernardus sermone Signum magnũ, inter duodecim stellas coronæ Virginis recenseat martyrium cordis eius. & Sophronius sub nomine Hieronymi sermone de Assumpt. Ildefonsus serm. 2. de Assumpt. Bernardus loco citato. Richardus in 3. dist. 33. art. 4. q. 6. ad 4. & alij, Virginem plusquàm martyrem appellare non dubitent. quod etiam insinuat Anselmus de excell. Virg. cap. 5. In Reuelationibus B. Brigittæ lib. 1. cap. 52. loquitur Christus ad Matrem: *Testimonium*, inquit, *perhibeo tibi, quòd tu in passione mea plus fuisti, quàm martyr*; & hoc quidem, tùm quia ex Sophronio, Ildefonso, & Bernardo reliquorum Martyrum dolor in carne longè minor fuit, quàm Virginis in anima, quam totam pertransiuit, & possedit vis doloris: anima verò spiritualis cùm sit, acutiori etiam doloris sensu afficitur: tùm etiam, quia ex Anselmo martyrum præstantia in hoc elucet, quòd corpus pro Christo fortiter prodigant, exponendo illud doloribus, cruciatibus, & neci: sed cum dolor, qui ex amissione alicuius rei proficiscitur, amori respondeat, quo eandem rem prosequimur, vt capite superiori dixi, nullus martyrum ita vitam propriam, sicut Virgo sanctissima vitam filij dilexit: quare ex filij nece maiorem, quàm illi ex propria dolorem persensit.

Anselmus.

S. Antoninus. ratio quare Deipara debeatur Aureola martyrum.

S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 24. §. 1. idem sentit, ac probat eleganti ratiocinatione: *Dationi*, inquit, *animæ debetur Aureola martyrij, ergo dationi pretiosissimæ animæ, & dilectissimæ debetur pretiosissima aureola martyrij: sed beatissima Virgo dedit pretiosissimam, & dilectissimam animam, ideſt vitam filij, ipsa enim in infinitum plus dilexit animam, ideſt vitam filij, quàm Beatus Petrus animam, ideſt vitam sui ipsius; fuit etiam pretiosissima vita filij, cum pretium fuerit totius mundi; ergo & habet pretiosissimam aureolam martyrij. Alia ratio, dolor causatur ex amore, vt quantum quis plus amat, tanto plus doleat de amissione eius; Dolor autem Sanctorum in martyrijs eorum causabatur à natura propter separationem animæ à corpore: Dolor autem B. Mariæ à natura, & gratia, sed maior etiam à gratia: sed fortior, & perfectior est causatus à gratia, quàm*

à na-

à natura; ergo improportionabiliter maior fuit dolor eius in passione filij, quàm martyris cuiusq. in sua passione. hactenus S. Antoninus.

Ad hæc, Martyres passi sunt in propria carne, quæ interdum fuit illis occasio, & peccandi illecebra, quæ etiam repugnat, & concupiscit aduersus Spiritum, quam iusti odio sancto prosequentes, cum Apostolo castigant, & in seruitutem varijs mortificationibus redigunt; ac propterea minus tristantur cum à tyrannis eorum caro tormentis subijcitur, ac retunditur. *Scientes præterea*, ex Apostolo 2. Cor. 4. *quia quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. quare magnus Basilius teste Nazianzeno oratione in laudem Basilij cuidam præfecto nomine Modesto, ad Arianam impietatem eum sollicitanti; cruciatusq; & mortem minitanti, cum multa fortiter respondisset, quibus nihili eius minas facere ostendebat, adiecit hæc verba: *Mors beneficij loco mihi erit, citius enim me ad Deum transmittet, cui viuo, & munere meo fungor, maximaq. ex parte mortem obij, & ad quem iam pridem propero*. sic ille. Hinc est, *quod viri in charitate perfecti*, vt verbis vtar Augustini tract. 9. in Epistolam 1. Ioan. *patienter quidem viuant, sed delectabiliter moriantur*. Ex quo illud est desumptum, quod de Sanctis dici solet; eos vitam præsentem habere in patientia, & mortem in desiderio iuxta illud Apostoli Philip. 1. *Cupio dissolui, & esse cum Christo*. At Virgo sanctissima acerbissimo dolore torquebatur ex compassione filij propter necem, & atrocissimos cruciatus, quos non vt martyres propter animæ suæ beatitudinem consequendam, qua iam perfectissime Christi anima perfruebatur; sed propter nos homines, & propter nostram salutem perferebat in carne sua innocentissima ex eiusdem Virginis visceribus accepta, quæ spiritui perfectè fuerat semper subiecta, per quam tot bona ipsa Virgo consequuta erat, quàmq; tantopere diligebat: ideoq; in filij cruciatibus maiori, quàm Martyres in suis, dolore angebatur; & quidem ita vehementi, vt satis superq; potuerit ex Anselmo loco citato, & Alberto super Missus est, & S. Bernardino tom. 3. serm. 2. de glorioso nomine Mariæ art. 2. cap. 4. vitam illi adimere, nisi peculiari filij ope confirmaretur. Adde in Martyribus charitatem, qua erga Deum flagrabant, illorum tormenta magna ex parte leniuisse: ideo S. Agatha lætissimè, & glorianter ibat ad carcerem, quasi ad epulas inuitata. Sancti quoque Marcus, & Marcellianus ad stipitem alligati pedibus clauis confixis ad iudicem: *Nunquam*, inquiunt, *tam iucunde epulati sumus, quàm hæc libenter Iesu Christi causa perferimus, in cuius amore nunc fixi esse cœpimus. vtinam tandiù nos hic pati sinat, quandiù hoc corruptibili corpore vestiti erimus.* & S. Tiburtius candentes carbones nudis pedibus premens dicebat: *Prunæ mihi flores videntur*. At contra charitatis magnitudo in Virgine dolorem non lenibat, sed eadem proportione augebat; quod & ratio ipsa ostendit: sicut enim leue est pati propter eum, quem summè diligas; ita valdè graue, & peracerbum est aspicere eum, quem summè diligas indigna patientem.

Alia ratio. 1. 2. Corin. 4. *Magn. Basil.* *Augustinus.* *Philip. 1.* *Anselmus.* *Albertus.* *S. Bernardinus.* *Vltima ratio.* *Martyrum in tormentis lætitia.* *S. Agatha virg. & mart.* *SS. Marcus, & Marcellianus mart.* *S. Tiburtius mart.*

2 Ex his omnibus licet inferre Virginem Deiparam etiam si mortem actu non pertulit: propter præparationem tamen animi, qua tempore crucis ex Ambrosio, & Ildefonso locis citatis se offerebat persequutoribus, nec peremptorem metuebat; Et propter intimos, & ingentes cruciatus, quibus ex Christi passione eius anima supra omnes Martyres est transfixa, ex Theologorum sententia, præter gloriam essentialem, quam horum cruciatuum perpessione est consequuta; ornatum quoque quendam accidentalem esse adeptã, veluti insigne quoddam suæ præstantissimæ charitatis, & fortitudinis, quòd nonnulli vocant verè, & propriè Aureolam martyrij super omnes martyres. ita loquuntur S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 24. §. 1. & cap. 36. §. 1. & Auctor supplementi Gabrielis in 4. dist. 49. q. 4. art. 3. dub. 2. noster Salmeron tom. 10. tract. 51. & Viguerius in suis Instit. cap. 14. §. 3. vers. 2. Cuius rei ratio ea est; quia verè ex Anselmo mortua fuisset, nisi à Deo præseruata esset: præseruatio verò sicut non abstulit meritum, ita nec præmium; & ideò concludit Viguerius adeptam esse excellentius præmium, quàm sit Aureola martyrij. Alij verò illud insigne dicunt esse quippiam Aureola illa excellentius; quod verius, & magis propriè dici existimat Suarius tom. 2. in 3. par. disput. 21. sect. 4. Quod si de sancto Martino Ecclesia illud canit: *O sacratissima anima, quam & si gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrij non amisit:* quantò verius de sanctissima Dei genitrice

Virgo habuit martyrij insigne Aureola martyrum excellentius. *Ambrosius.* *Ildefonsus.* *S. Antoninus.* *Auctor suppl. Gabriel* *Salmeron.* *Viguerius.* *Anselmus.* *Suarius.* *Offic. Eccles.*

trice id meritò dici poterit; vt ex ijs, quæ hactenus diſſeruimus conſtat.

Sabbatum cur Virgini dicatur.

Cap. 29.

Quo circa Eccleſia, quæ martyrum dies Natales, quibus pro Chriſto mortem fortiter oppetierunt, anniuerſaria tantum celebritate veneratur; Deiparæ non tantum anniuerſarium, ſed ſingulis hebdomadis diem Sabbati perpetua religione conſecrandum decreuit: idq; meritò, nam vt cæteras huius rei rationes nunc præteream, quas fuſius cap. 29. afferemus, Virgo beatiſſima die Sabbati poſt paraſceuē martyrium cordis pertulit acerbiſſimum, ita vt pluſquam martyr, quemadmodum ex citatis Authoribus vidimus, dici poſſit; eo enim die filij præſentia deſtituta, cuius corpus in ſepulchro iacebat exanime; memoria quoque repetens, quæ pridie ab impijs fuerat ille perpeſſus incredibili mærore afficiebatur vſque ad Chriſti reſurrectionem; quam tertia die viua, ac firmiſſima fide expectabat; Ideoq; ad vngendum ſacratiſſimum Chriſti corpus ipſa tametſi plus pietatis haberet, cum alijs tamen mulieribus non venit: *Quia*, inquit Bernardus lib. de Paſſ. cap. 2. *Fruſtra putabat eum vngi, quem reſurrecturum ſciebat: neque*, vt ait S. Antoninus 1. par. hiſtor. tit. 5. cap. 7. §. 1. *quærebat viuentem cum mortuis, de quo Angelus Luc. 24. pias illas mulieres arguebat:* quo circa eum à mortuis rediuiuum omnium prima videre meruit, vt infra vberius dicemus.

Bernardus.

S. Antonin.

Luc. 24.

Obiectio Bernardi contra prædicta, & eiuſdem reſponſio. Bernardus.

Obijcit ſibi Bernardus ſermone Signum magnum; non fuiſſe adeò vehementem Virginis dolorem in Paſſione Chriſti; & ſimul etiam eleganter reſpondet in hunc modum: *Sed fortè*, inquit Bernardus, *quis dicat, Nunquid non eum Virgo præſcierat moriturum? Et indubitanter; Nunquid non ſperabat continuò reſurrecturum? Et fidenter. Super hæc doluit Crucifixum, Et vehementer. Alioquin quis tu frater, aut vnde tibi hæc Sapiētia, vt mireris plus Mariam cōpatientem quàm Mariæ filium patientem; Ille enim mori corpore potuit, iſta commori corde non potuit? fecit illud charitas, qua maiorem nemo habuit; fecit & hoc charitas; cui poſt illam ſimilis altera non fuit.* hæc Bernardus.

Virginis dolores ex præſcita Chriſti morte à filij infantia. Ruper. in Cantic. 1.

3

Sed illud ſilentio præteriri non poteſt; dolorem Virginis non fuiſſe ad breue tempus, nec duraſſe ſolum tempore ipſo, quo Chriſtus actu patiebatur; ſed fuiſſe diuturnum, nimirum à Chriſti infantia. De quo audiamus Rupertum in Cant. cap. 1. ſuper illa verba: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur; botrus Cypri, &c.* introducit enim Virginem loquentem: *Nolite*, inquit, *ſolam attendere horam, vel diem illam, in qua vidi talem dilectum ab improbis comprehenſum, male tractari, ſcilicet illudi, ſpinis coronari, flagellari, crucifigi, felle, & aceto potari, lanceari, mori, & ſepeliri: Nam tunc quidem gladius animam meam pertranſiuit; ſed antea quam ſic pertranſiuit, longum per me tranſitum fecit: Prophetiſſa namq. eram, & ex quo Mater facta ſum, ſciui illa paſſurum. Cùm igitur carne mea taliter progenitum, talem filium ſinu meo fouerem, vlnis geſtarem, vberibus lactarem, & talem eius futuram mortem ſemper præ oculis haberem, & prophetica, imò pluſquam prophetica mente præuiderem, qualem, quantam, quam prolixam me putatis materni doloris pertuliſſe paſſionem? Hoc eſt quod dico: Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur: O commoratio dulcis quidem, ſed plena gemitibus inenarrabilibus: ad vbera deforis cingebatur, & ijſdem lactabatur vberibus, ſimulq. inter vbera intus in corde præſcio futurorum ſemper parebat quali eſſet morte moriturus: veruntamen quia ſciebam quòd eſſet reſurrecturus, & vltra non moriturus, botrus Cypri erat; huius enim præſcientia dulcis erat.* Idem ſuper illud Cant. 4. *Capilli tui ſicut greges caprarum*; loquens ad Virginem: *Tu quoque longum in cogitationibus tuis præſcia futuræ paſſionis filij tui pertuliſti martyrium; ſicut illi, qui circuierunt in melotis, & pellibus caprinis, diù egentes, angustiati, afflicti.* ita Rupertus. His quæ Rupertus dicit conſonat reuelatio S. Brigittæ in ſermone angelico cap. 16. & 17. vbi Virginem non latuiſſe, imò clarius ſciuiſſe ait, quæ Prophetę de Chriſti paſſione tàm multa etiam in particulari vaticinati fuere, ideoq; quando Chriſtum videbat, & pannis inuoluebat, ſtatim occurrebat corpus illud ſanctiſſimum flagris lacerandum, manus, & pedes clauis perforandi; & reliqua, quæ ibi ſingillatim perſequitur.

Cant. 1.

Cant. 4.

S. Brigitta.

Ad hæc aliorum Martyrum cruciatus eorum morte terminantur: At Virgo ſanctiſſima poſt Chriſti Domini mortem, & reſurrectionem quandiù vixit (vixit autem multos annos, vt capite ſequenti dicemus) Chriſti paſſionis memoria; (quæ ei præſentiſſima erat, quòd illi interfuiſſet) mirum in modum angebatur; atque ita in lib. 6. reuel. S. Brigittæ

gittæ cap.61.loquens B.Virgo dixit:*Omni tempore, quod poſt Aſcenſiongm filij mei vixi, viſitaui loea,in quibus ipſe paſſus eſt,& mirabilia ſua oſtendit:ſic quoq;paſſio ſua in corde meo fixa erat,quod ſiue comedebam,ſiue laborabam,quaſi recẽs erat in memoria mea.* hæc ibi. Si.n.Bernardus ſerm.43.ſuper Cant.enarrans illud Cant.1.*Dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur:* ſic hortatur omnes: *Hunc myrrhæ,* inquit, *tam carum faſciculum de principatu tui pectoris,nec ad horam patiaris auelli;amara illa omnia,quæ pro te Chriſtus pertulit.ſemper in memoria retinens,& aſſidua meditatione reuoluẽs: & ego fratres ab ineunte mea conuerſione pro aceruo meritorum,quæ mihi deeſſe ſciebam, hunc mihi faſciculum colligare,& inter vbera mea collocare curaui,collectum ex omnibus anxietatibus,& amaritudinibus Domini mei:primùm videlicet infantilium illarum neceſſitatũ;deinde laborum,quos pertulit in prædicando;fatigationum in diſcurrendo; vigiliarum in orãdo;tentationum in ieiunando,lacrymarum in compatiendo,inſidiarum in colloquẽdo;poſtremo periculorum in falſis fratribus,cõuitiorum, ſputorum,colaphorum, ſubſannationum,exprobrationum,clauorum,horumq. ſimilium, quæ in ſalutem noſtri generis ſilua euangelica copioſiſſimè noſcitur pertuliſſe.* & mox: *Nemo tollet hunc faſciculum à me,inter vbera mea commorabitur: Hæc meditari dixi Sapientiam.* ſic Bernardus. Quanto maiori ſtudio B. Virgo hunc myrrhæ faſciculum recentiſſima memoria ſuæ menti alte impreſſum, inter vbera ſua intellectus, & voluntatis, per meditationem ſcilicet, & compaſſionem iugiter geſtabat,nec à ſe patiebatur auelli.

S.Brigitta. Bernardus. Cant.1.

4 Et quoniam hucuſq; egimus de dolore acerbiſſimo Virginis in paſſione Chriſti Dñi, non videtur alienum hic referre non minus piam,quàm veram contemplationem S.Bernardini Senen.tom.3.ſer.6.art.2.c.1.vbi agens de martyrio, cui ſe Deo obtulit B.Virgo quando concepit filium;dicit.B.Virginẽ conſenſiſſe ad concipiendum filium Dei ex ſuis caſtis viſceribus paſſibilem,& pro peccatis omnium moriturũ in cruce:*Hæc,* inquit,*Virgo ſe obtulit ad illam inæſtimabilem mortem, & ad illud ineffabile incendiũ,quo in ipſa Chriſti conceptione tota fuit ſuccenſa;ſi.n.ante hoc ipſa præ cæteris fuit prompta ad exponendum ſe omni morti,& martyrio propter Deum,quantò incomparabilius in hac hora; Si etiam omnes,qui per baptiſmum introeunt ſtatũ Chriſti,conſepulti ſunt ſecundùm Apoſtolũ Col.2. per baptiſmũ in morte, & crucifigitur vetus homo eorum:quantò magis Virgo cum Chriſto crucifixa eſt in hora huius conceptionis.* & paulò inferius:*Expoſuit etiam ſe Virgo confuſioni,qua potuit,tanquam de adulterio concepiſſet,traduci;* concludit denique S.Bernardinus: *In ſignum igitur quòd crucifixa crucifixum concepit,ordinauit ſumma ſapientia Dei,quòd eodem die Chriſtum concepit,quo etiam fuit paſſus.* ita S.Bernardinus.

Virginis conſenſus in Annũciatione circa omnes dolores Chriſti futuros ex S. Bernardino. Coloſſ.2.

Sanè eadem die ſiue ſpectes feriam hebdomadæ, ſiuè diem menſis,Chriſtum conceptum fuiſſe,& crucifixum,complurium eruditorum ſententia eſt. Quæ & confirmari poteſt ex Zach.cap.3.vbi Dñs agens de Chriſto,vt homo eſt ſub typo lapidis habẽtis oculos ſeptem, ſubdit: *Ecce ego celabo ſculpturam eius,ait Dominus, & auferam iniquitatem terræ in die vna:* quaſi dicat,Ego ipſe corpus Chriſti formabo in vtero Virginis,& eodẽ die poſt aliquot annos per crucem delebitur iniquitas terræ:*V traque.n.dies,* ex Chryſoſtomo hom.de Natiu.S.Io.Baptiſtę *dies cœnæ puræ* (vt eis verbis vtar) *fuit;* in qua luna decima quarta occurrit:quin etiam in feriam ſextam quã diem veneris dicimus,incidit iuxta Auctores ſupra citatos,Annuntiatio Virginis,& in eundem hebdomadæ diem Chriſti Dñi paſſio: & tàm Annuntiatio,quàm etiam paſſio in diem 25.Martij inciderũt: & quidem paſſionem Dñi,feria ſexta factam fuiſſe,ex Euangeliorum hiſtoria,& Eccleſiæ traditione habemus:quod verò die eadẽ fuerit Incarnatio,pleriq; colligunt ex ſupputatione tabularũ aſtronomicarum:& præterea,quia vt in 6.Syn.c.8.dicitur:*Natiuitas Dñi in diem dominicum incidit.* quod & S.Bonauent.affirmat in Medit.c.7.ex reuel.quadã,& Baronius in notis Martyrol.25.Dec.& Pererius tom.1.in Gen. Ex quo rurſus colligunt, Annunciationẽ Virginis in præcedenti Martio fuiſſe feria 6.Præterea die 25.Mart. quo in Eccleſia celebratur Incarnatio,ſeù Virg.Annunciatio,fuiſſe etiam Dñi paſſionem, tenet Auguſt.lib.4.de Trin.c.5. *Sicut,* inquit,*à maioribus traditum ſuſcipiens Eccleſiæ cuſtodit auctoritas;octauo.n.calendas Apr.conceptus creditur,quo & paſſus,ita monumẽto nouo, quo ſepultus eſt,vbi nullus erat mortuorũ poſitus,nec ante,nec poſtea,congruit vterus Virginis,quo conceptus eſt,vbi nullus ſeminatus eſt mortalium; natus autem traditur octauo*

Zach.3.

Annunciatio Virginis, & Chriſti paſſio in feriam 6. & in diem 25. Mart. incidere. Chryſoſtomus.

6.Synod. Benauenturæ. Baronius. Pererius. Baronius tom. 1 annal. anno Chriſti 34. fol. 186. Auguſtinus. Ioan.19.

Martyr. Rom. *calend. Ianuar.* hæc Augustinus. quod etiam alibi docet. His astipulatur Martyrologium vbi 25. Mart. ponitur commemoratio S. Latronis, qui Christum in cruce confessus est; &, vt refert Beda de ratione temporum cap. 28. & 45. plures Ecclesiæ magistri, & Doctores Ecclesiastici tradiderunt Christum passum 25. die Martij. Scio ab alijs Domini passionē in alium diem referri: nobis satis sint quæ attulimus occasione eorum quæ S. Bernardinus dicebat. Qui plura desiderat in eandem sententiam, legat Baronium ad annum Christi 34. & Suarium tom. 2. in 3. par. disput. 40. sect. 5.

Beda.

Baronius.

Suarius.

Virginis in perferendis cruciatibus maximis fortitudo.

5 Quòd autē spectat ad Virginis fortitudinem eximiam, atq; inuictum animi robur in filij cruciatibus, quibus intererat, perferendis; quod erat alterum ex ijs, quę initio superioris capitis proposuimus, in hac Virginis iuxta crucē filij præsētia animaduersione digna, certū est in Christi passione virginē suę fortitudinis argumēta nec pauca, nec exigua dedisse.

Ioan. 19.

Primùm. n. licet acerbissimè doleret ex compassione Christi filij vnici, & dilectissimi; quem tot opprobrijs, & tormentis ad mortem vsq; conflictari intuebatur ita vt Virginis dolor martyrum cruciatus excesserit: quippe qui instar gladij acutissimi eius animā iuxta Simeonis prædictionē transuerberarit, ex eoq; dolore, vt supra ex Anselmo, & alijs docuimus, nisi à Deo confortata, mortua fuisset. Hunc tamen, tantumq; dolorem ea animi fortitudine pertulit, vt nihil egerit dignitati suæ personę indecorum, aut rationi dissonū, nihil quod non summam animi moderationem, atq; constantiam præseferret: neq; sensuū

Luc. 2.

Anselmus.

Virgo spasmum vt vocant, non est passa. Caiet. opusc. de spasm. illum B. Virgini neget. Suar. tom. 2. in 2. par. disput. 4. sect. 3. & disp. 41. sect 2.

defectum, aut perturbationem: neq; quem vocant spasmum, est passa: hæc. n. ex cōplexionis debilitate, vel ex inordinata, ac vehementi cōmotione, ac tristitia euenire solēt, quòd derogaret excellentiæ Virginis, ac perfecto dominio, quod super oēs actus, & potentias suas habebat. Quòd si aliqui Auctores pij, & pictores etiam contrarium interdū significent, per quandam exagerationem ad vehementiam doloris in Virgine exprimendā intelligi debent: Cęterùm vehementissimum eius dolorem, ac lacrymas, cum quadam oris grauitate, & cum rationis moderatione coniunctas fuisse, satis indicat Euangelista cū refert eam iuxta crucem filij non iacentem, aut sedentem, sed stantē, quasi omnibus angustijs, animi magnitudine superiorem: quod notat Ambros. in orat. in obitu Valentiniani: *Stabat*, inquit, *& S. Mater iuxta crucem filij, & spectabat Virgo vnigeniti passionem, statem illam lego, flentem non lego.* Idē de Instit. Virg. c. 7. *Stabat ante crucē Mater, & fugientibus viris stabat intrepida.* hæc Ambros. Et Simon Metaph. orat. de vita, & dorm. Deip. *Dicunt*, inquit, *hi, qui de his rebus tractarunt, eam ab initio, vsq; ad finem se fortiter, & cōstanter gessisse; honestè quidem, & non indecore vtentem motu animi; factis tamen se ostendentem Matrem. sed omninò matrem illius, qui amico mortuo, & ostendit amorem, & motum animi certis finibus continuit.* ita Metaphr. Bernardus de lament. Virg. Mariæ: *Non credo*, inquit, *plene enarrari, vel meditari posse dolorē Virginis, nisi tantùm fuisse credamus, quantum vnquam dolere potuit de tali filio talis mater: verumtamen rectum erat amoris, & mœroris continens modum: non desperabat, sed piè, & iustè dolebat.* sic ille.

Ioan. 19.

Ambrosius.

Metaphr.

Bernardus.

Virginis iuxta crucem stantis fidelitas, & constantia singularis.

6 Quoniā igitur in tot atrocissimis filij sui tormentis, atq; opprobrijs nulla ratione, neq; animo, neq; corpore ab eo distrahi, vel diuelli potuit; hoc facto certissimam suam fidem S. Elisabeth ore laudatā, & insignem de filio existimationem, eximium quoq; erga eundē amorem testatissimū omnibus abundè fecit. verissimùm. n. est illud Eccl. 6. *Si possides amicū in tentatione posside eum;* quasi dicat, amoris, & fidelitatis amici in rebus aduersis periculum esse faciendum. Neque. n. Virgo sanctissima erubuit crucem, & ignominiā Christi, neq; timuit Iudęos, & alios Christo insultantes; etiam si Mater esset eius, quem tā hostili, ac pertinaci odio persequebantur, quin publico, ac conspicuo loco, absq; vlla animi deiectione iuxta eius crucem staret parata quicquid opis posset filio præstare. & sane gratum fuisse Christo hoc Virginis obsequiū, illud argumento est, quòd Christus in tanta dolorum acerbitate curam eius gessit; eamq; discipulo, quem singulariter diligebat, commendauit; idq; Virgini illis verbis significauit: *Mulier ecce filius tuus*, tacito Matris nomine, ne ei dolorem augeret, vt eleganter cecinit Baptista Mantuan. lib. 3. Partheniæ.

Luc. 1.

Eccles. 6.

Amicus in rebus aduersis probandus.

Ioan. 19.

Bapt. Mantu.

„ *Talibus admonuit matrem sine nomine matris,*
„ *Ne materna pium laceraret viscera nomen.*

Ambrosius.

Hanc piam Christi erga matrem sollicitudinē Ambros. in Epist. ad Ecclesiā Vercellensē in fine mirificè extollit: *Nā si religiosum*, inquit, *est quòd latroni donatur venia, multò liberioris*

berioris pietatis eſt, quod à filio mater tanto affectu honoratur; Ecce, inquit, *filius tuus, ecce mater tua. Teſtabatur de cruce Chriſtus, & inter matrẽ, atq; filiũ diuidebat pietatis officia, cõdebat Dñs, non ſolum publicum, ſed ẽt domeſticum teſtamentum; & hoc eius teſtamentum ſignabat Ioannes dignus tanto teſtatore teſtis, bonum teſtamentũ non pecuniæ, ſed vitæ ęternæ, quod non atramento ſcriptũ eſt, ſed ſpiritu Dei viui, qui ait, Lingua mea calamus ſcribe velociter ſcribentis. Sed nec Maria minor, quàm Chriſti matrem decebat. Fugientibus Apoſtolis ante crucem ſtabat, & pijs ſpectabat oculis filij vulnera, quia expectabat non pignoris mortẽ, ſed mundi ſalutem: aut fortaſſe quia cognouerat per filij mortem mundi redemptionẽ, Aula regalis etiam ſua morte putabat ſe aliquid publico addituram muneri, ſed Ieſus non egebat adiutore, qui omnes ſine adiutore ſeruauit: vnde & dicit, Factus ſum ſicut homo ſine adiutorio inter mortuos liber. ſuſcepit quidem affectum parentis, ſed non quæſiuit alterius auxilium. Hanc imitamini matres ſanctę, quæ in vnico filio dilectiſſimo tantum maternæ virtutis exemplum edidit.* hucuſque Ambroſius. *Pſal. 44.* *Pſal. 87.*

7 Secundò, Virginis conſtantia non tantùm elucet, quòd ſumma animi, & corporis moderatione tantum mœrorem perpeſſa fuerit; verùm etiam quia non timebat Iudæos ſui filij hoſtes infenſiſſimos, parata vitam etiam ſuam ponere. quod complures Patres ex ijs, quos ſupra citauimus, adnotarunt. Ambroſius. n. de Inſtit. Virg. cap. 7. *Stabat*, inquit, *non degeneri mater ſpectaculo, quæ non metueret peremptorem; pendebat in cruce filius, Mater ſe perſequutoribus offerebat.* hæc Ambroſius. Et Ildefonſus ſerm. 2. de Aſſumpt. *Venerabilis virgo*, inquit, *pluſquàm martyr fuit, quia in animo non minus amoris, quàm mœroris eſt intus gladio vulnerata; parata. n. ſtetit, ſi non deeſſet manus percuſſoris.* ita Ildefonſus. Et Simeon Metaphraſtes orat. de vita, & dorm. Deip. eam propterea vocat pluſquã mulierem: *Mater*, inquit, *ſicut in alijs ſuperabat mulierem, ita hic quoque videtur pluſquam mulier, quæ à Chriſto minimè recedebat; nihil timẽs quod eſſet formidabile.* & Euthymius dicit, Virginẽ propinquius cruci aſtitiſſe, viſcerum inflammatione Iudęorũ vincente timorem. *Virginis ad ponendam animã pro filio promptitudo.* *Ambroſius.* *Ildefonſus.* *Metaphraſtes.* *Euthymius.*

Tertiò, Virginis conſtantia potiſſimùm ſpectatur in conformitate perfectiſſima, quam in Chriſti paſſione etiã ſi ex ea ſummo dolore afficeretur cum diuino beneplacito, quod Chriſti crucem decreuerat, habuit: conſiderabat. n. & intimè perpendebat ex Chriſti cruce, & paſſione maximam Deo gloriam, ipſi Chriſto corporis ſui gloriam, & nominis exaltationẽ, hominibus graui dæmonis ſeruitute oppreſſis, quos inſigni charitate proſequebatur ſalutem, atq; libertatem prouenturam. Atque hoc eleganter indicat S. Mechtildis lib. 1. reuel. cap. 56. vbi vidiſſe ſe narrat Seraphim ad ſalutandam B. Virginem veniſſe: *Ob amorem, quo Deum*, inquit, *præ omni creatura in terris dilexit; quia amor in paſſione vnigeniti ſui in ea tantum prævaluit, vt omnem humanum affectum penitus deuinceret, & extingueret, quia omni creatura in morte filij Dei dolente, ipſa ſola cum diuinitate immobilis, & gaudens filium ſuum pro mundi ſalute voluit immolari.* hæc illa: quibus verbis non negat Virginem ſanctiſſimam de filij morte doluiſſe; ſed addit illam gauiſam de diuina voluntate (cui ſtudebat eſſe conformis) quæ executioni mandabatur. Et Gerſon ſuper Magnificat, dicit illam ſtantem iuxta crucem habuiſſe altiſſimum actũ obedientię offerendo filium Patri, & conformãdo ſe in acerbiſſima filij morte cum diuina voluntate: neque. n. minori fortitudine prædita fuit, quam mater illa ſeptem Machabęorũ, de qua 2. Mach. 7. ſic ſcribitur: *Supra modum autem mater mirabilis, & bonorum memoria digna, quæ pereuntes ſeptem filios ſub vnius diei tempore conſpiciens bono animo ferebat, propter ſpem quam in Deo habebat ſingulos illorum hortabatur voce patriæ fortiter repleta ſapientia, & fœmineæ cogitationi, maſculinum animum inſerens dixit ad eos*, & quæ ſequuntur. Neque minori conſtantia, quàm S. Felicitas, qua hortante ſeptem filij eius in fide perſeuerantes pro Chriſto variè ſunt necati; & quam S. Symphoroſa, quæ ſeptẽ pariter filijs fidei magiſtra, & dux ad martyriũ extitit. Aut matre Melithonis vnius ex quadraginta militibus apud Cæſaream Cappedociæ; quæ, vt refert Baſilius in orat. in 40. martyres, filiũ multis cruciatibus affectum, adhuc tamen viuentem, ad perſeuerandum hortabatur; & extinctũ ad plauſtra, quibus ſociorũ martyrum corpora efferebantur adiecit. Aut matre Symphoriani adoleſcentis, cuius feſtum die 22. Aug. commemoratur, qui cum pro Chriſti fide duceretur ad mortem, matrem ita clamantem audiens: *Nate, nate memento æternæ vitæ, Cœlum ſuſpice, & ibi regnantem intuere, tibi. n. vita non eripitur, ſed mutatur in melius,* *Virginis iuxta crucem ſtantis in diuino beneplacito ſumma conformitas.* *S. Mechtildis.* *Gerſon.* *2. Machab. 7.* *S. Felicitas.* *S. Symphoroſa.* *Melitonis mart. Mater.* *Symphoriani mart. Mater.* *Baſilius.*

S. Dionysia sancti Maiorici mater. Victora.

fortiter Iesu Christi causa carnifici collum præbuit. Aut S. Dionysia matre S. Maiorici, qui ex Victore lib. 3. de persecutione Vãdalica in Africa sub Hunerico Vandalorũ Rege Ariano, cum esset adolescentulus, ac tormenta paueſceret matris obtutibus, verbisq; coroboratus, cæteris fortior factus, in tormentis reddidit spiritum: quem amplexata mater domi sepeliuit, & ad eius sepulchrum assiduè orare consueuit. Cuius dies in Martyrologio recensentur die 6. Decembr. Aut matre Baruli pueruli, qui cum vna cum S. Romano Antiochiæ tempore Galerij Imperatoris fidem Christi liberè confessus torqueretur, & potum petijsset, monitus est à matre cunctis audientibus, tempus illud nõ esse sitis extinguendę, sed fidei prędicandę: qui tandem verberibus cæsus, iussus est decollari: Eius memoria in Martyrologio 18. Nouemb. agitur: cuius nobile certamen Prudentius versibus exornauit. & huiusce modi fortitudinis sexcenta in lege Euangelica habemus exempla. Hinc etiam factum est, vt Deipara contra eos, qui mortem innocentissimi filij sui calumnijs, & falsis delationibus procurarunt, & contra milites eum crucifigẽtes non fuerit per impatientiam commota. quod Bonauentura in spec. cap. 4. sic probat: *Maria*, inquit, *interfectores filij sui nunquam odiuit, nunquam contra eos impatiens fuit: Nam si alij martyres patientissimi fuerunt in suo martyrio corporali, quantò magis martyr nostra MARIA in martyrio spirituali suo?* sic Bonauentura.

Martyrol. Rom. Mater Baruli martyr. S. Romanus M. Prudentius. Bonauentura.

S. Bernardinus. S. Antoninus.

8 Adde Virginem sanctissimam omnia Christi tormenta, vt ex S. Bonauentura, & S. Bernardino docuimus, libentissimè in se susceptura fuisse. Verùm quanta fuerit hæc conformitas Virginis cum Dei volũtate audiamus suis verbis S. Antoninum egregiè de hoc agentem 4. par. tit. 15. cap. 41. §. 1. vbi etiam citat Anselmum: *Stabat*, inquit S. Antoninus, *B. Virgo Maria iuxta crucem sanctitate, & hoc tripliciter, primò fide eleuata, quam de Christi diuinitate fixam retinuit expectans indubiè tertia die illius Resurrectionem in eius fidei signum in triduano hebdomadæ sanctæ officio, candela illa, reliquis extinctis, remanet accensa. Secundò, stabat peccato non inclinata, non iacebat, non sedebat, non curuata erat, sed stabat. Iacet quis in peccato per prauam operationem; sedet per mentis consensionẽ; inclinatur per sensualem delectationẽ: at Virgo sanctissima, licet ab omni peccato immunis, tantam tamen passionem experta est in morte filij, quantam nunquam vllus martyr sustinuit in sua passione. Tertiò, stabat firma voluntati Dei conformans se. sciebat B. Virgo, quòd Dei voluntas erat filium suum pati, & propter hoc in mundum venerat, & scripturæ, quæ sibi satis notæ erant, hoc pronunciabant, quæ falli non poterant, & cum in omnibus requiem quæreret, vt de ipsa canitur, quæ non aliter verè quæritur, & possidetur, nisi conformando se diuinæ voluntati secundùm rationem; ideò stabat, non murmurabat, quòd filius innocentissimus pateretur; non blasphemabat Iudæos, quòd ab eis, quibus tot fecerat beneficia, tam crudeliter tractaretur: Non vindictam à Deo petebat, quòd illi à terra viui absorberentur vt merebantur: non capillos, vel vultum scindebat, quia vidua, & sine filio consolatore remanebat, sed stabat verecunda, modesta, lacrymis plena, doloribus immersa. Anselmus ò Domina quos fontes lacrymarum dicam erupisse de pudicissimis oculis tuis, cũ attenderes vnicum tuum innocentem coram te flagellari, ligari, mactari, & carnem carne de tua crudeliter dissecari; & tamen ita diuinæ voluntati conformis fuisti, vt salutis humani generis auidissima esses; vt dicere audeam, quòd si nullus fuisset repertus, qui filium crucifigeret, adhoc vt sequeretur salus hominum, & adimpleretur voluntas Dei secundùm rationem, si oportuisset, ipsa posuisset in crucem: neque. n. credendum est minoris fuisse perfectionis, & obedientiæ ad Deum, quàm Abraham, qui proprium filium obtulit Deo in sacrificium proprijs manibus occidendum, & comburendum. Stabat ergo fixa in Dei voluntate.* hactenus S. Antoninus, qui idem docuit loc. cit. c. 17. §. 4. Ideo Gerson tract. 2. super Magnif. affirmat de Virgine: *Quod ipsa, si Deus iussisset, crucifixisset, &c.* Item S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 20. §. 1. agens de amore Virginis in nos: *Et quod*, inquit, *dicitur de Patre æterno Christi, ita & de eius matre tẽporali dici potest illud Rom. 8. Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum, scilicet passum voluntate, & affectu, quomodo nõ etiam cum illo omnia nobis donauit pertinentia ad recreationem nostram.* ita S. Antoninus. & S. Bonauentura in 1. sent. dist. 49. art. 2. q. 2. in fin. agens quomodo teneamur in volito, vt loquuntur Theologi, conformari diuinæ voluntati, præsertim quia aliqui de nonnullis, quę ex diuina volũtate accidunt, per compassionem dolent, ideſt nollent euenire, & tamen in hoc actu merentur,

Ecclesi. 24. Virginis in summis doloribus summa mestitia, & patientia. Anselmus. Virgo humanæ redemptionis auidissima. Gen. 22. Gerson. S. Antoninus. Rom. 8. S. Bonauentura.

rentur,vt Ieremias ſuper deſtructione Ieruſalem,& B.Virgo ſuper Chriſti paſſione.& reſpondet illos voluntate abſoluta voluiſſe quod Deus volebat;voluntate tamen cõditionata,ſiuè voluntate pietatis debuiſſe velle contrarium; & hac voluntate meritum apud Deum conſecutos:quoniam hoc non eſt naturę tantum,ſed etiam rationis,& ſubijcit de B.Virgine ſic: *Præcipuè*,inquit,*hac voluntate merebatur in Chriſti filij paſſione beatiſſima Mater, & Virgo Maria, cui patienti quantum ſexus muliebris fragilitas ſuſtinere poterat compatiebatur. Nullo tamen modo eſt dubitandum, quin virilis eius animus, animus,& ratio conſtantiſſima vellet etiam tradere filium ſuum pro ſalute generis humani,vt Mater per omnia conformis eſſet Patri.& in hoc miro modo debet laudari, & amari,quod placuit ei,quòd vnigenitus ſuus pro ſalute generis humani offerretur: & tantum etiam compaſſa eſt,vt ſi fieri potuiſſet omnia tormenta,quæ filius pertulit,ipſa multò libentius ſuſtinuiſſet. Verè ergo fuit fortis, & pia, dulcis pariter, & ſeuera, ſibi parca,& nobis largiſſima. Hæc ergo præcipuè eſt amanda, & veneranda poſt Trinitatem ſummam, & eius prolem beatiſſimam Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* hactenus S.Bonauentura. & S.Bernardinus Senenſis tom.3.ſerm.2.de glorioſo nomine Mariæ art.2.cap.4.*Iſte*, inquit ex Auguſtino 4.Confeſſ.) *eſt modus amantium,velle pro inuicem mori: nec dubiũ hoc erat amoris in Virgine benedicta,vt infinities ſi fieri potuiſſet, ſe morti pro filio tradidiſſet: ſi enim hoc voluit Dauid pro filio ſuo,quantò magis hæc pro ſuo, vt magis conueniat ei vox illa 2.Reg.18. Quis mihi det,vt ego moriar pro te fili mi.* hæc S.Bernardinus. Qui addit ex doctrina Anſelmi, eam præ doloris amaritudine morituram fuiſſe, ſi Spiritus ſanctus eam non confortaſſet. Idem S.Bernardinus loco citato art.3. cap. 4. docet ſingulas circumſtantias paſſionis,quas plurimas ibi enumerat,veluti ſingula flumina doloris,& amaritudinis in Mariã intraſſe: *Et prropterea*,inquit, *ad eam meritò dici poteſt illud Thren. 2. Magna eſt veluti mare contritio tua; & hoc mare per impatientiam non redundabat; ſed omnia iſta flumina in ſe per ſuſtinentiam abſorbebat,ſicut Eccleſiaſtæ 1.myſticè ſcriptum eſt,Omnia flumina intrant in mare, ideſt in Mariam, & mare non redundat,ſcilicet per impatientiam;redundat tamen in nos per eam mare largitatis diuinæ,quia de plenitudine eius accepimus omnes,in præſenti gratiam,& in futuro gloriam.* ita S. Bernardinus. Atque hæc de vicinitate Virginis cum Chriſto tempore paſſionis dicta ſint.

Quomodo cõ Virgine coniungatur dolor de paſſione filij cũ deſiderio humanæ ſalutis.

S. Bernardin.

Auguſt. 4. confeſſ.cap 6.

Virginis propoſito moriendi deſiderium.

2.Reg 18.

Anſelmus.

S. Bernardin.

Thren.2.

Eccleſ.1.

CHRISTVS DOMINVS A MORTVIS RESVRGENS ſuæ Genitrici primùm apparet.

9 NEC ſolùm in Chriſti paſſione Deiparæ cum eo vicinatas ſpectatur,verùm etiam in eiuſdem glorioſa Reſurrectione. Neque enim Chriſtus Dominus,qui conſolatur humiles,paſſus eſt pijſſimæ ſuæ Genitricis cor tàm acuto,tamq; ingenti,quem ex eius paſsionis,ac mortis conſpectu conceperat mœroris gladio diutius transfigi; ſed vbi victor ab inferis ſurrexit immortalitatis gloria ornatus, confeſtim ei omnium primæ apparuit,ſuaq; præſentia omnem ei mæſtitiam abſterſit, ac nouo, & ineffabili gaudio perfudit; vt quæ præ alijs ſocia paſsionum extiterat, eſſet & conſolationis. liceat enim nobis Deiparæ gaudium in filij Reſurrectione ex lætitia Iacob Patriarchæ æſtimare;qui cũ filium ſuum Ioſeph à fera peſsima deuoratum exiſtimans diù luxiſſet, eum ex inſperato viuere,& in omni terra Aegypti dominari intellexit: hoc enim audito, tametſi vndecim ei filij ſuperſtites eſſent,tamen Gen.49. quaſi de graui ſomno euigilans, ait: *Sufficit mihi ſi adhuc Ioſeph filius meus viuit; vadam, & videbo illum,antequam moriar:* qua ergo lætitia exultauit Deipara,cum vnicum filium vnicè dilectum, quem atrociſsimè excruciatum inter duos latrones in crucis patibulo mori conſpexerat; iam viuentem, & gloria corporis inſignem vidit? cui data erat omnis poteſtas in cœlo,& in terra; & vt in eius nomine omne genuflectatur,cœleſtium,terreſtrium, & infernorum; Et, vt reliqua fileam,veriſimile eſt,quemadmodum cap. 5. dicebamus, ad claram diuinæ eſſentiæ viſionem breui aliquo temporis ſpatio Deiparam tunc fuiſſe eleuatam ita,vt peculiari ratione verba illa pſal.93.vſurpare potuerit, *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Si enim ex tot Doctorum ſententia,quos cap.5.attulimus,Clara Dei viſio aliquando ei eſt conceſſa,certè admodum

Virginis gaudium in filij Reſurrectione immenſum.

2.Cor. 1.

Gen. 49.

Matth.vlt.

Philip. 2.

Deipara ad claram diuinæ eſſentiæ viſionem dum terris viuebat eleuata.

Pſal.93.

verisimile est ipsã ei tributam non solùm in Annunciatione, quod nominatim concedũt Albertus,& S.Antoninus cum Mater Dei effecta Verbum in suo vtero concepit; verùm etiam in glorioſa filij Resurrectione post turbulentissimam eiusdem passionis procellam, qua ipsa per compassionem mirum in modum præ alijs fuerat,vt diximus,iactata; vt sicut abundarunt passiones Christi in ipsa, & per Christum eius abundaret consolatio. Cùm enim Christus Dominus,iuxta Iacob Patriarchæ vaticinium, ex Interpretum sententia,velut *Catulus Leonis*,qui cibi,ac prædæ auidior est,quam Leo;& propter acutiores, firmioresq; dentes audacior, *ad prædam;* seù,iuxta septuaginta,ex germine, seù,vt in hebræo habetur, teste Hieronymo in quæstionibus hebraicis, *ex captiuitate*, hoc est ex passione captiuam ducens captiuitatem *ascendisset*, *quippe qui in sanguine testamenti sui* Zach.9. *eduxit vinctos suos de lacu,in quo non erat aqua*, hoc est, Patres ex limbo in libertatem vindicauit; Cumq; idem Dominus in sepulchro non secus, ac leo hanc prædã in inferno voraturus,& de suis hostibus, quos plures in Samsonis typo Iudic. 16. occidit moriens,triumphum acturus,absque vllius timore securus requiescens accubuisset; subiecit Iacob: *Quis suscitabit eum?* ac si diceret, nullus impune eum lacessere, vel interpellare audebit:vel nullus alius,siue Angelus,siue homo à morte eum suscitabit;sed ipse sua diuina virtute rediuiuus ab inferis resurget,iuxta illud Ioan.2. *Soluite templum hoc,& in tribus diebus excitabo illud,hoc autem dicebat de templo corporis sui: Quoniam*, inquit Leo serm.1.de Resurrectione: *Deitas, quæ ab vtraque susceptæ hominis substantia non recessit,quod potestate diuisit,potestate coniunxit.*Et quamuis Christi Resurrectio verè tribuatur etiam Patri Actuum 2.& Rom.8.hoc inde est,quoniam vna eadem, quæ est virtus,& operatio patris,est filij. quod eleganter explicat Origenes homil. 17. in Genesim:& S.Thomas 3.par. q.53. art.4. Nec tamen prætermittendum videtur id, quod de Catulo leonis Origenes loco citato hæc verba Iacob enarrans affert; vult enim totum hoc vaticinium non ita commode aptari Iudæ,& tribui eius: *Sed multo,*inquit,*conuenientius aptabitur huic loco mystica expositio, in qua catulus leonis Christus non solum Tropicus, sed etiam Physicus designatur;nam Physiologus de catulo leonis hæc scribit,quod cùm fuerit natus,tribus diebus,& tribus noctibus dormiat; tùm deinde Patris gemitu, vel mugitu,tanquam tremefactus cubilis locus suscitet catulum dormientem; iste Catulus ergo ascendit ex germine* iuxta versionem 70. *ideſt,non ex semine, sed ex Virgine absque concubitu viri,velut virgultum, siue ramus, in quo manifestissime, & veritas carnis assumptæ ex Virgine declaratur. Recumbens dormisti sicut Leo; & Catulus leonis manifestissime recubuisse,& dormisse dictum de passione mortis ostenditur. Sed videamus quare vt Leo, & vt Catulus Leonis dormit. De catulo quidem iam superius dictum est, quod valde conuenienter aptatur in Christo, qui tribus diebus, & tribus noctibus in corde terræ sepultus somnum mortis impleuit: Vt Leo autem,quia mors Christi oppressio, & triumphus dæmonum fuit; omnem namq. prædam,quam Leo ille contrarius inuaserat prostrato homine, & deiecto,hic Leo interripuit, quiq. rediens ab inferis, & ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem. Hoc ergo modo,& somno suo leo fuit vincens omnia,& debellans eum, qui habebat mortis imperium,& velut Catulus leonis die tertia surrexit.* hæc Origenes. Cæterùm quamuis nullus alius homo, vel Angelus Christum à mortuis potestate, vel imperio excitarit,Deipara tamen veluti leena generosissima,ac fortissima (hoc enim typo eam,vtpotè Christi Leonis de Tribu Iuda matrem vocari docet Epiphanius hæresi 78.& alij)suo rugitu,& precibus ardentissimis eum exorabat,vt à mortis somno ocyus surgeret,verbis illis canticorum: *Reuertere dilecte mi*, & illis psal.56. (quemadmodum piè contemplatur Bonauentura in medit.vitæ Christi cap.87.) *Exurge gloria mea,exurge Psalterium,& cithara.*Quibus ex persona Christi respondentis subinfertur:*Exurgam diluculo.* Vocatur autem Christus Psalterium,& cithara, quoniam in cruce corpus eius sacratissimum,veluti fides in musico instrumento,distensum, suauissimum, & dulcissimum obedientiæ,& charitatis concentum Patri edidit;quo sono spiritus malus, & Princeps huius mundi eiectus est foras;& nunc etiam è fidelium cordibus Christi passionem fide,& charitate venerantium eijcitur, sicut olim Dauide citharam personante Saul refocillabatur,& leuius habebat,recedebatq; ab eo spiritus malus. Quòd si mater iunioris Tobiæ de absente filio solicita, quotidie exiliens circuibat vias omnes, & sedebat

in

Albert. Magn. S. Antoninus. Luc. 1. 2. Cor. 12 Gen. 49. Orig. hom. 17. in Gen. Epiph. hær. 78. & alij communiter.

Septuaginta.

Hieronymus.

Zach. 9.

Iudi. 16.

Christus propria virtute resurrexit. Gen. 49. Ioan. 2.

Leo.

Act. 2. Rom. 8. Origenes. S. Thom. Origenes. Gen. 49.

Septu. Interpr.

Gen. 49.

Ingenti ideſiderio, Christi resurrectionẽ Maria precabatur. Apoc. 5. Epiphanius. Cant. 2. Psal. 56.

Ioan. 12.

1. Reg. 6.

Tob. 10. & 11.

in ſupercilio montis,vt procul videret filium,ſi fieri poſſet,venientem, & dies computabat quibus reuerti debebat;quanto maiori deſiderio,& anxietate videndi filium reſurgentem Deipara mundanis omnibus tranſcenſis, & in monte contemplationis reſidens ardebat; ac diem tertium Reſurrectioni aſsignatum expectabat; lacrymisq; pijſsimis filium ad ocyus reſurgendum perurgebat. Quo circa *Si denunciatam*, inquit Leo ſermone 1. de Reſurrectione, *tridui moram tam mira celeritate Saluator noſter abbreuiauit, vt dùm ad integrum ſecundùm diem pars primi nouiſsima, & pars tertij prima concurrit, & aliquantum temporis ſpatio decederet, & nihil dierum numero deperiret, ne turbatos diſcipulorum animos longa meſtitudo cruciaret.* ſic Leo. Quanto magis id ad matris etiam preces, atque ad eius conſolationem effeciſſe exiſtimandus eſt: nam, & iunior Tobias maturabat reditum: *Quia Pater meus*, inquit, *& mater mea modo dies computant, & cruciatur ſpiritus eorum*: igitur multo magis eximia Chriſti erga matrem præſertim, & erga diſcipulos charitas eum,vt reſurrectionem acceleraret,vrgebat.

Leo.

Tobiæ 11.

Chriſtus Deipara primum poſt reſurrectionem apparet.

10 Genitrici verò ſuæ omnium primæ,vt dicebamus, rediuiuus ſuam præſentiam exhibuit; licet enim ſacra ſcriptura nominatim illam non exprimat,id nobis tamen, vt verbis vtar B. Ignatij in meditationibus libri exercitiorum, reliquit pro certo,tanquam intellectum habentibus;ne alioqui iure audiamus illud; *adhuc & vos ſine intellectu eſtis.* Nec verò deſunt complures Patres,qui expreſsè id docent Ambroſ.lib.3.de Virginibus: *Vidit*, inquit, *Maria reſurgentem Dominum; & prima vidit, & credidit; vidit Maria Magdalene, quamuis adhuc iſta nutaret.* ſic Ambroſius,qui licet in cap.24.Lucæ duas ponat Marias Magdalenas;vnam,quę cum altera Maria Matth.28. tenuit pedes Ieſu,& credidit. Alteram,quæ Ioan.cap.21.Prohibita eſt tangere Chriſtum: *Quoniam dubio*, inquit Ambroſius, *mæſtificabatur affectu.* In libro tamen 3.de Virginibus de MARIA matre Domini,& non de Magdalena loqui videtur;tùm quia eam,quæ prima Dominum vidit,& credidit MARIAM ſimpliciter abſque vlla additione appellat,quo nomine mater Domini ſignificari ſolet; cum alioqui ſi de alia loqueretur Magdalena,notam adhibiturus fuiſſet;tùm quia ex loco Matthæi ab Ambroſio allegato Maria Magdalenæ non ſola,ſed cum altera Maria tenuit pedes Domini: quare non prima ante omnes,ſed ſimul cum alia Dominum adorauit. Scio poſt Deiparæ apparitionem ex Euangelio Marci vltimo Dominum apparuiſſe primo Mariæ Magdalenæ,de qua eiecerat ſeptem Demonia. Verùm Ambroſius lib.8.in Lucam non agit de hac apparitione à Marco deſcripta, ſed de illa Matthæi;& propterea ex doctrina Ambroſij colligo in lib.3.de Virginibus, de Maria Deipara eum eſſe locutum;quod eruditè etiam probat noſter Salmeron tom.11. tract.11.contra Ioannem à Louanio, qui Ambroſium de Magdalena exponebat. Nyſſenus orat.2.de Reſurrectione,quicquid dicat eam cum alijs mulieribus ad ſepulchrum propter Domini corpus vngendum acceſſiſſe;quod excellenti eius fidei minime cõgruere ſupra indicauimus; tamen,quod ad rem præſentem ſpectat,docet eam primam non ſolùm Chriſtum reſurgentem vidiſſe,ſed Apoſtolis etiam denunciaſſe; idq; eleganti ratione confirmat: *Quia decebat*, inquit, *Deiparam; ea, quæ ad gaudium pertinebant, Apoſtolis nunciare; vt quæ radix gaudij eſſet.* ſic ille. Idem docet Nicephorus lib.1. hiſtoriæ cap.32. His conſonat Sedulius lib.5.Paſchalium carminum de Deipara agens.

Ioan.21.

Marc.26.

Ambroſius.

Salmeron.

Nyſſenus.

Cur ad vngendum filij corpus B. Virgo non acceſſerit.

Nicephorus.

Sedulius.

Hæc eſt conſpicuo radians in honore MARIA;
Quæ cum clarifico ſemper ſit nomine Mater,
Semper Virgo manet: Huius ſe viſibus aſtans
Luce palam Dominus prius obtulit, vt bona mater
Grandia diuulgans miracula; quæ fuit olim
Aduenientis iter, hæc ſit redeuntis & index.

Metaphraſtes in oratione de vita,& dormitione Deiparæ: *Dei*, inquit, *Mater prima clarius aſpicit filij Reſurrectionem, & eius prædicatores de ea magis confirmat, quam eæ, quæ vnguenta obtulerunt.*

Metaphraſte.

11 Rupertus lib.7.de diuin.offic.cap.25.idem aſtruit,& ea de cauſa ſtationem in die Paſchæ ad ſanctam Mariam Maiorem fuiſſe indictam aſſerit: agens enim de Chriſti reſurrectione: *Veriſſimè*, inquit, *matri filius reſurgens apparuit. abſit enim hoc ab illo, qui in lege ſua Patrem, & matrem honorare præcepit; Abſit vt matrem propter ſe doloris gladio tranſ-*

Rupertus.

Statio in die Paſchæ cur ad ſanctam Mariã Maiorem.

Exod.20.

Luc.2. *transfuerberatam, tam dura negligentia talis filius inhonorauerit. Non sic Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ veritas, quæ hanc Beatam Ierusalem in principio lætitiæ suæ proposuit, cum in hac prima die Paschæ stationem ad sanctam Mariam Missæ officio præscripsit: Ipsa præ omnibus, ipsa ante omnes vidit hanc nostram pacem;* & mox: *Igitur pulchrè maiores nostri tradiderunt, vt dictum est, vt in processionibus cunctis Dominicis diebus per annum beatæ Dei Genitricis memoria prima statione visitemus decantando quodlibet, quod eius proprium sit, eaq. salutata, & oratione dicta, tunc demum processionem peragamus.* cuius rationem supra assignauerat: *Quid enim conuenientius, quid pulchrius, quid venerabilius, quam gratulari matri Virgini super Resurrectione Vnigeniti.* hæc Rupertus. Idem de Christi resurgentis prima apparitione suæ Genitrici facta affirmant Anselmus cap.6.de excellent.Virg. S.Bonauentura in meditationibus vitæ Christi cap.87. S. Vincentius sermone 1. in die Paschæ. S. Antoninus 1. par. historia tit. 5. cap. 7. §. 1. & S.Brigitta lib. 6. Reuelat. cap. 94. inter alia à Deipara reuelata scribit eam hæc sibi dicentem: *Mihi, quæ sum Mater Dei cum post eius mortem incomprehensibili dolore mœsta essem, apparuit idem filius meus priusquam alijs, & palpabilem se ostendit mihi consolans me, & commemorans se visibiliter in cœlum ascensurum, quamuis hoc non est scriptum propter meam humilitatem.* hæc ibi. hoc idem apud S. Brigittam in serm. Angel. cap.6. Hoc ipsum, quod patrum testimonijs astruitur, hac etiam ratione, seù congruentia optimè colligitur: *Dominus enim* Sap.1. *inuenitur ab his, qui non tentant illum. APPARET autem eis, qui fidem habent in illum,* & Ioan. 14. *Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & MANIFESTABO ei meipsum:* vt meritò olim in Hymno sanctæ Mariæ Magdalenæ de ipsa propter apparitionem primam respectu aliorum discipulorum ei factam canebatur.

In processionibus primum ad B. Virginem salutandam accedimus.

Rupertus. S. Bonauentura S. Vincentius. S. Antoninus. S. Brigitta.

Sap. 1. Ioan. 14. Offic. Eccl.

Surgentem cum victoria,
Iesum videt ab Inferis,
Prima meretur gaudia,
Quæ plus ardebat cæteris.

Quæ cum ita sint, insignis Deiparæ fides, & ardens præ alijs omnibus in Christum dilectio, quæ, vt diximus, tempore præsertim Dominicæ passionis eluxerunt, Primam Christi resurgentis apparitionem, & manifestationem promerebantur, & quæ prima ipsum adorauit, quem mortalem ex suo vtero genuit, prima quoque immortalem è sepulchro prodeuntem cerneret, ac veneraretur.

Marc.16. At rogabit quispiam quare Marc.cap.16.scribitur Dominus primum apparuisse Mariæ Magdalenæ, nec apparitionis Deiparæ factæ Euangelistæ meminerunt. Respondet Rupertus loco citato, ad Euangelistas pertinuisse nominare solos illos Resurrectionis testes præordinatos à Deo, quos Christi resurrectionem annunciare decuit: cauerunt autem, vt monet Metaphrastes loco citato, maternum afferre testimonium, ne videretur suspectum, & propter maternam coniunctionem fides ei minus haberetur. Anselmus autem loco citato aliam rationem à quodam viro sapiente sibi redditam memorat: *Quia cum in Euangelio,* inquit, *nihil superfluum reperiatur, superfluum planè videretur si matri Domini filius resurgens scriberetur, sicut alij cuilibet apparuisse: Reginam videlicet Cœli, & terræ, omnisq. creaturæ coæquare illis, quibus apparuit.* sic Anselmus. S.Brigitta verò, vt vidimus, id propter humilitatem Virginis non fuisse ab Euãgelistis litteris mandatum ex eiusdem Deiparæ reuelatione testatur.

Rupertus. Metaphrast. Anselmus. S. Brigitta.

VIRGO DEIPARA IN COELVM ASSVMPTA filio omnium proxima in gloriæ collocatione. Cap. XII.

D.Thom. IVM sedenti nihil sit sua sede vicinius, quemadmodum ex D. Thoma in superioribus vidimus; iamq; ostenderimus B.Virginem à sui ortu Deo dicatam; Christo in Incarnatione, in totius vitæ conuictu, & eiusdem passione maximè fuisse propinquam: reliquum esse videtur, vt de summa etiã vicinitate, quæ illi per Assumptionem cum eodem in omnem æternitatem intercedit in gloria, aliqua dicamus: vt sic hanc cum Throno similitudinem omni

Deipara per Assumptionẽ Christo omnium proxima.

ex

ex parte ei cõuenire colligamus. Et licet de eius in Assumptione præ alijs vicinitate cum filio, nullus sit inter catholicos dubitandi locus; idq; satis perspicuum sit ex ijs, quæ cap. 6. disseruimus, vbi eam supra omnes euectam demonstrauimus: ad Virginis tamen præstantiam plenius declarandam, aliam in præsentia probandi viam inibimus.

Et quidem illud tanquam clarum, certumq; ponimus, Deiparam post suam dormitionem resurrexisse, & corpore vna cum anima in cœlo residere; de quo licet Sophronius sermone de Assumpt. inter opera Hieronymi dubitauerit, quem Vsuardus, & Ado falsò existimantes sermonem illum esse Hieronymi in suis Martyrologijs secuti sunt; reliquorum tamen Patrum, Theologorumq; constans sententia tanquam certum illud recepit; sic enim docent Athanasius sermone de Annunciatione, qui olim legebatur in Officio Assumptionis, Augustinus lib. de Assumptione, Gregorius Turonensis de gloria Confessorum cap. 4. & 9. Andreas Cretensis orat. de dorm. Damascenus orat. 1. & 2. de dorm. Iuuenalis Episcopus Ierosolymitanus apud Damascenum, Nicephorus lib. 2. cap. 22. Glycas par. 3. annal. Anselmus de excell. Virg. cap. 8. Rupertus lib. 6. in Cantica in illa verba: Quæ est ista, quæ progreditur; Richardus de sancto Victore in Cant. cap. 42. Hugo de sancto Victore lib. 3. Eruditionis theologicæ cap. 125. vbi inter Deiparæ priuilegia recenset, quòd sine dolore obierit, quodq; in cœlo cum corpore viuat, & ad dexteram filij singulariter sedeat; Psalmista testante: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate*. sic Hugo. Bernardus item in suis luculentissimis, quos de Virginis Assumptione habuit sermonibus. B. Laurentius Iustinianus sermone de Assumptione. His consonant Scholastici omnes; S. Thomas 3. par. q. 27. art. 1. & opusc. 8. Bonauentura in spec. cap. 2. S. Antoninus 1. par. hist. tit. 6. cap. 3. Gerson Alphai 14. & reliqui Scholastici in 3. dist. 3.

Sophronius. *Vsuardus.* *Ado.* *Athanasius.* *Augustinus.* *Greg. Turon.* *Andr. Cret.* *Iuuenalis Epis. Ierosolymit.* *Nicephorus.* *Glycas.* *Anselmus.* *Rupertus.* *Richardus de sancto Victore.* *Hugo de sancto Victore.* *Psal. 44.* *Bernardus.* *B. Laur. Iustin.* *S. Thom.* *Bonauentura.* *S. Antoninus.*

2 Hoc ipsum S. Brigittæ est reuelatum, vt videre est lib. 1. cap. 8. & 9. & lib. 6. cap. 61. & 62. & lib. 7. cap. 26. redditq; rationem Deipara cur alicui initio non fuerit cognita eius Assumptio in corpore: *Quia prius*, inquit, *stabilienda erat fides Ascensionis Christi*. Et communis sensus Ecclesiæ id satis confirmat: Martyrologium quoque Romanum, & Officium Ecclesiasticum, ac Missa, quibus vtitur Ecclesia in die Assumptionis hoc ipsum ostendunt; semper enim Assumptionis nomen vsurpant, quo significant eam corpore, & anima in cœlum euectam: Assumptio enim propriè, & in rigore refertur ad corpus; quemadmodum animaduertit Suarez tom. 2. in 3. par. disput. 21. sect. 2. Aliorum enim Sanctorum animæ quamuis deferantur in cœlum, non tamen dicuntur assumptæ, nec earum festum sub nomine assumptionis, sed potius transitus, migrationis, vel natalis celebratur. Christi verò dicitur Ascensio, quia propria virtute in cœlum ascendit, quod eleganter explicat D. Thomas 3. par. q. 57. art. 3. At Deiparæ dicitur Assumptio, quia singulari Dei priuilegio corpore, & anima in cælum est euecta, quod apud catholicos adeò in confesso est, vt ex Theologorum doctrina, præsertim Cani lib. 12. de locis theologicis cap. 11. & Cordubensis lib. 1. quæst. theolog. q. 17. & Suarez loco citato, sine temeritatis nota illud negari non possit. Ad hoc etiam illustrandum figura quædam ex arca Dei afferri potest, quæ 1. Reg. 5. tametsi à Philistæis capta, illæsa inter hostes permansit, & in Templum Dagon inuecta illius statuam deiecit; sic Deipara sacratissima, quamuis communi hominum conditione morte veluti capta fuit, & Sanctorum Apostolorum humeris, ac manibus in sepulchrum illata: integro tamen, & incorrupto corpore seruata est; necnon procul ab eius corpore, & veluti prostrati iacuere vermes perpetui sepulchrorum incolæ.

Cur Deipara Assumptio in corpore minus cognita prius fuerit. *Martyrologium Romanum.* *Officium Eccles.* *Suarez.* *S. Thom.* *Canus.* *Suarez.* *1. Reg 5.*

3 At rogabit quispiam, quoto post obitum die Deipara surrexerit? Ad quod respondet Ioannes Beleth in rationali diuinorum officiorum cap. 147. *Mulier*, inquit, *quædam religiosissima appellata Elisabeth, quæ nunc etiam in viuis est, habitat in finibus Saxoniæ ait lib. 4. cap. 1. sibi reuelatum, quòd circiter dies quadraginta assumptum fuerit corpus post assumptionem animæ: de qua re opusculum quoddam composuit: sed non est in Romana Ecclesia comprobatum.* sic ille. Similem reuelationem scribit Cæsarius factam sua fere ætate in Longobardię loco, qui Carixtus dicitur à Deipara cuidam Bertrammo Monacho. Ex huiusmodi reuelatione existimat Baronius in notis ad Martyrolog. ad diem 15. Augusti adiectum ab aliquo fuisse ad Martyrologium Bedæ die 23. Septembris hęc verba:

Quoto post obitum die Deipara corpus assumptum. *Ioan. Beleth.* *Elisabeth è Saxonia.* *Cæsarius.* *Baronius.*

verba,de Assumptione in corpore:*Nono calendas Octobris.Secunda Aumptio sanctæ Virginis Mariæ.* Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib.7.cap.65.hanc reuelationem vult factam *B.*Elisabethæ de Sconaugia: at S.Antoninus loco citato tribuit eam S.Elisabethæ filiæ Regis Hungariæ: ipse verò eam minimè probat: *Nec per hoc,* inquit, *detrahitur sanctitati Elisabeth si non creditur; quia & Sancti viri Prophetæ credunt à Deo sibi aliqua reuelari spiritu prophetiæ,quæ ex phantasia sua trahunt in visionibus suis, vt patet in Nathan Propheta.* ita S. Antoninus. In reuelationibus quoque S.Brigittæ libr.6.cap.62.& lib.7.cap.27.reuelatum ei dicitur, corpus Deiparæ iacuisse in sepulchro quindecim diebus,& postea assumptum in cœlum.

Petrus de Natalibus.
S. Antoninus.
2.Reg.7.

Communis tamen sententia, teste Suarez loco citato, & Azor tomo 2. lib.1. cap. 31.docet corpus Deiparæ in sepulchro illatum tertio post dormitionem die animæ vnitum in cœlum assumptum fuisse, vt sic eam verè obijsse, filioq; post triduum à mortuis resurgenti similem esse constaret. hinc factum est, vt Deiparæ obitus appositissimo vocabulo à S.Damasceno, & alijs Dormitio appelletur, quòd absque dolore fuerit; & post breuissimum tridui spatium Deipara corpore, & anima rediuiua ad dexteram filij consederit,eadem enim die,qua resurrexit assumpta est:neque enim aliqua ratio assumptionis differendæ fuit, quemadmodum erat in Christi Ascensione, quæ quadragesimo die est facta.

Suarez.
Ex cõmuni sententia tertio post dormitionẽ die corpus Mariæ assumptum.
Azor.
Damascenus.

Iuuenalis Patriarcha Ierosolymitanus, Damascenus rem in hunc modum gestam narrat in euthymiaca historia lib.3.cap.40. apud Damascenum orat.1. de dormit. *Quod verò Deum suscepit eius corpus cum Angelica, & Apostolica hymnodia elatum iustis ei factis in loculo fuit depositum Gethsemane; quo in loco Angelorum chorea, & hymnodia mansit tres dies perpetuos. Post tres dies autem Angelica cessante hymnodia, qui aderant Apostoli, cum vnus abfuisset. (* Is à Nicephoro lib.2. histor. cap.23. S.Thomas fuisse dicitur *) & post tertium diem venisset,& quod Deum susceperat,corpus adorare voluisset, loculum aperuerunt; sed intemeratum quidem, & ex omni parte laudandum corpus nequaquam inuenire potuerunt: cum ea autem solum inuenissent,in quibus fuerat compositum,& positum, & ineffabili,qui ex his proficiscebatur,essent odore repleti,locum clauserunt.* sic ille: eiusdem Iuuenalis verba. Simeon Metaphrastes in oratione de vita, & obitu Deiparæ, & Nicephorus lib.2.cap.23.referunt.

Iuuenalis Patriarcha Ierosolymitanus, Damascenus.
Nicephorus.
Metaphrastes.

4 His ita constitutis,ostendamus Deiparam præ cæteris puris creaturis, (quarum comparatione semper loquimur,) summam in cœlo apud Deum vicinitatem,& gloriæ beatitudinem adeptam. Cùm enim ex sacris litteris,quibus vitæ meritis, vitæ æternæ merces promittatur, satis sit exploratum;si ostenderimus ea in Virgine præ cæteris cumulatissimè reperiri,consequens etiam erit,ipsam non solùm cunctis in gloria esse prælatam, sed etiam absolutè Deo esse propinquissimam.

Deipara Christo propinquissima.

Cæterùm non ignoro de Sanctorum gloria nobis corporis mole grauatis difficile esse pro dignitate loqui,idq; multò magis de Virginis gloria, quæ suo maximo fulgore omnium eam intueri conantium aciem perstringit, atque hebetat; præsertim quia gloriæ locum (quem in cœlo Virgo habet) ei ostendere;ac proinde alijs plene enarrare peculiari quadam ratione Deo tribui videtur, iuxta illud Iob 38. ex persona Dei prolatum: *Nunquid ostendisti Auroræ locum suum;* quod de Virgine exponens Bonauentura in speculo B.Virginis cap.9. *Non ad te,* inquit, *pertinet ostendere Auroræ Mariæ locum suum in Cœlo,sed ad me,idest ad Deum;bene autem dicit, suum,quasi appropriando,& discernendo illum ab alijs omnium Sanctorum locis. Hinc etiam bene legitur,Intulerunt Sacerdotes Arcam fœderis Domini in locum suum; hic certe locus est super omnes choros Angelorum,hic denique locus est in cœlo dignissimus.* hæc Bonauentura. Verùm quia res ipsa postulat,vt de eo agamus,ideo ad Virginis gloriam,eiusdem freti auxilio,vel balbutiendo aliquid pro virili nostra dicere conabimur. Præmitto autem id, quod Ecclesia sæpè fatetur,ipsam super choros Angelorum exaltatam,de quo S.Brigitta in reuelationibus in sermone angelico cap.20. *Deus,* inquit, *creator omnium ipsius Virginis animam quando fuit à corpore separata statim super omnes Cœlos mirificè sublimauit, eiq. imperium super vniuersum mundum donauit, & Angelorum Dominam æternaliter ipsam constituit; qui Angeli postmodum ita obedientes Virgini effecti sunt, quòd omnes inferni*

Ineffabilis gloria Virginis ex cellentia.
Iob 38.
Bonauent.
3.Reg.8.
E. Virg. super omnes Angelos, & Sanctos exaltata.
S. Brigitta.

ni pœnas libentius ſuſtinerent, quam aliquibus ſuis præceptis in aliquo contradicerent. hæc ibi.

Et quidem pleraque, quæ iuſtum hominem ad magnam gloriæ celſitudinem euehere in diuinis oraculis leguntur, horum nonnulla recenſebimus; cumq; ea in Virgine præ cæteris Sanctis abſolutiſſima inueniri oſtenderimus; ſimul etiam de loco eiuſdem in cœlo altiſſimo, liquido conſtabit. *Ioan. 12.*

Primò, quidem Ioan. 12. Chriſtus Dominus ait: *Qui mihi miniſtrat me ſequatur, & vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit:* quæ ergo in gloria erit Chriſto magis proxima, quàm Mater eius? quæ vt cap. 9. latè diximus, ab initio ad mortem vſque in eiuſdem miniſterijs magis, quam vllus alius ſolicita, fidelis, & obſequens fuit. Verùm audiamus Auguſtinum, qui hunc locum Ioan. 12. ad oſtendendum Virginis excellentiſſimum præmium, luculenter expendit in lib. de Aſſumpt. Mariæ cap. 7. & 8. *Si*, inquit, *hæc eſt generalis ſententia omnium, per fidem, & bonam operationem Chriſto miniſtrantium, vt vbi ego ſum, illic ſit & miniſter meus; quanto magis quodammodo, & ſpecialius eſt Mariæ? Mariam namq. operis exhibitione, & filij rigidiſſima veritate miniſtram Chriſti fuiſſe omnis, qui ſanè ſapit, intelligit; abſque dubio enim omni operi miniſtratrix extitit, quæ hunc in vtero geſſit, partuq. profuſum aluit, & fouit*, & vbi pluribus exemplis id confirmaſſe, ſubijcit Auguſtinus: *Si ibi erit Maria, vbi Chriſtus miniſtros ſuos vult eſſe, nunquid æquali gratia? & ſi æquali gratia, vbi æqua Dei cenſura, quæ vnicuique reddit ſecundum ſua merita? ſi ergo merito Mariæ viuenti præ omnibus donata eſt gratia, mortuæ erit minuenda? Abſit, quia ſi omnium Sanctorum mors eſt pretioſa, Mariæ ſanè eſt pretioſiſſima; quam tanta eſt comitata gratia, vt Mater Dei dicatur, & ſit. Conſideratis igitur his vniuerſis, & vera ratione confitendum cenſeo, Mariam in Chriſto, & apud Chriſtum eſſe gloriosè ad æternitatis gaudia aſſumptam, benignitate Chriſti honoratius ſuſceptam cæteris, quam hic gratia honorauit præ cæteris.* & infra: *Si apud illum illa, quæ genuit, fouit, & aluit illum Maria Dei genitrix, Dei miniſtratrix, & Dei ſecutrix.* hucuſque Auguſtinus. Hanc etiam rationem affert Damaſcenus orat. 2. de dormit. *Si enim*, inquit, *vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit, inquit vita, & veritas Chriſtus; quo modo non potius mater cum ipſo erit?* Hinc Guarricus ſermone de Aſſumptione introducit Chriſtum dicentem Virgini: *Nullus*, inquit, *mihi plus miniſtrauit in humilitate mea, nulli abundantius adminiſtrare volo in gloria mea, nec ſatis glorificatus videor donec tu glorifieeris.* hæc ille. *Prima ratio, quia Virgo præ cæteris Chriſto miniſtrauit. Ioan. 11. Auguſtinus. Damaſcenus. Guarricus. Ioan. 14.*

Secundò, Ioan. 17. Chriſtus ad Patrem: *Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, volo vt ſint vnum ſicut & nos.* Hunc etiam locum Auguſtinus libro citato cap. 5. & 6. ad idem probandum his verbis ſic affert: *Si vnitatem poteſt facere gratia ſine proprietate ſpecialis naturæ, quanto magis vbi gratiæ vnitas, & corporis eſt ſpecialis natiuitas, vt in Maria. Pater ſancte rogo, vt omnes vnum ſint ſicut & tu Pater in me, & ego in te; hoc eſt, vt ipſi ſint per gratiam, quod nos ſumus per diuinitatis naturam. Hæc quippe gratiæ vnitas, quæ cunctis in Chriſtum credentibus ſeruatur ſi Mariæ non tollitur, quãto magis cum gratiæ vnitate ipſa ſpecialitas naturæ vnum efficit Matrem, & filium, & filium & matrem? De illis etiam, quos ſecum per gratiam vnum eſſe voluit ait, Pater quos dediſti mihi, volo vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum, vt videant claritatem, quam dediſti mihi: ſi igitur eos ſecum habere vult, quid æſtimandum eſt de matre, vbi digna ſit haberi, niſi in præſentia filij? Igitur Mariæ anima claritate fruitur Chriſti, & glorioſis conſpectibus eum ſemper videre ſitiens, & ſemper conſpiciens, dum inæſtimabiliter paſcitur excellentiori quadam, ſpecialiq. prærogatiua à filio honoratur poſſidens in Chriſto corpus ſuũ, quod genuit clarificatum in dextera Patris.* & infra: *Thronum Dei, Thalamum Domini, Domum, atque Tabernaculum Chriſti, dignum eſt ibi eſſe, vbi ipſe eſt.* hæc Auguſtinus: qui etiam dixerat prius, Chriſtum Dominum carnem, quam de Matre ſuſcepit, ſupra aſtra tranſuexiſſe, & ſic honoraſſe omnem humanam naturam, ſed multò magis maternam. S. Bernardinus tomo 3. ſermone 1. de glorioſo nomine Mariæ artic. 2. cap. 1. *Si*, inquit, *eorum, quorum eadem eſt natura, idem eſt locus; ipſius autem, & filij eadem eſt natura, ergo idem locus erit; qua propter & meritò, & loco vicinissima erit filio ſuo; non ſecus, ac Stella polaris polo ſuo;* Stella autem polaris ex S. Bernardino loco citato art. 1. cap. 2. *Secunda, quia ex Virgine carnem Chriſtus accepit. Ioan. 17. Auguſtinus. S. Bernardin.*

ſublimiſſima eſt poſt polum,ita Virgo poſt filium, Chriſtus etiam ex S. Bernardino loco citato per polum ſignificatur,quia eſt cardo vniuerſi,circa quem omnia vertuntur,eſt enim alpha,& omega;principium & finis omnium.

Tertia, quia Virgo opera meritoria pluri ma, & eximia fecit.

Matth. 16.

Pſal. 61.

6 Tertiò,merces vitæ æternæ ſecundùm vniuſcuiuſque bona opera,quæ ex gratia proficiſcuntur,reddetur Matth. 16.& pſalm. 61. Sed actus Virginis meritorij,vt cap. 6.dixi, quos in omni genere virtutum, præſertim in vita actiua, & contemplatiua exercuit, ex intenſiſſima gratia procedebant:gratia verò per ſingulos actus, quos fecit poſt primam gratiam in immaculata Conceptione acceptam,quibuſq; augumentum eiuſdem gratiæ merebatur,incrementum capiebat;& præterea ipſa ex toto conatu operabatur. hi porrò actus per totum vitæ ſpatium fuere innumerabiles;nunquam enim, ne tempore quidem ſomni,in quo cor ſuum vigilabat, à meritorijs actibus ſuperſedebat: ergo & gloriæ magnitudo, quam ſupra omnes puras creaturas promeruit, eſt inexplicabilis. Quare Prou. 31. de muliere illa forti,quæ B.Virginem ſignificabat,dicitur: *Date ei de fructu manuũ ſuarum, & laudent eam in portis opera eius* (hoc eſt in exitu ab hac vita) tunc enim innumerabilia eius bona opera,ex quibus eximiam mercedem eſt conſecuta,ſolidam eius laudem omnibus notam fecerunt.De eius meritorum,& gloriæ magnitudine pulchrè Ildefonſus ſermone 2.de Aſſumptione: *Quia*,inquit,*& ſi impartit præmia iuſtus Iudex Chriſtus Dominus ſecundùm Apoſtolum vnicuique iuxta opera ſua; huic tamen ſacratiſſimæ Virgini genitrici ſuæ ſicut incomparabile eſt,quod ipſa geſſit, & ineffabile donum, quod percepit;ita & inæſtimabile,& incomprehenſibile præmium, & gloria, non dico inter cæteras ſacras virgines, verùm etiam inter omnes Sanctos, quam promeruit: Peruenit namq. ad cœli palatium Beata,& glorioſa, vbi Chriſtus ſponſus Eccleſiæ intra Thalamum collocauit eam in dextera maieſtatis: ibi ſiquidem eam aſſumpſit præcellentiſſimam inter primos,vbi iuxta Dauid vocem, Stat Regina in dextris Dei in veſtitu deaurato circumdata varietate.*hactenus Ildefonſus. Deinde tot,tantisq; meritis cumulata proceſſit Virgo: *Vt etiam ipſi cœleſtis curiæ Principes*(inquit Bernardus ſermone 4.de Aſſumptione) *in conſideratione tantæ nouitatis clament non ſine admiratione. Quæ eſt iſta,quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens,nec enim pares inueniuntur deliciæ vel in nobis,quos in Ciuitate Domini lætificat fluminis impetus, qui à vultu gloriæ voluptatis gloria potamur.* hæc Bernardus. Virgo enim figuratur 3. Reg. 10. per Reginam Saba,ipſa enim venit ad verum Regem Salomonem pacificum,& ingreſſa Ieruſalem cœleſtem cum comitatu,& diuitijs,& camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas pretioſas; Non ſunt,vt ibi dicitur,allata vltra tàm multa aromata,nimirum virtutum inſignium, & meritorum ingens magnitudo,quæ odorem vndiq; eximium mittebant; quibus cœleſtis Ieruſalem aucta,& lætificata fuit. Et quidem de actibus meritorijs Virginis,eiusq; virtutibus egimus cap. 6. & agemus cap. 21. Hoc ſolùm addam S.Ioannem Euangeliſtam ſingulare in cœlo aſſecutum præmium,quod ſuis erga Deiparam obſequijs, illa liberius meritorum cumulum auxerit, quod habet S. Gertrudis lib.4. reuelationum cap. 49. *Per hoc etiam*,inquit,*quod B.Virgo viſa eſt de corde B. Ioannis vaporem trahere, perpendit quod regalis Virgo ſpecialem gloriam ex parte B. Ioannis attulerit pro ſingulis bonis, quibus ipſo prouidente liberius potuit vacare in omni vita ſua, & cum iſta inquireret,quem profectum B.Ioannes ex talibus haberet Dominus reſpondit. Quaſi tot gradibus affectuum cor meum ipſi eſt dulcius acclinatum, quot obſequijs matris meæ virtutibus ipſius ſolicitudinem ſenſi affuiſſe.* hæc in S.Gertrudæ.

Pſal. 44.

Bernardus.

Cant. 8.

Pſal. 45.

3. Reg. 10.

Cap. 21.

S. Gelitrudis.

B. Virgo opera miſer. cordiæ corporalis cum Chriſto exercuit.

Matth. 25.

7 In præſentia ſatis ſit aliquid attingere de operibus miſericordiæ, propter quæ gloria in die iudicij conferenda dicitur,& de nonnullis virtutum actibus,quibus in ſacris litteris peculiariter merces Regni cœlorum repromittitur. Sanè in extremo iudicij die Regnum cœlorum propter opera miſericordiæ Chriſto in ſuis membris præſtita reddendũ eſſe teſtatur idem Dominus Matth. 25.illis verbis: *Venite benedicti Patris mei,poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi,eſuriui enim & dediſtis mihi manducare;* & quæ ſequuntur. & mox: *Quandiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis mihi feciſtis.* Sed Virgo ſanctiſſima hæc omnia miſericordiæ opera Chriſto in propria perſona præ omnibus diligentiſſimè exhibuit; ergo & præ cunctis Regnum cœlorum poſſidebit. Qua in re audiamus Anſelmum loquentem de beata Virgine in homil. ad Euangelium

Anſelmus.

ex

ex Luca, Intrauit Iesus in quoddam castellum; *& vt breuiter* (inquit Anselmus) *illa sex misericordiæ opera percurramus; quæ cùm vni ex minimis suis fiunt, Deus sibi facta confitetur. Virgo non quemlibet ex minimis, sed summum Dei filium hospitem, non in domo, sed in vtero suscepit: Nudum, carne, vel etiam pannis operuit: Esurientem pauit: Sitientem lacte potauit: Infirmum per infantiam, & iacentem non solùm visitauit, sed etiam balneando, fouendo, leniendo, gestando frequentauit; vt meritò de ea dicatur, Martha satagebat circa frequens ministerium: Comprehenso, & crucifixo quasi in carcere posito affuit, sicut scriptum est, Stabat iuxta crucem Iesu mater eius.* hæc Anselmus. Idem expendit sanctus Bernardinus Senensis tomo 2. sermone 51. artic. 3. cap. 3. Quòd si potus aquæ frigidæ datus in Christi nomine mercede sua non carebit, & qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet, quæ merces manebat Virginem toties ex suis vberibus, & postea ex suo labore potum dantem non tantùm in nomine Christi, sed ipsi Christo, & recipientem Dominum Prophetarum?

Ioan. 19.

S. Bernardin.

OPERA MISERICORDIAE PERFECTISSIMO MODO à Deipara Christo exhibita.

8 Cæterùm, vt eximiam Deiparæ mercedem, quàm ex hisce misericordiæ operibus in Christum impensis est consecuta magis intelligamus, illud animaduertere oportet, in operibus misericordiæ ex quadruplici capite vnum posse alteri præstare, modò cætera sint paria. Primò, si illud ex maiori charitate proficiscatur; omne enim, quod datur, ex Gregorio lib. 22. moralium cap. 12. ex dantis mente pensatur. Secundò, si opus illud in aliquem egenum magis dignum impendatur. Hinc fit, vt D. Thomas in 4. distinct. 15. quæst. 2. artic. 6. quæstiuncula 3. velit eleemosynam, cæteris paribus, magis faciendam esse melioribus. & Caietanus in 2. 2. quæstio. 32. artic. 3. *Nisi indigentia*, inquit, *sit multò maior in vno, quàm in alio, melius esse dare minus indigenti iusto, quàm magis indigenti peccatori: & similiter minus indigenti meliori, quàm magis indigenti minus bono: quoniam licet in magis indigenti sit maior materia misericordiæ; in bono tamen, & meliori est maior materia charitatis, quæ est maior virtus.* hæc Caietanus. Et sanè eleemosynam magis erogandam viris bonis, quàm peccatoribus fusè probat Hieronymus libro contra Vigilantium in fine; & Epistola 150. ad Hedibiam quæst. prima. Idem quoque asserit sanctus Augustinus in psalm. 102. Tertiò, illud misericordiæ opus alteri præcellit, in quo plus pecuniæ, vel plus vtilitatis ingentem confertur. Quartò, denique illud opus præfertur, quod non tantùm ex eo, quod nobis supereſt, iuxta id, quod Luc. 11. præcipitur; verùm etiam ex eo, quod nobis est necessarium, tribuitur: ideoq; Luc. 21. Christus Dominus viduam illam pauperculam in Gazophylacium mittentem æra minuta duo plus, quàm omnes misisse affirmauit, quamuis ex Marco cap. 12. multi diuites multa in illud iactassent: *Nam omnes hi* (inquit Dominus) *ex abundanti sibi miserunt in munera Dei, hæc autem ex eo, quòd deest illi, omnem victum suum, quem habuit misit.* At verò Deipara sanctissima (vt in præsentiarum sileam misericordiæ opera, quæ nobis valdè egentibus, quamuis indignissimis ex summa charitate præstitit dùm filium suum nostrum pretium, cibum, & præmium de suis castis visceribus protulit) certè misericordiæ opera, quæ in Christum eam contulisse supra commemorauimus, ex hoc etiam quadruplici capite illam præ cunctis perfectissimo modo exhibuisse certum est.

Opera misericordiæ ex quadruplici capite sibi inuicem præstare.

Gregorius.

Eleemosyna iusto impensa magis Deo accepta.

D. Thom.

Caietanus.

Hieronymus.

Augustinus.

Eleemosyna melior, qua ex eo, quod nobis deest erogatur.

Luc. 21.

Marc. 12.

Opera misericordiæ Deiparæ ex quadruplici capite Deo gratissima.

9 Primò enim Deipara ex summa charitate ea faciebat; cuius ratio in promptu est, quia nimirum supra omnes in gratia, & charitate incomparabiliter eminebat, & præterea ex toto conatu, quemadmodum capite sexto dixi, operabatur: quin etiam superaddito incenso orationis, cui erat impensè addicta, ea omnia Deo magis grata reddebat; Oratio enim operum nostrorum holocausto, quo sit Deo magis acceptum, adiungi debet; propterea enim Leuit. 2. Thus orationis Symbolum in sacrificio adhiberi iubetur. quare Deipara illud psalm. 65. meritò vsurpare poterat: *Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum*; hoc est, operum holocausta cum incenso ora-

Leuit. 2.

Psal. 65.

tionis, non externa tantùm ſpecie offeram, ſed medullata; ex intimis nimirum voluntatis præcordijs, & ex ingenti charitatis affectu, quæ veluti medulla inter oſſa latens, diuino palato ſuauiſſima eſt, ac ſapidiſſima: Nam & propterea *reſpexit Deus ad Abel:* & deinde ſubijcitur: *Et ad munera eius*; quoniam voluntate propenſa, & amore erga Deum eximio, quæ per medullam, & adipem ſignificari ſolent, ſuum munus cumulauit: quod adumbrare viſus eſt, cum de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum Geneſ. 4. ſacrificium obtulit. Quo circa, & ab Apoſtolo Hebr. 11. Abel plurimam hoſtiam obtuliſſe, quàm Caim ſcribitur.

Geneſ. 4.
Hebr. 11.

Chriſtus propter nos egenus factus eſt.
2. Cor. 8.

Secundò, hanc miſericordiam in maximè egentem, ac præ omnibus dignum contulit, in Chriſtum ſcilicet pauperem, & ſimul Deum; quippe *qui cum diues eſſet* 2. Corinth. 8. *Pro nobis egenus factus eſt, vt ſua inopia nos diuites eſſemus:* hinc in ſordenti ſtabulo natus, in vili præſepio reclinatus, & in morte in alieno ſepulchro tumulatus, & dùm viueret Matth. 8. de ſe ipſe dicebat: *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet.* & Luc. 8. *Memorantur piæ illæ mulieres, quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis.* Quo circa huius paupertatis, quàm pro nobis ſponte ſuſcepit, gratam memoriam exigit Thren. 3. *Recordare,* inquit, *paupertatis, & tranſgreſſionis meæ.* & Auguſtinus titulum pſal 101. qui eſt *Oratio Pauperis*, de Chriſto interpretatur. Et quemadmodum peccatum Iudæorum, qui Chriſtum occiderunt, fuit maximum in genere ſuo propter dignitatem perſonæ ex ſancto Thoma tertia parte quæſt. 47. artic. 6. qui artic. 5. ad 3. ait: *Iudæos etiam ſi habuerint ignorantiam affectatam, peccaſſe; non ſolùm hominis Chriſti, ſed tanquam Dei crucifiſſores.* ſic S. Thomas: ita opera pietatis, & beneficentiæ erga Chriſti perſonam erant maximi valoris in Virgine, quia ex perfecta cognitione, & amore illius perſonæ operabatur.

Thren. 3.
Auguſt. in pſal. 101.
S. Thom.

Obſequium erga Chriſti perſonam magni meriti.
Tob. 12.

10 Tertiò, Deipara omnia miſericordiæ opera, vt ex dictis patet, cum Chriſto cumulatiſſimè, atque effuſiſſimè exercuit; quin etiam ſe, ſuaq; omnia Chriſti obſequio addixit. Quòd ſi Tobias tanti faciebat filium ſuum à ſancto Raphaele ſaluum, atque incolumen deductum, & cum vxore, ac diuitijs reductum, id quod paucis diebus peregit; quid de ſanctiſſima Virgine exiſtimabimus, quæ tandiù Chriſtum primum infantem, deinde etiam grandiorem factum, ſemper eſt comitata, eiq; diligentiſſimè miniſtrauit? Et quia tantum hoſpitem digniſſimo in terris loco excepit, in vtero ſcilicet ſuo; ideò ab eodem filio viciſſim nobiliſſimo in Cœlis loco eſt collocata.

Damaſcen.

Ita Damaſcenus oratione ſecunda de dormitione: *Opus erat,* inquit, *eam, quæ Deum Verbum ventris ſui hoſpitio exceperat, in diuinis filij ſui tabernaculis collocari: & quemadmodum Dominus ſe in his, quæ Patris ſui eſſent verſari oportere dixerat; ſic quoque Matrem in filij ſui palatij eſſe conueniebat; hoc eſt in domo Domini, & in atrijs domus Dei noſtri;* ita Damaſcenus. *Nec in terris* (inquit Bernardus ſermone primo de Aſſumptione) *locus dignior vteri virginalis Templo, in quo filium Dei Maria ſuſcepit: nec in Cœlis Regali ſolio; in quo Mariam hodie Mariæ filius ſublimauit; felix nimirum vtraque ſuſceptio, ineffabilis vtraque, quia vtraque inexcogitabilis eſt.* ſic Bernardus.

Bernardus.

B. Virg. opera erga Chriſtum exercita.

Quartò, hæc omnia filio ſuo pauperculo, & peregrino non tantùm ex ſuperfluo, verùm etiam ex ſibi neceſſarijs impendit: nam ex puriſſimis ſuis ſanguinibus ei corporis tunicam contexuit, in vteri ſui gremio illum eſt hoſpitata, eumq; lacte ſuo cibauit, & aluit, eiq; in reliqua vita ſedulo miniſtrauit. hoc eleganter Methodius in hypapantem agens cum Virgine: *Tu,* inquit, *Deo alioquin nullius rei indigenti, carnem, quam non habebat dediſti: quo (inquam) hac ratione omnipotens, id quod eſſe dignatus eſt, homo videlicet verè appareret. quid hoc illuſtrius? quidue ſublimius? qui cœlum, & terram implet, cuius præterea ſunt omnia quæcumque mouentur, atque ſubſiſtunt, is tui factus eſt indigus; tu enim admirabilem incarnationem, quam aliquando non habuit, Deo mutuam dediſti.* & mox: *Euge Euge Mater Dei, & Ancilla, Euge euge, quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur: Deo namquè vniuerſi debemus; tibi verò etiam ille debet.* hæc Methodius. Et quemadmodum ipſa de ſuis puriſ-

Methodius.

puriſſimis ſanguinibus filium Dei veſtiuit, ita viciſſim in gloria veſtitur ab eo. Bernardus ſermone Signum magnum, agens quomodo B. Virgo ſole amicta apparuit. Apocal. 12. *Quàm familiaris,* inquit, *ei facta es Domina, quàm proxima; imò quàm intima fieri meruiſti, quantam inueniſti gratiam apud Deum? in te manet, & tu in eo, & veſtis eum, & veſtiris ab eo; veſtis eum ſubſtantia carnis, & veſtit ille te gloria ſuæ maieſtatis; veſtis ſolem, & ſole ipſa veſtiris.* & mox: *Denique, & coronauit eum, & viciſſim ab eo meruit coronari.* hæc Bernardus. *Bernardus. Apoc. 12.*

Sed totum hoc claudamus ijs, quæ ponit ſancta Brigitta in Reuelationibus ſuis in ſermone Angelico, quem Angelus S. Brigittæ dictaſſe ibi dicitur cap. 21. vbi pulchrè de præmio Virginis digniſſimo in hanc ſententiam ſic habet: *Quia,* inquit, *ipſa veritas, qui eſt Dei, & Virginis filius omnibus conſuluit, bonum etiam pro malo retribuere; quantis bonis per ſe ipſum credendus eſt ipſe Deus bonorum operum factores remunerare: & quia per ſuum Euangelium pro quolibet bono opere centuplum redonari promiſit; quis excogitare poterit, quantis præmiorum ſublimium donis, ſuam reuerendiſſimam Matrem ditauerit, quæ nec quidem minimum peccatum vnquam commiſit, cuius & opera Deo gratiſſima non habent numerum? nam ſicut ipſius Virginis animæ voluntas omnium bonorum operum inchoatrix extitit; ita & ipſius honeſtiſſimum corpus ad operum perfectionem inſtrumentum aptiſſimum, & iugiter applicabile fuit.* hæc ibi. & ſubijcit: *Corpus cum anima Virginis digniſſimæ omni honore in cœlo fuiſſe glorificatum.* *S. Brigitta.*

11 Quartò, Perfectio viſionis beatificæ, in qua eſſentialis noſtra beatitudo eſt poſita ex Theologorum ſententia in prima parte quæſt. 12. artic. 6. reſpondet magnitudini charitatis, & gratiæ gratum facientis, quibus prædita fuit anima in hac vita; ex gratia etiam oritur puritas, & munditia cordis; de qua Matthæi 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* etenim bona futura patriæ præparauit Deus diligentibus ſe; quibus omnia cooperantur in bonum, iuxta illud 1. Corinth. 2. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum.* Sed Virginis gratia, charitas, & puritas præ cæteris omnibus puris creaturis fuere in gradu intenſiſſimo, vt omnes fatentur, & nos de Virginis gratia, & puritate ſupra egimus cap. 6. & adhuc capite ſequenti, & cap. 29. agemus, & de eius eximia charitate fuſius cap. 9. diſſeruimus; Ergo Virgo præ cunctis in beatitudine altiſſimo loco eſt ſublimata. De hoc audiamus Bernardum ſermone 1. de Aſſumptione: *Chriſti,* inquit, *generationem, & Mariæ Aſſumptionem quis enarrabit? quantum enim gratiæ in terris adepta eſt præ cæteris, tantùm & in cœlis obtinet gloriæ ſingularis. Quod ſi oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus ſe, quod præparauit gignenti ſe, & (quod omnibus eſt certum) diligenti præ omnibus quis loquatur?* ita Bernardus. Bonauentura in ſpeculo B. Virg. cap. 7. *Quid mirum,* inquit, *ſi lætitiam, & gloriam plenam, & ſuper plenam habet in Regno, quæ gratiam plenam, & ſuper plenam habuit in exilio? quid certè mirum ſi tàm in Cœlo, quàm in mundo eius plenitudo ſuper omnem creaturam ſit, de cuius plenitudine omnis creatura vireſcit?* ita Bonauentura. *Quartò, quia Virginis gratia & charitas fuere intenſiſſima. Matth. 5. Rom. 8. 1. Cor. 2. Cap. 29. Bernardus. Bonauentura.*

Quintò, (& tangitur à S. Ambroſio de inſtitut. Virgin. cap. 6. vt mox dicemus, & à S. Bernardino Senenſi tom. 3. ſerm. 1. de glorioſo nomine Mariæ art. 2. cap. 1.) Incorruptio proximùm facit eſſe Deo Sap. 6. quare Apocal. 14. *Centum quadraginta quatuor millia, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, & virgines ſunt, ſequuntur Agnum quocumque ierit.* Sed ſanctiſſima Deipara eſt virgo virginum, virginitatis magiſtra, vt loquitur Ambroſius, virginitatemq; ſuam ſine exemplo voto Deo conſecrauit. Et quidem *Adducentur Regi virgines,* & plurimæ pſalm. 44. ſed *poſt eam: Cùm ergo Virgo* (inquit S. Bernardinus loco citato) *ſit incorruptiſſima, quippè quæ mater eſt incorruptionis, erit in gloria filio viciniſſima.* imò Ambroſius loco citato ex præmio ampliſſimo Virginibus promiſſo, quod matrem Dei decebat præcipuè accipere, colligit Deiparæ virginitatem: *Et quæ,* inquit, *eſſet, cui maius, quàm Matri Dominus meritum reponeret, præmium reſeruaret? nulli enim vberiora, quàm virginitati deputauit munera, ſicut ſcriptura nos docet, ſic enim per Iſaiam Dominus loquutus eſt, Ne dicat ſpado, quia ego ſum lignum aridum,* *Quintò, propter virginitatem illibatam. Ambroſius. Bernardinus. Sap. 6. Apoc. 14. Ambroſius. Pſal. 44. S. Bernardin. Ambroſius. Præmium Virginum. Iſa. 56.*

hæc dicit Dominus Spadonibus, Quicumque custodierint præcepta mea, & elegerint, quæ ego volo, & amplectentur testamentum meum, dabo illis in domo mea, & in muro meo locum nominatum, meliorem filijs, & filiabus, nomen æternum dabo illis, & non deficiet; alijs promittit vt non deficiant, Matrem suam deficere patiebatur? sed non deficit Maria, non deficit virginitatis magistra. ita Ambrosius. & Bernardus homil. 2. super missus est: *Nouum*, inquit, *canticum illud, quod solis dabitur in Regno Dei cantari virginibus, ipsam Virginum Reginam cum cæteris, imò primam inter cæteras esse canituram, nemo est, qui ambigat.* hæc Bernardus. & Sophronius de Assumptione Virginis: *Si quælibet virginitas tantùm erigitur, vt Angelis comparetur, multo magis Beata, & glorioſa Maria, quæ ſingulari commendatur priuilegio, & immenſo ditatur mercimonio.* Cæterùm de Virginis intemerata virginitate plenius agemus cap. 32.

Bernardus.

Sophronius.

Cap. 32.

Sextò, propter ſuam inſignem humilitatē Virgo Chriſto eſt vicinissima. Matth. 23. Luc. 14 & 18. Matth. 18. Luc. 1.

12 Sextò, veriſſima eſt illa ſententia à Saluatore noſtro varijs occaſionibus toties inculcata Matth. 23. Luc. 14. & 18. *Qui ſe humiliat exaltabitur*; & Matth. 18. *Quicumque humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte; hic maior eſt in Regno Cœlorum.* & cap. 20. *Qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter miniſter: ſicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare:* quibus conſonant verba illa Deiparæ in ſuo Cantico: *Et exaltauit humiles.* Quo circa Chriſtus Dominus, vt hanc doctrinam hominibus perneceſſariam impenſius commendaret in vltima cœna, etiamſi tot, tantaq; ſibi eſſent facienda, & dicenda, quæ ſacri Euangeliſtæ, & præſertim ſanctus Ioannes litteris conſignarunt; ſciens tamen ſe humano generi ad imitandum humilitatis exemplum carnem ſumpſiſſe, illud ſummæ humilitatis exemplum nobis relinquere voluit, dùm poſitis veſtimentis præcinxit ſe linteo, & Diſcipulorum pedes, ipſius etiam Iudæ manibus ſuis, in quas omnia ei Pater dederat, lauare, & linteo extergere non eſt dedignatus. Apoſtolus quoque Philipp. 2. vt gradus, quibus Chriſtus ad exaltationem ſui nominis peruenit, nobis proponeret: *Humiliauit*, inquit, *ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* & Dauid pſal. 109. de Chriſto agens: *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Ex his omnibus rectè colligimus humilitatem cauſam eſſe exaltationis.

Ioan. 13.

Philip. 2.

Pſal. 109.

Humilitas Virginis maxima. Cap 21. Ilaefonſus. Bernardus. S. Bernard. S. Antonin.

13 At beata Virgo inter virtutes, quibus potiſſimum commendatur, humilitate maximè excelluit, vt patet ex ijs, quæ mox dicemus; & ex ijs, quæ copioſius capite vigeſimo primo diſſeremus; ergo fuit maximè exaltata. hæc ratio eſt Ildefonſi, vt dicemus, Bernardi ſermone de Aquæductu in Natiuitate Virginis, & ſancti Bernardini tom. 3. ſermone 1. de glorioſo nomine Mariæ artic. 1. cap. 2. & ſancti Antonini quarta parte titu. 15. cap. 20. §. vltimo. De ſua enim humilitate, & exaltatione ipſamet in Cantico: *Quia reſpexit*, inquit, *humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* quod expendens Ildefonſus ſermone ſecundo de Aſſumptione: *Virgo*, inquit, *ſolam ſibi vendicat humilitatem ancillæ, quæ mater Saluatoris ab Angelo veneratur: nec tamen eandem humilitatem à ſe aliquid eſſe dixit; ſed quia Altiſſimus eam reſpexit, & acceptam ſibi fecit; ideo beatam me dicent omnes generationes; de quo hodie totus teſtis eſt mundus.* hæc Ildefonſus. Idem ſermone tertio: *Magna promeruit præmia æternæ remunerationis, quia multum ſe humiliauit inter immenſa dona, inter diuinitatis commercia; hodie à Domino multum exaltatur glorioſa. Denique ideò Chriſtus humilis ad humilem Virginem venit, quàm elegit, vt de tam profunda humilitate triumphum erigeret ſalutis, & exaltaret eam (vt cantauimus) etiam ſuper choros Angelicos.* ſic ille. Bonauentura in ſpeculo cap. 6. hoc ipſum docet: *Nunquam*, inquit, *Virgo ſupra choros Angelorum ſublimata aſcendiſſet, niſi prius infra homines humiliata deſcendiſſet.*

Luc. 1.

Ildefonſus.

Bonauent.

Cæterùm de profunda Deiparæ humilitate audiamus ſanctum Bernardinum Senenſem; reliqua enim de eius humilitate vberius cap. 21. perſequemur. Sanctus Bernardinus Senenſis tomo 2. ſermone 51. artic. 1. cap. 3. de Virginis profundiſſima humilitate agens: *Non eſt credendum*, inquit, *quod ad recipiendum filium Dei in carne ſua ſe exiſtimaret dignam; nam gratia ſanctificationis, quam in vtero Matris accepit,*

Cap. 21.

S. Bernard.

accepit, quæ eam omni virtute repleuit, ſic à principio mentem eius in abyſſo humilitatis fundauit; quod ſicut nulla poſt filium Dei creatura tantam aſcendit in gratiæ dignitatem, ſic nec tantum deſcendit in abyſſum humilitatis profundæ: nec inſuper alicui puræ creaturæ in hoc ſeculo eſt datum tantum deguſtare nihilum creaturæ; nec tantum ſe humiliare, & annihilare ſub volito diuinæ maieſtatis. & art. 3. cap. 2. inter quinque arma interiora, quibus defendebatur Virgo, recenſet humilitatem: *Quintò*, inquit, *affuit ei aſpectus ſuæ propriæ nihileitatis, eo quod continuè habebat actualem relationem ad diuinam maieſtatem, & ad ſuam nihileitatem: proinde in perſona intellectus ſui Propheta dicebat: Ad nihilum redactus ſum.* hæc S. Bernardinus. Quo circa ſicuti Chriſtus, quia humiliauit ſe infra omnes, exaltatus eſt ſuper omnes; ita & Virgo ſanctiſſima, quæ ſecundum Chriſtum maximè ſe humiliauit, atque deiecit; pariter & ſupra omnes ſecundum Chriſtum eſt exaltata. de quo S. Brigitta in ſuis Reuelationibus in ſermone Angelico cap. 2. Verba ſunt Angeli: *Quia inter omnes Angelos, & homines ipſa Virgo inuenta eſt humillima, ideo ſuper omnia, quæ creata ſunt, facta eſt ſublimiſſima, omniumq. pulcherrima, atque ipſi Deo ſuper omnes ſimillima.* hæc in Reuelationibus S. Brigittæ,

Pſal. 72.

S. Brigitta.

14 Septimò, medium certiſſimùm perueniendi ad gloriam, quinimo ad magnum gloriæ cumulum, illud eſt, vt exemplo Chriſti Domini ex charitate plurima patiamur eius cauſa, quod vbiq; teſtantur diuina oracula: ideo enim ad Rom. 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* & ſuperius dixerat: *Quòd ſi filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti*; & ſtatim adiecit: *Si tamen compatimur, vt & conglorificemur.* & 2. ad Thim. 2. *Si commorimur, & conuiuemus* 2. Cor. 1. *Scientes quoniam ſicut ſocij paſſionum eſtis, ſic eritis, & conſolationis.* Ad Philip. 3. omnia Apoſtolus detrimentum fecerat ad cognoſcendum Chriſtum, & virtutem reſurrectionis eius, & ſocietatem paſſionum illius configuratus morti illius: hæc enim ſocietas paſſionum cum Chriſto reddit nos ſocios cœleſtium conſolationum cum eodem; qui enim in bello, & tribulatione propior eſt Regi, congruum eſt, vt propior ſit in triumpho, ac conſolatione: quare Luc. 22. *Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis, & ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus Regnum vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo, & ſedeatis ſuper Thronos iudicantes duodecim tribus Iſrael.* & Matth. 10. de ijs, qui pro Chriſti confeſſione non timent eos, qui occidunt corpus: *Qui confitebitur*, inquit, *me coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo*: nam Luc. 9. *Qui me erubuerit, & hunc filius hominis erubeſcet.* Act. 14. *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei.* 1. Petr. 4. *Communicantes Chriſti paſſionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes: ſi exprobramini in nomine Chriſti beati eritis, quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui eſt eius ſpiritus ſuper vos requieſcet.* Ideo ipſe Chriſtus Luc. vlt. de ſe ipſo: *Oportebat pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam.* & pſal. 109. *De torrente* (ideſt tribulationum) *in via bibet: propterea exaltabit caput.* & Philip. 2. *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Hinc eſt, quod Apoc. 21. *Angelus menſus eſt Ciuitatem cœleſtem*, ſcilicet Ieruſalem, *de arundine aurea*, quia ea, quæ quis in terris patitur (quod per arundinem veluti per crucis baculum ſignificatur) dummodo ex charitate, quæ per aurum intelligitur proficiſcantur, menſura ſunt magnitudinis gloriæ in Cœlo, ac proinde propinquitatis ad Chriſtum; in cruce enim veluti in ampla menſa omnes ſerui Dei accumbunt; & quem locum in ea habent in præſenti vita, eundem habituri ſunt in beatitudine, quod in Pſal. 93. Propheta Dauid ſignificauit: *Secundùm multitudinem*, inquit, *dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam*; quod non in præſenti tantùm, ſed multò magis in futura vita experiemur. In hac porrò crucis menſa primus ipſe Chriſtus, qui dolorum omnium omnes acerbitates exorbuit. Secunda filio proxima mater accubuit; & meritò, quæ enim primo maternitatis gradu prima numeratur, eadem apud filium proximo recepta eſt loco, non tantùm vicinitate generis, verùm etiam ſimilitudine virtutis, propinquitate beneuolentiæ, ſocietate doloris, remuneratione mercedis, conſeſſu gloriæ: quare ex hoc capite inferre licet, & meritum eius incomprehenſibile, & præſtantiam in gloria ſingula-

Septimò, quia præ cæteris plaſmo pro Chriſto tolerauit aduerſa.

Rom. 8.

Pro Chriſto ex charitate pati menſura eſt gloriæ.

2. ad Thim. 2.

2. Cor. 1.

Philip. 3.

Luc. 22.

Matth. 10.

Luc. 9.

Act. 14.

1. Pet. 4.

Luc. vlt.

Pſal. 109.

Philip. 2.

Apoc. 21.

Pſal. 93.

rem,atque adeò præ cæteris vicinitatem cum Chriſto ſummam. Ad hoc etiam ſpectant ea omnia,quæ ſuperioribus capitibus diſſeruimus de gladio doloris,qui animam Deiparæ in Chriſti paſſione pertranſijt, alijs enim fugientibus, vel longè ſtantibus ipſa; *ſtabat iuxta crucem Ieſu.* Quare in ferculo Salomonis, quod typum fuiſſe Virginis dixi cap. 5. Aſcenſus erat purpureus;nimirum, quia per multas tribulationes ad ſublimitatem ſuæ gloriæ conſcendit. Hinc eſt quod Geneſ.7.de Arca Noe ſic legimus: *Multiplicatæ ſunt Aquæ,& eleuauerunt arcam in ſublime;* quoniam aquæ tribulationum ſublimarunt,& illuſtriorem reddiderunt Deiparam per Arcam Noe (in qua ſaluatum eſt genus humanum)rectè ſignificatam: quemadmodum cap. 16.dicemus,quæ tandem poſt diluuium Gen. 8. requieuit ſuper montes Armeniæ,qui ſunt miræ altitudinis, & ſignificant ordines Angelorum,ſuper quos Deipara poſt præſentis vitæ diluuium fuit collocata: neque id mirum eſſe debet cum fundamenta etiam,ſeù initia B.Virginis in vertice montium, ideſt ſupra omnes Angelos fuerint,vt cap. 4. probauimus. Addam & illud Damaſceni orat.2.de dorm. *Oportebat,* inquit, *eam quæ filium ſuum conſpexerat in cruce, gladiumq. quem pariendo effugerat, pectore tunc exceperat, ipſum rurſus Patri conſidentem ſpectare.* Idem orat.1.de dormit. *Si iuſtorum,* inquit, *animæ in manu Dei ſunt,an non ipſa multò magis in filij,ac Dei ſui manus animam commendauit?*

Ioan.19. Cant.3. Gen.7. Cap.16. Gen.8. Damaſcen. Sap 2.

Propinquitas Virginis cum Chriſto maxima.

15 Ex ijs igitur, quæ hactenus diſſeruimus perſpicuum apparet Virginis in cœleſti gloria propinquitatem cum filio eſſe maximam: quæ enim in terris per carnis participationē, quam ex ſuis caſtiſſimis viſceribus accepit per morum,& virtutum ſimilitudinem,atque conformitatem,per earundem communicationem paſſionum viciniſſima illi fuit;quid ni erit etiam viciniſſima per viſionem beatificam in cœleſti gloria? quod appoſitiſſima ſimilitudine explicatur Apoc.12. cum dicitur *amicta ſole*: etenim, vt rectè animaduertit S.Antoninus 4.par.tit.15.cap.20.§.1. Sancti comparantur ſtellis,quarum vna eſt lucidior altera,& omnes à ſole,ideſt Chriſto illuſtrantur: *At Virgo ſanctiſſima,* inquit S.Antoninus, *quamuis & ipſa ſtella maris illuſtretur à ſole; tamen Apoc. 12. dicitur veſtita ipſo ſole,vt oſtendatur præmium eius excellentiſſimum, vt ſicut nihil propinquius, & coniunctius corpori,quàm veſtitus eius,ita nihil propinquius gloriæ Chriſti, quam gloria, & præmium B. Mariæ: & aptè, quia ſicut ipſa veſtiuit ſolem ipſum in mundo Dei filium carne ſua ſecundùm Ezech.32.Solem nube tegam: ſic ipſe eam in Cœlo veſtiuit ſole exceſſiuæ gloriæ.* hæc S.Antoninus. Quæ etiam eſt ratio S.Bernardini tom.3.ſermone 1.de nomine glorioſo Mariæ art.1.cap.2. & Bernardus ſermone Signum magnum: *Mulier,* inquit, *amicta ſole plane amicta lumine tanquam veſtimento.* & iterum: *Miraris,* inquit, *amictam ſole mulierem,magna ſiquidem familiaritas,ſed mira omninò vicinitas ſolis, & mulieris.* Quod autem in diuinis litteris intima aliquorum vicinitas ſimilitudine veſtis, qua quis induitur,exprimi ſoleat ex pſal.108.facilè colligitur,vbi arctiſſima maledictionis cum peccatore coniunctio explicatur illis verbis: *Et induit maledictionem ſicut veſtimentum.* & mox: *Fuit ei ſicut veſtimentum, quo operitur,& ſicut zona,qua ſemper præcingitur.*

Apoc.12. S.Antonin. Alij ſtellis comparantur: Virgo verò ipſo ſole veſtitur. Apoc.12. Ezech.32. S.Bernardin. Bernardus. Gabr. biel. Pſal.108.

Hanc Virginis ſanctiſſimæ cum Chriſto vicinitatem colligere licet ex occurſu officioſiſſimo; quo Chriſtus, & cœleſtis curia vniuerſa aſcendenti in cœlum Deiparæ obuiam proceſſit,& magna cum pompa deduxit ad Thronum ſuum;quod præfiguratum legimus 3.Reg.8. in templo Salomonis in arca: *Intulerunt,* inquit, *Sacerdotes arcam fœderis Domini in locum ſuum,in oraculum Templi, in ſanctum ſanctorum ſubter alas Cherubim.* Hunc locum glorificationi Virginis accommodat Damaſcenus orat.2. de dormit. *Chriſtus,* inquit, *nouus Salomon princeps pacis,congregatis Angelis, & in terra Apoſtolis cum alijs Sanctis Ieroſolymæ degentibus,ob requiem ſpiritualis arcæ ſuæ, ideſt Virginis ſuæ genitricis animam quidem eius in ſancta ſanctorum,in exemplaria,inquam, vera, & cœleſtia per Angelos introducit, ſubq. animalium quatuor formis ſtantium alis collocat, ſuoq. ipſius ſolio in interiore velaminis parte ſiſtit,quo præcurſor ipſe Chriſtus corporeo modo ingreſſus eſt: corpus autem Apoſtolorum manibus portatur ad Gethſemane tertio die reſuſcitandum.* hæc ex Damaſceno: ſimiliter & Bonauentura in ſpeculo de B.Virg.cap.9. eundem locum explicat. & S.Bernardinus tom.3.ſerm.11.art.2. *In hac aſſumptione Virginis impletum eſt,* inquit, *quod 2.Reg.6. de Dauid dictum eſt, quòd addaxit arcam Domi-*

Pompa celebris, qua Virgo eſt deducta in cœlum. 3. Reg. 8. **B.Virgo digniſſimo loco in cœlo collocata.** Damaſcenus. Hebr. 9. Bonauentur. S. Bernard. 2. Reg. 6.

ni,& erant cum Dauid ſeptem chori,ſcilicet beatorum ſpirituum,Prophetarum, Apoſtolorum,qui iam tranſierant,Martyrum,Confeſſorum,atque Virginum,vt impleatur in Virgine,quod Eccleſ.24. ſcriptum eſt,In plenitudine ſanctorum detentio mea. & mox hanc Virginis gloriam figuratam vult 3. Reg. 2. cum Salomon matris thronum ad dexteram ſuam collocauit: *Vbi contemplare*,inquit,*altiſſimam Matris ſublimationem, & immediatiſſimam coniunctionem,quia poſitus eſt thronus matri,& ſedit ad dexteram filij*, hæc ex S. Bernardino. Eccleſ. 24. 3. Reg. 2.

16 Hinc eſt,quòd Petrus Damianus ſermone de Aſſumpt. hæc expendens aliquid glorioſius in Virginis Aſſumptione,quam in Chriſti Aſcenſione demonſtrari affirmat: *Attolle*,inquit,*oculos ad Aſſumptionem Virginis, & ſalua maieſtate filij inuenies occurſum huius pompæ non mediocriter digniorem; ſoli quippè Angeli Redemptori occurrere potuerunt: Matri verò Cœlorum palatia penetranti filius ipſe cum tota curia tam Angelorum, quàm Iuſtorum ſollẽniter occurrens euexit ad beatæ conſiſtorium ſeſſionis.* hęc Damianus. Petr. Dam. *Pompa occurſus in aſſumptione dignior, quàm in Aſcenſione.*

Quòd ipſum cõfirmat S.Bernard.to.3.ſer.11.art.2.vbi ait hoc myſticè figuratũ 3.Reg.2. cum Salomon veniẽti ad ſe matri occurrit,eamq; adorauit,de quo ſuſius cap.6.egimus. S.Bernardin. 3. Reg 2.

Addit & Gerſon ſuper Magnificat, quem citat Raulinus tomo ſecundo de Sanctis ſermone 45. *Piè creditur Dei priuilegio in Virginis Aſſumptione euacuatum eſſe purgatorium, dùm enim princeps coronatur, aperiuntur carceres; quantò magis in coronatione Deiparæ.* & Ildefonſus ſerm.1.de Aſſumpt. *Vidi*,inquit,*Ieruſalem deſcendentem de Cœlo à Deo ornatam auro mundo, & lapidibus pretioſis intextam. Quo profectò hodie decorata ideo deſcendit vt Reginam mundi, Beatam ſcilicet Mariam ſecum euheret ad ſublimia,& collocaret in Throno Regni.* & mox: *Quòd ſi Dauid vna cum omni populo dignum duxit arcam veteris teſtamenti cum tanto honore proſequi, vt ſcriptura teſtatur: multò religioſius eſt hanc dignis laudibus commendari: Aſcendit Dauid, & omnis populus cum eo,vt ferrent Arcam Dei,ſuper quam inuocatum eſt nomen Domini exercituum, ſedentis ſuper Cherubim,& Dauid,& omnis populus ludebant coram Domino omni virtute in canticis,cytharis,& pſalterijs,tympanis,& ſiſtris cum cimbalis,& tubis. Rogo ſi in figura officioſiſſime tanta confertur gloria: quid hodie ante B. Virginem quando illa in cœleſtem Ieruſalem euehitur? quantus exercitus Sanctorum præcucurrit cum hymnis, & canticis? quæ nimirum Virgo,ac ſi Arca hodie de captiuitate huius ſeculi Angelorum exequijs glorificata reducitur non in Ieruſalem,quam decoxit,vel vaſtauit Caldæorum exercitus; ſed in illam veram, & cœleſtem, quam fundauit Deus, & non homo, collocatur.* hactenus Ildefonſus. Gerſon. *In Aſſumptione Virginis euacuatum purgatorium.* Ildefonſus. 2. Reg. 6.

17 Huius Deiparæ exaltationis figura præceſſit in Eſther, de qua in lib. Eſther cap.2. ſic legimus: *Ducta eſt*,inquit,*ad cubiculum Regis Aſſueri, & adamauit eam Rex pluſquam omnes mulieres,habuitq. gratiam,& miſericordiam coram eo, & poſuit diadema Regni in capite eius,fecitq. eam regnare.* hæc ibi.De quo eleganter S.Bernardinus tom. 3.conc.11.art.2.cap.2.agens de Aſſumptione: *Tunc*,inquit,*Beatiſſima Virgo quaſi altera Eſther de triclinio fœminarum,ideſt de Eccleſia militante adducta, & per totam militiam cœleſtis exercitus ad cubiculum Aſſueri,ſcilicet ſummi Dei,ita vt illi conueniat propheticum illud, Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me. Quod hodie verè fuit completum,quando omnes Cœli Ciues viderunt eam aſcendentem, & delicijs diuinorum amplexuum affluentem,innixam ſuper dilectum ſuum.* hæc S.Bernardinus. Meritò igitur canit Eccleſia,vt teſtatur Ildefonſus ſerm. 2.de Aſſumpt. *Maria Virgo aſſumpta eſt ad æthereum thalamum,in quo Rex Regum ſtellato,imò ineffabili,vt ait Ildefonſus,ſedet ſolio.* Damaſcenus orat.1.de dormit. *Non vt Elias*,inquit,*in Cœlum aſcendiſti,neque vt Paulus ad tertium vſque cœlum ſubuecta es; verùm vſque ad regium filij tui thronum perueniſti,perſpicue eum,ac late conſpiciens, & cum magna,atque inenarrabili quadam libertate aſtans Angelis,atque omnibus mundo ſublimioribus virtutibus arcana quadam,atque omni dicendi facultate ſuperiori lætitia.* Idem ſupra: *O præclariſſimum*,inquit,*excelſum,qui hoc tibi affert, vt cum Deo præſens ſis, Nam cum omnibus quoque alijs numine diuino afflatis Dei famulis iſtud diuino munere conceſſum ſit; at infinitum tamen Dei ſeruorum, ac matris diſcrimen eſt.* hæc Damaſcenus. & Ildefonſus ſermone 1.de Aſſumptione: *Dominus Ieſus*,inquit, *Matrem ſecum* Deipara in throno cœleſtis regni collocata. Eſther 2. S. Bernardin. Offic. Eccl. Ildefonſus. Damaſcenus. Ildefonſus.

in

in throno regni collocauit, & in immortalitatis gloriam eam transposuit, ac super choros Angelorum supersolenniter euexit. sic ille. Ildefonsus sermone 2. de Assumptione: *Idcirco huius Virginis animam Dominum magnificantem glorificemus, quam hodie Paradisus excepit gaudens; quàm Angeli cum laudibus prosequuntur; quam Apostolorum chorus veneratur; quam Martyres candidati beatificant; quam SS. Confessorum stolatus concelebrat numerus, cui hodie SS. Virginum cum suis palmis victricibus exultanter occurrit exercitus.* sic Ildefonsus. & Bernardus homil. 1. super missus est: *Nonne tuo, imo veritatis iudicio illa, quæ Deum habuit filium super omnes etiam choros exaltabitur Angelorum?* & Gabriel Biel lect. 32. in canon. Missæ: *Ad thronum,* inquit, *cœlestem intemerata Virgo, & mater processit, atque in Regni solio post Christum glorioſior residet sublimata.* & Andreas Cretensis de dorm. Virg. *O Virgo Regina omnis humanæ naturæ, quæ habes non comparabilem cum alijs appellationem, quæ excepto Deo solo es omnibus altior.*

Bernardus. Damascen. Gabr. Biel.

Andr. Cret.

Et reliqui quidem sancti magnum existimãt priuilegium esse cum Dño, ita Apostolus Phil. 1. *Cupio dissolui, & esse cum Christo,* & 1. Thes. 4. *Simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus:* at peculiare priuilegium Virginis, quòd Dominus esse dicitur cum ea; & ideò Angelus ad ipsam, *Dominus tecum,* quia peculiari familiaritate cum ipsa Christus agit, etiam in gloria. cuius figura cernitur in Esther, apud quam Rex ipse Assuerus, qui alios magnificentissimo conuiuio exceperat epulari, semel atque iterum voluit inuitatus ab ea, vbi à Rege audiuit: *Quid petis vt detur tibi, & pro qua re postulas; etiamsi dimidiam partem Regni mei petieris, impetrabis.*

Charitas familiariter est cum Virgine. Philip. 1. 1. Thes. 4.

Luc. 1.

Esther 5. & 7.

Denique vt cap. 6. ostendimus, beatissima Virgo supra omnes sanctos facit chorum separatum, plus gloriæ sola habet, quàm omnes Angeli, & Sancti simul, quod rationibus, & auctoritatibus confirmauimus: videt etiam omnia, quæ Deus nouit scientia visionis; exceptis ijs solùm, quæ ad internas Christi Domini cogitationes spectant, vt ibidem dicebamus. de diademate quoque regio, quo est exornata in cœlis habes in eodem cap. 6. Quæ omnia immensitatem gloriæ Virginis, ac per consequens maximam cum Christo vicinitatem indicant: quod ipsum eius precibus, & meritis aliquando nobis in cœlesti patria coram intueri liceat. Amen.

VIRGINIS DEIPARAE AD EXCIPIENDUM Deum supernaturalis, eaq. amplissima præ alijs puris creaturis capacitas. Cap. XIII.

IVOD ad quartam sedium materialium proprietatem spectat, figuram scilicet apertam, & capacem ad excipiendum sedentem, quod in Thronis Angelicis vult S. Thomas inueniri, per promptitudinem, qua aperti sunt ad Deum suscipiendum, eiq. famulandum: scimus in sanctissima etiam Virgine Dei throno amplissimo perfectè & hoc reperiri: etenim huius Virginis corpus, & anima, vt dignum filij sui habitaculum effici mereretur, à Patre æterno, *Spiritu sancto cooperante,* vt dicit Ecclesia, ita fuere præparata, vt quem cœli capere non poterant, suo gremio contulerit, & per antonomasiam Dei ancilla appelletur, quòd nullum alium Dominum vnquam habuerit, Deiq; voluntatem perfectè, constanterq; perfecerit; verùm quia de hoc satis liquet, & alibi egimus, in præsentia circa Virginis capacitatem maximam explicandam immorabimur. S. Thomas opusc. 8. *Virgo,* inquit, *gratia plena fuit, non solùm quantum ad boni operationem, & quantùm ad mali vitationem, sed etiam quantùm ad redundantiam animæ ad carnem, vel corpus: Nam magnum est in sanctis habere tantùm de gratia, quod sanctificet animam: sed anima B. Virginis ita fuit plena, quod ex ea refudit gratiam in carnem, vt de ipsa conciperet filium Dei. & ideo dicit Hugo de sancto Victore, quia in corde eius amor Spiritus sancti singulariter ardebat, ideo in carne eius mirabilia faciebat, in tantùm, quod de ea nasceretur Deus, & homo.* hæc S. Thomas. S. Iacobus in Liturgia cum Virgine loquens: *Deus,* inquit, *mulier tuum ventrem latiorem, ac ampliorem cœlis ipsis reddidit.* S. Bernardinus

S. Thom.

Luc. 1.

B. Virgo plena gratia. Hugo de sancto Victore. S. Iacobus. B. Virginis vterus cœlis capacior.

dinus tom.3.ſerm.3.de glorioſo nomine Mariæ art.2. cap.1. *Meritò*, inquit, *B.Virgo ait,Gyrum Cœli circuiui ſola;ex hoc enim Bernardus in quodam ſermone clamans ait: O venter capacior cœlis, diffuſior terris, latior elementis,qui illum continere valuit, quem totus mundus comprehendere non potuit, & qui tribus digitis molem terræ appendit.* hæc S.Bernardinus. *S. Bernard. Eccleſ. 24. Bernardus.* Gregorius quoque Nyſſenus pulchrè in oratione de Natali Domini aſſerit B. Virginis non tantùm animam, ſed etiam carnem Spiritus ſancti habitaculum fuiſſe: *O beatum,*inquit,*vterum illum,qui bonitatis præſtantia ad ſe animi traxit bona. In reliquis enim omnibus vix animus purus,Spiritus ſancti præſentiam capit;hic autem caro fit Spiritus ſancti receptaculũ.* Epiphanius ſermone de laud.Deip. *O vterum,*inquit, *impollutum, habentem circulum cœlorum, qui Deum incomprehenſibilem, in te verò comprehenſum portaſti: O vterum cœlo ampliorem,qui Deum in te non coarctaſti: O vterum qui cœlum es ſeptem circulis conſtans;& capacior illis exiſtis:O vterum ſeptem cœlis ſublimiorem,ac latiorem: O vterum,qui es octauum cœlum ſeptem firmamentis latiorem.* hæc Epiphanius. *Nyſſenus. Epiphanius.* Chryſoſtomus in Liturgia: *Hæc,*inquit,*animatum Dei templum eſt: hæc cœli,terræq. pariter domicilium: Hæc naturæ illius,quæ comprehendi non poteſt,ampliſſimũ habitaculum.* Idem in quodam ſermone: *Hæc ſola cœlum,ac terram ſuperauit.* Georgius Nicomedienſis oratione de Præſent. Virg. *Oportebat,* inquit, *non in ſanctis ſanctorum tabernaculi,ſed in ipſo cœlo cœli in prima ætate educari eam, quæ his conſpecta eſt latior, & puritate antecelluit.* & iterum: *In Virgine,* inquit, *comprehenſus eſt, qui comprehendi non poteſt.* Petrus Chryſologus ſermone 142. *Stupet,*inquit, *Angelus totum Deum venire intra virginalis vteri anguſtias,cui tota ſimul anguſta eſt creatura,* & infra: *Virgo,* inquit,*concipitur ex te Auctor tuus;tua ex te oritur origo;in tuo germine eſt genitor tuus; in tua carne eſt Deus tuus,& ipſe lucem mundi per te cæpit,qui lucem mundo dedit.* Idem Chryſologus ſermone 143. *Verè benedicta,quæ fuit maior cœlo,fortior terra,orbe latior: nam Deum,quem mundus non capit,ſola capit:portauit eum,qui portat orbem;genuit genitorem ſuum; nutriuit omnium viuentium nutritorem.* Damaſcenus oratione 2.de Natiu. de Virgine agens: *Cuius,*inquit,*venter cœlum eſt.* Idem oratio. 1. de Natiu.Virginem vocat viuum cœlum,cœlis ipſis latius. & orat.1.de dormit.*Is,*inquit,*qui cœlum,& terram implet,cuius cœlum,thronus,& terra,ſcabellum pedum eſt, ex Ancillæ ſuæ ventre latiſſimum ſibi domicilium fecit.* Petrus Damianus ſermone de Natiuitate: *Quid,* inquit, *grandius Virgine, quæ magnitudinem ſummæ diuinitatis, intra ſui ventris clauſit arcanum. Attende Seraphim, & in illius ſuperioris naturæ ſuperuola dignitatem, & videbis quicquid maius eſt,minus Virgine,ſolumq. opificem opus iſtud ſupergredi.*hæc Damianus. S.Antoninus 4.par.tit.15.cap.2.§.15. de plenitudine gratiæ Deiparæ: *Ex dictis,*inquit, *patet,quomodo B.Maria fuit plena gratia quadrupliciter. primo,quia omnes gratias generales, & ſpeciales omnium creaturarum habuit in ſummo. Secundo, quia illas gratias habuit,à quibus omnis creatura vacua fuit. Tertio,quia ſua gratia tanta fuit,quod pura creatura maioris gratiæ capax non fuit. Quarto, quia etiam gratiam increatam,ideſt Deum in ſe tota continuit, & ſic per omnem modum gratia plena fuit.* hæc S.Antoninus. *Damaſcenus. Petr. Dam. S. Antoninus.*

2 Heſychius Presbyter Ieroſolymitanus homil.2.de Deipara: *Alius,* inquit, *cognominat eam Arcam arca Noe latiorem, longiorem, illuſtriorem: illa erat corruptibilium animalium arca; Hæc autem arca vitæ incorruptibilis:illa ipſum Noe; hæc verò ipſius Noe factorem portauit: illa duas,& tres contignationes,& manſiones habebat;Hæc autem vniuerſæ Trinitatis complementum: quandoquidem & Spiritus ſanctus adueniebat,& hoſpitabatur,& Pater adumbrabat, & Filius vtero geſtatus inhabitabat.* hæc Heſychius. & Chryſippus Presbyter Ieroſolymitanus homil.de *B.*Virgine: *Arca,*inquit, *precioſiſſima eſt Virgo Deipara,quæ excepit totius ſanctificationis theſaurum: Arca non ea, in qua erant omnium animalium genera,quemadmodum in Arca Noe, quæ fluctuantis vniuerſi mundi effugiebat naufragium.* & infra: *Sed Arca,cuius Architectus,& Incola, Gubernator,& Mercator;Comes viæ, & Dux erat Opifex omnium creaturarum, quas in ſe vniuerſas portat,ſed à cunctis ipſe non comprehenditur.* hæc Chryſippus. *Heſychius. Vterus Virginis capacior,& dignior Arca Noe. Gen. 6. Chryſipp. Presbyt. Ieroſol.*

Verùm vt originem capacitatis maximæ,quæ huic ſpirituali Dei throno,Beatiſſimæ, inquam,Virgini ineſt perſcrutemur; Illud animaduertere oportet ex D. Thoma 1. par. q.43.art.3. Creaturæ rationali præter communem modum,quo Deus eſt in rebus omnibus *S. Thom. Deus in Sanctis eſt per gratiam*

nibus per eſſentiam; potentiam,& præſentiam,conuenire,vt per gratiam,quam Theologi dicunt gratumfacientem,Deus ſpeciali modo ſit,& inhabitet in ea, ſicuti in Templo ſuo. Inde refert S. Thomas, ſecundum ſolam gratiam gratum facientem mitti Spiritum ſanctum ad creaturam rationalem. & in eadem quæſtione art. 6. in corp. & ad 2. docet miſſionem hanc inuiſibilem attendi non ſolùm in innouatione,ſeù prima infuſione gratiæ,ſed etiam ſecundùm augmentum gratiæ,præcipuè quando quis ex feruore charitatis martyrio ſe exponit;aut abrenuntiat his,quæ poſſidet; aut quodcumque opus arduum aggreditur. ita S.Thomas.

3 Ex his colligimus,Deum ratione huius inhabitationis ſupernaturalis perfectiori modo habitare,vbi maior eſt gratię gratum facientis intenſio,nulla habita ratione,an creatura illa in naturalibus ſit eſſentialiter perfectior, cuiuſmodi ſunt Angeli reſpectu hominum: quemadmodum & in ipſa beatifica viſione etiam ſi intellectus angelicus,& humanus ſint eſſentialiter inæquales in perfectione naturali: inter eos tamen is diuinam eſſentiam clarius,& perfectius intuetur,qui maiori lumine gloriæ perfunditur.Cuius rationem aſſignat S.Thomas 1.par. q.12. art.6. *Quoniam*,inquit,*facultas videndi Deum non competit creaturæ intellectuali per ſuam naturam;ſed per lumen gloriæ.* & in ſolut.3. Totam diuerſitatem videndi Deum clarius,vel minus clarè refert ad diuerſam facultatem intellectus,non quidem naturalem,ſed glorioſam : ſic S.Thomas,intelligens de lumine gloriæ,quo intellectus redditur potens ad eliciendam viſionem beatificam. Hinc eſt quòd viſio beatifica hominum, & Angelorum iuxta communem Doctorum ſententiam,eiuſdem ſunt ſpeciei eſſentialis; quoniam perſpicacior intellectus non propterea magis adnititur ad illam, niſi maiori lumine gloriæ illuſtretur. cùm igitur gratia gratum faciens in beatiſſima Virgine præ cæteris omnibus puris creaturis fuerit maxima; puritas quoque eiuſdem erit maxima;præſertim,quia nullo vnquam peccato, ne originali quidem inquinata fuit. Perfectio verò luminis glorię ex D.Thoma loco citato cor. reſpondet perfectioni charitatis,ac proinde ipſius gratiæ,quæ ex Theologorum ſententia,vel eſt idem cum charitate,vel ſemper eſt charitati coniuncta.Hinc ſequitur, in Virgine diſpoſitionem hanc ſupernaturalem ad excipiendum Deum in præſenti vita per gratiam, & omnimodam puritatem, & in cœleſti patria per lumen gloriæ fuiſſe maximam.

Diuerſitas viſionis beatificæ oritur non è diuerſitate intellectus,ſed luminis gloriæ. S. Thom.

Gratia ſanctificata in B. Virgine maxima fuit.

Epiphanius. Damaſcen.

4 Quare Epiphanius ſermone de laudibus Deiparæ: *Aue*,inquit,*gratia plena:Gratia ſanctæ Virginis eſt immenſa.* & Damaſcenus oratione 1.de dormitione Virginis in fine, cum ageret de Virgine aſſumpta in Cœlum, oſtendit Virginis amplitudinem ſupra cœlos,ſecundùm gratiam eſſe ſumendam; ſic enim habet : *O quonam pacto Cœlum eam, quæ cœlos amplitudine ſuperauit,ſuſcepit ? Non enim corporeæ molis ratione cœlum amplitudine ſuperauit:quonam.n.modo corpus,quod tribus cubitis conſtat,cœli latitudini,ac longitudini comparari queat ? Verùm per gratiam potius magnitudinis, & latitudinis modum ſuperauit : neque enim eſt aliquid quod Deo conferri poſſit.* ita Damaſcenus. Cæterùm gratiam beatiſſimæ Virginis fuiſſe maximam,præter ea,quæ in præcedentibus, præſertim cap.6. (vbi de gratia,quàm in Aſſumptione eſt conſecuta) diximus; Adhuc libet confirmare Bonauenturæ teſtimonio, in quo, cùm egregiè hanc rem pertractet, non inutile erit, & ſi longiuſculum, ad verbum illud ponere. Bonauentura itaq; in ſpeculo B.Virginis cap.5.agens circa illud (Gratia plena) *Conſideremus*,inquit,*gratiæ Mariæ veritatem,immenſitatem,multiplicitatem,& vtilitatem*,& horum ſingula Bonauentura latè proſequitur:ſed quod facit ad noſtrum propoſitum de immenſitate gratię Virginis: *Immenſa*,inquit, *fuit gratia, qua ipſa fuit plena: immenſum enim vas non poteſt eſſe plenum,niſi immenſum ſit illud quo eſt plenum: Maria autem vas immenſiſſimum fuit, ex quo illum,qui in cœlo maior eſt,continere potuit;Quis eſt cœlo maior? certè ille,de quo Salomon ait, ſi cœlum,& cœli cœlorum te capere non poſſunt;quanto magis domus hæc, quam ædificaui? non vtique domus per Salomonẽ ædificata,ſed domus per illam ſignificata Deum capere potuit. Tu ergo immenſiſſima Maria capaciores es cœlo ; quia,quem cœli capere non poterant,tuo gremio contuliſti: Tu capacior es mundo;quia,quem totus non capit orbis,in tua ſe clauſit viſcera factus homo. Si ergo Maria tam capaciſsima fuit ventre,quanto magis mente? & ſi capacitas tam immenſa fuit gratia plena,oportuit vtique,quod gratia illa,*

Bonauent. Luc.1. Immenſitas gratiæ Virginis pulchrè à Bonauentura explicatur.

3.Reg.8.

quę

quæ tantam impleuiſſe potuit capacitatem, eſſet immenſa. Quis immenſitatem Mariæ poteſt menſurare? Ecce quod dicitur in Eccleſiaſtico, Altitudinem cœli, latitudinem terræ, & profundum abyſſi quis dimenſus eſt? Cœlum eſt Maria; tùm quia cœleſti puritate, cœleſti claritate, cœleſtibus alijs virtutibus abundauit: tùm quia ſedes Dei altiſſima fuit, teſte Propheta qui dicit, Dominus in cœlo parauit ſedem ſuam. Terra quoque Maria fuit, quæ fructum illum nobis protulit, de qua idem Propheta ait; Terra dedit fructum ſuum. Abyſſus etiam eſt Maria in bonitate, & in miſericordia profundiſſima: vnde etiam profundiſſimam miſericordiam filij ſui pro nobis interpellat, quaſi abyſſus abyſſum inuocat. Cœlum ergo eſt Maria; Terra eſt Maria; Abyſſus eſt Maria; Quis huius cœli altitudinem; Quis huius terræ latitudinem? Quis huius abyſſi profunditatem; Quis, inquam, Mariæ immenſitatem dimenſus eſt, niſi ille ſolus, qui ipſam non ſolùm in gratia, & in gloria, ſed etiam in miſericordia tam altiſſimam, tam latiſſimam, tam profundam operatus eſt? hucuſque S. Bonauentura de immenſitate gratiæ ſanctiſſimæ Virginis non minus verè, quàm piè. Idem Bonauentura in 1. ſenr. diſtin. 44. in expoſitione textus in fine cum dixiſſet, Virginem quò ad maternitatem Dei habuiſſe tantam dignitatem; quia Mater fuit nobiliſſimi filij, vt nulla mulier amplius capere poſſit, ſubiungit: *Et quantum ad gratiam iuſtificationis tantam habuit, quantam pura creatura humana, ſiue rationalis, quæ facta eſt, ſic recipere potuit.* & infra: *In matre capacitatem gratiæ compleuit, & impleuit ſecundùm quod capit pura creatura rationalis.* hæc S. Bonauentura. Addam & illud, beatiſſimæ Virgini ante Annunciationem dictum eſſe ab Angelo: *Inueniſti gratiam apud Deum;* & in ſalutatione ipſa Angelus gratia plenam appellauit. & adhuc addidit: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te;* quod in conceptione filij factum eſt. De quo Bernardus in ſermone de Aquæductu: *Spiritus ſanctus*, inquit, *ſuperueniet in te, & pretioſum illud balſamum tanta tibi copia, tantaq. plenitudine influet, vt copioſiſſimè effluat vndequaque.* & deinde à S. Eliſabeth magna voce exclamante eidem dicitur: *Beata quæ credidiſti, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino.* Ex quibus conijcere aliqua ratione poſſumus immenſitatem gratiæ Virginis Deiparæ, ac proinde eius capacitatem ſupernaturalem ad excipiendum Deum, pariter immenſam. Et quoniam ex Regio vate pſalm. 92. *Domum Dei decet ſanctitudo in longitudine dierum;* dicamus aliquid de ſanctitate, & eximia Virginis puritate, quæ licet inferri poſſint ex gratiæ ipſius immenſitate; libet tamen afferre teſtimonia aliquorum Patrum, qui præclarè de hoc diuerſis in locis loquuntur.

Nota ex Bonauentura.

Luc. 1.

Bernardus.

Pſal. 92.

De immenſa ſanctitate, & puritate beatiſſimæ Virginis.

5 Et quidem Hieronymus Epiſtol. 22. propone tibi beatam Mariam, quæ tantæ extitit puritatis, vt Mater Domini eſſe mereretur. Georgius Nicomedienſis oratione de oblat. Deip. de ea agens: *O puram illam*, inquit, *& clariſſimam animam, quæ in florenti corpore oſtendit dotes, quæ naturam ſuperant;* & infra: *O ſummam puritatem, ò aſcenſum ætatis, quales ſcalas honeſtatis ſtatuit ad cœleſtem altitudinem, per quas Verbum deſcenſu nouo ad nos deſcendit; per quas, quod inferius erat ſitum terrenum naturæ tabernaculum, aſcendit ad cœlos.* ita Gregorius Nicomedienſis. Anſelmus in inuocatione matris Virginis: *Sancta*, inquit, *& inter Sanctos poſt Deum ſingulariter ſancta Mater, &c.* & infra: *O tu benedicta ſuper mulieres, quæ Angelos vincis puritate, Sanctos ſuperas pietate.* & cap. 18. de conceptu virginali: *Decebat*, inquit, *vt Chriſti conceptio de Matre puriſsima fieret, nempè decens erat, vt ea puritate niteret, qua maior ſub Deo nequit intelligi, cui Deus pater vnicum filium ſuum, quem de corde ſuo æqualem ſibi genitum tanquam ſe ipſum diligebat, ita dare diſponebat, vt naturaliter eſſet vnus, idemq. communis Dei Patris, & Virginis filius, & quam ipſe filius ſubſtantialiter facere ſibi Matrem eligebat, & de qua Spiritus ſanctus volebat, & operaturus erat, vt conciperetur, & naſceretur ille, de quo procedebat.* & cap. 9. de excell. Virg. *Pura*, inquit, *ſanctitas, & ſanctiſſima puritas puriſsimi pectoris eius omnem omnis creaturæ puritatem, ſiue ſanctitatem tranſcendens incomparabili ſublimitate hoc promeruit, vt reparatrix perditi orbis digniſsimè fieret.* hæc omnia Anſelmus. Albertus Magnus apud S. Antoninum 4. par. tit. 15. cap. 20. §. 7. vult puritatem in corporibus dici per acceſſum ad ſummè purum, nimirum ad lucem; ideò aer purior eſt aqua, & ignis purior eſt vtroque, & ita per quandam analogiam, puritatem ſpiritualem dici in ordine ad lucem ſpiritualem increatam, quæ eſt Deus, à quo gratia gratum faciens procedit, tanquam lumen ſupernaturale creatum. ibi ergo vult maiorem eſſe puritatem

Hieronymus.

Georg. Nicom.

Anſelmus.

Alber. Magn. De inſigni puritate beatiſſimæ Virginis.

S. Antoninus. ritatem ſpiritualem, vbi maior eſt gratiæ participatio: *Sed in B. Virgine* (inquit S. Antoninus ex Alberto) *reſpectu purarum creaturarum fuit gratia in ſummo, ergo & appropinquatio ad Deum in ſummo, ac proinde puritas in ſummo ſupra Angelos etiam dum eſſet in via.* hæc S. Antoninus. S. Thomas opuſcul. 8. *Virgo*, inquit, *Angelos quantum ad puritatem exceſsit; non ſolùm erat pura in ſe, ſed etiam procurauit puritatem alijs; ipſa enim puriſsima, & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam; immunis enim fuit à maledictione mulierum, quæ cum corruptione concipiunt: cum grauamine portant, & in dolore pariunt; nec in cinerem eius corpus redactum fuit; ſed poſt mortem reſuſcitata, & cum corpore aſſumpta in cœlum.* ita S. Thomas. & in 1. ſent. diſt. 44. quæſt. vnica artic. 3. ad 3. *Poteſt*, inquit, *aliquid creatum inueniri, quo nihil purius eſſe poteſt in rebus creatis, ſi nulla contagione peccati inquinatum ſit: & talis fuit puritas B. Virginis, quæ peccato originali, & actuali immunis fuit.*

S. Thom.

Puritas B. Virginis ex S. Tho. in 1. ſent. quia ab originali, & actuali labe immunis.

Atque vt tertio argumento finem imponamus: ex his omnibus ſatis conſtat, quatuor illa, quæ Angelicis Thronis tribuuntur, perfectius B. Virgini ineſſe, vt propterea Dei Thronus per antonomaſiam præ cæteris appellari meritò debeat.

QVARTVM PRINCIPALE ARGVMENTVM, vnum & viginti capita complectens; quo ea, quæ de Diuino Throno in ſacra Apocalypſi dicuntur, in Virginem Deiparam optimè conuenire oſtenditur.



Apoc. 4.

QVARTVM denique præcipuum argumentum, quo oſtenditur beatiſſima Virgo per Thronum Dei Apocalypſis cap. 4. ſignificari, ex eo ducitur; Quoniam quæ de hac diuina ſede cap. illo 4. & alijs ſcribit S. Ioannes, ea in Virginem Matrem quadrant mirificè, vt non obſcurè per eam ipſa intelligi poſſe videatur; quamquam enim non inficior ſi minus in omnibus, at certè in plerisq; quæ de diuina ſede in Apocalypſi narrantur, ſi iuxta litteralem ſenſum loquamur, per metonymiam (qua nimirum continens ſumitur pro contento) accipienda eſſe, quæq; in circuitu, ſiuè in conſpectu ſedis, ſeù throni deſcribuntur; ea perinde intelligenda, quaſi ſint circum, vel ante Deum ſedentem in throno; quædam tamen etiam primario ſenſu (id quod in ſuperioribus probauimus) B. Virgini tribui commodiſsimè poſſunt: talis eſt illa Deo ſedenti parata ſedes, & quid ſimile, quod ſuo loco indicabimus: reliqua verò tametſi ad litteram de ſedente in throno intelligantur, quadam tamen analogia etiam B. Virgini vſque adeò commodè congruunt, vt ibi per Thronum ea etiam, ſaltem per allegoriam, id quod in hoc quarto argumento tractandum ſuſcepimus, intelligi poſſe videatur. quare præcipua quædam, quæ de hac ſede, vel throno in Apocalypſi ſcribuntur (neque enim omnia perſequi eſt neceſſe) commemorabimus, ac qua ratione B. Virgini conuenire poſſint, oſtendemus.

Multa de throno dicta ſedenti in throno congruunt, ea tamen Virgini accommodari poſſunt.

In Apocal. 12. de throno Virgini accommodantur.

Ea porrò duodecim ſunt, quorum ſeptem priora, cap. 4. Apocalypſis, reliqua in alijs eiuſdem libri locis continentur; de quibus tanquam de duodecim leunculis, qui thronum Salomonis eburneum 3. Reg. 10. ornabant, & tanquam de duodecim ſtellis, quibus Mariæ regium diadema compactum eſſe ſcribitur Apoc. 12. eodem ordine agemus: hac enim occaſione pleraq; quæ ad laudes Virginis beatiſſimæ ſpectare, quæq; cum ea tractatione congruere videbuntur, eadem Virgine bene iuuante pro noſtrarum virium imbecillitate perſequemur.

3. Reg. 10.

Apoc. 12.

Primùm igitur, ſedes hæc, ſeù thronus ante omnia à S. Ioanne in hac viſione conſpicitur, & recenſetur.

Secundùm, Deus optimus ab hoc throno denominatur, cum identidem ſedens in throno appelletur.

Ter-

Tertium, Iris ſimilis viſioni ſmaragdinæ, diuinæ miſericordiæ ſymbolum in circuitu Throni eſſe narratur.

Quartum, vigintiquatuor Seniores multis inſignibus illuſtres Thronum ambire, & coronas ante thronum deponere dicuntur; in conſpectu verò ſedis tanquam mare vitreum ſimile cryſtallo eſſe deſcribitur.

Quintum, quatuor illa animalia in medio, & in circuitu ſedis eſſe dicuntur.

Sextum, de throno fulgura voces, & tonitrua procedebant.

Septimum, ſeptem lampades ardentes, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei; ante thronum, multitudo verò maxima Angelorum; in circuitu throni eſſe perhibentur.

Octauum, Chriſtus Dominus Apoc. 3. vincenti confeſſum in throno ſuo pollicetur. *Apoc. 3.*

Nonum, incenſa multa de orationibus nimirum ſanctorum omnium obtulit Angelus ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei Apoc. 8. *Apoc. 8.*

Decimum, filius mulieris ſole amictę raptus eſt ad Deũ, & ad thronum eius Apoc. 12. *Apoc. 12.*

Vndecimum, centum quadraginta quatuor millia, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, & ſequuntur Agnum quocumque ierit, cantabant quaſi canticum nouum ante ſedem Apoc. 14. *Apoc. 14.*

Duodecimum, denique vox de throno Apocal. 19. exiuit dicens: *Laudem dicite Deo noſtro omnes, qui timetis eum, puſilli, & magni.* & Apoc. 21. *Vox de throno magna audiuit, quæ dicebat, Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, &c.* *Apoc. 19. & 21.*

VIRGINEM DEIPARAM INTER PVRAS creaturas in diuina prædeſtinatione præelectam, ac dignitate primam; primò etiam loco à Sancto Ioanne in hac viſione recenſeri. Cap. XIIII.

1 

VM cœli regiam à Deo ſibi patefactam perluſtraret S. Ioãnes auguſtiſſimo ſedis Dei aſpectu, veluti illectus, in eam primùm oculos, animumq; conuertit; eamq; ante omnia tanquam relatu digniſſimam deſcribit: *Et ſtatim fui*, inquit, *in ſpiritu, & ecce ſedes poſita erat in cœlo.* Quòd in Deiparam Virginem ſanctiſſimam ſingulari quadam ratione conuenit. Illa enim inter puras creaturas principem obtinet locum, quæ non hominum modò, ſed Angelorum etiam omnium princeps, ac Regina exiſtit; & in diuina prædeſtinatione poſt Chriſtum, ſaltem intentione, & Dei propoſito prima omnium fuit; vt propterea meritò S. Ioannes, eam omnium primam conſpexerit, atque in cœleſtis curiæ deſcriptione ſub typo ſedis omnium primam recenſuerit. *In viſione Apocalyp. ſedes ante omnia recenſetur.*

2 Quòd autem in diuina electione Deipara ſecundùm Chriſtum prima fuerit, atque adeò inter puras creaturas dignitate principatum teneat; id accuratius hoc capite oſtendendum erit: eius porrò rei tractatio ducenda videtur ex illo, quòd Prou. 8. de diuina Sapientia dicitur: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum antequam quicquam faceret; non dum erant abyſſi, & ego iam cõcepta eram, ante omnes colles ego parturiebar.* quod tamen Eccleſia dum in Miſſa Cõceptionis Virginis id legit, veluti ſecundario ſenſu Virginis conceptioni accommodat: quod etiam faciunt plerique; Auctores apud Caniſium lib. 1. de *B.* Virgine cap. 11. *B. Virgo poſt Chriſtum dignitate prima omnium. Prouer. 8.* *Miſſale Romanum. Caniſius.*

3 Videndum igitur in præſentia, quænam ſint viæ Dei, quid etiam viarum Dei initium dicatur, qua etiam ratione Deus Virginem in initio viarum ſuarum poſſederit, ſeu elegerit. Viæ igitur Dei, quibus progredi dicitur (vt omittam ſignificationem illam, qua crebrò à Dauid in Pſalmis, præſertim in Pſal. 118. accipi ſolent pro Dei præceptis, quibus ad Deum accedimus) viæ, inquam, Dei modi ſunt, ſeu rationes, quibus Deus ad extra, vt Theologi loquuntur, procedit, & rebus creatis ſe communicat, ſeu in eis operatur; hac enim communicatione quodammodo exire videtur Deus, non loci mutatione, ſed noua effectus operatione, qua veluti de occulto prodit ad notitiam. Quare Auguſtinus *Viæ Dei quid ſint. Pſal. 118.* *Auguſtinus.*

serm.59.de verbis Domini: *Hoc est*, inquit, *exire Patrem familias, quod innotescere: quoniam qui in domo est, in abdito est, cum autem exit, videtur ab ijs, qui foris sunt:* Sed *inuisibilia Dei* Rom. 1. *per ea, quæ facta sunt à creatura mundi intellecta conspiciuntur:* per creaturas ergo innotescit, atque adeò exire dicitur Deus. ideò psal. 24. *Vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas.* & psal. 144. *Iustus Dominus in omnibus vijs suis;* & statim exponendo quænam sint hæ viæ; subijcit: *Et sanctus in omnibus operibus suis;* quia in Dei operibus misericordiæ, veritatis, & iustitiæ attributa præcipuè relucēt. Quapropter Dionisius cap. 9. de diuinis nominibus, explicans quid significet in diuinis scripturis Deum moueri, qui tamen est immobilis: *Moueri*, inquit, *Deum piè existimare debemus non intuitu, aut commutatione, aut variatione; non mutatione loci, non motu recto, non conuersione, non eo qui ex utroque constat, non motu mentis, non animi, non naturali: sed quod Deus in lucem proferat, & contineat omnia, omnibusq. prospicit modis omnibus, & præsens est omnibus, tum complexu omnium, qui vitari non potest; tum prouidentiæ suæ progressionibus; tum actionibus.* hæc Dionysius. & Gregorius lib. 32. moral. cap. 18. super illa verba Iob 40. de Behemoth: *Ipse est principium viarum Dei: Quid*, inquit, *vias Dei nisi eius actiones accipimus, de quibus per Prophetam dicit, Non enim sunt viæ meæ sicut viæ vestræ.* Sanè in hoc loco Prou. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, vt vias has intelligamus esse creaturas, subijcit: *Antequā quicquam faceret à principio*, & deinde particulares creaturas recensēt: *Antequam*, inquit, *terra fieret, nondum erant abyssi, nec dum montes aquarum eruperant, &c.*

Rom. 1. Psal. 24. Psal. 144. Dionysius. Gregorius. Iob 40. Isa. 55. Prouerb. 8.

4 His positis, initium, seu principium viarum Dei pro diuersitate materiæ, de qua agitur, sumi debet: potest. n. intelligi vel primum, ac præstantissimum opus in tota latitudine eorum, quæ Deus operatus est extra; vel primū in aliquo genere. Quo circa Iob 40. *Behemoth*, quem ad litteram elephantem, vel draconem maximum in locis humentibus degentem, per figuram autem Luciferum esse volunt, *principium dicitur viarum Dei*; animal. n. illud inter reliqua bruta corporis vastitate, ac fortitudine principatum tenet: & similiter Lucifer iuxta eos, qui cum Gregorio, & alijs, eum supremum fuisse Angelorum existimant, in sui creatione omnibus Angelis antecelluit; quare Gregorius loc. cit. *Principium*, inquit, *viarum Dei Behemoth (id est Lucifer) dicitur; quia nimirū cum cuncta creans ageret, hunc primum condidit, quem reliquis Angelis eminentiorem fecit.* ita Gregorius. Eodem modo explicat Beda lib. quæstionum q. 9. nisi malis cum Damasceno lib. 2. de fide c. 4. Supremum eum fuisse inferioris ordinis, quod non est huius loci inuestigare: similiter Iacob. 1. Homo voluntariè verbo veritatis à Deo genitus cum ad gratiam iustificantem admittitur, dicitur *initium aliquod creaturæ eius*, quod nimirum dignitate alijs præstet: græcè. n. habetur ἀπαρχήν, quod significat initiationem, & primitias: primitiæ optimum quid sunt rerum, quarum sunt primitiæ.

Initium viarū Dei quid sit. Iob 40. Quomodo Behemoth, seu Lucifer principium viarum Dei sit. Gregorius. Beda. Damascenus. Iacob. 1. Quomodo iustus initium aliquod creatura Dei.

5 Ex his inuestigandum est quid sibi velit illud Prouer. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum*: si. n. hoc de Sapientia increata filio Dei intelligamus, qui est primarius sensus, sic duobus modis de filio Dei loqui possumus. primo modo vt Deus est, & tunc illud (*possedit*) significat Dei filium ab æterno in sinu Patris fuisse Ioan. 1. Et hoc *in initio viarum suarum*, id est ante omnes creaturas, *per quem facta sunt omnia*; & propterea subijcitur: *Antequam quicquam faceret à principio ab æterno ordinata sum, &c.* Secundo modo dicta verba accipere possumus de filio Dei incarnato, id est de Christo vt homo est; vt fusè omnes Patres græci, & latini exponunt; quos eruditè refert Suarez tom. 1. in 3. par. disp. 5. sect. 4. & tunc illis verbis significatur Christus, quatenus homo æterno Dei consilio præordinatus, vt caput, & finis omnium diuinorum operum sub ipso Deo; vt scilicèt Angeli, & homines, & omnia propter Christum facta sint, quod egregiè probat Suarez, & ex his, quæ mox dicemus, perspicuum fiet.

Prouerb. 8. Quomodo intelligatur: Dominus possedit me, de filio Dei, & vt Deus, & vt homo. Ioan. 1. Suarez.

6 Sed si verba hæc etiam Virgini per accommodationem aptare velimus, vt videtur facere Ecclesia, quæ in Missa Conceptionis Epistolam ex hoc loco accepit; diligenter inquirendum nobis est, quomodo Christus quatenus homo est, sit initium viarum Dei, & quomodo in Christo Virginem Deus possederit, atque elegerit. & quidem tribus modis pluſquam genere diuersis, vt animaduertit Caietanus 3. par. q. 1. art. 1. Deus, qui est summum bonum, intelligi potest se creatis rebus communicare. Primus secūdùm ordi-

Quomodo accōmodetur Virgini: Dominus possedit me. Missale Rom. Tribus modis Deus creaturis se communicat. Caietanus.

ordinem naturalem,in quo varij ſunt entium gradus; & ita liberè creauit, & conſeruat vniuerſum;& naturas omnium entium. Alter ſecundùm ordinem gratiæ ſupernaturalē, quo eleuat ſubſtantias intellectuales,& rationis participes in conſortium diuinæ naturæ per gratiam quidem iuſtificantem inchoatiuè. conſummatè autem per gloriam, qua Deum per eſſentiam clarè vident,eoq; fruuntur. Tertius,& ſupremus ſecundùm vnionē hypoſtaticam,qua Deus naturę creatæ communicat ſuam propriam perſonam ſecūdùm ſuam propriam ſubſiſtentiam,quàm in ſe habet;ſibiq; & creatæ naturę communem perſonam facit:eſt autem hic modus, quo ſummum bonum naturæ creatæ ſe communicare poteſt,ſummus;nec poteſt intelligi,vel excogitari maior communicatio,vt benè Caietanus hic,& Suarez in comm.eiuſd.art.Et ideò S.Thomas 3.par.q.1.art.1.ad probandam conuenientiam Incarnationis,affert hanc rationem, Quia ſcilicet natura Dei eſt eſſentia bonitatis: ad rationem verò boni pertinet, vt ſe alijs communicet,ex quo ſic ratiocinatur: *Vnde,* inquit S.Thomas, *ad rationem ſummi boni pertinet, quòd ſummo modo ſe communicet,quod quidem maximè fit per hoc,quod naturam creatam ſic ſibi coniungit,vt vna perſona fiat ex tribus, verbo, anima, & carne; ſicut dicit Auguſtinus 13.de Trinit.* hæc S. Thomas. In hoc autem loco Prouerb. 8. viarum Dei nomine non tantùm opera redemptionis,ſed etiam ſimpliciter Dei opera ex Athanaſio ſerm. 3. contra Arrianos accipere debemus.

Primo in ordine naturæ
Secundo, in ordine gratiæ, & gloriæ.
Tertiò, in ordine vnionis hypoſtaticæ.
Caietanus.
Suarez.
S. Thom.
Auguſtinus.
Prouer. 8.
Athanaſius.

7 Quare ex his rectè colligimus in tota entis latitudine,perfectione, ac dignitate, communicationem per vnionem hypoſtaticam eſſe præſtantiſſimam, atque adeò ſimpliciter eſſe initium viarum Dei. Prætereà non tantùm ratione vnionis hypoſtaticæ, qua natura creata perſonæ diuinæ vnita ad ſummam dignitatem euehitur,dicimus Chriſtum etiam vt hominem ſimpliciter,initium eſſe viarum Dei,& omnium excellentiſſimum,ſed etiam quia per ipſum omnia bona reliquis communicantur: & quia,vt diximus, omnium rerū caput eſt,& finis in quo,& propter quem Deus omnia condidit. De quo vide Epheſ.1. & Colloſſ. 1. Quod licet longiorem exigeret tractationem, nos tamen ex ſacra theologia quædam ponentes,id breuiter explicabimus,& confirmabimus;reliqua in ſcholis fuſius diſputanda relinquentes. Prædeſtinatio igitur eſt maximùm beneficium,quod creaturæ rationis participi à Deo confertur; eſt enim ex S.Thoma 1.par.q.23. præordinatio rationalis creaturæ infallibiliter in finem beatitudinis;quæ cum ſit fruitio Dei,habet ex D.Thoma 1.par.q.25.art.6.ad 4.quandam dignitatem infinitam ex bono infinito,quod eſt Deus:& ex hac parte (ait S.Thomas) non poſſe fieri aliquid melius beatitudine; ſicut non poteſt eſſe aliquid Deo melius.

Vnio hypoſtatica præſtantiſſima omnium cōmunicationum.
Chriſtus eſt cauſa bonorum omnium.
Epheſ. 1.
Colloſ. 1.
Prædeſtinatio Chriſti cauſa eſt noſtræ prædeſtinationis.
S. Thom.

8 At verò prædeſtinatio Chriſti,qua ad Rom.1. *Prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute;* ideſt,vt explicat S.Thomas 3.par. q.24.art.2. qua humanæ naturæ per gratiam vnionis collatum eſt,vt filio Dei in perſona vniretur:Prædeſtinatio (inquam) Chriſti,quò ad effectum,exemplar eſt noſtræ prædeſtinationis,vt ibidem art.3.notat S.Thomas ex illo ad Rom.8. *Quos præſciuit, hos & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.*

Rom. 1.
S. Thom.
Rom. 8.

Prætereà Chriſti prædeſtinatio ex art.4.eſt cauſa noſtræ prædeſtinationis,quoniam ab æterno Deus prædeſtinauit noſtram ſalutem per Chriſtum complendam:ideò Epheſ. 1. *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Chriſtum in ipſum;* ideſt propter ipſum; fuit enim Chriſtus cauſa meritoria non ſolùm noſtræ iuſtificationis,quod docet ſacrum Concilium Tridentinum ſeſſ.6.cap.7. ſed etiam conſummationis gloriæ; vt fusè probat Suarius tomo 1.in 3.par. diſput.41.ſect.1. inter alia ex illo Tit. 3. *Vt iuſtificati gratia ipſius,hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ.* nec propterea in adultis reſpectu gloriæ excluduntur merita ipſorum,quæ tamen ex gratia etiam ipſius proficiſcuntur: ideò omnia petimus à Patre per Chriſtum, qui eſt caput Eccleſiæ; & vt ait ſacrum Concilium Tridentinum ſeſſio. 6. cap. 16. ingiter in iuſtificatos virtutem influit, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata,& meritoria eſſe poſſent, factus omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ.

Epheſ. 1.
Concil. Trid.
Suarius.
Tit. 3.
Concil. Trid.
Hebr. 5.

9 Adhæc ex 3.par.q.8. art.1. & 4. Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, quæ ex hominibus & Angelis conſtat. & art. 3. vult S. Thomas Eccleſiæ corpus conſtitui ex hominibus, qui

Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, & per ſe ipſum cōſ-

Iata eſt gratia hominibus, & Angelis.

fuerunt à principio mundi, vſque ad finem: quare etiam ipſius Adami in ſtatu innocentiæ Chriſtus erat caput, præſertim quia Adam in eo ſtatu ex S. Thoma 2.2.q.1. art.7. & 3.par.q.1.art.3. ad 5. cognouit Chriſtum,& explicitè credidit in eum. De Angelis verò Albertus Magnus in 3.diſtinct.13. quæſt.2. Chriſtum vult eſſe caput Angelorum quò ad influxum gratiæ, & gloriæ. & Auguſtinus in pſalm. 36. conc. 3. ſub initium: *Omnes*, inquit, *qui ab initio ſæculi fuerunt iuſti, caput Chriſtum habent; & in eius fide & ipſi ſanati ſunt, in cuius & nos; vt eſſet & ipſe totius caput Ciuitatis Ieruſalem omnibus connumeratis fidelibus ab initio vſque in finem; adiunctis etiam legionibus, & exercitibus Angelorum, vt fiat illa vna Ciuitas ſub vno Rege*. ita Auguſtinus. Quibus verbis indicat etiam Angelis, ſicut & nobis collatam gratiam, & gloriam per Chriſtum caput illorum. Sanè Bernardus ſermone vigeſimoſecundo in Cant. quærens an Angeli fuerint redempti: *Qui erexit*, inquit, *hominem lapſum, dedit ſtanti Angelo ne laberetur; fuit enim Chriſtus vtrique redemptio, ſaluans illum, ſeruans iſtum*. An autem in rigore Angeli propter hoc dici poſſint redempti, non eſt huius loci; ſatis tamen eſt ex Bernardo gratiam, qua Angeli non ceciderunt fuiſſe per Chriſti merita. Et S. Thomas in Ioan.1. omnem gratiam omnium hominum,& omnium Angelorum à Chriſto pendere vult: *Plenitudo*, inquit, *gratiæ, quæ eſt in Chriſto, cauſa eſt omnium gratiarum, quæ ſunt in omnibus intellectualibus creaturis*. & illud: *De plenitudine eius omnes accepimus* (ait) denotare efficaciam gratiæ in omnibus hominibus, & omnibus Angelis. ita etiam Hieronymus ſuper epiſtolam ad Epheſ.cap.1. & 4.

S. Thom.

Albert.

Auguſtin.

Bernardus.

S. Thom.

Ioan. 1.

Ioan. 1.

Hieronym.

Prædeſtinatio Chriſti ante præuiſum originale peccatum.

10 Ex his etiam infertur, prædeſtinationem Chriſti intelligi in prioti rationis ante præuiſum originale peccatum; tùm quia Angelorum prædeſtinatio,& peccatum intelligitur ante præuiſum originale peccatum,cùm peccatum diaboli tentantis Adam fuerit occaſio ruinæ illius:cùm ergo Angeli habuerint gratiam dependenter à meritis Chriſti, præintelligitur Chriſtus eorum prędeſtinationi: Tùm etiam quia prędeſtinatio videtur prior reprobatione; quòd licet non habeatur expreſsè in S.Thoma; tamen in hoc inclinare videtur 1.par.q.23.artic.5.& 6.& q.6.de veritate art.2.ad 9. vbi quærens cur Deus eligat hunc, & illum reprobet; reſpondet, Deum ex ſua bonitate eligere electos, & propter peccatum reprobare: ſed diuina bonitas eſt prior ſecundùm rationem; ſi ergo prędeſtinatio eſt prior ſecundùm rationem reprobatione,ergo & præuiſione peccati originalis,propter quod reprobantur paruuli decedentes ſine baptiſmo: ergo & prędeſtinatio Chriſti cùm ſit cauſa noſtrę prędeſtinationis, præintelligitur præuiſioni peccati originalis.

S. Thom.

Chriſtus Adam non peccante ſuiſſet incarnatus.

S.Thom.

Alenſis.

Albertus.

Scotus.

S. Thom.

Geneſ. 2.

Epheſ. 5.

S. Thom.

Adam in ſtatu innocentiæ cognouit Chriſtum incarnandum.

11 Ex hoc quoque infero etiam ſi Adam non peccaſſet;futurum fuiſſe, vt Chriſtus incarnaretur. quod licèt à S.Thoma negetur;probabilius tamen illud exiſtimo cũ Alenſi 3.par.q.2.memb.13.Albert.in 3.diſt.10.art.4.Scoto in 3.diſt.7.& 19.& alijs. Et ratio eſt,quia potiſſima Incarnationis congruentia,quam aſſignat S.Thomas 3.par.q.1.artic.1. *Quia*, inquit, *ad rationem ſummi boni pertinet, quod ſummo modo ſe communicet, quod quidem maximè fit vniendo ſibi naturam creatam.* ita S. Thomas. Hæc,inquam, congruentia,ſeu ratio vim habet etiam Adamo non peccante. Præterea Adam cognouit Incarnationem; dixit enim: *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ. & hoc*, dicit Apoſtolus ad Epheſ.5. *Sacramentum magnum eſſe in Chriſto, & Eccleſia*: vnde infert S. Thomas 3.par.q.1.art.3. ad 5.& 2.2.q.2.artic.4. Adam in ſtatu innocentiæ non ignoraſſe hoc Sacramentum, & habuiſſe fidem explicitam in Chriſtum, ſecundum quod ordinabatur in conſummationem gloriæ; & addit non fuiſſe præſcium peccati futuri;ergo cognouit veram, & ſufficientem cauſam Incarnationis; quę prior, & vniuerſalior independens eſt à peccato originali, & diuinæ bonitati conſentanea. Quòd ſi aliquot ſcripturarum teſtimonia, & ſanctorum Patrum auctoritates dicant Chriſtum in remedium peccati veniſſe, illa ſanè explicant rationem cur Chriſtus venerit paſſibilis, ad commendandam Dei in nos peccatores eximiam charitatem. Verùm ſatis ſit de hoc aliquid attigiſſe, propter ea, quæ dicturi ſumus de beata Virgine: vberior enim huius quæſtionis tractatio non eſt præſentis diſputationis.

Cur ſæpè dicatur Chriſtus incarnatus propter peccatum.

Chriſtus vt homo ſimpliciter

Ex his ergo habemus Chriſtum quatenus homo eſt, non ſolùm ratione vnionis hypo-

hypoſtaticæ,quæ eſt præſtantiſſima Dei communicatio naturæ creatæ;ſed etiam quia eius prædeſtinatio cauſa,& fons eſt omnis boni in alijs, ſimpliciter abſolutè dici principium viarum Dei.quòd autem Chriſtus caput ſit, & finis omnium,videndus eſt Suarez loco ſupra citato,qui optimè & auctoritate, & rationibus hoc demonſtrat. *eſt principium viarum Dei.* *Suarez.*

12 Cùm autem Deus ex Theologorum ſententia cum D.Thoma 3.par.q.4. art.1. naturam etiam angelicam ſibi vnire potuerit;nuſquam tamen Angelos apprehendit,Hebr.1. ſed humanam naturam ſibi vnire complacuit;propter congruentias, quas aſſignãt Theologi 3.par.q.4.art.1.&q.1.art.1.inter quas eſt illa,quam tradit Damaſcenus orat. 1.de Natiu.*B.*Virg. *Nam cum homo,* inquit,*media quadam inter mentem,& materiam ſede conſtitutus rerum omnium conditarum, tam viſibilium, quàm inuiſibilium nodus, ac vinculum ſit: profecto etiam artifex Dei Verbum humanæ naturæ copulatum per eam cum vniuerſis rebus conditis vnitum eſt.* ita Damaſcenus. quod vt magis explicetur, animaduertendum eſt ex Caietano 3.par. q.1. art.1.& Suario in Comment.eiuſdem art.& diſp.3.ſect.3.Deum humanam naturam potius,quàm aliam quamcumque aſſumpſiſſe,vt ſic honore afficeret totum vniuerſum; in quo ſunt quatuor gradus entium, nimirum eſſe,viuere,ſentire,& intelligere, qui in homine continentur;vt propterea homo à Philoſophis Microcoſmos,paruus videlicet mundus,appelletur; &, vt benè dicit Gregorius hom.24. in Euangelia in illa verba: *Prædicate Euangelium omni creaturæ: Omnis,* inquit, *creaturæ nomine ſignatur Homo, omnis autem creaturæ aliquid habet homo: habet namq. commune eſſe cum lapidibus,viuere cum arboribus,ſentire cum animalibus, intelligere cum Angelis.* Idem lib.6.moral.cap.6.inter Dei mirabilia enumerat: *Quòd hominem,* inquit, *fecerit,vt ita dixerim,in breui colligens mundum alterum,ſed rationalem.* & cap.7. *Vniuerſitatis,* inquit, *nomine Homo ſignificatur,quia in ipſo & vera ſpecies, & magna communio vniuerſitatis oſtenditur: habet enim eſſe,viuere,ſentire,& intelligere, ſeu diſcernere,quibus cum omnibus creaturis communicat.* ita ex Gregorio. Hoc ipſum etiam de paruo mundo animaduertit Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 12. Quare Deus humanam naturam aſſumendo, omnes creaturas quodammodo ſibi peculiariter copulauit,& hoc nonnulli exiſtimant à D.Paulo indicatum cum dixit ad Epheſ. 1. *Omnia in Chriſto inſtaurata,quæ in cœlis,& quæ in terra ſunt:* illud enim inſtaurare,in græco legitur ἀνακεφαλαιώσασθαι, quod eſt recapitulare, & ita legit Hieronymus in illum locum; quamuis hoc recapitulare,aliter etiam explicari poſſit:Hieronymus enim ait; *Sicut multi numeri in vnam ſummam ſupputantur, vel quod latius diſputatum eſt, breui poſtea ſermone comprehenditur; ita omnia (ideſt inuiſibiles, & viſibiles creaturæ, quæ aduentum filij Dei pollicebantur) in Chriſto ſunt recapitulata, & omnia in eo teneamus. Vel,* vt indicat Irenæus lib.3.aduerſus hæreſes cap.18. *In Chriſto cum humanitatem ſuſcepit, omnia recapitulantur,res valdè diſtantes coniungendo,cum Deus inuiſibilis, incomprehenſibilis, impaſſibilis, factus eſt viſibilis, comprehenſibilis, & paſſibilis, & Verbum homo factum.* ita Irenæus. Vel ex Chryſoſtomo, & Theophilato ea,quæ inter ſe erant valdè ſeparata,vt Angeli,& homines ſub Chriſto capite vnum quodammodo ſunt effecta. *S. Thom.* *Cur Deus maluerit ſibi vnire naturam humanam potiusquam Angelicam.* *Damaſcenus.* *Caietanus.* *Suarius.* *Homo cur dicatur microcoſmos continens quatuor gradus entium.* *Gregorius.* *Gregorius.* *Damaſcenus.* *Epheſ. 1.* *Quid ſit, quod omnia in Chriſto recapitulata.* *Hieronymus.* *Irenæus.* *Chryſoſtomus.* *Theophilatus.*

13 His poſitis,ad B.Virginem,cuius cauſa potiſſimùm hæc eſt inſtituta diſputatio, propius accedamus. Sanè cum Deus naturam humanam,quam ſibi vnire decreuerat,multis modis aſſumere potuiſſet, placuit tamen ei ex Matre Virgine illam accipere; quod eleganter Auguſtinus lib.13. de Trinit. cap. 18. his verbis docet: *Poterat vtique Deus hominem aliunde ſuſcipere,in quo eſſet mediator Dei,& hominum;non de genere Adam, qui peccato ſuo genus obligauit humanum. Sicut ipſum quem primum creauerat,non de genere creauit alicuius; ſed melius iudicauit,vt de ipſo,quod fuerat victum,genere aſſumeret hominem Deus,per quem generis humani vinceret inimicum; & tamen ex Virgine cuius conceptum ſpiritus, non caro, fides, non libido præuenit.* hæc Auguſtinus; de quo vide S.Thomam 3.par.q.31.art.4.& S.Antoninum 4.par.tit.15.cap.12.§.2. *Cur Deus incarnari voluit ex Maria.* *Auguſtinus.* *Geneſ. 3.* *S. Thom.* *S. Antonin.*

Ex quo colligo Chriſtum,vt benè ait Suarius tom.2.in 3.par.diſp.1.ſect.3. non tantùm per ſe prædeſtinatum, vt hominem,ſed etiam vt filium hominis; nimirum vt modus huius Incarnationis fieret in vtero Virginis;atque adeò vt Deus haberet Matrem in terris;quo fit,vt Mater in diuina prædeſtinatione à filio diſtincta non fuerit: & ideò meritò Virgo dicere poteſt *Dominus poſſedit me*, ideſt elegit,& quaſi in pacifica poſſeſſione *Suarius.* *B.Virgo prædeſtinata poſt Chriſtum ante omnia* *Prouerb. 8.*

absque vlla prorsus rebellione *possedit me in initio viarum suarum*, cum scilicet statuit communicare se per vnionem hypostaticam: quæ, vt diximus, propter summam excellentiam, & quia omnia bona communicata sunt per eam, initium est viarum Dei; tunc etiam elegit me, vt essem Mater Christi, atque ita licet omnes prædestinati simul ab æterno fuerint electi; tamen secundùm ordinem quendam rationis Virgo post Christum prima omnium tanquam Mater ipsius ad illam, quam obtinet gloriæ sublimitatem, prædestinata intelligitur, atque inter omnes prælecta, vt esset Mater Dei. Hoc quoque docet apertè S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 14. §. 3. vbi ex Alberto Magno super missus est, dicit Virginē esse Matrē omnium propter quatuor. *Primò, quia genuit omnes Sanctos spiritualiter. Secundò, propter curam, quam gerit omnium. Tertiò, dignitate; quia, inquit, est primogenita ante omnem creaturam, & est excellentissima creaturarum. Quartò, prioritate prædestinationis; Ipsa enim, inquit, ante secula prædestinata est, vt esset, ex quo recreandum fuit omne creatum; & sic dicitur de ea Prouer. 8. Dominus possedit me in initio viarum suarum, id est in principio operum suorum, vt sim prima omnium, quæ puræ creaturæ sunt.* hæc S. Antoninus; vbi illud animaduertendum, prædestinationem Virginis dici priorem prioritate non quidem temporis; omnes enim, qui prædestinati sunt, fuere ab æterno prædestinati simul: neque loquitur Albertus de prioritate secundùm dignitatē, id enim in tertia prioritate iam asseruerat; ergo de ea prioritate, quam superius diximus, intelligit. quod patet, & ex explicatione sua, & ex auctoritate ducta ex cap. 8. Prouerb. vnde id probat. Idemq; dixerat S. Antoninus eodem tit. 15. cap. 2. Quod autem Deus Virginem beatissimam tanquam suum domicilium singulariter possederit eleganter indicat S. Cyprianus serm. de Natiu. Christi: *Nec recesserat*, inquit, *à venerabili pectore matris Spiritus sanctus ad verbum Gabrielis elapsus: Possidebat domum suam, & Templum, quod sibi consecrauerat; adornabat.* hæc ille.

Notanda doctrina S. Antonini, & Alberti.

Prouer. 8.

S. Antonin.

Cyprianus.

14 Hinc factum est, vt S. Ioannes in curiæ cœlestis descriptione sedem Dei, quæ Virginem significat, tanquam omnium secundùm Christum præstantissimam, & primam, primo loco posuerit; præsertim, quia si ad theologicam trutinam res omnis reuocanda sit, beatissima Virgo Deipara propter eximiam suam, ac singularem dignitatem in tota rerum vniuersitate, siuè homines, siuè Angelos spectes, prima persona creata simpliciter, & absolutè haberi, ac prædicari debet: Cùm Christus Dominus, cui vni illa concedit, licet humanam naturam creatam habeat, qua suæ Genitrici longè præstat; Persona tamen sit increata. Quo circa Deipara huius Principatus ratione, quo omnibus personis creatis longè multumq; præcellit; iure optimo illud Ecclesiastici 24. efferre potest: *In omni populo, & in omni gente PRIMATVM habui*; & nos eam iuxta editionem vulgatam ex Sapientiæ cap. 7. omnibus PRIOREM prædicare debemus, sic enim ibi dicitur: *Est enim hæc speciosior sole, & super omnem dispositionem stellarum luci comparata inuenitur PRIOR*: quæ verba Deiparæ eleganter accommodat Bonauentura in speculo cap. 3. cùm enim locum hunc Sap. 7. ad ostendendam Deiparæ puritatem, peccati omnis immunem, attulisset, subijcit: *Quidam legunt hic, Prior, quidam purior. Vtrumque Mariæ stellæ nostræ competit: Maria enim est prior, id est potior, siuè dignior; Maria etiam purior est sole, & stellis, & luce; quia tam dignitate, quàm puritate solem, & stellas, & omnem lucem superat corporalem; imò etiam spirituales, id est Angelicam creaturam, de qua dicitur, Diuisit Deus lucem à tenebris, id est Angelos stantes à cadentibus. hac vtique luce Angelis Prior, & purior est Maria, prior dignitate, & purior sanctitate. Vnde Anselmus exclamans ait: O benedicta super mulieres, quæ Angelos vincis puritate, sanctos superas pietate.* hæc Bonauentura. Quo circa Ephræm oratione de Deipara, agens de ea: *Omnibus*, inquit, *superis exercitibus glorioſior, omnium Sanctorum, ac Virginum corona ob fulgorem inacceſſa, omnium Princeps, omnium Dux ſacratiſſima puella, per te reconciliati ſumus Chriſto Deo meo.* hæc ille.

Apoc. 4.

Ecclef. 24.

Sap. 7.

Bonauent.

Gen. 1.

Anſelmus.

Ephræm.

B Virgo prædeſtinata mater Dei ante præuiſum originale peccatum.

Addi potest, Virginem intelligi electam per se, & absolutè ad talem gloriam, & Matris Dei dignitatem ante præuisum originale peccatum. & licet ex hoc non pendeat instituta à nobis disputatio (quamuis enim electa intelligeretur post præuisum originale peccatum; satis tamen nobis esset, Virginem secundùm Christum primam; & ad celsissimum præ reliquis omnibus locum prædestinatam esse, atque ad summam maternitatis

Dei

Dei dignitatem electam; quod ſupra oſtendimus) ad maiorem tamen Virginis excellentiam illud etiam oſtendemus: ita enim proportionaliter de Virgine docent omnes, qui Incarnationem Chriſti dicunt præordinatam in priori ſigno rationis, quàm præuiſum ſit originale peccatum; vt videre eſt apud Suarium loco citato, & Galatinum lib. 3. de Arcanis catholicæ veritatis cap. 12. quod rectè colligunt; Chriſtus enim prædeſtinatus eſt, vt filius hominis: ergo in diuina electione Mater non fuit diuulſa ab eo. Deinde veriſimilius eſt, vt teſtatur Suarez tom. 2. in 3. par. diſp. 1. ſect. 3. omnes prædeſtinatos ad gratiam, & ad gloriam fuiſſe electos antequam intelligatur præuiſum originale peccatum; ergo multò certius de Deipara id affirmatur; cùm eius electio ſublimior ſit, & ad maiorem Dei gloriam pertineat. Denique ex hoc etiam Dei beneficium erga genus humanum illuſtrius apparet, quòd non tantùm humanam naturam hypoſtaticè, etiam Adam non peccante, aſſumere voluerit; verùm etiam eodem modo perſonam humanam creatam, quantùm in ratione perſonæ capax fuit, honore afficere decreuerit, tribuendo illi, vt eſſet Mater Dei, quæ ex S. Thoma 1. par. q. 25. art. 6. ad 4. habet quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod eſt Deus, cuius eſt mater.

Suarius. Galatinus. *Suarez.* *S. Thom.*

15 Ex dictis ſequitur rectè Virgini accommodari ea, quæ eodem cap. 8. Prouerbiorum ex perſona eiuſdem Virginis ſubijciuntur: *Ante omnes colles*, inquit, *ego parturiebar*; ideſt in priori rationis ante Angelorum ſanctorum electionem (qui ſunt veluti colles altiſſimi, tùm propter naturæ, tùm etiam propter gloriæ ſublimitatem) ego per prædeſtinationem parturiebar: *Non dum erăt abyſſi*; ideſt non dum intelligebatur præuiſum originale peccatum, quod eſt velut abyſſus obſcura, & profundiſſima: *Et ego iam concepta eram.* & Eccleſ. 24. *Ab initio, & ante ſecula creata ſum*; quòd pariter Virgini propter ſuæ prædeſtinationis præſtantiam aptatur. Hinc eſt, quod Cant. 6. dicitur: *Electa vt ſol*; tùm quia in ſui prædeſtinatione, atque electione non fuit diſiuncta à filio, qui ſol iuſtitię dicitur Malach. 4. Tùm etiam, quia in ea electione ſoli iuſtitiæ Chriſto fuit ſuo modo, quàm ſimillima: vt enim ille Rom. 1. *Prædeſtinatus eſt filius Dei*; & quatenus homo abſque vlla peccati macula, omniq; gratia plenus, *electus ex millibus* Cant. 5. ita Virgo ſanctiſſima prædeſtinata eſt mater Dei, & ab omni peccati labe immunis vna electa Genitrici ſuæ Cant. 6. *Et gratia plena*, quòd Angelus Gabriel diſertè in ſua annunciatione eidem ſignificauit.

Quomodo Virgini cōgruit ante omnes colles pertinebar, & reliqua quam ſequuntur. *Eccl. 24.* *Cant. 6. Virgo dicitur electa vt ſol, & quare.* *Malach. 4.* *Rom. 1.* *Cant. 5.* *Cant. 6.* *Luc. 1.*

Quare Bernardus in deprecatione ad Virginem, quę habetur tom. 2. ſuorum operum: *Tu*, inquit, *electa es, vt ſol; ille, inquam, ſol ſolis conditor, ille enim electus eſt ex millibus virorum, Tu electa es ex millibus fœminarum: Ille electus eſt ex omnibus, quæ ſunt; Tu electa es omnibus, quæ per illum ſunt.* ita Bernardus. Et quia non tantùm electa, ſed ſingulariter inter omnes creaturas prælecta: ideò Cant. 6. dicitur etiam *electa vt ſol:* Sicuti enim ſol non habet ſimilem inter aſtra, ita Virgo beatiſſima, vt canit Eccleſia ex Sedulio: *Nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem;* & propterea Cant. 6. *Vna*, inquit, *eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matris ſuæ, electa Genitrici ſuæ.* (ideſt Eccleſiæ) *Viderunt eam filiæ Sion, & beatiſſimam prædicauerunt*; quod de Deipara dictum eſſe, ipſamet in ſuo Cantico declarauit illis verbis: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

Bernardus. *In officio natiuitatis Sedulius lib. 2. carminū.* *Cant. 6.* *Luc. 1.*

Atq; ita S. Bernardinus Senenſis tom. 2. conc. 51. art. 3. cap. 4. *Tu*, inquit, *ante omnem creaturam in mente Dei prædeſtinata fuiſti, vt omnium fœminarum caſtiſſima, vt Deum ipſum hominem verum ex tua carne procreares, vt præ omnibus poſt filium Regina Cœlorum effecta glorioſa regnares.* & ibidem cap. 3. citat illud Cant. 4. *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa*: citat etiam Gloſſam ibi adnotantem: *Pro amore tuo carnem aſſumpſi, & vulneribus primis in cruce vulneraſti cor meum*: & ſubijcit S. Bernardinus: *Nam primogenita Redemptoris filij ſui IESV fuit B. Virgo, & plus pro ipſa redimenda venit, quàm pro omni alia creatura.* Idem indicat Rupertus lib. 2. in Cantica. quare ex Anſelmo cap. 4. de Virg. excell. Amor, quo Deus Virginem dilexit, ex quo bona cuncta in creaturam promanant, inexplicabilis eſt, nec ab vllo homine, vel Angelo comprehendi valet: *Poteſt ne quæſo*, inquit Anſelmus, *vllus hominum, aut Angelorum iſtius amoris immenſitatem penetrare, vel dignitati honoris illius quicquam cogitatu percipere comparabile?* Et S. Cyprianus ſerm. de Chriſti natiuitate propter inſignem illius prælectionem per excellentiam,

S. Bernardin. *Cant. 4.* *Gloſſa.* *B. Virgo primogenita redēptionis, & magis pro ipſa redimenda, quàm pro alijs omnibus Chriſtus venit.* *Rupertus.* *Anſelmus.* *Cyprianus.*

Andr. Ieroſol. tiam,eam VAS ELECTIONIS appellat. Et Andreas Ieroſolymitanus orat. de Aſſump. loquens de Virgine: *Hæc eſt*,inquit, *declaratio profundorum diuinæ incomprehenſibilitatis; Hic eſt SCOPVS,qui excogitatus eſt ante ſecula.* Porrò ſicuti Sauli,quia Rex futurus

1. Reg. 9. erat,& puero eius 1. Reg. 9. datus eſt in menſa locus in capite eorum qui fuerant inuitati,& Armus illi ſeruatus eſt ad veſcendum: ita Virgini, quia Chriſti Genitrix futura erat,primus locus,parsq; ampliſſima bonorum omnium tributa fuit.

B. Virgo in luce, quæ primo creata eſt figuratur. *Mayro. Geneſ. 1.* 16 Hæc adeo Virginis ampliſſima dignitas,& in rebus omnibus omnium ordinum principatus in diuinis oraculis multis figuris adumbratur; Ipſa enim,vt eſt apud Frãciſcum Mayronem in ſermone de creatione animæ Virginis,Luce illa ſignificata eſt, quæ primo verbo,quod dixiſſe legitur Deus Geneſ. 1. *Fiat*,inquit, *lux*,tanquam creaturarum ſenſibiliũ ſpecioſiſſima,procreata eſt,qua ſua pulchritudine,& fulgore tenebras depellit, rebusq. omnibus decorem affert,neque enim ſine luce aliquid videri poteſt. Quare Poeta de tenebris,quæ efficiunt ne res cerni poſſint,ſic ſcribit.

Virg. lib. 6. Aeneid. ,, *Et rebus nox abſtulit atra colorem*.

Offic. Eccl. ſer. 4. ad laudes. At verò per lucem iterum conſpici omnia queunt, ideoq; in Hymno Eccleſiæ ſic canitur. 17

,, *Caligo terræ ſcinditur*
,, *Percuſſa ſolis ſpiculo;*
,, *Rebusq. iam color redit,*
,, *Vultu nitentis ſideris.*

Eſther 8. Lux quoque intuentes lætificat;ideoq; in figura Virginis dicitur Eſther 8. *Iudæis aurem uoua lux oriri viſa eſt gaudium,honor,& tripudium.* fulgor enim huius virgineæ lucis ſpirituales mundi tenebras depulit,per eam Dei opera,atque magnalia innotuerunt, vt dicebat Cyrillus orat. 6. in Neſtorium,& nos cap. 17. & 27. dicemus.

Deipara noua mundi lux. *Cyrillus; Cap. 17. Cap. 27.* Hinc eſt,quod S. Bernardinus tom. 3. ſerm. 1. de glorioſo nomine Mariæ art. 1. cap. 3. de B. Virgine,ait,dici poſſe illud Eccleſ. 50. *Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ*; quoniam velut fulgida ſtella proceſſit effugans tenebras, de qua Bernardus homil. 2. ſuper miſſus eſt: *Ipſa eſt nobilis ſtella Iacob, cuius radius vniuerſum mundum illuminat, cuius ſplendor præfulget in ſupernis,& inferos penetrat; terras etiam perluſtrans,& calefaciens magis mentes,quam corpora, fouet virtutes,excoquit vitia.* Addit S. Bernardinus loco citato: *In perſona*,inquit Virginis Eccleſ. 24. ait: *Penetrabo inferiores partes terræ, ſcilicet quæ ſunt frigidæ,& obſcuræ,& aſpiciam,ſcilicet oculo miſericordiæ,omnes dormientes,ideſt cæcos,& negligentes,& illuminabo omnes ſperantes in Domino,ideſt illuminatione mea faciam,quod cognoſcant Deum,& ſperent in eo.* ita S. Bernardinus.

S. Bernard. Maria ſtella. Eccl. 50. Bernardus.

Deipara etiam gaudium annunciauit vniuerſo mundo; quare meritò in tribus illis Iob filiabus pulcherrimis præſtantiſſimæ huius Virginis pulchritudo, & dignitas coloratur,quarũ vna Iob 42. dicta eſt Dies, altera Caſſia, tertia Cornuſtibij,& myſticè animę ſpiritualis ornatum indicant. Quæ enim appellata eſt,Dies; morum claritatem, & ſplendorem ſignificat: Caſſia fragrantiam,& boni exempli ſuaueolentiam; Tertia verò Cornuſtibij inæſtimabilem animæ ſanctæ decorem, ac pulchritudinem; quaſi eſſet ornatus ipſe,qui ſtibio à mulieribus comparatur: Ita Virgo ſanctiſſima vna in ſe hæc omnia eminentiſſimè complexa eſt; ſed peculiariter, quod ad noſtram diſputationem facit, dicitur Dies,ob ſplendorem,quia in ſe lucida,alijs prælucet,eosq; colluſtrat, ac ſuauiſſima pulchræ dilectionis,& agnitionis luce perfundit,ſingulari Dei prouidentia mundo attributa; de qua illud dici poteſt,quod de naturali hac,& omnium oculis expoſita die protulit Dauid pſal. 118. *Ordinatione tua perſeuerat dies.*

Iob 42.

Pſal. 118.

B. Virgo in Arca fœderis figurata propter ſuũ primatum. Exod. 25. Beda. Rupertus. 17 Hæc Virginis præſtantia in Arca fœderis,per quam Virgo figurabatur,vt ex Damaſceno,& alijs cap. 3. & 5. diximus,ſignificata deſcribitur: Arca etenim fœderis in Tabernaculo à Moyſe erecto Exod. 25. inter ea,quæ ad Dei cultum ſpectabant, omnium primò,vt notat Beda lib. 1. de Tabern. cap. 4. fieri iubetur à Deo. quod idem animaduertit Rupertus: *Principio*, inquit, *ſanctuarij compingitur Arca*, & in Templo Salomonis, quemadmodum in Moyſi Tabernaculo inter ea,quæ ad templum pertinebant,menſam nimirum panum propoſitionis, Candelabrum, Altare thymiamatis, Altare holocauſtorum,& cætera; ipſa Arca principem dignitatis locum obtinebat,quòd ex loco eius nobiliſſimo

liſſimo facilè colligitur,erat enim collocata in medio intra ſancta ſanctorum, habebatq; propitiatorium,vnde Deus reſponſa dabat:ſimiliter & Virgo in corpore myſtico ſanctæ Eccleſiæ,cui caput eſt Chriſtus,per collum aptiſſimè ſignificari ſolet, quod vt loco, ſic & dignitate proximum eſt capiti, & reliquis omnibus membris eminet;quoniam Virgo ſanctiſſima loco,& dignitate Chriſto maximè propinqua reliquis omnibus præſtat. *B. Virginis præſtantia per collum ſignificatur.*

18 In titulo quoque pſalm.47.cuius initium eſt: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis,* (quem ad Virginem per Ciuitatem Dei noſtri ſignificatam pertinere cap. 4. & 5. diximus,& cap. ſequ. dicemus) non obſcurè Deiparæ præ alijs dignitas eximia indicatur;ſic autem habet *Pſalmus Cantici filijs Core Secunda Sabbati,* quemadmodum enim titulus Pſalm. 23. vbi legimus *Prima Sabbati Pſalmus Dauid,* ipſi Chriſto capiti tribuitur,vt animaduertit Auguſtinus in pſal.23.& in Præfat. pſalm. 47. Prima enim ſabbati Deus lucem fecit, eamq; diuiſit à tenebris: quod ſpiritualiter factum eſſe docet idem Auguſtinus, cũ Prima Sabbati, quæ propterea Dominica dicitur,Chriſtus à mortuis reſurrexit: ita in Secunda Sabbati,quæ feria ſecunda vocatur,in qua firmamentum eſt factum,Virginem ſanctiſſimam,quæ proximè Chriſtum ſequitur, quæq; ex ijs, quæ diximus cap.3.& 5. Cœlum appellatur,meritò intelligimus. & licet Auguſtinus Secundam Sabbati Eccleſiam Chriſti in ſanctis intelligat,quod non negamus,(ratio Auguſtini eſt: *Quoniam,* inquit,*Sancti ſcripti ſunt in cœlo,& tentationibus minimè cedunt,ſed firmi ſunt, vt propterea firmamenti nomine digni cenſeantur,*) hoc tamen multò magis de ſanctiſſima Virgine dicemus: Tùm quia Pſalmus totus in Deiparam mirum in modum quadrat:tùm quia firmitatem ipſa præ omnibus eſt adepta,vt cap.7.oſtendimus; ita vt Firmamentum iure optimo appellari poſſit: tùm quia poſt Chriſtum in diuina prædeſtinatione dignitate omnibus præcellit, atque adeò eius nomen in cœlo, nobiliſſimo modo deſcriptum inuenitur: Tùm denique, quia ipſa eſt Eccleſiæ pars omnium nobiliſſima, & veluti collum Chriſto capiti viciniſſima; atque ita quæ de Eccleſia dicuntur,eidem præcipuè accommodantur. Quo circa in Secunda Sabbati,quæ Primam Sabbati,in qua Chriſtus intelligitur, immediatè conſequitur, aptiſſimè ſanctiſſima Virgo Chriſto coniunctiſſima exprimitur. *Tit.pſal.47. & 23.exprimitur.* *Titul.pſal.23.* *Auguſtinus.* *Grneſ. 1.* *Auguſtinus.*

His etiam addere poſſumus & illud, hebdomadæ nimirum dies, à Planetis, qui prima eius diei hora dominium habent, deſumpſiſſe nomen iuxta Aſtronomos, teſte Clauio in primum cap.ſpheræ, vbi de ordine ſpherarum cæleſtium agit: ſinguli enim Planetæ ſingulis horis ſuo ordine,qui ſemper recurrit,præeſſe dicuntur;quod quàm verùm ſit negat Clauius eſſe illius loci diſputare.Ioannes tamen Xiphilinus in compendio Dion lib.36. in Pompeio, ab Aegyptijs hoc inſtitutum manaſſe affirmat, quare, & ſeptem hebdomadæ dies hoc ordine ſeruato ab ijſdem planetis nomen inuenere. Quibus poſitis,ſi hoc etiam ſpectemus,iure optimo prima ſabbati,quæ eſt dies ſolis,& ſecunda ſabbati,quæ eſt dies lunæ,tribuuntur Chriſto,qui Malach.6.*Sol iuſtitiæ* vocatur,& Deiparæ, quæ Cant.6. & alibi, ſæpe Lunæ comparatur: quare rectè habetur Habacuch 3. *Eleuatus eſt Sol,& Luna ſtetit in ordine ſuo,* hoc eſt,vbi Chriſti dignitas mũdo per Apoſtolorum prædicationem innotuit, illico & eius Genitricis præſtantia omnibus fuit cognita, atque perſpecta; & ſicuti Luna, tametſi ſui altera tantum parte lumen à ſole accipit; ita Deipara Chriſto ſole iuſtitiæ ſplendidiſſimo amicta omni ex parte luce coruſcat. *Clauius.* *Io.Xiphilinus.* *Malach. 6.* *Cant. 6.* *Habacuch 3.*

19 Quare ex ijs,quæ diximus minimè mirum videri debet,ſi Virgo ſub typo ſedis Dei, Prima omnium à S.Ioanne recenſetur;quæ poſt Deum altiſſimo loco reſidet;&,vt dixi cap.6. ſuper omnes puras creaturas chorum facit ſeparatum, Deoq; multis nominibus præ reliquis in gloria eſt proxima, vt cap. 12. oſtendimus. Cuius inter omnes creaturas tanta eſt dignitas,tantaq; maieſtas,vt S.Ioannis cœleſtem curiam deſcribentis animum ſtatim ad ſe rapuerit, non ſecus ac ſol inter aſtrorum turbam intuentium ſtatim oculos ad ſe conuertit,ac pertrahit. Nam præter gloriam eſſentialem (in qua tanta immenſitate, vt cap. 6. probaui, omnes ſiuè Angelos, ſiuè homines excedit, vt ipſa vna maiori lumine gloriæ,ac proinde maiori beatitudine ſit prædita,quàm vniuerſi omnes, etiam ſi omnes omnium beatitudines in vnum cumulum conferantur) ex ipſa Dei maternitate, vt ex D.Thoma diximus,dignitatem quandam aſſequitur infinitam: *propter quam ſi omnes* *B.Virgo cur prima recenſetur hac viſione.* *Apoc. 4.* *S. Thom.*

Benauentura.

nes creaturæ (inquit Bonauentura in 1. dist. 44. in expositi. text.) *quantumcumque ascenderent in gradibus nobilitatis, essent præsentes, omnes deberent reuerentiam Matri Dei.* Et propterea Virgo ex Petro Damiano sermone de Assumptione sua præstãtia reliquos ita superat, vt quasi stellæ iuxta solem non appareant: *In illa enim,* inquit Petrus Damianus, *inaccessibili luce perlucens Virgo sic vtrorumq. spirituum, ideſt hominum, & Angelorum hebetat dignitatem, vt in comparatione Virginis nec possint, nec debeant apparere.* & B. Laurentius Iustinianus de Natiu. Virg. *Nullus,* inquit, *mortalium, quamuis donorum cœlestium numerositate sit præditus, Virgini valet coæquari, Patriarcharum vtique, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, omniumq. Sanctorum merita B. Maria transcendit.*

Petr. Dam. B. Virgo Sanctos superat in gloria non secus ac sol supra stellas lucet.

B. Laur. Iustin.

DEVM OPTIMVM PER VIRGINEM DEIparam peculiari ratione cognosci, ab eaq. denominari. Cap. XV.

Deus à Virgine denominatur.

SECVNDVM circa Dei thronum animaduersione dignum illud est, quòd à S. Ioanne Deus ipse ab hac sede crebro denominatur; non secus, ac olim in sacris litteris Exod. 3. & alibi sæpè à fidelissimis seruis dici voluit Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob: imò & absolutè per sedentem in Throno asque alio addito, veluti quadam periphrasi non solùm à S. Ioanne, sed á Beatis ipsis in Apocalypsi sæpè exprimitur; vt videre est cap. 4. 5. 6. 7. 19. & 21. exempli gratia cap. 4. *Sedenti in Throno, & Agno benedictio, &c.* & cap. 21. *Et dixit qui sedebat in Throno.* Præterea Agnus, qui Christum adumbrabat ab eodem *Throno* indicatur: nam cap. 5. in medio Throni cõspicitur; ideoq; cap. 7. ab vno ex senioribus *Agnus, qui in medio Throni est* appellatur. Et verò hoc, quod de Throno Dei dicitur, Virgini Deiparæ aptissimè congruit; nam Deus ipse per Virginem, in cuius anima per copiosissimam gratiam iam inde ab instanti eius immaculatæ Conceptionis continenter resedit, & in cuius virgineo vtero Agnus ille carnem induit, tanquam per suum Thronum peculiari ratione, vt dicemus, mundo innotescere, & ab ea denominari voluit.

Exod. 3.

Apoc. 4. 5. 6. 7. 19. 21.

Apoc. 7.

Christus cur dicitur filius hominis.

Matth. 25.

Augustinus.

Act. 7.

Apoc. 1.

Apoc. 14.

Luc. 1.

Gen. 3.

Galat. 4.

Marc. 6.

Quare Christus Dominus ab eadem denominationem accipiens se ipse *filium hominis* (sanctissimę vtiq; Virginis) *sæpissimè,* inquit Augustinus lib. 2. de consen. Euang. cap. 1. appellat, *commendans quid misericorditer dignatus est esse pro nobis:* quo nomine etiam post suam in cœlum Ascensionem appellari voluit: nam Act. 7. sanctus Stephanus: *Ecce,* inquit, *video Cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei.* & Apoc. 1. S. Ioannes in medio septem candelabrorum aureorum vidisse se scribit *similem filio hominis vestitum podere,* & Apoc. 14. idem habetur, & S. Elisabeth Spiritu sancto repleta Christum ab ipsa Virgine circumloquitur, cum dixit: *Benedictus fructus ventris tui;* & Apostolus Galat. 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere.* & Marc. 6. à Iudeis ipse Dominus *filius Mariæ* absolutè appellatur, vt sic eum quasi digito indicarent.

Genes. 3.

Christus dicitur semen mulieris.

Cap. 22.

Et quod magis est admiratione dignum Genes. 3. loquens Deus ad serpentem: *Inimicitias,* inquit, *ponam inter te, & mulierem, semen tuum & semen illius:* per mulierem autem Dominus, vt cap. 22. ex sanctis Patribus dicemus, Virginem Deiparam intelligit; per semen autem mulieris Christum Dominum à matre verborum ducta continuatione circumloquitur, atque describit, dum semen mulieris appellat: neque sanè iniuria; quidni enim indidem nomen acciperet, vnde, seù ex qua sola sine virili consortio traxit & genus? Solus enim Christus, vt animaduertit Rupertus lib. 3. de Trinitate cap. 19. enarrans hunc locum, ita est semen, seu filius mulieris, vt non etiam sit semen viri; & propterea nõ absque mysterio ab ea sola denominationem accepit: quin etiam hac denominatione ostendit se per carnem ab hac benedicta muliere acceptam, victoriam de antiquo serpente, eiusq; semine reportaturum: quem locum expendunt Irenæus lib. 4. cap. 78. Tertullianus lib. 3. contra Marcionem cap. 20. Cyprianus lib. 2. testimon. cap. 9. Epiphanius hæres. 78.

Rupertus.

Irenæus. Tertullian. Cyprianus. Epiphanius.

Psal. 126.

Eodem quoque modo Dauid cum in psal. 126. caneret Domini hæreditatem, iustis post eorum mortem, quam somnum appellat, tanquam Christi mercedem reddendam,

Chri-

Chriſtum à ſua genitrice circumloquitur; ait enim: *Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini, filij, merces fructus ventris:* illud enim, *fructus*, apud Septuaginta eſt genitiui caſus, & regitur à nomine, *merces*, ſic.n.habetur ὁ μισθὸς τῆς καρπῆς τῆς γαστρὸς hoc eſt, *merces fructus ventris*, ac ſi diceretur: Hæreditas Domini eſt merces Chriſti, qui eſt fructus vteri virginalis: quem pſalmi verſiculum ad Deiparam ſpectare docet Chryſologus ſerm. 140. quem infra afferam: ad eundem verſiculum ſpectauit S. Thomas in hymno, Pange lingua, cum de Chriſto dixit.

Fructus ventris generoſi
Rex effudit gentium.

70. Interpres. Chryſologus. S. Thom.

Idem S. Thomas in illa Antiphona in Officio ſanctiſſimi Sacramenti à Titelmano in Commentarijs in hunc pſalmum citata, quæ ſic habet: *Fructus ventris virginalis eſt hereditas Sanctorum adimplens bonorum deſiderium:* qua periphraſi ideo vtitur Dauid, vt intelligamus Chriſtum per corpus ſuum ſanctiſſimum virginei ventris fructum, mercedem illam pretioſiſſimam, nobis meruiſſe. Hinc eſt, quòd interdum Chriſtus eadem metaphora fructus Deiparæ exprimitur, & fructus terræ appellatur, ideſt Virginis ſanctiſſimæ; quæ, vt ait S. Antoninus 3.par.tit.31. cap.3. terra dicitur per profundam humilitatem, & ſtabilitatem; quin etiam eſt terra illa promiſſionis lacte, & melle manans, vt cap. 34. dicemus: atque ita de Chriſto legimus Iſa.4. *Et erit fructus terræ ſublimis.* & pſalm. 84. *Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum:* ſiquidem veritas de hac terra orta eſt; quia, vt ait S. Antoninus loco citato, veritas increata in hac terra eſt incarnata. ideò Georgius Nicomedienſis orat. de Præſent. Virg. vocat eam *ſanctam, & deſiderabilem terram; ex qua orta eſt veritas, & iuſtitia; in qua operculo tecti pedes prohibentur progredi, ratiocinatio ſcilicet, quæ dubitatione operitur, & incredulitate.* ſic ille.

Titelman. S. Antoninus. Cap. 34. Iſa. 4. Pſal. 84. S. Antoninus. Georg. Nicom.

S. Brigitta in Reuelat. lib. 4. cap. 70. Ex reuelatione B. Virginis teſtatur Chriſtum filium Mariæ dici ſolitum, ait enim: *Chriſtum dum eſſet in hac vita ſuo aſpectu adeò conſolari conſueuiſſe eos, qui eum intuebantur; vt qui aliqua triſtitia tenerentur, dicerent, Eamus, & filium Mariæ videamus, vt ſaltem eo tempore à triſtitia releuemur.* hæc S. Brigitta. & vt intelligamus arctiſſimam inter filium, & matrem coniunctionem, qua tanquã relatiua ſe mutuo manifeſtant: *Ipſa Virgo viciſſim*, inquit S. Thomas 3.par. q.28. art.3. ad 6. *in Euangelio non conſueuit nominari, niſi cognominatione huius dignitatis, quòd ſit Mater Ieſu.* ita S. Thomas. Sic enim ab alijs mulieribus, quibus nomen Mariæ erat inditum, diſtinguitur; & quemadmodum per antonomaſiam dicitur: *Ancilla Dei*, quod nullum vnquam alium Dominum habuerit: ita quoniam in ſuo corde nullum alium ſedentem vnquam habuit, quod de alijs hominibus, qui per originale peccatum aliquando ſerui fuere dæmonis, dici nequaquam poteſt; propterea, inquam, ſingulari ratione hoc loco *Thronus* appellatur, à quo ipſe Deus denominatur.

S. Brigitta. B. Virgo appellatur mater Ieſu. S. Thom. Luc. 1: B. Virgo per antonomaſiam Ancilla Dei.

2 Iam verò, vt hoc ipſum ex ſuis principijs deducatur, oſtendamus Dei maieſtatem, atque gloriam in Virgine peculiari ratione cognoſci; hoc enim ſatis eſt, vt ab ea ſub typo Throni in Apocalypſi adumbrata, denominari dicatur. etenim rectè monet Tertullianus lib.aduerſus Iudæos cap. 9. *In quibuſdam non ſonum nominis ſolum expectandum eſſe, ſed & ſenſum.* & Auguſtinus tract.102. in Ioan. *In nonnullis non ſonum litterarum, ac ſyllabarum, ſed quod eo ſono rectè, ac veraciter intelligitur hoc accipiendum eſſe:* ideò cum denominatio alicuius ab aliqua re idcirco fiat, vt in cognitionem nos ducat eius, quod denominatur; non eſt vtiq; hic exigendum, vt denominatio verbis aſtruatur, dicaturq; in communi hominum ſermone Deus Mariæ Virginis: ſed ſatis eſt, ſi re ipſa per ſanctiſſimam Virginem, eiusq; præſtantiam, quaſi per gradus quoſdam, peculiari ratione in Dei, diuinarumq; rerum notitiam maximè aſcendamus: atque id per Deiparam euenire nos in præſentia, & ratione, & auctoritate demonſtrabimus.

Apoc.4. Tertullianus. Auguſtinus.

3 Et quidem *inuiſibilia Dei*, Rom.1. *à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur*, vt propterea Chriſtus Dominus ſæpè Matth. 5. & alibi Deum vocet *Patrem noſtrum cœleſtem*, & Matth.6. quamuis Deus ſit vbiq; docuit tamen nos dicere: *Pater noſter, qui es in cœlis*, à cœlis Deum denominans; tùm quia ibi reſident Sancti, quibus ſe ipſum clara viſione oſtendit; tùm etiam propter cœlorum ſupra alia corpora pul-

Rom.1. Matth.5. Matth.6.

pulchri-

In nulla pura creatura relucet Dei maiestas ſicut in Virgine.

pulchritudinem,ſplendorem,atque præſtantiam : Sed in nulla pura creatura ita diuina attributa relucent, ſicuti in Virgine ; ergo per ipſam præſtantiſſimo modo cognoſcitur Deus, atque adeò meritò ab ea, veluti á ſuo throno denominari dicitur. Probatur minor;ipſa enim,vt ſupra diximus,dignitate inter puras creaturas,principem obtinet locũ; & ex Bonauentura in 1. diſt. 44. in expoſitione textus, tantùm gratiæ iuſtificantis habuit,quantum pura creatura recipere potuit, & ratione maternitatis Dei, vt ex Theolorum ſententia dixi cap. 5. habet quandam dignitatem infinitam; ergo præ alijs creaturis Dei gloriam indicat. Prætereà Deus in ornanda Virgine dum innumera, & immenſa ei dona, ac prærogatiuas præ alijs eſt largitus,dignamq; ſibi genitricem comparauit ; deprompſiſſe,atque effudiſſe quodammodo videtur ſuæ ſapientiæ,omnipotentiæ, atque bonitatis theſauros ; quæ præcipua ſunt attributa (omnis enim bonorum copia ab eo deriuatur,atque promanat;qui ſcit,poteſt,& vult illa conferre) nam ſi de Sapientię Dei theſauro,quem in Deipara exornanda Deus oſtendit, agamus ; ipſa Virgo ſub typo domus columnis ſeptem ſuffultæ(in plenitudine nimirum ſeptem donorum Spiritus ſancti) ſingulariter à Dei Sapientia non in aliorum vsũ,ſed SIBI peculiariter ædificata pronunciatur Prouer. 9. *Sapientia*, inquit, *ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem* ; quod de Virgine exponit Petrus Damianus orat. 2. de Natiu. Virg. Bernardus ſerm. 9. ex paruis. & Bonauentura in ſpeculo B. Virginis cap. 6. De potentia verò,& bonitate Dei,quæ in Virgine præcipuè relucent, Virgo ipſa quamuis humillima, Spiritus ſancti impulſu, in ea verba prorupit: *Quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius* ; à potentia, & ſanctitate Deum circumſcribens, ac ſi diceret, quæ in me magna conſpicitis peculiariter proficiſcuntur ab eo, qui ſuam omnipotentiam, & ſanctitatem, ſeù bonitatem in me oſtendere voluit. & rurſus in pſal. 47. (qui totus de Virgine ſub typo fundationis Ieruſalem agit) omnipotentia,ac bonitas Dei (quem propterea magnum, & laudabilem vocat) in Virgine prædicatur : *Magnus*, inquit, *Dominus, & laudabilis nimis in Ciuitate Dei noſtri* ; Virgo enim,ex Damaſceno orat. 1. de dorm. *Ciuitas eſt Dei*, & quidem *Dei noſtri*, quia Mater eſt filij Dei,qui ob ſuſceptam ex Virgine humanitatem peculiari ratione *Deus noſter* dicitur. & additur de lætitia, & gaudio vniuerſi orbis in Virginis Conceptione ; quoniam excitata eſt tanquam præſidium mundi contra Aquilonem,ideſt dæmonem,vt dicemus cap. 25. *Fundatur*, inquit, *exultatione vniuerſæ terræ mons Sion,latera Aquilonis,Ciuitas Regis magni*. Et,quod magis confirmat id,quod volumus,ſtatim ſubijcit : *Deus in domibus eius cognoſcetur cum ſuſcipiet eam* ; quaſi dicat, Deus cum ſuis attributis ſapientiæ,potentiæ,& bonitatis,&c. In ſingulis potentijs,facultatibus,& partibus Virginis, quæ ſunt veluti amplæ domus huius magnæ Ciuitatis, mirificè cunctis innoteſcet,propter præclaras virtutes,& eximias animi dotes,priuilegia, atque dona;quibus in ſingulis diuinitus erit exornata,atque munita ; & propter heroicos virtutum actus,quos per ſingulas animæ potentias exercebit, atque operabitur; & tunc præſertim in ea cognoſcetur Deus, *cum ſuſcipiet eam*, ſcilicet in matrem ; ex ea, carnem ſumendo. Quo circa ſi cœli, & peculiariter Firmamentum propter ſui præſtantiam, atque ſplendorem, motusq; conſtantem conuerſionem præ alijs creaturis corpore præditis Dei gloriam,atque ſapientiam enunciare dicuntur pſal. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum* : quantò magis Deipara, quam myſticum Cœlum, ac firmamentum eſſe diximus cap. 3. præ alijs puris creaturis Dei gloriam in ſua ſpirituali pulchritudine, atque præſtantia prædicare dicenda erit.

Bonauent.

Dei attributa in Virgine relucent.

Prouer. 9.

Petr. Dam. Bernardus. Bonauent.

Potentia Dei, & bonitas in Virgine. Luc. 1.

Pſal. 47.

Explicatur initium pſal. 47.

Damaſcenus.

Cap. 15. Pſal. 47.

Pſal. 18.

Andr. Cret.

4 Quare Andreas Cretenſis ſermone de Annunciatione ſic eam ſalutat, & appellat: *Salue Dioptra perſpectiua, per quam qui in triſti peccatorum vmbra ſedebant recipientes deſuper cum gloria venientem ortum iuſtitiæ ſolem mirabiliter illuſtrati ſunt*. hæc Andreas. Nos verò Virgini Deiparæ Dioptram, quæ eſt inſtrumentum mathematicum altitudinem,& diſtantiam aſtrorum, & ipſius ſolis per duo foramina ſibi reſpondentia oſtendens,Virgini Deiparæ ſic accommodare poſſumus, vt per eam ſolis Iuſtitiæ nimirum Dei præſtantiam,& attributa,quæ in ea relucent,indagare poſſimus ; perpendendo veluti per duo foramina,quæ videntur eſſe tùm dona, ac priuilegia peculiariter illi collata,tùm etiam Dei maternitas quæ illam reddit longè clariſſimam.

Deipara eſt Dioptra perſpectiua.

Bonauent.

Hoc ipſum egregiè docent ſancti:Bonauentura enim in ſpec. B. Virg. cap. 7. *Maria*, inquit,

quit, *plena fuit resultatione, siuè expressione diuinæ gloriæ, iuxta illud Ecclesiastici, Gloria Domini plenum est opus eius, antonomasticè, Opus Domini mirabile est Maria, de quo dicitur in Ecclesiastico: Vas admirabile opus excelsi. Verè opus mirabile, quia nusquam inuenitur simile; vnde de hoc dicitur, Non est factum tale opus in vniuersis Regnis, non in Regno cœlestium, nec terrestrium, nec infernorum: Hoc enim opus plenum est Dominica gloria, quia supra omnem puram creaturam resultat, & relucet plenissimè in Maria. Nam præter assumptam à Verbo naturam nullum est opus, nulla creatura, in qua tanta diuinæ gloriæ materia reluceat, sicut in Maria.* & infra: *Plena est omnis terra gloria eius, sicuti dicitur in Isaia, Plena est tota Maria, relucente in se plenissimè diuina gloria.* hæc ille.

Eccles. 42.
Eccles. 43.
3. Reg. 10. Non est factum tale opus.
Isa. 6.

Petrus Chrysologus sermone 140. *Quantus*, inquit, *sit Deus satis ignorat ille, qui huius Virginis mentem non stupet, animum non miratur; pauet Cœlum, tremunt Angeli, creatura non sustinet, natura non sufficit, & vna puella sic Deum in sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, vt pacem terris, Cœlis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum cœlestibus parentelam, ipsius Dei cum carne commercium pro ipsa domus exigat pensione, pro ipsius vteri mercede conquirat, & impleat illud Prophetæ, Ecce hæreditas Domini filij merces fructus ventris.* ita Chrysologus.

Petr. Chrysol.
Psal. 126.

Petrus Damianus sermone de Natiu. Virg. agens de Deipara super illud: *Non est factum simile opus in vniuersis Regnis; Nihil*, inquit, *verius, nihil sublimius, nihil dulcius miseræ mortalitati, & mortali miseriæ: Nam etsi multa magna facta sunt in creaturis mundi, nihil tam excellens, tam magnificum fecerunt opera digitorum Dei. Virgo Dei genitrix, cuius pulchritudinem sol, & luna mirantur.* hæc Damianus.

Petr. Dam.
3. Reg. 10.

Germanus Patriarcha Constantinopolitanus orat. de Zona Virg. *Omnia*, inquit, *in Virgine sunt admirabilia, & naturæ vires excedentia, in qua Deus suam exeruit potentiam; fecit enim in me magna quipotens est.*

Germ. Patr.
Luc. 1.

S. Bernardus hom. 1. super missus est: *Et quid*, inquit, *mirum si Deus, qui mirabilis legitur, & cernitur in Sanctis suis, mirabilem se exhibuit in matre sua?*

S. Bernardus. Psal. 67.

S. Bernardinus Senensis tom. 1. conc. 61. art. 6. c. 4. agens de dignitate Dei genitricis: *Vnde*, inquit Propheta, *eleuata est magnificentia tua super cœlos Deus; magnificentia. n. Dei dicta est Virgo Maria.* Idem tom. 3. serm. 11. art. 1. cap. 2. eundem psalmi versiculum de Deipara explicans: *Singularis*, inquit, *magnificentia Dei fuit B. Virgo, quia in eius exaltatione plus magnificatur, & etiam in eius humiliatione, deuotione, gratiarum actione, & omnium bonorum Dei fruitione plus magnificat Dominum, quàm omnis creatura alia simul sumpta, vnde meritò eleuata dicitur super cœlos, ideſt super Angelos.* hæc S. Bernardinus. Sanè fecit in ea magna qui potens est: quin etiã maximum operum suorum, hoc est Dominica incarnatio, in eius vtero est perfectũ; meritò igitur *Magnificentia Dei* dicitur.

S. Bernardin. B. Virgo dicitur magnificentia Dei. Psal. 8.
Luc. 1.

In Reuel. S. Brigittæ in serm. angel. c. 5. *Mundo*, inquit, *creato, adhuc vnus minor mundus est Virgo Maria coram Deo cum omni venustate nõdum creatus astabat, à quo maior gloria Deo, & Angelis maior lætitia, atq; omni homini eius bonitate frui volẽti, maior vtilitas, quàm de hoc maiori mundo prouenire debebat.* & infra serm. ad Virg. dirigens: *Florigeris*, inquit, *ac fructiferis arboribus comparari possent opera tua; nam charitate ea factura eras, quod plus omnium florum pulchritudine, & fructuum suauitate Deum, atq; Angelos delectare debebant; Deumq. in te ante suam creationem plures virtutes præuidisse, quã in omnibus herbarum florum, arborum, fructuum, lapidum, gemmarum, seu metallorum generibus, quæ inueniri possent in totius orbis amplitudine; vnde mirum non est, si Deus in te, ò minor munde, qui adhuc creandus eras, magis delectabatur, quàm de hoc maiori mundo.* hæc ibi. Et certè meritò Virgo sanctissima *Microcosmos*, seù minor mundus in hac S. Brigittæ reuelatione appellatur; tùm quia Deum omnia continentem in se portauit; tùm etiam, quia, vt ait Bonauentura in speculo B. Virginis cap. 6. *Quicquid post Deum pulchrius, quicquid dulcius, quicquid iucundius est in gloria, hoc Maria, hoc in Maria, hoc per Mariam est.*

S. Brigittæ. B. Virgo minor mundus. Bonauentura.

Quare Petrus Galatinus lib. 7. de Archanis catholicæ veritatis cap. 18. reddens rationem cur B. Virgo Ierem. 17. dicatur: *Solium gloriæ Dei; Quia*, inquit, *sicut sedes ornata, ac regio more parata sedentis magnificentiam, ac maiestatem indicat; ita Deus in B. Virgine ostensurus erat gloriam suam, & claritatem.* Adhæc Virginis præstantia tanta est, vt quã-

Petr. Galat. Ierem. 17. B. Virgo est solium gloriæ Dei. B. Virginis ex-

cellentia per Christum magis cognoscitur. Apoc. 12.

uis Christo soli iustitiæ sit maximè propinqua, quippe quæ sole amicta apparuit Apoc. 12. huius tamen solis præsentia, atque splendore tantum abest, vt occultetur, quod alijs stellis euenire solet (quæ iuxta Astrologos ex solis vicinitate occidere dicuntur heliace) vt quò magis Christi dignitas penetratur, eò magis matris eius excellentia explorata reddatur; omnis enim Deiparæ dignitas à Filio proficiscitur.

B. Virgo mundi miraculum dicitur. Isa. 7. Ierem. 31.

6 Ad extremum Virgo sanctissima propter dona, & priuilegia, quæ supra consuetam, & ordinariam legem supernaturalem, est adepta; meritò *mundi prodigium, & miraculum* appellatur: ideò Isa. 7. Signum à Domino dandum prædicitur: *Ecce*, inquit, *Virgo cõcipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel.* & Ierem. 31. *Nouum faciet Dominus super terram, fœmina circumdabit virum.* & S. Ignatius Epist. ad Ioannem, Illam adhuc inter mortales degentem, *cœleste prodigium, & sacratissimum spectaculum* appellat. Verùm quanã ratione Deipara *mundi miraculum* iure optimo appelletur, cap. 20. vberius exponemus, & compluribus Patrum testimonijs id confirmabimus. Certè S. Bernardinus Senensis tom. 1. conc. 61. art. 1. c. 12. eam *miraculum miraculorum* vocat. Quare non solum hominibus, sed etiam Angelis admirationi fuit: *Processit*, inquit Bernardus serm. 2. de Assumpt. *Gloriosa Virgo, cuius lampas ardentissima ipsis quoque Angelis lucis miraculo fuit, vt dicerent, Quæ est ista quæ progreditur sicut Aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol? clarius enim cæteris rutilabat.* hæc Bernardus.

S. Ignatius. *Cap. 20.* *S. Bernard.* *Bernardus.* *Cant. 6.*

Et profectò Angeli eiusdem Deiparæ supernaturalem pulchritudinem mirum in modum suspiciunt. Et hoc quidem meritò, nam Cant. 1. Virgo sanctissima dicitur *pulcherrima inter mulieres: Quæ.n.* inquit Alanus in illum locum *pulchra inter mulieres, nisi Virgo mater, quæ præ cæteris priuilegiata est donis spiritualibus; Mater est Dei, sacrarium Spiritus sancti, sigillum virginitatis, speculum humilitatis.* ita Alanus. & Hailgrinus Cardinalis: *An ignoras*, inquit, *quod sis pulcherrima mulierum, & ideò intercedendo pro peccatoribus potentissima.*

Cant. 1. *Alanus.* *Hailgrinus.*

B. Virginis præstantia à nullis plane cognosci potest. *S. Bernardinus.* *Eccles. 1.*

At dicet quispiam Virginis præstantiam à nobis perfectè cognosci non posse: quomodo ergo nos in Dei cognitionem ducet? etenim vt cap. 5. diximus cum Mater sit Dei, vt planè eius dignitas percipiatur cognoscendus esset perfectè Deus, qui tamen ex Theologis 1. par. q. 12. art. 7. à se solo comprendi potest. Hinc est, quòd S. Bernardinus Senensis tom. 2. conc. 51. art. 3. cap. 1. *Tanta*, inquit, *fuit perfectio Virginis, vt soli Deo cognoscẽda reseruetur, iuxta illud Eccles. 1. Ipse creauit illam in Spiritu sancto, vidit, dinumerauit, & mensus est, scilicet ipse Deus.* ita S. Bernardinus.

Respondemus vltrò concedendo Virginis præstantiam à nobis perfectè cognosci nequaquam posse; verùm id, quod pro nostra tenuitate de illius admirabili potius, quàm enarrabili dignitate cognoscimus, magis Dei gloriam, maiestatem, eiusq; attributa, quã vllam puram creaturam manifestare. Cùm igitur ita singulariter Dei gloria in Virgine præ alijs resplendeat, mirum non est si dicamus per illam Deum peculiari ratione innotescere, atq; cognosci; ac proinde ab ea denominari, & significari; quod in Apocalypsi adumbratum videtur, cum nomine sedentis in Throno (per quem Virgo subintelligitur) Deus exprimi voluerit.

IRIS IN CIRCVITV THRONI VISA DIVINAM MISERICORDIAM per Virginem Deiparam in humanum genus effundendam significat. Cap. XVI.

Apoc. 4.

I Ertium, quod de Throno Dei in Apoc. narrat S. Ioãnes: *Et iris*, inquit, *erat in circuitu sedis similis visioni smaragdinæ*; quod Deiparæ, ad quam Throni significationem pertinere dicimus, optimè congruere ex ijs, quæ afferemus, manifestum fiet. Et quamuis per Iridem hoc loco, iuxta varias Interpretum explicationes, varia quoque intelligi possint, vt lib. 1. de septem principibus Angelorum cap. 15. diximus: Nobis tamen ex Ambrosij in Apoc. 4. & aliorum sententia probabilius videtur, per Iridem diuinam significari misericordiam. Iris enim communiter diuinæ misericordiæ symbolum dicitur, cum à Deo in signum fœderis post diluuium hominibus data fuerit; Diuina porrò misericordia ad Dei prouidentiam,

Ambrosius. *Iris diuinam misericordiam significat.* *Genes. 9.*

dentiam, quam ipse Deus in hac visione, vt cap. 2. diximus, circa Ecclesiam suam præcipuè præseferebat, in primis spectat; & Iridis typo commodissimè exprimitur, quæ tametsi varijs coloribus sit insignis, vt est apud Poetam.

,, *Mille trahit varios aduerso sole colores.* *Virg. 5. Aenei.*

Hæc tamen, quam circa Dei sedem vidit S. Ioannes, smaragdinum colorem, viridem, & oculis gratissimum potissimum referebat; quod Dei misericordia internos eam contemplantium oculos, vt ait Glossa, recreet, atque soletur; & virentem in hominibus spem alat; iuxta illud psal. 41. *Ego autem sicut oliua fructifera* (quæ typus etiam est misericordiæ) *in domo Dei speraui in misericordia Dei in æternum*; Sedem verò Dei ambire visa est, quod misericordia Dei ad omnes vndequaque ab ipso Deo optimo bonorum omnium largitore abundè conferatur. Meritò igitur Dei Thronus, hoc est Virgo beatissima, Iridis ambitu, hoc est diuinæ misericordiæ complexu circumdatur; tùm quod misericordiæ virtus eius viscera intimè penetrarit adeò copiosè, vt matrem misericordiæ eam effecerit: tùm quod ipsa signum fuerit diuinę misericordię, eiusq; apud Deum precibus, & meritis diuina misericordia in omnes homines copiosè effundatur, ita vt etiã ipsamet Deipara per Iridem interdum significetur: quemadmodum Iris è nubibus Cœli Noe, & vniuersis hominibus in signum fœderis est data, & diuinæ clementiæ spem, & monumentum extulit; quod respiciens Deus sempiterni fœderis recordaretur, ne diluuio deinceps terram dissiparet, atq; deleret: Ita Virgo sanctissima olim in Incarnatione filij Dei signũ fuit misericordiæ à Deo collatæ in humani generis redemptionem, quæ per Christum Virginis filium effecta est. Fuit. n. veluti altera columba ex Arca Noe: sic. n. eam vocat Damascenus orat. 2. de dorm. propter suam simplicitatem, atq; innocentiam; & quia Spiritui sancto consecrata erat. Similiter & *Bona*uentura in spec. cap. 8. quoniam columba fidelissimè redijt ad Noe: Coruo. n. qui non redijt, Euam assimilari docet: *Fuit*, inquit, *velut altera columba, ramum oliuæ, quæ symbolum est etiam misericordiæ, vt dixi, virentibus folijs portans*, ex quo intellexit Noe cessasse aquas diluuij: Nam ipsa Christum nobis detulit fontem misericordiæ, signum, & causam nostræ ex peccatorum diluuio salutis. eandem quoq; Virginem veluti mysticam Iridem etiam nunc respiciens Deus, precibus eius placatus, pœnas, quibus peccatores iustè disperdendi forent, reuocat. Ad hoc spectãs Ephrẽm in serm. de laud. Virg. *Aue*, inquit, *Domina nostra fœdus, pacemq. fidelibus tuis impetrans.* Andreas Cretensis orat. de Annunc. cum Deipara loquens: *Salue diuina cum hominibus reconciliatio.* & S. Bernardinus Sen. tom. 3. serm. 1. de nom. Mar. art. 1. c. 3. *Ipsa*, inquit, *est arcus fœderis sempiterni, vt non interficiatur omnis caro, quia illum genuit, qui fecit vtraq; vnum, faciens pacem, vt reconciliet ambos in vno corpore Ephes.* 2. hæc ille. & S. Antoninus 4. par. tit. 15. c. 44. §. vlt. introducit Virginem Angelis ita soquentem: *Decet*, inquit, *me in glorificatione esse iuxta filium meum per intercessionem continuã pro humano genere, vt cum Deus peccatis hominum diluuio flagellorum minatus fuerit terram subuertere, Ego vt arcus appaream in conspectu eius, indeq. recordatus fœderis sui repropitietur eisdem, ne dissipet mundum.* ita S. Antoninus; vt meritò de ea dictum videatur Eccl. 43. *Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum, valdè speciosus est in splendore suo, gyrauit cœlum in circuitu gloriæ suæ, manus excelsi aperuerunt illum:* Quæ omnia licet vera sint: vt tamen in explicatione initio capitis allata persistamus, qua per Iridem, diuinam misericordiam intelligi diximus, illud animaduertere oportet, hanc Iridis cum Dei throno, quem ambit, diuinæ scilicet misericordiæ cum Deipara, quam vndiq; circumdat, coniunctionem, in hominum animis inæstimabilem odoris fragrantiam, atq; suauitatẽ efficere. Etenim ex contactu arcus cœlestis, aliquas arbores reddi odoratas testatur Aristoteles sect. 12. probl. nu. 3. *Maximè*, inquit, *vbi Aspalathus est, aut genus ex ijs aliquod, quorum flos suauiter olet.* hæc Aristoteles; cuius rei causam ibi reddere conatur. De hoc eodẽ Plinius lib. 12. c. 24. *In eodem*, inquit, *tractu Aspalathus nascitur spina candida magnitudinis arboris modicæ, flore rosæ, radix eius vnguentis expetitur: tradunt in quocumque frutice curuetur arcus cœlestis, eandem quæ sit Aspalatho suauitatem odoris existere, sed in Aspalatho inenarrabilem.* hæc Plinius. At B. Virgo Aspalatho propter odorẽ sunm assimilatur; Virgini. n. ab Ecclesia illud Eccl. 24. accommodatur: *Sicut cinnamomum, & balsamũ aromatizans odorem dedi:* loco autem balsami Septuaginta græcè in editione vaticana ha-

Iris Apoc. 4. cur similis smaragdo. *Glossa.* *Psal. 41.* *Virgo per Iridem interdum significatur.* *Genes. 9.* *Gen. 8.* *Damascenus.* *Virgo in columba arcæ Noe figurata.* *Ephram.* *Andr. Cret.* *S. Bernardin.* *Epheſ. 2.* *S. Antoninus.* *Genes. 9.* *Eccles. 43.* *Planta ex Iridis contactu odorem contrahunt.* *Aristoteles.* *Plinius.* *Aspalathus quid sit.* *B. Virgo Aspalatho assimilatur.* *Eccles. 24.* *Septuaginta.*

Rabanus. bent ἀσπαλάθος, & ita etiam legit Rabanus, vt videre est in notis in versione Septuaginta latina editionis vaticanæ in eundē locum. Et certè quæ Plinius in Aspalatho memorat, Virgini optimè congruunt, candor, humilitas, flos rosæ similis, vnguentum medicum ex eius radice; in electis.n. Domini Virgo radices pietatis mittit. Præcipuè autem quod ad rem nostram facit suaueolentia illa, quam ex arcus cœlestis, seu Iridis, misericordię nimirū diuinæ cōtactu adipiscitur: quo circa Virginis precibus cum odore gratissimo fructus ad nos diuinę misericordię plurimus dimanat: etenim vera est sentētia illa Eccl. 35. *Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis quasi nubes pluuiæ in tēpore siccitatis.*

Eccles. 35.

Quæ in hoc capite agenda.

2 Duo autem in præsentia agenda sunt: primum de eximia Virginis erga omnes misericordia: Alterū quo modo per Virginem Dei misericordia in omnes effundatur. Et quod spectat ad primum de Virginis misericordiæ immensitate; à qua, Matris misericordiæ, nomen inuenit, Ecclesia in celebri illa precatione, quæ incipit: *Salue Regina*, quam toties vsurpat, eam sic inuocat: *Salue Regina mater misericordiæ, Vita dulcedo, & spes nostra salue*, & alibi sic eam orat.

Offic. Eccl. B. Virgo mater est misericordiæ.

,, *Maria mater gratiæ*,
,, *Mater misericordiæ*,
,, *Tu nos ab hoste protege*,
,, *Et hora mortis suscipe*.

Nazianz. Nazianzenus in Tragedia de Christo patiente, per misericordiam Deiparæ omnibus satis testatam, & illustrem, sic eam precatur.

Tuere me, atque ab æterno asserę
Igne, & tenebris, per fidem, qua iustior
Sum factus, & per gratiam tuam inclytam,
Qua nusquam vlla notior nobis fuit.

Bernardus. Misericordiæ B. Virginis immensa. Bernardus singulari affectu Virginem prosequēs serm. 1. de Assumpt. *Matrem misericordiæ appellat*, & serm. 4. de Assumpt. *Quis*, inquit, *misericordiæ tuæ, O benedicta, longitudinem, & latitudinem, sublimitatem, & profundum queat inuestigare? nam longitudo eius vsq; in diem nouissimum inuocantibus eam subuenit vuiuersis: Latitudo eius replet orbem terrarum, vt tua quoq; misericordia plena sit omnis terra: sit & sublimitas eius Ciuitatis supernæ inuenit restaurationem, & profundū eius sedentibus in tenebris, & vmbra mortis obtinuit redemptionem:* & supra idem Bernardus dixerat: *Sileat misericordiā tuam, Virgo beata, si quis est, qui inuocatam te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. nos quidem seruuli tui cæteris in virtutibus congaudemus tibi, sed in hoc potius nobis ipsis, laudamus virginitatem, humilitatem miramur, sed misericordia miseris sapit dulcius, misericordiam amplectimur charius, recordamur sæpius, crebrius inuocamus.* hæc Bernardus. His cōsonat

B. Virginis misericordiæ quadruplex dimensio.

Bonauent. Bonauentura, qui in spec. B. Virg. c. 5. *Quis*, inquit, *Mariæ immensitatem dimensus est, nisi ille solus, qui ipsam non solùm in gratia, & in gloria, sed etiam in misericordia tam altissimam, tam latissimam, tam profundam operatus est.* idq; probat ex citatis verbis Bernardi

Bernardus.

Petr. Dam. serm. 4. de Assumpt. Petrus Damianus serm. 1. de Natiu. Virg. eandem alloquens: *Non conuenit*, inquit, *tantæ misericordiæ nostram tantam miseriam obliuiſci, quia etsi subtrahit gloria, reuocat natura; non.n. ita memoraris iustitiæ Dei solius, vt misericordiam non habeas; neq; ita es impassibilis, vt sis incompassibilis.* hæc Damianus. S. Bonauentura in Litanijs B. Virg. vocat eam *fontem misericordiæ, pietatis latitudinem, māmillam orphanorum, māmillam paruulorum, & consolationem dicit afflictorum.* & in Hymno, *Te Matrem Dei laudamus: Venam misericordiæ appellat.* & in spec. B. Virg. cap. 8. Misericordiam Virginis

Bonauent. Maior est misericordia B. Virginis in cœlo, quam dum esset in terra.

Ruth 3. existentis in cęlo maiorem esse affirmat, quā fuerit dum esset in terris, eiq; accommodat illud Ruth 3. *Benedicta filia priorem misericordiam posteriore superasti: Magna*, inquit, *fuit erga miseros misericordia Marię adhuc exulantis in mundo; sed multo maior erga miseros est misericordia eius iam regnantis in Cœlo; Maiorem per beneficia innumerabilia nunc ostendit hominibus misericordiam, quia magis nunc videt innumerabilem hominum miseriam: vnde pro splendore prioris misericordiæ fuit Maria pulchra vt luna; pro splendore verò posterioris misericordiæ est electa vt sol: nam quemadmodum sol lunam superat magnitudine splendoris; sic priorem Mariæ misericordiam superat magnitudo posterioris; Quis est, super quem sol non luceat? Quis est, super quem misericordia Marię non*

Cant. 6. Misericordia Virginis assimilatur soli, & lunæ.

resplen-

reſplendeat? audi quid de hoc Bernardus ſentiat, ait.n.ſic, Quemadmodum ſol oritur ſuper bonos, & malos indifferenter; ſic Maria præterita non diſcutit merita, ſed omnibus ſe ſe exorabilem, omnibus clementiſſimam præbet; omnium denique neceſſitatibus ampliſſimo miſeretur affectu. Idem cap.7. *Maria*, inquit, *plena eſt vnctione miſericordiæ, plena oleo pietatis; vnde ſignata eſſe poteſt in illa muliere, cui omnia vaſa facta ſuntmiraculosè plena oleo, ſicut ei prædixerat Eliſæus: huius mulieris vaſa ſunt affectus, deſideria, & beneficia, quæ omnia oleo miſericordiæ plena ſunt in Maria.* hæc Bonauentura.

Bernardus ſer. ſignum. magn. Matth. 5.

B. Virgo aſſimilatur mulieri cuius vaſa plena ſunt oleo. 4. Reg. 4.

Gerſon tract.4.ſuper Magnificat de Virginis aſſumptione agens, Deiparæ accommodat illud Aſſueri ad Eſther: *Quid vis Eſther Regina, etiam ſi dimidiam partem Regni petieris, dabitur tibi:* ait enim Regnum Dei duobus contineri, poteſtate, & miſericordia, iuxta illud pſal.61. *Duo hæc audiui, quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia;* poteſtate igitur Deo remanente miſericordiam communicaſſe matri, ſponſæq; regnanti; ideoq; Virginem quodammodo diuiſum cum Deo imperium habere, ac propterea ab Eccleſia Matrem, ac Reginam miſericordiæ appellari. Idem Gerſon inter alia miſericordiæ opera à Virgine exhibita, reponit illud, quod in ſua aſſumptione, vt piè creditur, purgatorium euacuarit ex ſpeciali Dei priuilegio, quod ipſum docet Raulinus tomo 2. concionum de Sanctis ſermone 45. Hinc Bernardus ſermone Signum magnum ait *peccatorem vereri poſſe accedere ad Deum, qui ignis conſummens eſt; ne quemadmodum fluit cera à facie ignis, ſic pereat ipſe à facie Dei.* & mox: *Quid*, inquit, *ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? nihil auſterum in ea, nihil terribile; tota ſuauis eſt, omnibus offerens lac, & lanam.* & infra: *Quæ ad eam pertinent plena omnia pietatis, & gratiæ; plena ſunt manſuetudinis, & miſericordiæ: Denique omnia omnibus facta eſt, ſapientibus, & inſipientibus copioſiſſima charitate debitricem ſe fecit, omnibus miſericordiæ ſinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuerſi.* ita Bernardus. Idem, viſcera miſericordiæ, quæ ſunt in Virgine eam accepiſſe aſtruit à Chriſto, qui pater eſt miſericordiarum: ſermone enim 1. Dominicæ 1. poſt Epiphan. *Compaſſa eſt*, inquit, *Mater Ieſu in nuptijs Cana Galileæ eorum verecundiæ, qui vinum non habebant; ſicut miſericors, ſicut benigniſſima; Quid de fonte pietatis procederet, niſi pietas? nonne qui pomum in manu ſua tenuerit dimidia die, reliqua diei parte pomi ſeruabit odorem? Quantum igitur viſcera illa virtus pietatis affecit, in quibus nouem menſibus requieuit? Nam & ante mentem repleuit, quàm ventrem, & cum proceſſit ex vtero, ab animo non receſſit.* hæc Bernardus. Qui idem repetit ſerm.1.de Aſſumpt. & Hugo de ſancto Victore in ſententijs: *Maria*, inquit, *ſtella eſt, ideo peccatores quaſi in nocte à Maria conſolantur.*

Gerſon. Eſther 7.

B. Virgo quomodo diuiſum cum Deo regnum habet. Pſal. 61.

Raulinus.

Bernardus.

Pſal. 67.

B. Virgo miſericordiam à Chriſto accepit. Bernardus. Ioan.2.

Hugo de ſancto Victore.

3 In S.Brigittæ reuelationibus lib.3.cap.30. S.Agnes laudes Deiparæ enarrans S. Brigittæ: *Habuit*, inquit, *Maria latitudinem excedentem, hoc eſt miſericordiam, Nam ſic pia, & miſericors fuit, & eſt, & maluit omnes tribulationes ſufferre, quàm quòd animæ non redimerentur. nunc autem coniuncta filio non obliuiſcitur innatæ bonitatis ſuæ, ſed ad omnes extendit miſericordiam ſuam, etiam ad peſſimos; vt ſicut ſole illuminantur, & inflammantur cœleſtia, terreſtria; ſic ex dulcedine Mariæ nullus eſt, qui non per eam, ſi petitur, ſentiat pietatem.* hæc ibi.

S. Brigitta. S. Agnes.

Pſal. 67.

Quòd ſi de ſe Iob dicebat: *Quia ab infantia mea creuit mecum miſeratio, & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum:* quantò magis de B. Virgine dicemus miſericordiam, quæ cum alijs virtutibus in ſua immaculata Conceptione ei infuſæ fuerunt, ſemper in immenſum creuiſſe; præſertim, quia, vt ſupra dicebat Bernardus: Chriſtus, qui filius eſt Patris miſericordiarum, & cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, nouem menſibus in eius vtero fuit, eiusq; cõſuetudine, atq; conuictu triginta tres ipſos annos cõiunctiſſimè vſa eſt, ideoq; multò magis miſericors eſt effecta, non ſecus ac qui cũ liberali cõuerſatur liberalitatem addiſcit. Et verò de muliere illa forti apud Salomonem, in qua Virgo adumbratur, ſic legimus Prou.31. *Lex clementiæ in lingua eius:* quòd ſi Prou.16. dicitur: *Clementia eius* (ideſt Regis cuiuſlibet) *quaſi imber ſerotinus:* quantò magis de Virginis clementia prædicabimus eſſe veluti imbrem ſerotinum, nimirum gratiſſimum diù expectatum, terræ ſterili, atque aridæ vtiliſſimum, eamq; ad fœcunditatem frugum irrigantem: quæ omnia in hominibus per Virginis clementiam ſpiritualiter effici videmus.

Iob 31.

Miſericordia in Virgine creuit ab infantia ſua. Offic. Eccleſ.

Prouerb. 31. Prouerb. 16.

Clementia Virginis imber ſerotinus.

Virgo est quasi oliua speciosa in campis; & quare. Georg. Nicom. Carthusianus. S. Antoninus. Eccles. 24.

4 Hinc est, quod Virginis misericordia varijs symbolis exprimitur; Virgo enim sanctissima à Georgio Nicomediense orat. de oblat. *Oliua fructifera* nuncupatur, & ex Hugone, Carthusiano, S. Antonino 3. par. sum. theol. tit. 31. cap. 4. §. 3. eidem Virgini accommodatur ab Ecclesia illud Eccles. 24. *Quasi oliua speciosa in campis*: etenim oliua pacis, ac misericordiæ est symbolum, iuxta illud Poetæ.

„ *Pacifereq. manu ramum prætendit oliuæ.*

Dionys. Halic. Quare ex Dionysio Halicarnaseo lib. 7. prisci pacem petituri supplicum in morem cum ramis oliuarum ad eos, quos exorare volebant, pergere consueuerant; ideò ab alio Poeta dicitur.

Virg. 7. Aeneid. Dionys. Salo. Ouid. lib. 1. de ponto 2. „ *Adiuuat in bello pacatæ ramus oliuæ.*

Oliua etiam in diluuio sub aquis toto anno folia non amisit; eius enim ramum columba virentibus folijs retulit in arcam Gen. 8. *Ex quo intellexit Noe* (vt verbis vtar Ambrosij de Noe, & arca cap. 9.) *misericordiæ insigne diuinæ, quod iam diluuium remouisset, quæ fructum demonstraret, cui non potuissent nocere diluuia*. ita Ambrosius. Quod mirum non est, cum oliua ex Chrysostomo hom. 26. in Genes. semper virens sit, & teste Plinio lib. 16. cap. 20. nunquam virentibus folijs spolietur: ita & beatissima Virgo in hoc originalis peccati diluuio perpetuam sanctitatis viriditatem retinens, diuinæ misericordiæ est typus. quin etiam veluti oliua per columbam in arcam illata has diluuij aquas per Christum cessare nobis indicauit.

Gen. 8. Ambrosius. *Chrysostomus. Plinius.*

Secundò, Virgo Deipara oliuæ speciosæ in campis meritò comparatur, tùm quia Christus fructus eius ventris non secus ac oleum, quod est oliuæ fructus, dulcis est, ac lenitiuus ad nostras amaritudines, ac dolores tollendos, & instar olei inter huius mundi vndas amaras mysticis vrinatoribus margaritas, vel alia prætiosa in fundo maris quærentibus perspicuitatem affert: *Quinimmo oleum*, ex Gregorio lib. 4. cap. 1. in 1. Reg. *Liquoribus alijs supereminet, ignem fouet, vulnera curare consueuit; qua in re misericordiam Domini significat, cuius miserationes super omnia opera eius, quæ prædicationis gratia electorum mentes illuminat, & peccatorum vulnera detergit*. ita ex Gregorio: huiusmodi autem effectus Christo, qui & tanquam Rex, & Sacerdos psal. 44. meritò ipso nomine vnctionem significat, optimè congruunt.

Gregorius. *Psal. 44.*

5 Tertiò, Virgo beatissima assimilatur oliuæ: reliqui enim sancti per quinque Virgines prudentes significati, oleum misericordiæ in vasis suis cum lampadibus accipere studuerunt, vt venienti sponso, & sponsæ cum ardentibus lampadibus occurrerent: sed Virgo sanctissima misericordiæ oleo ita abundat, vt ipsi arbori oliuæ comparetur, quę vbertatem olei semper ex ea manantis, indicat.

Matth. 25.

Quartò, quia ipsa Deipara velut oliua non solùm semper est virens, vt dixi, verùm etiam spiritualiter pinguis, grandis est, ac speciosa: In campis verò esse dicitur, tùm quia omnibus iustis, ac peccatoribus ad eam accedentibus, ac de eius misericordia gustare volentibus, omni tempore, & loco, ac pro omni morborum genere est exposita: tùm etiam, quia nobis viatoribus tentationum æstu tanquam solis feruore afflictis in campis apertis, vbi similes arbores desunt, optatum suo vmbraculo præstat refrigerium: Christus quoque Cant. 2. *Flos campi* dicitur; Deipara enim veluti campus absque colono, hoc est sine viri opera eum genuit, & omnibus accedentibus eum exponit: propterea S. Ephræm serm. de laud. Virg. vocat eam *Rubum ardentem incombustum, ac prædium patens*; quoniam Virgo campus fuit virginitatis omnibus ad eam necessitatum suarum causa humiliter accedentibus patens, atque aperta.

Eccles. 24. *Cant. 2.*

Deipara est Ciuitas refugij. Numer. 35. Ephræm. 6 Nec solùm oliuæ symbolo propter suam misericordiam Deipara exprimitur; sed Numer. 35. Per Ciuitatem refugij adumbratur, ad quod fortasse spectauit Ephræm, qui in sermone de laud. Deiparæ eam sic salutat: *Aue*, inquit, *peccatorum refugium, & hospitium, aue refugium in Ierosolymis, ad quam nimirum confugere possunt peccatores; & ij, qui in sancta Ecclesia, per Ierosolymam significata, degunt*. & Damascenus orat. 2. de dorm. Virg. de sepulchro Virginis ait: *Euasisse Ciuitatem refugij omnibus ad illud confugientibus*: Deipara tamen maiori priuilegio est donata, quam Ciuitas illa refugij, ad quam ij tantum, qui homicidio præter intentionem rei tenebantur, confugere poterant, sicq; mortem euadere. At Virgo beatissima per suæ misericordiæ immensitatem Ciuitas

Damascenus.

est

eſt ampliſſima, quæ omnes ſceleribus quibuſcumque obſtrictos ad eam ſe recipientes admittit, ijsq; veniam delictorum à Deo impetrat. Ad hæc, Virgo eſt mater viuentium, vt latius cap. 27. dicemus: & ideo omnes materno amplectitur affectu: eſt etiam Arca Noe ſalutaris, teſte Heſychio ſermone 2. de Deipara, & Andrea Cretēſi in ſalutationem angelicam; vbi *arcam vitæ* eam vocat, & ex Damaſceno orat. 1. de dorm. Virg. & S. Bernardo ſermone de B. Maria tom. 2. & S. Bernardino Senenſi tom. 3. ſerm. 11. art. 5. cap. 1. cur autem in Arca Noe Deipara adumbretur eleganter explicat S. Bernardus loc. cit. *Arca*, inquit, *Noe ſignificauit Arcam gratiæ, excellentium ſcilicet MARIAE: ſicut enim per illam omnes euaſerunt diluuium, ſic per iſtam peccati naufragium: Illam Noe, vt diluuium euaderet, fabricauit; iſtam Chriſtus, qui eſt pax noſtra, & requies, vt humanum genus redimeret ſibi præparauit. Per illam octo animæ tantum ſaluantur, per iſtam omnes ad æternam vitam (quæ per octonarium numerum ſignificata eſt) vocantur: Per illam paucorum facta eſt liberatio; per iſtam humani generis ſaluatio; Illa centum annorum fabricata eſt ſpatio; in iſta omnium virtutum eſt perfectio: Illa facta eſt de lignis leuigatis; iſta de virtutibus conſummatis ædificata eſt. Illa ſuperferebatur aquis diluuij; iſta non ſenſit naufragia vllius vitij.* hactenus Bernardus. His addere poſſumus in Arca Noe non ſolùm homines rationales; ſed bruta etiam animantia ſeruata eſſe in diluuio vniuerſali: ita in viſceribus miſericordiæ huius Virginis non tantum iuſti, quaſi rationales per Virginem multa obtinentes continentur; ſed etiam peccatores veluti bruta animantia per Virginem miſericordiam adipiſcuntur. Propter hanc miſericordiæ dulcedinem, quæ ex Virgine fluit Eccleſ. 24. ipſa (vt ait S. Antoninus loco citato §. ſecundò) dicit: *In me gratia omnis viæ, & veritatis, in me omnis ſpes vitæ, & virtutis, & ſpiritus meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel, & fauum.* & Cant. 4. dicitur: *Fauus diſtillans labia tua.* De Virginis porrò dulcedine cap. 34. plenius agemus. Quare Bernardus ſermone 4. de Aſſumptione, inter Virginis delicitias, eius miſericordiam enumerans: *Quidni*, inquit, *delicias dixerim virginitatis decus cum munere fœcunditatis, humilitatis inſigne, diſtillantem charitatis fauum, miſericordiæ viſcera, plenitudinem gratiæ, prærogatiuam gloriæ ſingularis.* ita Bernardus. Adde hanc Virginis miſericordiam eſſe maternam, & teneram, quæ nos apud Patrem excuſat, & veniam nobis exorat, pœnasq; iuſtè nobis infligendas deprecatur. Et hæc de immenſa Virginis miſericordia.

Cap. 27. *B. Virgo eſt arca Noe.* *Geneſ. 6.* *Heſychius.* *Andr. Cret.* *Damaſcenus.* *S. Bernardus.* *S. Bernardin.* *Bernardus.*

B. Virgo dulcia per miſericordiam ſuam. *Eccleſ. 24.* *S. Antoninus.* *Cant. 4.* *Cap. 34.* *Bernardus.*

Quin etiam ex ingenti affectu, ac propenſione ad miſericordiam, qua nos miſeros iuuare Deipara omni ope ſtudet, huiuſmodi Matris miſericordiæ titulo ſe ipſa appellare delectatur, ac quodammodo gloriatur; vt videre eſt in eo, quod ſubijcitur, exemplo ex vita S. Odonis lib. 3. cap. 9. apud Surium menſe Nouembri. Quidam in Monaſterio eiuſdem ſancti Odonis primi Abbatis Cluniacenſis ex latrone adeò perfectus Monachus euaſit, vt cum ad extrema deductus ab eodem ſancto Odone inuiſeretur, inter alia ei adiecerit: Hac nocte, inquit, in Cœlum raptus ſum in viſione (venit autem mihi obuiam Illuſtriſſima, & ſummæ auctoritatis fœmina, & cum mihi propinqua eſſet, Cognoſcis me? inquit, me id pernegante. Ego ſum, ait, miſericordiæ Mater. Et ego, quid me, inquam, iubes facere ò Domina? Tu verò, ait illa, poſt triduum venies huc, certam ei horam indicans. Venit illa dies, & hora, & monachus vita functus eſt; vt ex hoc ipſo ſatis conſtet veram eius fuiſſe viſionem. Deinceps autem beatus Odo beatiſſimam Virginem ſolitus eſt MATREM MISERICORDIAE appellare. hactenus ibi.

7 Quòd verò pertinet ad ſecundum, quod in hoc capite tractandum ſuſcepimus; ſanè Dei miſericordia in Iride adumbrata per Virginem in omnes copiosè effunditur: tùm quia Chriſtum omnium miſerationum fontem genuit: tùm etiam, quia precibus ſuis, & meritis Dei miſericordiam omnibus, præſertim afflictis, comparat. Huius autem diuinæ miſericordiæ vtilitas eleganti metaphora explicatur Eccleſ. 35. *Speciosa miſericordia Dei in tempore tribulationis, quaſi nubes pluuiæ in tempore ſiccitatis.* Et ſanè id ſanctiſſima Deipara omnibus procurat, *ita vt nullus ſit*, vt ait Bernardus ſerm. Signum magnum, *qui ſe abſcondat à calore eius*; nam frigidis calorem, tepidis feruorem; ijs verò, qui Dei amore incaluere, affert ardorem: ideo Epiphanius ſermone de laud. Deip. *Maria*, inquit, *tranquillitatem mari, ideſt mundo, attulit, dum Portum peperit Chriſtum.* & Damaſcenus orat. 1. de dorm. loquēs cum Virgine in ſua dormitione: *Sicut*, inquit, *ſol indeficiens fons lumi-*

Diuina miſericordia per Virginem in omnes effunditur.

Eccleſ. 35.

Bernardus. Pſal. 18. *Epiphanius.* *Chriſtus eſt portus.* *Damaſcenus.*

luminis eſt, etiam ſi à lunari corpore aliquantiſper obducatur; ad eundem quoque modum tu quoque fons perennis veri luminis, atque inexhauſtus ipſiuſmet vitæ theſaurus, & uberrima benedictionis ſcaturigo, quæ nobis bonorum omnium cauſa, & parens extitiſti; etiamſi ad breue aliquod temporis ſpatium corporeo modo morte obtegeris: tamen immenſi luminis, & immortalis vitæ, ac veræ beatitudinis puros, & inexhauſtos latices, gratiæ flumina, ſanationum fontes, ac perennem benedictionem nobis fundis. ita Damaſcenus. & Bernardus ſerm. 3. in vigil. Natal. *Dedit,* inquit, *tibi Deus Chriſtum per Mariam propter ſanitatem: ſed quia indignus eras cui donaretur, datum eſt Mariæ, vt per illam acciperes quicquid haberes; quæ per hoc, quod Mater eſt, genuit tibi Deum: per hoc, quod Virgo eſt, exaudita eſt pro reuerentia ſua in cauſa tua, & totius generis humani.* & mox: *Nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non tranſiret.* Idem ſermone de Aquæductu: *Cæleſti,* inquit, *rore aream Deus rigaturus, totum vellus prius infudit; redempturus humanum genus, pretium vniuerſum contulit in Mariam:* & rationem tangit ibi Bernardus: *Quia ſic voluit Deus matrem honorari. Altius,* inquit, *intueamini quanto deuotionis affectu à nobis eam voluit honorari, qui totius boni plenitudinem poſuit in Maria, vt proinde ſi quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis, ab ea nouerimus redundare, quæ aſcendit delicijs affluens.* & infra: *Votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia ſic eſt voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam.* hæc Bernardus.

Bernardus.

Vellus prius ro re infuſum, quã area.

Iudic. 6.

8 Iſaias cap. 16. loquens de Meſſia: *Emitte,* inquit, *Agnum Domine dominatorem terræ.* poſt pauca ſubijcit: *Et præparabitur in miſericordia ſolium, & ſedebit ſuper illud in veritate in tabernaculo Dauid:* ſanè ſolium Chriſto præparatum in miſericordia, vt cap. 2. dixi ex Bonauentura in ſpeculo cap. 8. eſt Virgo Deipara, in qua carnem ſuſcepit, & quaſi reſedit Chriſtus ad miſericordiam humano generi conferendam. huic conſonat illud pſal. 47. *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui,* ideſt Deiparæ, vt exponit S. Antoninus 3. par. ſum. theol. cap. 4. §. 1. Siquidem Virgo ſanctiſſima, vt cap. 5. diximus: *Templum Domini* ab Eccleſia, & à Patribus appellatur, & in hoc Templo miſericordiam ſuſcepimus. quod etiam indicat Bernardus ſerm. 2. de Aſſumpt. *Tùm quia in eius vtero Deus carnem ſuſcepit recordatus miſericordiæ ſuæ: tum etiam, quia pro diuerſis miſerijs ad templum virgineum accedentes, miſericordiam conſequimur,* pſal. 17. *Exaudiuit Dominus de templo ſancto ſuo vocem meam.* hæc ex S. Antonino. Verùm quomodo noſtras preces Virgo offerat filio, vberius agemus cap. 30. vbi Aduocatam eſſe omnium demonſtrabimus. Adhæc Virgo ſanctiſſima, vt alibi diximus, in myſtico S. Eccleſiæ corpore collum dicitur, non tantum, quia vt loco, ita & dignitate Chriſto capiti eſt proxima, & reliquis membris eminet, illaq; capiti nectit; ſed etiam, quia omnis vis ſentitiua, atque motiua à capite ad corpus per collum transfunditur, & ita Dei miſericordia per Virginem ad nos deriuatur: & melius quàm per collum quod vim trahendi minimè habet, ſed ſolùm eſt via eorum, quæ per ipſum mittuntur, cum tamen Deipara ſuis meritis, & precibus Dei miſericordiam nobis impetret, & ad nos attrahat. Et quemadmodum ſi quid à membris ad caput tranſmittitur, id per collum tranſmitti debet; ita & nos per Virginis manus mundiſſimas nos ipſos Chriſto offeramus dicentes illi cum Bernardo: *Per te acceſſum habeamus ad filium ô benedicta inuentrix gratiæ, genetrix vitæ, Mater ſalutis, vt per te ſuſcipiat nos, qui per te datus eſt nobis;* imò collum eſt via reſpirationis, qua animalis vita conſeruatur; eſt via, qua cibus nutritioni, & augmentationi animalis neceſſarius tranſmittitur: in collo eſt guttur ex præcipuis ad loquendum inſtrumentis: de collo monilia, & pretioſa quæq; ſuſpenduntur; matris collum filij ob timorem, ſiuè ob beneuolentiam apprehendunt; quæ omnia myſticè Virgini optimè congruere facilè cui vis conſideranti perſpicuum erit: qua autem ratione Virgo dicatur eſſe collum Cant. 4. & eſſe *ſicut turris Dauid, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium,* dicam cap. 22.

Iſa. 16.

Benauent.

Suſcepimus Dei miſericordiam in ſ. Virg. tanquam in Dei templo.

Pſal. 47.

S. Antonin.

Bernardus.

Pſal. 17.

Cap. 30.

B. Virgo in ſancta Eccleſia eſt collum.

Bernardus ſer. 3. de aduentu Domini.

Cant. 4.

Cap. 22.

S. Bernard.

Germanus.

Rectè igitur S. Bernardinus Senenſis tom. 1. conc. 61. art. 2. cap. 10. *Plenitudo,* inquit, *gratiæ fuit in Chriſto ſicut in capite influente; in Maria verò ſicut in collo tranſfundente.* & Germanus in ſermone de Zona B. Virg. *Si tu,* inquit, *nos deſerueris, quidnam de nobis fiet, ô ſanctiſſima Deipara, ſpiritus, & vita chriſtianorum? quomodo enim corpus noſtrum vitalis ſignum operationis habet reſpirationem; ita etiam ſanctiſſimum tuum nomen, Virgo*

bea-

beatiſſima, quod in ore ſeruorum tuorum verſatur aſſiduè, in omni tempore, loco, & modo vitæ, lætitiæ, & auxilij non ſolùm eſt ſignum, ſed ea etiam procurat, & conciliat. ita Germanus. Sanè Bernardus in ſerm. de B.Virg. vbi agit de Aquæductu, Virginem dicit eſſe *Aquæductum, qui plenitudinem fontis ipſius de corde patris excipiens nobis edidit illum; ſed ſi non prout eſt, prout capere poteramus.* & infra: *Nimirum propterea tanto tempore humano generi fluenta gratiæ defuerunt, quod nec dum intercederet is, de quo loquimur, tã deſiderabilis Aquæductus.* & infra: *Maria plena,* inquit, *eſt gratia, & petit ipſa ſuperefluentiam ad ſalutem vniuerſitatis.* & hom. 3. ſuper miſſus eſt: *Inueniſti,* inquit, *gratiam apud Deum, quod nemo ante te potuit inuenire. Quam gratiam? Dei, & hominum; pacem, mortis deſtructionem, vitæ reparationem.* & Petrus Chryſologus ſerm. 142. *Inueniſti,* inquit, *gratiam, quantam? Quantam ſuperius dixerat. Plenam; & verè plenam, quæ largo imbre totam funderet, & infunderet creaturam.* ita Chryſologus. Bernardus ſermone de Aſſumpt. loquens de B.Virgine: *Adueniente,* inquit, *ſpiritu plena ſibi, eodem ſuperueniente, nobis quoque ſuperplena, & ſupereffluens fiat. vtinam fluant in nos aromata illa, chariſmata ſcilicet gratiarum, vt de plenitudine tanta omnes accipiamus. Sed moueatur,* inquit Bonauentura in ſpeculo B.Virg. cap. 7. *vt nobis effundat de ſua plenitudine;* & citat Bernardum de Virgine dicentem: *Vas liquore plenum ſi moueatur, de facili ſubuertitur, & effundit liquorem: ſic B. Virgo Maria ſi moueatur precibus, effundit liquorem.* ita Bonauentura.

Bernardus: *Antequam Virgo vemret, quæ eſt Aquæductus non ita fluenta gratiarum in mundo.* *Luc. 1.* *Petr. Chryſol.* *Bernardus.* *Luc. 1.* *B. Virgo ſuperplena nobis mouentur, precibus vt effundat miſericordiam.* *Bonauentura.* *Bernardus.*

Damaſcenus verò oratione prima de Natiuitate egregiè idem docet his verbis; *Nam quia vniuerſa terra in fædiſſimam ſe ſe prouoluerat libidinem, ac Domini populus à Domino Deo ſuo aberrauerat, factusq. fuerat populus Domini, non populus ipſius, & qui miſericordiam conſecutus, non miſericordiam conſecutus, & qui dilectus, non dilectus, ob eam cauſam nunc virgo priſcæ fornicationis aduerſaria paritur (ſeu naſcitur) ac Deo deſponderur. Deiq. miſericordiam parit, atque populus Dei efficitur, qui prius populus non erat, & qui prius miſericordiam minimè conſecutus fuerat, miſericordiam nanciſcitur; & qui prius non dilectus erat, diligitur. Ex ipſa enim naſcitur dilectus ille Dei filius, in quo Pater bene ſibi complacuit.* hæc Damaſcenus.

Damaſcenus. *Oſea 2.* *Matth. 17.*

DEIPARAM COELI FENESTRAM, SCALAM, ATQVE Portam, necnon radicem ſanctam eſſe.

9 QVoniam verò per Deiparam nos Deus proſpexit, & deſcendit ad nos, ideò dicitur feneſtra, ſcala, & porta cœli, radix ſancta; & nos viciſſim per illam ad Chriſtum accedere debemus. De feneſtra quidem, quia per illam nos Deus aſpicit, & lumen ſuum in nos effundit. Auguſtinus ſermone 11. de Natiuitate, qui etiam tribuitur Fulgentio ſermone de laud. Virg. *Facta eſt,* inquit, *Maria Feneſtra Cœli, quia per ipſam Deus verum fudit ſeculis lumen, & per ipſam Deus deſcendit ad terras, vt per ipſam homines aſcendere mereantur ad Cœlos.* S.Bonauentura in Litanijs Virginis, eam dicit: *Feneſtram Cœli cryſtallinam.* Quare Eccleſia in hymno, O glorioſa Domina.

B. Virgo eſt feneſtra Cœli. *Auguſtinus.* *Fulgentius.* *Bonauentura.* *Offic. Eccl.*

„ *Intrent vt aſtra flebiles*
„ *Cœli FENESTRA facta es.*

De Scala Cœli Auguſtinus ſermone 11. de Natiuitate Domini: *Facta eſt Maria SCALA cœleſtis, quia per ipſam Deus deſcendit ad terras, vt per ipſam homines aſcendere mereantur ad cœlum:* vocatur etiam Scala Iacob à terris ad Cœlum porrecta, cuius ſummitati Dominus innixus videbatur, per quam Angeli deſcendebant, & aſcendebant; id quod Angelorum ad Virginem in terris degentem frequentiam indicabat, vt cap. 26. dicemus: ſic autem eam vocat Andreas Cretenſis orat. 2. de dorm. agens de Virgine: *Ecce ſcalam,* inquit, *quam vidit Iacob, qui in diuinis erat initiatus, in qua vidit Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes, quicumque is eſſet aſcenſus, & deſcenſus.* ſic ille. & Damaſcenus orat. 1. de Natiu. & orat. 1. de dorm. Scalam illam Iacob Virginem præſignaſſe, ac figuraſſe dicit: *Eodem,* inquit, *modo tu quoque mediatricis munere perfuncta deſcenſusq. Dei Scala effecta, per quam ipſe infirmam noſtram maſſam aſſumpſit; hinc Angeli quidem ad eum deſcenderunt, vt videlicet Domino, ac Deo inſeruirent, homines autem angelica*

Auguſtinus. *B. Virgo eſt ſcala Cœli.* *Gen. 28.* *Cap. 26.* *Andr. Cret.* *Damaſcenus.*

vita

vitæ ratione vſi in Cœlum ſublimes rapiuntur. Dicitur etiam Scala Iacob terram, Cœlumq; attingens, quia vt dixit Damaſcenus, mediatrix eſt inter Chriſtum, & Eccleſiam, per quam veluti per ſcalam preces noſtras, & vota ad Chriſtum tranſmittimus, & per eã ad nos Dei dona deſcendunt; vt propterea etiam collum, quod inter caput, & membra eſt ſitum, vt diximus, appelletur. Bernardus ſermone de Aquæductu, & Epiſt. 174. *Scalam peccatorum* eam vocat. & *B.* Laurentius Iuſtinianus ſermone de Annunciatione: *Paradiſi Scalam*. Bonauẽtura verò in hymno, Te matrem Dei laudamus: *Tu*, inquit, *Scala Regni cœleſtis, & gloriæ*. Huc referri poteſt nomen *Pontis*, quod Deiparæ tribuit Proclus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, qui de ea agens: *Hæc ſola*, inquit, *Pons eſt, per quem Deus ad hominem deſcendit*.

Cæs. 4. *Bernardus.* *B. Laur. Iuſt.* *Bonauentura.* *Deipara eſt Pons.*

10 De Porta Cœli idem S. Bonauentura in Litanijs Virginis, eam *Paradiſi portam peruiam* dicit. & S. Bernardinus Senenſis tom. 2. conc. 51. art. 3. cap. 1. *Portam Cœli* vocat. Ephræm orat. de Deipara: *Aue*, inquit, *Porta Cœlorum, & Scala, aſcenſusq. omnium, Aue reſeramentum portarum Cœleſtis paradiſi*. ſic ille. Andreas Cretenſis orat. 2. *Portam ſublatam ſupra Cœlos cœlorum*. & infra: *Portam Cœlorum* eam vocat, de qua ille dixit: *Quàm terribilis eſt locus iſte, non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta Cœli*. Methodius oratione in hypapante: *Tu Porta, per quam Deus in carne exortus eſt*. Rupertus lib. 3. de diuinis officijs, vbi de vigilia Natiuitatis Domini agit: *Maxima*, inquit, *Portarum Cœli, quas Dominus, vt nobis hoc manna plueret, nobis aperuit, Maria extitit, per quam ad nos Verbum Dei caro factum de Cœlo deſcendit: ſiquidem aliæ portæ, ideſt omnes Sanctorum animæ, quæ ab initio Verbum illud in gremio fidei meruerunt ſuſcipere, ore ſuo verbum ſalutis pepererunt. Hæc autem verbum illud ita plena gratia concepit, vt viſibilem hominem factum pareret in veritate carnis, eodem Spiritu ſancto conceptionem eius in vtero Virginis operante. quod ſignificatur in eo, quod ſcribitur ibi, cum deſcenderet mane Ros ſuper caſtra deſcendebat pariter, & manna. Ros ſpiritum ſanctum, manna Verbum Dei ſignificabat, quod per operationem Spiritus ſancti humanæ naturæ vnitum eſt*. ita Rupertus.

S. Ephræm. *Andr. Cret.* *Methodius.* *Rupertus.* *Luc. 1.* *Num. 11.*

Ildefonſus ſerm. 4. de Aſſumpt. *Ianuam Cœli* eam appellat. S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 20. §. 12. id affirmat, & probat ex hymno Eccleſiæ: *Aue maris ſtella*, vbi dicitur ad ad Virginem: *Felix cœli Porta*. & in alio hymo, ò glorioſa Domina.

Ildefonſus. *S. Antonin.* *Offic. Eccl.*

„ *Tu Regis alti IANVA,*
„ *Et PORTA lucis fulgida,*
„ *Vitam datam per Virginem,*
„ *Gentes redemptæ plaudite.*

Et citat Auguſtinum in ſermone dicentem in perſona Virginis: *Porta facta ſum Cœli, Ianua facta ſum filio Dei: Illa facta ſum porta, quam vidit Ezechiel Propheta in Domo Domini clauſam, quia Maria Virgo ſemper intacta*. addit. S. Antoninus meritò Virginem dici Portam Cœli: *Quoniam*, inquit, *per eam exiuit de Cœlis ad nos quicquid vnquã gratiæ creatum venit in mundum; vnde dicitur Mater gratiæ, & mater miſericordiæ: & de ea poteſt intelligi illud Sap. 7. Omnium bonorum mater eſt, & venerunt mihi omnia bona pariter cum illa (ſcilicet Virgine) poteſt dicere mundus. Secundo quicquid boni, ideſt omnis, qui de terris intrauit ad Cœlum, vt Sancti omnes, per ipſam vt portam, ſeu medium intrauit, nimirum per benedictum fructum filium ſuum. Quod ſi Apoſtoli Apoc. 21. dicuntur duodecim portæ Ieruſalem, quoniam præ cæteris, & meritis, & exemplis nos important in Cœlum: multo magis poteſt dici B. Virgo Porta Cœli propter maius eius, & perfectius ſuffragium, & vitæ exemplum: & præterea, quia omnes per Chriſtum mediatorem natum de Virgine in Cœlum introducuntur*. hæc ex S. Antonino. Eccleſia quoque in Antiphona, *Alma redemptoris Mater*, ſic Deiparam affatur.

Auguſt. ſerm. 14. de Natiu. *Ezech. 43.* *S. Antonin.* *Sap. 7.* *Apoc. 21.* *Offic. Eccl.*

„ *Alma redemptoris Mater, quæ peruia Cœli*
„ *PORTA manes, & ſtella maris ſuccurre cadenti, &c.*

11 Adhæc Eccleſia Virginem precatur illis verbis: *Eia ergo Aduocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte, & Ieſum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende:* etenim ſi quis eo in loco ſit vnde ſolem videre nequeat, per ſpeculi reflexionem ad radios ſolis poſiti, poterit illius fieri particeps: ita & nos in hac lacry-

Offic. Eccl. *Per Virginem Deus lumen ſuum nobis impertit.*

marum

marum valle conſtituti eramus, vt per limpidiſſimum ſpeculum oculos, nimirum miſericordes Virginis, quos ad nos conuertere dignetur, Solis iuſtitiæ, Dei ſcilicet, noſtri radius per ſuam miſericordiam nos aſpiciat.

S. Benedictus Gregorius ſuo intuitu vincula diſſoluit.

Quod ſi S. Benedictus, teſte Gregorio in 3. Dialog. cap. 31. ad brachia cuiuſdam ruſtici à Galla immaniſſimo Gotho, loris fortibus alligati oculos deflectens, mira celeritate ſolo intuitu lora diſſoluit: quantò magis eum, ad quem Virgo ſanctiſſima miſericordes oculos conuerterit, & ſi à dæmone ſæuiſſimo dracone ſpiris conſtrictum, in libertatem vindicabit? Huc ſpectat illud, quod legimus in reuelationibus S. Gertrudis lib. 4. cap. 53. Cùm enim in feſto Natiuitatis B. Virginis ad completorium cantaretur: *Salue Regina*, inter alia, quæ ipſa vidiſſe ſe narrat, vbi peruenit ad, *Illos tuos miſericordes oculos; Beatiſſima*, inquit, *Virgo mentum filij blandè tangens, ipſum verſus terram inclinauit ad nos dicens; iſti ſunt miſericordiſſimi oculi mei, quos ad omnes me inuocantes ſalubriter poſſum inclinare, vnde & vberrimum fructum conſequuntur ſalutis æternæ.* hæc ibi. Ex quo factum eſt, vt S. Gertrudis diuinitus edocta quotidie Virginem Deiparam precaretur his verbis: *Eia ergo Aduocata noſtra illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte*; Certa quod per hoc *in hora mortis ſuæ non mediocre ſolatium obtineret*, vt ibi dicitur. Et ſane benigna oculorum Chriſti ad nos conuerſio tantę eſt efficaciæ, vt ſtatim gelu cordis noſtri ſoluat; quin etiam bonis omnibus repleat. ita Luc. 22. *Conuerſus Dominus reſpexit Petrum* (qui tertio eum negauerat) *& egreſſus foras Petrus fleuit amare*. & Eccl. 11. *Eſt homo marcidus egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate, & oculus Dei reſpexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipſius, & exaltauit caput eius.* & infra: *Facilè eſt in oculis Dei ſubito honeſtare pauperem.* S. Bonauentura in hymno, *Te matrem Dei laudamus*, eam *Arcam pietatis, & gratiæ, portum naufragantium, miſerorum ſolatium, pereuntium refugium* appellat.

S. Gertrudis.

Luc. 22.

Eccleſ. 11.

B. Virgo eſt Radix.

12 Vocatur etiam Virgo ab Eccleſia RADIX in Antiphona illa, cuius initium eſt *Aue Regina Cœlorum*, dicitur enim ei.

Officium Eccl.

,, *Salue RADIX, Salue PORTA,*
,, *Ex qua mundo, Lux eſt orta.*

Chryſippus. Methodius.

Chryſippus homilia de Deipare: *Aue*, inquit, *Radix bonorum omnium.* & Methodius in hypapante. *Tu ſpecioſiſſimi floris*, ideſt Chriſti *radix*, ad illud Iſa. 11. ſpectans, *Egredietur Virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet:* Radicem enim huius floris Virginem ſanctiſſimam fuiſſe non tantum Methodius ſignificauit, verùm etiam Pereria in cap. 5. Danielis. Quidni ergo per hanc radicem Chriſti, & nos quoque nutrimentum attrahamus? quoniam ſicut omne nutrimentum ad conſeruandam, & augendam arborem, ramosq; eius, & ad fructus producendos à radice trahitur, & tranſmittitur: ita per Virginis interceſſionem transfunditur in omnes Dei miſericordia. Noſter Pereria loco citato: *Arborem illam Nabuchodonoſor per ſomnium obiectam per allegoriam ſignificare docet primi hominis felicitatem, à qua deiectus eſt per peccatum, ſeruata tamen radice, vnde rurſus germinare poſſet: hanc verò radicem intelligit Deiparam ab originali labe præſeruatam; Germen autem radicis vult eſſe Chriſtum Dominum, qui hanc arborem naturæ humanæ in ampliorem dignitatem reparauit.* hæc ex Pereria. Hinc eſt, quod ſancti Patres varijs metaphoris ac ſymbolis tutiſſimum perfugium, ac ſolamen, quod per Deiparam à Chriſto conſequimur explicare ſolent: & vt in præſentia taceam ea, quæ tùm in hoc capite; tùm etiam alibi ex ijſdem adduxi: vnum referre non grauabor S. Ephræm in ſermone de laud. Virg. ſic cum eadem loquitur: *Spes deſperantium; per te reconciliati ſumus Chriſto Deo meo filio tuo: Tu peccatorum, & auxilio deſtitutorum vnica Aduocata es, atque adiutrix: Tu portus naufragantium tutiſſimus, ſolatium mundi, carcere clauſorum liberatrix celeberrima: Tu orphanorum ſuſceptio: Tu captiuorum redemptio: Tu ægrotantium exultatio, & omnium ſalus: Tu monachorum, & ſolitariorum ſtabilimentum, & ſpes ſecularium: Tu Virginum gloria, corona, & gaudium: Tu mundi lætitia.* & iterum: *Tu enim noſter es portus, & præſes, pia auxiliatrix.* & infra: *Aue periclitantium auxiliatrix; iucunda libertas; fons gratiæ, & conſolationis: Aue peccatorum refugium, atque diuerſorium: Aue laborantium propitiatorium: Aue ſpes omnium proborum aduerſis caſibus afflictorum; dulce conuerſorum ſolamen, atque præſidium: Aue virorum pariter, atque*

Pereria.

Pereria.

Varia ſymbola quibus Virginis patrocinium exprimitur.

Ephræm.

mulie-

mulierum Regina,& patrona: Aue noſtra conſolatrix, quæ mœrores ſedaſti, & oppreſſorum moleſtias lenijſti,cunctasq. oppreſſiones ſuſtuliſti: Aue clauis Regni cœleſtis: Aue portus tutiſſimè in hac vita nauigantium: Aue firma ſalus,vniuerſorum chriſtianorum, ad te ſyncerè,ac verè recurrentium: Aue noſtra omnium protectio inſignis, & gloria. hæc omnia ex S. Ephræm. Multa alia Deiparæ elogia; quæ ille ibi non minus vere, quàm piè ponit, breuitati conſulentes omiſimus. Idem in lamentatione Deiparæ ſuper paſſione Domini, vbi ſe enixè eidem commendaſſet ſubdit: *Tu ſiquidem vnica apud Deum Chriſtianorum ſpes noſtra es ſecuriſſima, & ſanctiſſima.* hæc ille.

Deus per Virginem placatur exemplo Rhinocerotis.

13 Dei porrò miſericordiam effundi per Virginem, & per eam placari iram eiuſdem, ac mitigari explicare poſſumus exemplo Rhinocerotis, qui ex Gregorio lib.31.moral. cap.10. *Tantæ*,inquit,*eſſe fortitudinis dicitur, vt nulla venantium virtute capiatur: ſed Virgo,& puella proponitur,quæ venienti ſinum aperit,in quo ille omni ferocitate poſtpoſita, caput deponit, ſicq. ab eis, à quibus capi quæritur, repente velut inermis inuenitur.* hæc Gregorius. Chriſtus autem Rhinoceroti aſſimilatur Deuter. 33.*Cornua*,inquit,*Rhinocerotis cornua illius,in ipſis ventilabit gentes vſque ad terminos terræ.* Et quidem Deus ante Incarnationem terribilis erat,& inſuperabilis,ſed ad conſpectum huius Virginis, immiſſo in eius ſinum capite,mitiſſimus apparuit,vt ab omnibus capi,vinci, & vinciri poſſit; quod in eius paſſione factum eſt. hoc capiendi Rhinocerotis artificium Virgini accommodat Dionyſius Carthuſianus lib.3. de laud.Virg.art.22. Itaque illud quod tanquã humanis viribus impoſſibile de Rhinocerote propoſuit Deus Iob cap.39. *Nunquid volet Rhinoceros ſeruire tibi,aut morabitur ad præſepe tuum: nunquid alligabis Rhinocerotem ad arandum loro tuo?* Iam per Virginem factum videmus:Chriſtus namq; poſt Incarnationem in vtero Virginis,in præſepio poſitus,ſeù reclinatus eſt,& cruce tanquam aratro terram noſtrorum cordium arare non eſt dedignatus,alligatus nõ funibus,& clauis:hæc enim omnia longè facilius rupiſſet, quàm Samſon vincula Philiſtijm : loro noſtro,hoc eſt charitate illa,quæ ſupereminet omni ſcientiæ, qua in finem nos dilexit : & qui prius pſal.47. *Magnus erat,& laudabilis nimis:in vtero Virginis,Paruulus natus eſt nobis Iſa.* 9. & amabilis nimis. quemadmodum eleganter animaduertit, & pluribus explicat Bernardus ſermone 48. in Cantica. Idem alio exemplo explicat S. Antoninus 4. par.tit.15.cap.21. *Sol enim per Zodiacum diſcurrens in ſigno leonis eſt ardentiſſimus, & animalium corpora nimio calore languida reddit: ſed ingrediens ſignum Virginis mitigatur: ita Sol iuſtitiæ Deus noſter in veteri teſtamento erat vt leo rugiens,Deus vultionum peccatores terribiliter puniens,vt patet exemplis in ſacris litteris, ſed feruentiſſimo amoris calore in vterum Virginis intrans factus eſt totus benignus, ſuauis, & humanus.* hæc S. Antoninus : Nam pſalm. 84. vbi de Incarnatione in vtero facta agitur, ſic habetur: *Benedixiſti Domine terram tuam, auertiſti captiuitatem Iacob, mitigaſti omnem iram tuam, &c.*

Deut. 33.

Dionyſius.

Iudic. 16.

Pſal. 47. Iſa.9. Epheſ.3. Ioan.13. Bernardus. S. Antonin.

Deus per Virginem ſicut ſol in ſigno Virginis mitigatur.

Pſal. 84.

S. Brigitta. Omnes per Virginem Dei miſericordiam, & opera experimur.

14 S.Brigitta in lib.6. reuelationum cap.10. reuelationem ſibi à Virgine factam, quã id,quod diximus confirmatur,ponit in hæc verba: *Ego ſum*,inquit,*Regina Cœli,ego mater miſericordiæ,ego iuſtorum gaudium,& aditus peccatorum ad Deum: Nulla etiam pœna eſt in purgatorij igne,quæ propter me non remiſſior erit,& lenior ad ferendum,quam aliter eſſet; Nullus eſt adeò maledictus,qui quamdiu viuit,careat miſericordia mea; quia propter me leuius tentatur à dæmonibus,quàm aliter tentaretur: Nullus eſt ita alienatus à Deo,niſi omninò fuerit maledictus, qui ſi me inuocauerit, non reuertatur ad Deum, & habebit miſericordiam.* hæc ibi. Quomodo etiam Virgo ſanctiſſima à ſordidiſſimis peccatoribus inuocata non dedignetur eos iuuare, habes ex viſione B. Gertrudis, quam afferam cap. 30. & præterea lib. 6. reuelation. S. Brigittæ cap. 117. & quomodo diuinam miſericordiam Eccleſiæ militanti impetret, habetur lib. 1. reuelation. S. Brigittæ cap. 5. & nos infra poſt ſanctorum teſtimonia, eius rei complures viſiones ſubijciemus.

B. Gertrudis. Cap. 30. S. Brigittæ.

Bloſius.

Nec illud reticendum, quod Deus Pater S. Catherinæ Senenſi dixiſſe ſcribitur apud Bloſium in monili ſpirituali: *Mariæ*,inquit, *vnigeniti filij mei glorioſæ genitrici à bonitate mea conceſſum eſt propter incarnati verbi reuerentiam, vt quicumque etiam peccator*

ad

ad eam cum deuota veneratione recurrit,nullo modo diripiatur à dæmone infernali;hæc.n. eſt à me electa,parata, & poſita tanquam Eſca dulciſſima ad capiendos homines, & præcipuè animas peccatorum. hæc ibi.

S.Bonauentura in ſpeculo B.Virg.cap.6.alludens ad illud Iſa.11. *Egredietur Virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini*; pulchrè docet, quo modo per Deiparam ad Chriſtum,& ad ſancti Spiritus dona peruenirì poſſit: *Quicumque*,inquit,*ſeptiformem Spiritus ſancti gratiam adipiſci deſiderat, ipſe florem Spiritus ſancti in virga quarat : Per virgam enim ad florem, per florem ad ſpiritum in ipſo requieſcentem peruenimus : Per Mariam ad Chriſtum accedimus, & per Chriſtum gratiam Spiritus ſancti inuenimus*. Idem Bonauentura in cap. 10. eiuſdem ſpeculi de ijſdem verbis Iſaiæ agens,oſtendit Chriſtum eſſe florem,& Deiparam virgam his verbis : *Spiritus ſanctus, qui in magna ſilua humani generis requiem non inuenerat, tandem ſuper hunc florem requieuit,ita quod abſque Chriſto, nec ſapiens quis eſſe poteſt, nec intelligens,nec conſiliarius, nec fortis, nec eruditus, nec pius,nec plenus timoris Domini. Hic flos quaſi tot habet folia,quot ſunt miniſteria, & exempla : ſi hunc florem habere deſideras, virgam floris precibus flectas : ſi flos eſt nimis altus diuinitate, virga tamen eſt flexibilis pietate, & ſi flos eſt rariſſimus, quia in cœlo,& in terra non inuenitur,niſi vnicus, eſt tamen communiſſimus tanquam flos non in horto clauſus, ſed in campo omnibus tranſeuntibus expoſitus:& ideò bene dicere poteſt Chriſtus illud : Ego flos campi.* hactenus Bonauentura.

Iſa. 11.

Deipara eſt virga, perquam ad Chriſtumflorem peruenitur.

Cant.2.

15 Idem S. Bonauentura in ſpeculo B. Virg. ſæpè de miſericordia Virginis hominibus communicata agit:nam cap.3.dicit Virginem eſſe illuminatricem mundi,per beneficia lucidiſſimę miſericordię ſuę:*Perquã*,inquit,*multi in nocte huius ſeculi illuminati ſunt ſpiritualiter,ſicut quandoq. filij Iſrael per columnam ignis illuminati ſunt corporaliter, iuxta illud pſalmi,Deduxit eos in nube,&c.Maria nobis eſt columna nubis,quia tanquam nubes protegit ab æſtu diuinæ indignationis; protegit etiam ab æſtu diabolicæ tentationis ; ſicut iterum dicit in pſalmo, Expandit nubem,&c. Maria quoque columna ignis eſt illuminans nos,imò illuminans mũdum multis miſericordiæ ſuæ beneficijs.* Idem cap.5.*Abyſſus*,inquit, *eſt Maria in bonitate, & miſericordia profundiſſima, vnde etiam profundiſſimam miſericordiam filij ſui pro nobis interpellat,quaſi abyſſus abyſſum inuocat*. & infra B. Virgini accommodat illud Eccl.26.*Gratia mulieris ſedulæ delectabit virum ſuum,& oſſa illius impinguabit:Mulier*,inquit,*ſedula Maria fuit.Quis huius mulieris vir eſt, niſi ille,quem ipſa circumdedit in vtero? de quo Ieremias, Creauit Dominus nouum ſuper terram, mulier circumdabit virum:huius viri oſſa ſunt quicumque in corpore eius,ideſt in Eccleſia, fortes ſunt:iſta oſſa,ſuffragante gratia Mariæ,impinguantur vnctionibus gratiæ.* & infra: *O quis æſtimare valeat quã multæ animæ opitulante gratia Mariæ ſint per gratiam impinguatæ: imò certè quis æſtimare valeat quãta in ipſa Maria fuit impinguatio gratiarũ,cuius gratia impinguata ſunt tot millia animarũ.* Idem Bonauentura c.7. ait B.Virginem iuſtis,& impijs opem ferre: *Ipſa quoque*,inquit,*non ſolùm in plenitudine Sanctorum detinetur, ſed etiam in plenitudine Sanctos detinet,ne eorum plenitudo minuatur ; detinet nimirum virtutes,ne fugiant; detinet merita,ne pereant;detinet dæmones, ne noceant;detinet filium, ne peccatores percutiat:ante Mariam non fuit qui ſic detinere Dominum auderet,teſte Iſaia,qui dixit;Non eſt qui inuocet nomen tuum,& teneat te*. & infra adhoc idem propoſitum citat Anſelmum: *Et ideò*,inquit,*bene ſic ait Anſelmus;Tibi ſolùm loquor Domina, beneficijs tuis plenum eſſe mundum;inferna penetrauit, cœlos ſuperauit ; per plenitudinem enim gratiæ tuæ,quæ in inferno erant, ſe lætantur liberata;& quæ ſupra mundum ſunt, ſe gaudent reſtaurata.* hactenus Bonauentura.

S. Bonauentura.

B. Virgo eſt columna nubis,& ignis.

Exod. 14.

Pſal. 77.

Pſal. 10.

Exod. 14.

Bonauentura.

Pſal. 41.

Eccleſ 26.

Per B. Virginem impinguantur fideles.

Ierem.31.

Bonauentura.

Eccleſ. 24.

Iſa 64.

Anſelmus.

16 S.Antoninus 3.par.tit.15.cap.22.§.9. *Deus*,inquit,*miſericordiam,ne dum magnam, ſed & maximam fecit in Virgine pia,vt meritò nominetur,Mater miſericordiæ,& Regina eius:vnde in Antiphona,Salue Regina miſericordiæ:Hanc qui petit,ſine ipſa duce,ſine pennis,ſeù alis tentat volare.* ita S.Antoninus ex Ioanne Dominici ſuper Magnificat.hinc eſt,quòd in oratione ad Virginem antiquiſſima,quæ incipit: *Obſecro te Domina*, illi hæc verba dicuntur: *Perquam poſt Deum totus viuit orbis terrarum.*

Et quia Deus per eam nobis communicauit miſericordiam ſuam Geneſ. 28. non

S. Antoninus.

Offic. Eccleſ. Ioan. Domin. Offic. Eccleſ. Varia in quibus B. Virgo quatenus miſericordiam Dei effundit.

Geneſ. 28.

Scala Cœli, Porta Cœli.
Gen 2.
Fons de Paradiso irrigans terram Propitiatorium vniuersæ terræ.
Exod. 25.
Ephram.
Andr Cret.
Methodius.
Eccles. 24.

solùm figuratur per scalam Iacob,& Portam Cœli,sed etiam,vt cap.5.dixi Genes.2. per FONTEM,qui de Paradiso egrediebatur,& vniuersam terrã irrigat, & per *PROPITIATORIVM vniuersæ terræ* Exod.25.sic enim eam vocat Ephrẽm orat.de laud.Virg.Andreas Cretensis orat.2.de dorm.Methodius orat. in hypapante: *Tu*, inquit, *propitiatorium,per quod Deus humanam naturam indutus mortalibus innotuit*. Virgini etiam accommodatur nomen *Aquæductus cœlestium gratiarum*,vt supra ex Bernardo ostẽdimus, cuius fons est Christus,à quo per Aquæductum deriuantur riuuli; ideò Eccles. 24. *Ego quasi trames aquæ immensæ de fluuio,ego quasi fluuij Dioryx (ideſt fossa) & sicut Aquæductus exiui de Paradiso,dixi,Rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum :* & si enim ad omnes Virginis misericordia se extendat; peculiariter tamen ad eos,qui erga ipsam deuotionem habent,quos vocat hortum,& pratum suum.

Theophilo chirographum à B. Virg.restituitur.
Cap. 20.

17 Posset multis exemplis confirmari misericordiam Dei per Virginem hominibus conferri,quæ cap.20.afferemus,quale est illud Theophili,qui scripto chirographo dæmoni se tradiderat,& per Virginem misericordiam consecutus à dæmone chirographũ recepit. Et illud de SS.Dominico, & Francisco,quos ad conuersionem peccatorum Christo cõtra mũdum irato obtulit;& alia,quæ ad eum locum reseruamus. In præsentia vnum,aut alterum huius rei exemplum proferã,vt deinde nonnullas recensẽ reuelationes, quibus Deipara pro mundi necessitatibus diuinam misericordiam interpellare crebrò visa est.

S. Brigittæ. Exemplum cuiusdam conuersi propter Virginem.

In reuel.S.Brigittæ lib.6.cap.97.narratur de quodam viro illustri,qui grauiter ægrotans Sacerdoti confiteri nolebat,pro cuius animæ salute S.Brigitta preces ad Christum fundebat,& ad ægrotum Christi iussu semel,atque iterum suum confessarium, qui eum ad confessionem inuitaret, misit; sed frustra: tertiò tandem redijt,& Christi nomine ad pœnitentiam hortatus,quòd Christus paratus esset ei ignoscere; tũc ægrotus cum insolitis lacrymis diuinitus sibi concessis dicebat,se iam sexagenarium multis sceleribus irretitum diabolo,qui sæpè ei locutus erat,homagium feciſſe,& nunquã sua peccata Sacerdoti confessum,nec sanctissimam Eucharistiam sumpsisse,& iam de salute desperasse;sed in spem veniæ ex dictis Sacerdotis verbis, & interiori motione Christi adductus, quater eo die confessus,& sequenti die post confessionem communicauit,& sexto die obijt, de quo Christus S.Brigittæ dixit,eum ad purgatorium iuisse propter contritionem, quã illi ex sua benignitate dederat:*Et propter meritum*,inquit,*Matris meæ;* nam licet homo iste non dilexit eam corde;tamen quia consuetudo sua fuit compati eius dolori quoties eam considerabat,& audiebat nominare,ideò compendium salutis suæ inuenit,& saluatus erit;hæc in illa reuelatione. Ex quo collige, vel tenue erga Virginem obsequium quantum boni præstet hominibus.

In Chron. Min. visio F. Leonis de duplicis scalæ rubeæ, & albæ.

18 In Chronicis Minorũ p.1.lib.2.c.35. legimus F.Leonem,qui fuit ex intimis socijs S. Francisci in somnis vidisse homines ad iudicium Angelis tubis personantibus in quodam magno prato congregari,in quo duæ scalæ erant à terra ad cœlum protensæ, vna rubea in cuius sũmitate videbatur Christus quasi offensus,& iratus,altera ex alia parte alba,in qua aderat Deipara.Sãctus verò Franciscus suos fratres magna voce;vt ad Christum fidenter ascenderent inuitabat:inter ascendendũ autem vnus è tertio,alius è quarto,alius è decimo gradu,alius è media scala,alius ex summitate cadebant:Cũq; S.Franciscus Christum Regem pro suis fratribus interpellaret,Christus illi ostendebat manus, & latus recenti sanguine perfusa,quæ ab eius fratribus sibi facta quærebatur, qua suorum ruina permotus S.Franciscus, fratres ad scalam albam euocauit,in cuius sur mitate Virgo Deipara apparuit,quæ eos benignè excipiebat,ita vt sine labore in Regnum ingrederentur.In scala porrò rubea iustitiæ diuinæ rigor; in scala autem alba,misericordia,quam per Virginem consequimur,significabantur.

Deiparæ alijq. Sancti animas in purgatorij igne laborantes precibus iuuant
Augustinus.
Gregorius.
S. Thom.
Suarez.

Neque solùm per Deiparam misericordiæ matrem in eos,qui hanc lacrymarum vallem incolunt,Dei misericordia vberrimè effunditur; verùm in animas etiam illas, quæ in Purgatorij igne cruciantur, eadem Deipara pro eis orante abundè promanat.Sancti enim cum Christo regnantes suis precibus animas in purgatorij tormentis degentes iuuant; quemadmodum ex Augustino libro de cura pro mortuis agenda capit. 4. & ex Gregorio lib.4. Dialog. cap.50. docent Theologi in 4.distin.45. & præsertim D.Thomas ibi q. 2. art. 3. quæstiunc. 3. de quo Suarez tom. 4. in 3. par. disput.48. sect.5.

& egre-

& egregiè Bellarminus lib. 2. de purgatorio cap. 5. cuius verba ſunt hæc: *Nec vlli dubium eſſe debet, quin Sanctorum animæ cum Chriſto regnantes orent pro Sanctorum animabus in purgatorio laborantibus, cuius contrarium temerè aſſeruit Dominicus à Soto lib. 4. ſentent. diſtin. 45. q. 3. artic. 2.* hæc Bellarminus. Quamuis Suarez Sotum ad bonum ſenſum trahere conetur: verùm non eſt noſtri inſtituti hæc vlterius proſequi. Si igitur Sancti, ex Patrum, & Theologorum ſententia, pro animabus illis orant; quantò efficaciores erunt pro ijſdem preces Deiparæ? cuius rei firmum teſtimonium ducitur ex Eccleſia, quæ in ſolemni quadam prece, quam in Miſſa, & officio pro defunctis vſurpat, Deiparæ, aliorumq; Sanctorum interceſſionem pro defunctis ſuppliciter efflagitat illis verbis: *Deus veniæ largitor, & humanæ ſalutis amator, quæſumus clementiam tuam, vt noſtræ congregationis fratres, propinquos, & benefactores, qui ex hoc ſeculo tranſierunt, beata Maria ſemper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis ad perpetuæ beatitudinis conſortium peruenire concedas. Per Dominum noſtrum, &c.*

Bellarminus. *Sotus.* *Suarez.* *Miſſale Romanum.* *Officium Eccleſiaſticum.*

19 Adhæc, complures Deiparæ imagines, in templis præſertim Patrum Carmelitarum, viſuntur, in quibus animæ in purgatorij flammis depictæ, per eiuſdem Deiparæ preces ab illo igne, Angelorum miniſterio eripi conſpiciuntur; id quod nobis ob oculos ponit, quæ ſpiritualiter in ijſdem animabus peraguntur. Huc etiam ſpectat id, quod ex aliquorum ſententia cap. 12. diximus, purgatorium in die Aſſumptionis Deiparæ, ſingulari Dei priuilegio euacuatum eſſe. S. Brigitta lib. 6. reuel. cap. 39. refert animam cuiuſdam militis, qui in feſtiuitatum Deiparæ vigilijs ad eiuſdem honorem ieiunabat, horas, ſeù officium B. Virginis recitabat, & ore proprio in eiuſdem Virginis honorem canebat, à tribus acerbiſſimis pœnis, quibus in purgatorio addicta erat, Deiparæ interceſſione releuatam fuiſſe, Chriſto Domino id matri concedente, illis verbis: *Benedicta ſis tu Mater chariſſima, tibi nihil negari poteſt, fiat voluntas tua, vt petiſti ſic fiat.* hæc ibi.

S. Brigitta. Militis anima B Virg. patrocinio à purgatorij flammis eripitur.

Nec ſilentio inuoluendum eſt exemplum quoddam Dionyſij Carthuſiani in ſermone 2. de Aſſumptione, in quo Deiparæ benignitas erga defunctorum animas in purgatorio cruciatas perſpicuè cernitur. Duo, inquit, ſocij erant ſe inuicem diligentes, quorum vnus circa feſtum omnium Sanctorum defunctus eſt; Alius verò continuis fletibus ſe affligens nihil pro defuncto orauit: cui poſt feſtum Natiuitatis Chriſti defunctus apparuit dicens, nihil mihi profeciſti ſolùm plorando, & quaſi improperans ei fletum: Ecce, inquit, beatiſſima Virgo Maria ſingulis annis in feſto Natiuitatis Chriſti ad purgatorij loca cum multitudine Angelorum deſcendit, & multas inde animas eripit, quoniam in nocte ſolemnitatis illius Chriſtum Regem gloriæ peperit. Cùmq; in proxima Natiuitatis Chriſti ſolemnitate deſcenderet, & multas eriperet animas, ſperabam quod precibus tuis fuiſſet me etiam eductura, ſed non fecit. Verùm quoniam proxima nocte Dominicæ reſurrectionis ſolet deſcendere ad purgatorium pro eductione animarum, eo quòd Chriſtus nocte illa Sanctos de limbo eduxit, rogo ne ceſſes pro me cum lacrymis exorare, vt me illa nocte dignetur eripere: & in hoc ſcies te exauditum, ſi tibi vltra non apparuero: & quia defunctus ille ad viuentem non redijt, creditur per Virginem glorioſam nocte illa ereptus. Ex hoc quoque exemplo docentur fideles pro amicis ſuis defunctis magis orare, quàm flere, niſi pro illorum liberatione fleant orando. hæc Carthuſianus.

Purgatorij flammis animas plurimas extrahit Deipara. Dionyſius Carthuſianus.

DEIPARA IN PVBLICIS ORBIS CALAMITATIBVS Dei miſericordiam implorare non ceſſat.

20 QVòd verò Deipara ſanctiſſima non in priuatis tantùm hominum neceſſitatibus diuinam miſericordiam ad eos deriuet; verùm in publicis etiam, & cõmunibus, quæ à præpotenti Deo propter hominum ſcelera impendent, calamitatibus ſuæ in nos maternæ pietatis viſcera exhibeat, Deiq; flagella iuſtè infligenda efficaciſſimis precibus, vel omninò auertat, vel ſaltem mitiget, teſtatur ipſe Chriſtus Dominus apud S. Brigittã lib. 6. reuel. cap. 26. vbi conquæſtus fideles nimis longè ab eo receſſiſſe, ſubijcit: *Quod niſi preces matris meæ interuenirent, non eſſet ſpes miſericordiæ.* ita ibi. Huius quoque rei fidem nobis abundè faciunt complures, quæ apud probatiſſimos auctores diuerſis ætatibus referuntur viſiones, & prætermiſſis duabus illis eiuſdem argumenti reuelationibus altera S. Dominico, altera verò cuidam religioſo factis, quas cap. 20. afferemus. Nos huic

S. Brigitta. *Cap. 20.*

capiti aliquot alias eiuſmodi viſiones inſerere operę precium exiſtimauimus.

Viſio tempore Henrici IIII. anno 1117.

Quo tempore Henricus Imperator eius nominis IIII. ab anno milleſimo cẽteſimo vndecimo in Paſchalem II. ſummum Ponficem propter inueſtituras Epiſcoporum, quas vi ab eo extorquere conatus eſt, arma ſuſcepit; magnæ clades Orbi; præſertim Germaniæ, Lõgobardiæ, Populisq; Imperio ſubiectis (qui magna ex parte Imperatori conſentiebãt) diuinitus ſunt illatæ, quas per ſingulos annos Sigibertus; & is, qui ab anno 1013. eius hiſtoriam eſt proſecutus commemorant: eas nos breuiſſime indicabimus; vt opportunum Deiparæ auxilium magis eniteat. Anno, inquit, 1112. Deo peccatis hominũ offenſo multa eueniunt. In monte Caſtri loco Eccleſia S. Valdetrudis cum toto pene oppido arſit, Eccleſia S. Michaelis de periculo maris fulgurata diuinitus arſit cum ædificijs appendẽtibus ſibi. ita Sigibertus: ſed Nauclerus vberius. Tertio, inquit, nonas Ianuar. anno 1112. tantus terræmotus ſuboritur ante inauditus; nam multæ Eccleſiæ, & Ciuitates inde ſubuerſæ ſunt. Leodium aquarum vi immenſam cladem eſt paſſa: viſæ ſunt ſanguineæ nubes magnum incutientes hominibus terrorem: eodem anno die 3. Ian. terræmotus oppidum Rotemburgẽſe, ſuper Neccarum in Suetia, totaliter deſtructum eſt: anno Domini 1113 in pago Bracarẽſi circa Tornacum nix tanta cecidit nono Kal. Maij, vt etiã ſyluas fregerit, apud Rauennã, & Parmam in agris, & intra mœnia ſanguis Iunio menſe; Anno 1117. tertio Idus Decẽb. ad mediã noctẽ lucentibus ſtellis cęlo ſereno 14. Lunę Eclypſis facta eſt, & contracto orbe multis coloribus, ſed maximè ſanguineo pene integra hora ſuffuſa eſt; 13. Kal. Ian. prima hora noctis igneæ acies à Septentrione in Orientem in cęlo apparuerunt, deinde per totum cœlum ſparſæ plurima noctis parte videntibus miraculo, & ſtupori fuerunt. hæc Nauclerus. Vbi illud adnotandum, Eclypſim hanc præter omnem naturę ordinem eueniſſe, cum non niſi 15. die ex Aſtrologorum demonſtrationibus contingere poſſit.

Prodigia plurima contra Eccleſiæ precatores diuinitus immiſſa.

Sigibertus.

Nauclerus.

Baronius. Rogerius.

Baronius verò tom. 12. Annal. ad annum 1117. ex Rogerio in annalibus Anglicanis ſic habet. Apud Longobardiam magno terræmotu facto, & vt teſtati ſunt qui nouere, 40. dierum ſpatio durante plurima domorum ædificia corruerunt, & quod viſu, dictuq; conſtat mirabile, villa quædam prægrandis mota eſt repente de ſtatu proprio, iamq; ab omnibus in loco longè remoto conſiſtere cernitur. Mediolani viri patritiæ dignitatis dum de Republica tractantes ſub vna reſiderent Turri, auribus omnium vox foris inſonuit, vnum ex illis nomine vocans, & feſtinato exire rogans; Quo tardante perſona quædam apparuit, quæ vocatum virum, vt egrederetur prece obtinuit. Exeunte illo Turris repente cecidit, & omnes, qui ibidem erant caſu miſerabili oppreſſit. hæc Rogerius.

Deipara auxilium.

Cæterùm in tot tantisq; cladibus, in tanta prodigiorum multitudine, ac varietate, quæ ingentem, proximamq; Dei vltionem, ac mundi finem adeſſe minitabantur, pijſſima, ac benigniſſima Dei Genitrix, peccatorum Aduocata apud Chriſtum ſummum Iudicem, multorumq; ſcelerum, quæ in mundo tunc graſſabantur iuſtum vindicem ſua interceſſione ſe veluti murum firmiſſimum oppoſuit, quod quidem grandi miraculo Deus mundo teſtatum eſſe voluit, Auctore Dodechino Germano, qui circa hæc tempora vixit, cuius hæc ſunt verba. Anno milleſimo centeſimo decimo ſeptimo in octaua ſancti Ioannis Euangeliſtæ terræmotus bis inter diem, & noctem tam terribilis per totum orbem terrarum factus eſt, vt multa ædificia corruerent, & homines vix effugerent: ſed maximè in Italia, vbi tam periculoſus, & horribilis fuit, vt manifeſtum Dei iudicium ſuper ſe homines exſpectarent; cum per diuerſa loca Italiæ ciuitates, caſtella, villæ cum hominibus inibi commorantibus, ſubito, hiatu terræ deperirent. Nã & montes ſciſſi ſunt, & flumina terra deglutiente exſiccata ſunt; vt qui vellent pedibus tranſire poſſent. Necnon fluuius Padus de alueo ſuo ſe erigens in modum fornicis in altum ſe extulit, vt via pateret inter aquam, & terram, & apertè daretur intelligi; quod elatis fluctibus mundo exitum minaretur, cum ſic diutius aqua penderet: tandem in ſemetipſam tãto ſonitu demittitur, vt murmur illius per milliaria audiretur. His tam mirandis, tamq; tremendis ſignis circumquaque diuulgatis, & tribus diebus in ieiunijs, & orationibus per totam Italiam ab omnibus peractis, apud Cremonam quidam infantulus, in cunis iacens pannis obſtrictus in primã loquendi vocem contra naturam os aperuit; matrẽq; ſuam eſcas parantem fratri ſuo maiori, qui plorando panem petiuerat, à corporis curis compeſcuit; aſſerens

Dodechinus.

asserens sibi visam DEI GENITRICEM MARIAM ante tribunal Christi stantem; instantissimisq; precibus pro iudicio, quod mundo propter peccata sua dare intenderat, ipsi supplicantem; ac post hæc depositit eloquium vsque ad tempus humanæ conditioni congruum. Hæc autem tanta,& tam horribilia mirabilia hi,qui viderunt,pericula mortis vix euaserunt,& non sunt compuncti,nec gratias egerunt Deo pro euasione sua; qui verò audierunt tam stupendum signum, non glorificauerunt DEVM, sed indurati in malitijs suis maiora peccata prioribus addiderunt. Nam hoc eodem anno multa perpetrata mala,coniurationes iniustæ,incendia,homicidia, concremationes Ecclesiarum, & abstractiones bonorum inibi Deo seruientium, sed maximè in partibus Galliæ; vbi Ciues contra Ciues consurgunt,& sibi non consentientes capiunt bona, diripiunt ciuitates, castella, domos,villas destruunt,incendunt;homines non humano,sed pecudum more dilaniant, atque interimunt. Bis etiam hoc anno Eclypsis Lunæ facta est, scilicet decimo sexto Kal. Iulij, & tertio Idus Decembris. Mirabile quoque signum decimo septimo Kalend. Ianuarij in Cœlo apparuit varijs coloribus permixtum. hæc ille. Quæ omnia Thomas Bozius de signis Ecclesiæ iib.24.cap.5.non minus pie, quàm erudite persequitur.

Infantis pueri testimonium, qui Deiparam vidit pro mundo intercedentem.

Thomas Bozius.

Cùm autem illius ætatis homines minimè resipiscerent, (nam inter alia Henricus IIII.anno 1118. Burdinum Antipapam Gregorium VIII. vocatum contra Gelasium II. Paschalis successorem verum Pontificem erexit) nouis cladibus sunt afflicti; vt videre est in appendice ad Sigebertum; siquidem præter terremotus,fulmina, & procellam, quæ anno 1118.sæuierunt,Mosa fluuius iuxta Abbatiam,quæ dicitur Sustula quasi pẽdens in aere fundum suum visus est deseruisse. hæc ibi. Cæterùm infantem eo anno locutum memorat etiam Sigonius lib.10.de Regno Italię ad annum 1117.his verbis: Tertio nonas Ianuarias Italia inaudito ante multa secula terræmotu concussa est; quippe eius impetu mœnia,templa, turresq; Vrbium passim cum ingenti mortalium strage procubuerunt;fontes turbati, templorum lampades nullo impellẽte ventorum flatu per aerem latæ. præcipuè Parmæ noua Basilica, Veronæ ædificiorum pars maxima corruit. Hiatus item Terræ in illis partibus ingentes apparuerunt, & arbores radicitus euulsæ sunt. Infans locutus tristia, ac portentosa quædam enunciauit. quin etiam 3. Kal. Februarias tremenda tonitrua,ac fulgura; quæ nulla hominum meminerat ætas, creberrima imissa grandine,mortalium auribus,oculisq; obiecta, rem in eam religionem adduxerunt, vt diræ aliquid calamitatis impendere homines suspensis mentibus pertimescerent. Quodq; pauorem animis maiorem incutiebat,eadem prodigia,ac multo tristiora ex Germania nunciabantur. hæc Sigonius. Atque hæc de visione Deiparæ pro mundo obsecrantis anno 1117.dicta sint,nunc ad reliquas transeamus.

Gelasius secundus Pont.

Sigebertus.

Sigonius.

21 Anno 1128. cum plurimi de Pago Sueſſionenſi ſacro igne accenſi miſere tabeſcerent,ad Deiparæ Eccleſiam confugientes centum, & ſex Deiparæ ope intra quindecim dies(vt plenius tract.de Exempl.dicemus)ſunt curati inter quos quidam puer vndecim annorum pecorum cuſtos eodem igne tactus,à matre ad templum delatus ad ingreſſum proceſſionis excuſſus à quiete in gratiarũ actionibus rupit clamoribus æthera,narrauitq; omnibus ſe fuiſſe raptum ante Deum, & Dei Genitricem pro populo ſupplicantem vidiſſe,vt dignaretur Deus hunc morbum à populo auertere, & euertere; & hanc ſcintillam,quæ acciderat auferre,& hoc reſponſum à filio ſuo benigne accepiſſe: Mater tu es Maris Stella,fiat voluntas tua. Idem paulò poſt ſe moriturum teſtatus eſt,& ſic euenit; non enim menſem ſuperuixit; alia de hoc puero prorſus admiranda, quæ ſuam viſionem veram fuiſſe confirmant refert Vincentius in ſpeculo hiſtoriali lib. 27. cap.4. & S. Anton.2.par.hiſt.tit.16.cap.14.§.2.ea nos ad tract.de Exempl. reſeruamus.

Viſio cuiuſdam pueri, qua Deiparam pro lue ſacri ignis auertẽda apud Chriſtum orantem vidit.

Tract. de Exẽp.

Tract.de Exẽp.

Cæſarius Ordinis Ciſtercienſis, qui anno Domini 1222. inſigne opus de miraculis conſcribebat in lib. 7. cap. 2. narrat in quadam Eccleſia ſuæ Prouinciæ ſuo tempore dum populus ſacroſanctæ miſſæ ſacrificio intereſſet, Dei Genitricis imaginem tam vehementer ſudaſſe, vt omnes mirarentur, & ſudoris guttæ matronarum peplis extergerentur: qua de re interrogatus quidam à dæmone obſeſſus, hoc reſpondit; Quid ſtatis, inquit, mirantes? filius Mariæ manum extenderat ad feriendum, quam ſi non ipſa tenuiſſet, mundus iam minimè ſubſiſteret; Ecce hæc eſt cauſa ſudoris; & au-

Circa annum 1222 ſudat imago Virginis ad patrocinium noſtri indicandum.

Cæſarius.

dientes omnes territi sunt. hæc ibi.

Cisterciensis Monachus Deiparam pro mundi reparatione deprecante vidit.

Idem Cæsarius lib. 12. miraculorum cap. 58. scribit accepisse se ab Abbatibus Cistercien sibus ex capitulo generali reuertentibus, eodem anno, quo hæc scribebat, Vuilhelmum quendam Monachum Ordinis Cistercien sis in Claraualle (cui multa diuinitus reuelabantur) dum oraret raptum in mentis excessu ad Christi tribunal, ad cuius dexteram Angelus cum tuba stabat, qui iussus est à Christo Clangere; eiusq; sonitu mundus totus non secus, ac folium in arbore contremuit; cumq; secundo clangere iuberetur, mater misericordiæ DEIPARA sciens, si secundo tuba Angelus insonaret, mundum consummandum, cæteris sanctis tacentibus surgens ad Christi pedes accidit, & vt sententiam differret, ac mundo parceret enixius orabat. At CHRISTVS Dominus mundum adeò in maligno positum dicebat, vt & Laici, & Ecclesiastici, tùm Clerici, tùm Monachi suis peccatis eum irritarent; ideoq; sententiam differendam non esse. At VIRGO mater sanctissima instabat vt parceret saltem propter Cistercienses suos deuotos. Hæc Cæsarius.

Similis visio cuidam Nouitio ex Ordine Prædicatorum oblata. S. Antonin.

His consonat visio illa, quæ per quietem obiecta est cuidam Nouitio ex ordine Prædicatorum Spoleti, quam refert S. Antoninus 3. par. histor. tit. 23. cap. 5. §. 3. videbatur enim sibi videre Christum tanquam iratum in maiestate sedentem, in alia verò sede collocatam Virginem glorioſam, quibus innumerabilis Angelorum, & Sanctorum multitudo aderat; cumq; Christus præcepisset legi bona mundi, quæ quidem inuenta sunt pauca; similiter & legi mala, quæ præ nimia multitudine audire fastidiuit; subito (inquit S. Antoninus) totum mundum tanquam pallam vnam Christus furiosè arripuit, eumq; inferius cum impetu magno proiciens dixit, Cùm iudicatur exeat condemnatus. Quod cum prædictus Nouicius tremebundus aspiceret, voce magna exclamauit dicens, Sancta Maria succurre miseris. Ad cuius voces protinus pia Virgo Maria surrexit, & proiectum mundum propria manu recollegit, & dixit; Sine fili mundum, quem proprio sanguine redemisti adhuc iudicare, quia iam misi prædicatores meos, vt mundum ad te reuocarent. Hæc S. Antoninus, qui etiam addit, ad vocem illius Nouitij terræmotum subsecutum fuisse in ea Vrbe, ita vt plurima ædificia corruerint, & homines, & mulieres ea nocte de Ciuitate exierint, & fratres ad vocem illius accurrentes, eum penitus quasi insensibilem inuenerunt; quam visionem magistro suo in hora mortis narrauit, & in ipso nouitiatu in magno spiritus feruore animam Deo reddidit. hæc ex S. Antonino.

Psal. 108.

S. Antoninus. Orbis terrarum corruentis reparationem, B. Virgin. precibus à Filio impetrauit.

22 Idem S. Antoninus 4. par. summæ tit. 15. cap. 2. refert admirabilem quandam Deiparæ apparitionem, qua orbi terrarum periclitanti, ac summopere laboranti subuenisse se perspicuè declarauit: cùm enim anno Domini 1399. Christus Dominus propter hominum scelera vniuersum terrarum orbem in tres partes dissectum quasi delere in animum induxisset; in cuius rei signum iusserat quendam rusticum tres panes, quos habebat, in fontem immergere; Virgo sanctissima in speciem venerabilis cuiusdam matronæ ei se ostendit ad fontem illum, prohibuitq; quo minus eos immergeret; verùm ille iterum, ac tertio redijt ad Christũ, à quo demergere illos iubebatur: tandem vno in aquam demerso, reliquos iussu Virginis reseruauit, quæ nimirum suis precibus filium è suscepto consilio, sententiaq; dimouerat: mox rei totius significationem rustico aperuit; eiq; mãdauit, vt ad filij iram mitigandam, vbiq; supplicationes instituerentur ab hominibus cãdidis lineis indutis, & vt omnes è peccatorum cæno per pœnitentiam emergerent, atq; ad bonam se frugem reciperent; quod cum ille vbiq; euulgasset tantus animorum consecutus est motus, tanta morum, vitæq; mutatio, vt idem S. Antoninus 3. par. histor. tit. 22. cap. 3. §. 32. fusè illam referat; narrat enim omnes mares, & fœminas, Laicos, Clericos, & Religiosos huiusmodi supplicationes instituisse, ieiunijs, & precibus, per eos dies vacasse, dissidentium animos reconciliatos, sacræ confessionis, & eucharistiæ sacramenta crebius vsurpata, & similia pietatis signa edita; additq; rem fuisse prorsus mirandam, & quasi incredibilem: *Nisi*, inquit, *oculis nostris vidissemus. Veram porrò fuisse hanc visionem fructus animorum ex illa consecutus, quo homines ad imminentem mortem præparabantur, declarauit: anno enim sequenti, qui fuit* 1400. *pestis vbiq; grassata tertiam ferè hominum partem absumpsisse dicitur.* hæc S. Antoninus.

Ex qua visione illud obiter animaduertere licet, nostris sceleribus (quibus Dei iram iugiter

iugiter prouocamus)interceſſionis Deiparæ efficaciam,aliqua ſaltem ex parte interdum retardari. hinc enim plurima Dei flagella patimur, quæ tamen longè plura eſſent, niſi Deiparæ interceſſio obniteretur; hoc enim ſignificatum exiſtimo in illa veluti contentione,qua ruſticus à Chriſto iubebatur tres panes demergere, quod tamen á Virgine prohibebatur facere.tandemq; vno demerſo,duo ſunt ſeruati: vt ergo fructum eius interceſſionis adipiſcamur,peccata deteſtemur, diuina mandata accurate exequamur. In huius enim rei figuram in nuptijs in Cana Galileæ (quod alibi etiam animaduertimus) Deipara miniſtros monuit: *Quodcunque*,inquit, *dixerit vobis facite*, ne ſuarum precum fructus eorum contumacia impediretur; quo circa ad noſtrorum peccatorum acerbitatem oſtendendam,quibus Deum in dies irritamus,viſa eſt aliquando Deipara Chriſtum orare, nec tamen Dei vltionem ſublatam, quam tamen exiſtimo longè maiorem futuram fuiſſe,niſi eius preces interceſſiſſent: cuius rei memorabile exemplum nobis ſuppeditat pratum ſpirituale à Sophronio Epiſcopo Hieroſolymitano doctiſſimo, ac ſanctiſſimo editum cuius libri,& auctoris honorifica mentio habetur in Synodo Nicæna 2. Act. 4. in cap.enim 50.Prati ſpiritualis ſic legimus: Scythopolis ſecunda eſt Palæſtinæ Metropolis; In ea conuenimus Abbatem Anaſtaſium, narrauitq; nobis de Abbate Georgio incluſo,dicens: Cùm quadam nocte ſurrexiſſem, vt pulſarem ſignum (ea quippe cura mihi iniuncta fuerat,vt excitarem fratres ad recollectam) audiui plorantem ſenem. Profectusq; ad illum rogare cæpi, dicens: Quid habes pater, quia ſic ploras: Ille verò nihil mihi reſpondit: Rurſus cum rogarem illum,vt cauſam fletus mihi aperiret;ingemiſcens ille,& ex intimo corde ſuſpirans, ait: Quomodo mihi à fletu temperem,cum Dominus noſter Ieſus Chriſtus reconciliari nobis nolit? ego enim fili, videbar mihi aſſiſtere cuidam ſuper excelſo throno reſidenti; Multa verò millia circa illum erant orantium illum,atque deprecantium de quadam re; Qui illorum precibus flexus non eſt: Poſthæc acceſſit ad illum mulier quædam purpura induta,procidit q; illi,& ait:Vel propter me placare fili:ille verò nihilominus inexorabilis manſit:atq; idcirco ploro,& eiulo,verens quod futurum eſt. Hęc mihi dixit Abbas Georgius,quinta illuceſcente feria cœnæ Domini;ſequenti verò,ideſt paraſceue,hora diei nona repentino,magnoq; terræmotu,corruerunt vrbes maritimæ Phęnicis. hæc ille.

Ioan. 2.

Sophronius in Prato ſpirituali Synod Nicæna.

Pratum ſpirituale.

Miſerationem diuinam à noſtris ſceleribus retardari exemplo demonſtratur.

Ex his omnibus colligo,diuinam miſericordiã ſub typo Iridis iure optimo in circuitu Deiparæ per Thronum adumbratæ poni; quod Virginis viſcera miſericordiæ virtus repleuerit, & Virginis apud Chriſtum precibus, ac meritis Dei miſericordia abunde in nos diffundatur.

PRAESTANTISSIMI QVIQVE TVM VETERIS,tùm noui teſtamenti Sancti per vigintiquatuor ſeniores adumbrati in circuitu Virginis Deiparæ eſſe, eiq. obſequi, & gratias agere dicuntur. Cap. XVII.

IVARTVM, quod de Throno Dei Apoc. cap. 4. habetur, illud eſt, viginti quatuor ſeniores veſtibus candidis, & coronis aureis inſignes, citharas,& phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum in manibus habentes, Dei Thronum ſuis ſedibus circumambire: & cum quatuor animalia Deo gloriam, & honorem darent, procidebant, & ipſi Seniores ante ſedentem in Throno,eumq; adorabant: necnon coronas ſuas ante Thronum mittebant,dicentes:*Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam,& honorem,& virtutem,&c.* Et hæc quidem ijs, quæ de Virgine glorioſa per Dei thronum ſignificata affirmamus,optimè congruunt, vt S.Antoninus 4. par. tit. 15.cap.2.§.11.apertè docet,cuius verba infra afferemus.Meritò enim hi Seniores Deo gratias agentes in circuitu Throni,ideſt B.Virginis,eſſe; & coronas ſuas ante eandem etiam mittere deſcribuntur. Quòd vt melius demonſtremus, illud initio ſtatuendum eſt; Hos vigintiquatuor Seniores, vt omittam varias aliorum Interpretum ſententias, de

Apoc. 4.

Vigintiquatuor Seniores Virginem celebrant. eiq. de ſuis victorijs gratias agunt.

S. Antoninus.

Liber de ſeptem principibus Angelorum.
Vigintiquatuor ſeniores quinam ſint.
Auguſtinus.
Gregorius.
Duodenarius vniuerſitatem ſignificat.

de quibus copioſè egimus in lib.1.de ſeptem Angelorum principibus cap. 17. ex communi ſententia typum gerere Sanctorum pietate, & doctrina maximè inſignium, potiſſimum Prælatorum,& Doctorum,tùm veteris,tùm noui teſtamenti;Qui etſi plures ſint, quàm vigintiquatuor;eo tamen numero exprimuntur,quòd is numerus ex duplici duodenario propter Sanctos vtriuſque teſtamenti conſtet: duodenarius enim ex Auguſtino lib.3.de doct.chriſ.cap.35.& in pſal.86.& ex Gregorio lib.10.moral.cap.30.& ex alijs, vniuerſitatem ſignificat.Et quidem ad ſanctos veteris teſtamenti præcipuè ſpectant Patriarchæ, & Prophetæ: Ad Sanctos verò noui, ipſi Apoſtoli, & alij quidam iuſtorum præſtantiſſimi. Hi ergo Sancti ſeniores Deo gratias agentes circa Thronum Dei, ſcilicet Virginem,eſſe dicuntur; quoniam multipliciter ad eam referuntur;tùm propter ea, quæ dum viuerent erga eam præſtiterunt, vel ab ea acceperunt; tùm etiam, quia nunc in cœlo poſiti eam ſingulariter venerantur, & prætereà ante eandem coronas mittunt, quoniam de ſuis coronis ei quoque ſecundum Deum gratias agunt;quod ex ijs,quę dicemus manifeſtum fiet.

B. Virgo ſingulariter ad hominum ſalutem eſt cooperata.
S. Thom.
Suar. 3.p. tom. 2.diſp.23.ſect.1.

2 Etenim Virgo ſanctiſſima peculiariter ad ſalutem hominum eſt cooperata, non quod nos redemerit,vel de condigno aliquid nobis meruerit,quod ſoli Chriſto conuenit: ſed quia,vt ait D.Thomas 3.par.q.27.art.5.ad 1. Chriſtum gratiæ plenum pariendo,quodammodo gratiam ad omnes deriuauit; ſuo enim modo ad Chriſti Incarnationem cooperata eſt,& meruit illam de congruo:& prætereà precibus, ac meritis ſuis multa de congruo nobis meruit,& impetrauit; de quo luculentiſſimè omnes ſancti Patres agunt. Irenæus lib. 3. aduerſus hæreſes cap. 33. *Sicut Eua*, inquit, *inobediens facta, & ſibi, & vniuerſo generi humano cauſa facta eſt mortis; ſic & Maria Virgo obediens, & ſibi, & vniuerſo generi humano facta eſt cauſa ſalutis*. & infra: *Euæ inobedientiæ nodus ſolutionem accepit per obedientiam Mariæ:quod enim alligauit Eua per incredulitatem, hoc Virgo Maria ſoluit per fidem*. hæc Irenæus. Tertullianus lib.de carne Chriſti cap.17. *Credidit*,inquit,*Eua ſerpenti,credidit Maria Gabrieli:quòd illa credendo deliquit,hæc credendo deleuit*. ita Tertullianus. Methodius oratione in hypapante: *Tu ſola ſimul cum Deo, eorum,quæ Dei ſunt, partem habere digna fuiſti, ſola Deum generans carne indutum ex Deo Patre vnigene,ac ſempiterne genitum*. Andreas Cretenſis orat.de dorm. Deiparæ: *Sola*,inquit,*præter naturam ſuit electa ad naturam renouandam; ſola deſeruit opifici vniuerſæ naturæ*. Heſychius orat.2. de Virgine vocat eam *præclarum noſtræ naturæ ornamentum, quæ Euam pudore, Adamum comminatione liberauit, audaciam dæmonis contriuit,quam concupiſcentiæ fumus non attigit,neque vermis voluptatis læſit*.

Irenæus.
Gen. 3.
Tertullian.
Gen. 3.
Luc. 1.
Methodius.
Andr. Cret.
Heſychius.

Epiphanius.
Gen. 3.
B. Virgo lapſam Euam erigere dicitur.

3 S.Epiphanius ſermone de laud.Deip. *Maria*,inquit,*lapſam Euam erexit, & Adamum è paradiſo deiectum in Cœlos miſit:quæ paradiſum clauſum aperuit,& per latronem rurſum Adamum cõplantauit. Per te enim,ò ſancta Virgo,medius obſtructionis paries inimicitias diſſoluit: per te pax cœleſtis donata eſt mundo: per te homines facti ſunt Angeli: per te homines appellati ſunt amici, ſerui,& filij Dei:per te homines meruerunt eſſe conſerui Angelorum,& cum eis familiariter conuerſari: per te notitia cœleſtis à terra tranſmittitur in Cœlos:per te homines fiduciam habent in cœlo erga Altiſſimum:per te crux reſplẽduit per vniuerſam terram, in qua quidem cruce pependit filius tuus Chriſtus Deus noſter:per te mors conculcatur,& ſpoliatur per te infernus: per te ceciderunt Idola, & excitata eſt notitia cœleſtis: per te coguouimus vnigenitum filium Dei,quem ſanctiſſima Virgo peperiſti Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*.hæc Epiphanius. In eandem ſententiam plura commemorat Chryſippus oratione de Deipara,& ad extremum: *Horum*, inquit, *omuium,quæ alia cauſa eſt,præter eam,quæ genuit huiuſmodi miraculorum opificem, ideſt Chriſtum*.

Chryſippus.

Auguſtinus.
Gen. 3.

Auguſtinus ſermone 18. de Sanctis, Euam cum Virgine comparans, & de gratijs, quas Virgini debet vniuerſum hominum genus,agens:. *Mater*,inquit,*generis noſtri pœnam intulit mundo:Genitrix Domini noſtri ſalutem attulit mundo;Auctrix peccati Eua; Auctrix meriti Maria: Eua occidendo offuit,Maria viuificando profuit, illa percuſſit; iſta ſanauit*. & infra: *O Beata Maria quis tibi digne valeat iura gratiarum,ac laudum præconia rependere,quæ ſingulari tuo aſſenſu mundo ſuccurriſti perdito:Quas tibi laudes fragilitas humani generis perſoluet,quæ ſolo tuo cõmercio recuperandi aditum inuenit*. & mox:

Hæc eadem ab Aug. mutuatur Ildef. ſerm.8. de Aſſumpt.

Quia

Quia tu es ſpes vnica peccatorum, per te ſperamus delictorum veniam, & in te, beatiſſima, noſtrorum eſt expectatio præmiorum. hæc Auguſtinus. Idem ſermone 15. de Tempore: *Facta eſt,* inquit, *Maria reſtauratio fœminarum, quia per ipſam à ruina primæ maledictionis probantur eſſe ſubtractæ; maledicta Eua fuerat, quam nunc credimus per Mariam ad benedictionem gloriæ remeaſſe. Proijcite Virgines dolores, quos Eua per ſerpentem accepit, & quos per Angelum Maria ſuſcepit honores aſſumite; venite virgines ad Virginem, parientes ad parientem, matres ad matrem, lactantes ad lactantem: ideo omnes iſtos curſus naturæ Virgo Maria in Domino noſtro ſuſcepit, vt omnibus ad ſe confugientibus fœminis ſubueniret, & ſic reſtauraret omne genus fœminarum ad ſe venientium noua Eua ſeruando virginitatem, ſicut omne genus virorum recuperat Dominus Ieſus Chriſtus.* hæc Auguſtinus. *Luc. 1.*

Ephræm ſermone de Deipara, cum ea loquens: *Per te,* inquit, *reconciliati ſumus Chriſto Deo noſtro filio tuo dulciſſimo.* Idem in precatione ad Deiparam: *Virgo,* inquit, *Dei ſponſa, ac domina noſtra; quæ Deum, & hominem mundo mirifica, ac glorioſa conceptione tua peperiſti, Deumq. Verbum hominibus miro modo conciliaſti; & rebellem humani noſtri generis naturam cœleſtibus conſociaſti: vnica ſpes deſperantium, oppreſſorum auxilium, & ad te recurrentium præſentaneum ſubleuamen, omniumq. denique chriſtianorum firmum præſidium.* Idem in Threnis, ſeu Lamentatione Deiparæ ſuper paſſione Domini: *Te,* inquit, *nos, ò pura & immaculata, eademq. benedicta Virgo, magni filij tui, vniuerſorumq. Dei mater inculpata, integra, & ſacroſanctiſſima, deſperantium, atque reorum ſpes collaudamus: Tibi, vt gratia pleniſſimæ benedicimus, quæ Chriſtum genuiſti Deum, & hominem: omnes tibi procidimus: omnes te inuocamus, & auxilium tuum imploramus.* hæc Ephræm. *Ephræm. Maria homines Deo reconciliauit.*

4 Damaſcenus orat. 1. de dorm. Virg. cum plurima, & ingentia enumeraſſet Chriſti in humanum genus collata beneficia, exclamans ſubiungit: *Quiſnam,* inquit, *immenſorum horum bonorum, atque omnem mentis captum, & cognitionem ſuperantium officina extitit? an non perpetua illa Virgo, quæ te in lucem edidit?* Idem orat. 1. de Natiu. *Ob Deum in vitam prodijſti, vt orbis vniuerſi ſaluti adminiſtram te præberes, atque antiquum Dei conſilium, hoc eſt incarnationis Verbi, ac noſtræ Deificationis per te impleretur.* Richardus de ſancto Victore cap. 26. in Cant. docet: *Virginis charitatem, non tantum ad Iudæos, ſed ad omnes homines dilatatam fuiſſe, & pro his indeſinenter oraſſe, & orando exauditam fuiſſe, dicente ei Angelo, Inueniſti gratiam apud Deum, quam quærebas.* & addit: *Omnium,* inquit, *ſalutem deſiderauit, quæſiuit, & obtinuit; imò & ſalus omnium per ipſam facta eſt, vnde & mundi ſalus dicta eſt.* hæc ex Richardo. Anſelmus de excellen. Virg. cap. 9. *Quas,* inquit, *laudes, quasue gratiarum actiones non ſolùm humana natura, ſed etiam creatura huic ſanctiſſimæ Virgini debet; Pura enim ſanctitas, & ſanctiſſima puritas pijſſimi pectoris eius omnem omnis creaturæ puritatem, ſiue ſanctitatem tranſcendens, incomparabili ſublimitate hoc promeruit; vt reparatrix perditi orbis digniſſimè fieret: vnde quid laudis pro tam ineffabili bono ipſe per eam reparatus mundus ei iure debeat, æſtimare nullatenus ſufficit.* ita Anſelmus. *Damaſcenus. B. Virg. omnium bonorum eſt officina. Richardus. Deiparæ munus eſt ſalus. Luc. 1. Anſelmus.*

Bernardus ſermone 2. de Pentec. *Meritò, inquit, in te reſpiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus omnipotentis quicquid creauerat recreauit.* Idem ſermone de Aquæductu: *Votis omnibus Mariam hanc veneremur; quia ſic eſt voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam.* Idem ſermone 3. ſuper Salue Regina, cum de Deipara complures typos ex ſacris litteris eidem accommodaſſet, reſpiciens ad Chriſtum, qui ex ea carnem ſuſcepit, de eadem hæc verba ſubijcit: *Et, vt breuiter concludam: De hac, & ob hanc, & propter hanc omnis ſcriptura facta eſt: propter hanc totus mundus factus eſt: & hæc gratia Dei plena eſt: & per hanc homo redemptus eſt: Verbum Dei caro factum eſt: Deus humilis, & homo ſublimis.* hæc Bernardus. Idem ſermone Signum magnum: *Et quidem,* inquit, *ſufficere poterat Chriſtus, ſiquidem & nunc omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt: ſed nobis bonum non erat eſſe hominem ſolum, congruum magis vt adeſſet noſtræ reparationi ſexus vterque, quorum corruptioni neuter defuiſſet.* & infra: *Opus eſt mediatore ad mediatorem iſtum, nec alter nobis vtilior, quàm Maria, quæ ſalutis antitodum & viris, & mulieribus propinauit: Eua enim miniſtra ſeductionis, hæc* *Bernardus. Bernardus.*

propi-

propitiationis: Illa suggessit præuaricationem; Hæc incessit redemptionem. & hom. 2. super missus est: *O admirandam,* inquit, *& omni honore dignissimam fœminam singulariter venerandam, super omnes fœminas admirabilem, parentum reparatricem, posterorum viuificatricem.* hæc Bernardus. Similia prorsus luculenter habet Georgius Nicomed. orat. de oblat. Deip. in fine.

Georg. Nicom.

Cap. 27.

5 Præterea Virgo, vt cap. 5. & 27. fusius auctoritate Sanctorum probabimus ex Dei maternitate non tantum inter puras creaturas principatum tenet, sed etiam vera Domina, ac Regina est omnium siue Angelorum, siue hominum: Mater item est iustorum non tantum noui, sed etiam veteris testamenti, cuius rationem reddit Albertus Magnus apud S. Antoninum 4. par. tit. 15. cap. 14. §. 3. Quoniam hi, vt docet S. Thomas ex Patrum sententia 2. 2. q. 2. art. 7. per fidem Verbi ex Maria incarnandi explicitam, vel implicitam, gratiam acceperunt. Quare S. Leo sermone de Passione: *SALVTIFERAE,* inquit, *Virginis partus non extremi tantum temporis generationibus profuit; verùm se etiam in præteritas refudit ætates.* & Ambrosius Epistol. 7. ad Siricium: *In veteri testamento Virgo Hebræorum per mare duxit exercitum; in nouo testamento Virgo Regis aula cœlestis, electa est ad SALVTEM.* Imò etiam ex S. Antonino loco citato non solùm hominum, sed etiam Angelorum Mater censetur: *Quoniam,* inquit, *ipsa mater est Iesu, à quo Angeli illuminationem, perfectionem, & beatificationem accipiunt;* quæ omnia plenius cap. 27. & 28. ex doctrina Sanctorum confirmabimus. Adhæc propter Saluatorem mundi, quem genuit, sancti Patres eam Matrem viuentium, causam vitæ, perditi orbis reparatricem prædicant; & similibus elogijs, vt supra vidimus, eam efferunt, præsertim propter assensum, quem Deo sic exigente in Christi Incarnatione, tùm suo, tùm etiam totius humanæ naturæ nomine præstitit.

B. Virgo Regina est omnium. Albert. Magn. S. Antonin. S. Thom.

S. Leo.

Deipara dicitur salutifera. Ambrosius.

S. Antonin.

Cap. 27. & 28.

S. Thom. B. Virgo loco naturæ humanæ cõsentit in spirituali matrimonio in Incarnatione perficienda. Ildefonsus, Cant. 3.

6 Hinc est, quòd S. Thomas 3. par. q. 30. art. 1. affirmat in Christi Incarnatione beatissimam Virginem gessisse personam totius naturæ humanæ: *Nam per Angeli annunciationem expectabatur,* inquit, *consensus Virginis loco totius naturæ humanæ in spirituali illo matrimonio inter filium Dei, & humanam naturam.* ita D. Thomas. & S. Ildefonsus sermone 2. de Assumptione: *Hæc est Virgo, in cuius vtero omnis Ecclesia subarrhatur, & coniuncta Deo fœdere sempiterno creditur.* ideoq; de hoc admirabili mysterio intelligere possumus illud Cant. 3. *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Adhæc Virgo sanctissima non tantum totius naturæ humanæ nomine Incarnationi assensum præbuit, verùm etiam nomine suo, cum ex eius sanguinibus, & in eius vtero facienda esset. quod eleganter animaduertit Gulielmus Petyte Interpres in Cantica super illud: *Fauus distillans labia tua: Vult enim Deum misisse Gabrielem ad Virginem, vt ei mysterium Incarnationis, & Redemptionis panderet, atque eius consensum flagitaret: Nolebat enim omnipotens carnem sumere ex ipsa, non dante ipsa, sicut sumpserat de dormiente, & non dante Adam vnde formauit Euam. Ad futuræ Matris excellentiam non tantum ex ipsa carnem sumere, sed etiam ab ipsa volebat: & ideo propter Virginis consensum dulcissimum dicitur Cant. 4. Fauus distillans labia eius.* hæc ex Gulielmo. Apud Martinum del Rio in Cant. 4.

Gulielmus. Cant. 4. Luc. 1. Deus noluit carnem ex Virgine assumere, nisi ipsa consentiente.

Mart. del Rio.

Quoniam ergo in Christi Incarnatione per Gabrielem Archangelum sacratissimæ Virginis consensus exigebatur, vt tantum mysterium humani generis saluti necessarium perficeretur: ideò hunc assensum summis votis exoptabant omnes: quod pulchrè Ecclesia sic exprimit in quodam Responsorio: *Suscipe Verbum Virgo Maria, quod tibi à Domino per Angelum transmissum est: concipies, & paries Deum pariter, & hominẽ, vt benedicta dicaris inter omnes mulieres.* & Augustinus sermone 17. in Natiu. Domini piè contemplatur Virginem assensum Angelo daturam, vt Verbum caro fieret, eamq; vt Angelo nuncianti, eiusq; responsum expectanti annuat, precatur his verbis: *Responde iam Virgo sacra, assensum tuum Angelus præstolatur, inde est, quod nuncius iste moratur; iam audisti, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, vt prolem gignas, & virginitatem non perdas. Ianua Cœli quondam per Adam clausa iam sonuit, per ipsam nuncius iste processit. Deus in porta est; Angelum quem moraris expectat. O Maria seculum omne captiuum tuum deprecatur assensum, te Deo mundus suæ fidei obsidem facit;*

Luc. 1.

Offic. Eccl. Ver. 2. Dom. 1. Aduent. Augustinus.

Genes. 3.

facit;per te parentum suorũ iniurias abstergi deprecatur,est nobis in cęlũ aditus,si assensus tuus fuerit commodatus,& nobis succurris,& tibi,quia nobis pœna succussit,& tibi nuptias filio suo in tuo thalamo Pater præparabit. Deus in ipsis sponsalibus gaudijs relaxat quicquid eum offenderat mundus:O & tu Angele tanti Regis Nuncie,& secreti diuini Legate, faue partibus seculi,conscius secretorum Cœli,lætabuntur socij tui si negotiũ iuueris mundi. Nos à vestro consortio impietatis mucro diuisit:per vos de reditu nostro tractetur.Inspice squalentem nostri carceris miseriam,& loquere festinus ad Mariam, vsquequo moraris ò Virgo nunciũ festinantem? Intuere Deum in cœli me vestibulo sustinentem,responde verbum,& suscipe filium. Da fidem,& senti virtutem.Pande sinus roseos Virgo perpetua,fides tua modo aut aperit cœlum,aut claudit: Ecce, inquit, Ancilla Domini, Introeat Luc. 1. *Rex in cubiculum suum; Fiat mihi secundum verbum tuum. Nec mora, reuertitur nuntius;& nuptialem thronum ingreditur Christus. Accepit stolam carnis in thalamo Virginis;intra thesaurum maiestatis sacculum carnis cessit. Diuinitati sponsatur homo,præmium accipit caro. Procedit Christus quasi sponsus de thalamo suo,cum præsagio nuptiarum exijt* Psal. 18. *ad campum seculi,cucurrit sicut Gigas exultando per viam: peruenit vsque ad crucis trophæum, & ibi firmauit ascendendo coniugium, vbi consentiret alienantem in supplicijs* Ioan. 19. *creaturam;commercio pietatis se pro coniuge dedit ad pœnam.* hucusque ex Augustino.

7 Et Bernardus homi.4.super missus est in eandem sententiam ad Deiparam sic loquitur: *Expectat Angelus responsum;expectamus & nos,ò Domina, verbum miserationis. In sempiterno Dei verbo facti sumus omnes,& ecce morimur; in tuo breui responso sumus reficiendi,vt ad vitam reuocemur. Hoc supplices à te, ò pia Virgo, flebilis Adam cum misera sobole sua exul de Paradiso: Hoc Abraham,hoc Dauid,hoc cæteri flagitant sancti Patres;* Iob 10. *Patres scilicet tui,qui & ipsi habitant in regione vmbræ mortis: hoc totus mundus tuis genibus prouolutus expectat. Nec immeritò, quando ex ore tuo pendet consolatio miserorũ, redemptio captiuorum,liberatio damnatorum,salus denique vniuersorum filiorum Adam totius generis tui: da Virgo responsum festinanter. O Domina responde verbum,quod terra,quod inferi,quod expectant & superi.* ita Bernardus. Bernardus.

Et B.Laurentius Iustinianus sermone de Annunciatione agens de verbis illis: *Ecce Ancilla Domini. Isto vnico,* inquit, *responso compleuit Cœlum gaudio; Angelis omnibus exultationem præbuit,captiuo sæculo spem dedit,dæmones vniuersos exterruit, astantem lætum fecit nuncium,ac detentis in inferno patribus libertatis gratiam repromisit. Affectu quippe auido,extensis in cœlum manibus,propatulo cordis auditu huiuscemodi præstolabantur responsum: Erat nempe illis præ libertatis amore diuturna nimis expectatio,pauidaq; obseruatio,ne ob humilitatis virtutem reniteretur Virgo,consensumq; negaret; verùm vt datum à Maria percepere responsum, omnes pariter prorumpentes in laudes Domino decantauere dicentes. Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ.* hæc ille. B.Laur.Iustin. Luc. 1. Luc. 1.

At verò Augustinus serm.18.de Sãctis,quem aliqui Fulgentio tribuunt,de hoc assensu Virginis in Incarnatione præstito,vt supra dicebamus sic gratias agit: *O beata Maria quis tibi digne valeat iura gratiarum, ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? quas tibi laudes fragilitas humani generis persoluet, quæ solo tuo commercio recuperandi aditum inuenit? Accipe itaque quascumque exiles, quascumque meritis tuis impares gratiarum actiones, & cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa.* hæc Augustinus. Augustinus, Fulgentius.

8 Quo circa S.Antoninus 4.par.tit.15. cap. 20. §.10. pulchrè ostendit Deum Virgini opus recreationis communicasse secundùm quadruplex genus causæ efficientis, materialis,formalis, & finalis, & propterea Matrem omnium dici: *Et in genere quidem causæ efficientis post Deum,sub Deo,& cum Deo,quia ipsa nobis illum genuit, qui nos omnes recreauit,seu regenerauit per passionem suam,virtutem gratiæ conferentem in Sacramentis, & vt suum filium gigneret, suis virtutibus de congruo promeruit. Causa materialis fuit Virgo huius recreationis nostræ, quia Spiritus sanctus de purissimis eius sanguinibus consensu mediante accepit,quod in corpus formauit Christi,per quod redemptio nostra, & recreatio facta fuit. Causa verò formalis, quia sua conuersatione cœlesti speculum est omnibus conuertendi se ad Deum. Causa denique finalis, quia totum opus redemptionis post* S.Antoninus. *Deus Virgini opus recreationis communicauit in quadruplici genere causæ.*

Deum

Deum in Christi filij eius, vt homo est, honorem, & gloriam, est ordinatum, & propterea seniores coronas ante pedes Agni deponunt. hæc ex S. Antonino.

Viginti quatuor Seniores Deiparam colunt, ac laudant.

9 Mirum igitur non est, si omnes cœlites, tùm Angeli, tùm homines, sed potissimùm hi Sancti seniores, qui inter sanctos præcipui censentur, Dei genitricem, quæ saluti omnium est cooperata, Reginam quoque suam à dextris Christi astantem, quàm etiam Matrem suam, & reparatricem orbis agnoscunt, veluti Dei thronum circumstent in Cœlis, & peculiari illam reuerentia prosequantur, & colant, illisq; verbis dignè eam celebrent, quibus in libro Iudith cap. 15. legimus summum Sacerdotem cum vniuersis Presbyteris suis benedixisse Iudith, quæ propter præcisum Holofernis caput, & populum ab imminenti captiuitate liberatum, Deiparæ, quæ dæmone expugnato salutem mundo attulit, figura fuit apertissima: *Tu*, inquiunt, *gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, quia feciſti viriliter.* & mox: *Ideò manus Domini confortauit te, & ideo eris benedicta in æternum.* & sicuti omnis populus tunc respondit: *Fiat, fiat:* ita reliqua sanctorum multitudo Sanctis senioribus meritò in his Virginis laudibus acclamantes eadem de Virgine concinunt. Idem & Ecclesia militans facit subinde illud ex Euangelio Luc. 11. repetens: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti:* &, *Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portauerunt æterni patris Filium:* &, *Beata vbera, quæ lactauerunt Christum Dominum.*

Iudith 15.

Luc 11.

Ecclesia militãs Deiparam laudat.

Nazianzen.

Sancti quoque eam tanquam totius humani generis ornamentum prædicant. Naziãzenus in Tragædia Christus patiens, eam sic affatur.

,, *Regina, Domina, generis humani bonum,*
,, *Amica semper esto; tu mortalibus*
,, *Maximaq; quouis in loco mihi salus.*

Cyrillus.

10 Cyrillus Alexandrinus homilia contra Nestorium: *Sit*, inquit, *tibi sancta Dei Mater laus: Tu enim es pretiosa margarita orbis terrarum: Tu lampas inextinguibilis, Corona Virginitatis, Sceptrum Orthodoxæ fidei.* Merito autem pretiosa dicitur MARGARITA: *Cuius pretium procul, & de vltimis finibus:* Prouerb. 31. Hanc margaritam Christus, vt emeret, *dedit omnia sua.* Nam S. Bernardinus tom. 2. conc. 51. art. 3. cap. 3. dicit: *Christũ plus pro Virgine redimenda venisse, quàm pro omni alia creatura,* & quemadmodum margarita in maritima concha rore cœlesti gignitur, ita & Virgo Deipara ex sterilibus parentibus, ac proinde peculiari Dei fauore est orta; ad margaritæ verò pulchritudinem, atque pretium spectat, quod candida sit, & clara; sic etiam Deipara animæ, & corporis puritate nitet, *cuius vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias;* cui illud meritò tribuitur Sap. 4. *O quam pulchra est casta generatio cum claritate.*

Prouer. 31.

Chrysostom.

Chrysostomus sermone de Deipara: *Aue, Mater, Cœlum, Thronus, Ecclesiæ nostræ decus, gloria, & firmamentum.* & rursum: *Eam specimen gemmæ omne pretium excedentis* vocat.

S. Bernardin.

S. Bernardinus tom. 3. serm. 11. art. 2. cap. 3. in illud Cant. 8. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto,* docet verbo illo (*de deserto*) significari, vt ipsius verbis vtar: *Magnificentiam vniuersalem, qua fuit honor humanæ conditionis, hoc enim mirificum fuit, quod de humano genere in tanta miseria constituto talis Virgo ascendere posset.* hæc ex S. Bernardino. Verè enim multis modis totum genus humanum cohonestauit, atque honorificauit, vt patet ex titulis glorioſissimis, quos ex maternitate Dei, & ex suis meritis est consecuta, de quibus toto hoc libro egimus. Quo circa S. Thomas 3. par. q. 31. art. 4. inquirens cur decuerit Christum nasci de fœmina, prima congruentia est: *Quia per hoc*, inquit, *tota humana natura nobilitata est; vnde dicit Augustinus lib. 83. quæst. hominis liberatio in vtroque sexu debuit apparere: Ergo quia virum oportebat suscipere, qui sexus honorabilior est, conueniens erat, vt fœminei sexus liberatio hinc appareret, quod ille vir de fœmina natus est.* hæc S. Thomas: qui in solutione primi citat Augustinum de Agone christiano dicentem: *Nolite vos ipsos contemnere viri, filius Dei virum suscepit, nolite vos ipsas contemnere fœminæ, filius Dei natus ex fœmina est.* ita Augustinus. Fulgentius sermone de laud. Virg. *Facta est*, inquit, *MARIA restauratio fœminarum, quæ per ipsam à ruina primæ maledictionis probantur subtractæ.* & Epiphanius oratione de Deipara: *Angeli*, inquit, *accusabant Euam, nunc verò Mariam gloria prosecuntur, quæ mulierum*

S. Thom.

Augustinus.

Fulgentius.

Epiphanius.

infir-

infirmitatem verè glorioſam reddidit, quæ lapſam Euam erexit. Hinc factum eſt,vt mulieres ad ſexus ſui commendationem Deiparæ memoriam adducant. Narrat S. Hieronymus in vita S.Hilarionis, mulierem quandam Eleutheropolitanam ſterilitate laborantem ad illius opem confugiſſe,& genibus eius prouolutam his verbis vſam: *Quid rogantem fugis? noli mulierem aſpicere ſed miſeram; hic ſexus genuit Saluatorem:* quibus verbis permotus S. Hilarion oratione facta filium ei impetrauit. S. Hugo Lincolnienſis Epiſcopus ex ſacra Carthuſianorum familia,vt eſt in vita eius C. 13. apud Surium 17. Nouembris,mulierum dignitatem his verbis exprimebat: *ſatis à fœmineo ſexu Deus diligi promeruit,cum naſci de fœmina dignatus eſt:nam cum viro cõceſſum non ſit,vt ſit pater Dei, hoc tamen præſtitum eſt fœminæ, vt ſit parens Dei.* ſic ille. Quare Damaſcenus orat.1.de Natiu. *O Deo digna filia humanæ naturæ venuſtas:ò ſanctiſſima filia mulierum ornamentum.*& infra:*Meritò te beatam prędicant omnes generationes,vt eximium humani generis decus:Tu ſacerdotum gloria,chriſtianorum ſpes.*& orat.1.de dorm.eam *generis humani ornamentum, & omnis creaturæ decus* vocat. & infra: *Tu,* inquit, *es Patriarchis ſempiterna oblectatio, Prophetis perennis exultatio.* Ildefonſus ſermone 10. de Aſſumptione: *Hæc eſt,* inquit, *decus mulierum.* & Ephræm ſermone de laudibus Virg. Eam *vnicam ſpem Patrum, gloriam Prophetarum, præconium Apoſtolorum, honorem Martyrum, lætitiam Sanctorum, & lumen probatiſſimorum Abraham, Iſaac, & Iacob, decus Aaron, ſplendorem Moyſis, Gedeonis vellus, & cœtus Hierarcharum, omniumq; Sanctorum, ac Virginum coronam, ob immenſum fulgorem, atque ſplendorem inacceſſum.* ſic Ephrem.

Hieronymus. *Surius.* *Damaſcenus.* *Ildefonſus.* *Ephræm.*

Et quoniam hi Seniores ab ea tot beneficia ſunt conſecuti quibus olim victores fuerunt,nunc autem coronati exiſtunt:idcirco venerabundi non tantum Virginis gloriæ, ac felicitati gratulantur,& plaudunt;ſed etiam venerabundi ipſam Virginem adorantes,ſecundum Deum,eidem gratias agũt immortales;ſuosq; triumphos acceptos ei etiam referunt,idq; apertè teſtantur,ac profitentur,cum coronas ſuas ante Deum,& ante Thronum,hoc eſt Virginem,ponunt.

Vigintiquatuor Seniores etiam de ſuis victorijs virgini gratias agunt. Apoc.4.

Enim verò ſi Vlyſſes propterea quòd quę in fatis erant Troianorum,quibus ſaluis expugnari Ilium (vt eſt in Poetarum fabulis) neutiquam poterat, ſua vi, ſuaq; virtute ſuſtuliſſet, ſe Ilium cępiſſe antequam caperetur audacter pronunciare non dubitauit apud Poetam.

Exemplum ab Vlyſſe.

,, *Iam labor in fine eſt,obſtantia fata remoui;*
,, *Altaq; poſſe capi faciendo Pergama cœpi.*

Ouid. lib. 13. metamor.

Quæ licet Poetarum figmentis admixta ſint; rectè tamen ex ijs colligimus quid de huiuſmodi rebus naturæ ductu homines æſtimare ſoleant.Quantò verius Sanctorum de Satanæ victoria etiam Virgini,quæ Chriſtum mundo attulit,per quem gratiam ad hanc victoriam,re ipſa conſequendam ſunt adepti,acceptæ referuntur? ideoq; victores coronas ſuas etiam ante Virginem deponere ſcribuntur. Quocirca Eccleſia ex perſona omnium fidelium ita ad Deiparam in officio Aſſumptionis: *Paradiſi portæ per te nobis apertæ ſunt,quæ glorioſa hodie cum Angelis triumphas.*

Eccleſia.

II Quare S.Antoninus 4.par.tit.15.cap.20.§.11.*Seniores,*inquit,*deponunt coronas ſuas Apoc.4.ante pedes Agni,recognoſcentes ſe omnes coronas humilitate, & humanitate Chriſti,quam aſſumpſit de Virgine; Ecce enim ex hoc (ait ipſa) beatam me dicent omnes generationes,quia reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ de me incarnando: omnes ergo,imò omnia cum ſint recreata,& renouata per eam,Matrem eam debent reputare,& ſuper omnes puras creaturas venerari.* ita S. Antoninus. Verùm qua ratione á Virgine agnoſcant, quæ diximus beneficia,audiamus Primos humani generis propagatores, Adamum, & Euam apud Damaſcenum orat.2.de dormit. Virg. Ex quibus de reliquis ſenioribus pia meditatione facili coniectura id aſſequi poterimus: refert enim Damaſcenus ad Deiparæ dormitionem non ſolùm è terra Apoſtolos ex varijs mundi regionibus diuino imperio nubis miniſterio adductos, verùm etiam è cœleſti Patria beatorum ſpirituum agmina,necnon præſtantiſſimos quosq; veterum iuſtorum,& Prophetarum, vt qui ex ea verbi Dei incarnationem prænunciaſſent,conueniſſe,atque ita primos humani generis parẽtes cum Virgine colloquentes facit: *Tùm,*inquit Damaſcenus,*Adamus,& Eua noſtri ge-*

S. Antoninus. *Apoc.4.* *Luc.1.* *Damaſcenus.* *Adam, & Eua*

quibus vicibus Deiparam laudant.

neris auctores exultantibus labijs altè exclamarunt; Beata tu filia, quæ violati mandati pœnas nobis sustulisti: Tu mortali corpore à nobis accepto, immortalitatis indumentum nobis peperisti: Tu cum à lumbis nostris ortum accepisses, beatitudinem nobis rependisti, dolores deleuisti, mortis fascias perfregisti: ad veterem sedem quasi postliminio nos reuocasti; Nos paradisum clausimus: Tu ligni vitæ iter patefecisti. ex lætis tristia culpa nostra venerunt, ex tristibus contra lætitiora per te redierunt: Tu vitæ fons, & cœli scala: verè inter mulieres beata es, atque adeò beatissima. subijcit Damascenus, etiam aliorum Sanctorum Virginem ad cœlum inuitantium voces: *Applaudebat,* inquit, *vniuersus etiam Sanctorum chorus, his verbis vtens: Tu prædicationes nostras expleuisti, tu expectatam nostram lætitiam produxisti: Per te enim mortis vinculis soluti sumus. Veni ad nos ò diuine, & vitam ferens thesaure: veni ad nos cupientes, quæ cupiditatem nostram expleuisti.* hucusque Damascenus.

Alij Sancti Dei paramlaudant.

Matth. 11. *Luc. 1.* *Ambrosius.*

12 Sed & S. Ioannes Baptista Domini præcursor; quo *inter natos mulierum,* teste Christo, *non surrexit maior,* quæ, quantaq; à Deipara accepit? neque.n. solùm ad vocem Deiparæ exultauit Infantulus Spiritu sancto repletus: sed ex eiusdem præsentia mirum in modum profecit. Nam & Ambrosius de instit. Virg. cap. 7. de Ioannis Baptistę virginitate agens: *Nec immeritò,* inquit, *mansit integer corpore, quem in tribus mensibus oleo quodam suæ præsentiæ, & integritatis vnguento Domini mater exercuit.* & lib. 2. in Luc. cap. 3. *Non sola,* inquit, *familiaritatis est causa, quod sancta Maria diu, ideò tribus mensibus, mansit in domo Zachariæ, sed etiam tanti vatis profectus: nam si primo ingressu tantus profectus extitit, vt ad salutationem Mariæ exultaret Infans in vtero, repleretur Spiritu sancto Mater Infantis; quantum putamus vsu tanti temporis sanctæ Mariæ addidisse præsentiam.* hæc Ambrosius; qui ea ferè ad verbum accepit ab Origene hom. 9. in Luc. vbi sic ait: *Si eò quod tantum venit Maria ad Elisabeth, & salutauit eam, tantos profectus vna hora habuit Ioannes; nostræ coniecturæ relinquitur, quid in tribus mensibus Ioannes profecerit assistente Maria Elisabeth.* sic Origenes. quòd si tantum Ioanni Baptistæ contulit, quantùm alijs etiam præstiterit ex hoc colligi potest.

Origenes.

Ephræm.

Ephræm sermone de laud. Virg. eam ita salutat: *Aue pax, gaudium, consolatio, & salus mundi: aue humani generis lætitia: aue Patrum præconium, & decus Prophetarum: aue pulchritudo Martyrum, & corona: aue gloria, & salus in solitudine degentium: aue pulchra hymnigraphorum omnium oratio: aue terrigenarum omnium oblectamentum: aue progenitoris illius Adam resurrectio,* & plurima alia in hanc sententiam persequitur. Sed quid mirum est Deiparam à Sanctis extolli, quam laudibus ipse Deus prosequitur, vt videre est in libro Canticorum, & testatur Salomon Prouer. 31. cum de muliere illa forti, quæ ex Bernardo serm. de Aquæductu Virginem significabat, ita loquitur: *Surrexerunt filiæ eius,* ideſt Sancti, *& beatissimam prædicauerunt; Vir eius,* ideſt Christus, *& laudauit eam:* præcipua enim Virginis laus est a Deo, cuius ipsa singulariter non solùm Mater, sed etiam sponsa est: imò & Christus in Virginis vtero *vir* appellatur propter sui perfectionem, Ierem. 31. *Fœmina circumdabit virum;* hic enim vir laudauit eam.

Canticorum liber. *Prou. 31.*

Ierem. 31. *Prou. 31.* *Apoc. 4.*

13 Reliquum est, vt ostendamus hos Sanctos seniores circa Virginem esse; non tantùm quia, vt diximus, in cœlo singulari reuerentia eam venerantur, & de suis coronis ei etiam, secundùm Christum, gratias agunt; sed etiam, quia omnes, dùm in hac vita degebant, erga Virginem peculiariter aliqua præstiterunt, vel ab ea acceperunt: quare multipliciter ad eam referuntur. per ipsos quoque varijs modis mundo innotuit.

Vigintiquatuor Seniores in hac vita aliquid erga Virginē præstitere.

Et quidem veteris testamenti Patres ab ea multa accepisse testantur Sancti; vnum Bernardum cum Augustino audiamus. Bernardus homilia secunda super Missus est: *Lætare,* inquit, *pater Adam, sed magis tu ò Eua mater exulta; qui sicut omnium parentes, ita omnium fuistis peremptores: ambo, inquam, consolamini super filia, & tali filia: propterea curre Eua ad Mariam, curre mater ad filiam, ipsa Patri pro matre satisfaciat: quia ecce si vir cecidit per fœminam, iam non erigitur nisi per fœminam: quid dicebas ò Adam; Mulier, quàm dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi; muta ergo iniquæ excusationis verbum in vocem gratiarum actionis, & dic; Domine mulier, quàm dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, & comedi, & dulce factum est super mel ori meo, quia in ipso viuificasti me. O admirandam, & omni honore dignissimam*

Bernardus. Quid Virgo Adamo, & Euæ contulerit, & aliis patribus.

Genes. 3.

Virgi-

ſuper omnes fœminas admirabilem, parentum reparatricem, poſterorum viuificatricem. hæc ex Bernardo. Idem Bernardus ſermone 2. de Pentec. loquens de Chriſto in ſua Incarnatione: *Et tunc*,inquit,*iam operabatur ſalutem noſtram in medio terræ,in vtero videlicet Virginis Mariæ,qui mirabili proprietate Terræ medium appellatur: ad illam enim ſicut ad medium,ſicut ad Arcam Dei,ſicut ad rerum cauſam,ſicut ad negotium ſæculorum reſpiciunt,& qui in Cœlo habitant,& qui in inferno,& qui nos præceſſerunt,& nos,qui ſumus,& qui ſequentur,& nati natorum,& qui naſcentur ab illis: Illi qui ſunt in cœlo,vt reſarciantur;& qui in inferno,vt eripiantur;qui præceſſerunt, vt Prophetæ fideles inueniantur;& qui ſequuntur,vt glorificentur*. ſic Bernardus. *Bernardus. Pſal. 73.*

Et Auguſtinus lib.de Aſſumptione explicans quomodo ſanctiſſima Virgo per hos ſeniores innotuerit: *Sola*,inquit,*meruit Deum,& hominem paritura ſuſcipere, facta Thronus Dei, & Aula Regis æterni, ſicut nos docuiſti per Sanctos tuos, Patriarchas, Prophetas, & Apoſtolos, figuris & ſermonibus, quibus credimus, & certi ſumus, quia nunquam ſefelliſti*. & Bernardus cum compluribus Patribus hom.2. ſuper miſſus eſt,dicit,Virginem à Patribus præfiguratam,& à Prophetis promiſſam, quod multis exemplis probat. *Auguſtinus. Bernardus.*

Et Sophronius ſermone de Aſſumptione: *Quicquid humanis dici poteſt verbis in laudem glorioſæ Virginis Mariæ,minus eſt à laude cœli,quia diuinis eſt, & Angelicis excellentius prædicata,& laudata præconijs. à Prophetis quidem prænunciata,à Patriarchis figuris,& ænigmatibus præſignata,ab Euangeliſtis exhibita,& monſtrata,ab Angelo venerabiliter,atque officioſiſſime ſalutata*. hæc Sophronius. *Sophronius.*

14 Verùm,vt de quolibet ordine horum Seniorum,Patriarcharum ſcilicet, Prophetarũ, Apoſtolorum,& inſignium ſanctorum aliquid,quod erga Virginem exhibuerunt,dicamus,ipſa ex Patriarchis genus ducit,Prophetarum prænunciata eſt oraculis,ab Apoſtolis quoq; prædicata,ſummisq; laudibus exornata fuit. Denique à præcipuis ſanctis eius cultus,ac religio in vniuerſum orbem eſt propagata,quod ita demonſtratur.

Nam quod ad Patriarchas ſpectat ex ipſis de Tribu Iuda, & ſemine Dauid progenita fuit, inter quos quatuordecim Reges, & aliqui Duces populi numerantur, & inter progenitores nonnulli Prophetæ fuerunt,quemadmodum probat S.Thomas 3.par.q.31. art.2.Quare Eccleſia,*Regali*,inquit, *ex progenie Maria exorta refulget*. & Leo ſerm. 1. de Natiu.Dom. *Virgo*,inquit,*regia Dauidicæ ſtirpis eligitur;* quo etiam nomine à Bernardo ſerm.2.de Aduentu appellatur,& ſerm.Signum magnum. Nec ei defuit ſacerdotale genus inſinuante Luca, vt notat Auguſtinus lib.2. de conſen.Euang. cap.1.quod cognata eius eſſet Eliſabeth,quàm dicit de filiabus Aaron:*Qua propter*,inquit Auguſtinus,*firmiſſimè tenendum eſt,carnem Chriſti ex vtroque genere propagatam,ex Regum ſcilicet,& Sacerdotum*, quod etiam aduerterat Hilarius in Matth. canon. 1. & alij, & Damaſcenus orat.1.de Natiu. *O lilium*,inquit,*inter ſpinas ex nobiliſſima, & maxima Regia radice ortum*. Hinc eſt, quòd Honorius agens de proſapia Virginis ex quadruplici parte nobiliſſima: *Ex benedicto*, inquit, *Patriarcharum ſemine,ex præclaro Prophetarum germine, atque ſacra Sacerdotali ſtirpe, generoſa quoque, & Regali progenie hæc inclyta virtutis Dei virga proceſſit, quæ ſingulariſſimum florem meruit germinare*. ita Honorius. Propterea Virgo ab Andrea Cretenſi in ſalutatione Angelica: *Decus dicitur Patriarcharum*, quod ab illis progenita viciſſim maius illis ornamentum attulerit: præcipuam enim nobilitatem Virgo beatiſſima ex Deo ipſo, quem genuit eſt conſecuta, quod pulchrè Ambroſius lib.2. de Virginibus expreſſit: *Quid nobilius*,inquit,*Dei matre? Quid ſplendidius ea, quàm ſplendor elegit?* Idcirco, & in parentes ſuos eximiam refudit nobilitatem. Quod eleganter Rodulphus Agricola carmine in honorem S.Annæ ſic cecinit. *Deipara ex Patriarchis genus ducit. S.Thom. Office. Eccleſ. Leo. Bernardus. Luc.1. Auguſtinus. Hilarius. Damaſcenus. Cant.2. Honorius. Virginis proſapia nobiliſſima ex quadruplici parte, nobilior tamen fuit ex prole. Andr.Cret. Ambroſius. Rodulphus.*

,, *Conſpicuos præſtant alios benefacta Parentum*,
,, *Tu contra NATAE nobilitate nites*.
,, *Magna quidem, meritisq; tuis, pietate, fideque*
,, *Quis neget? at NATA hæc ſplendidiora facit.*

S.Brigitta in reuelationibus ſuis in ſerm.angel. cap.7. & 8. Habet *ex Angeli reuelatione Adam magnam concepiſſe lætitiam ex reuelatione,qua Virginem Deiparam ex ſuo S.Brigitta. Antiqui Patres exultarunt de*

Virgine naſcituræ.

Geneſ. 21.

Ioan. 8.

Auguſtinus.
Irenæus.
Hilarius.
Origenes.
Cyrillus.
Bernardus.
Pſal. 131.

ſemine naſcituram cognouit; quæ ſua reſponſione ad Angelum, & ſumma ſua humilitate, ac obedientia reparatura erat quicquid Eua ſuperbia, & inobedientia perdiderat: ſimiliter & Abraham mirum in modum de hac ſua filia naſcitura magis quàm de Iſaac exultaſſe, eamq; maxima charitate proſequutum; ſimiliter Iſaac, Iacob, & Patriarchas. hæc ibi. Sanè Chriſtus Ioan. 8. *Abraham*, inquit, *exultauit vt videret diem meum; vidit, & gauiſus eſt.* quod de die, qua Chriſtus de Virgine carnem ſuſcepit, intelligit Auguſtinus tractat. 43. in Ioan. & Irenæus lib. 4. contra hæreſes cap. 15. Hilarius lib. 5. de Trinit. Origenes homil. 10. in Geneſ. Cyrillus Alexandrinus in catena græca'. Bernardus ſermone ſexto in vigilia Natiuit. qui etiam addit, Dauid quoque de hoc exultaſſe, cui dictum fuerat: *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.*

Poſſet hic de ſanctorum Patriarcharum Virginis progenitorum laudibus agi; verùm quia eas varij Patres ſunt proſecuti; nos, reliquis omiſſis; de ipſis Virginis parentibus ſanctiſſimis, Ioachimo, & Anna, nonnulla in eiuſdem Virginis gloriam ex probatiſſimis auctoribus proferemus cap. ſequenti.

Deiparæ eſt vaticinium Prophetarum.
Hieronymus.
Ephræm.
Andr. Cret.

15 Quòd ad Prophetas verò attinet, à Hieronymo in cap. 6. Mich. Virgo ſanctiſſima *Vaticinium appellatur Prophetarum:* ab Ephræm ſermone de laud. Virg. *decus Prophetarum:* ab Andrea Cretenſi orat. 2. de dorm. Virg. *Summa diuinorum Oraculorum; de qua*, inquit, *reſonarunt omnes ſpiritus interpretes*; ab eodem oratione de Annunciatione: *Prophetarum, & Patriarcharum omnium ornamentum, & inueſtigabilium Dei oracalorum præconium veriſſimum.* & Ildefonſus ſerm. 1. de Aſſumpt. agens de eadem: *Ecce ad quam*, inquit, *omnia eloquia Prophetarum, ad quam omnia ænigmata concurrunt ſcripturarum.* Cyrillus verò hom. 6. in Neſtorium: *Te Prophetæ prænunciauerunt.* Sergius Hagiopolita orat. de Natali Virg. *præconium vocat Prophetarum.* Quare Georgius Nicomedienſis orat. de oblat. Deip. dicit eam eſſe *lectum Salomonis, quem*, inquit, *in orbe circumſtant ſexaginta potentes; namq; diuinitus inſpiratæ ſcripturæ veræ PROPHETIAE, quæ per ea, quæ ſignificarunt, ſuo teſtimonio comprobant Deum eſſe ex ea pariendum.* ita Georgius Nicomedienſis. S. Bonauentura in hymno *Te Matrem Dei laudamus: veritatem Prophetarum eam dicit.* S. Brigitta loco citato cap. 9. habet: *Prophetas diuinitus afflatos prænunciaſſe Deum omnium creatorem de intemerata Virgine naſciturum, Qui animas Adæ peccato perditas, redimeret, & ex hac Virginis Deiparæ cognitione in tribulationibus ſuis magnam à Deo conſolationem accepiſſe, præſcientes in ipſa Deum fortiſſimum Gygantem aſſumpturum arma, quibus diabolum, & omnes inimicos deuincere debebat.* hæc ibi. Hinc eſt, quòd Auguſtinus ſermone 100. de tempore, beatam Virginem vocat *Terram Promiſſionis*, cum enim hiſtoriam illam duorum exploratorum, qui botrum de terra promiſſionis Numer. 13. attulerunt, explicaret, ait: *Sicut vua illa Chriſtum Deum figurauit; ita & terra promiſſionis, in qua natus eſt ſanctæ Mariæ videtur imaginem prætuliſſe: in ipſa enim impletum eſt, Veritas de terra orta eſt. Quomodo autem B. Maria non fuit terra repromiſſionis, quæ per Prophetam multo ante promiſſa eſt, nam per Iſaiam Prophetam multò ante dictum eſt, Ecce Virgo concipiet, & pariet filium.* hæc Auguſtinus.

Auguſtinus.
B. Virgo eſt terra promiſſionis.
pſal. 84.
Num. 13.
Pſal. 84.
Iſa. 8.

Sancti quoque Patres abundè teſtantur, Virginem Prophetarum oraculis prænunciatam. ita Ildefonſus ſerm. 4. & 6. de Aſſumpt. & lib. de virgin. Mariæ cap. 3. Auguſtinus lib. de Aſſumpt. Damaſcenus lib. 4. cap. 15. Petrus Damianus ſerm. 2. de Natiu. Virg. Anſelmus de excell. Virg. cap. 2. Bernardus Epiſt. 174. & hom. 2. ſuper miſſus eſt, & vtrobiq; multas affert figuras, & prophetias. B. Laurentius Iuſtinianus libro de caſto connubio cap. 3.

Ildefonſus.
Auguſtinus.
Damaſcenus.
Petr. Dam.
Anſelmus.
Bernardus.
B. Laur. Iuſt.

Deipara Apoſtolorum Magiſtra, & ab ipſis laudata.
Symbolum Apoſtolorum.
Auguſtinus.
Dionyſius.

16 Ab Apoſtolis quoque, quorum ipſa fuit Magiſtra, à quia multa didicerũt, vt cap. 19. dicemus, præclaris encomijs eſt celebrata; nam & in ſymbolo honorificentiſſimè eam commemorarunt cum in articulo Incarnationis Chriſti dicitur: *Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria Virgine*, quæ eſt Deiparæ laus præſtantiſſima, vt cap. 5. dixi, ex qua reliqua omnia Virginis bona manarunt: quem articulum Andreæ Apoſtolo tribuit Auguſtinus ſerm. 115. de tempore.

Et vt teſtatur Dionyſius cap. 3. de diuin. nominib. miris præconijs eam extulerunt cum ad eius dormitionem conueniſſent, & quilibet infinitam Dei bonitatem in

Virgine

Virgine pro ſua virili laudibus extollerent, vt rectè Deiparæ aptari poſſit illud Eccleſ. 1. *Et in die defunctionis ſuæ benedicetur.* hoc ipſum pluribus teſtatur Andreas Cretenſis orat. 2. de dorm. Deip. & Damaſcenus orat. 2. de dorm. & allegat Dionyſ. Areop. vt meritò à Cyrillo homil. 6. in Neſtorium, ipſa *præconium* nuncupetur *Apoſtolorum*. & ab Ephræm ſerm. de laud. Virg. *Præconium Patrum, & Apoſtolorum* dicatur: Similiter à Bonauentura in hymno: *Te matrem Dei laudamus, Præconium, & doctrix dicitur Apoſtolorum: Te*, inquit Cyrillus, *Prophetæ prænunciarunt: Te Apoſtoli ſummis laudibus celebrarunt.* Et Idiota in lib. Contemplationum *B.* Virg. cap. 5. *In prædicatione*, inquit, *Apoſtolorum in omnem terram exiuit ſonus tui ſanctiſſimi nominis, & manifeſtum toti mundo factum eſt.* ſic ille. Cuius rei in Hiſpania illuſtre eſt monumentum, Templum ſcilicet B. Virginis de Pylari à S. Iacobo Apoſtolo, qui maior eſt dictus, Cæſarauguſtæ excitatum: de quo fuſius infra cap. 29.

Eccleſ. 1. *Andr. Cret.* *Damaſcenus.* *Dionyſius.* *Cyrillus.* *Ephræm.* *Bonauentura.* *Idiota.* *Cap. 29.*

Damaſcenus orat. 2. de dorm. cum dixiſſet Apoſtolos diuinitus congregatos ad Virginis dormitionem, de ijſdem ſubijcit: *Aderant*, inquit, *Verbi ſerui, vt pro eo ac debebant, ipſius etiã Matri miniſtraturi, benedictionem ex ipſa non ſecus, ac ampliſſimam quandam, ac præſtantiſſimam hæreditatem haurirẽt: ecquis enim dubitet, quin ipſa benedictionis fons, ac bonorum omnium ſcaturigo ſit?* ita Damaſcenus. *Damaſcenus.*

17 Denique omnes Sancti virginis laudes, pietatem, & cultum certatim ſunt proſecuti; quod ſatis conſtat per omnes ætates ab initio naſcentis Eccleſiæ; id quod non minus eruditè, quàm piè probat Caniſius lib. 5. de B. Virg. à cap. 27. ad 31. & nos infra cap. 35. compluribus Sanctorum exemplis perſpicuè oſtendemus, vt meritò de ipſa dictum ſit illud pſalm. 44. quòd de B. Virgine legit Eccleſia in miſſa vigiliæ Aſſumptionis Virginis: *Vultum tuum deprecabuntur* non tantum ex inferioribus, ſed *ipſi diuites plebis*; nimirum magni, & præcipui Sancti: quod de Virgine intelligit Gregor. II. Papa Epiſt. ad Germanum, quæ lecta eſt in ſeptima Synodo act. 4. vbi ait: *Sanctæ Dei matris faciem diuites plebis ſupplicare.* & Athanaſius ſermone de Deipara: *Ideo*, inquit, *vultum tuum deprecantur omnes diuites plebis, ditati ſcilicet iſtiuſmodi bonis, & ſpiritualibus conſolationibus.* ſic Athanaſius. Idem Damaſcenus orat. 1. de Natiu. *Huiuſce*, inquit, *fœminæ perſonam diuites plebis ſupplices deprecantur.* Andreas Cretenſis orat. 2. de dormit. Virg. loquens: *De te*, inquit, *Dauid tuum præfigurans egreſſum prædixit, Vultui tuo ſupplices erunt diuites populi.* Virgini etiam accommodatur in officio Fratribus minoribus conceſſo illud Iob 38. *Quàm laudant aſtra matutina*, ideſt Angeli ſancti. & Bonauentura in Litanijs B. Virginis: *Sancta Maria*, inquit, *quam omnia laudant, & venerantur:* ideò Cant. 6. *Viderunt eam filiæ, & beatiſſimam prædicauerunt, Reginæ, & concubinæ laudauerunt eam;* quaſi dicat, non ſolùm inferiores Sancti per filias ſignificati; ſed ipſæ Reginæ, ideſt præſtantiſſimi Sancti laudauerunt eam, Quare Ephræm in orat. de laud. Virg. vocat eam *Coronam cętus hierarcharum, omniumq; Sanctorum, & Virginum inacceſſam*, ob immenſum fulgorem. & Damaſcenus orat. 1. de Natiu. *Tu*, inquit, *Sacerdotum gloria, Chriſtianorum ſpes.*

Omnes Sancti Virginis fuere deuoti. *Caniſius.* *Cap. 35.* *Pſal. 44.* *Gregor. Papa.* *Athanaſius.* *Damaſcenus.* *Andr. Cret.* *Iob 38.* *Bonauentura.* *Cant 6.* *Ephræm.* *Damaſcenus.*

18 Ex dictis facilè etiam explicare poſſumus *mare illud vitreum ſimile cryſtallo*, quòd in conſpectu ſedis eſſe ſcribitur Apoc. 4. Quomodocumque enim mare illud vitreum ſumatur facilè explicari poteſt, quanam ratione in conſpectu Virginis eſſe dicatur. &, vt omittam reliquas interpretationes, ſi per mare intelligatur hominum multitudo in terra degentium, vt dicit noſter Ribera in Apoc. 4. ex illo Apoc. 17. *Aquæ populi ſunt:* certe omnes in hac vita tanquam in mari perturbationum procellis agitato, & amaritudine pleno, nauigantes in conſpectu Virginis ſumus, & ad eam tanquam maris ſtellam reſpicere; eamq; pro noſtris neceſſitatibus inuocare debemus dicentes: *Ad te clamamus exules filij Euæ, ad te ſuſpiramus gementes, & flentes in hac lacrymarum valle: Eia ergo Aduocata noſtra illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte; & Ieſum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende.* nam, vt rectè Bernardus ſerm. 3. ſuper Salue Regina: *Si vultum tuum*, inquit, *deprecabuntur, Virgo ſacra, omnes diuites plebis, quantò magis pauperes plebis: & ſi pauperes plebis, multo magis egenus, & pauper, opprobriũ hominum, & abiectio plebis.* ſic ille. Sin autem cum Pereria in Apoc. 4. diſp. 16. per Mare vitreũ multitudo innumerabilis animarum ſanctarum in Cœlo exiſtentium intelligatur, quod

Quomodo mare vitreum dicatur ante Thronum. *Apoc. 4.* *Ribera.* *Apoc. 17.* *Offic. Eccleſ.* *Bernardus.* *Pſal. 44.* *Perer.*

Quomodo turba illa Sanctorum ante Thronum, ideſt ante Deiparam. Apoc. 7.

probabilius exiſtimo, vt dixi lib. 1. de ſeptem Angelorum principibus cap. 15. Tunc qua ratione (vt ſuperius dixi) vigintiquatuor ſeniores; eadem etiam hę animæ beatæ Virginem ſanctiſſimam venerantur, eiq; reuerenter aſtant. quod idem dici poteſt de turba illa magna ex omnibus gentibus, & tribubus conflata Apoc. 7. quæ ſtare dicitur ante Thronum Dei, & in conſpectu Agni, quoniam Deum etiam in Virgine reuerentur. niſi malis dicere eo loco illud (ante Thronum) per metonymiam ſumi, nimirum ante ſedentem in Throno, ad quem eiuſdem turbæ vox illa gratulationis mox dirigitur: *Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper Thronum, & Agno:* ſed cum in ſacris eloquijs nihil redundet, cumq; illi non tantùm dicant, *ſalus Deo noſtro*, quod ſatis eſſet ad eiuſdem maieſtatem indicandam (Deo enim nihil eſt ſublimius) ſed etiam addant, *qui ſedet ſuper Thronum*, profectò aliquid peculiare indicari exiſtimamus quod beatiſſimæ Virgini, in qua reſidet Deus, & per quam, vt cap. 15. diximus, pleraq; Dei attributa mirificè mundo innoteſcunt, commodiſſimè aptari poſſit. Et ſanè, quemadmodum rectè animaduertit Beda in Lucæ cap. 1. *Eadem voce*, inquit, *Maria ab Eliſabeth, qua à Gabriele benedicitur, cum ei dicitur, Benedicta tu in mulieribus, quatenus & Angelis, & hominibus veneranda, & cunctis meritò fœminis præferenda monſtretur.* hęc ille. & ipſamet Virgo ſanctiſſima Spiritu ſancto impellente, illud de ſe veriſſimè pronuntiauit: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

Beda. Luc. 1.

SANCTORVM IOACHIM, ET ANNAE
Virginis Deiparæ parentum eximia ſanctitas. Cap. XVIII.

Gloria parentũ B. Virginis ad ipſam, & ad Chriſtum ſpectant. Eccleſ. 3. Bernardus.

I DE Virginis Deiparæ parentibus inclytis, atque ſanctiſſimis dicturi, quòd ſuperiori capite polliciti ſumus, illud primò loco ponendum arbitror ad Virginis gloriam, ſuorum dignitatem Parentum ſpectare: veriſſimùm enim eſt illud Eccleſ. 3. *Gloria hominis, ex honore patris ſui:* ſicut enim ex Bernardo hom. 4. ſuper miſſus eſt: *Quicquid in laudibus Matris Dei proferimus ad filium;* ita ad eiuſdem Deiparæ gloriam dignitas parentum eius pertinet; atq; adeò ad Chriſtum, qui eſt eorum nepos. Et quidem Sancti Ioachim, & Anna parentes Virginis erant: *Clari*, inquit Nicephorus lib. 1. hiſt. cap. 7. *necnon primis quibuſq; & ſplendiſſimis, nobiliſſimisq; genere connumerati*; quippe qui ex nobili proſapia deſcenderant, tot Regũ, & Iudicum populi, quos enumerat Matthæus cap. 1. & Lucas cap. 3. de quibus D. Thomas 3. par. q. 31. art. 3. ad 2. & ita cogniti, vt receptiſſimum eſſet apud omnes Virginem ex familia Dauid genus ducere, vt ſic de Chriſti geneologia conſtaret. Quare Bernardus ſermone Signum magnum, inter Virginis ſtellas duodecim, ex quibus regium Mariæ diadema compactum eſt, non tantùm ſanctitatis, ſed nobiliſſimæ etiam proſapiæ prærogatiuas enumerat: *Quid ergo*, inquit, *ſydereum micat in generatione Mariæ? planè quod ex Regibus orta, quòd ex ſemine Abrahæ progenita, quod generoſa ex ſtirpe Dauid:* nihilominus tamen, *& ſi clara quidem pro auorum titulis*, inquit Petrus Damianus ſerm. 2. de Natiu. Virg. *ſed incomparabiliter clarior generoſitate prolis; filia ſiquidem Regum, ſed mater Regis regum:* eadem quoque ratione Sancti Ioachim, & Anna, licet nobiliſſimis eſſent orti natalibus; incomparabiliter tamen nobiliores ex filia Deipara, & nepote Chriſto Dei filio euaſere; vt omittam hic nobilitatem illam, quam ex inſigni in Deum pietate ſibi compararunt.

SS. Ioachim, & Anna clariſſimi. Nicephorus. Matth. 1. Luc. 3. S. Thom. Bernardus. Apoc. 12. Petr. Dam.

Parentes Virginis nobiliores ex prole, quàm ex proauis.

Interpretatio nominum Ioachim, & Anna. Epiphanius. Fuere ſanctiſſimi, eleemoſynas faciebant. B. Virgo ſponsè paupertatem uoluit. Caniſius 2. Cor. 8.

2 Igitur, vt hinc exordiamur, Ioachim hebraicè idem ſonat, quod *præparatio Domini*; Anna verò idem, quod *gratia* ex Epiphanio ſermone de laud. Virg. quorum nomen quam rectè congruat ijs, quæ per eos Deus effici, ſignificariq; voluit; ex ijs, quæ dicemus, apparebit. Erant autem eximia ſanctitate præſtantes, bona ſua trifariam diuidebãt; partem vnam templo, templiq; miniſtris; alteram peregrinis, & pauperibus; tertiam ſuæ familiæ vſibus impendebant. Vndè colligimus Virginem ſanctiſſimam, quæ bonorum paternorum fuit hæres, pauperem voluntate fuiſſe, quemadmodum probat Caniſius lib. 1. de B. Virgine cap. 4. vt ſic magis aſſimilaretur Chriſto ex ea naſcituro, *qui cum Diues*

eſſet,

esset: pro nobis egenus factus est, & nasci in stabulo, ac sepeliri in alieno sepulchro voluit, & dum vixit *non habebat vbi caput reclinaret*. Parentes porrò Virginis vsque ad senectutem absque liberis steriles fuere, quod apud Iudeos probrò ducebatur; quasi maledictus esset sterilis, qui semen non faceret in Israel, quod testatur Hieronymus in Isaiæ 56. in illa verba: *Dicit Dominus Eunuchis*. & Augustinus quæst. 92. in Exod. & lib. 14. contra Faustum cap. vlt. Quare magno prolis desiderio flagrantes, preces cum lacrymis ardentibus, & ieiunio ad Deum enixius fundentes, prolem, quam suscepissent, Deo se dicaturas vouerunt: Tandem Dominus desiderium pauperum exaudire solitus per Angelum Ioachimo in monte, & Annę in horto prænunciauit, promisitq; filiam futuram venturi Messiæ matrem, quàm iussit vocari Mariam, eamq; octauo Decembris concepit Anna, & die octauo sequentis Septembris feliciter enixa est: eandem postea trimulam ex voto obtulerunt in Templum. fertur autem Ioachim octogenarius, Anna verò septuaginta nouem annorum obijsse, filiamq; in Templo eo tempore vndecimum annum agentem reliquisse.

Ioan. 19.
Matth. 8.
Sterilitas apud Iudæos probrò ducebatur.
Hieronymus.
Augustinus.
Enixè prolem à Deo petebant.
Promittitur illis filia mater Messiæ.
Quo tempore obierunt.

3 Hæc pauca de parentibus Virginis ex probatis Auctoribus collegimus, quæ nunc auctoritatibus Patrum confirmabimus, quibus aliqua subijciemus, quæ eorum in Deum pietatem magis declarant. S. Epiphanius sermone de laud. Virg. *Sancta*, inquit, *Virgo de Tribu regia Dauidis, sanctorum virorum filia, cuius parentes Ioachim, & Anna, qui quidem in vita sua Deo placuerunt, atque fructum eiusmodi germinarunt sanctam Virginem Mariam, Templum, & simul matrem Dei. Ioachim porrò, Anna, & Maria, hi tres Trinitati palam sacrificium laudis offerebant; Ioachim enim interpretatur præparatio Domini, eo quod ex illo præparatum sit templum Domini, nempe Virgo; Anna rursum similiter gratia interpretatur, propterea quod Ioachim, & Anna gratiam acceperunt, vt accedentibus precibus talem fructum germinarent sanctam Virginem adepti; Ioachim, siquidem precabatur in monte, & Anna in horto suo: Anna verò grauida effecta cœlum, & thronum Cherubicum peperit, sanctam puellam Mariam.* Idem hæres. 78. dicit Virginem ex conceptione viri, & mulieris secundum promissionem veluti Isaac disposita. & hæres. 79. *Virgo*, inquit, *per preces, & omnem diligentiam secundum promissionem Patri, & matri data est.* & paulò post: *Historia*, inquit, *Mariæ, & traditiones habent, quod dictum est patri suo Ioachimo in deserto, vxor tua concepit, Angelus præuaticinatus est id, quod futurum erat iam ex Deo ordinatum, & iusto promissum.* Hæc Epiphanius.

Parentes Virginis sanctitate eximij Epiphanius.
Etymologia nominum eorum.
Historia Mariæ.

Hieronymus, siuè alius Auctor libri de ortu, seù natiuitate Mariæ, qui in tom. 9. operum Hieronymi habetur, multa ex ijs, quæ diximus refert, & præsertim piam illam bonorum diuisionem tripartitam à Sanctis Ioachim, & Anna fieri solitam, addit Angelum sancto Ioachimo apparuisse, eiq; inter alia: *Anna* inquit, *vxor tua pariet tibi filiam, & vocabis nomen eius Mariam. Hæc enim erit, vt vouistis, ab infantia Domino consecrata, & Spiritu sancto replebitur, adhuc ex vtero matris, & ætate procedente, sicut ipsa ex sterili nascetur, ita incomparabiliter Virgo generabit Altissimi filium, qui Iesus vocatur.* & infra, eadem ab Angelo sanctæ Annæ dicta commemorat. hæc ibi. Hunc libellum tanquam pium ex hebraico in græcum, & in latinum conuersum recipit noster Canisius lib. 1. de *B.* Virgine Maria. & quidem omnia penè, quæ ibi leguntur, vno vel altero dempto apud grauissimos Auctores inueniuntur, & videtur libellus hic citari, & probari ab Epiphanio hæres. 79. vt diximus. & à Gregorio Nysseno oratione de humana Christi generatione. Simeone Metaphraste de ortu, & dormitione Mariæ, vbi eam appellat *arcanam, & occultam historiam*. & ab Auctore imperfecti in Matth. homil. 1. Nam Epiphanius hæres. 26. contra Gnosticos alium librum refert dictum styrps Mariæ, vnde mendacia aliquot prodierunt, & hunc reprobat Gelasius cap. sancta Romana Ecclesia 16. distinct. vide Christophorum de Castro nostræ Societatis in sua historia Deiparæ piè pariter, atque eruditè ex sanctis Patribus collecta, vbi in catalogo Auctorum in Hieronymo hunc libellum de ortu Mariæ ab omni calumnia egregiè vindicat. & sanè Hieronymus Epiphanio familiaris historiam, ac traditiones de Conceptione, & ortu B. Virginis ab Epiphanio hæres. 78. citatas facilè cognoscere potuit, easq; litteris mandare.

Liber de ortu Mariæ.
Tripartita bonorum diuisio.
Prænunciatur nomen prolis Maria.
Liber de ortu, & natiuitate Mariæ inter opera Hieronymi recipitur à multis.
Canisius.
Epiphanius.
Gregor. Nyssen.
Sim. Metaph.
Auctor imperfecti.
Epiphanius.
Liber dictus styrps Mariæ reijcitur.
Gelasius.
Christ. de Castro
Hieronymus.
Epiphanius.

4 Damascenus multa in laudem sanctorum Ioachim, & Annæ dicit in orat. 1. & 3. de Natiuitate Virginis. & in orat. 1. laudat eos ob pudicitiam: *O*, inquit, *par beatum Ioachim,*

Damascenus.

Parentes Virginis pudiciſſimi.

chim, & Anna; quibus omnis creatura eſt obſtricta: per vos enim donum omnium donorum præſtantiſſimum Creatori obtulit, nempe caſtam matrem, quæ ſola Creatore digna erat. & infra: O caſtiſſimum ratione præditarum turturum par, Ioachim, & Anna; Virginem Dei matrem mundo peperiſtis. & infra: Ioachim, & Anna tanquam ſpirituales montes dulcedinem ſtillarunt. & orat. 3. de Natiu. Meritò, inquit, vir diuinus Ioachim, & Anna eius vxor diuina prouidentia vocati Precationis fructum perceperunt, hanc, inquam, Reginam, & noſtræ maſſæ primitias. & orat. 1. de dormit. Virg. Ab Anna, inquit, Dei genitrix ex pollicitatione prodit, Angelus quippe parentibus conceptionem nunciat, & lib. 4. de fide orthodoxa cap. 15. Ioachim, inquit, lectiſſimam illam, ac ſummis laudibus dignam mulierem Annam matrimonio ſibi copulauit. Verùm quemadmodum priſca illa Anna cum ſterilitatis morbo laboraret, per orationem, ac promiſſionem Samuelem procreauit: eodem modo hæc etiam per obſecrationem, & promiſſionem Dei genitricem à Deo accepit, vt ne hic quoque cuiquam ex illuſtribus matronis cederet: itaq; gratia (nam hoc ſonat Annæ vocabulum) Dominam parit (id enim Mariæ nomine ſignificatur) verè etenim rerum omnium conditarum domina facta eſt, cùm creatoris mater extitit. In lucem autem editur in domo probaticæ Ioachim, atque ad templum adducitur. hæc Damaſcenus.

Ioel 3.

B. Virgo ex parentibus ſterilibus naſcitur. 1. Reg. 1.

B. Virgo naſcitur in domo probaticæ Ioachim. Cur ex ſterilibus parentibus nata.

Ioel 3.

Germ. Patriar.

qui etiam orat. 1. de Natiu. Virg. quærit cur Virgo mater ex ſterili orta ſit: Quoniam, inquit, oportebat, vt ad id, quod ſolum ſub ſole nouum erat, ac miraculorum omnium caput, via per miracula ſterneretur. ita Damaſcenus.

Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus in oratione de Virginis præſentatione, introducit ſanctam Annam loquentem cum Zacharia parente præcurſoris, & inter alia illi dicentem: Ego, inquit, cum eſſem ſub dio in meo horto, oculos in cœlum tollens, pectus autem meum manibus verberans, clamaui ad Deum, qui eſt in cœlis; meus autem coniux cum eſſet ſolus in monte, & ieiunaret quadraginta dies, eadem à Deo ſupplex petebat. ſic ergo flexus, qui eſt paratus ad miſericordiam, & benignus Dominus, amborum precibus, miſit diuinum Angelum nobis prænunciaturum meæ filiæ conceptionem. hæc Germanus.

Ioachim quadraginta dies ieiunat.

Georg. Cedren. Tempus mortis parentũ B. Virginis.

Georgius Cedrenus in compend. hiſtor. Ioachim, inquit, octogenarius deceſſit, Anna verò annos nata vnde octoginta vitam finiuit, ab ijs in Templum deducta Dei genitrix anno ætatis ſuæ tertio. Litteras verò hebraicas ſuperſtite etiam Ioachimo didicit.

Cur nomen parentum Deiparæ in ſcripturis non habeatur. Ambr. Cathar.

At rogabit quiſpiam, quid cauſæ fuit, quod in ſacris litteris nomen Parentum Deiparæ non exprimatur? Reſpondet Ambroſius Catherinus in Commentarijs in cap. 3. Geneſis. In diuinis ſcripturis haberi beatiſſimam Virginem eſſe Dei Genitricem, vt tota eius nobilitas non ex parentibus, ſed ex prole ſacratiſſima conſideretur; ex quo colligatur etiam illud, eam à peccato originali propter Chriſtum eius filium extitiſſe immunem: nam parentes Deiparæ quamuis, vt diximus, nobiliſſimi, atque ſanctiſſimi, nihilominus contraxerunt originalem noxam, quàm tamen in filiam ſingulari Dei priuilegio non tranſmiſerunt.

Auctores qui de Virginis parentibus mẽtionem faciunt. Gregor. Nyſſen. Andr. Cretenſ. Metaphraſtes. Serg. Hagiopol. Nicephorus. S. Antoninus. S. Vincentius. Caniſius. Baronius. Petr. Gelaſius. Suarius. Sebaſt. Barrad. Chriſtophor. de Caſtro.

Et profectò complures alij grauiſſimi Auctores præclarè de ſanctitate, ac generis nobilitate parentum Virginis ſcripſere; quorum locos ſatis erit indicare. Gregorius Nyſſenus oratione de humana Chriſti generatione. Andreas Cretenſis orat. 1. de dormit. Virg. Metaphraſtes oratione de vita, & dormitione Deiparæ, & refert Nyſſenum. Sergius Hagiopolita oratione de natali Mariæ. Nicephorus lib. 1. hiſtor. cap. 7. S. Antoninus 1. par. hiſtor. tit. 4. cap. 6. §. 10. S. Vincentius ſermone de Natiu. Virg. Recentiores etiam, vt Caniſius lib. 1. de B. Virg. cap. 4. Baronius in appar. ad Annal. fol. 23. & in notis ad Martyrol. ad diem 20. Martij, & 26. Iulij. Petrus Gelaſinus in notis ad Martyrologium die 20. Martij. Suarius tomo 2. 3. par. diſput. 4. ſect. 2. Noſter Sebaſtianus Barrada lib. 6. in concord. Euang. cap. 3. Chriſtophorus de Caſtro in hiſtoria Deiparæ capit. 1. & 2.

Rationes quibus ſanctitas parentum Virginis oſtenditur. Damaſcenus. Matth. 7.

Et ſanè ſanctos Ioachim, & Annam fuiſſe eximia ſanctitate conſpicuos, præter dictorum Patrum auctoritatem, multa id perſuadent. & primo id probatur ex fructu, ſeu filia, quam genuerunt: vnde Damaſcenus orat. 1. de Natiu. Virg. O beatum, inquit, par Ioachim, & Anna, profectò ex ventris veſtri fructu immaculato agnoſcimini, quemadmodum Chriſtus quodam loco dixit, Ex fructibus eorum cognoſcetis eos, vt Deo gratum, ac dignum ea, quæ à vobis genita eſt vitæ veſtræ rationes inſtituiſtis. hæc Damaſcenus.

Quòd

Quòd si Protarchus Philosophus,teste Aristotele lib.2.physic.text.59. *Fortunatos dixit esse lapides,ex quibus altaria fiunt,quæ ab hominibus honorantur*; fortunatum tamen esse,lapidibus inanimis non nisi metaphoricè tribui potest; quantò magis Virginis parentes beatissimos,& magno à Deo honore nobilitatos censebimus; ex quibus Deipara, quæ est Altare Dei animatum,& sacratissimum,quemadmodum cap.8. diximus, & singulari reuerentia adorandum,efformatum est. Aristoteles. Lapides altaris fortunati metaphoricè dicuntur. Parentes præcursoris Sancti, quàtò magis parentes Deiparæ.

Secundò, si sancti Zacharias, & Elisabeth parentes S. Ioannis Baptistæ præcursoris Domini sanctitate insignes describuntur à Luca: *Non enim solum mores*,inquit Ambrosius lib.1.in Lucam, *in ijs,qui prædicabiles sunt, sed etiam parentes oportere laudari, vt veluti transmissa immaculatæ puritatis hereditas in ijs, quos volumus laudare,præcellat*: quales ergo existimabimus Virginis Deiparæ parentes, quæ absque vlla comparatione magis spectabat ad Christum,quam præcursor: imò ex egregia sanctitate præcursoris, Christi ore laudata illis verbis, Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista,& ex insigni etiam sanctitate S.Ioseph sponsi Virginis,& nutritij Christi, infero eximiam quoque sanctitatem parentum Virginis,qui genuerunt eam,ex qua Christus carnem accepit,& quorum Christus verè fuit nepos.Neque hic comparationem inter Sanctos inducere contendimus,cum spirituum ponderator sit Dominus Prouerb.16.sed ex vnius excellentia alterius præstantiam colligere conamur. Luc. 1. Ambrosius. Matth. 11. Prouer. 16.

6 Tertiò,etymologia nominum ipsorum, quę non vacat mysterio, hoc etiam ostendit, etenim ex Epiphanio sermone de laud.Virg. vt supra diximus, Ioachim idem est, quod *præparatio Domini*, eo quòd ex illo dicit præparatum fuisse templum Domini,idest Virginem; Anna verò idem est, quod *gratia*: si ergo Virgo Deipara per Salomonis templum figuratur,vt complures Patres,quos cap.5.citaui affirmant,& Ioachim idem sonat, quod *præparatio Domini*, quoniam ex Epiphanio est præparatio huius mystici templi; nempe Virginis; sanè præparatio pro templo Salomonis fuit magnificentissima, ergo magnificè sentire debemus de præstantia S.Ioachim,& simul etiam S.Annę,quę ad hoc ipsum cum eo concurrit. vt autem præparationem templi Salomonis ex parte intelligamus,meminisse oportet Dauid 1.Paral.22.dixisse se pro templo *præparasse in pauperta-te sua auri talenta centum millia*,quæ conficiunt, (vt ex nostro Villalpando dixi supra cap.4.) mille sexcentos octoginta tres milliones, vt vocant, scutatorum monetæ Romanæ, & præterea argenti mille millia talenta,quæ mille quadrigentos quadraginta milliones dictæ monetæ conficiunt: æris verò, & ferri non erat pondus,lapides pretiosos,marmor parium 1.Paral.cap.29.abundantissimè collectum præter aurum, & argentum,æs,& ferrum,quòd principes cum populo spontè dederãt, cuius summa 1.Paral.29. habetur. Rationem autem huius tantæ præparationis templi reddit Dauid: *opus namq; grande est; neque enim homini præparatur habitatio,sed Deo:* quòd si hoc de materiali, & inanimato, multò magis de spirituali, & animato templo verùm erit, nimirum de B.Virgine. Scio intrinsecas partes ad hanc præparationem mystici templi fuisse dona, & priuilegia,quibus Deiparæ anima fuit exornata,vt dixi cap.4. nihilominus tamen ex Epiphanio,& etymologia nominis non sine diuino nutu illi impositi,Ioachimum significare præparationem huius templi, à quo nimirum genita fuit Deipara. Ergo de ipso quoque verùm erit fuisse multiplici virtutum genere ornatum simul cum sancta Anna Virginis matre charissima, quæ *gratiam* sonat; quòd paritura esset eam,quæ gratia fuit plena; quæq; gratiam inuenit apud Deum,& abundè potest nobis illam impetrare: imò quæ auctorem gratiæ Christum Dominum mundo allatura erat. *& quoniam omnia in Virgine*, vt ait Germanus oratione de Zona Deiparæ, *sunt admirabilia & naturæ vires excedentia, in qua Deus suam exeruit potentiam, quippe in qua fecit magna qui potens est*, proinde etiam ipsius parentes singulari sanctitate propter filiam ornatos fuisse dicendum est: & sicut *lapides in fundamenta templi* ex 3.Reg.5. *erant grandes, pretiosi, & quadrati*, idest minimè rustici,& impoliti; ita Virginis parentes, qui veluti lapides sunt huius templi fundamentales,fuere grandes, & pretiosi, & omni ex parte politi, ac quadrati, virtutibus diuinitus ita instructi, vt in omnibus sicut oportebat se optimo modo gererent, sursum erga Deum, deorsum erga inferiores, dextrorsum in prosperis, sinistrorsum in aduersis,ante in apertis tentationibus,retro in occultis, vt sic vndiq; perfe- Sanctitas eorum ex etymologia. Epiphanius. 3 Reg.6. Præparatio pro templo Salomonis mystice Virginis parentibus aptatur. 1.Paral.22. Villalpandus. 1. Paral.29. 1.Paral.29. Epiphanius. Luc.1. Germanus. Luc.1. 3.Reg.5. Parentes Virginis quadrati mystice.

ti tales essent, quos nec Virgo suos parentes, nec Christus suos auos agnoscere dedignentur: & sicuti aqua quò vicinior fonti vbi surgit, eò purior; ita Virginis parentes, qui viciniſſimi fuere Deiparæ, de qua natus ex Christus fons vitæ perennis, fuere propterea sanctitate præclariſſimi.

Parentum Virginis preces impetrant filiam.

7 Quartò, Virginis parentes tanta apud Deum sanctitate fulgebant, vt plerique; Patres eorum precibus tribuere non dubitent, quòd ipsi talem, tantamq; filiam à Deo per Angelum promiſſam genuerint. Epiphanius enim hæres. 79. *Virgo*, inquit, *per preces, & omnem diligentiam secundùm promiſſionem patri, ac matri data est.* Nyssenus loco citato: *Anna sterilis imitatur*, inquit, *matrem Samuelis, supplicat Deo, & donum, quod petijt, accepit.* & Damascenus orat. 3. de Natiu. *Meritò*, inquit, *vir diuinus Ioachim, & Anna eius vxor diuina prouidentia vocati, precationis fructum perceperunt, Hanc, inquam, Reginam.* & lib. 4. de fide cap. 15. *Sicuti Anna*, inquit, *sterilis per orationem, ac promiſſionem Samuelem procreauit, eodem modo hæc etiam per obsecrationem, & promiſſionem Dei genitricem à Deo accepit.* Cæterùm votum postea statim, vbi Virgo ablactata fuit reddiderunt, ex quo etiam eorum pietas perspicitur, qui filiam vnigenitam, dilectam, diù desideratam, moribus amabiliſſimis præditam, trimulam in templo diuinis obsequijs educandam reliquerunt.

Epiphanius.

Nyssenus.

1. Reg. 1.

Damascenus.

Ambrosius.

Quòd enim parentibus chariſſima fuerit satis indicat Ambrosius lib. 2. de virginibus; vbi de virtutibus agens Deiparæ: *Quando*, inquit, *vel vultu ista læsit parentes? quando dissensit à propinquis?* & infra: *Quid in singulis morer, vt eam parentes dilexerint, extranei prædicauerint?* & Damascenus orat. 1. de Natiu. *Deipara parentibus*, inquit, *erat morigera, & dicto audiens.*

Damascenus.

Quisnam Angelus Virginis natiuitatem annũtiat.

Franc. Mayr. Gabriel annuntiat.

Pantaleon.

Ioannes Bileth.

Petr. de Natal.

Nomen Mariæ præsignificatur ab Angelo.

Genes. 17.

Luc. 1.

Quæres, quisnam Angelus conceptionem Virginis prænuntiarit, & an nomen Mariæ imponendum illis præscripserit. Respondet Franciscus Mayronus sermone super Missus est, à Gabriele vno ex supremis id factum: *Nam maior*, inquit ipse, *est connexio mysteriorum in generatione Virginis ad mysteria generationis Christi, quàm connexio mysteriorum S. Ioannis Baptistæ, & Christi:* & ideò cum ex ista connexione fuerit idem Angelus Gabriel, multò magis in illa. Pantaleon etiam apud Metaphrastem in oratione de S. Michaele, ait: *Gabrielem S. Annæ conceptionem Virginis nunciasse.* Idem affirmat Ioannes Bileth, & Petrus de Natalibus in catalogo Sanctorum lib. 3. cap. 226. Verisimile etiam est, & nomen præsignificasse parentibus, sicut & prædictum fuit nomen Isaac Genes. 17. & Ioannis Baptistæ Luc. 1. quod cap. 4. ostendimus.

Coniugium parentum B. Virg. castissimum.

Damascenus.

S. Brigitta.

8 Ad sanctitatem etiam parentum Virginis facit puritas, & honestas coniugij ipsorum; propter quam à Damasceno orat. 3. de Natiu. vocantur *castissimum par turturum ratione prædictarum.* & S. Brigitta lib. 1. reuelationum cap. 9. refert reuelationem sibi à Virgine factam in hæc verba: *Filius meus coniugium patris mei, & matris tanta castitate coniunxit, vt tunc non inueniretur castius coniugium, & nunquam conuenire vellent, nisi iuxta legem, solummodo causa suscitandi prolem, & voluptas in eis mortua erat; ex charitate diuina, & ex verbo Angeli conuenerunt carne, non ex concupiscentia aliqua voluptatis, sed contra suam voluntatem ex diuina dilectione, & sic ex semine eorum per diuinam charitatem caro mea compaginata est.* ita in reuelationibus S. Brigittæ. Hanc reuelationem refert Dionysius Carthusianus lib. de laud. Virg. art. 6.

Dionys. Carth.

In ijsdem quoque reuelationibus in sermone angel. cap. 10. Angelus agens de coniugijs per copulam consummatis: *Deus*, inquit, *dum vniuersa iusta, & honesta coniugia, quæ à primi hominis creatione, vsque in diem nouissimum fieri debebant, prospiceret, nullum simile Ioachim, & Annæ coniugio in omni diuina charitate, & honestate præuidit, & idcirco ei placuit de hoc sancto coniugio honestissimæ suæ matris corpus generari.* hæc ibi. Sanè Petrus Galatinus lib. 7. de arcanis catholicæ veritatis cap. 8. astruit, summam fuisse illorum puritatem in Virginis conceptione: ait enim sanctos Ioachim, & Annam cum ad generationem Virginis ab Angelo sibi nuntiatæ carnaliter sunt copulati, ardenti deuotione, & vehementi contemplatione, quam ambo habuerunt, & spirituali animi delectatione, omnem corporis effrenatam voluptatem, concupiscentiam, & libidinem extinxisse. Quòd ex peculiari Dei voluntate, ac priuilegio proueniſſe dicit ad maiorem Deiparæ concipiendæ excellentiam, idq; probat exemplo solis, cuius lumen tollit, seù occul-

Petr. Galatin.

Parentes Virginis in eius generatione non sensere effrenatam concupiscẽtiam.

occultat lumen candelæ; & exemplo eius, qui dum vni rei nimis intendit, non exercet alios sensus. Addo ego exemplum Loth, qui vino inebriatus non sensit quando concubuit cum filiabus. Ita parentes sanctissimæ Virginis amore spirituali ebrij, sed tamen optimè cognoscentes quid faciebant, non sensere ex Dei priuilegio, effrenatam illam concupiscentiæ voluptatem, eo modo: *Quo primi parentes*, inquit Galatinus, *si non peccassent, filios in paradiso terrestri procreassent.* De generatione porrò in statu innocentiæ Augustinus lib. 13. de Trinit. cap. 18. & lib. 14. cap. 26. dicit futuram fuisse *sine libidinis morbo, & sine ardore, ac illecebroso stimulo cum tranquillitate animi, & corporis.* & S. Thomas 1. par. q. 98. art. 2. ad 2. dicit *delectationem in eo actu futuram fuisse sine deformitate immoderatæ concupiscentiæ: at in natura lapsa homo coitus delectationem, & feruorem concupiscentiæ ratione moderari non potest.* sic D. Thomas. Illud quoque apud me certum est nullum peccatum veniale, ne leuissimum quidem in illis Sanctis parentibus, cum Virginem generarunt, accidisse, quod notat Barrada loco citato.

Genes. 19.

Augustinus.

S. Thom.

Barrada.

9 Denique accedat auctoritas Ecclesiæ ad fidem sanctitatis parentum Virginis faciendam. De sancta Anna festum duplex celebrat die 26. Iulij cum hac collecta: *Deus, qui B. Annæ gratiam conferre dignatus es, vt Genitricis vnigeniti filij tui mater efficì mereretur, concede propitius, vt cuius solemnia celebramus, eius apud te patrocinijs adiuuemur, per eundem Dominum nostrum, &c.* De S. Ioachimo honorificam mentionem facit in Martyrologio iussu Gregorij XIII. edito die 20. Martij, vbi sic habetur: *In Iudæa S. Ioachim patris sanctissimæ Genitricis Dei Mariæ.* In martyrologio, ad quod notas fecit doctissimus Petrus Galesinus sic habetur 20. *Martij in Iudæa S. Ioachim patris B. Virginis Genitricis Dei Mariæ, cuius dies natalis agitur ex instituto Iulij II. Pontificis.* hæc in martyrologio illo. Huius institutionis Iulij II. Pontificis meminit Cornelius Schulsingius in Bibliotheca Ecclesiastica, seù Commentarijs in Breuiarium, & Missale tomo 2. fol. 185. in annotatione marginali ad festum sanctæ Annæ, & fol. 17. vbi de Sanctis veteris testamenti. Nam in notis testatur Galesinus alios hoc festum celebrare 16. Octobris. teste Maffeo in Chronicis, & Ecclesiam Curiensem quinto idus Decembris. Græci verò eius festum celebrant statim post natiuitatem Virginis, nimirum nono Septembris, vt videre est in Menologio, quòd è græco transtulit Genebrardus. In antiquo Missali ante Pij V. tempora festum S. Ioachimi habetur in Calendario die 20. Martij, & hoc fortè iuxta institutum Iulij II. vt diximus, & eius missa inter missas votiuas legitur cum hac oratione: *Deus, qui B. Ioachim præ omnibus Sanctis tuis in vnigeniti filij tui incarnati Auum, à quo purissima illius mater, & virgo dignè generaretur, elegisti; concede propitius, vt cuius festa debito honore veneramur in terris, hic tuæ gratiæ, & tandem donis gloriæ repleamur. Per eundem Dominum nostrum, &c.* Et in officijs proprijs festorum Ordinis Minorum à Pio V. approbatis, prescribitur officium duplex S. Ioachim 20. Martij ex communi Confessorum non Pontificum. Sunt etiam templa, & aræ in eius honorem dicatæ, & speramus aliquando auctoritate summi Pontificis in Kalendarium Breuiarij restituendum eius festum; vt sicuti in ordine minorum, ita in vniuersali Ecclesia celebretur, non secus ac à Gregorio XIII. S. Annæ festum communi populi christiani lætitia, & exultatione est restitutum anno 1584.

Ecclesia festum celebrat de S. Anna, & in martyrologio de S. Ioachimo meminit.

Martyrologium Petr. Galas.

Natalis S. Ioachim agitur decreto Iulij II. Corn. Schulsing.

Missale Roman.

Galasinus.

Maffeus.

Genebrardus.

Calendarium.

Eius missa erat in antiquo Missali.

Collecta de S. Ioachim. Missale Rom.

Eum celebrant Fratres Minores.

Templa S. Ioachim.

10 Ad extremum nonnulli, vt S. Vincentius sermone 2. de Natiu. Virg. S. Antoninus loco citato, S. Ioachim comparant cœlo. Primò, quia eius vita tota erat cœlestis, propter morum integritatem, ac cœlestem conuersationem. Secundò, propter lumen gratiæ, & doctrinæ legis, qua erat præditus. Tertiò, propter puritatem castitatis coniugalis. Sanctam verò Annam assimilant terræ. Primò, quia erat inanis, & vacua per sterilitatem, sed postea satis fructifera. Secundò, instar terræ fuit stabilis, ac firma in Dei obsequio. Tertiò, fuit velut ager ille, in quo absconditus est thesaurus Matth. 13. quem venditis omnibus, negotiator euangelicus emit: ita in eius vtero concepta fuit Deipara, thesaurus pretiosissimus, quæ eximiam S. Annæ dignitatem attulit. Quare in reuelat. S. Brigittæ in serm. angel. c. 10. S. Anna nuncupatur *omnipotentis Dei Gazophylacium*, quia ipsius thesaurum super omnia sibi amabilem in suo vtero recondebat: *O quam propè*, inquit, *erat iugiter cor Dei huic thesauro, qui postmodum in Euangelio dixit, Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* hæc ibi. De S. Anna quidam meritò sic canit.

S. Vincentius.
S. Antoninus.
S. Ioachim comparatur cœlo, & Anna terræ stabili, & habenti thesaurum.
Genes. 1.
Matth. 13.
S. Brigitta.
Matth. 13.

Salue

,, *Salue parens sanctissima*,
,, *Sacro Beata coniuge*,
,, *Sacratiore filia*,
,, *Nepote sacratissimo*.

Inuocandi B. Virginis parentes.

Hos sanctissimos Virginis parentes peculiari reuerentia colamus, ex eo, quòd tãlem nobis filiã genuerint;ijsdẽ gratulemur,enixè eos rogantes,vt nos Deiparæ ipsorum filiæ sedulò commendent ; quæ nostri,quamuis indigni simus,patrocinium suscipiat,ac retineat. Eorum enim interceſſionem apud Virginem plurimum valere inde colligere possumus, quòd apud bonos filios magnum pondus habeat parentum auctoritas. quare Gerson inde infert S. Iosephi preces apud Christum ; cuius fuit pater, vt vocant, putatiuus;& apud Virginem; cuius fuit sponsus,esse efficaciſſimas, ait enim in sua Iosephina.

Interceſſio eorũ plurimum apud Deiparam, & apud Christum valet. Gerson.

,, *Quanta ò fiducia, quanta est*
,, *Vis impetrandi ; quia dum vir, dum pater orat,*
,, *Vxorem, & natum,velut imperium reputatur.*

Quòd idem proportione sua de sanctissimis Ioachim, & Anna veris Deiparæ genitoribus,& Christi Domini auis,ratione precum,quas ad Christum,eiusq; matrem pro nobis fundunt,meritò dicere possumus.

QVATVOR EVANGELISTAS IN QVATVOR animalibus designatos Virginis Deiparæ præstantiam celebrare, Hæreticorumq. contra eam blasphemias redarguere. Capite XIX.

Apoc. 4. De quatuor animalibus.

1 

Vintum de throno Dei est illud de quatuor animalibus, quorum primum Leoni,secũdum Vitulo,tertium Homini, quartum Aquilæ volanti simile dicitur:quæ senis alis prædita,plena oculis ante, & retro, in medio, & in circuitu diuinæ sedis erant. Hæc igitur animalia licet multifariam à diuersis interpretibus accipiantur,vt fusè lib. 1. de septem Angelorum principibus cap. 18. dixi ; eaq; omnia facilè ijs, quæ de *B.*Virgine per Dei thronum significata dicimus,aptari possint: per illa tamen, iuxta communem Doctorum interpretationem,quatuor Euangelistas exprimi arbitramur ; qui in medio, & in circuitu sedis Dei esse dicuntur, quòd in medio sedis, ab ipso scilicet Deo, didicerint quæ in suis Euangelicis scriptis consignarũt;quibus Dei sedem,Deiq; maiestatem, tanquam strenui,ac vigiles stipatores defendunt:quæ omnia etiam ijs, quæ de B.Virgine tractamus,si per Dei thronum sumatur,valdè consentiunt. Sancti enim Euangelistę pleraq; in medio huius throni,nimirum ab ipsa Virgine didicerunt; eamq; circumdãt dum suis Euangelijs eam celebrant, & ab omni hæreticorum vesania defendunt. Ad hanc rem enodatius explicandam; ostendam primum Virginem Magistram fuisse fidelium, præsertim Apostolorum, & Euangelistarum, qui ab ea multa acceperunt, quæ in Euangelijs posuerunt: & quoniam magistra fuit illorum,propterea Doctorum aureola esse insignitam. Secundò, in sacra Euangeliorum historia quàmplurima Virginis gloriam commendare,vt propterea sacri Euangelistæ Virginem circumdare dici possint.

Euangelistæ significati p quatuor animalia B. Virginem celebrant.

Quæ tractanda.

Sancti Euangelistæ multa à Virgine didicerunt de vita Christi mysteriis. Luc. 1. & 2.

2 In primis sancti Euangelistæ multa præsertim quæ ad S.Ioannis Baptistæ præcursoris conceptionem,& natiuitatem spectant,ad Christi incarnationem,ad visitationem S.Elisabeth,& mysteria ibi peracta,ad Christi Natiuitatem,Circumcisionem,Magorum adorationem, Præsentationem in Templo, ad fugam in Aegyptum,ad eius duodennis in templo inter Doctores inuentionem, & ad descensum in Nazareth, vbi erat subditus Matri,& Ioseph, vsque ad baptismum Ioannis; ea omnia à Virgine, *quæ conseruabat* (vt dicitur Luc.2.) *verba omnia conferens in corde suo*,acceperunt. quapropter S.Lucas initio sui Euangelij: *Sicut*, inquit, *tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis*.

Luc. 2. Luc. 1.

Euseb. Emissen.

De quo Eusebius Emissenus sermone 2.de Natiuitate Domini: *O Mater*, inquit, *sapientissima*

pientiſſima,ò ſola talis filij digniſſima, quæ omnia verba hæc in corde ſuo ideo conferebat, nobisq; conſeruabat, & memoriæ commendabat, vt poſtea ipſa docente, ipſa narrante, & nunciante ſcriberentur,& in vniuerſo mundo prædicarentur,cunctisq; nationibus nunciarentur;ab ipſa hæc Apoſtoli audierunt,& ipſa dictante ſcripſerunt,nobisq;legenda mandauerunt.& infra:*Quædam Apoſtoli,& Euangeliſtæ à matre Domini audierunt,quemadmodum iſta,& cætera,quæ de Saluatoris infantia ſcripta ſunt.* ſic Emiſſenus.

Sophronius ſermone de Aſſumpt.*Eximius,*inquit,*ille Apoſtolorum chorus poſt Domini Aſcenſionẽ non deſeruit eam, inter quos ipſa poſt reſurrectionem intrãs,& exiens,familiarius contulit de Incarnatione:tantò ſiquidem verius, quantò ab initio plenius per Spiritum ſanctum cuncta didicerat,& perſpexerat oculis vniuerſa:licet & Apoſtoli per eundem Spiritum ſanctum omnia cognouerint,& in omnem edocti peruenerint veritatem.* hęc ille. Sophronius.

Hoc idem teſtatur Ildefonſus ſerm.5.de Aſſumpt. Ildefonſus.

3 Bernardus hom.4.ſuper miſſus eſt:*Ideò,*inquit, *potius conceptus Eliſabeth Mariæ nunciatus eſt,vt dum nunc Saluatoris,nunc Præcurſoris edocetur aduentus, rerum tempus, & ordinem tenens,ipſa melius poſtmodum ſcriptoribus, ac prædicatoribus Euangelij reſeraret veritatem; quæ & plenè de omnibus à principio cœlitus fuit inſtructa myſterijs.* Idem Bernardus luculenter hoc docet ſerm.de B.Maria,qui habetur tom.2.ſuorum operum, cuius verba ſupra cap.9.citauimus,cum ageremus,Virginem Chriſti doctrinam diligenter audiſſe, & alijs tradidiſſe. Bernardus. Bernardus. Luc.1.

Ambroſius de inſtit.Virg.cap.7. ait: *Mirum non eſſe præ cæteris Ioannem loquutum, fuiſſe myſteria diuina,cui præſto erat aula cœleſtium Sacramentorum.* Ambroſius.

Idem cõfirmat S.Antoninus 4.par.tit.15.c.22.§.9. & 3.par.tit.31.c.3.§.3.in 8.priuil. *Aſcendente,*inquit,*Chriſto remanſit Magiſtra Doctorum Eccleſiæ,Apoſtolorum, & Euangeliſtarum.Vnde dicitur Act.1.Hi omnes erant perſeuerãtes in oratione cum Maria matre Ieſu.Conuerſabatur,*inquit Hieronymus,*poſt filij ſui aſcenſionem cum Senatoribus cœli in ſchola virtutum:Ipſa de multis myſterijs informauit Apoſtolos,& Euangeliſtas.* hucuſque S.Antoninus. Quare ab Ignatio Epiſtola ad Ioannem,*Noſtræ religionis,& pœnitentiæ magiſtra* eſt appellata. S. Antoninus. Act. 1. Hieronymus ſermone de Aſſumpt. tom.9. S.Ignatius.

Et Rupertus lib.1.in Cãt.*Magiſtram vocat magiſtrorum,*ſcilicet Apoſtolorum.& lib.5.in Cant.*Prophetiſſam omnium prophetiarum capacem:*hoc quoque nomen *prophetiſſæ*, ad quam proximè acceſſit Iſaias Propheta per prænotionem ſpiritus, Virgini tribuit Baſilius in Iſa.cap.8.& Epiphanius hæreſ.78. Rupertus. *B. Virgo magiſtra noſtræ religionis,& magiſtra magiſtrorum.*

Ildefonſus ſerm.2.de Aſſumpt.Virginem dicit *Prophetiſſam Dei: inò vt ita dicam,*inquit Ildefonſus,*Euangeliſtam;loquebatur.n.cum fide,& prædicabat quæ futura nouerat, Ecce.n.ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*ſic Ildefonſus. Idiota quoque c.3.de contẽpl.Virg.eam alloquens:*Doctrix,*inquit,*fuiſti Doctorum,& magiſtra Apoſtolorum.* *B. Virgo dicitur Prophetiſſa, & Euangeliſta.* Baſilius. Epiphanius. Ildefonſus.

4 Anſelmus de excell.Virg.c.7. agens de Virgine: *Erat,*inquit,*vtilis,& neceſſaria fidei noſtræ cõuerſatio tua poſt Aſcenſionem Chriſti Domini inter Apoſtolos eius;quia licet ipſi per reuelationem Spiritus ſancti edocti in omnem fuiſſent veritatem;incomparabiliter tamen eminentius,& manifeſtius ipſa per eum ſpiritum veritatis illius virtutum profunditatem intelligebat:& per hoc multa eis per hanc reuelabantur,quæ in ſe non ſolũ ſimplici ſcientia, ſed ipſo effectu,ipſo experimento didicerat de myſterijs eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti.* hæc Anſelmus. Et certè ideò tot annis poſt Chriſti aſcenſionem relicta eſt in terris, vt Apoſtolos,aliosq; fideles plenius inſtrueret,& conſolaretur,quod ipſa Virgo S.Brigittæ reuelaſſe ſcribitur lib.6.reuel.S.Brig.c.61.Conuerſatam.n.cum Apoſtolis donec ipſi per diuerſas regiones prædicaturi diſpergerentur affirmat Ildef.ſer.6.de Aſſump.& Gregor. Turon.lib.2.glor.conf.c.4.& Sophron.ſerm.de Aſſumpt. & Metaphraſt.orat.de vita,& dorm.Deip.& Rupertus in Matth.2.*Taliter,*inquit,*B.Virgo loquuta eſt poſt aſcenſionem auribus fidelibus plurima illis enarrans, quòd rectè dicat Dilectus eius Cant.4. Fauus diſtillans labia tua;emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum; fons hortorum, &c.* Anſelmus. Ioan.16. S. Brigitta. Ildefonſus, Gregor. Turon. Sophronius. Metaphraſtes. Rupertus. Matth.2. Cant.4.

Idẽ Rupertus cum Virgine loquẽs in illud Cant.5.*Qualis eſt Dilectus tuus ex dilecto ò pulcherrima mulierum? Opportuna percontatio ſi reſpiciamus ad illa tempora, quando tu Dilecta propter Euangelium dilecti præſens aderas, & in corpore detinebaris magiſtra neceſſaria,& teſtis valdè idonea contra Iudæos blaſphemantes,& hæreticos chriſtianam ve-* Rupertus.

ritatem corrumpere laborantes. Pulsandum igitur erat ad ostium veritatis, & consulendum oraculum Spiritus sancti, scilicet sacrarium pectoris tui, vt viua voce omnem necessariò tenendam demonstrares regulam fidei cum testimonio scripturarum, quas memoria tenebas, Prophetissa magna, & capax omnium prophetiarum. hæc Rupertus.

Maria illuminatrix. Hieronymus.

5 Sanè nomen ipsum *Mariæ* inter alias etymologias, teste Hieronymo de nom. hebr. idē est, quod *illuminatrix maris*, non solùm, quia veluti stella polaris eos, qui nauigant in mari huius mundi procelloso, dirigit: sed etiam, quia illuminat exemplo, & præterea etiã doctrina; quod præstitit, vt dixit Mayro in ser. de creat. ani. Virg. cum Apostolos docuit, qui mundũ ad fidem adduxerunt; idcircò Doctorum Aureolam eam consequutam tradunt Theologi. ad hanc. n. Aureolam, quæ cõfertur propter victoriam, qua quis non solùm à se, sed à cordibus aliorum, Hostem, nimirũ dęmonem, remouet; satis est si doctrinã fidei communicet, etiam si non fiat per prædicationem, vt docet S. Thom. in 4. dist. 49. q. 5. art. 5. ad 5. de qua re vide Franc. Suar. to. 2. in 3. p. disp. 21. sect. 4. Imò auctor supplementi Gabrielis in 4. dist. 49. q. 4. art. 3. dub. 2. docet B. Virginẽ Doctorum Aureolaplus alijs esse coronandam, quoniam doctrix fuit Apostolorum, & magnorum Theologorum, atque adeò Ecclesiæ Rectores, Patres, & Magistros sua sapientia illuminauit, & ita totum mundum: *Et ob hoc*, inquit Auctor supplementi, *Christo ascendente in cœlum, ipsa ad tẽpus in terris pro fidelium consolatione, & magisterio est derelicta. & piè tenendum est, quod ipsa diaboli suggestiones plus omnibus alijs detexit, & enernauit, discipulos Domini, & Ecclesiæ magistros informando, & erudiendo, & sacratissimis morũ disciplinis instituendo, veritate euangelica illustrando, & fidei secreta pandendo.* hæc Auctor supplementi Gabrielis.

Mayro. B. Virgo Doctorum Aureolam consecuta est. Quænam ad Doctorum Aureolam requirantur. S. Thom. Franc. Suar. Supplementum Gabrielis.

Auctor suppl.

Virgo diaboli tentationes detegebat.

Dionysius.

Et Dionys. Carthus. in 1. sent. dist. 16. q. 2. de Deip. agens: *Ipsa*, inquit, *diuinissima Virgo non solùm habuit sapientiam, & scientiã, prout sunt dona gratiæ gratis datæ secundum habitum, sed etiam secundum actum earum; ipsaq; docuit multas vtriusq; sexus personas per verba, & scripta, ideſt epistolas, sicut & S. Ignatium, imò & beatum Lucam Euangelistã de multis secretis, & incarnationis mysterijs, quæ ipse præ cæteris descripsit Euangelistis, creditur instruxisse. Quotidie quoq; seù tempore opportuno edocuit felicissimum illud collegium centum viginti virginum, eius obsequio, atque regimini deputatarum.* hæc Carthusianus.

Cassianus.

Ex dictis probabiliter colligere possumus ex ijs, quæ S. Marcus Euangelista in Aegypto ad monachorum institutionem tradidit, vt habet Cassianus lib. 2. de instit. renunciantium cap. 5. eum multa ex Virginis magisterio vel immediatè, vel mediatè per Apostolos accepisse, atque in Aegypto instituisse: quicquid tamen sit hoc de S. Marco; illam tamen fidelium Magistram agnoscimus, & veneramur. Quare Augustinus serm. 6. de temp. Deiparam: *Sponsam Christi, & gentium magistram* appellat.

Augustinus.

S. Brigitta.

6 S. Brigitta in suis reuel. in serm. angel. c. 19. *Ascendente*, inquit, *filio ad suum Regnum, Virgo Maria in hoc mundo ad bonorum consolationem, & errantium correctionẽ remanere permissa est; erat. n. magistra Apostolorum, confortatrix Martyrum, doctrix Cõfessorum, clarissimum speculum Virginum, consolatrix Viduarum, in coniugio viuentiũ saluberrima monitrix, atq; omnium in fide catholica perfectissima roboratrix; Apostolis namq; ad se venientibus omnia, quę de suo filio perfectè non nouerant, reuelabat; & rationabiliter declarabat; Martyres quoq; ad tribulationes pro Christi nomine sufferẽdas animabat, &c.* hęc ibi.

Bonauentura

A S. Bonauentura in hymno: *Te matrem Dei laudamus*, B. Virgo dicitur: *Veritas Prophetarum, præconium, & doctrix Apostolorum, magistra Euangelistarum.* Quare hoc quoque nomine meritò ei ab Ecclesia dicitur: *Gaude Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso mundo.* quod elogium ante plurima annorum secula à Patribus est vsurpatum, quemadmodum cap. 29. ostendemus.

Offi. Eccles.

Cap. 29.

Quæ Euangelistæ de Virgine scripserunt.

Quod autem spectat ad ea, quæ SS. Euangelistæ de Virginis præstantia litteris mãdarunt, quod erat alterum in hoc capite à nobis pertractandum; certum est Euangelistas Christi historiam persequutos, de Virgine ex instituto non multa scripsisse; de ea tamen dùm vitæ Christi mysteria referunt, nec pauca, nec vulgaria suis monumentis tradidisse: Regium videlicet eius progenitem, ab Angelo annuntiationem, & cum eadem colloquiũ, elogia magnifica de ea ab Angelo Gabriele, & à S. Elisabeth, Spiritu sancto dictãte prolata, Canticum illud Magnificat ab eadem Virgine pronunciatum mysterijs refertissimũ, eiusdem partum virgineum, & iugem Christi sequelam, non tantũ in infantia ad annum

Luc. 1.

vsque

vſq; trigeſimum,ſed etiam dùm apud Iudæos concionaretur; vſq; ad ipſam crucem filij, iuxta quam fortiſſimo animo aſtitit, & pleraq; alia, ex quibus inſignes eius virtutes, & dona præclariſſima diuinitus illi collata facilè colliguntur. Sed cæteris prętermiſſis, illud vnum, eſſe ſcilicet Matrem Ieſu, ac proinde veram Dei genitricem, quod Euangeliſtæ teſtantur, inſtar eſt multorum, quæ de ea dici poſſent: hoc.n. quaſi in radice, virtute continet quicquid tantæ Matris dignitatem conſequitur, & quicquid ratiocinando rectè inde inferũt Theologi. & ſicut olim ex Adamo formata eſt Eua, ita fide ſecundi Adæ Chriſti Dñi per orbem diffuſa, atq; fundata, illicò in Paradiſo ſanctæ Eccleſię prodijt veluti noua Eua, in animis videlicet omnium fidelium, pietas, ac deuotio in *B.* Virginẽ Dei genitricẽ.

B. Virginem Matrem eſſe maximum quod de ea dicitur.

Gen. 1.

7 Cuius rei figura præceſſit in Eſther, quæ initio à Mardochæo, ne ſuum genus, prodere-
ret, quoad rei opportunitas exigeret, iuſſa eſt: *Cæterùm*, vt bene dixit Bernardus ſer. 4. ſu-
per miſſus eſt, *cum filium honoramus, à laudibus matris non recedimus*: etenim Prou. 17. *Corona ſenum filij filiorum*. Quare ſi ſancti Euangeliſtæ Chriſti diuinitatem aſtruunt, Matrem eius Dei genitricem declarant; ſi humanitatẽ eius extollunt, hanc ex puriſſimis Virginis ſanguinibus acceptam affirmãt; Si Chriſtus narratur à Paſtoribus, à Magis, ab Angelis, ab alijs, qui in eum credebant adoratus, nonne honor filij in matrem redundat? ſi Chriſtus legitur miraculis, doctrina, exemplis mundum illuſtraſſe; ſi paſſione ſua, ac pretioſo ſanguine mundum de Satanæ poteſtate eruiſſe; à mortuis victorem reſurrexiſſe; omnem poteſtatem in cœlo, & in terra accepiſſe; Ad dexteram Patris conſediſſe; & Spiritum paraclitum ad diſcipulos miſiſſe, & id genus alia innumerabilia, vel miracula, vel beneficia, vel facta egregia diuinitus edidiſſe, ſanè hæc omnia ad eximiam Matris gloriam pertinere, nemo eſt, qui poſſit negare.

Figura in Eſther 2. Bernardus. Prouer. 17. Quæ de Chriſto prædicantur in Virgine laudẽ redundant.

Ideò quod ſancti Euangeliſtę de Chriſto Domino litteris tradiderunt, totum illud ad Virginis excellentiam declarandam ſpectat; ac proinde meritò illam per *Thronum* ſignificatam, eiusq; præſtantiam eximiam in ſuis euangelijs celebrare, circumdare, ac contra oblatrantes hæreticos obſiſtere, eorumq; impiam arrogantiam retundere deſcribuntur. Hinc eſt, quòd Damaſcenus orat. 2. de dorm. Virg. dicit: *Chriſtum Dominum in Aſſũptione Virginem non ſecus, ac olim Salomõ Arcam intulit in ſancta ſanctorum ſub alas Cherubim; ita Matrem ſuam in ſancta ſanctorum in cœlò introduxiſſe, ſubq; animalium, inquit, quatuor formis conſtantium alis collocaſſe, ſuoq; ipſius ſolio in interiori velaminis parte poſuiſſe.* ita Damaſcenus: quibus verbis quatuor animalium alis ſuis Virginem ambientium meminit, vt intelligas eam à quatuor Euangeliſtis dignè concelebrari, atque ab omni hæreticorum petulanti proteruia defendi.

Apoc. 4.

Damaſcenus. 3. Reg. 8.

E VIRGINE SANCTISSIMA DEIPARA TANQVAM è diuino Throno fulgura, voces, & tonitrua; Miracula ſcilicet, & admonitiones, tùm ſuaues, tùm terrificas ad peccatores conuertendos proficiſci. Caput XX.

SVMMARIVM.

Miracula, quæ in ſacratiſſima Chriſti Incarnatione in Deiparæ vtero ex eius puriſſimis ſanguinibus facta emicant nu. 2.
Deipara ipſa, qua ratione ſit præſtantiſſimum mundi miraculum nu. 6.
Miracula, quæ per Deiparam in hominum vtilitatem fiunt nu. 11.
Deiparæ miracula peculiaribus Ciuitatibus, vel perſonis præſtita nu. 17.
Lues inguinaria ſæuiſſima Romæ per Deiparæ imaginem depulſa nu. 18.
Baſiliſcus Romæ peſtilentem exhalans ſpiritum Deiparæ ope ſublatus nu. 19.
S. Vualfridus à læthali morbo Deiparæ interceſſione curatur nu. 19.
S. Ioanni Damaſceno manus à Deipara reſtituitur nu. 20.
Sancti aliquando inuocati Deiparæ iuſſu beneficia contulere nu. 21.
Reginaldus graui morbo laborans à Deipara curatur nu. 22.
Duo alia Deiparæ miracula ex Marſilio Ficino nu. 23.
Iudæa præcipitata in Ciuitate Sogouienſi per Virginem Mariam liberatur nu. 23.

Cur in nonnullis Deiparæ plura, quàm in alijs eiusdem Deiparæ templis miracula fiant num. 24.
Miracula, quæ in nonnullis Deiparæ templis eius inuocatione fiunt nu. 25.
Sacræ ædis Lauretanæ miracula num. 26.
Templa B. Virginis in Gallia, & Hispania miraculis illustria nu. 29.
Miracula imaginis Deiparæ Cestochouiensis in Polonia nu. 30.
Miracula Deiparæ inuocatione in nonnullis Germaniæ templis edita nu. 31.
Miracula, quæ Deipara in Belgio in templo Hallensi, & Sichemiensi edidit nu. 33.
Conuersiones peccatorum per Deiparam multipliciter fieri nu. 36.
Fructus quem Deipara in conuersione animarum per Religiosorum ordines Prædicatorum, & Minorum efficit nu. 37.
Fructus ex Deipara per Societatem Iesu in animarum conuersione nu. 41.
Deipara S. Gregorium Thaumaturgum in fide instruendum curat nu. 47.
Exempla complurium peccatorum, qui per Deiparam sunt conuersi nu. 48.
Admirabilis Theophili lapsi per Deiparam cum Christo reconciliatio nu. 48.
S. Maria Aegyptiaca ope Deiparæ conuertitur nu. 49.
S. Cyrillus Alexandrinus, alijq; per Deiparam moniti quædam emendant nu. 50.
Aliqui à Deipara clementer increpati resipiscunt nu. 52.
Nonnulli in Deiparam impij membrorum priuatione, vel etiam morte mulctantur, num. 54.
Petrus Aragonius ex Carmelitano templo, versus quod tormenta ænea displodenda curarat, ænea pila ictus occubuit nu. 56.
Miraculum S. Mariæ ab Arcu prope Neapolim in Nolana Diœcesi nu. 57.
Ecclesiæ hostes Deipara eam protegente misere perierunt nu. 59.
Iulianus Apostata à S. Mercurio Deiparæ iussu interemptus nu. 60.

Ex Dei Throno fulgura, voces, & tonitrua procedunt, & quænam illa sunt. Ambrosius. Lyranus. Rupertus. Richardus.

I EXTVM, quod de Throno Dei agẽdum proposuimus est, illud, quod S. Ioannes in Apocalypsi cap. 4. conspexisse se narrat: *Et de Throno*, inquit, *procedebant fulgura, & voces, & tonitrua:* & quidem ex sententia Ambrosij, Lyrani, Ruperti, & Richardi in illum locum per fulgura, Miracula, quæ suo splendore in Ecclesia Dei corruscant, intelliguntur; Per voces, Blandæ cohortationes; Per tonitrua verò graues increpationes, & minæ ex denunciatione iudicij diuini, gehennæ, & similium, quibus timor incutitur, & perditorum animi feriuntur, vt ad sanitatem reuocentur: quæ omnia ex Dei Throno prodire perhibentur, quoniam Dei virtute per eius seruos, & egregios prædicatores effici videmus. Verùm hæc omnia, miracula scilicet, & peccatorum ex suaui, vel vehementi admonitione conuersiones ex Virgine, quàm *Thronum Dei* appellari dicimus, cumulatè proficisci, quotidiano experimento apud omnes adeò est exploratum, & cognitũ, vt nullus inficiari id possit. Quare Apoc. 11. cùm in cęlo visa est Arca testamenti in templo, è vestigio facta dicuntur *fulgura, voces, & terremotus, & grando magna.* quod de B. Virgine exponit Ildefonsus ser. 1. de Assumpt. in fine: *Templum*, inquit, *Dei Ecclesia est, & apertum est, inquit, Templum Dei in cœlo, & Arca testamenti visa est: quæ profectò Arca non illa Moysi fabricata, sed B. Virgo Maria est, quæ hinc iam transposita erat, quam B. Ioãnes Euangelista testis veritatis, cui commissa est fortè recognoscens venerabiliter affatur, quia in cœlo visa est in templo Dei, scilicet in Ecclesia Dei.* hæc Ildefonsus: & sanè id, quod adijcitur, Visa Arca testamenti facta fuisse *fulgura, voces, & terræmotus*, Virgini (quám per Arcam testamenti cap. 5. significari diximus) in sensu saltem mystico optimè cõgruunt: vbi enim Virginis deuotio in hominum cordibus conspicitur, ibi, & illustrationes, & conuersiones ex blanda admonitione, vel etiam ex terrifica concussione fieri videmus.

Ex B. Virgine hæc etiam procedunt.

Visa Arcæ testamenti fulgura, voces, & terræmotus fiunt. Apoc. 11. Ildefonsus.

Expositio huius loci ex Bernardo Apoc. 4.

Verùm antequam id ostendamus non est prætermittenda sententia Bernardi, qui hæc verba Apoc. 4. in serm. de B. Maria, qui habetur tom. 2. suorum operum, interpretatur de reconditis mysterijs, quæ Virgo sanctissima propalauit: *Vnde*, inquit Bernardus, *Ioannes in Apocal. de Throno, ait, scilicet de Maria, procedebant fulgura, & voces, & tonitrua; quia Mater filij Iesu Christi parabolas ænigmata, legalia, & mirifica gesta, dicta, et opera auidius*

ebibit, fidelius credidit, syncerius, luculentiusq; alijs edidit. hæc Bernardus.

Cæterùm vt communi Interpretum expositioni inhæreamus,& per fulgura,voces, & tonitrua accipiamus miracula,blandas,& terrificas adhortationes,primùm singillatim hæc ex Virgine procedere demonstrabimus:deinde paulò aliter fulguris nomen sumentes,ostendemus ex Virginis dictis,atque factis, dùm apud nos degeret, exempla virtutum ad imitandum,tanquam fulgura splenduisse;ex ea admonitiones,& suaues, & graues extitisse: Tùm ex eius vtero,quatenus Christum edidit, qui fulguris,& vocis, & tonitrui appellatione significatur,hæc eadem procedere demonstrabimus. Denique ex eadem Virgine tonitrua ad dæmonum tyrannidem euertendam proficisci. Qua de re vberiorem duximus disputationem instituendam: quæ omnia sequentibus capitibus, Deo benè iuuante,exequemur;igitur ad primam accedamus interpretationem. *Quænam agenda in hoc capite, & sequentibus.*

Et vt à miraculis initium ducamus:vnde tot,tantaq; miracula corruscant in mundo, nisi ex Virgine Deipara? quod vt planum fiat,miracula, quæ ex Virgine,vel in Virgine longè,lateq; micant,ad tria capita reuocabimus. Et primùm quidem miraculorum caput perspicitur in diuina verbi Incarnatione,quæ in Deiparę vtero ex eius purissimis sāguinibus est perfecta. Secundùm continetur in ipsamet Deipara,quæ meritò stupendum ab Epiphanio,& ab alijs,vt dicemus,appellatur miraculum. Tertium inuenitur in miraculorum, & admirabilium operum effectione, quæ Deipara supra naturam in hominum vtilitatem plurima iugiter operari non cessat: de his singillatim aliqua perstringemus.

MIRACVLA, QVAE IN SACRATISSIMA CHRISTI INcarnatione in Deiparæ vtero ex eius purissimis sanguinibus facta emicant.

2 ET quòd spectat ad primum, in Deiparæ vtero peracta est diuini Verbi Incarnatio, quàm præclarissimùm esse miraculum significasse videtur Isaias cap.7. vbi cum dictum esset Regi Achaz, *vt peteret sibi à Domino signum in profundum inferni, siuè in excelsum supra,* cumq; Achaz renueret,hæc audiuit: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum, Ecce Virgo concipiet,& pariet filium,& vocabitur nomen eius Emmanuel,* quod Matth.1. est interpretatum *nobiscum Deus:* quasi hæc Dei incarnatio ex Virgine omnia signa, seu miracula, quæ Achaz petere potuisset, siuè in Cœlo sursum, siuè in Inferno deorsum in se complecteretur. In hac enim Virgine,vt verbis vtar Ieremiæ cap.31. *Creauit Dominus* illud *nouum super terram,* vt scilicet *fœmina circundaret virum,* vt nimirum ipsamet Deipara absque virili opera Christum virum iam tum in vtero sapientia,& gratia perfectissimum,de Spiritu sancto conciperet: sicq; in eadem factum est illud cunctis admiratione dignissimum, vt mysticè *vmbra solis in horologio Achaz retrorsum decem gradibus reduceretur.* quod meritò 2. Paralip.32. *Portentum* à Babilonijs appellatur, quando nimirum Christus Iesus *cum in forma Dei esset semetipsum exinaniuit* in vtero Virginis, *formam serui accipiens,* atque decem gradibus retrocedere visus est: siquidem per passionem,vt explicat Apostolus Hebr.2. *Paulò minus ab Angelis,* qui per nouem choros sunt distributi, *minoratus:* imò & infra homines vsque adeò factus est,vt psal.21. diceret: *Ego autem vermis sum,& non homo.* *Incarnatio Christi miraculorum omnium est maximum.* *Isa.7.* *Matth.1.* *Ierem.31.* *4 Reg.20.* *Paralip.32.* *Philip.2.* *Hebr.2.* *Psal.21.*

Hinc est,quòd Incarnatio peculiari quadam ratione dicitur, *opus Dei* Abacuch 3.vbi legimus: *Domine audiui auditionem tuam, & timui; Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud;* hæc enim verba non tantùm Iudæi, teste Hieronymo in illum locum de Messię Aduentu; verùm etiam Eusebius lib.5. de demonstrat.cap.15.& Augustinus contra Iudæos,& Paganos cap.13.de Christi Incarnatione interpretantur. precatur autem Propheta Deum, vt opus suum viuificet, idest suum impleat promissum mittendo Christum; voce autem illa (*viuifica*) indicat alia Dei opera ante Incarnationem, si cum ea conferantur, veluti mortua & obscura,per Incarnationem viuificata esse, atque illustrata: non secus, ac cum tabella primis lineis adumbrata coloribus superinductis à pictore illustratur. Quòd si legamus cum septuaginta: *Consideraui opera tua,& expaui,* optimè etiam ijs,quæ dicimus,quadrat;cùm Incarnationis opus in sui admirationem, atque stuporem eos, qui diligenter illud contemplantur, adducat; quemadmodum *Peculiari ratione opus Dei Incarnatio.* *Abacuch 3.* *Hieronymus.* *Eusebius.* *Augustinus.*

Cyprianus. verba hæc ex ſeptuaginta ad hoc propoſitum pulchrè explicat Cyprianus ſermone de
Ildefonſus. Natiuitate, & Ildefonſus ſermone 1. de Aſſumptione. Dicitur autem Incarnatio *opus Dei*, quoniam cum duo peculiariter Deo tribuantur, Potentia, & Miſericordia, iuxta il-
Pſal. 61. lud pſal. 61. *Semel locutus eſt Deus; duo hæc audiui, quia poteſtas Dei, & tibi Domine miſericordia*; Incarnatio ſanè opus eſt, in quo maximè Dei potentia, atque miſericor-
Luc. 1. dia elucent: quo circa B. Virgo de hoc myſterio vtrumque canit: *Fecit*, inquit, *potentiam in brachio ſuo.* & mox: *Suſcepit Iſrael puerum ſuũ recordatus miſericordiæ ſuæ.* Meritò autem Deus in Incarnatione, & toto opere Redemptionis feciſſe dicitur potentiam in brachio ſuo: quemadmodum. n. vir robuſtus, etiam ſi vteretur gladio hebeti; propter brachij tamen fortitudinem hoſtes proſternit: ita in myſterio Incarnationis non eſt ſpectanda
Cap. 22. ſola infirmitas carnis, & humanitatis; ſed ipſum Verbum, quod cap. 22. *brachium Dei*
Iſa. 53. ex Iſa. 53. dici oſtendemus, cui humanitas eſt hypoſtaticè vnita, *& cuius*, vt ait S. Tho-
S. Thom. mas 3. par. q. 62. art. 5. *eſt inſtrumentum coniunctum, & à quo Chriſti opera valorem habent infinitum.* & idcircò feciſſe potentiam dicitur in brachio ſuo. quare Apoſtolus
1. Cor. 1. 1. Cor. 1. *Quod infirmum*, inquit, *eſt Dei, fortius eſt hominibus.* In cuius rei figuram Sam-
Iudic. 15. ſon Iudi. 15. *In mandibula Aſini* (propter brachij robur) *interfecit mille viros.* ad fortitudinem autem, quæ in hoc myſterio cernitur, ſignificandam Angelus, qui illud annunciaret delectus eſt Gabriel, qui *fortitudo Dei* interpretatur.

Incarnationis opus creationi præfertur. Mayro. Quòd autem maior fortitudo, & omnipotentia eluceat in Incarnatione, quàm in creatione mundi, eleganter probat Mayro in ſermone de Annunciatione: *Plus enim*, inquit, *diſtat Deus, & homo, quàm vniuerſum, & nihil;* in Incarnatione enim eſt infinita diſtantia poſitiuè inter Deum, & hominem: At in creatione, quamuis ex parte ſubiecti dicatur diſtantia infinita, quia fit ex non ſubiecto: ex parte tamen creaturæ productæ, quæ habet perfectionem finitam, poſitiuè eſt finita diſtantia: *Quare plus eſt facere*, inquit Mayro, *de homine Deum, quàm quod nihil ſit ens.* S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap.
S. Antonin. 21. §. 2. oſtendit Incarnationis opus fuiſſe ſummæ omnipotentiæ, cùm in eo opere ex
Bernardus. Bernardo tria maximè diſtantia fuerint coniuncta. Primùm Deus, & limus, caro enim noſtra ex limo facta eſt. Secundũ Mater & Virgo, quæ in nulla alią muliere, præter Deiparam reperiuntur. Tertium fides, & cor humanum, quòd licet naturaliter non aſſentiatur, niſi ijs, quæ ratione probantur: hic tamen per fidem ſupra rationem credimus Deum hominem factum, & ex Virgine natum.

In Incarnatione Chriſti maximè enitet potentia. Adhæc, vt magis intelligamus Potentiam, quàm Deus in Incarnatione oſtendit maximam, illud animaduertendum eſt; Dei potentiam, vt rectè demonſtrat S. Thomas 1.
S. Thom. par. q. 25. art. 2. eſſe infinitam, atque adeò exhauriri non poſſe, & ex art. 6. Qualibet re data, poſſe Deum facere aliam meliorem: in ſolutione tamen ad quartum, vnionem hypoſtaticam, & Dei maternitatem, ac beatitudinem creatam vult habere dignitatem quandam infinitam; & vt ſic non poſſe fieri aliquid melius eis; verba S. Thomæ hæc ſũt: *Humanitas Chriſti ex hoc, quòd eſt vnita Deo, & beatitudo creata, ex hoc, quod eſt fruitio Dei; & B. Virgo ex hoc, quod eſt Mater Dei habent quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod eſt Deus; & ex hac parte non poteſt aliquid fieri melius eis, ſicut non poteſt aliquid melius eſſe Deo.* hæc S. Thomas. Verùm tria hæc, in quibus Dei potentia ita ſe exeruit, vt videatur quodammodo exhauſta, cùm aliquid melius eis fieri nequeat, hæc, inquam, tria in vtero Deiparæ virgineo celebrata ſunt; ibi enim ex puriſſimis eius ſanguinibus, *Verbum caro factum eſt*, ex quo ipſa vera Dei Mater euaſit: & beatitudo
Ioan. 1. animæ Chriſti infinitis propemodum gradibus reliquas omnes viſiones creatas beatificas ſuperans in eodem inſtanti Incarnationis, dum eſſet in Matris vtero, eidem eſt communicata. Quis ergo ſacratiſſimum Deiparæ vterum neget fuiſſe officinam miraculorum, & rerum prorſus admirabilium?

Incarnatio Chriſti munus præclariſſimum. 3 Quòd ſi animo conremplemur donum à Patre in Incarnatione nobis exhibitum, ſanè nihil maius dari poteſt; hoc enim commendare, ac magnificare voluit Chriſtus Ioan.
Ioan. 3. 3. *Sic Deus*, inquit, *dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret:* & Apoſtolus
Rom. 8. idem illis verbis nobis ſignificat Rom. 8. *Qui proprio filio ſuo non peperit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?*

Cæterùm audiamus Patres, qui non minus eleganter, quàm diligenter, & copiosè ea,

quæ

quæ in Verbi Incarnatione admiratione ſunt digna, nobis ob oculos ponunt; & ea, quæ inter ſe differre videbantur, in Chriſto coniuncta fuiſſe oſtendunt. S. Irenæus lib. 3. aduerſus hæreſes cap. 18. *Irenæus.* *Vnus*, inquit, *Chriſtus Ieſus Dominus noſter veniens per vniuerſam diſpoſitionem, & omnia in ſemetipſo recapitulans, in omnibus autem eſt, & homo plaſmatio Dei, & hominem ergo in ſemetipſo recapitulatus eſt, inuiſibilis, & viſibilis factus, & incomprehenſibilis factus comprehenſibilis, & impaſſibilis paſſibilis, & Verbum homo vniuerſa in ſemetipſum recapitulans, vti ſicut in ſupercœleſtibus, & ſpiritalibus, & inuiſibilibus princeps eſt Verbum Dei: ſic & in viſibilibus, & corporalibus principatum habeat, in ſemetipſum primatum aſſumens, & apponens ſemetipſum caput Eccleſiæ, vniuerſa attrahat ad ſemeipſum apto in tempore.* ſic Irenæus.

Cyprianus ſermone 3. de Natiuitate: *Cyprianus.* O *Domine*, inquit, *quàm admirabile eſt nomen tuum? verè tu es Deus, qui facis mirabilia. Non modo mundi huius ſtaturam admiror, non ſtabilitatem terræ, cùm eam complectatur volubile firmamentum, non ſingulos dies, non lunæ defectum, & incrementum, non ſolem ſemper integrum, & laborem eius perpetuum, non temporum viciſſitudines, in quibus quædam arent, quædam virent, & quæ mortuo modo videntur, deinceps reuiuiſcunt: miror Deum in vtero Virginis, miror omnipotentem in cunabulis, miror quomodo verbo Dei caro adhæſerit, quomodo incorporeus Deus corporis noſtri tegumentum induerit; miror in hac diſpenſatione tanti diſpendia temporis, & tam lentos proceſſus ad obedientiam Saluatoris. In breui poterat patrari negotium, & poterat tantus labor abbreuiari ad ſolum Chriſti Verbum; ſicut factus mundus, & diſpoſita cuncta ad eius imperium. Sed elementario mundo dignior eſt rationabilis homo, quod ex eo, quod in eius ſeruitium facta ſunt omnia, facile creditur. In cæteris quocumque modo aliquæ ſatisfaciunt rationes; hic ſolus me complectitur ſtupor. Et cum Abacuch cano, Conſideraui opera tua, & expaui. Miror ieiunium, miror tentationes, miror omnipotentem in ſepulchro iacentem, miror occiſum, & reſurgentem. Hæc ſunt noua mira, quæ prædixerat* Ieremias: *Nouum fecit Dominus ſuper terram: Mulier circumdabit virum. Opus ſuum faciet, & peregrinum opus eius ab eo. Ieſus Chriſtus heri, & hodie ante lucifenum genitus, initium carnis ſumpſit ex Virgine, quem cœli cœlorum non capiunt; qui implens omnia, cùm ſit in omnibus, ab his tamen non capitur, nec tenetur. Nouum eſt, & inauditum, quod in materni anguſtia vteri circumdedit intra ſe fragilis caro virtutem Altiſſimi, & ordinem rerum, cùrſumq; naturæ mutauit ſapientia Dei: & vbiq; diuinitas dilatata, plenitudinem ſui vaſi infundens exiguo, ſic eſt circumdata muliebri vtero; vt vniuerſa ambiret, implens omnia, excedens cuncta, intra ſe omnia continens, extra vniuerſa complectens. Quem nos paruulum, Propheta nuncupat virum, inſinuans ei nunquam defuiſſe virtutem, ſed ſemper virilis ætatis affuiſſe fortitudinem, quem Infantilis infirmitas occultabat. Opus igitur fecit, quod creauerat, ſaluans quod perierat, ad vitam reuocans quod mortuum erat. Sed peregrinum opus fuit in Deo, quod Verbum factum eſt caro, quod factus eſt viſibilis, & comprehenſibilis, paſſibilis, & mortalis: & peregrinum à maieſtate, puer ſugens vbera, panniculis inuolutus, & ſuſtinens conuicia filius Dei in patibulo conſtitutus.* hæc Cyprianus.

Abacuch 3. *Ierem. 31.* *Iſa. 28.* *Ioan. 1.*

4 Sophronius ſermone de Aſſumptione citans locum illum Ierem. 31. *Nouum creauit Dominus ſuper terram: Verè*, inquit, *nouum, & omnium nouitatum ſupereminens nouitas virtutum, quando Deus (quem ferre non poteſt mundus, neque videre aliquis vt viuere poſſit) ſic ingreſſus eſt hoſpitium ventris, vt corporis clauſtrum neſciret: ſicq; geſtatus, vt totus Deus in eo eſſet, & ſic exiuit inde, vt eſſet, ſicut Ezechiel fatetur, Porta omninò clauſa.* hæc ille. *Ierem. 31.* *Incarnatio dicitur nouum ſuper terram.* Leo ſermone 2. de Natiuitate: *S. Leo.* *Aduenientibus*, inquit, *temporibus, quæ redemptioni hominum fuerant præſtituta, ingreditur hæc infima Ieſus Chriſtus Dominus noſter de cœleſti ſede deſcendens, & à paterna gloria non recedens nouo ordine, noua natiuitate generatus: Nouo ordine, quia inuiſibilis in ſuis, viſibilis factus eſt in noſtris; incomprehenſibilis voluit comprehendi: ante tempora manens, eſſe cæpit ex tempore: Vniuerſitatis Dominus ſeruilem formam obumbratæ maieſtatis dignitate ſuſcepit: Impaſſibilis Deus non dedignatus eſt homo eſſe paſſibilis, & immortalis, mortis legibus ſubiacere. Noua autem natiuitate genitus eſt, conceptus à Virgine, natus ex Virgine ſine paternæ carnis cõcupiſcentia, ſine maternæ integritatis iniuria.* hæc Leo. Ildefonſus lib. de virginitate Deiparæ *Ildefonſus.*

cap.

cap. 11. Christi conceptionem *omni MIRACVLO mirabiliorem, omni opere Potentiorem, omniq; signo, ac prodigio augustiorem appellat.* Basilius Seleuciæ Episcopus oratione in Annuntiatione Virginis, agens de admirabili, & incomprehensibili vnione, qua Verbum naturam humanam assumpsit: *Tunc*, inquit, *factum est mysterium, quod in hodiernum vsque diem manet mysterium, neque vnquam mysterium esse desinet. Tunc creatura vidit, quod antea visum est nunquam, nempe prolem, quæ suæ matris erat parens; Infantem qui Genitricem ætate antecedebat; Puerum seculis omnibus, quæ ante effluxerant antiquiorem.* & rursum introducit Deiparam filium suum Deum hominem in vna persona admirantem, & cum eo ita loquentem. *Ecquid igitur tecum inceptabo, lacte ne enutriam, an verò vt Deum colam? vt Mater curabo, an verò vt Ancilla adorabo? vt filium amplexu fouebo, an verò vt Deum supplex inuocabo? Lac ne porrigam, an verò thymiama offeram? Et quod hoc magnum, & abditum est miraculum? Cœlum tibi thronus est, & sinus meus te complexus est. Totus his præsto es, qui infernè degunt, neque vnquam tamen ab ijs abes, qui in supernis viuunt; nec enim localis fuit tua illa descensio, sed diuina quædam submissio, & condescensio. Celebro proinde tuam clementiam, sed non inuestigo tuam œconomiam; tale namq; mysterium per illum patratum est, quale nulla prorsus lingua, aut cogitatio assequi potest.* fic ille.

Basilius Episcopus.

Damascenus oratione 1. de Natiuitate diuinam Verbi Incarnationem *miraculorum omnium caput*, & Deiparam *miraculorum officinam* appellat; quærens enim cur Virgo Mater ex Anna sterili orta sit: *Quoniam*, inquit, *oportebat, vt ad id, quod solum sub sole nouum erat, ac miraculorum omnium caput via per miracula sterneretur, ac paulatim ab humilioribus ad sublimiora progressus fieret.* & infra. Cùm Deiparæ vterum, quod Christum peperisset, & vbera, quòd eundem lactassent beata pronunciasset, exclamat in hæc verba: *O miraculorum miracula, & rerum admirandarum res maximè admirandæ:* & rursum miracula in Incarnatione recensens: *O quot*, inquit, *miraculorum, & cuiusmodi fœderum hæc filiola, hic sterilitatis fœtus officina extitit. Diuinitatis nimirum, & humanitatis, passionis, & impassibilitatis, vitæ, ac mortis, vt scilicet in omnibus rebus id, quod inferius erat à præstantiore vinceretur.* hæc ille. & iterum ad Deiparam sermonem dirigens, alia admirabilia recensit: *Sanè*, inquit, *res omnes conditas dignitate antecelluisti: ex te enim sola summus ille opifex partem assumpsit, hoc est massæ nostræ primitias: Caro ipsius ex carne tua, & sanguis ex sanguine tuo, & lac è mammillis tuis suxit Deus, & labia tua Dei labijs vnita sunt, O miracula mentis captum, atque orationis facultatem excedentia.* huc vsque Damascenus.

Damascenus.

B. Virgo miraculorum officina.

Bernardus homil. 2. super missus est, mellifluo suo eloquio, miracula, quæ cum Verbum caro factum in vtero virgineo, tanquam in miraculorum officina peracta sunt, pulchrè commemorat: Is enim enarrans illud Ierem. 31. *Nouum creauit Dominus super terram, fœmina circumdabit virum. Verto me*, inquit, *ad conceptum, partumq; virginalem, si fortè inter plurima noua, ac mira, quæ ibi profectò inspicit, qui diligenter inquirit, etiam hanc, quàm de Propheta protuli, reperiam nouitatem. Porrò ibi agnoscitur longitudo breuis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana: ibi agnoscitur lux non lucens, Verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens; videas, si attendas, Potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari, Deum denique lactantem, sed Angelos reficientem, vagientem, sed miseros consolantem; videas, si attendas, tristari lætitiam, pauere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari: sed quod non minus mirandum est ipsa ibi cernitur tristitia lætificans, pauor confortans, passio saluans, mors viuificans, infirmitas roborans; & inter hæc nouam fœminam agnosce virum circumdantem, cum Mariam videas, virum approbatum à Deo, Iesum suo vtero circumplectentem: vir igitur erat Iesus, nec dum etiam natus, sed sapientia non ætate, animi vigore, non viribus corporis, maturitate sensuum, non corpulentia membrorum.* & infra. *Fœmina circumdans virum iuxta Isaiam, Virgo est concipiens Deum. Vides quàm stupendum sit hoc vnum de Virgine, & in Virgine factum MIRACVLVM, quod tot miracula præuenerunt, tot oracula præcesserunt.* hæc Bernardus.

Bernardus. 5

Ierem. 31.

His consonat S. Bernardinus tom. 3. serm. 11. art. 2. cap. 3. *Spiritus sanctus*, inquit, *occurrit Virgini gloriosæ, eam recognoscens, fornacem sui amoris, & officinam suæ stupendæ opera-*

S. Bernardinus.

operationis,in quâ, & de qua fabrefactum eſt corpus mundiſſimum filio Dei. & infra: *Spiritus ſanctus oſtendit electis expreſsè, quod in hac officina*, ideſt in B. Virgine, *& per eam fabrefecit quicquid in gratia mirificum operatur, & quòd in hac totum ignem operationis recluſit,quem vnquam dare diſpoſuit creaturæ rationali.* hæc S.Bernardinus.

Andr. Cret. Andreas præterea Cretenſis oratione in ſalutationem Angelicam, eam *Verbi officinam* dicit.

Proclus. Proclus Epiſcopus Conſtantinopolitanus de Deipara agens: *Hæc*,inquit,*vnitarum in ſe naturarum officina*.

Arnoldus. Arnoldus Carnotenſis tract. de laud. Mariæ: *Spiritus ſancti officinam* appellat, in qua nimirum Spiritus ſanctus ſuperueniens ex puriſſimis eius ſanguinibus corpus Chriſti fabricauit.

Atque hæc de primo miraculorum capite, quæ ex Deipara veluti fulgura ex diuino throno corruſcarunt,ſatis pro noſtra tenuitate dicta ſint.

DEIPARA IPSA QVA RATIONE SIT PRAEſtantiſſimum mundi miraculum.

6 QVòd ſi mentis oculum ad ſecundum genus miraculorum conuertamus; eorum ſcilicet,quæ in ipſamet Virgine emicant,dicemus profectò cum Chryſoſtomo ſermone de Deipara,beatam ſemper Virginem Mariam *magnum reuera miraculum eſſe*. Nam & S. Ignatius in Epiſtola ad S.Ioannem appellat eam *Cœleſte* (ſi fas eſt dicere) *PRODIGIVM,& ſacratiſſimum ſpectaculum*.

Præſtantiſſimũ miraculum Deipara hic Chryſoſtomus ſermo legitur die 12. Septembris in Breuiario.

S. Ignatius.

Et S.Ephræm in oratione de Deipara ſic eam ſalutat: *Aue præſtantiſſimum vniuerſi orbis terræ MIRACVLVM.*

S. Ephræm.

Epiphanius verò oratione de Deipara: *O Virgo*,inquit,*ſanctiſſima,quæ exercitus Angelorum in ſtuporem deduxiſti; ſtupendum enim eſt Miraculum in Cœlis, Mulier amicta ſole: ſtupendum Miraculum in cœlis mulier geſtans lucem in vlnis: ſtupendum Miraculum in cœlis alter Thronus Cherubicus: ſtupendum Miraculum in cœlis mulieris filius, qui & ipſius,& ſeculorum eſt Pater: ſtupendum Miraculum in cœlis thalamus Virginis habens filium Dei, Deum ſponſum Chriſtum: ſtupendum Miraculum in Cœlis Dominus Angelorum,Infans Virginis effectus eſt*. hæc Epiphanius.

Aue hymnigraphorum omnium oratio Epiph. Apoc. 12.

S.Bernardinus Senenſis tom.1.conc.61.art.1. cap.12. *Eam Miraculorum MIRACVLVM* vocat.

S.Bernardinus.

Damaſcenus orat.1.de Natiu.de Deipara agens: *O MIRACVLVM*,inquit,*omnium miraculorum maximè nouum, Mulier Seraphinis ſublimior effecta eſt, Deus viſus eſt paulò minus ab Angelis minoratus: ſileat ſapientiſſimus Salomon, nec iam nihil ſub ſole nouum eſſe affirmet.* hæc ille:& meritò,quia Ierem.31.*Creauit Dominus nouum ſuper terram, Fœmina circumdabit virum.*

Damaſcenus. Eccleſ.1. Ierem.31.

Et ſanè magnum eſt Miraculum, quòd mulier Genitrix ſit Dei: quòd eadem Mater ſit,& Virgo:quòd tot priuilegiorum prærogatiuis, præter communem aliorum omnium Sanctorum,& Angelorum legem,exornata tot, tantisq; virtutum meritis ſupra reliquos Sanctos fuerit decorata,*vt ipſi cœleſtis curiæ Principes*,inquit Bernardus ſermone 4. de Aſſumptione, *in conſideratione tantæ nouitatis clament non ſine admiratione, Quæ eſt iſta,quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens:nec enim pares inueniuntur delitiæ, vel in nobis,quos in Ciuitate Domini lætificat fluminis impetus,qui à vultu gloriæ,voluptatis gloria potamur.* ſic Bernardus: qui eadem ſerm.2. de Aſſumptione de ſanctis Angelis admirantibus Deiparæ præſtantiam ſcribit.

Bernardus.

Verùm ratione etiam id ipſum licet confirmare: *Miraculum enim*, inquit S. Thom. 1.par.q.105.art.7. *dicitur,quaſi admiratione plenum,quod habet cauſam ſimpliciter, & omnibus occultam;hæc autem eſt Deus.* & in 1.2.q.113.art.10. tria docet S. Thomas in operibus miraculoſis inueniri ſolere. Primùm,quòd ſola diuina virtute fieri poſſint;fiũt enim ex eodem 1.par.q.110.art.4. præter ordinem totius naturæ creatæ. Secundùm, in quibuſdam miraculoſis operibus inuenitur forma inducta eſſe ſupra naturalem potentiam talis materiæ. Tertium, in huiuſmodi operibus miraculoſis eſt aliquid præter ſolitum,

Quæ ſint in Incarnationis Chriſti miraculo ſpectanda. S. Thom. S. Thom.

ſolitum, & conſuetum ordinem cauſandi effectum : ex quo infert iuſtificationem impij, quamuis ſit opus ſupernaturale, quandoq; non eſſe miraculoſam, quando ſcilicet fit cõſueto curſu iuſtificationis; His poſitis dignitas maternitatis Dei, ſanctitas beatiſſimę Virginis, non tantum excedit omnem ordinem naturæ, ſed etiam conſuetum ordinem gratię, ſiuè homines quantauis ſanctitate præclaros, ſiuè etiam ſupremos Angelorum Principes ſpectes; cùm omnes longo interuallo ſuperet, & in cœlo Chorum ab omnibus ſeparatum conſtituat, atque altioris ordinis dignitatem obtineat, qua ſtatum reliquorum omnium excedit, vt cap. 6. oſtendimus; quippe quæ Dei Mater, & omnium eſt Regina. ergo meritò à SS. Patribus, quos ſupra citauimus, *ſtupendum miraculum* non tantum in terris, verùm etiam in cęlis, ipſis Angelorum Principibus omni admiratione digniſſimum appellatur: quòd nimirum multis priuilegijs, quæ in vnam Deiparam cadunt, ſolius Dei virtute factis ſit exornata: quorum, & ſi aliqua nobis ſint cognita; plurima tamen nos latent: Verùm ex dignitate maternitatis Dei ea vtcumq; conijcimus. Quocirca Damaſcenus orat. 1. de Natiu. eam *miraculorum abyſſum* vocat; quaſi in ea, tanquam in abyſſo multa lateant miracula, ad quæ penitus penetranda humanis ingenijs aditus planè præcludatur. Ideo enim S. Bernardinus Senenſis tom. 2. conc. 51. art. 3. cap. 1. Deiparæ perfectionem tantam eſſe affirmat, vt ſoli Deo cognoſcenda reſeruetur: *Quam*, inquit Andreas Cretenſis orat. 1. de dorm.) *Dei tantum eſt laudare pro dignitate, qui quas nouit rationibus in ea fecit miracula.* Quapropter S. Ioannes Apoc. 12. Mulierem illam ſole amictam, quæ Deiparam etiam ſignificabat, vt cap. 31. dicemus, meritò *ſignum magnum in Cœlo* appellare non dubitauit. & Moyſes Exod. 3. *Rubum ardentem incombuſtum*; quo, vt canit Eccleſia: *Virginitas Deiparæ conſeruata intelligitur;* viſionem magnã, ideſt admiratione plenam, & miraculoſam nominauit. De hac viſione Ildefonſus ſerm. 1. de Aſſumptione: *Accedite*, inquit, *& videte viſionem magnam cum Moyſe, quam vidit in rubo; videte, inquam, iam completum, & admiramini quod præuidebat ipſe tantus Patriarcha in ſpiritu futurum. Alioquin niſi in ſpiritu videri non poteſt etiam res geſta: quia viſio magna eſt, quam dignè præuidere, & annunciare nemo poteſt: Videbat enim, quod arderet Rubus ſilueſtris, & non conſummabatur, quod erat multum mirabile, ſed longè mirabilius, quia Deus erat totus in Rubo, & Angelus vocabatur.* & infra: *Quo nimirum incombuſto manente, virginitatem B. Mariæ conſeruatam credimus corde, confitemur ore: quoniam Spiritus ſanctus, qui Deus ignis conſumens eſt, totam inflammauit, & incanduit, ita vt Mater fieret Chriſti, & Templum diuinæ maieſtatis.* & rurſum: *Ergo pluris eſt res, quam completam cernimus, & permanet in ſalutem, quàm figura, quæ pertranſit ad tempus veritate exhibita. Hinc quoque beatum dicimus Moyſem, qui talia à longe, & magna conſpexit, & tremefactus non audebat accedere. Sed beatior Mariæ ipſa viſio fuit; de qua ſanè viſione Abacuch tremens factus canit: Domine audiui auditum tuum, & timui: conſideraui opera tua, & expaui: expauit autem tale aliquid, vt vidit, & expauit & Moyſes eo quòd incomprehenſibile erat homini, quod vtrique videbant.* hæc Ildefonſus.

7 Hoc quoque miraculum in Deipara ſuſpicit Nyſſenus oratione de Chriſti Natiuitate: *O miraculum*, inquit, *ingens, Virgo Mater fit, & Virgo permanet; vides opus nouum naturæ.* & mox: *Eadem enim & Mater, & Virgo eſt, ac neque virginitas partum prohibuit, neque partus virginitatem ſoluit.* hæc ille. Et Bernardus ſermone 4. in vigilia Natiuitatis Domini, cùm enumeraſſet quædam Dei opera naturalia, ſolis nimirum ortum, & occaſum, terræ fœcunditatem, temporum viciſſitudinem, quæ *magna ab eo vocantur Miracula*, ſed conſuetudine viluerunt; ſubijcit de admirabilibus operibus in Incarnatione ex illo Iſa. 36. *Innoua ſigna, immuta mirabilia. O noua*, inquit, *miracula, conceptus fuit ſine pudore, partus ſine dolore: Mutata eſt in Virgine noſtra maledictio Euæ; peperit enim filium ſine dolore; mutata eſt in benedictionem, ſicut prædictum eſt per Angelum Gabrielem, Benedicta tu in mulieribus: nec ſolùm ſine pudore conceptus, & ſine dolore partus; ſed & Mater eſt ſine corruptione. O verè nouitas inaudita; Virgo peperit, & poſt partum inuiolata permanſit. Iam ſecurus expecto promiſſam mihi gloriam incorruptionis in carne mea, quandoquidem conſeruata per eum eſt incorruptio etiam in matre ſua.* & infra: *Creſcunt MIRACVLA, multiplicantur diuitiæ, theſaurus aperitur: quæ generat & Mater, & Virgo eſt: Qui generatur DEVS, & Homo eſt.* hæc Bernardus.

Et

Et ſanè maius miraculum fuit ex Ambroſio de inſtit.Virg.cap.7.& Theophilacto,Chriſtum de Virgine naſci,quàm eum à mortuis reſurgere; illud enim fuit ſingulare in Deipara;mortuorum autem plurimi reſuſcitati leguntur: ideò Eccleſia ad Deiparam. *Ambroſius. Theophilactus.*

„ *Tu,quæ genuiſti,*
„ *Natura mirante, tuum ſanctum Genitorem,*
„ *Virgo prius, ac poſterius.*

8 Præter hæc autem,quæ commemorauimus Deiparæ priuilegia, quibus ſatis patet eã *Orbis Miraculum* meritò prædicari; ſunt & alia quàm plurima eidem diuino beneficio peculiariter conceſſa, quæ hoc ipſum confirmant, ſingularemq; Deiparæ præ reliquis præſtantiam nobis declarant; quorum aliqua licet ſparſim in hoc opere explicentur:in præſentia tamen ſummatim nonnulla attingenda duximus.& verò hæc ferè ſunt. *Priuilegia, quæ ſingularem Deiparæ indicant præſtantiam.*

Quòd nimirum non tantùm electa,ſed præ omnibus fuerit prælecta,iuxta illud Cantic.6. *Sexaginta ſunt Reginæ,& octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus. Vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matris ſuæ,electa Genitrici ſuæ. Viderunt eam filiæ,& beatiſſimam prædicauerunt: Reginæ,& concubinæ,& laudauerunt eam.* *De hoc argumento cap. 14. Cant. 6.*

Quòd,vt verbis vtar Bernardi ſermone Signum magnum: *Patribus cœlitus promiſſa, myſticis præfigurata miraculis,oraculis ſit prænunciata propheticis: quin etiam à Sibyllis honorificè fuerit prædicata.* *Cap. 17.* *Cap. 32.*

Quòd Dei beneficio ex parentibus ſterilibus, qui ex voto naſcituram prolem Deo dicarunt,ſit orta; Angelo eius natiuitatem parentibus præſignificante; id quod de nulla alia muliere in ſacris litteris legitur: Dei enim perfecta ſunt opera; quare cum ſobolem ſterili concedebat,maſculinam tribuere ſolebat,ſi hanc Virginem beatiſſimam excipias,quæ ad altiſſimam maternitatis Dei dignitatem erat euehenda. *Cap.8.& 18.*

Quòd ex generoſa ſtirpe,quadruplici ſemine Patriarchali,Prophetali,Sacerdotali, atque Regio decorata,fuerit progenita. *Cap. 17.*

Quòd ſola inter filios Adæ,qui per ſeminalem rationem, vt Theologi loquuntur, ab eo deſcendunt,originalis peccati ſingulari priuilegio fuerit immunis. *Cap.7.*

Quòd in ſuæ immaculatæ Conceptionis exordio ita ſit confirmata in gratia,vt omnis noxæ actualis,etiam venialis ſemper fuerit expers. *Cap.7.*

Quòd fomitem ſemper extinctum habuerit, nec vnquam ſequentem membrorum legem,vel inferioris partis rebellionem ſenſerit. *Cap. 7.*

Quòd in ſua Conceptione rationis vſum acceperit,votumq; virginitatis Deo nuncuparit,ab eoq; inſtanti mereri inceperit,eiusq; meritum ne ſomno quidem interceptum fuerit. *Cap. 32.*

Quòd in eadem ſua Conceptione omnibus virtutibus Theologicis, & Cardinalibus, ijsq; heroicis,atque præclariſſimis;gratijs item gratis datis fuerit exornata. *Cap. 21.*

Quòd triennis in templo Deo ex voto conſecrata,ibiq; ſanctiſſimè educata fuerit. *Cap.8.*

Quòd Benedicta inter mulieres omnis maledictionis,cui genus humanum per peccatum Adæ erat obnoxium,expers fuerit. *Cap.5.*

Quòd gratia plena ſancto Spiritu obumbrata filium Dei conceperit, facta vera Dei Mater, quæ eſt dignitas quædam infinita, *& quem cœli capere non poterant ſuo gremio portauerit.* *Cap. 5.*

Quòd Mater ſimul, & Virgo perpetua, ante partum, in partu, & poſt partum, virginumq; primiceria ſit, ſuoq; exemplo innumerabilium vtriuſque ſexus virginum mater extiterit. *Cap. 32.*

Quòd ſola, inquit Bernardus ſermone Signum magnum, *prægnantium tædium non ſenſerit,quæ ſine libidinis voluptate conceperat.* *Bernardus.*

Quòd Deum virgineo partu abſque dolore enixa,eius conuictu,qui Sap.8. *Non habet tædium, nec amaritudinem,* ſed mira dulcedine n, atque vtilitatem totos triginta tres annos ſit vſa. quare meritò Sap. 8. *Generoſitatem eius glorificat contubernium habens Dei.* *Sap. 8. Cap. 9.*

Quòd corpus Dominicum in ſanctiſſima Euchariſtia exhibitum ex eius ſanguinibus ſit formatum in eius virgineo vtero, qui propterea Cant. 7. dicitur: *Sicut aceruus tritici vallatus liliis.* *Cap. 8.* *Cant.7.*

Quòd

Cap. 17. Quòd multis modis ſingulariter ad noſtram ſalutem ſit cooperata.

Cap. 10. Quòd paſſionis Chriſti fructus ſingulari modo ei ſit communicatus,& iuxta crucem filij fortiter aſtans doloris gladio ſit transfixa; quem Bernardus ſermone Signum magnum, *martyrium cordis* appoſitiſſimo vocabulo nominat. quare & omnium prima maxima animi lætitia Chriſtum vidit reſurgentem, eademq; lætitia eſt perfuſa in filij aſcenſione, & in aduentu Spiritus ſancti in die Pentecoſtes, quo die ingentem gratiæ cumulum eſt adepta.

S. Bernardus.

Cap. 5.

Cap. 19. Quòd Apoſtolorum,& Magiſtrorum magiſtra extiterit.

Cap. 6. & 12. Quòd corpus eius non viderit corruptionem: ſed ante communem reſurrectionem corpore,& anima in cœlum aſſumpta ſupra omnes Angelorum choros, & Sanctorum ordines ad dexteram filij collocata,chorum ſupra omnes faciat ſeparatum, & plus gloriæ ipſa vna obtineat,quàm reliqui Sancti,& Angeli ſimul.

Cap. 31. Quòd eius præſentia beatis magnum gaudium accidentale afferat in cœlo.

Cap. 5. Quòd Regina Cœlorum,omniumq; Angelorum,ac Sanctorum ſit Domina.

Cap. 30. & 29. Quòd communis peccatorum,& omnium Aduocata,Mater miſericordiæ, Mediatrix ad intercedendum; Mater item ſit viuentium,omniumq; ſalutem promoueat.

Cap. 24. Quòd cum dæmones multitudine,& viribus adeò valeant, vt Iob 40. de Satana ſub typo Leuiatan dicatur: *Non eſt ſuper terram poteſtas,quæ comparetur ei,qui factus eſt, vt nullum timeret:* ijs tamen vſque adeò pauenda ſit,atque terribilis,vt ad eius nomen, ne dum ad imperium illico diffugiant,eorumq; ca[illegible] potenter contriuerit.

Cap. 5. Quòd gratiæ,& prærogatiuæ omnes, quæ in alijs Sanctis ſunt diſperſæ,in ipſa longe perfectiori modo vnitæ inueniantur.

Virginis in Aſſumptione præſtantiam Angeli admirantur. 9 Quòd in eius glorioſa in cœlum Aſſumptione ipſimet Angeli tantam in ea ſupernaturalium donorum multitudinem, atque præſtantiam ſingulari priuilegio à Chriſto illi collatam,quibus ſupra ſpirituales diuitias etiam delicijs affluebat;multiplicem item, ac ſuauiſſimam in ipſa virtutum omnium fragrantiam;eius quoque pulchritudinem incomparabilem,& inuictam,ac tremendam contra dæmones fortitudinem meritò celebrent, admirentur,atque ſuſpiciant illis verbis Cant.8. *Quæ eſt iſta,quæ aſcendit de deſerto,delicijs affluens,innixa ſuper dilectum ſuum.* & Cant.3. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ,& thuris,& vniuerſi pulueris pigmentarij?* & Cant.6. *Quæ eſt iſta,quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens,Pulchra vt Luna, Electa vt Sol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* Quibus verbis ad ſingularem eius præ cæteris dignitatem declarandam Deipara rebus non tantùm pulcherrimis, ſed in ſuo ordine ferè vnicis cõparatur,Auroræ,nimirum,Lunæ,Soli, & Caſtrorum aciei ordinatæ: etenim interdiù nihil ſole præſtantius, noctu nihil Luna pulchrius;inter noctem verò,ac diem nihil Aurora iucundius; denique inter hominum cetus Caſtrorum acies ordinata peculiariter eminere videtur, quippe quæ præter decorem maximo Ciuibus præſidio,hoſtibus verò terrori eſſe ſolet.

Cap. 11.

Cant. 8.

Cant. 3.

Cant. 6.

Typi quibus Virginis præſtantia in ſacris litteris ſignificatur. Quòd tanta ſit eius præſtantia;tanta maieſtas, vt cum plenè humano ingenio declarari nequeat; varijs typis,atque ſymbolis per partes vtcunque adumbretur;quibus cõplures eius prærogatiuæ,ac priuilegia; diuerſæ item virtutes,ac dona ſingulari quadam ratione illi à Deo tributa ſignificãtur. Hinc eſt,quòd in ſacris litteris diuerſis rebus aſſimilatur;varijs item typis exprimitur;quorũ aliquot huc cõgeſſimus,omiſſis citationibus ſacrarum litterarum,vndè deſumuntur,omiſſaq; earũ explicatione;cum hęc ferè omnia ſuis locis,quæ ex indice rerum facilè lector cognoſcet,à nobis vberius pertractentur.

Deipara ſacris rebus comparatur. Interdum enim Deipara propter inſignem ſuam ſanctitatem,qua Dei habitaculum erat,totaq; diuino cultui mancipata,rebus ſacris comparatur;atque ita dicitur *Templum Domini,Tabernaculum fœderis,Sanctuarium Dei,Porta Orientalis Templi,Candelabrum Aureum, Menſa panum propoſitionis, Altare Thymiamatis, Solium gloriæ Dei, Vrna mannæ aurea,Propitiatorium,Arca Teſtamenti.*

Cap. 5.

Alijs figuris in ſacris litteris adumbratur. Interdum rebus illis, quæ in ſacris litteris myſticum aliquod præclarum continent,ſignificatur;propterea vocatur *Arca Noe,Scala Iacob, Porta Cœli, Rubus ardens incombuſtus,Virga Aaron,Ciuitas refugij,Vellus Gedeonis,Virga Ieſſe,Turris Dauid, Thronus Salomonis,Vas aureum eiuſdem,Ciuitas Dei,Domus Sapientiæ,Aula Dei,Thalamus ſponſi.*

Inter-

Interdum ijs rerum nominibus appellatur, quæ propter præſtantiam, & iucunditatem inter alia præcipuè eminent. Idcirco nominatur *Cœlum, Stella maris, Stella matutina, Stella Iacob, Iris, ſeu Arcus cœleſtis; Nubes leuis, Paradiſus voluptatis, Lignum vitæ, Fons vniuerſam terram irrigans, Hortus concluſus, Fons ſignatus, Puteus aquarum viuentium, Aquæductus cœleſtium gratiarum, Nauis inſtitoris de longe portans panem, Speculum ſine macula, Mons Dei, Mons in vertice montium.* *Virgo nomina, & eminentioribus rebus deſumpta.*

10 Interdum ijs plantis, ijſq; fructibus aſſimilatur, quæ propter multiplicem vſum in corporis valetudine conſeruanda, aut reſtituenda; vel propter odoris, aut ſaporis ſuauitatem, vel propter pulchritudinem omnibus ſunt gratiſſimæ. Ideoq; dicitur *Cedrus, Cypreſſus, Palma, Plantatio Roſæ, Oliua, Platanus, Terebinthus, Nardus, Balſamum, Lilium inter ſpinas, Botrus cypri:* *Plantis fructibusq; præcipuè aſſimilatur. Cap. 6.*

Interdum ad exceſſum, quo in ſupernaturalibus donis reliquos omnes Angelos, ac Sanctos ſuperat demonſtrandum, eius corporis partes, quibus ſpiritualia animæ dona metaphoricè ſignificantur, rebus aſſimilantur, quæ abſque vlla proportione humana membra ſua magnitudine ſuperant, quemadmodum cap. 6. diximus, ac propterea Cantic. 7. ei inter alia dicitur: *Collum tuum ſicut Turris eburnea; Oculi tui ſicut Piſcinæ in Heſebon: Naſus tuus ſicut Turris libani: Caput tuum, vt Carmelus, Statura tua aſſimilata eſt palmæ,* & cap. 8. *Vbera tua ſicut Turris.* *Virginis præſtantia magnis rebus metaphoricè ſignificatur.* *Cant. 7.*

Et his quidem, alijſq; permultis typis, ac metaphoricis nominibus Deiparæ præſtantia per partes vtcunque adumbratur: Cæterùm neque his ſingillatim, neque omnibus ſimul ſumptis plenè explicari poteſt: *Quippe cuius perfectio cum ſit mater Dei, quæ dignitatem quandam habet infinitam, tanta eſt, vt ſoli Deo,* teſte S. Bernardino Senenſi, *cognoſcenda reſeruetur,* ideoq; quidam in carmine ad Deiparam, cum pleraq; eiuſmodi ſymbola de ea recenſuiſſet, illud eleganter ſubijcit. *S. Bernardinus Senenſis tom. 2. ſerm. 51. art 3. cap. 1.*

„ *Maiores, pluresq; tibi debentur honores;*
„ *Sed quos non hominum, mensue, liberue capit.*

Itaq; ex dictis perſpicuum remanet; ex Deipara, quæ Dei Thronus eſt, non tantùm miraculorum fulgura in Chriſti incarnatione emicuiſſe; verùm etiam ipſammet magnũ fuiſſe orbis miraculum; in qua tot, tantaq; Dei dona ſupra ordinarium rerum, ſiuè naturalium, ſiuè ſupernaturalium curſum, vel ipſi vni inter puras creaturas tributa, vel ipſi præ alijs longè cumulatius ſingulari quadam prærogatiua conceſſa, fulgent, atque coruſcant.

MIRACVLA, QVAE PER DEIPARAM *in hominum vtilitatem fiunt.*

11 IAm verò quod ſpectat ad tertium miraculorum caput; operum ſcilicet admirabiliũ, quæ præter totius naturæ creatę ordinem fiunt, & ex Deipara non ſecus, ac fulgura è diuino throno coruſcant; nullus ea, ne ſummatim quidem, recenſere poteſt. quare Deipara à Damaſceno orat. 2. de dorm. *Abyſſus gratiæ, & pelagus dicitur curationũ,* & orat. 1. de Natiu. *eam miraculorum abyſſum, & fontem vniuerſo orbi medicinam afferentem* nominat; his autem nominibus metaphoricis Damaſcenus Deiparæ ad miracula edenda abſque vlla menſura, & termino poteſtatem fontis inſtar perpetuò manantem ineſſe, indicat: deinde, vt ſupra ex Damaſceno orat. 1. de Natiu. dixi, *Deipara miraculorum officina* appellatur, non tantùm quia in ea, & ex ea Verbum carnem ſuſcepit; verùm etiã quoniam Virginis interceſſione largitur quæcumque ferè præter naturæ ordinem largitur Deus: qui ergo aliquo eget beneficio ſupra naturæ vires, ad hanc adeat miraculorum officinam, quam ideò Andreas Cretẽſis orat. 2. de Aſſumptione: *Omnium miraculorum, quæ quomodocunque facta ſunt, aut fiunt effectricem eſſe dicit:* Cuius propterea imagines magna miraculorum præſtantia, & numero commendantur. & vt omittam vrbes celebriores, quæ compluribus Deiparæ templis miraculorum gloria claris ſunt inſignes, vix eſt villa, vix pagus, in quo templum aliquod Virginis non viſatur, miraculorum multitudine illuſtre; quod ſiqua Deiparæ imago, vel ſenſibus obſita, vel eluuione aliqua humi defoſſa digno cultu, ac veneratione aliquandiù deſtituatur, ſæpè miraculorum multitu- *Miracula ex Deipara prodeunt.* *Damaſcenus.* *Andr. Cret.*

dine, ac ſplendore in oculis omnium maiori virorum, & mulierum celebritate mox reſtituitur.

Maria præ omnibus Sãctis miracula operatur.

Neque id cuiquam mirum videri debet, ſi Deiparæ ſupra reliquos Sanctos, quibus miraculorum gratia eſt tributa, præſtantiam attendat; quod pulchrè Baſilius Seleuciæ Epiſcopus oratione in Deiparæ Annunciatione animaduertit his verbis: *Quis*, inquit, *magnam Dei genitricis virtutem non veneretur? Quis quanto eos omnes interuallo poſt ſe relinquat, quos diuorum loco habemus, non miretur? Si enim Chriſtus ſeruis tantam gratiam contulit, vt ſolo contactu; imò verò ſola corporis vmbra ægris præſidium afferre poſſent.* (*Nam vt actorum liber exponi, infirmi in plateas eiecti, vmbra tantùm Petri contacti, liberi à morbis euadebant. Non deerant quoque qui linteo, quo Apoſtolus Paulus corporis ſudorem exterſerat, accepto, infeſtos dæmones profligarent*) *qualem vim aduerſus omne morborum genus Virgini Matri collatam fuiſſe putandum eſt? an non multo maiorem, quàm cæteris Chriſti imperio ſubiectis? Omninò res clara eſt. Ecquid mirum ſi Sancti cum in viuis etiam num degebant, prepotenter operabãtur, cum terra quoque non omnem vita hac mortali iam perfunctorum vim, & energiam vna cum illis prorſus obruere potuerit? Conſtat namq; ſaxa illorum corpora ita tegere, vt ſi interim (ſi eo tamen, quo par eſt, modo adeantur) ſibi addictos tueri, ac conſeruare non deſinant. Nam ſi talibus tantam miracula patrandi virtutem contulit Deus, qualem educationis mercedem parenti donaſſe, quantisq; chariſmatis, & donis illam exornaſſe exiſtimandus eſt?* hæc Baſilius Seleuciæ. Damaſcenus verò, qui in lib. 4. de fide orthodoxa cap. 15. ſcribit Deiparã natam in domo probaticæ, ſeù ouilis Ioachim, adhoc alludens orat. 1. de Natiu. hãc probaticam in miraculis edendis cũ probatica illa Piſcina, de qua Ioan. 5. eleganter ſic confert: *Fauſta tibi ſint omnia, ò Matris Dei Probatica, ſanctiſſimum delubrum. Fauſta tibi ſint omnia, ò Probatica, patrium Reginæ domicilium. Fauſta tibi ſint omnia ò Probatica ſeminum Ioachim vetus fanum, nunc autem ouilis ratione præditi Eccleſia, Cœlum imitans; atque olim quidem ſemel quotannis Angelum Dei excipiens aquam turbantem, atque vnum dumtaxat valetudini reſtituentem, & ab vrgente morbo vindicantem: nunc autem cœleſtium virtutum copioſiſſimum agmen habens Dei Genitricem nobiſcum laudantium, Illam (inquam) miraculorum abyſſum, illam vniuerſo orbi medicinam afferentem fontem, Illam (inquam) quæ non miniſtrum Angelum accepit; ſed illum magni conſilij Angelum, qui tanquam bona pluuia in vellus abſque vllo ſtrepitu deſcendit, atque omnem naturam morbo laborantem, atque ad interitum vergentem, in certam ſanitatem, ac vitam ſenio carentem reſtituit, ob quam Paralyticus ille, qui in te erat tanquam Ceruus exilijt. Fauſta omnia tibi ſint ò veneranda Probatica, incrementum ſumat tua gratia, ſaluto te Maria dulciſſimum Annæ pignus, nam me rurſum ad te amor pertrahit.* hactenus Damaſcenus.

Damaſcenus.

Ioan. 5.

Pſal. 71.

Primum Chriſti miraculum Virginis interceſſione factum. Ioan. 2. Cyrillus.

12 Et Chriſtus Dominus, vt omnibus teſtatum eſſet efficaciſſimum ſuæ Genitricis apud ipſum ad miracula efficienda patrocinium, primùm miraculum cum in nuptijs in Cana Galileæ aquam in vinum mutauit, eius interceſſione efficere voluit: *Quando*, teſte S. Ioãne, *manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius*, vt non immeritò Cyrillus hom. 6. in Neſtorium ad Virginem: *Per te*, inquit, *omnis creatura conuerſa eſt ad cognitionem veritatis, cum* (vt alia quibus hoc de Deipara iure dicere poſſumus omittam) & ipſi Apoſtoli gentium omniũ Doctores occaſione miraculi Virginis precibus à Chriſto effecti, in eum crediderint.

Epiphanius.

Huius primi miraculi, quò ad Virginis interceſſionem, aqua in vinum eſt mutata, Chriſtus Dominus ſequentibus ſeculis memoriam extare voluit; quo etiam Chriſti virtutis, & efficaciæ, quàm habet apud eum Deipara, admoneremur; quod teſtatur Epiphanius hær. 51. *Circa vndecimam*, inquit, *diem menſis Tybi* (quæ apud nos eſt 6. Ianuarij) *poſt annos triginta, factum eſt primum ſignum in Cana Galileæ, quando aqua facta eſt vinum; quapropter etiam in multis locis vſque in hunc diem hoc fit, quod tunc factum eſt diuinum ſignum in teſtimonium incredulis: velut teſtantur in multis locis fontes, ac fluuij in vinum cõuerſi: Cibyres quidẽ Vrbis Curiæ fons, qua hora hauſerũt miniſtri, & ipſe dixit, Date Architriclino. Teſtatur id in Geraſa Arabiæ fons ſimiliter. Nos bibimus de Cibyres fonte; fratres verò noſtri de eo, qui eſt in Geraſa in martyrũ tẽplo: ſed & multi in Aegypto de Nilo hoc*

teſtan-

teſtatur: quare in vndecima Tybi apud Aegyptios omnes hauriunt aquam, & reponunt tum in ipſa Aegypto, tùm in multis regionibus, &c. hæc Epiphanius.

Quòd autem Deipara etiam non rogata pro defectu vini interceſſerit, ex hoc facile intelligere poſſumus Virginis ſanctiſſimæ promptiſſimam ad noſtras neceſſitates ſubleuandas, voluntatem; quæ non modo in nuptijs illis materiale vinum; verùm multò etiam magis in ſpiritualibus nuptijs, quibus anima Chriſto deſponſatur, procurare ſolet ſpiritualis lætitiæ vinum, omnibus votis ab vnoquoque noſtrum exoptandum; tùm vt ea perfuſi feruentius orantes, ea quæ petimus, efficacius pariter conſequamur, iuxta illud pſalm. 36. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui*; tùm etiam, vt alacrius, ac proinde facilius in via Domini progrediamur, iuxta illud pſalm. 85. *Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum*: ſiquidem pſalm. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri*, ne dùm ambulaui *cum dilataſti cor meum: etenim ſi pia mater compaſſa eſt*, inquit Bernardus ſermone 2. in illud Euangelium, *verecundiæ illorum, à quibus fuerat inuitata, multò magis compatietur nobis, ſi piè fuerit inuocata. Placent enim illi nuptiæ noſtræ, & pertinent ad eam multo amplius, illis: nimirum de cuius vtero tãquam è thalamo ſuo cœleſtis ſponſus proceſſit*. ita Bernardus. Et ſanctus Bernardinus Senenſis tomo 3. ſermone 9. artic. 3. cap. 2. *Virgo mater*, inquit, *ſe cunctorum hominum matrem pietatis agnoſcens, ſollicita pro filijs irrequiſita etiam ad Dei filium interceſſit dicens, Vinum non habent. Si hoc non rogata perfecit, quid rogata perficiet? Si hoc viatrix exiſtens, quid cum regnat in Patria? Si hoc apud filium temporali morti ſubiectum, quid cum mortem ſuperauit?* hæc ſanctus Bernardinus. Verùm vt re ipſa conſequamur, quæ nobis benigniſſimè illa procurat, cogitemus verba, quæ olim miniſtris illis, eadem nunc è cœlo nobis inclamare: *Quodcumque*, ſcilicet Chriſtus, *dixerit vobis, facite:* hac enim ratione Chriſti monitis obtemperantes præſentiſſimis Virginis precibus aquam tribulationum vinum factam conſolationis experiemur.

B. Virgo in ſpiritualibus nuptijs vinum procurat.

Pſal. 36.

Pſal. 85.

Pſal. 118.

Bernardus.

S. Bernardinus.

Ioan. 5.

Vt Virginis p. ces efficaces obtẽperemus Chriſto.

13 Illud quoque animaduerſione dignum exiſtimo, Chriſtum Dominum miracula, & ſanitates crebrò fuiſſe operatum die ſabbato, vt videre eſt Matth. 12. in homine habente manum aridam, & Luc. 13. & 14. in muliere inclinata, & hydropico; Ioan. 5. in languido 38. annorum, & Ioan. 9. in cœco nato, id quod licet fecerit, vt ſe etiam ſabbati Dominum oſtenderet, vt patet Matth. 12. Tùm vt declararet diebus præſertim feſtis operibus miſericordiæ, non ſpiritualibus tantum; ſed ijs etiam, quibus egentium neceſſitati piè ſubuenitur, eſſe vacandum, quod indicant verba illa Domini Matth. 12. *Itaque licet ſabbatis benefacere*: poſſumus tamen & tertiam rationem aſſignare, quia ſabbatum ab Eccleſia, quæ Spiritu ſancto regitur, perpetuò cultu B. Virgini dicandum erat, propter ea, quæ cap. 11. diximus, & cap. 29. vberius dicemus; vt hac ratione Chriſtus Genitricis ſuæ precibus miracula innumerabilia ſe conceſſurum præſignaret.

Cur Chriſtus ſæpe miracula die ſabbati operabatur. Matth. 12. Luc. 13. & 14. Ioan. 5. & 9. Matth. 12.

Cap. 29.

Et ſanè hoc etiam ſignificatum videtur in fluuio illo Paleſtrinæ, qui Sabbaticus eſt dictus, quòd die tantùm ſabbati fluat, de quo Ioſephus lib. 7. de bello Iudaico cap. 24. in hunc modum ſcribit: *Conſpicit Veſpaſianus in itinere fluuium, qui fluit medius inter Arcas, & Raphaneas Agrippæ Regni Ciuitates. habet autem quoddam peculiare miraculum; nam cum ſit, quando fluit, plurimus, neque meatu ſegnis; tamen interpoſitis ſex diebus à fontibus deficiens, ſiccum exhibet locum; deinde quaſi nulla mutatione facta, ſeptimo die ſimilis exoritur: atque hunc ordinem eum ſemper ſeruare pro certo compertum eſt. Vnde etiam Sabbaticus appellatus eſt à ſacro ſeptimo Iudæorum die ſic appellatus.* hæc Ioſephus. Ac ſi eiuſmodi miraculo, vt aliqui animaduertunt, demonſtraretur, beneficia à Chriſto per Deiparam, cui ſabbatum eſt dicatum, peculiari quadam ratione expectanda eſſe; cum Deipara in fonte illo Paradiſi, qui vniuerſam terram irrigat præfigurata intelligatur; & à Damaſceno orat. 2. de dorm. *Fons perennis curationum* vocetur.

Ioſephus.

Sabbaticus fluuius gratias à Deipara manare ſignificat.

Damaſcenus.

Cæterùm hic obiter Ioſephus redarguendus eſt, qui huius fluuij Sabbatici miraculum in Iudaici ſabbati honorem deriuat: Cùm ex ipſius narratione contrarium potius colligi videatur. Exiſtimo enim Deum optimum huiuſcemodi miraculo non tantùm oſtendiſſe, vt diximus, ex Deipara, cui ſabbatum ab Eccleſia erat conſecrandum,

Sabbaticus fluuius damnat Iudaicam ceremoniam.

gratiarum, ac miraculorum aquas perpetuo manare; verùm etiam eodem fluuij miraculo in Iudaicæ perfidiæ deteſtationem innuere voluiſſe ſabbati ceremoniam, qua Iudæi ab omni opere, quin etiam à longiori itinere feriabantur, iam tum æuo illo Veſpaſiani ceſſaſſe, quando Chriſti ſeruatoris noſtri Euangelio longè, lateq; per Orbem coruſcante, ſabbati feſtiuitas in Dominicum diem tranſierat: Manare quippe fluuio idem eſt quod operari, & quodammodo iter agere: ſiccari verò nihil aliud dixeris, quàm à proprio opere quieſcere; quare ſicuti ante Chriſti Euangelium dum lex Moyſis vigebat, crediderim in veteris ſabbati commendationem fluuiũ hunc ſabbatis ſiccari; reliquis verò diebus fluere ſolitum, quod Plinius lib. 31. hiſtor. natur. cap. 2. teſtatur illis verbis: *In Iudæa riuus ſabbatis omnibus ſiccatur*: ita extincta iam, & ſepulta poſt Chriſti mortem Sinagoga, è contrario ſabbatis non ſolum fluxiſſe, verùm etiam reliquis diebus à fluxu ceſſaſſe: vt hac memorabili commutatione antiquatam fuiſſe ſabbati religionem nemo, niſi obſtinatus, non aduerteret: & hac ratione Plinius, & Ioſephus, qui nonnullis contraria dicere viſi ſunt, conciliari poſſunt; ſi ea, quę de hoc fluuio litteris conſignarunt, ad diuerſa tempora referantur. id quod rationi valde eſt conſentaneum: nam etſi vterque ijſdem Imperatoribus claruerit; Plinius tamen, qui opus ſuum Veſpaſiano dicauit, cum ante Ioſephum ſcripſerit ea, quæ antiquiori ſeculo ex aliorum relatione, vel etiam libris acceperat, poſteritati tradidit, eiuſdemq; fluuij nouiſſimam mutationem ipſe abſens ignoraſſe videtur; Ioſephus verò ea, quæ præſens ipſe ſpectauit, memoriæ prodidit: quod non ſine diuinæ prouidentiæ conſilio factum videtur; ne quid enim ſcriptoris gratiæ, vel odio in tanti prodigij deſcriptione tribui poſſet, voluit Deus, vt quæ in antiqui ſabbati commendationem faciebant à Plinio Gentili, quæ verò ad eiuſdem poſtea abolitionem ſpectabant, à Ioſepho Iudæo litteris mandarentur.

Plinius.

Poſt Chriſti mortem Iudæi miraculis caruerunt.

Ad hæc verò, quæ diximus, confirmanda, & illud facit; nam miracula reliqua, quæ olim Deus in Iudaici Populi commendationem faciebat, ceſſarunt vbi Iudæi Chriſtum in lege promiſſum obſtinato animo recipere recuſarunt; & vt reliqua taceam, illud de probatica piſcina, in quam teſte ſancto Ioanne cap. 5. ſui Euangelij: *Qui prior poſt motionem aquæ* ab Angelo factam *deſcendiſſet: Sanus fiebat à quacumque detineretur infirmitate*, Ioſephi ætate iam olim deſijſſe illud argumento eſt, quod ipſe tanti miraculi nullibi meminerit, cum tamen rem ſuæ genti adeò honorificam prætermiſſurus fuiſſe minimè videatur.

Ioan 5.

B. Virgo in Moyſi virga figurata, & quare.
Exod. 14.
Petr. Dam.
S Bernardin.
S. Antoninus.
Cant. 1.

14. Verùm, his omiſſis, ad Deiparæ miracula reuertamur, quæ ex ea tot, tantaq; promanant vberrimè, vt meritò ſanctiſſima Dei genitrix in Moyſi virga, per quam ad educendum Dei populum ex Aegypto, & introducendum in terram promiſſionis, tot ſunt admirabilia patrata miracula, figuretur; quemadmodum Petrus Damianus ſermone de Aſſumptione. S. Bernardinus Senenſis tomo 3. ſermone 1. de nomine Mariæ art. 3. cap. 2. & ſermone 11. art. 1. cap. 3. & ſanctus Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 24. §. 4. animaduertunt, vt propterea Virgini dicatur Canticorum 1. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea*: Equitatus enim Dei, qui Pharaonem expugnauit, eiusq; currus ſubuertit; licet Angelorum exercitus ex Nyſſeno, & Gulielmo intelligi poſſit, in qua acceptione cap. 24. hunc eundem locum de Deipara exponemus: Ex Honorio tamen in ſigillo, & ex Ruperto in Cant. cap. 1. fuit virga Moyſi, quæ primò in colubrum verſa magorum virgas deuorauit: deinde aquas fluminis percutiens, eas vertit in ſanguinem, alijsq; plagis, Pharaonem, atque Aegyptios affecit: nouiſſimè autem, vt Dei populus ex illa ſeruitute in libertatem omninò aſſereretur, mare rubrum peruium reddidit populo Dei, cuius aquis redeuntibus demerſus eſt Pharao cum curribus, & equitibus eius. Huic autem virgæ Moyſi, quę *Equitatus Dei dicitur in curribus Pharaonis* (quod magnis prodigijs, atq; miraculis Pharaonẽ, eiusq; currus debellarit) iure optimo Cãt. 1. aſſimilatur ex Ruperto, & Honorio Deipara, quæ *virga Ieſſe* dicitur Iſa. 11. & in virga Moyſi adũbratur, quod in liberatione illa: *Qua*, vt verbis vtar S. Leonis ſerm. 8. de Paſſione, *nõ ex dominatione Pharaonis vnus populus, ſed ex diaboli captiuitate totus mundus ſeruatur*: ea omnia ſigna ſpiritualiter peregerit: *Cunctas hæreſes ſola*, vt canit Eccleſia, *in vniuerſo mundo interemerit*; Diaboli vires fregerit: ſuaq; ope, atque patrocinio veluti my-

Nyſſenus.
Gulielmus.
Cap. 24.
Honorius.
Rupertus.

Iſa 11.
S. Leo.
Offic. Eccleſ:

ti mystica Moysi virga expeditur via populo Dei; dùm vnda maris rubri, ideſt mundi huius; peccatorum ſanguinibus cruenti percutitur, ac diuiditur, vt Dei populus per hoc deſertum ad terram promiſſionis intraturus, ſicco veſtigio pertranſire poſſit. Hac virga percuſſa petra, nimirum lapideum, & obſtinatum peccatoris pectus, aquas lacrymarum vbertim emittit. Hanc virgam in bello contra Amalecitas tenens Moyſes in manu ſua, cum leuaret manus vincebat Iſrael; ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalceh, quia in noſtra pugna cum dæmone leuantes in oratione ad Deum manus, & Virginis patrocinium apud Deum implorantes vincimus.

Per hanc mare rubrum diuiditur. Exod. 14.

Percuſſa petra aquas fudit. Exod. 17. & Num. 20

Virgam leuans Moyſes vincit. Exod. 17.

Hæc eſt illa virga Aaron, vt ait Damaſcenus orat. 1. de dorm. Virg. *arida*, ideſt abſque viri conſortio, *quæ in Tabernaculo teſtimonij poſita præclariſſimum edidit miraculum*. Numer. 17. germinauit enim floruit, & fructum fecit: *Fructum*, inquam, *benedictum ventris ſui*, quo guſtato mors procul abigitur, & vita reparatur. Hæc denique virga tanquã præcipuum miraculũ cum manna, & tabulis legis in Arca Dei aſſeruanda reponitur. De ſanctiſſima Virgine, quę per hãc virgam Aaron in Arca repoſitam adumbratur Ildefonſus ſerm. 1. de Aſſumpt. exiſtimat locutum eſſe Dauid pſal. 109. cum ait: *Emittet Dominus ex Sion virgam virtutis tuæ.* deinde faciens apoſtrophem ad eandem: *Dominare*, inquit, *in medio inimicorum tuorum.* hæc Ildefonſus.

B. Virgo figuratur in virga Aaron, quæ floruit. Num. 17.

Aſſeruatur in Arca Hebr. 9. Ildefonſus. Pſal 109.

15 Sed age iam ad Miracula ipſa, Deiparæ ope edita, quæ multitudine, ac magnitudine in chriſtiano orbe celebrantur, accedamus. Quamuis enim ab ijs in particulari commemorandis abſtinere poſſem, quod eorum plena ſint volumina, & templa infinitis propemodum depictis tabellis, ac votiuis donis ab ijs, qui voti rei extiterunt, appenſis ea prædicent, nihilq; magis in omnium ore verſetur, præſertim quia in hoc opere complura ex ijs oblata occaſione deſcribenda erunt: quia tamen eiuſmodi miracula ad hominum animos permouendos, & in eius, cuius virtute fiunt, admirationem pertrahendos, plurimùm habent momenti; tùm quia omnem naturæ ordinem ſuperant; tùm etiam, quia in noſtram vtilitatem cedunt, propterea hoc in loco ea omninò præterire nequeo. ſic enim magis teſtatum fiet ex Deipara, quàm thronum Dei affirmamus miraculorum FVLGVRA in hominum vtilitatem vbertim micare. Quocirca præmiſſis nonnullorum Auctorum teſtimonijs, qui multitudinis miraculorum Deiparæ, (quæ varijs in locis olim fiebant) meminerunt; quædam ſanitatum beneficia, aliarumq; rerum admirabilium ſigna per Deiparam peculiaribus perſonis exhibita referamus; deinde miracula aliquot, quæ in nonnullis Deiparæ templis eius inuocatione peculiariter fiunt, recenſeamus, ſic vt in hoc capite nonnulla ex plurimis, quæ ſint veluti ſpecimen, argumentumq; reliquorum commemoremus; reliqua verò, quæ ex probatis Auctoribus collegeramus, ne hoc caput plus æquo excreſceret, in peculiarem tractatum, qui erit de exemplis, & miraculis Deiparæ, congeſſimus, & ad Appendicem in fine huius operis reiecimus, quo Lector ea in promptu haberet.

Miracula Deiparæ innumera.

Quæ agenda.

Et quod ſpectat ad Primùm. Damaſcenus orat. 2. de dorm. teſtatur miracula quamplurima in eiuſdem Deiparæ dormitione effecta fuiſſe: *Tùm*, inquit, *& morbi fugam capeſſebant, & dæmonum cateruæ pellebantur, atque ad ſubterraneas partes vndique exigebantur.* & mox: *Atque hic ſurdis auditus, claudis pedum firmitas reſtituebatur; Peccatoribus in fide accedentibus ſyngraphæ lacerabantur.* & rurſus agens de miraculis, quæ ex Deiparæ manabant ſepulchro (quòd meritò *ſanctorum ſepulchrorum poſt Domini ſepulchrum ſacratiſſimum* appellat) introducit Deiparæ ſepulchrum ita loquens: *Nunc me circundant Angeli, nunc diuina in me habitat gratia ego euaſi officina medicinæ ægrotantibus; ego fons perennis curationum; ego remedium contra dæmones; ego Ciuitas refugij omnibus ad me confugentibus.* ita Damaſcenus.

Damaſcenus.

Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus in Epiſtola ad Thomam Epiſcopum Claudiopoleos recitata in Synodo Nycena 2. Act. 4. agens de ſacris imaginibus: *Extra omnem*, inquit, *controuerſiam eſt, ſanctorum imagines mirifica deſignare miracula, vt & debilibus valetudo bona per eos concilietur*, idq; confirmat exemplo cuiuſdam imaginis Deiparæ: *Extra omnem*, inquit, *controuerſiam eſt in Sozopoli Piſidiæ Ciuitate Imago Virginis matris intemeratæ, quæ ex picta etiam manu ſua vnguentorum ſcaturiginem effundit, cuius ſanè miraculi plures teſtes ſunt.* ita Germanus. Et ſanè longè ante Germanum

Germanus.

Ex imagine Deiparæ vnguentum ſcaturit.

huius olei miraculis celebra i meminit Euſtathius in vita Euthychij Epiſcopi Conſtantinopolitani apud Surium die 6. Aprilis: Cum enim Euthychius extremis Iuſtiniani temporibus circa annum Domi i 564. Amaſeæ pro fide catholica exularet, Androgius quidam eiusq; vxor grauida ad eum accedunt orantes, vt ſuis precibus impetret, ne infantes ſibi in lucem editi ſtatim moriantur, quemadmodum eis aliquoties contigerat. Quæ cum pro illis precatus eſſet, ambos vnxit oleo ſancto, tùm eo quod è pretioſa cruce, tùm illo quod ex ſanctæ Dei Genitricis veneranda imagine ſcaturire ſolet Sozopoli dicens, In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, adiecitq; naſcituro filio nomen imponetis Petri, & viuet: quod ita factum eſt, alteri verò filio, Ioannis nomen imponi iuſſit. hæc Euſtathius, qui hæc omnia præſens ſpectauit, & litteris mandauit.

Apud Surium tom. 2.
Euthychius.

Leo Imperator huius nominis primus ex Zonara in ſua hiſtoria, & ex Nicephoro lib. 15. cap. 25. cum adhuc priuatus degeret, à Deipara voce cœlitus edita imperialis ei dignitas prænunciatur, ſimulq; monetur, vt Aedem ei ſacram, ad quendam fontem, vbi caſu tunc erat conſtrueret, in qua omnibus precantibus, locumq; illum cum ardore, & fide certa adeuntibus optata omnia præſtaret. Is poſt adeptum imperium admirabile templum Conſtantinopoli ſub Dei genitricis nomine ad fontem dictum extruxit, in quo tot, tantaq; ſigna mirifica edebantur, vt de ijs librum ſe conſcripſiſſe teſtetur Nicephorus.

Leo Imperat. Zonaras. Nicephorus. Leoni I. Imper. dignitas Imperialis prænunciat, & vt templum extruat admonet.

Hoc autem mirum non eſt, ſi benignitatem Deiparæ attentius animo reputemus: *Nam hæc*, inquit Bernardus ſermone Signum magnum, *omnibus miſericordiæ ſinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuerſi; Captiuus redemptionem, Aeger curationem, Triſtis conſolationem, Peccator veniam, Iuſtus gratiam.* ſic Bernardus.

Bernardus.

16 Præclarum eſt illud, quod Cæſarius lib. 7. cap. 15. hac de re, & de templis eiuſdem Virginis, quæ ætate ſua multis clarebant miraculis, ſcriptum reliquit: *Medicina*, inquit, *B. Virginis nihil efficacius, nihil eſt ſalubrius.* Nec mirum ipſa medicum genuit, ipſa medicinam generis humani ex ſe produxit: vnde ſcriptum eſt: *Germinet terra herbam virentem ſecundum genus ſuum*, ideſt MARIA Chriſtum hominem, *qui animatum corpus ſumens de Virgine naſci dignatus eſt.* item expreſſius in Eccleſiaſtico: *Altiſſimus de terra creauit medicinam*, ideſt ex carne Virginis Mariæ Saluatorem, Ieſus interpretatur *Saluator*, ſiue *ſalutare*, quia Saluator medicus, & ſalutare medicina eſt. Quòd MARIA terra ſit, teſtis eſt Iſaias, qui dicit: *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem:* quod de hac terra creatus ſit, idem Propheta dicit in perſona Patris: *Ego Dominus creaui illum:* & Apoſtolus dicit: *eum factum ex muliere;* quid ergo mirum, ſi apud ipſam ſunt medicamenta ſanitatum, quæ *hortus eſt aromatum?* Conſidera Rupem Amatoris, & alia loca in honore ipſius dicata, & non miraberis, ſi parata fuerit ad medendum, & efficax ad ſanandum. Vnde in monte Peſſulano, vbi fons eſt artis phyſicæ tantas B. Virgo operatur ſanitates in quadam ſua Eccleſia, vt medici gratiæ inuidentes, pauperculis infirmantibus, & pro remedio ſanitatum ad ſe confluentibus, dicere ſoleant, Ite ad Eccleſiam S. Mariæ, deferte ei lumen, & recipietis ſanitatem: & cùm hoc ironicè dicant, pauperes ab eis paſſi repulſam, ad ipſam confugiunt, & ſanantur; nunquid non vides quàm celerem ſanitatem conſequantur febricitantes ieiunium trium ſabbatorum vſque poſt ſolis occaſum ipſi B. Virgini vouentes? hucuſque Cæſarius.

Ex Caſarius.
Gen 1.
Eccleſ. 38.
Iſa. 45.
Iſa. 43.
Galat. 3.
Cant. 6.
Templum Deipara in monte Peſſulano miraculis celebretur.

Quibus addere poſſumus, Chriſtum Dominum à Deipara genitum, iure optimo noſtrum Medicum, ac Medicinam à Cæſario appellari, tùm quia Matth. 9. Medico ipſe ſe comparat, illis verbis: *Non eſt opus valentibus Medicus;* verùm etiam, quia nomen *IESV* quamuis apud hebræos *Saluatorem* ſonet, ſi tamen eius etymologia ex græco idiomate ſumatur, poteſt etiam ſignificare *Medicum* à verbo ἰάομαι, quod eſt *medeor:* vnde nomen ἰησοῦς deduci poteſt, quemadmodum docent Cyrillus Ieroſolymitanus cathec. 10. Baſilius in Aſceticis, Epiphanius hær. 29. & P. Salmeron tom. 3. tract. 37.

Ieſu nomen idem ac Saluator.
Matth. 9.
Cyrillus.
Baſilius.
Epiphanius.
P. Salmeron.

Quomodo autem Virgo ſanctiſſima gratiam curationum, & operationem virtutum, ſeù miraculorum habuerit etiam dùm hic viueret, legendus eſt noſter Franciſcus Suarez tom. 2. in 3. par. diſp. 26. ſect. 3.

Suarius.

DEIPARAE MIRACVLA PECVLIARIBVS Ciuitatibus, vel perſonis præſtita.

17 CAeterùm aliquot ſanitatum, aliorumq; beneficiorum miracula peculiaribus Vrbibus, vel perſonis à Deipara exhibita, ex quibus reliqua conijcere poſſimus, nunc commemoremus; & ne quid de eorum vi, ac magnitudine breuitas narrationis detrahat, quamuis eorum aliquot in pauca contulerimus, aliqua tamen fuſius enarranda duximus.

Procopius.

Cùm peſtilentia ſæuiſſima, ex Procopio lib. 2. de bello Perſico, Iuſtiniani temporibus anno Chriſti 545. vel iuxta alios 542. in Oriente graſſari cæpiſſet, & nulli ætati, nulli ſexui, nulli loco parceret; Nullum ei remedium, præter quam ex Deo eſt inuentum; *Euagrius.* nam quinquaginta annos per vniuerſum orbem ex Euagrio lib. 4. cap. 20. eſt propagata: *Hæc verò lues*, vt verbis vtar Procopij loco citato: *Conſtantinopoli tribus tantum menſibus præualuit: & ab initio quidem pauci, deinde in ſingulos dies quinque, ſæpe etiam decẽmillia efferebantur, adeò vt plures etiam diuites, miniſtris iam omnibus extinctis, curatorum penuria magis, quàm morbo perirent, & inſepulti maneret.* ita Procopius. Quòd verò tàm breui tempore fuerit ibi extincta, id Deiparæ beneficio factum eſt, feſto Purificationis Dei genitricis hanc ob cauſam inſtituto. quod affirmat Sigibertus in Chron. anno Chriſti 542. *Conſtantinopoli*, inquit, *mortalitate magna inſurgente ſtatuta eſt ſolemnitas B. Mariæ, quæ græcè hypapante, ideſt obuiatio dicitur.* ſic ille. Idem referunt Genebrardus lib. 3. chron. ad annum 537. Martinus Polonus lib. 4. chron. ad annum 529. *Buſtus* par. 8. manual. ſerm. 2. par. 3. vbi addit inualeſcente peſtilentia cuidam ſancto viro reuelatum eſſe, vt die 2. Februarij feſtum Purificationis B. Virginis celebraretur, & ſic omnis mortalitas ceſſaret. Quàm feſtiuitatem anno circiter 494. Gelaſius Pontifex in Occidente Lupercalibus abrogatis iam introduxerat. De hac peſtilentia miraculo Deiparę Conſtantinopoli ſublata Baronius tom. 7. Annal. ad annum Chriſti 544. & in notis ad Martyrologium die 2. Februarij.

Euagrius.

Genebrardus.

Polonus.

Buſtus.

Gelaſius Pontifex.

Baronius.

LVES INGVINARIA SAEVISSIMA Romæ per Deiparæ Imaginem depulſa.

18 NOtiſſimùm eſt miraculum illud, quo Roma ope Deiparæ ab atrociſſima peſtilentia tempore S. Gregorij Magni eſt liberata. Cùm enim menſe Octobri exeunte Tiberis ex Gregorio 4. dialog. cap. 19. adeò excreuiſſet, vt ſuper vrbis muros influeret, & teſte Gregorio Turonenſi lib. 10. hiſtoriæ Francorum cap. 1. & Ioanne Diacono in vita S. Gregorij lib. 1. cap. 34. magna ſerpentum turba cum ingenti dracone in modum Trabis validæ per Tiberim in mare delapſa, ibiq; ſalſis fluctibus extincta, & ad litus reiecta ſua putredine aerem infeciſſet: ſequenti anno, qui fuit annus ſalutis 590. Romæ ſequuta eſt peſtis inguinaria, quæ à Dei ſanctuario incipiens, Pelagium II. Pontificem initio Februarij perculit. hæc autem peſtilentia, inquit Gregor. 4. dialog. cap. 36. Vrbem Romam clade vehementiſſima depopulauit, in qua etiam corporali viſu ſagittæ cœlitus venire; & ſingulos quosq; ferire videbantur. Ipſe verò Gregor. electus; ſed nondum conſecratus Pontifex, vt videre eſt in regiſtro Epiſtolarum lib. 11. cap. 2. & apud Gregor. Turonenſem loco citato, ad iram Dei auertendam concione ad populum habita in templo ſanctæ Sabinæ 4. Kalend. Septembris, qua ad pœnitentiam omnes hortabatur, litaniam ſeptiformem indixit; ſeptemplici nimirum Perſonarum, atque Eccleſiarum, vnde ſingulæ litaniæ procedebant, ordine diſtinctam. Prima enim Litania erat Clericorum ab Eccleſia S. Ioannis Baptiſtæ. Secunda virorum à S. Marcelli. Tertia Monachorum à S. Ioannis Baptiſtæ. Quarta Ancillarum Dei à SS. Coſmi, & Damiani. Quinta Coniugatarum à S. Stephani. Sexta Viduarum à S. Vitalis. Septima Pauperum, & Infantum à S. Ceciliæ. Qui tamen omnes ad ſanctæ Dei Genitricis Eccleſiam conueniebant, vt ibi diutius cum gemitu Domino ſupplicantes, peccatorum veniam promererentur. Et quanquam, teſte Gregorio Turonenſi, ex peſtilentię acerbitate dùm voces plebs ad Dominum ſupplicationis emitteret, in vnius horæ ſpatio octoaginta homines ad ter-

Lues inguinaria per Deiparæ imaginem, Angeliq. apparitionem depulſa.

Gregorius Turonenſis.

Ioannes Diaconus.

ram

ram corruerunt, & ſpiritum exhalarunt; ipſe tamen S.Gregorius nequaquam exterritus populum monebat, ne ab oratione ceſſarent: Ex eoq; tempore conſuetudo manet, vt poſt miſſæ introitum nouies Domini miſericordia imploretur verbis illis *Kyrie eleiſon*, & *Chriſte eleyſon* (id enim à S. Gregorio inſtitutum fuiſſe, ſatis colligitur ex eodem Gregorio lib.7.epiſt.64.) Cæterùm peſtilentia adhuc fæuiente, ita vt multi cum ſternutarent, alij cum oſcitarent repente ſpiritum emitterent (ex quo orta eſt conſuetudo, vt ſternutantibus ſalutem precemur; oſcitantes verò crucis ſigno in ore ſe muniant) S.Gregorius ſequenti anno in die Reſurrectionis litanias inſtituit ad Baſilicam S.Petri Apoſtolorum Principis: atque ſolemni pompa ſanctam Virginis Dei Genitricis Imaginem extulit (hæc autem illa eſſe traditur, quæ ex ore eius Lucæ Euangeliſtæ manu affabre ad viuum expreſſa, in Baſilica ſanctæ Mariæ ad præſepe eximia populi religione conſeruabatur) Factum eſt autem, vt imaginem ipſam quacunque ferretur, tetra peſtilentis cœli grauitate cedente, optata ſalubritas ſequeretur. Qua de re Deo gratulantibus omnibus, ecce Angelus his vocibus ſanctam Virginem è cœlo alloquens eſt auditus.

,, *Regina Cœli lætare, Alleluia:*
,, *Quia quem meruiſti portare, Alleluia:*
,, *Reſurrexit ſicut dixit, Alleluia.*

Quòd Canticum Gregorius diuino inſtinctus ſpiritu expleuit ſtatim adijciens.

Ora pro nobis Deum, Alleluia.

Exinde hæc Antiphona paſchalis, argumento lætitiæ, ſolemnis in Eccleſia manſit. Tũc etiam mirandum illud accidiſſe tradunt; nam cum in ea ſupplicatione procedendo Gregorius ad molem Adriani Tiberi adiacentem peruenisſet, Angelus ſuper eam aſtans nudatum gladium in vaginam recondere conſpectus eſt, eoq; ſymbolo morbum ceſſaſſe ſignificare voluit. Quo viſo Gregorius exhilaratus bono omnes animo eſſe iuſſit, quia optatus peſtilentiæ finis Deo annuente oſtendebatur. Atque ita ipſe deinde morbus elãguit. Ab hac re moli illi, ſancti Angeli nomen eſt inditũ. Hæc omnia ex Carolo Sigonio lib.1.de Regno Italiæ anno Domini 500. & 591. qui ex ritualibus ſe ea accepiſſe affirmat: & ex Baronio tom. 8. annal. ad annum Domini 590. Reliqua ex Gregorio Turonenſi loco citato: qui integram S. Gregorij concionem à ſuo Diacono tunc Romæ degente ſibi allatam deſcribit lib.10.hiſtor.Franc.cap.1. horum meminit S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 24. §. 2.

Carolus Sigonius.

Baronius. Gregorius Turonenſis. S. Antoninus.

BASILISCVS ROMAE PESTILENTEM exhalans ſpiritum Deiparæ ope ſublatus.

Peſtilentem exhalans ſpiritum baſiliſcus Deiparæ ope arcetur.

19 ROmæ quoque tempore Leonis IIII. non minus admirabilis, quàm ſalutaris Deiparæ virtute extitit liberatio à baſiliſco; cuius venenatus afflatus, & intuitus ijs, qui ad eius ſpecum accedebant, celerem afferebat interitum. Id enim factum eſt ipſo Aſſumptionis Dei Genitricis feſto, & indicta ad ſanctam Mariam Maiorem ſupplicatione; præcedente item ſancta Imagine, quæ vtiq; ipſius Deiparæ erat; cuius imaginis efficacitatem Romani tempore S.Gregorij Magni, vt diximus, in depellenda peſtilentia experti erant. Rem geſtam narrat Anaſtaſius Bibliothecarius; cui conſentit Sigonius lib.5.de Regno Italiæ, & Baronius tom.10.annal.ad annum 847. Nos Anaſtaſij verbis eam hic ponemus. Leone IIII. in primo ſui Pontificatus anno (is autẽ erat annus Domini 847.) iuxta baſilicam beatæ Luciæ martyris, quæ in Orphea ſita eſt, in quibuſdam terris, abditisq; cauernis diri generis ſerpens, qui baſiliſcus græcè, latinè Regulus dicitur, ortus eſt; qui flatu ſuo, ac viſione omnes, qui ad eaſdem appropinquabant cauernas celeriter necabat: Ipſe verò Pontifex beatiſſimus hanc populi necem audiens, atque perniciem, ad orationem ſe conuertit, ac litanias, vt Dominum deprecaretur; quo huiuſmodi omnes interitu liberaret. Dùm hæc aguntur præclarus, ac celeberrimus dies aduenit, in quo beatæ Dei Genetricis ſemperq; Virginis MARIAE Aſſumptio celebraretur: tunc præfatus vniuerſalis Pontifex à Patriarchio cum hymnis, & canticis ſpiritualibus ſancta præcedente Icona ad baſilicam ſancti Hadriani martyris, ſicut mos eſt, proprijs pedibus cum omni Clero perrexit. De qua regreſſus cum omni fidelium cœtu ad baſilicam beatæ Dei

Anaſtaſius Bibliothecarius. Sigonius. Baronius.

Gene-

Genitricis Dei,& Domini noſtri Ieſu Chriſti,quæ ad præſepe dicitur,cum Dei laudibus magna populi caterua comitante properabat: Qui cum peruenisſet ad locum,in quo ipſe ſæuiſſimus baſiliſcus tetris (vt iam ſuperius dictum eſt) iacebat cauernis: omni Clero,& populo ſtare præcepit;atque iuxta eaſdem cauernas properans, ſub foramen,vnde ſpiritus peſtiferi flatus egrediebantur ſerpentis,intrepidus ſtetit,& oculos in cœlum pariter tẽdens,& palmas,Chriſtum,qui eſt ſuper omnia Dominus,profuſis lacrymis deprecatus eſt,vt ab eodem loco diri ſerpentis genus ſua potentia effugaret:& data ſuper populum oratione, Dei laudes ad baſilicam, quam ſuperius memorauimus, profectus eſt exhibere. Ab eodem verò die ipſe mortifer baſiliſcus ita effugatus, & ab ipſis proiectus eſt antris,vt vltra in illis locis nulla læſionis eius macula appareret. Huc vſque Anaſtaſius apud Baronium tom. 10. Idem Baronius indicat ea de cauſa à Leone IIII. inſtitutam octauam Aſſumptionis Deiparæ,in notis martyrologij ad diem 22.Auguſti; Platina verò in ipſa octaua Aſſumptionis baſiliſcum expulſum ſcribit in vita S.Leonis, de quo in tractatu de feſtis. Et ſanè Leo Quartus inter ſanctos recenſetur in Martyrologio 17. Iulij.

Baronius. Leo IIII. Pontifex. Platina. Tractatu de feſtis. Martyrologium Romanum.

S. VVILFRIDVS INTERCESSIONE *Deiparæ læthali morbo curatur.*

NArrat Beda lib.5. hiſtor. Anglorum cap. 20. S.Vuilfridum Archiepiſcopum Eboracenſem cum ex Vrbe rediret in Angliam læthali morbo correptum in Gallia, & quatriduo quaſi mortuum, ſine cibo, & potu; ſine voce, & auditu iacuiſſe: Virginis tamen ope ſoſpitati reſtitutum; modum autem ipſemet S. Vuilfridus Accæ ſuo Presbytero his verbis apud Bedam aperuit; Aſtitit,inquit,mihi quidam candido præclarus habitu,dicens ſe Michaelem eſſe Archangelum,& ob id,inquit, miſſus ſum, vt te à morte reuocem; donauit enim tibi Dominus vitam per orationes,& lacrymas diſcipulorum,& fratrum tuorum,& per interceſſionem ſuæ beatæ Genitricis ſemper Virginis MARIAE; qua propter dico tibi, quia modò quidem ab infirmitate hac ſeruaberis: ſed paratus eſto,quia poſt quadriennium reuertens viſitabo te,& in pace tranquilla vitam terminabis. Conualuit Epiſcopus,cunctis gaudentibus, & Deo gratias agentibus cœptoq; itinere, in Brittaniam venit. hæc Beda.

B Vuilfridus Virginis ope curatur. Beda.

SANCTO IOANNI DAMASCENO *manus à Deipara reſtituitur.*

20 INſigne,& toti orbi notiſſimùm eſt miraculum illud, quo Deipara S. Ioanni Damaſceno ſui ſtudioſiſſimo manum ob defenſum ſanctarum Imaginum cultum abſciſſam reſtituit. Rem geſtam narrat Ioannes Patriarcha Ieroſolymitanus in eius vita, in hunc modum; Cùm Ioannes Damaſci, vnde cognomentum accepit, nobilibus parentibus ortus eſſet, atq; ab eruditiſſimo quodam Monacho Italo Coſma nomine, in omni ſcientiarum genere inſtitutus,doctiſſimus & ipſe euaſiſſet; à Principe Saracenorum, cuius imperio parebat Damaſcus,primarij Conſiliarij dignitatem ſuſcipere eſt coactus:verùm exorta Iconomachorum hæreſi ſtudio Leonis Iſaurici Conſtantinopolitani Imperatoris (qui regnare cæpit anno Domini 716.) à quo ſacræ Imagines abolebantur,& catholici earum cultores exilio,cædibus;mirum in modum diuexabantur. Ioannes libellis Epiſtolaribus ad Orthodoxos, quibus notus erat, datis, & tribus luculentiſſimis editis orationibus,hanc hæreſim confutauit, & ſacrarum imaginum adorationem apertiſſimis argumentis confirmauit; id quod Leonis Iſaurici in eum odium vſque adeò concitauit, vt cum ei in Saracenorum ditione degenti,aperta vi nocere neutiquam poſſet,hãc fraudem excogitarit. Ad Saracenorum Principem litteras dat,quibus ſe pacis conſeruandæ ſtudio teneri; eaq; de cauſa ad illum mittere ſignificabat cuiuſdam, qui in eius ditione verſabatur epiſtolam, qua ad occupandum Damaſcum inuitabatur.Hæc erat conficta in eam ſententiam ex perſona Ioannis ad ſe Epiſtola, in qua Notarij iuſſu Leonis Ioannis ſcripturæ notas, & ipſius ſententias,ac verba accuratè expreſſerant. Saracenus his acceptis

S. Ioanni Damaſceno amputata dextera à B Virgin. reſtituitur. Ioannes Patriarcha Ieroſolymitanus.

acceptis Ioannem accersit,eiq; ementitam Epistolam ostendit,qua perlecta,Ioannes litterarum quidem formas suis similes esse confessus est;se autem quæ in ipsis continerentur prorsus ignorare; nec eum fugit cuius insidijs hæc aduersum se comparata essent; ideoq; ad se purgandum, & impij Imperatoris in se furorem exponendum, breue temporis spatium ab homine barbaro enixè petijt. Verùm Barbarus ille dexteram Ioanni illico amputari iubet,& in foro suspendi:exacta itaq; die Ioannes à tyranno per nuncios ad leniendum dolorem sibi manum restitui impetrat; qua ille accepta (inquit vitæ eius auctor)in oratorium, quòd domi habebat, ingreditur; pronoq; omninò corpore ante imaginem Dei genitricis prouolutus,excisamq;manum pristinæ suæ commissuræ admouens,intimo pectore ingemiscit, ac cum lacrymis exclamans, illam ad misericordiam propensissimam hunc in modum obsecrare cæpit. Domina, & castissima Mater, quæ Deum meum peperisti, diuinarum imaginum causa dextera mihi manus amputata est: Neque enim te fugit quid Leonem in furorem coniecerit. Quare quàm celerrimè accurre,ac manui meæ medicinam adhibe. Dextera excelsi,quæ ex te incarnata est,virtutes multas efficit:tuo itaq; rogatu meam quoque dextram obsecro sanet,vt tuas quemadmodum concesseris,filijq; ex te incarnati laudes modulato concentu, ò Dei genitrix, litteris consignet,atque orthodoxo cultui adiumento sit. Potes enim quicquid iubes,vt Dei Mater. Hæc Ioannes cum lacrymis dicens obdormiuit, atque in somnis sanctæ Dei genitricis imaginem videt,placidis,& lætis oculis ipsum intuentem,ac dicentem, Ecce sanitati restituta est manus tua. Iam ergo sine vlla cunctatione, quemadmodum nunc pollicitus es,eam scribæ velociter scribentis calamum effice: experrectus igitur ille cum excisam manum sanatam conspexisset,spiritu exultauit in Deo salutari suo;atque ipsius matre,stansq; tota nocte cum vniuersa familia lætabatur,canticum nouum Deo cantans tanta iubilatione,vt ad aures vicinorum, aliorumq; perueniret. Quòd cum Principi Saracenorum statim renunciatum esset,atque in dubium reuocatum, ne fortè dextera alicui seruorum Ioannis,non autem ipsi Ioanni abscissa esset,Ioannes accersitur,exactam dexteram ostendere iubetur,qua demonstrata,certo Dei Matris consilio, ac prouidentia linea quædam in ea elucebat,verissimam in ea excisionem ostendens. Tùm igitur ex eo Barbarus quæsiuit,quo medico,quibusuè medicamentis sanitati restitutus esset;ille clara,& ingenti voce miraculum prædicat, Deumq; in sanitatem se inuocasse affirmat. Ad hæc Barbarus, Quantùm coniectura assequor, insons passus es, ac velim ignoscas, quòd præcipiti,& inconsiderata sententia supplicium tibi intulimus; Tu verò pristinum munus administrabis, principemq; inter Consiliarios nostros locum habebis.Ille autem humi prostratus, diu eum rogauit, vt aliam viam multo iucundiorem ingredi permitteret,& Christi vestigijs hærere: At Barbarus hanc ei potestatem minime faciebat:tandem Ioannis precibus, Deo sic volente, annuit. Ille verò bonis suis in pauperes captiuos, & seruos suos, quos etiam libertate donauerat, & cognatos distributis, nudus,vestimentis exceptis,è mundo excessit,& Ierosolymam profectus; ibiq; sanctis locis adoratis ad sancti Sabæ Lauram monasticum institutum suscepit; vbi plurimis, & egregijs libris ad fidei catholicæ defensionem exaratis, sanctæ obijt. eius memoria in Martyrologio recolitur die 6. Maij.

Martyrologium Romanum.

SANCTI ALIQVANDO AB HOMINIBVS INVOCATI *Deiparæ iussu beneficia ijs contulere.*

21 NEc illud silentio prætereundum, Deiparam à Christo eius filio dispensatricem gratiarum adeò constitutam, vt ij etiam, qui aliquos cælites alicuius beneficij gratia inuocarunt,interdum Deiparæ iussu ab ijsdem Sanctis, interdum ab ipsamet, quæ petebant,sint consecuti,cuius rei vnum,aut alterum exemplum proferamus.

Sancti Cosma, & Damianus Deiparæ iussu quendam sanāt.

In Synodo Nicena 2.Act.4. inter plurimas Sanctorum historias, quæ ad sacrarum imaginum cultum confirmandum afferebantur: Theodosius Diaconus,& Monachus ex libro Miraculorum sanctorum Cosmæ,& Damiani tota Synodo audiente,& hanc ex libro recitauit historiam, quàm totidem verbis referemus. Vir quispiam admodum mansuetus fistula in iunctura coxæ laborabat, cumq; multorum curationes frustra tentasset,

medico-

medicorumq́; nouaculis annis quindecim esset scissus; exhaustus, & superatus malo, videns vlcus in dies augeri, iamq́; pro vno foramine quinque oscula aperta; perq́; vnum eorum potum etiam, & cibum quandoq́; reddi, medicosq́; dicentes malum prævalere; neque hominum manu superari posse: multis autem consulentibus, vt diuorum Cosmæ, & Damiani famulorum Dei templum sactatum adiret, statuit secum amicorum consilijs (res enim multi consilij necessitas) acquiescendum. Videt igitur per somnium viros Dei sibi astantes, dicentes, Ades dum ad nos, & sanaberis. Hac itaq́; adhortatione confisus insigne templum diuorum accedit, quotidie ad eos supplicans, quo posset à morbo liberari, cum autem multos dies frustra preces fudisset, neque quicquam quod solatio esse posset, perciperet, egressus ædem sacrã videt in porticus limine à dextero latere imaginem seruatoris nostri positam: appicta autem erat, & sancta Deipara Domina nostra, beatiq́; viri Cosmus, & Damianus; & quidam ex magnatibus, qui tabulam suspenderat Leontius nomine. Obsecrationibus igitur rursum factis, amareq́; illacrymans (multis horis) rogat sanctos, vt voti fiat compos. Digressus autem ad cubiculum domus sue vidit noctu sanctos viros Dei ad se venientes, in medio autem Virginem matrem dicentem ad illos. En hic est suppetias illi quam primùm ferte. hæc ibi.

Mulier in medijs fluctibus parit Deiparam protegente.

Alterum exemplum sit ex Vincentio Beluacensi in speculo historiali lib. 7. cap. 85. In loco, inquit, qui dicitur Tumba est Ecclesia S. Michalis Archangeli honorificè constructa, qui locus Oceano cinctus ipsius æstu terribilis est, propter accessum, & recessum maris, aduenientibus omnibus, & limina S. Michaelis Archangeli petere desiderantibus. Bis in die sinum prætendit, non autem, vt cætera maria gradatim: Verùm terrifico cursu, ac terrifico sonitu accurrens sæpè intercipit iter agentes. Quadam igitur festiuitate ipsius Archangeli, turbis ad eius limina properantibus, ecce iam in medio arenæ positis (erat autem inter eos mulier quædam pauperc̃la vicina partus omninò iam grauida) sonitus terribilis maris subitò insonuit, & cunctis præpeti cursu amentium more fugientibus, illa mulier sola remansit; vsu etiam pedum præ nimio dolore, & terrore, atque labore destituta; irruerant enim in eam dolores subiti: Clamabat cum eiulatu miserabiliter, auxilium petens; sed vnusquisque se ipsum tueri cupiens audire dissimulabat. Igitur humano deficiẽte auxilio recurrit ad diuinum, Deum lacrymabili voce inuocans, & eius genitricem MARIAM, sanctumq́; Archangelum Michaelem: Populus quoque omnis ad hoc spectaculum consistens, manus ad sidera tendens, Dei, & Matris eius auxilium flebiliter inuocabat. Vniuersis ergo Christi auxilium implorantibus, aduenit pia Dei genitrix; &, vt ipsi mulieri videbatur, manica superueam proiecta, ita intactam in terrisono impetu maris reddidit, vt nec minima etiam gutta totius abyssi vestimenta illius contingeret; Ibi verò quasi in tutissimo habitaculo posita filium peperit, sine timore vllo permanens, donec iterum mare fluctus suos in se retrahens liberum iter eundi mulieri præberet. Itaq́; cum puero ad litus venit, vt quæ sola in mari relicta erat exiens, iam non sola, miraculi spectaculum omni populo præbuit. hæc Vincentius.

REGINALDVS GRAVI MORBO LABORANS à Deipara curatur.

Reginaldus à Deipara sanatur. S. Antoninus.

22 REginaldus Aurelianensis Decanus Auctore S. Antonino in 3. par. hist. tit. 23. cap. 4. §. 4. cum graui morbo vexatus desperata à medicis salute iaceret, & pro eo S. Dominicus, cuius ordinem ingredi volebat, frequenter oraret; visibiliter ei vigilanti, & vehementi febrium ardore æstuanti, Dei genitrix apparuit duabus comitata puellis, eiq́; dixit, Pete à me quid vis, & dabo tibi; deliberãti quid peteret, suggessit vna ex illis puellis ne quid peteret; sed se totum Reginæ misericordiæ committeret voluntati, quod cum fecisset, Virgo sanctissima manu sua ægrotantis oculos, aures, & nares, osq́; & manus, ac pedes salutari, quam secum tulerat, vnctione perunxit, formulasq́; verborum proprias ad singulas vnctiones subinferens, ad renes quidem; stringantur (ait) renes tui cingulo castitatis: ad pedes autem; Vngo pedes tuos in præparationem Euangelij pacis: reliquas formulas non commemorat, ostensoq́; habitu Prædicatorum, En, inquit, hic est habitus ordinis tui; discessit, & ille admirabiliter planè conualuit; atque ordinem Prædicatorum ingres-

ingreſſus,ſuis concionibus complures animas Chriſto lucrifecit. hæc ex S.Antonino. ex ea porrò vnctione non tantùm priſtinæ valetudini eſt reſtitutus, verùm & magnam in pugna contra dæmonem concepit ſpem,id quod in ſuprema ſua ægritudine declarauit, in qua cum moneretur, vt ad luctam cum dæmone per extremæ vnctionis Sacramentum ſe compararet,ſacramentum quidem illud reuerenter ſuſcepit, ſubintulit tamen hæc verba. Ego hanc luctam minimè reformido, quin potius lætus expeto: Iam enim dudum Dei genitrix Romæ me ſuamet manu iniunxit, in qua plurimum confido. Hæc ex Ferdinando à Caſtillo in Chronicis S.Dominici par.1.lib.1.cap.45.

DVO ALIA DEIPARAE MIRACVLA ex Marſilio Ficino.

Marſil. Ficin. Duobus inſanabili morbo laborantibus à Deipara valetudo reſtituitur.

23 MArſilius Ficinus nobilis Philoſophus lib.3. de religione chriſtiana cap. 10. duo Deiparæ miracula ſuo tempore contigiſſe, eaq; quamplurimis compertiſſima fuiſſe refert. Illud (inquit) mirabile eſt multis hominum millibus,qui viderunt, & adhuc viuunt manifeſtiſſimum,quod Anconæ anno Domini 1470.factum à multis fide dignis accepimus. Puella quædam propter peſſimam quandam neruorum contractionem à primis incunabulis gradiendo natibus pro cruribus vtebatur. Præterea Bidellus Florentinus propter faucium, pectorisq; contuſionem, multos annos loqui nihil potuit: Ambo cum B.Mariæ eodem in loco ſuppliciter ſe commendaſſent,ſani prorſus euaſere, omni populo multis annis noti erant infirmi, & poſtea iam quatuor continue,omni populo ſani. hæc Ficinus.

IVDAEA PRAECIPITATA IN CIVITATE SEGOVIENSI, & per Deiparam liberata; Ex libro, qui inſcribitur Fortalitium fidei lib.3. de bello Iudæorum in 9.Mirabili ijſdem plane Auctoris verbis.

Fortalitium fidei. Iudæa in Segouienſi Vrbe è præcipitis loco de rupe, incolumis à Deipara ſeruatur.

Accidit in Ciuitate Segouienſi,quod quidam impoſuit mulieri Iudeæ crimen adulterij falſo, quæ tradita fuit marito, vt de ea faceret quod vellet,qui cum eam duceret ad ſupercilium cuiuſdam excelſæ rupis Ciuitati coniunctæ, vt ex loco illo illam præcipitaret,concurrentibus ad ſpectaculum pluribus gentibus;prædicta Iudæa,quæ immunis erat à crimine,& deuota Virginis glorioſæ,licet occulta,In articulo illo grandi cum deuotione beatæ Virgini ſe commendauit proponens in corde ſuo ſi eam liberaret fidem Chriſti recipere,ac ſibi toto tempore vitæ ſuæ in Eccleſia ſeruire:& ecce mox,vt præcipitata fuit,apparuit ſibi beata Virgo eam ſuis manibus recipiens, & illæſam in profundo vallis ponens; cumq; plurimæ gentes ad locum conueniſſent,inuenerunt eam illeſam,gaudentem,& laudantem Deum,& gratias referentem Virgini glorioſæ; publicè affirmantem manibus eius fuiſſe liberatam. Deducta eſt Iudæa ad Eccleſiam maiorem prædictæ Ciuitatis,quæ ſancta Maria Maior intitulatur,& ibi ſacrum baptiſma recepit,& vocata eſt Maria Marisaltos propter B.Virginem, quæ eam à tali ſaltu liberauit,& vixit in Eccleſia multo tempore in timore Domini,ſeruiendo Deo mirabiliter,& reſplenduit ſpiritu prophetiæ, & feliciter curſum ſuum conſumauit,& prædicti miraculi extat in tali Eccleſia memoria in picturis,& ſic ego vidi. Huc vſque Auctor fortalitij fidei.

CVR IN NONNVLLIS DEIPARAE PLVRA, QVAM in alijs eiuſdem Deiparæ templis miracula fiant.

Cur plura miracula in quibuſdam Deipara templis fiãt.

24 IAm nunc ad aliud miraculorum Deiparæ caput,eorum ſcilicet,quæ in peculiaribus quibuſdam eiuſdem templis fiunt,accedamus. Sed antequam ad ea enarranda aggrediamur, breuiter inquiramus, quid cauſæ ſit, cur in quibuſdam Deiparæ templis quamplurima miracula edantur,in alijs verò, quamuis ijs non careant, non eo tamen numero fieri cernantur.

Auguſtinus.

Huic quæſtioni reſpondebo ex doctrina Auguſtini Epiſtol.137. vbi ſimile argumentum tractans, cur ſcilicet apud S.Felicem Nolenſem quidam alicuius criminis ſuſpecti,

diuino

diuino indicio conuincebantur, num illud perpetrassent, quod tamen in alijs martyrum templis in Africa non fiebat, & hac occasione docet, Deum vbiq; esse, eumq; in occulto exaudire, & in occulto iustificare, & coronare: *Veruntamen* (inquit) *ad ista, quæ hominibus visibiliter nota sunt, quis potest eius consilium perscrutari, quare in alijs locis hæc miracula fiunt, & in alijs non fiant?* & mox: *Sicut quod Apostolus dicit: Non omnes sancti habent dona curationum, nec omnes habent dijudicationem spirituum: Ita nec in omnibus memorijs Sanctorum ista fieri voluit ille, qui diuidit propria vnicuique prout vult.* ita Augustinus. Eodem modo in occultam Dei, qui Matrem suam honorat, prouidentiam, & in Deiparæ voluntatem, quæ huiusmodi sua beneficia in hoc potius, quàm in illo loco copiosius præstat, referendum videtur. Verùm quamuis non in omnibus templis miracula æquè fiant, omnibus tamen ad se confugentibus Deipara sinum suæ misericordiæ aperit, nullus non eius beneficia experitur; ita vt nemo sit, qui se abscondat à calore eius: vt propterea Bernardus serm. de Assumpt. *Sileat*, inquit, *misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est, qui inuocatam te in necessitatibus suis, sibi meminerit defuisse.* 1. Cor. 12. Bernardus.

MIRACVLA, QVAE IN NONNVLLIS DEIPARAE Templis eius inuocatione fiunt.

25 QVin etiam in varijs christiani Orbis Vrbibus, & oppidis infinita propemodum Deiparæ templa, & imagines extant; in quibus diuersa, eaq; innumera per ipsam quotidie eduntur cuiusuis generis miracula, in morbis insanabilibus curandis, in expellendis ex obsessorum corporibus malignis spiritibus, in mortuis ad vitam reuocandis; in perditis hominibus à flagitiosa vita ad pietatem traducendis; in cunctis denique miserorum ad Virginem confugientium necessitatibus subleuandis. Eiusmodi templa gloria miraculorum Deiparæ clara sunt (vt alia complura præteream, quæ in Tractatu de festis, & Templis Deiparæ vberius persequar) in Italia quidem Lauretanum in Piceno: Montis Virginis in Regno Neapolitano: Annuntiatæ in Vrbe Florentina: Drepanitanum in Sicilia: in Gallia verò Suessionense, Laudunense, Anicience: in Hispania Cæsaraugustanum, Montis serrati, Guadalupæ, Rupis Gallicæ: Cestochouiense in Polonia. In Germania verò Oettingense in Bauaria; in diœcesi autem Herbipolensi Beatæ Virginis in Dittelbach, & eiusdem Virginis in Vrticeto propè Heilbrunnam. In Belgio Hallense, & Sichemiense. De templis verò Deiparæ in Vrbe Constantinopolitana, ac in Oriente positis, quæ olim miraculis pluribus coruscabant nihil in præsenti dicam: tùm quia Regiones illæ iusto Dei iudicio propter schisma, quo se à Romanæ sedis obedientia subduxerunt, sæuissima Turcarum seruitute premuntur, qui plurima christianorum templa profanarunt; tùm quia nonnulla ex ijs, quæ dùm ibi floreret catholica religio, fiebant miracula, supra attigimus. *Deiparæ templa miraculis celeberrima.*

Cæterùm pauca quædam miracula, quæ in nonnullis ex ijs, quæ iam commemorauimus templis fiunt, hic describemus: nonnulla verò breuitatis studio summatim attingemus, lectoremq; ad scriptores, qui ea plenius persequuntur, remittemus. Quippe qui eorũ nomina, qui beneficia Deiparæ inuocatione sunt consecuti, locum, tempus, reliquasq; circumstantias apponunt, quæ ad vberiorem rei cognitionem, maioremq; eius attestationem faciunt. Complura etiam in Tractatu de miraculis Deiparæ ponemus.

SACRAE AEDIS LAVRETANAE MIRACVLA. *Sacræ ædis Lauretana templum*

26 ET quia inter sacras Deiparæ ædes omnium consensu Lauretana non solùm antiquitate, verùm etiam dignitate, ac celebritate facile principem locum tenet; ibi enim Dei genitrix nata; ibi quandiù in parentum domo mansit educata; ibi ab Archangelo Gabriele salutata Dei filium concepit, atque adeò ibi *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*; ibi denique Christus Dominus ab Aegypto reuersus cum matre vixit ad annum vsque ætatis suæ trigesimum, quo à Ioanne est baptizatus: huius ędis dignitatem Apostoli ipsi agnoscentes, eam ingenti honore coluerunt, & ab alijs pariter cultam esse voluerunt. Idcircò à Lauretani templi miraculis initium ducam, quę certissimis

simis testibus explorata noster Horatius Tursellinus in sua historia Lauretana quinque libris non minus piè, quàm luculenter descripsit.

Lauretani templi miracula. Leander Albertus.

Tursellinus.

Sed antequam vlterius progrediamur, præmittam Leandri Alberti ex sacra Prædicatorum familia in descriptione Piceni de Lauretana æde testimonium, quod paucis multa ad rem nostram complectatur; illudq; ex Italico sermone in latinum totidem ferre verbis expressit idem Tursellinus lib. 2. hist. Laur. cap. 28. Ibi enim Leander non magnificentius, quam verius, post multa, quæ in laudem eius ædis præfatur, hæc habet: *Principio igitur dubitandum non est, quin hoc illud ipsum sit cubiculum, vbi cœli Regina edita in lucem est: Nam præter certissima litterarum monumenta, quæ Deiparæ Virginis cubiculum ab Angelo huc translatum esse fidem faciunt, nemo est tam ferus, ac ferreus; nemo tot, tantisq; flagitijs, ac sceleribus coopertus; qui non in ipso sacræ domus ingressu præsenti numinis cœlestis religione perfusus, molliri suum sentiat pectus adeò, vt venerabundus beatæ Mariæ imploret auxilium, ac per eam à Christo suppliciter oret suorum veniam delictorum; & sanè ad id ipsum humanos animos diuina vis videtur impellere. Ad hæc accedunt prodigia, ac miracula ibi diuinitus edita, beneficiaq; tributa ijs, qui ad Dei parentem supplices confugerunt. Id adeò non solùm litterarum monumenta testantur; sed etiam aurea, argentea, cerea simulacra, votiuæ quoque tabellæ, quæ per multas ætates, ac secula congesta visuntur: longus sim si velim numerando percensere diuina prodigia, ac dona inibi impertita mortalibus; quæ quidem tot, tantaq; sunt, vt incredibilia videri possint ijs, qui non facilè adducuntur, vt credant maternas à Deo preces audiri.* hactenus Leander.

Nunc ad aliquot miracula eiusdem Deiparæ Lauretanæ inuocatione edita veniamus; adiecto Tursellini loco, vbi ea plenius ennarrat, propter eos tamen, quibus liber Tursellini non suppetit, quędam celebriora ad verbum ex eodem huc transtulimus; pleraque etiam in tractatu de miraculis referemus.

Tractatu de miraculis.

In primis complures desperata omninò à medicis salute, implorata Virginis Lauretanæ ope, pristinę valetudini sunt restituti, apud Tursellinum lib. 1. cap. 3. & 26. lib. 4. cap. 8. 27. 28. & 29. lib. 5. cap. 17. & 27. in his,

Paulus II. Pontif. in Lauretana æde à pestilentia liberatur.

Paulus II. Pontifex Maximus ante Pontificatum pestilentia correptus in Lauretana ædicula sanatur lib. 2. cap. 1.

Insanabili morbo laborans B. Iacobus de Marchia à Deipara sanatur.

B. Iacobus de Marchia ex Ordine Minorum, Concionator Apostolicus, cuius corpus Neapoli propter eius egregiam sanctitatem magna veneratione in templo sanctæ Mariæ Nouæ asseruatur; cum insanabili morbo teneretur, doleretq; ea de causa omnem iuuandi sacris concionibus homines spem sibi præcisam, facto in Virginis cella sacro, & obiecta illi Deiparæ specie iubentis eum alia ab se petere, nam quod peteret esse iam datum, illico sanitatem sibi redditam sensit. Tursell. lib. 2. cap. 2.

Alia Lauretanæ ædis miracula.

Eiusdem item Lauretanæ Virginis beneficio,

Cæci illuminatur lib. 3. cap. 25. & lib. 4. cap. 10.

Muti linguę vsum receperunt; quin etiam vni excęta lingua restituitur lib. 4. cap. 11.

Surdis auditus conceditur lib. 5. cap. 19.

Podagricus sanatur lib. 4. cap. 29.

Longa Neapolitana paralytica sanatur.

Paralytici curantur, & in his insigne fuit miraculum illud anno 1508. Cùm nobilis quædam mulier nomine Longa, paralysi laborans Neapoli Lauretum profecta esset, & in sacra æde missam illam cuperet audire, in qua Euangelium paralytici à Christo sanati legitur; repente Sacerdos quidam eo venit sacrum facturus, & eandem illam missam legere cæpit, & vbi ad Euangelij locum peruenit, in quo paralytico Dominus: *Tibi dico surge*, perfectę sanitati est reddita. Sacerdos autem diuinitus missus existimatus est, cum nullibi diligenter quęsitus inueniri potuerit. Longa verò gratijs Deo, ac Deiparæ actis Neapolim reuersa hospitale ęgrorum insanabilium, & Virginum cœnobium religiosissimum ex Cappuccinorum familia, quod B. Maria à Hierusalem appellatur, instituit lib. 2. cap. 10. in eoq; monasterio vitam traduxit.

Christerna Ducissa Lotharingiæ paralytica sanatur.

Christerna quoque Ducis Lotharingiæ vxor paralytica Lauretum veniens sanatur lib. 4. cap. 26.

Plurimis Lauretanam ædem ingressis morbi pelluntur.

Plurimi Virginis ædiculam ingressi eius dono varijs depressi morbis incolumes reuerterunt; ex quo numero claudi, surdi, hernioси, & energumeni fuere lib. 3. cap. 13.

Sicula

27 Sicula quædam mulier Venetijs multos annos vulgato corpore quæſtum fecerat; tandem bonis in pecuniam redactis in Patriam per Lauretanum templum, quo inibi vitæ maculas confeſſione expiaret, & Deiparam Lauretanam ſalutaret, familiari quodam ſuo comite redibat; cum ecce in Rauennati ſylua comes ille, prædæ ſpe ſtimulante, ſtricto mucrone eam petit, ac tranſuerberat, & ex equo deiectam plagis concidit, ac ſeminecem Beatæ Mariæ Lauretanæ ſubinde præſidium implorantem iugulat, pecuniaquè ſublata recedit: Illa in ſuo natans cruore iam moribunda luctantem animam beatiſſimæ Virgini commendabat. Quæ repente ei in veſte candida cœleſti emicans luce ſe offert; & bono animo eſſe iuſſam, benignè complectitur; moribundamquè gremio fouens, ſimul vulnera corporis tactu ſanat; ſimul ægrum animum cœleſti perfundit gaudio: Dein caſtæ vitæ admonitam relinquens ex eius oculis elabitur. Ibi tùm mulier velut ex profundo excita ſomno recentium vulnerum cicatrices iam obductas videt, mortiferam iuguli plagam perſanatam ſenſit explorans manu, itaque maximas Deo, & Deiparæ gratias agit; cumquè in ſubucula cruenta, ac lacera à latrone relicta eſſet in ſylua, à mulionibus, qui illac fortè tranſibant, centone contegitur, & mulo impoſitam Anconam deuehunt, inde Lauretum contendit; vitæ labes ſacra confeſſione expiat: Miraculum Deiparæ omnibus prædicat, ad rei fidem faciendam cicatricem in iugulo oſtendebat; quæ aurea circa collum, monilis in modum fulgebat, vt facilè Deiparæ manu plagam illam tactam, ſanatamquè ſentires. id verò permulti viderunt, ex quorum numero fuit Raphael Riera Societatis noſtræ Sacerdos, qui rem memoriæ tradidit. Mulier verò illa Laureti vitam deinceps ducens, diuinis identidem expiata myſterijs liberatricem ſuam inuiſebat, pluresq; ex incolis ad Dei Deiparæq; obſequium ſingulari pietatis exemplo excitabat. hęc ex Turſellino lib. 3. cap. 28.

Sicula iugulata admirabiliter ſanatur.

Raphael Rieræ è Societatis Ieſu.

Turſellinus.

Iacobus Marchio Badenſis ex Germaniæ Principibus, propter vulnus plumbea glande in Colonienſi tumultu in brachio acceptum, ad vltimum vitæ diſcrimen venerat: Itaque beatiſſimam Virginem Lauretanam implorat, vouens ſe, ſi ſalutem recuperaſſet, Lauretum ad eam cum donis iturum; mox à periculo mortis eximitur, ac ſanatur: ſed ita, vt brachium mouere non poſſet. Lauretum igitur anno 1584. voti exoluendi cauſa, & ſpe brachij recuperandi venit: ibi gratijs pro recuperata ſanitate Deiparæ actis, votiuum donum magni pretij, cuſtodibus tradit, & nouo ſe obligat voto ſi integram ſanitatem recipiat; & voto adijcit preces ad ſacroſanctam cellam identidem regreſſus, in his precibus biduo exacto ſub ſolis occaſum ad hoſpitium, cuius inſigne eſt Vrſus, ſe recipit. Nox erat Chriſti Natalis, quando tertia ferè vigilia Deipara candida in veſte collucens ſe illi offert in quiete, bonum animum habere iuſſo, brachium manu præhenſum extendit illico; ſanatque. Marchio igitur tam euidens, teſtatumquè miraculum Præſidi Lauretano exponit; illè miraculum ritè conſignandum litteris, ſubſcribendumque à teſtibus curauit: Marchiò verò gratijs Deo, ac Dei genitrici impenſe actis, Romam ad Gregorium decimumtertium Summum Pontificem ſe contulit; miraculum prædicat, cui fidem addebat perſona narrantis; Marchio enim antea in Lutheri erroribus enutritus, iam de catholica Religione, & Chriſti Vicario bene ſentiebat. quare Gregorius miraculi admiratione, lætitiaq; perfuſus, Marchionem omni honore coluit, qui Germaniam repetens Lauretanam Virginem reuiſit; vitamq; inſtituit, quæ omnibus eſſet innocentiæ, ac pietatis exemplum; ſua etiam auctoritate complures ex ſuis popularibus ad Catholicam Religionem traduxit. multa ab eo præclare inſtituta genti ſuæ ſaluti futura fuiſſent, niſi immatura mors conſceleratorum fraude, (vt creditum eſt) accerſita, optimi Principis ſalutaria conſilia oppreſſiſſet. Turſell. lib. 5. cap. 6.

Marchioni Badenſis in Laureti ædibus valetudo à Deipara reſtituitur.

28 Sed hanc de Virginis Lauretanæ beneficijs narrationem claudamus memorabili, ac teſtatiſſimo Dalmatæ Sacerdotis miraculo apud Turſell. lib. 2. cap. 18. Tempore Leonis Decimi (qui ſedere cæpit anno ſalutis 1513.) Sacerdos erat Dalmata Lauretanæ Virgini vnicè deditus; hic fortè captus à Turcis, & ad deſerendam Religionem omni artificio ſollicitatus, cum nefarias voces auerſaretur; Chriſtum, ac Mariam identidem inuocabat; illisq; ſciſcitantibus, cur nomina illa vſurparet; quia hærent mihi,

Sacerdos Dalmata exta ſua manu præferens Lauretum venit.

hi, inquit, in præcordijs: Tùm verò illi furentes ira, circumsistunt Sacerdotem, eiquè Lauretanam Virginem inclamanti, adiecto voto, eam primo quoque tempore adeundi, discisso pectore inteſtina à ſummo reciſa extrahunt; eaque ſemineci tradunt ſimul per ludibrium increpantes: Abi iam, propera, & præcordia, in quibus hærere ais Mariam Lauretanam, ad eam perfer vti vouisti. Moribundus Sacerdos Deo mortem morante, viresq; ſuggerente porrò ire pergit; multorumq; dierum itinere celeriter emenſo, Lauretum peruenit ſua exta præferens manu: Quacunque incidit, concurſus ad eum fieri, ſeu viſendi ſtudio, ſeu rei cognoſcendæ, & ille Lauretani præcipuè templi miniſtris apertum, vacuumq; pectus, & prætenta manu viſcera oſtentans, totam rem breuiter enarrat. Ad vltimum gratijs Virgini enixè actis, & ſolemnibus confeſſionis, Euchariſtiæq; præſidijs communitus, in Deiparæ conſpectu, complexuq; (vt credere par eſt) efflauit animam. Exta ipſa è regione ſacroſanctæ Cellæ ſuſpenſa diù aduenis ſpectaculo fuerunt: Quibus tabe abſumptis exta è ligno aſſimulata, atque ibidem affixa, multos annos monumentum ei fuerunt miraculo: quibus deiectis ad conſeruandam tanti miraculi memoriam, Sacerdos præcordia prætendens in tabella depictus addita breui totius rei narratione hodie viſitur. Hæc ex Turſellino; qui miraculum adeò teſtatum eſſe affirmat, vt nefas ſit de eo dubitare, cum multi adhuc eo tempore viuerent, qui teſtabantur exta è ligno expreſſa ab ſe viſa, pluresq; accolarum auditos cum dicerent exta ipſa adhuc recentia ab ſe conſpecta eſſe Dalmatæ Sacerdotis.

Denique ingentem miraculorum numerum, atque magnitudinem, quæ à Deipara Lauretana in hominum vtilitatem promanant, non tantum ex ijs, quæ hactenus commemorauimus, verùm etiam ex votiuis tabellis omnium oculis ibi expoſitis, quæ in eiuſmodi miraculorum monumentum fiunt: atque ex prætioſiſſimis donarijs, quæ in gratiarum actionem pro acceptis beneficijs perpetuò offeruntur, ibiq; aſſeruantur, facilè colligere licet; ſunt enim quemadmodum quiuis ex ijs, qui Lauretum adierunt teſtari poteſt, multitudine innumera; precio, ac valore inæſtimabilia; opere verò, atque artificio, ingenioſiſſimè elaborata. quæ Turſellinus, qui aliquandiu Lauretani Collegij Rector fuit, oculatus eorum teſtis non minus fideliter, quàm accuratè deſcribit, vt videre eſt lib. 2. cap. 4. 5. 6. & 17. & lib. 3. cap. 19. & 22. lib. 4. cap. 13. & 16. lib. 5. à cap. 4. ad 8. & cap. 14. 20. & à cap. 22. ad cap. 25.

Turſellinus.

Atque hæc de Lauretanę Virginis miraculis, de cuius ædis pręſtantia, & de Baſilica circa illam magnificentiſſimè excitata in tract. de templis Deiparę nonnulla dicemus.

TEMPLA B. VIRGINIS IN GALLIA, & Hiſpania miraculis illuſtria.

Templa Deiparæ miraculis celeberrima. Beluacenſis.

29 IN Gallia verò Deipara in multis ſibi dicatis templis miracula edit plurima. Et ſanè Vincentius Beluacenſis in ſpeculo hiſtoriali lib. 27. cap. 2. & ſeqq. plura commemorat facta in Templo Dei Genitricis in Vrbe Sueſſionenſi, & lib. 26. cap. 11. & ſeqq. plurima etiam recenſet edita inuocatione B. Mariæ Laudunenſis; ex quibus complura nos in Tractatu de miraculis referemus.

In Hiſpania quoque quamplurimæ Deiparæ ædes ſacræ miraculis illuſtrantur. Eiuſmodi eſt templum B. Virginis de Pilari, & aliud de Portillo, vtrumque Cæſarauguſtæ: eiuſmodi eſt etiam templum Guadalupenſe, fama clariſſimum; aliud quoque, quod Rupis Gallicę vocant, ad fines diœceſis Salmaticenſis. hic ſolùm dicam de templo Deiparę in Monte ſerrato toto terrarum orbe celeberrimo, vbi tot, tantisq; miraculis Deipara coruſcat, vt ingens propterea ſit peregrinorum è diuerſis orbis partibus religionis cauſa eò confluentium, ac beneficia à Deipara poſcentium multitudo. Extat eiuſdem templi Montis ſerrati hiſtoria Galliæ Regi ante aliquot annos inſcripta, in qua octoginta duo ſupra trecenta B. Mariæ de Monſerrato inuocatione edita miracula leguntur. Nos breuitati conſulentes lectorem ad eam hiſtoriam remittimus.

Templum B. Virginis in Monte ſerrato in Hiſpania miraculis præclariſſimum. Hiſtoria Montis ſerrati.

Adijciam ſolùm, quæ de eius miraculis generatim Hieronymus Paulus Barcinonenſis teſtatur in deſcriptione fluminum, & montium Hiſpaniæ, vbi de Monte ſerrato agens. Templum (inquit) Deiparæ auguſtiſſimum in hoc monte cera, argento, atque auro cõflatis

Hieronymus Paulus Barcinonenſis.

flatis per ordinem donarijs onuſtum eſt,cuius veterrimi tholi faſtigio mirandæ virgineę opis miſeris,ægrisq; mortalibus præſtitæ, teſtes appendent, ſtatuæ, & depictæ imagines catenæ,loricæ,clypei,& roſtra carinis erepta,atque alia liberationis, ac victoriæ monumenta. Quod omnium maximùm eſt,reuiuiſcentium hominum funebria veſtimenta ſuperatæ naturæ mirificentiſſimum ſpectaculum. hæc ille.

MIRACVLA IMAGINIS DEIPARAE *Ceſtochouienſis in Polonia.*

30 IN Polonię Regno in monte claro Ceſtochouia dicto,Imago Deiparæ magno fidelium concurſu religioſiſſimè colitur, quæ æneis typis Romæ anno Iubilei 1600. cum priuilegio ſummi Pontificis, & ſuperiorum auctoritate cum innumerabili Sanctorum, ac Beatorum nationis Poloniæ, & Sueticæ multitudine excuſa cernitur. de cuius origine,ac celeberrimis miraculis afferam eiuſdem imaginis inſcriptionem,quæ hæc omnia breuiter perſtringit,ea ferè eſt huiuſmodi. *Miracula pluriima imaginis Deiparæ Ceſtochouienſis.*

Hæc imago beatiſſimæ Virginis Ceſtochouienſis fuit à S.Luca depicta, & ab Helena Auguſta Ieroſolymis Conſtantinopolim tranſlata,quam Nicephorus Imperator Carolo Magno, is autem Leoni Ruſſiæ Principi dedit; tandem Ruſſia in Prouinciam Poloniæ redacta Vladiſlaus Opolienſis Dux anno 1382. eam in montem clarum Ceſtochouia dictum tranſtulit: Cicatrices autem,quæ in eius facie cernuntur ab Huſſitis, & Tartaris fuerunt inflictæ,& nullis vnquam obduci coloribus potuerunt. Multa huius Virginis interuentu miracula eduntur; inter alia ſeptem mortui ſunt ad vitã reuocati; multi Energumeni liberati; cæci,moribundi,naufragantes, captiui, varijsq; morbis affecti diuinam opem ſenſerunt;& in dies multi varia diuinitus auxilia experiuntur. hæc ibi.

MIRACVLA DEIPARAE INVOCATIONE *in nonnullis Germaniæ Templis edita.*

31 IN Bauaria templum Deiparæ,quod voãct Oettingenſe, miraculis eſt clariſſimum, teſte Caniſio lib.5.de B.Virg. cap.23. ſed minimè prætereunda videtur Diœceſis Herbipolenſis. Sanè Ioannes Tritemius vir ſuorum temporum eruditiſſimus,miracula quæ beatiſſima Virgo in Germania apud Diœceſim Herbipolenſem in duobus templis ipſi dicatis edebat,duobus opuſculis accurate conſcripſit, quæ in tom. 2. operum eiuſdem Tritemij ſtudio noſtri Ioannis Buſti collectorum habentur. Alterum, miracula B. Virginis in Eccleſia noua in arena prope oppidum Dittelbach in Francia Orientali Epiſcopatus Herbipolenſis facta duobus libris complectitur. Alterum verò eiuſdem Virginis miracula in Vrticeto,iuxta Heilbrunnam Herbipolenſis diœceſis oppidum edita tribus libris continet;in quibus nomina,atque oppida eorum, qui Deiparæ beneficia ſunt conſecuti:quo item anno ſingula ſunt geſta,quibus teſtibus omnia ſint cognita, pleniſſimè commemorat:nos aliqua breuiter delibabimus. *Miracula Deiparæ in Germania edita. Tritemius.*

Et in templo quidem Deiparæ prope Dittelbach ſcribit eſſe imaginem quandam paruam ſanctiſſimæ Dei genitricis filium è Cruce iam depoſitum in ſinu de more tenentis,ad quam Peregrini anno 1505.confluere cæperunt;cuius inuocatione miracula numero ſexaginta,eaq; cuiuſuis generis toto libro 2.diligenter exequitur,vnum nos afferemus; ex quo reliqua conijciantur. *Tritemius. Miracula imaginis Deiparæ prope Dittelbach.*

Puer quinque ferme annorum à famelico Lupo raptus aſportabatur in ſyluam; eius parens è longinquo id conſpicatus,ſed opem ferre non valens,Deiparam in Dittelbach flexis genibus cum voto inuocat; mox Lupus puerum intactum de ore dimiſit lib. 2. miraculo 2. *Puer à Lupo raptus.*

32 In altero verò Deiparæ templo eiuſdem diœceſis Herbipolenſis, quod de Vrticeto appellatur, idem Tritemius teſtatur innumerabilia miracula ad annum Domini 1515. cum hæc ſcriberet,ibidem facta:verùm ex illis nouem,& quadraginta edita affirmat anno Domini 1442. quo ad illud fidelium concurſus fieri cæptus eſt, additis nominibus, alijsq; circumſtantijs,quibus omnia magis teſtata redduntur. *Alia Deiparæ templa in Germania miraculis celeberrima. Tritemius.*

Nec illud ſilentio prætereundum;quod Tritemius lib.1.opuſculi de miraculis B.Virginis propè Dittelbach cap.8. affert, vbi complura Deiparæ templa olim miraculis clara in Germania recenſet.Et ſanè (quemadmodum idem Tritemius animaduertit) Templa illa conſtructa ex fidelium oblationibus (qui ſupra naturam ſanitatem , vel beneficia Deiparæ inuocatione ſunt conſecuti) eorundem miraculorum perſpicue fidem faciunt; quin etiam Tritemius templorum nomina,& diœceſes; annum item, quo miraculis florere cæperunt , ponit ; & in vna diœceſi Herbipolenſi vndecim eiuſmodi Deiparæ templa miraculis illuſtria,reliqua verò in diœceſi Vormatienſi,Treuerenſi, Saltzburgeſi, & alijs in locis fuiſſe memorat.

MIRACVLA, QVAE DEIPARA IN BELGIO IN TEMplo Hallenſi, & Sichemienſi edidit.

Miracula Deipara in Belgio. Lipſius.

331 VStus Lipſius eruditione clariſſimus miracula,ac beneficia Virginis Deiparæ , quæ in Belgio eam inuocantibus confert probatiſſimis teſtibus explorata;non minus fideliter,quam eleganter litteris mandauit;de ijsq; duo opuſcula edidit. Alterum de Diua Virgine Hellenſi inſcripſit ; Alterum de eadem Sichemienſi,ſiue Aſpricollis; ex quo nonnulla huc transferemus; reliqua tantùm indicabimus.

Miracula Deipara in templo Oppidi Hallenſis.

Igitur in templo Oppidi Hallenſis, quod eſt in finibus Hannoniæ tertio à Bruxella miliario , imago colitur Deiparæ , bipedalis circiter , ex puro ligno non ſolum ab omni carie immunis, verùm ab incendijs, quæ oppidum illud aliquoties ſenſit ; quin etiam Deiparæ ope ipſum oppidum ab hoſte,& vi bellica mirabiliter ſæpè eſt defenſum:hanc imaginem Mechtildis ſoror Henrici Ducis Brabantiæ,quæ diem obijt anno 1267.iam moritura collocari voluit Hallis Hannoniæ , eam verò acceperat à Sophia dicti Henrici vxore,huic verò eam dediſſe putatur mater ſua S.Eliſabetha Regis Hungariæ filia.Cæterùm tot,tantisq; miraculis Deipara eo in loco coruſcat,vt non facilè deſcribi poſſint.

E magnis vitæ periculis erepti.

Complures enim è magnis vitæ periculis eius ope implorata ſunt erepti , de quibus Lipſius cap.8.9.13.14.15.24.25.27.28.32.

Oculorum morbo laborantes.

Alijs oculorum lumen eadem ratione redditum cap.12.26.

Captiui.

Captiui ex teterrimo,ac munitiſſimo carcere liberati cap.23.& 30.

Energumenus.

Energumenus cæco dæmone eiecto curatur cap. 10.

Laqueo ſuſpenſi.

Vir quidam innocens laqueo ad ceruices illigato è patibulo deijcitur carnifice ad mortem integra hora varijs modis eum premente:tandem viuus Deiparæ Hallenſis,cui ſe commenderat,beneficio deponitur,ac liber dimittitur cap.23.

Simile alteri euenit cap.31.

Vulneribus confoſſus.

Quidam in bello, quod inter Anglos, & Gallos gerebatur , ab Anglis in pugna nouem grandioribus acceptis vulneribus,& in flumen deiectus,inde poſt tres integras horas extractus,ſingulari Virginis Hallenſis ope ſeruatus eſt cap.29.

In lacuna aquæ ſuffocatus.

Puer in lacunam aquæ lapſus à parente diù quæſitus,tandem in lacuna reperitur capite in limo fixus, pedibus ſuperne elatis ; eductus expiraſſe cernitur.elapſa ſola hora ab eductione, parens B.Virginem Hallenſem pro ſalute pueri implorat , mox puer palpitat;erigitur,& cum læto patre domum redit cap.10.

Aliud ſimile exemplum.

Idem alteri puero euenit anno 1427. qui biduum cæno , atque aquis in voragine obrutus , & mortuus repertus in altari B.Virginis ante eius imaginem collocatur à patre,qui lacrymis fuſis Deiparæ opem inuocat,& ſtatim puer vitam recipit:mox ad Hallenſem Deiparam cum puero venit,cui votum peregrinationis obtulerat cap. 20.

Aliud ſimile.

34 Puer alter ſexennis in puteum lapſus,cum harpagone extrahitur palam mortuus, & ipſo colore mortis atro; voto autem à matre Hallenſi Virgini nuncupato ſtatim ſurgit puer,& domum abit anno 1410. cap.16.

Puer faſcia ſtrãgulatus.

Alius item puer anno 1419. caſu faſcia ſtrangulatus , rigidus , & tres amplius horas mortuus manſit:ſed matre Deiparam Hallenſem inuocante reuixit , cap. 17.

Puella in puteo ſuffocata.

Eodem anno 1419.Puella in puteum præceps lapſa,& ſuffocata educitur,ac mortua apparuit atro,& fedo colore ad horas circiter trinas mater preces,& vota eidem Virgini Hallenſi offert,& puella vitæ reſtituitur cap.18.

Puer

Puer ex vtero naſcitur mortuus,& triduum ſepultus matris importunitate,quæ Deiparæ Hallenſis opem inuocarat effoſſus,membrorum motu,atque oris gemitu vitę ſigna dedit: quare baptiſmo expiatur; & poſt aliquot horas ex hac vita in cœlum migrat. hanc rem non tantum ſcriptis, & teſtibus; ſed tapete etiam picto textili confirmatam aſſerit Lipſius cap. 19.

Puer, qui è matris vtero prodierat mortuus.

Lipſius.

Huic affine eſt aliud,quod anno 1428.in vico ſancti Hilarij prope Cameracum euenit. Mulier quędam Firmina nomine,vxor Stephani Morelij,puerum peperit mortuum, quem de more extra locum ſacrum ſepelierunt; mater mæſta, quod abſque baptiſmo diem obijſſet,Virgini Hallenſi,quam annua peregrinatione venerabatur,vota facit: iteratq; de die in diem, vſque ad diem decimum quintum à prolis ſuæ morte; & iam fidentior palam affirmat puerum viuere, ſeq; certam eius rei ex viſo nocturno factam eſſe,quare mulieres adminiſtras importuna vrget ad hortum ire, & defoſſa terra puerum contemplari num viueret.mira res,refoſſa terra vident puerum tot iam dies terra conditum,pulchellulum,viuidum,& roſæ inſtar rubentem;niſi quod maxilla altera terrę aggeſtu attrita leuiter eſſet;eum tollunt, ad proximum pagum Vertenguelium, qui frequentior erat, deferunt:ibiq; ſigna vitæ clara dedit;nam & ſanguinem è naribus ſtillat, oculis lacrimatur,os,oculosq; claudit,& aperit;quare à Parocho non abſque difficultate reperto in arce,cui Verticinium nomen eſt,baptizatur coram ſeptuaginta hominibus. poſt quinque verò horas ex hac vita puer feliciter migrat.multa alia admirabilia in hoc baptiſmo memorat Lipſius cap. 21. eueniſſe dum baptiſmi gratia noctu defertur ad illum pagum,dum conquiritur Parochus,qui ad illam arcem ſe contulerat;quæ breuitatis ſtudio omittimus. Huius miraculi duo pagi,totq; homines teſtes extitere,vt propterea abſque magna proteruia in dubium reuocari non poſſit.

Aliud ſimile exemplum.

Lipſius.

Denique plura miracula noſtra ætate varij generis,& varijs locis à Deipara Hallenſi ſunt edita;quæ è tabellis,aut ſcriptionibus templi Hallenſis Lipſius cap. 33. collegit, & iuxta temporum ſeriem digeſſit,ac plenius ibi deſcripſit,ibi Lector ea inueniet.

35 De diuæ Virginis Sichemienſis, quod oppidum eſt in Brabantia,beneficijs; atque miraculis, aliud integrum volumen idem Lipſius concinnauit, in quo omnis generis morborum curationes diligentiſſimè perſequitur;nam cæci,ſurdi,claudi, paralytici, hernioſi,epilectici,elephantiaci,vlceroſi,veneficio affecti,energumeni, Cancri ſęuo morbo, apoplexia,ſpaſmo grauiter laborantes Sichemienſis Virginis ope, cuius patrocinium implorarunt ſanitatem ſunt conſecuti, à quibus miraculis ſigillatim recenſendis,ne nimis longum faciam,ſuperſedendum duxi; præſertim quia complura his ſimilia alijs in templis per Deiparam effecta commemorauimus.

Miracula in Templo B. Virgin. Sichemienſis in Brabantia.

CONVERSIONES PECCATORVM PER *Deiparam multipliciter fieri.*

36 EX Deipara quoque non tantum miraculorum fulgura, ſed etiam voces prodeũt, ac tonitrua; &, vt omittam vocem illam de throno procedentem Apoc.19. quæ cœlites omnes ad Dei laudes excitauit, & aliam vocem Apoc. 21. è Throno ſimiliter exeuntem; qua dictum eſt: *Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus*, & quæ ſequuntur; quas ex Virgine proceſſiſſe oſtendemus infra cap.33.vbi etiam agemus qua ratione, & illa alia vox,quæ exiuit de templo à throno Apoc.16. Virgini aptari poſſit) dicamus nunc de vocibus,& tonitruis,quæ ab ipſa manant ad peccatores ad pœnitentiam reuocandos; ex ea enim tum ſuauia,tùm ſeuera ad ſanãdos animos remedia prodeunt, dùm ſanctiſſima Dei parens, vel blanda aliqua veluti ſuauiſſimæ vocis admonitione, vel vehementi animi concuſſione hunc terret, illum allicit, omnes ad ſaluberrima conſilia permouet.

Ex Deipara peccatorum conuerſiones exiſtunt.

Cap. 33.

Apoc.16.

Hic verò mihi magna ſeges exiſtit ampliſſimæ,lætiſſimæq; narrationis,ſi commemorare velim quàm multi B.Virginis patrocinio ab alto cupiditatum,ac ſcelerum,& ab ipſis propè tartari faucibus ad vitæ limina ſint reſtituti,& in tutiſſimum innocentiæ ſinum delati:nihil enim in chriſtianorum hiſtorijs vberius, nihil in omnium luce, & conſuetudine,vel certius,vel frequentius:nolim me copia obruat; aliqua indicare non pigebit.

Quàm

Quàm multos obfirmato animo,prauaq; conſuetudine ſceleribus detentos,ad meliorem frugem reuocauit celeberrima illa Lauretanæ Virginis Domus ? cuius exempla aliquot infra recitabo. Quàm multos in vera,certaq; pietate cuſtodiuit religioſiſſima,& per orbem vniuerſum diffuſa Roſarij ſodalitas, ſeù Confraternitas, quæ Virginis patrocinio gaudet? cuius item rei exempla nonnulla afferam cap.39. Quid ſodalitates, quæ in domibus, & Collegijs noſtræ Societatis Ieſu ſub eiuſdem Virginis clientela ſunt, quam multos communis vitæ homines à communi vitæ, officijq; conſuetudine cœleſtium rerum ſtudio inflammatos ad vitam ſanctè,ac piè inſtituendam traducunt ? quàm multos à ſeculi vanitate conuerſos in religioſorum hominum diſciplinam tranſmittunt? de quibus vberius cap.40.

Domus Lauretana miracula.

Roſarij ſodalitas.

Cap. 39.

Congregationes B. Virginis in Collegijs Societatis Ieſu.

Cap. 40.

Hanc verò animarum conuerſionem per Deiparam procurandam pulchrè præſignificatam legimus in Abigail muliere prudentiſſima,& ſpecioſiſſima;quemadmodum animaduertit S.Bonauentura in ſpecul.6.vir.cap.8. *O verè*, inquit, *admiranda humilitas; Ecce Maria non ſolum Domini Ancilla, ſed etiam ſeruorum Domini Ancilla quodammodo eſſe dignatur: Ipſa namq; ſignata eſt per illam Abigail, pro qua adducenda cum Dauid nuncios miſiſſet;reſpondit,Ecce famula tua,ſit in Ancillã,vt lauet pedes ſeruorum Domini mei. Per benedictam Ancillam MARIAM, quaſi tot ſerui Domini loti ſunt, quot fideles eius ſuffragijs à peccatis mundati ſunt:Ipſa enim quaſi tot ſeruorum Domini pedibus aquã obtulit,quot pœnitentibus lacrymas compunctionis obtinuit.* hæc Bonauentura.

1. Reg. 25.

Bonauentura

Cæterùm ad nonnulla in particulari, quibus animarum conuerſiones per Deiparam efficiuntur,veniamus. In primis Religioſorum familias omnes, earumq; religioſos (quibus innumerabiles peccatores à vitijs ad pietatem reuocantur) Deipara promouet, fouet,atque tuetur:nonnullarum quoque progreſſum,vel etiam inſtitutionem nominatim procuraſſe ſcribitur in earundem chronicis; quod peculiariter de Carthuſianis, Ciſtercienſibus,Dominicanis,Franciſcanis,Carmelitanis,Seruitis,Montis Oliueti,& de Societate IESV,probat Hieronymus Platus lib.1. de bono ſtatus Religioſi cap. 34. & nos infra cap.34.de alijs quoque idem oſtendemus. Quocirca Ephrem in orat.de Deipara, eam ſic affatur: *Tu Monachorum,ac ſolitariorum ſtabilimentum.* & infra: *Aue lætitia, & gloria Sacerdotum, Aue ſolitariorum ſolatium.* In has autem Religiones, plerique omnes,qui illis nomen dant,vocationem ſuam,& à ſeculo conuerſionem non ſine magna gratiarum actione Deiparæ acceptam referunt; ac proinde fructus plurimus, qui à tot Religioſis,per tot annorum ſecula in ſe ipſis, & in peccatoribus ad ſalutis viam traducendis per conciones,per Sacramentorum adminiſtrationem, per alia miniſteria vnicuique Religioſo inſtituto propria,promanat, ſecundum Deum in B.Virginem multis nominibus,ſed hac præſertim ratione eſt referendus; quantum autem in ordinibus Religioſorum,qui animarum ſaluti vacant,excitandis Deipara contulerit,vnum,vel alterum exemplum hic apponam.

Hier. Platus. Cap. 34. Ephram.

FRVCTVS A DEIPARA PER ORDINES Prædicatorum, & Minorum.

S. Antoninus. Chriſtus ternas lanceas in orbem terrarũ vibrans à Deipara recõciliari S. Dominico viſus eſt.

37 REfert S.Antoninus 3.par.hiſtor.tit.23.cap.3. à S.Dominico dum vigilaret viſum eſſe Chriſtum Dominum contra peccatores iratum ternas lanceas vibrantem, vnam in ſuperborum ceruices,alteram in cupidorum viſcera,tertiam contra carnis concupiſcentijs deditos; occurriſſe verò Deiparam pro peccatoribus deprecantem, & obtuliſſe duos ſeruos fideles S.Dominicũ,& S.Franciſcum, qui mortales ad pœnitentiam reuocarent,atque ita placatum eſſe Dominum,id quod ipſi per ſe, & per ſuarum familiarum religioſos diligenter præſtiterunt.

Vita S. Domin. Surium. Chriſtus contra homines iratos à Deipara Prædicatores oſtrantur.

His conſonant binæ reuelationes, quas auctor vitæ S. Dominici antiquus, & grauis lib.1. cap.12. apud Surium tom. 4. refert; cuidam enim monacho honeſtæ vitæ tridui ſpatio extra ſe rapto viſa eſt Dei genitrix flexis genibus, & iunctis manibus, filium pro humano genere deprecari,vt hominum pœnitentiam adhuc expectaret; Ille verò piam matrem crebrò non audiens; tandem inſiſtenti, commemorata prius hominum peruerſitate,& obduratione, ſic ait. Quoniam fas non eſt,vt tibi aliquid negem,dabo eis Prædica-

dicatores meos, quorum opera illuminentur, & ad meliorem frugem se recipiant, quod nisi fecerint vlciscar me de eis.

Ad hæc, quo tempore duodecim Abbates Cistercienses ad Albigienses Hæreticos conuertendos, vna cum S. Dominico se contulerunt: quidam à morte reuocatus vidisse se narrauit Deiparam toto triduo flexis genibus coram filio pro populo deprecantem, cui filius cum beneficia à se in homines collata, & eorum nequitiam commemorasset, victus tandem matris precibus, missurum se dixit Prædicatores, quorum opera conuerterentur: eos verò, qui in sceleribus obstinato animo permanere vellent, pœnas daturos. *Aliud simile exemplum.*

Et sanè ex his Deiparę precibus fructus in orbe extitit amplissimus: erant enim ea tempora, quæ in annum circiter Domini 1200. & in sequentes annos inciderunt, calamitosissima, & magna orbi christiano impendere videbatur ruina: nam ex catholicis complures flagitijs, & sceleribus miserè erant fœdati. Albigenses Hæretici in Gallijs tumultuantes; omnia sacra proculcabant, in Sacerdotes, & Clericos crudelissimè sæuiebant. Manichei, & Sacramentarij Italiam infestabant. Græci in Oriente ab obedientia Sedis Apostolicæ propter schisma se subduxerant. Mauri adhuc bona Hispaniæ parte potiebantur. Saladinus Saracenorum Rex Christianos in Syria deuicerat: nonnulli Imperatores in Occidente Pontifices persequebantur, & nominatim Fridericus secundus Imperator, cui in suo exercitu Saracenorum etiam auxiliares copiæ militabant; eosq; qui sibi minimè consentiebant, hostiliter deuastabat, ac ferro, & igni cuncta miscebat. Guelphorum, & Gibellinorum nomen per ea tempora in Italia magna cum eius pernicie est propagatum; Illi enim Pontificiæ auctoritatis, hi Imperatoriæ factionis studiosi, capitali inter se odio dissidentes, vniuersas Italiæ Vrbes præter Venetam in duas partes adeò hostiliter diuiserunt, vt modo hi, modo illi prævalentes, exilia, & cædes sibi inuicem pertinaciter inferrent. Tartari ea ferè tempestate exorti, furore barbarico aliorum Regna inuadẽtes, ingenti vbiq; hominum cæde edita, magna Orientis parte potiti, vastitatis metum reliquo orbi attulerunt: nam quinque numerosissimos exercitus diuersis in locis alebant, quorum aliqui sexcenta pugnatorum millia habuisse testatus est Ioannes de Plano Carpino Ordinis Minorum vir integerrimus, qui ab Innocẽtio IIII. ad Chaam Tartarorum Imperatorem adiit, & hæc partim oculis spectauit, partim certissima relatione didicit; quemadmodum refert Vincentius Beluacensis, qui eadem tempestate vixit lib. 31. spec. historia cap. 20. & ex Vincent. S. Antoninus 3. par. tit. 19. cap. 8. §. 20. *Tumultus in orbe terrarum plurimi anno circiter 1200.* *Beluacensis.* *S. Antoninus.*

38 Cæterùm iusta Christi Domini indignatio contra humanum genus propter tot scelera, Deiparæ precibus, quæ sanctos Dominicum, & Franciscum diuini Verbi præcones ad homines à flagitijs reuocandos obtulit, est mitigata; & post illas Deiparæ preces in orbe fieri cæpit tranquillitas magna; nam coacto ab Innocentio III. Concilio Lateranensi, complurimi, qui irrepserant abusus sublati; Decreta ad pietatem fouendam sancita; Sancti Dominicus, & Franciscus per se, & per suorum ordinum Fratres ingentem peccatorum multitudinem è vitiorum cæno ad piè, sanctèq; viuendum, verbo, & vitę exemplo perduxerunt. quod satis constat ex eorum vitis & ex Chronicis eorundem Ordinum. Vnum hic ascribam ex 1. par. Chron. S. Francisci lib. 1. cap. 72. & habetur in speculo exẽplorum dist. 7. num. 22. vt ex hoc de reliquis coniecturam faciamus. Cùm quendam leprosum proteruum impatientiæ spiritu adeò concitatum, vt conuicia, & verbera fratribus minoribus, qui illi ex charitate ministrabant, inferre; & Christum eiusq; Sãctos blasphemijs impetere non vereretur, S. Franciscus sanitati restituisset, eiq; præteritorum scelerum lacrymas, ac dolorem à Domino impetrasset: Cumq; leprosus non diu superuixisset, & Ecclesiæ Sacramentis munitus decessisset; factum est, vt post mortem speciosior sole S. Francisco in silua oranti apparuerit; gratijsq; ei actis hæc verba subiecisse scribitur: Benedicta sit anima tua, & corpus tuum; benedicta sint verba tua, & opera tua, quia per te multæ animæ saluabuntur; & scias, quod non est dies, in quo sancti Angeli, & omnes alij Sancti, & Sanctæ, non referant magnas gratias Deo de sanctis fructibus, qui per te, & tuum ordinem vndiq; per orbem patrantur. sic ille. *Christi indignatio post Deiparæ preces mitigata.* *Chronica S. Fran. cisci, & S. Dominici.* *Speculum Exemplorum.* *Leprosus ad animæ, corporisq; salutem à S. Francisco reuocatus ei post obitum apparuit.*

39 Complures quoque ex ijsdem ordinibus Barbaris lucem Euangelij inferrentes inclyto martyrio sunt coronati. Per ea tempora Albigenses in Gallia, vt infra dicemus, peculiari Deiparæ ope, præsertim per Rosarium à S. Dominico institutum; sunt extincti, hære- *SS. Complures martyrij laurea coronati.* *Hæretici ex Italia pulsi.*

Hæretici ex Italia tandem profligati, in quibus euertendis inter alios S. Petri martyris ex ſacra Prædicatorum familia, qui ea de cauſa martyrij palmam eſt adeptus, & S. Antonij Patauini ex præclaro Minorum ordine pietas, & labor potiſſimùm deſudarunt. Pruſſia, & Liuonia ab Ordine Teutonicorum in poteſtatem redactæ, & Lituania circa ea tempora chriſtianam Religionem ſuſceperunt.

Pruſſia, & Liuonia recuperata. Lituania ad fidem concurſu.

Innocentius IIII. Pontifex Maximus, qui ſedit anno 1243. Fratrem Anſelmum cum tribus ſocijs ex Ordine Prædicatorum in Perſidem ad Tartaros cum litteris; quibus eos ab hominum ſtrage dehortabatur, & ad Chriſti fidem inuitabat, miſit; ad eorum quoque Imperatorem per Boemiam, Ruſſiam, & Poloniam ex ordine Minorum Ioannem de Plano Carpini, & Benedictum Polonum idem Innocentius deſtinauit teſte, Vincentio Beluacenſi in ſpeculo hiſtor. lib. 31. cap. 2. & 4. & S. Antonino 3. par. tit. 19. cap. 5. §. 2. Et verò Tartarorum gens adeò efferata chriſtianam Religionem ea tempeſtate ſuſcepit; nam apud Vincentium lib. 31. ſpec. hiſt. cap. 90. de Rege Galliæ Ludouico (qui poſtea in Sanctorum numerum eſt relatus, & in Cyprum traiecerat, bellum Saracenis in Syria illaturus) ſic legimus: Anno Domini 1248. circa Natale Domini ad Regem Ludouicum apud Nicoſiam commorantem Nuncij à quodam magno viro Erchalthay nomine de gente Tartarorum venerunt cum litteris nunciantes, quod Rex magnus Tartarorum, qui dicitur Chaam circa tres annos completos factus erat per Dei gratiam Chriſtianus tam ipſe, quàm alij magnates plurimi, & maxima pars populi; & exercitus eorundem ſacrum baptiſma ſuſceperant fidem catholicam profitentes. dictus etiam Erchalthay iam ante per aliquot annos fidem ſuſceperat, & nunc veniebat miſſus à dicto Rege Chaam cum maxima multitudine bellatorum; eratq; ipſius intentio fidem Chriſtianam promouere, ac roborare, & omnium Crucem adorantium vtilitatem, & liberationem procurare; omnesq; aduerſarios Crucis expugnare. hæc Vincentius: qui cap. 91. recitat litteras huius Erchalthay ad S. Ludouicum datas, à quo earum exemplum Blanchæ matri miſſum ſcribit, & cap. 92. refert litteras Coneſtabularij Armeniæ ad Regem Cypri, quibus eadem à ſe in Terra Tarſaronum conſpecta aſſerebat, quę omnia ex Vincentio habet S. Antoninus 3. par. hiſt. tit. 19. cap. 8. §. 21.

Innoc. 4. P. aliquos ex ordine Prædicatorum Fratres Legatos mittit.

Beluacenſis.

Chaam Tartarorum Rex ad catholicam fidē conuerſus.

S. Antonin.

40 Quidam præterea Tartarorum domi chriſtianam Religionem edocti ad Concilium Lugdunenſe aduenientes ſub Innocentio IIII. ſunt baptizati Auctore Blondo: quamuis alij, teſte Genebrardo in Chronicis, id factum velint in alio Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X. Nam de Fratre Hieronymo Aſculano, qui poſt ſanctum Bonauenturam Generalis Ordinis Minorum fuit, & deinde ex Cardinali ſummus Pontifex renunciatus, dictusq; Nicolaus IIII. in eius Epitaphio in ſancta Maria Maiore legimus eum Græcos ad Eccleſiæ communionem; Tartaros ad fidem reduxiſſe: Tartarorum Imperator Caſſanus circa annum 1300. inſigni quodam miraculo in filio ſuo edito, vxoris chriſtianæ filiæ Regis Armeniæ opera, eum innumerabili populo Tartarorum baptiſmo eſt luſtratus, & & Sultanum Aegypti in Syria vicit, Hieroſolymorum Vrbe eſt potitus, quam Chriſtianis retinendam concedebat ex S. Antonino 3. par. tit. 20. cap. 8. §. 8. & ex Genebr. ad annum 302. & hæc de Tartaris.

Tartari ad fidem conuerſi. Blondus. Genebrardus.

Caſſanus Tartarorum Imper. ad fidem conuerſus.

S. Antoninus. Genebrardus.

Græci, adnitente Michaele Paleologo Imperatore Conſtantinopolitano, Occidentali Eccleſiæ in Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X. ſunt reconciliati, ex Blondo Decade 2. cap. 8. Platina, & Genebrardo ad annum 1272.

Græci Rom. Pont. reconciliati. Blondus. Platina. Genebrardus.

Saraceni magna ex parte ab Hiſpania pulſi, nam quemadmodum in tractatu de exēplis Deiparæ dicemus, 200. millia eorum anno Domini 1212. Deiparæ ope, ab Alfonſo Rege Caſtellæ in bello ad Naues Toloſæ confecto ſunt deleta.

Saraceni ab Hiſpania pulſi.

Pax Eccleſiæ mortuo Friderico tandem reddita; ſicq; omnia eo ſeculo per Deiparæ preces ad Chriſtum fuſas in melius commutari cæperunt.

Pax Eccleſiæ redditi.

Vtq; magis precum Deiparæ fructus appareat, illud obſeruatione dignum videtur: Non ſolùm Prædicatorum, & Minorum Ordines, verùm etiam & alias Religioſorum familias eodem ſeculo, vel fundatas, vel in Europam illatas eſſe; nam & Carmelitas ex Paleſtina in Italiam traductos Honorius III. & Innocentius IIII. decretis ampliſſimis benignè ſunt complexi; Ordo etiam Eremitarum S. Auguſtini, ex multis hic, illicq; ſparſim eremitis in vnum corpus ſub regula S. Auguſtini coaluit opera Innocentij IIII. eiusq;

Plurima religioſorum familiæ alibi inſtitutæ, & in Europam illatæ.

ſucceſ-

ſucceſſoris Alexandri item IIII. qui ſummum Pontificatum inijt anno 1254. Ordo S. Mariæ Redẽptionis captiuorum,ſeu,vt vocant,de mercede,floruit in Aragonia ex Ioanne Vaſæo in Chron.Hiſp.cap.18.anno 1213. quamuis eos referat Genebrardus ad annum 1246. Ordo Seruitarum B.Virginis Florentiæ cępit 1233. Ordo Cœleſtinorum à S. Petro Morono inſtitutus à Gregorio X. in Concilio Lugdunenſi anno 1274. eſt confirmatus. Horum omnium ordinum Religioſis effectum eſt, vt multi ſcelera ſua agnoſcentes ad Deum conuerterentur: complures etiam vtriuſque ſexus nuntium ſeculo remittentes religioſum inſtitutum complecterentur,qui deinde pietate, & litteris conſpicui veluti ſtellæ lucidiſſimæ alijs prefulſere:cuiuſmodi,vt reliquos taceam,fuere S.Thomas Aquinas, & Albertus Magnus eius Præceptor Ordinis Prædicatorum; S. Bonauentura, eiusq; Præceptor Alexander Alenſis Ordinis Minorum;omnes,vt alibi dicemus, Deiparæ ſtudioſiſſimi; quibus addere poſſumus Aegidium Romanum ordinis S.Auguſtini,S.Thomæ diſcipulum. *Vaſæus.*

FRVCTVS EX DEIPARA PER SOCIETATEM IESV in animarum conuerſione.

Fructus ex Deipara per Societatis Ieſu.

41 CVm autem circa annum reparatæ ſalutis 1500. abundaret iniquitas, & charitas multorum refrigeſceret propter funeſta bella, quibus Europa plures iam annos obfirmatis quorundam Regum, atque Principum inter ſe contentionibus, atrociter ardebat:Propter ſcelera, quibus complures ſuæ ſalutis immemores, flagitijs, alijsq; huius vitæ bonis impensè addicti,miſerè irretiti tenebantur:Propter abuſus,& corruptiſſimos mores,qui in pleriſque hominum ſtatibus mirum in modum inoluerant: Propter denſas complurium,quibus animarum cura incumbebat,ignorantię tenebras,eorumdemq; in ſuo munere adminiſtrando inſignem deſidiam, atque ſecordiam: Propter peſtilentiſſimas hæreſes à nefario Martino Luthero cum alijs ex eadem fece hominibus ab anno 1517.in Septentrionem impie inuectas,quibus ob carnis licentiam ab illis conceſſam, quamplurimæ regiones breuiſſimo temporis ſpatio infectæ,à ſedis Apoſtolicæ obedientia ſe ſubduxerant: vt propterea Eccleſia per Petri Nauiculam ſignificata, tot hæreſum erroribus impetita,tot bellis, prauisq; hominum moribus exagitata, magnis fluctuum procellis iactari videretur;Chriſtus Dominus,qui Eccleſię ſuæ nunquam non pręſto eſt, tametſi noſtris ſceleribus offenſus,à ſuis tamen diſcipulis,& pręſertim à ſua Genitrice, vt dixi cap.16. precibus excitatus, imperare ſolitus ventis, & mari vt fiat tranquillitas magna;plurima,quibus his malis occurreretur,contulit remedia. *Temporum calamitates circa ann.1500.* *Matth.8.*

In primis ſummorum Pontificum, & complurium Prælatorum pietatem,ac ſtudium ad morum reformationem excitauit:ſacri Concilij Tridentini decretis ſanctiſſimis, non tantùm catholicæ veritatis puritas contra recentiores hæreticos eluxit;verùm etiam diſciplina Eccleſiaſtica in omnibus ordinibus mirificè eſt reſtituta. Sanctorum ſeptem Principum Angelorum diuino throno aſtantium cultus inſtauratus, propagatusq; qui Apocal.5.veluti ſeptem Agni,cornua Satanæ,miniſtrorumq; eius regnum Apoc.15.16. & 17.ventilare, & euertere dicuntur; nam ſacræ eorundem Angelorum imagines anno 1516.Panormi repertæ,templa ijſdem dicata, eorumq; preces ſæpè typis ſunt editæ, ac euulgatæ,de quorum certo numero, ac præſtantia plerique omnes illuſtriores Theologi,qui ab anno 1520.claruerunt,honorificè in ſuis commentarijs ſunt locuti;& nos de ijſdem,ac de eorum muneribus,alijsq; ad eos ſpectantibus,librum propediem, Deo volente,edemus. Aliquot tùm viros,tùm mulieres inſigni ſanctimonia præſtantes,qui in proximorum ſalutem egregiam nauarunt operam, ſubmiſit. In his recenſendus eſt S. Franciſcus de Paula religioſiſſimi ordinis Minorum fundator; ſanctimonia, & miraculis illuſtris,qui poſt ordinem ſuum in Italia,Gallia, & Hiſpania longè, lateq; propagatum, anno ſalutis 1507.migrauit ad Chriſtum. S.Carolus Borromæus Cardinalis,& Mediolanenſis Archiepiſcopus, Prælatorum decus, atque exemplar præclariſſimum, qui vitæ exemplo, & aſſidua vigilantia commiſſum ſibi populum, aliosq; plurimos ad pietatem inflammauit,quem omni virtutum genere,& miraculis ornatum,Paulus V.Pontifex Maximus anno ſalutis 1610. qui ab eius obitu fuit viceſimus ſextus Sanctorum Catalogo aſcri- *Apoc.5. & 15. 16 & 17.* *Sacram Angelorum imagines reperta Panormi.* *S.Franciſcus de Paula religioſorum ordinis fundator.* *S.Carolus Borromæus Mediolanenſis Archiepiſcopus,pietate erga Deum præclariſſima.*

Magiſter Ioannes de Auila Hiſpanus.

aſcripſit. Magiſter Ioannes de Auila hiſpanus vir Apoſtolico ſpiritu plenus, Pater multorum Sacerdotum, quos ad pietatẽ informauit Ioannes Dei Luſitanus, eiuſdem Ioannis Auilæ diſcipulus, auctor ordinis illorum, qui hoſpitales ægrotis ſanandis domos curant. B. Philippus Nereus Florentinus Congregationis Oratorij Romæ inſtitutor pietate, & miraculis inſignis B. Aloyſius Bertrannus Hiſpanus ordinis Prædicatorũ, cuius vitam ſanctitate egregiam, & miracula deſcripſit Vincentius Iuſtinianus ex eadem familia. Ludouicus Granatenſis ordinis Prædicatorum, qui pluribus libris de rebus ſpiritualibus piè, & grauiter conſcriptis, magnam rerum ſpiritualium lucem viris pijs attulit. Martinus Valentinus ordinis Minorum ſanctimonia inſignis, qui cum duodecim ſocijs in Mexicanæ Prouinciæ regionem profectus, innumeros ad Chriſti fidem perduxit. Nemo enim ex illis duodecim fuit, qui anno 1531. pluſquam centum millia Indorum non baptizaſſet: obijt autem miraculis clarus anno 1534. de quo, ac de alijs ſocijs plenius Thomas Bozius lib. 12. de ſignis Eccleſiæ cap. 21. B. Ignatius Loyola Societatis IESV auctor, de qua mox vberius. B. Franciſcus Xauerius, & alij eiuſdem Societatis ſanctitate, & iuuandarum animarum opera conſpicui, de quibus verba aſcribam Thomæ Bozij loco citato, vbi cum recenſuiſſet quamplurimos noſtri ſæculi viros ſanctimonia præclaros, ſubijcit in hunc modum: *Sequuntur hos plurimi è Societate IESV, quorum viginti duos enumerauimus ſigno de propagatione fidei cap. 11. qui ſanè omnes cœleſtem vitam ducentes in terris, mirabilia multa patrarunt, commune omnibus fuit, vt dæmones ex obſeſſis corporibus expellerent; ægrotis multis diuino modo redderent ſanitatem, maximè verò aqua ſancta; quin fuere, & qui mortuos ad vitam reuocarint, vt aperuimus ſigno de miraculis in fidei propagatione factis cap. 2.* hæc Thomas Bozius. His attexendæ ſunt, & mulieres huius æui eadem ſanctitatis laude inſignes. B. Catharina Genuenſis nobili Fliſcorum genere orta, admirandæ ſanctitatis, & charitatis, vt videre eſt in pijs quibuſdam ſpiritualibus libellis eius feruentem doctrinam atteſtantibus, quæ anno 1515. ad Chriſtum migrauit. B. Mater Tereſa à IESV Hiſpana Carmelitarum diſcalceatorum fundatrix, quæ libros edidit cœleſtis perfectionis refertos, de qua vberius in tractatu de Virginibus ſect. 6. & alij denique complures vtriuſque ſexus numerantur, qui noſtro hoc ſæculo ſanctitate præſtantes claruerunt, quos breuitatis ſtudio conſultò prætereo, eorum tamen multos recenſet eruditiſſimus Thomas Bozius de ſignis Eccleſiæ lib. 12. cap. 21. 22. & 23.

Ioannes Dei Luſitanus.

B. Philippus Nereus Congregationis Oratorij inſtitutor.

Aloyſius Bertrãnus hiſpanus ordinis Prædicatorum.

Ex Vincentio Iuſtiniano.

Ludouicus Granatenſis ordinis Prædicatorum.

Martinus Valentinus ordinis Minorum.

Ex Thoma Bozio.

B. Ignatius Loyola Societ. Ieſu fundator.

B. Franciſcus Xauerius è Societ. Ieſu.

Alij è Soc. Ieſu vitæ probitate ac miraculis præclari.

B. Catherina Genuenſis.

B. Mater Tereſa è Ieſu Carmelitarum diſcalceatorum fundatrix.

Ex Thoma Bozio.

42 Nec ſolùm hoc ſæculo peculiares aliquas perſonas inſignes ad morum reformationem Deus excitauit; ſed aliquot etiam religioſorum familias recens inſtitutas, nimirum minimorum S. Franciſci de Paula, Clericorum Regularium, qui Theatini appellantur, Cappuccinorum, & aliorum; quæ ad idem cooperarentur, auxiliares miſit. Verùm quod ad rem noſtram facit, inter alias hoc ſæculo ad Eccleſiæ ſubſidium Dei prouidentia inſtitutas Religiones, Societas IESV meritò connumeratur peculiari obedientię ſummi Pontificis circa miſſiones, voto obſtricta, quo erga ſedem Apoſtolicam, (cuius auctoritatem recentiores hæretici conuellere nituntur) ſuam obſeruantiam teſtatur. Hanc verò noſtram Societatem IESV tùm peculiari Deiparæ interceſſione, ac ſub eiuſdem ſingulari patrocinio fundatam, & auctam, tùm etiam eiuſdem peculiari ope, ac præſidio inſignem Dei Eccleſiæ nauaſſe operam ex ijs, quæ hoc loco dicere inſtituimus, rectè exiſtimare poſſumus.

Religiones.

S. Franciſci de Paula.

Clericorum Regularium.

Cappuccinorum Religio Soc. Ieſu peculiari obedientia actoſum, Pont. obſtricta. Sub Deipare patrocinio inſtituta.

In primis enim Deipara B. Ignatium Loyolam huius Societatis fundatorem, atque parentem ab eius in Deum conuerſione impensè fouit, atque protexit: Societatemq; ipſam ſemper benignè eſt complexa, atque tutata. Et ſanè B. Ignatius, vt cap. 35. plenius dicemus, eiuſdem Deiparę Virginis ſtudioſiſſimus fuit, & peculiariter Auctore Petro Ribadeneyra in eius vita lib. 1. cap. 2. eiuſdem ſanctiſſimæ Virginis clariſſima luce circumfuſæ filium in vlnis geſtantis ſpecie obiecta ex ſæculi militia ad ſalutare I E S V Chriſti vexillum tranſeundi deſiderium, quod ante conceperat, firmius ſtabiliuit; atque ex hoc ſuauiſſimo Deiparæ conſpectu puriſſimum caſtitatis donum ad vltimum vſque ſpiritum eſt conſecutus. Mox in templo eiuſdem Virginis Montis ſerrati in eius Annuntiationis peruigilio, anno noſtræ ſalutis 1522. futuræ Societatis à ſe olim inſtituendæ, quaſi fundamentum quoddam ſub Virginis patrocinio poſuit; ſiquidem ſæculari habitu exutus

Cap. 35.

Ribadeneyra.

Deipara B. Ignatio Loyola apparuit eumque ad Chriſti vexillũ produxit.

coram

coram eius imagine, cui tota nocte vigilans se enixè commendauit, nouum vitæ genus sanctitate præclarum est aggressus; ac deinde Lutetiæ Parisiorum die Assumptionis Virginis sacro anni 1534. in eiusdem templo, quod Mons Martyrum dicitur, quasi eadem Virgine Præside, ipse cum socijs sumpta Eucharistia, votum relinquendi omnia, iuuandi animas, & peregrinationis Ierosolymitanæ emisit, ac postea singulari Dei fauore, auctoritate sedis Apostolicæ hanc minimam Societatem IESV (hoc. n. epitheto eam in suis Constitutionibus appellat) instituit, quæ cum peculiari IESV nomine eiusdem beneficio sit insignita, peculiari etiam pietate IESV MATREM veneratur, ac colit. Quocirca iure optimo noster Platus hoc idem argumentũ tractans lib. 1. de Bono status Religiosi cap. 34. subinfert. *Ignatius*, inquit, *Societatis IESV fundator, & Auctor, quantuscumque fuit, non est ambigendum, quin Virginis opus fuerit:* ex quo colligit Platus ipsam etiam Societatem à B. Ignatio fundatam, Deiparæ ascribendam: *Vt enim*, inquit, *qui glandem serit, totam arborem serit: sic Dei Mater dum Ignatium peperit, in cuius pectore, vt in Abrahæ lumbis eius posteritas, nos omnes continebamur, nos quoque, & totum hunc ordinem nostrum peperisse credendum est.*

B. Ignatius in Deiparæ templo se Deo deuouet.

Platus.

Fundatio Societ. Iesu Deiparæ ascribenda.

Atque hoc quidem ipsum Sacerdoti cuidã nostro insignis religionis, & sanctitatis viro diuinitus monstratum est. Hic erat Martinus Gutterrus Hispanus, qui tùm alias multas visiones, & reuelationes consecutus est, illamq; inter cæteras, quod cum ex Hispania Romam ad Congregationem generalem anno 1573. per Galliam iter haberet, & ante Virginis sacellum equitaret, diuino lumine ei ostensum est se intra octo dies moriturum; (quod euenit, cum paulo post ab Hæreticis captus inter eorum manus in summis omniũ rerum incommodis breui decessit) ipse verò P. Aegidio Consalez suo Prouinciali postea Societatis nostræ Assistenti, ac viæ comiti, cui sub vitæ exitum generalem totius vitę cõfessionẽ fecit, amice ea, quæ scribimus narrauit, à quo hæc deinde accepta sunt. Is igitur Martinus tùm alia, vt dixi, multa, præsertim autem de B. Virgine diuinitus reuelata accepit; tùm illud etiam, quod rem nostram attingit. Vidit enim aliquando illam eximia admodum specie micantem; veste prætereà in magnam latitudinem expansa, ac sub ea veste Societatem nostram vniuersam collectam contineri, quam illa materno affectu cõplecteretur, eoq; quasi suæ gratiæ, & caritatis tegumento confoueret. Hactenus ad verbum ex Plato; quæ visio non est absimilis ei, qua S. Dominicus innumeram fratrum sui ordinis multitudinem sub ampliſſima beatissimæ Virginis clamyde conspexit, auctore S. Antonino 3. par. histor. tit. 23. cap. 3. initio; & ei, quam Cæsarius refert lib. 7. exemplorum cap. vltimo de Cistercienſibus, qui sub Virginis miræ latitudinis pallio cuidam eiusdem ordinis Religioso sunt ostensi, vt satis appareat benignissimæ matris erga Religiosos cœtus mire amabilis, & effusa charitas; quos eo studio complectatur, & singulari tutela protegat omnes, vt meritò singulorum præcipua ab ijsdem agnoscatur, & habeatur Patrona.

Societas Iesu sub Deipara pallio foueri P. Martino Gutterier visa est.

Platus.

S. Dominicus in numeros sui ordinis Fratres B. Virg. clamyde vidit.

S. Antoninus.

Cæsarius.

Cistercienses sub B. Virg. pallio tueri cuidam religioso ostendit.

43 Cæterùm quæ, & quanta Deus optimus in Orbe vniuerso per hanc minimam Societatem IESV tàm breui temporis spatio operari dignatus sit in peccatoribus, & facinorosis hominibus, tùm fidelibus, tùm etiam infidelibus ad viam salutis traducendis, ijsq; in pietate multipliciter promouendis, cum in omnium oculis satis versentur, non est cur à nobis in præsentia pluribus commendentur, & exemplis confirmentur: nonnulla tamen cursim indicare nostrarum partium esse duxi, quod totum in Dei gloriam, à quo bona cuncta procedunt, & cui sub sacratissimo I E S V nomine hæc Societas contra aduersarias Satanæ potestates militat, ac in eius Genitricis laudem, quæ tam benignè Societatem complecti, eiusq; labores promouere dignatur, referendum est.

Quanam Deus per Societ. Iesu operetur.

Cùm verò finis Societatis, atque institutum sit, non solùm saluti, & perfectioni propriæ cum diuina gratia vacare; sed cum eadem impense in salutem, & perfectionem proximorum, docendo, & agendo, priuatim, & publicè, omni qua possit ratione, ac via incumbere; id Societas potissimùm præstare conatur Ethnicos ad Christi fidem adducendo; Hæreticos ad catholicam veritatem reuocando; Catholicos in pietate excolendo. quid autem in singulis efficere studeat, breuiter perstringamus.

Finis Societ. est tum propriæ, tũ aliorum perfectioni, & saluti impense vacare.

Sanè remotissimis, ac vastissimis tùm Orientis, tùm Occidentis solis Indijs, ad quas recens patebat nauigatio (vt taceam de alijs Clericis, ac Religiosis, qui magno cum

Quænam Societ. Iesu in Orientis Occidentisq; re-

gionibus per animarum ſaluti peregerit.

animarum fructu operam ſuam in illis nauant) certè Beati Franciſci Xauerij è primis Beati Ignatij ſocijs, aliorumq; ex eadem Societate labore, ac ſudoribus Euangelij lumen eſſe illatum, Idolatriam multis in locis euerſam; mores efferatarum gentium ad chriſtianæ legis normam compoſitos ſcimus. Ad hanc porrò Indicam vineam excolendam, & Chriſti fidem inter Ethnicos diſſeminandam noſtri hac tempeſtate vniuerſas eas Regiones in octo Prouincias Societatis more diſtributas incolunt, quarum nomina ſunt hæc. Ad Orientem Goana, Malabarica, Malacam vſque, Amboinum, atque Malucas diffuſa, Iaponica, quæ,& Sinas complectitur. Ad Occidentem verò Braſilica, Mexicana, Peruana, Noui Regni, ſeu Quitenſis, Paraquaria, & Philippinæ; in quibus Socij in centum ferè domicilijs diſtributi mille circiter, & quingenti degunt, qui in vicinas etiam oras excurrunt: in ijs plura iam centena millia capitum numerantur, qui chriſtiana ſacra noſtrorum opera ſuſceperunt, inter quæ maximi ſanè momenti, & vberrimæ ſpei eſt ampliſſimi Sinarum Regni aditus, dæmonis aſtu aduenis omninò præcluſus, & impenetrabilis, Dei fauore, & noſtrorum patientia, atque induſtria magna ex parte patefactus; multis ex Sinarum indigenis iam baptiſmo luſtratis: Intima quoque Aethiopiæ Regna, nimirum Abyſſinorum, quod Imperatori Presbytero Ioanni nuncupato paret. Item Manomopotapæ, Congi, Angolæ, Guineæ, aliorumq; Aethiopum à noſtris ſunt adita, Chriſti religione mirum in modum ijs in locis propagata.

Sinarum Regni aditus patefactus.

Fides catholica in Aethiopia regna propagata.

Quid in Septentrionalibus Regionibus ſocietas contra hæreſes operetur.

44 Quòd ſi de hæreſum extirpatione, quibus magna pars Septentrionis ſuperiori ſeculo conflagrauit, agamus; nemo eſt, qui ignoret quantùm Societas in decem fere Prouincijs per eas Regiones conſtitutis, in quibus Socij termille, & octingenti per domicilia centum, & quadraginta diſtributi numerantur; in hæreſibus euellendis, hæreticisq; ad catholicam veritatem traducendis verbo, & libris contra recentiorum hæreſes, & contra ipſos hæreticos à Caniſio, Cardinali Bellarminio alijsq; noſtrorum editis profecerit; quid præterea in Anglia tùm noſtrorum, tùm Anglorum Alumnorum Sacerdotum, qui in Seminarijs Italiæ, Hiſpaniæ, & Belgij à noſtris in pietate, & litteris ſunt inſtituti, non tantùm laboribus, ſed etiam ſanguine pro fide catholica fuſo in dies præſtetur, omnes norunt.

Caniſius. Bellarmin. Anglicani adoleſcentes à Soc. in pietate, ac litteris inſtituuntur.

Neque illud reticendum, quod veluti maximum Dei beneficium Societas agnoſcit; Nam (vt ſileam eos, qui Chriſti, & Eccleſiæ eius ſponſæ cauſa, exilia, & proſcriptiones ſunt perpeſſi) In India, & Septentrione ad hanc vſque diem ſupra centum ex noſtris vitam Chriſti cauſa, & fidei propagandæ ſtudio poſuere; ita enim Antonius Criminalis Sacerdos Italus in Ora Piſcariæ anno 1589. primus ex Societate ab Ethnicis martyrio eſt coronatus: Petrus Gorrea, & Ioannes Soſa Luſitani in Braſilia anno 1558. P. Conſaluus Sylueria Luſitanus in Regno Monomotapæ, de quo fuſius infra, & cap. 35. P. Ioannes Baptiſta de Segura Viceprouincialis Floridæ Hiſpanus cum alijs ſeptem è Societate in Florida anno 1568. P. Ignatius Azebeida Prouincialis Braſiliæ cum triginta octo è noſtris in nauigatione à Caluiniſtis anno 1570. P. Petrus Diaz cum alijs vndecim è Societate à Caluiniſtis quoque in eadem nauigatione anno 1572. In Anglia complures pro fide catholica fortiſſimè mortem oppetiere, inter quos P. Edmundus Campianus anno 1582. P. Robertus Sotuellus anno 1595. P. Henricus Garnettus anno 1606. præter hos, P. Rodulphus Aquauiua in Salſettana Regione Indiæ Orientalis ab Ethnicis cum quatuor è Societate anno 1583. P. Iacobus Saleſius, & Gulielmus Saltamoſcius natione Galli, Abenaci in Gallia ab Hæreticis anno 1593. P. Conſaluus Tapia Hiſpanus in Sinaloa Prouinciæ Mexicanæ anno 1598. P. Abrahamus Georgius natione Maronita è Societate ad oram maris rubri à Mahometanis propter fidem Chriſti anno 1595. alijq; permulti varijs in locis, varijsq; temporibus pro Chriſto ſunt interempti: quorum Catalogus ad multorum conſolationem typis eſt editus: hos tantùm attigiſſe volui, vt intelligamus in hoc Societatis horto ſub Deiparæ patrocinio floribus eius, roſas propter animarum ſalutem procurandam proprio ſanguine purpureas, & lilia vitæ innocentia, ac puritate candida Dei, ac Deiparæ beneficio minime deeſſe.

Patres è Soc. ſupra centum per catholica fide interempti.

Cap. 35.

45 Denique ſi animum conuertamus ad ea, quæ in vtilitatem catholicorum Societas

cietas exercet, profectò in domibus, & Collegijs, quæ in locis, siuè catholicorum, siuè hæreticorum, vel etiam in Indijs habemus sacramentorum pœnitentiæ, & sanctissimæ Eucharistiæ crebra vsurpatio, tot iam seculis apud seculares intermissa, est reuocata. *Creber sacramentorum vsus per Societ. renouatus.*

Verbi diuini explicatio non in quadragesima tantum, verùm etiam per totius anni circulum Dominicis, festisq; diebus crebris ad populum matutinis concionibus, & pomeridianis lectionibus proponitur. *Catera Societ. Iesu ministeria, quæ per animarum salute exercet.*

Doctrinæ christianæ capita pueris, alijsq; rudibus traduntur.

Pauperes, alijq; in publicis custodijs, triremibus, & xenodochijs degentes inuisuntur, necnon ad pietatem instituuntur, & inflammantur.

Extremis bachanaliorum diebus, quibus permulti personati per Vrbem obambulare, profanis, & interdum obscœnis comœdijs interesse, choreas ducere; crapulæ, & lusibus indulgere consueuerunt; nostri in suis templis indicta supplicatione 40. horarum sacrosãctam eucharistiam in summo altari insigni peristromatum, candelarum, cæterorumq; ornamentorum apparatu, & egregio musicæ concetu exponunt, impetrata quoque à summo Pontifice Indulgentia Plenaria; quibus homines allecti à carnalibus facilius diuellãtur. Quo factum est, vt ardor ille, quo præcipites ad ea, quę memorauimus, & sæpè etiam ad alia, quæ ijs adnexa erant, flagitia tanta auiditate perèos dies ferebantur, magna ex parte summa bonorum omnium approbatione refrixerit. *40. horarum supplicationes.*

Congregationes Deiparæ nomine insignitæ sub eius auspicijs in nostris domicilijs singulis hominum ordinibus seorsim Sacerdotum, Scholasticorum, tùm maiorum, tùm etiam minorum, Nobilium, item Artificum, & Rusticorum instituuntur, & propagantur. *Congregationis sub Deipara nomine.*

Adolescẽtes ea præsertim ætate, qua ad vitia facilè spontè sua, vel etiam prauis aliorum consilijs deflectere possunt, bonis moribus, pietate, & litteris in scholis, quæ omnibus patent, imbuuntur. Magnus adolescentium numerus in Seminarijs præsertim in Indijs, & Septentrione sub nostrorum institutione educantur, ex quibus plurimi in Ecclesia Dei vtiles operarij prodiere. *Adolescentium in scholis, seminarijsq; educatio.*

Quamplurimi ex Societatis disciplina, siuè ex scholis, siuè ex Deiparæ congregationibus agnita seculi vanitate, contemptis omnibus, ad Religiosorum familias se contulerunt, adeò vt omnes ferè Religiones hoc tempore ijs abundent.

Diuina scriptura, sacra Theologia, Philosophia, Mathematicę, Rhetorica, & humaniores litteræ publicè in Gymnasijs magna auditorum frequentia, cum pari vtilitate spirituali traduntur; quas etiam complures nostrorum scriptis commentarijs, quę magna cum approbatione in manibus omnium versantur, illustrarunt. *Studiorum exercitationis.*

46 Ad loca verò, in quibus Societatis domicilia minimè extant, nostri Patres per missiones excurrere solent; in quibus omnes ad vitiorum detestationem, & piorum operum exercitationem excitant, & inflamant; & hæc quidem omnia Societas gratis præstare satagit, nullo admisso pro suis ministerijs stipendio, ne spontè quidem oblato. *Missiones Patrum Societ.*

Cæterùm his, alijsq; Societatis ministerijs, priuatisq; colloquijs, Dei fauore Societatis conatus promouente, illud effectum est, & in dies fit; vt complura scelera, tùm publica, tùm secreta sint sublata, praui abusus correcti, restincta dissidentium odia, bona iniustè ablata legitimis dominis restituta, carnis flagitia exposa; complura, quæ ad Dei cultum spectant, in mores inducta; Deiparæ, Angelorum, Sanctorumq; cultus, atque interceßio, Imaginum, ac Reliquiarum veneratio populis inculcata: Templorum cultus, ornatus, ac mundities procurata. Quæ omnia quotidianis experimentis adeò omnibus perspecta sunt, atque explorata; vt ea nemo inficiari possit: quin etiam plerique Societatis exemplo excitati, pia quadam imitatione, & congregationes, & frequentiores conciones, aliaquè pietatis opera magno fidelium bono æmulari studeant. Atque hæc de Societatis Iesu fructu, qui ex eius in Christi vinea laboribus Dei benignitate colligitur, dicta sint. *Alia Societ. Iesu ministeria.*

47 AD hoc etiam caput conuersionis animarum, quæ Deiparæ beneficio in via salutis sunt institutę, spectat; complures aliorũ Doctores, atq; Magistros, eiusdem Dei Genitricis ope rerum cęlestium cognitione, quam in alios transfunderant, adeptos; & vt in-

terim taceam de Hermanno contracto, Ruperto Tuitiensi, & Alberto Magno; qui inter suæ tempestatis homines, singularem scientiæ eruditionem beatissimæ Virginis intercessione sunt consecuti, de quibus vberius cap. 36. in præsenti vnicum tantùm exemplum subijciam. S. Gregorij Taumaturgi Virginis sanctissimæ iussu à S. Ioanne fidem edocti.

Cap. 36.

DEIPARA S. GREGORIVM THAVMATVRGVM *in fide instruendum curat.*

S. Gregorius Thaumaturgas Virginis iussu à S. Ioanne Euangelista sanctissima Trinitatis mysteria edocetur.

IN vita sancti Gregorij Thaumaturgi Neocesareæ Episcopi à sancto Gregorio Nysseno Basilij magni fratre grauiter conscripta, legimus eidem Gregorio Thaumaturgo à miraculorum præstantia sic dicto, vigilanti, & diligentius res fidei meditanti noctu apparuisse vna cum sancto Ioanne Euangelista forma senili, pontificia veste induto, Deiparam beatissimam in muliebri quidem figura, sed quæ formam superabat hominis, magnaq; luce cubiculum complesse, ac sancto Ioanni dixisse, vt eundem Gregorium sanctissimæ Trinitatis mysterium edoceret: quod & factum est; Gregorius verò doctrinam illam diuinitus reuelatam protinus litteris mandauit, ac posteris per manus transmisit, qua populus ille institutus, & eruditus ab omni vitio hæretico permansit intactus.

Nyssenus.

hæc ex Nysseno. qui eam fidei confessionem, quam appellat mystagogiam ad verbum ibi recitat, eamq; in Ecclesia Neocesarienſi manu eiusdem Thaumaturgi descriptam

Basilius.

seruari testatur. Quare mirum non est si S. Basilius tanti faciat Thaumaturgi fidem, vtpote à S. Ioanne Deiparæ iussu edocti, cùm eandem se retinere fidem glorietur, quam velut lac purum è pectore S. Macrinæ auiæ suæ, & in fide nutricis ab eodem Thaumaturgo in fidei mysterijs eruditæ olim ebibisset, vt ipsemet affirmat epist. 64. ad Neocesarienses, & epist. 75. & 79.

Apoc. 4.

SEd vt adhuc peculiarium personarũ exemplis ostendamus ex hoc diuino throno non solùm fulgurum miracula, sed etiam voces, & tonitrua procedere: recensenda sunt exempla eorum, qui in magnis sceleribus, tanquam iumenta in stercore suo computruerant, ac Virginis ope ex illis emerserunt; qua blandis quibusdam persuasionibus, & admonitionibus, veluti vocibus permoti, qua validis internis increpationibus, veluti tonitruis à lętali sopore excitati, quibus peccatores se esse intelligentes à diuinæ iustitiæ timore vtiliter concussi, ad pœnitentiæ lamenta sunt traducti. Verùm quia tonitrua non tantùm eos, qui graui sopore stertunt, excitant; verùm etiam dura feriunt, atque comminuunt; nequid ad tonitruorum rationẽ in huiusmodi Deiparæ exemplis desit, post peccatorum conuersiones Deiparæ ope factas; subijciemus eorum exempla, qui suæ in Deiparam impietatis veluti tonitru percussi, meritas pœnas dederunt; eorum quoque, qui eũ Christi Ecclesiam miserè deuastarent, per Deiparam sunt profligati, atque extincti. Verùm ad peccatorum conuersiones veniamus.

Ioel 1.

Exempla complurium peccatorum, qui per Deiparam sunt conuersi.

ADMIRABILIS THEOPHILI LAPSI *per Deiparam cum Christo reconciliatio.*

Theophili Oeconomi, qui chirographo se damoni deuouerat admirabilis per Deiparam reconciliatio.

48 ILlustre est illud, & multis clarissimorum scriptorum testimonijs celebratum, quod Deipara in Theophilum contulit beneficium, quodq; nos fideliter excerptum, sed in pauciora contractum ex narratione Euthichiani Clerici, eiusdemq; Theophili ministri, qui se hæc omnia partim vidisse, partim ab ipso Theophilo accepisse testatur; hic proponemus; tùm quia beneficium extitit per se præclarissimum, & supra quàm dici potest insigne, in quo perspicuè cernitur, quomodo fulgura, voces, & tonitrua, miracula videlicet, blandæ admonitiones, & seueræ scelerum increpationes ex Deipara velut ex Dei throno promanent; tùm quòd eius tanta sit, tamq. certa auctoritas, vt ne Centuriatores quidem pestilentissimi nostræ tempestatis hæretici, & Dei genitricis gloriæ alioqui satis iniqui, fidem abrogare ausi sint, teste nostro Canisio lib. 5. de B. Virg. cap. 20. hoc autem ita gestum est.

Apoc. 4.

Canisius.

Ante-

Antequam in Romanum Imperiũ Perſæ inuaderent, quidam nomine Theophilus Adanenſis Eccleſiæ (eſt autem Adanas ſecundæ Ciliciæ Prouinciæ Vrbs) Oeconomus tãta ſanctimoniæ laude floruit, tanta munus ſibi commiſſum integritate ciuiumq; approbatione exercuit, vt defuncto eius Vrbis Epiſcopo, munus illud ſibi omnibus Cleri, & Ciuitatis ſententijs, votisq; delatum pertinaciter recuſarit; cumq; ſe eo loco indignum planè profiteretur, infimis precibus à Metropolitano eam dignitatem eſt deprecatus, Oeconomiq; locum magno chriſtianæ humilitatis experimento retinuit. Accidit autem, vt inuidorum calumnijs paulò poſt ita frequenter, acriterq; peteretur, vt ab Epiſcopo Oeconomi gradu deiectus, in ordinem redactus viueret. Hanc ille iniuriam iniquiſſimè ferens diaboli inſtinctu ſe ad Magum quendam genere hebræum contulit, opem ex eius maleficijs quærens. Eam hic enixè pollicitus, poſtera nocte ad Hyppodromum deducit, monens ne ſignum crucis vlla ratione faceret, ibi Satanam magno ſatellitio ſtipatum: Hebræus precatur, vt Theophilo opem roganti ferat negat Satanas ſe facturum, niſi ille filio Mariæ, & ipſi Mariæ renuntiet, renunciationemq; ſcriptis tradat: paret miſer Theophilus iuſſis, renunciationemq; ſcriptam cera obſignatam ei tradit, ſeq; mutuo amice ſunt amplexati: tantoq; ſcelere ſuſcepto, tamen lætus abit domum. Inſequenti luce, Deo ſic permittente, Theophilum Epiſcopus in Templum publicè aduocatum honorificè ſuo loco reſtituit, augetq; inſuper nouis dignitatis, ac iuriſdictionis appendicibus: rogat etiam ſibi ignoſcat, ſi eo depoſito, quem ſanctum, aptumq; ſciat, alium ſubrogauerit ineptum. Verùm cum Dei benignitate, *qui non vult mortem peccatoris*, ſalutares cœpiſſent cogitationes in miſeri hominis animum irrepere, vehementiſſimos pœnitentię ſtimulos paulatim concepit; vacabat autem ieiunijs, precibus, & lacrymis: cumq; hinc admiſſi ſceleris magnitudinem ingenti cum animi cruciatu ſecum reputaret, atque perpenderet; inde verò quod Chriſtum, eiusq; Genitricem chirographo abnegaſſet, ſeq; Satanæ in ſeruum tradidiſſet, clauſos omnes ad veniam conſequendam aditus ſibi videre videretur; vnum illum, qui per Deiparam ſemper patet, ſibi facilem eſſe exiſtimabat, quamquam & illum, dùm ei quoque renuntiauit, clauſiſſe ſibi quantum in ſe erat, agnoſceret. Ergo ad Virginis templum feruenti corde, & magna animi alacritate confugiens, ieiunijs, & aſſiduis diurnis, nocturnisq; precibus, lacrymisq; infatigabiliter quadraginta ipſos dies, noctesq; ad eius apud Chriſtum patrocinium impetrandum vacauit; nec fruſtra. Nam poſt quadrageſimum diem nocte media Dei Parentem corporeis oculis ad ſe venientem conſpicatur; Illa primùm Theophilum acriter obiurgat, patrati ſceleris acerbitatem exponit, quamq; difficulter huiuſmodi condonetur impietas, qua ipſe Chriſtus abnegatur, docet. Verùm cum ille crimen agnoſceret ſuum, & magnopere illud deteſtaretur, allatis aliorum conſceleratorum exemplis, quibus tamen ad miſericordiam per pœnitentiam aditus patuiſſet, eandem quoque miſericordiam ſibi ſuppliciter, enixeq; implorabat: Nam & Niniuitæ, inquit, quibus ſubuerſionis dies iam denuntiata erat, per pœnitentiam ſunt ſeruati: ſimiliter & Dauid, poſt tot beneficia diuinitus accepta, in adulterium, & Vriæ cædem prolapſus, non tantùm peccatorum remiſſionem, verùm etiam prophetiæ donum iterum eſt conſecutus. Petrus Apoſtolorum princeps poſt trinam Chriſti negationem Dominici gregis paſtor efficitur. Paulus ex perſecutore factus eſt vas electionis. Cyprianus olim Magus Satanæ totus addictus, per dæmonum incantationes Iuſtinæ virginis ſanctiſſimæ pudicitiam expugnare conatus, tandem ad Chriſtũ conuerſus cum eadem Iuſtina præclaro martyrio eſt coronatus. Sicuti ergo hi omnes, alijq; innumerabiles per pœnitentiam à filio tuo veniam adepti, nonnulli etiam dignitate ſunt aucti; Ego quoque miſer peccator ad tuam miſericordiam accedo, vt manum mihi porrigas, vtq; malorum, quæ admiſi, veniam per te à filio tuo conſequar. Tùm Virgo beatiſſima miſericordiæ mater iubet fateri à ſe Ieſum Chriſtum eſſe genitum, eum eſſe verè Dei filium, ex quo viui iudicandi eſſent, & mortui. At Theophilus poſt accuſatam humiliter, ac demiſsè ſuorum labiorum ex Chriſti abnegatione impuritatem; paruit tamen, quemadmodum ſibi imperatum eſt, fideiq; confeſſionem, & eos præſertim articulos, qui ad Chriſti diuinitatem, atque incarnationem ſpectant, diſertis verbis pronuuciat; ſeq; ea corde, & ore confiteri, colere, adorare, ac complecti affirmat. At Virgo beatiſſima ſe pro eo veniam à filio impetraturam pollicita receſſit, cum iam illuceſceret.

Neque interea quicquam ex priſtinæ vitæ duritia perennibus lacrymis, ieiunijs, perpetuisq; precibus in eodem Virginis templo humi ſtratus Theophilus remiſit: ſed Deiparæ imaginem intueri non ceſſabat, ſpem ſuæ ſalutis expectans. cum ecce tibi nocte alia eandem peccatorum Aduocatam Deiparam in conſpectu habuit, quæ hilari vultu, & lętis oculis clementiores illas voces adiunxit: Homo Dei ſufficit tibi pœnitentia, quàm oſtendiſti; ſuſcepit Deus lacrymas, & preces tuas propter me; tantùm memento rectam in filium meum fidem ad extremum vſque ſpiritum conſeruare. Ad hæc Theophilus ſe fideliter præſtiturum, quæ ei pollicitus erat, reſpondit, adiecitq; ſe eam omnium defenſionem, atque ſpem ſecundùm Deum agnoſcere. Verùm angebat chirographi, quo ſe dæmoni obſtrinxerat, moleſtiſſima recordatio, itaq; multis lacrymis oppletus, vnum hoc reſtare, quòd à Matris Dei clementia petat: Chirographi, inquit, quo me dæmoni deuoui reſtitutionem: poſt triduum Deipara afflictorum leuamen per quietem chirographum ita, vt erat obſignatum ei defert: Experrectus, illud ſupra ſuum pectus repoſitum inuenit; vix ſe ipſe præ lætitiæ magnitudine capiebat. Inſequenti luce, cum dies eſſet Dominicus, Eccleſiam Epiſcopus, numeroſusq; fidelium cœtus ad ſacra facienda, atque audienda conuenerat, Euangelio recitato ad Epiſcopi pedes coram vniuerſa Eccleſia procidens Theophilus, factum narrat; chirographum ſui ſceleris teſtem Epiſcopo tradit; quod etiam, vt in ambone coram populo legeretur impetrauit. Erupit in Dei, Deiparęq; laudes, qui ad rei geſtæ narrationem obſtupuerat, Epiſcopus: iubet Theophilum è ſolo ſurgere, cuius rogatu ſcelerata ſyngrapha flammis eſt tradita, mirante, ac geſtiente populo, & cum lacrymis multas horas clamante: *Domine miſerere*. Epiſcopus ſilentio indicto ſacrum miſſæ officium peregit; Theophilum ſacroſancta Euchariſtia impertijt; ſtatimq; (mirum dictu) ſolis inſtar Theophili facies palam collucere viſa eſt toti populo, qui ex hoc ad Dei gloriam magis prædicandam mirificè accenſus eſt. His peractis recta ex eo loco ad B. Virginis tęplum, in quo adeò mirabiliter è Tartari faucibus ereptus erat, Theophilus ſe contulit. Nec mora ægrotare confeſtim cæpit, breuiq; ac ſalutari morbo, rebus domeſticis diſpoſitis poſt triduum ſalutatis fratribus eodem loco abſumptus, animam Deo reddidit, cum inter moriendum Dei ſemper, Deiq; Matris laudes celebraret. Hoc Deiparæ beneficium in Theophilum è Satanæ vnguibus extractum complures Patres crebrò in eiuſdem Virginis laudem prædicant, & extollunt: & præter ipſum, qui hæc litteris mandauit, Euthichianum Theophili miniſtrum, cui hæc omnia probe comperta fuiſſe, ipſemet in fine huius narrationis teſtatur, & præter Simeonem Metaphraſtem, qui eam ex Euthichiano in ſuis operibus deſcripſit die 4. Februarij, quam eadem die Surius tom. 2. reponit: eius meminit Petrus Damianus, qui ante ſexcentos circiter annos floruit ſerm. 1. de Natiu. Virg. & S. Bernardus tom. 2. in deprecatione ad Virginem, & S. Bonauentura in ſpeculo B. Virginis cap. 8. vbi citat etiam Bernardum. Vincentius Beluacenſis lib. 21. ſpecul. hiſtor. cap. 69. S. Antoninus 3. par. ſumm. theol. tit. 31. cap. 4. §. vlt. Et quidam ex ordine Prædicatorum morti proximus, quemadmodum refertur in libro, qui inſcribitur vitas Fratrum Prædicatorum in addit. ad 5. par. & habetur in Speculo Exemplorum diſtin. 7. num. 56. denique Molanus in martyrologio Vſuardi à ſe aucto die 4. Februarij, vbi hæc leguntur: *eodem die ponit Metaphraſtes pœnitentiam Theophili per interceſſionem glorioſiſſimæ Deiparentis, Auctore Euthichiano huius Theophili miniſtro.* hæc Molanus.

Surius. Damianus. Bernardus. Bonauentura. Beluacenſis. S. Antoninus. Vitas fratrum. Speculum Exēplorum. Molanus. Metaphraſtes.

Cæſarius in diſſimili caſu ſimilem narrat hiſtoriam lib. 2. exempl. cap. 12. de Iuuene, qui vt diuitias Satanę opera conſequeretur, illius ſuaſione Chriſto negato, Matrem eius negare noluit: ſed pœnitentia ſui peccati commotus, lacrymis, & magnis clamoribus tāti ſceleris veniam per eandem Dei genitricem impetrauit, id quod plenius cap. 24. referemus. & Vincentius in ſpecul. hiſtor. lib. 7. cap. 105. & 106. vberius deſcribit, dicitq; euenisse in Aquitania.

De alio, qui Chriſtum abnegaret per Virginem conuerſo. Cæſarius. Beluacenſis. Cap. 24.

S. MARIA AEGYPTIACA OPE DEIPARAE CONVERTITVR.

S. M. Aegyptiaca per B. Virg. ad pœnitentiam reuocatur. Sophronius.

49 SAncta Maria Aegyptiaca, quæ anno Domini circiter 520. claruit, cuius vitam Sophronius Auctor grauiſſimus Epiſcopus Hieroſolymitanus litteris mandauit, inter

ter pœnitentes nobiliſſima,cum decem, & ſeptem annos in magnis, fœdiſſimisq; libidinis flagitijs vitam duxiſſet,plerisq; etiam occaſio fuiſſet peccandi, ac propterea cum Ieroſolymam ad S.Crucis feſtum veniſſet,ibiq; ab ingreſſu in templum, vbi S.Crux adorãda proponebatur,diuinitus arceretur;ad Virginis imaginem,quæ in atrio templi erat, confugit:hic ſupplex eam exorat,Deoq; vadem,ac obſidem dedit cum eo,nequando ad priſtinas carnis turpitudines relaberetur, eiuſdem Virginis fauore ad templum adorandæ Dominicæ crucis gratia, tandem admiſſa, Virginis beneficium agnoſcens,his eam verbis è templo egreſſa precabatur: Tu mihi Domina miſerta es,measq; preces non repuliſti:per te merui gloriam Dei, quam peccatores percipere non poſſunt: per te glorificabo Deum peccatorum recipientem pœnitentiam: Domina mi ne derelinquas, neque deſeras me,ſed iugiter cuſtodias vbi me tu vis ire; & ita ſacroſancta Euchariſtia in templo iuxta Iordanem percepta,eundemq; Iordanem tranſgreſſa, vitam in vaſta Eremo ad annos quadraginta ſeptem ſanctiſſimè produxit:cumq; ibi crebris,acribus,& importunis tentationibus vrgeretur, quaſi Dei genitricis aſtaret imagini cum lacrymarum copia: Meam (inquit ipſa) mihi ſuccurreret orabam fideiuſſorem,& auxiliatrix mea præſto mihi inuenitur vbiq; & vndiq; vigilans cuſtodit. ſic illa in narratione vitæ ſuæ ad Abbatem Zoſimam,à quo in extrema vita ſacrum Dominici corporis viaticum accepit,eoq; ſumpto feliciter obdormiuit in Domino. eius honorifica mentio fit in 2. Synodo Nicena Act.4. vbi Ioannes Monachus, & Vicarius ſummorum Epiſcoporum Orientis poſt recitatam in plena Synodo hanc narrationem de imagine Deiparæ, cui S. Maria Aegyptiaca ſe commendarat, hæc ſubintulit. Talem imaginem nos vidimus in ſancta Chriſti Dei noſtri Ciuitate, eamq; ſæpius ſalutauimus. Nec illud reticendum, B. Ioannem Columbinum nobilem Senenſem fundatorem Religioſiſſimi Ordinis Ieſuatorum,olim mercaturæ deditum, ex lectione admirabilis conuerſionis, & conuerſationis eiuſdem S.Mariæ Aegyptiacæ adeò conuerſum à ſæculari vita, vt vxore de eiuſdem conſenſu relicta totum ſe Deo tradiderit, & religionem inſtituerit præcipua ſanctimonia, & ſui contemptu inſignis.

Synodus ſecunda Nicæna.

B.Ioannis Columbini Ieſuatorum Ordinis fundatori conuerſio.

S. CYRILLVS ALEXANDRINVS, ALII Q. *per Deiparam moniti quædam emendant.*

50 CVm S. Cyrillus Alexandrinus patruum ſuum Theophilum Epiſcopum item Alexandrinum ſecutus zelo quidem, ſed non ſecundùm ſcientiam S.Ioannis Chryſoſtomi nomen in ſacras tabulas reſtituere detrectaret, videre ſibi viſus eſt ſe ipſum ſacris ædibus expulſum à Ioanne, diuino, qui circa eum erat, ſatellitio maximè freto, & Matrem Domini pro ipſo deprecantem, atque multa pro eo, ſed illud præcipuè, quod pro ipſius gloria plurimùm decertaſſet referentem,vt in ſacra templa reciperetur orare: qua viſione admonitus,valdè eum, quod contra illum imprudens prorſus irritatus fuerit,pœnituit; erroremq; correxit: nam coacta Synodo Prouinciali nomen Ioannis ipſe, & reliqui Epiſcopi in ſacro albo repoſuerunt.hæc Nicephorus lib.14.hiſt.cap.28.ex hiſtoria Nicetæ Philoſophi.

S. Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus errati ueniam per B.Virgin.conſequitur.

Nicephorus.

Quantùm verò Deipara etiam leuia peccata auerſetur,eaq; à nobis caueri velit,facilè oſtendit exemplum Muſæ puellæ, cui Dei genitrix per viſionem apparuit, atque coæuas ei in albis veſtibus puellas oſtendit; eamq; requiſiuit,an cum eis eſſe, atque in eius obſequio viuere vellet:cui cum reſpondiſſet,Volo:iuſſa eſt nihil vltra leue,ac puellare agere; à riſu, & iocis ſe abſtinere;die trigeſimo inter eaſdem virgines ad eius obſequiũ omninò venturam. quibus viſis non ſine parentum admiratione, quibus hæc narrauit, Muſa in cunctis ſuis moribus mutata eſt,omnemq; à ſe leuitatem puellaris vitę magna grauitatis deterſit manu; tunc poſt vigeſimum quintum diem febre correpta eſt: die autem trigeſimo cum hora exitus eius appropinquaſſet, Dei genitricem cum puellis, quas per viſionem viderat,ad ſe venire conſpexit;cui etiam ſe vocanti depreſſis reuerẽter oculis aperta voce clamauit,Ecce Domina,venio;Ecce Domina,venio. in qua voce ſpiritum feliciter reddidit.ex Gregorio 4.dialog.cap.17.

Muſa puella à Deipara monetur, vt à ludis puellaribus abſtineat.

Gregorius.

51 Quidam inſignis peccator ex S.Antonino 4.par.ſumm.tit.15.cap.5.§.2. per viſionem

Conuerſio cuiuſdam peccatoris

per Virginem. S. Antoninus.

nem ad Dei iudicium perductus, videbatur ſibi à dæmone multipliciter accuſari: ſed B. Virgo, cuius ille erat deuotus, tanquam mediatrix, & aduocata ad ſingula reſpondit, & illius peccatis, quæ dæmon obtendebat, oppoſuit ſui filij paſſionem, quæ omnibus ſceleribus præponderat, iuxta illud Iob 6. *Vtinam appenderentur peccata mea, &c.* Denique cum ad præceptum Iudicis in ſtatera appenderentur bona, & mala: & mala quidem, quę erant plura, præponderarent; Deipara manum ſuam ad ſtateram, in qua erant pauca bona, appoſuit, & traxit eam ad terram, & præponderauit alteri. quare diabolus confuſus abſceſſit: ille euigilans, vitam ſuam emendauit. hæc S. Antoninus.

Iob 6.

His addi poteſt illud, quod anno 1399. contigit. cum enim mundus propter hominum peccata ferè delendus eſſet, Virginis opera, & admonitione homines ad publicam pœnitentiam conuerſi ſunt, quod ex S. Antonino, qui præſens hæc ſuis oculis ſe ſpectaſſe memorat attulimus ſupra cap. 16. vbi de Virginis miſericordia egimus.

Mortuus Diaconus quidam, vt pœnitentiam ageret à Maria ad vitã eſt reuocatus.

Anno Domini 934. Diaconus quidam Viredunenſis, nomine Adelmannus, languore depreſſus, ſpiritum viſus eſt amiſiſſe; ſed antequam feretro imponeretur, reuerſus, ita ſurrexit validus, vt ſibi videretur nihil ægritudinis fuiſſe perpeſſus: qui ſe diuerſa ſupplicíorum, vel refrigerij loca vidiſſe teſtatur; ſeq; loco pœnali deputatum: Dei verò genitricis precibus, beato quoque Martino intercedente ad agendam pœnitentiam præſenti vitæ redditum. Hæc ad verbum ex Frodoardo huius temporis ſcriptore accurato apud Baronium tom. 10. ad annum 934.

Frodoardus apud Baronium.

Peccator per Deiparam conuerſus. S. Brigitta.

In lib. 4. Reuelationum S. Brigittę cap. 54. Deipara loquens cum S. Brigitta, quendam peccatorem ſua interceſſione ex peccatis conuerſum, & de poteſtate dæmonum liberatum, vocat filium lacrymarum recenter de mundo ſpiritualiter natum: Propter lacrymas, inquit Deipara, & propter preces amicorum meorum extraxi illum de mundo, in tantùm quod iam ſpiritualiter eſt ſicut puer nouiter natus: idem ab illo, ad quem te miſeram, precibus ſuis, & bonis operibus educari, & conſilijs cuſtodiri debet. hæc ibi.

Complurium verò aliorum peccatorum admirabiles conuerſiones Deiparæ beneficio factæ in Tractatu de Miraculis deſcribentur.

ALIQVI A DEIPARA CLEMENTER *increpati reſipiſcunt.*

52 NEc ſolùm Deipara peccatores ad ſuorum ſcelerum dolorem ſuaui admonitione, quaſi blanda voce excitat, eisq; veniam impetrat; verùm etiam increpationibus, ac pœnis, quaſi tonitrui ſonitu, ac terrore à veterno delictorum eos excitandos curat; quorum aliquas hic ponemus, reliquos ad Tractatarum de exemplis Deiparæ reijciemus.

Coſmiana hæretica corripitur, & conuertitur.

Coſmianam vxorem Germani Patricij hæreſi Seueriana laborantem ab ingreſſu ſancti Sepulchri B. Virgo ei apparẽs in eodem loco prohibebat illis verbis: Quomodo cum noſtra non ſis, audes huc ingredi? atque ita ad fidem conuerſa ad ſanctum Chriſti ſepulchrum admiſſa eſt. habetur in prato ſpirituali cap. 48.

Prat. Spirit.

Eskillus reprehenſus correptus.

Eskillus puer duodecimum annum agens cum ægrotus lectulo diù decubuiſſet, tandem corporis ſenſibus deſtitutus, ita vt ferè mortuus putaretur, extra ſe factus in ſpiritu ad fornacem quandam veluti clibanum ardentem perductus, in eamq; vi pertractus ardere cæpit; iamq; nihil, niſi ignem æternum ſibi ſupereſſe cogitans, Dei beneficio per quoddam oſtium euadens, regium palatium reperit, in quo Cœlorum Reginam in gloriæ throno reſidentem vidit, eamq; obnixè precatus eſt, vt ſui miſereretur: ſed vultu ſeuero ab ea exceptus, iubetur ad ignem cruciandus reuerti, acriter de ipſo conqueſta, quòd Salutationem Angelicam ne vna quidem vice ſibi repreſentaſſet. iterum Eskillus nonnullis, qui præſentes aderant, interceſſoribus adhibitis, pollicitus ſe Dei genitrici in poſterum famulaturum, eamq; ſuper omnia poſt Deum veneraturum, eiuſdem Deiparæ interceſſione ab igne ereptus, eiq; ad pœnitentiam agendam vitæ ſpatium eſt prorogatum. qui ad ſe ſe rediens, gratias Deo, & Deiparæ agens, quòd ab incendio liberatus eſſet; vitam deinceps ſanctè inſtituit. Dacorum poſtea factus eſt Epiſcopus, & deinde ex Epiſcopo Monachus Ciſtercienſis. hæc omnia plenius narrantur in hiſtoria Ordinis Ciſtercienſis, & habetur in ſpeculo exemplorum diſt. 3. nu. 32.

Hiſtoria Ordinis Ciſtercienſis. Spec. Exempl.

Qui-

53 Quidam Ciſtercienſis Chriſtianus nomine, ætate quidem erat iuuenis, ſed vitam ducebat ſanctiſſimam: Is nocte quadam, inquit Cæſarius lib. 4. cap. 40. dictis matutinis vſque ad laudes capiti ſuo parcere volens, ſuper lignum quoddam ante altare ſe proſtrauit ſub forma orationis ibi dormitans. mox vt oculos clauſerat, affuit Gloriosa Domina noſtra Virgo Maria, & veſte eum feriens excitauit dicens, Chriſtiane non eſt hic locus dormiendi, ſed orandi: ſtatimq. ille euigilauit, apertis oculis poſteriora fœminæ recedentis vidit, & vocem dictum ſermonem concludentem audiuit. hæc ille.

Quidam à Virgine reprehenſus, quod in loco orationis dormiret. Cæſarius.

Ciſtercienſem quendam in cura corporis, & medicinis nimis ſuperſtitioſum, qui frequenter extra Monaſterium vagabatur, à pretioſo quodam electuario, quod reliquis Monachis diſtribuere Deipara videbatur, repulit illis verbis: Tu de meo electuario non indiges, quia medicus es, & plurimas tibi impendis conſolationes: quare triſtis effectus, culpam agnouit ſuam, atque emendauit: quo circa in proxima ſua ſolemnitate iterum Domina famulos ſuos prædicto modo viſitans ad eundem veniens: Quia (inquit) te emendaſti tuis medicamentis mea præferens, ecce de meo electuario, ſicut cæteris, tibi impertior, de quo tantum dulcedinis, & deuotionis concepit, vt deinceps ſtabilis maneret, & carnis commoda tanquam ſtercora reputaret. hæc Cæſarius lib. 7. miracul. cap. 48. & Vincentius lib. 7. ſpec. hiſt. cap. 108. idem, ſed paulò aliter refert.

De Ciſtercienſi à Virgine reprehenſo, & emendato.

Cæſarius. Beluacenſis.

NONNVLLI IN DEIPARAM IMPII *membrorum priuatione, vel etiam morte mulctantur.*

54 QVanquam complurium in Deiparam impiorum punitiones à nobis in tractatu de exemplis recenſentur, in hoc tamen capite earum aliquot, ex quibus reliquæ intelligantur, deſcribere operæ pretium duxi.

Narrat Damaſcenus orat. 2. de dorm. Virg. hiſtoriam quandam, quàm multorum ſermone circumferri teſtatur de hebræo quodam, qui dum corpus Dei genitricis ad ſepulchrum Apoſtolorum manibus efferretur, temerario, & diabolico impetu concitatus vtraque manu lectum furioſè in terram detraxit, ſed repentè manibus priuatus eſt, quo ad mentem ſuam ad fidem, ac pœnitentiam immutauit, & ſic incolumitatem rurſus eſt conſecutus. hæc ijſdem ferè verbis ex Damaſceno. Hoc ipſum narrat Simeon Metaphraſtes oratione de ortu, & dormitione Deiparæ, additq. Hebræum hunc pœnitentia ductum lacrymis fuſis, & S. Petri iuſſu vlnas manibus abſciſſis applicaſſe, ſicq. ſanitatem eſſe conſecutum. Idem habet Nicephorus lib. 2. hiſt. cap. 22.

Damaſcenus. Hebræus quidam feretrum Virginis contingere audens ab eadem corripitur.

Metaphraſtes.

Nicephorus.

55 Anno 1580. cum Oliuerius Tempelius Bruxellæ (quæ eo tempore ab hoſtibus Regis occupabatur) præeſſet, & Hallenſe oppidum paruulum, quod tribus miliaribus Bruxella diſtat, in ſuam poteſtatem redigere vellet; vbi, vt ſupra diximus, Deiparæ Templum cum eiuſdem Imagine miraculorum magnitudine illuſtrata cernitur; fruſtra die 9. Iulij rem aggreditur; Deipara ſuum oppidum, ſicut & aliàs, ita & nunc ab hoſtibus protegente, & ea quidem die repellitur; ſed callidè quaſi omiſſo incepto abit: Clàm tamen conductis in vnum præſidijs vires auget, & inopinatus ſub noctem ſequentem cum ſcalis, & reliquo apparatu redit. In via cum alacres incederent mutuo ſe ſe adhortantes, miles quidam hæreticus nomine Ioannes Zuuyckius ore ſacrilego iactabat ſe ſuis manibus Hallenſi mulierculæ (Dei parentem intelligebat) naſum abſciſſurum; Cùm verò ad oppidum peruenisſent, excuſſa glande plumbea, naſus ei aufertur; quare à commilitonibus mirificè eſt irriſus, qui identidem eum ad naſum recipiendum Hallas mittebant. qua in re Deiparæ benignitatem intueri licèt, quæ hominem nefarium omni pœna dignum benignè ſui ſceleris hac læui pœna admonere voluit.

Militis audacia in Deiparam contunditur.

Alter in eadem expeditione Ioannes Ryſſelmannus immaniore etiam ſæuitia, & ore tetriore effuderat, ſacratam ſe ſtatuam Bruxellam adducturum, atque ibi igne ſubiecto publicè crematurum, qui mox blaſphemiæ pœnam accepit; In ea enim oppugnatione os, & mentum tormenti ictu ei eſt ablatum, & paulò poſt ipſa etiam vita. Hæc duo narrat Lipſius in opuſc. de D. Virgine Hallenſi cap. 7.

Aliud ſimile exemplum.

Lipſius.

Circa annum Dominicæ Incarnationis 1577. cum paſſim in toto pene Belgio Iconomachi in templa, & imagines irruere cæpiſſent; contigit in cœlebri quodam pago Loke-

Deiparæ simulachrum confringens, à puero Iesu vulneratus.

ren appellato, quatuor milliaribus à Gandauo dissito, quendam B. Virginis Deiparæ statuam inuadere, ac demoliri; cumq; magno labore talem imaginem luxasset, decidens illa, sui ipsius casu vindictã inflixit Iconomacho: Nam casus iste imaginis, nutu diuino sic accidit, vt puellus ille Christus Dominus, quem Virgo mater vlnis gestabat, quantumcunque antea blandulus, nunc vltrici manu (quam arte Sculptoris protensam habebat) recta in caput ipsamq; maxillam Iconomachi impingeret, eandemq; velut armilla quadam acuta perforaret; sicut de Leuiatan apud Iob legimus Iob 40. & psal. 31. *In chamo, & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te*; quamquam hic animo præpostero nimis approximauerit. Historia ab oculatis, & fide dignis testibus in consessu honoratorum virorum nobis relata est. Hæc ad verbum Tilmannus Brendenbachius lib. 3. sacrarum collationum cap. 22.

Iob 40. Psal. 31.

Tilmannus Brendenbachius.

PETRVS ARAGONIVS EX CARMELITANO TEMPLO versus quod tormenta ænea displodenda curarat, ænea pila ictus occubuit.

Petrus Aragonius, qui in B. Virg. à Carmelo templũ ænea tormenta disposuerat pila ænea occiditur.

56 QVanta autem reuerentia Sanctorum templa, præsertim Deiparæ, in bellis etiam iustis ab omni militari iniuria, & bellica profanatione sint custodienda, sequens exemplum templi Deiparæ à Carmelo apud Neapolim apertè declarat. Cùm Alfonsus, qui primus ex Aragonijs à Ioanna II. Regina Neapolitana in filium adoptatus, Neapolitanum Regnum est adeptus, cum Renato Andegauensi de Regni possessione armis cõtenderet; eaq; de causa anno 1439. Neapolim, quam Renatus obtinebat, terra, mariq; obsideret, Petrus Aragonius Alfonsi frater totius exercitus Dux eam Ciuitatem multis in locis, sed præsertim murum illum Ciuitatis propè templum B. Virginis de Carmelo ad portam Vrbis, vulgo à mercato dictam, æneis tormentis quatiebat: prostrato muro, qui Carmelitanum templum obtegebat, ingens quidam globus displosus eius templi Absidem perrumpens, caput Statuæ Christi Domini Nostri è Cruce pendentis, quæ super trabem in media templi testudine collocata erat, recta petijt; cuius ictum statua ipsa caput demittendo insigni miraculo declinauit; quare ingenti Absidis concussione, & terrifico pilæ fragore exciti Patres Carmelitæ; alijq; Ciues Monasterij custodiæ deputati accurrunt, tantumq; miraculum conspicati, sacram Crucifixi effigiem ad tutiorem locum transferre frustra sunt conati: eam enim neutiquam mouere potuerunt: caput verò sacræ Crucifixi statuæ in hodiernum vsque diem aliquantulum solito depressius visitur: pila item illa ad miraculi monumentum in templo asseruatur tabella exposita, quæ totius rei gestæ narrationem continet. Insequenti verò die, qui teste Mariana erat 23. Octobris, & in feriam sextam incidit; cùm idem Petrus ad vallum, ageremq; vbi ænea tormenta ad quatiendam Vrbem collocata erant, aduenisset; iuberetq; Vrbis verberationem versus eandem partem redintegrari; è Diuæ Mariæ Carmelitanæ Templo, inquit Mariana, tormento percussus occubuit, pila tertio ad terram illisa, quartò ictu caput eius comminuit. sic ille; quo audito Alfonsus fratris nece mæstus, iustam tamen Dei punitionem agnoscens, testatus est se, cum Crucifixi miraculum, quod pridie euenerat, ex transfuga cognouisset, Petrum fratrem eodem, quo interijt die sedulo monuisse, ne versus Carmelitanum Deiparæ templum tormenta displodi iuberet. Petrum verò ad hoc nullum sibi responsum dedisse, sed malo suo eandem verberationem rursum tentare voluisse. Ad hæc tanta secuta est imbrium magnitudo, vt obsedio soluenda fuerit. Alfonsus verò hoc Crucifixi miraculo adeò est permotus, vt cum triennio exacto Neapolis in eius potestatem venisset, postridie ad templum Deiparæ Carmelitanum adierit, vt sacram Crucifixi imaginem piè veneraretur. quod & deinceps crebrò factitauit, hæc Thomas Costus in additione ad compendium historiarum Regni post librum sextum annot. 131. & noster Mariana lib. 21. de rebus hispanicis cap. 13. qui, & si illud de Crucifixi Imagine non referat, necem tamen Petri miraculo tributam significat his verbis: *Vulgus militum, sed & populi multitudo Petri cædem in Religionem vertebat, præsertim continuis imbribus oppugnatione impedita; soluta obsidione Capuam discessum.* hæc Mariana.

Circa Crucifixi simulacrum pila ænea ictum declinat.

Idem loco moueri non potuit.

Mariana.

Thomas Costus.

Mariana.

Miraculum S. Mariæ ab Arcu propè Neapolim in Nolana Diœceſi.

VIR QVIDAM DEIPARAE AB ARCV IMAGINE, quæ in Nolana eſt Diœceſi, percuſſa, ſuſpendio; Mulier item in eandem Deiparam blaſphema pedum abſciſſione mulctantur.

57 VErùm omiſſis quàm plurimis alijs ex omni antiquitate petitis exemplis, quæ ad hoc confirmandum afferri poſſent; veniamus ad ea, quæ vel Patrum ſuperiore, vel noſtra recenti memoria contigerunt. In via publica propè S. Anaſtaſiam (id eſt oppidum Nolanæ Diœceſis ad Ciuitatem Veſuuium ſpectans, quod inter Nolam, ac Neapolim ſex paſſuum millibus æqua diſtantia interiacet, ſitum ad Veſuuij montis radices flammarum, cineriſq; eruptione, ac Plinij interitu maximè celebris) erat anguſtum, ac tenue ſacellum in campeſtri loco antiquitus extructum, cui nomen vulgo S. Maria ab Arcu, ſic dicta à fornice, ad cuius læuam in pariete erat liquidis expreſſa coloribus Deiparæ imago, puerum Ieſum inter brachia geſtantis, quæ quamuis nullo olim Clericorum perpetuò ſeruitio coleretur, illuſtrata certe diuinitus eſt nobiliſſimo miraculo, quod finitimos populos ad pietatem, nouumq; ſacelli cultum exciuit. Enim verò centeſimo ferè ab hinc anno cum in ea vicinia ludum aliqui luderent, quo lignei globi trude item ligneo circumaguntur in plano, ac ſubinde truduntur; impius quidam, & proiectæ audaciæ, quod pecuniæ iacturam faceret in ludo; die, quæ ſacratiſſimum Reſurrectionis Domini Paſcha proximè ſequitur, arreptam, qua ludebat, pilam irato, infenſoq; animo in depictæ Deiparæ faciem ſacrilega manu contorſit, eiusq; ſiniſtram percuſſit genam: inde repentè ſanguis miraculosè dimanauit; cuius repreſſo fluxu ſanguinei coloris impreſſa cicatrix diuinitus remanſit in facie. Verùm extemplo impius percuſſor immobilis factus, eodem in loco in ſceleris pœnam, Iudicis ſententia infelici arbori cum luſorijs inſtrumentis ſuſpenſus interijt: tunc verò perſpicua miraculi nouitate commota vicinia eſt, ad nouam Deiparæ pietatem, tunc aucta celebritas; nam eadem feria ſecũda Paſchatis, eo in loco decreta eſt ſolemnitas, quæ ad inſequentis vſque miraculi tempora perdurauit; quin etiam ad poſteritatis monumentum reum ex arbore ſuſpenſum cum luſorijs inſtrumentis in veteris ædiculæ pariete, hac inſcriptione notatum coloribus expreſſerunt, quam nos ipſi longo interuallo ex eodem ſemidiruto exſcripſimus; ea verò eiuſmodi eſt, demptis quibuſdam voculis vetuſtate exeſis, quas etiam punctis notatas lectori ſupplendas relinquimus: Mirabilis Deus in ſanctis ſuis, quantò magis in Matre ſua; quam cum quidam diabolica inſtigatione luſor pila percuſſiſſet in faciem, repentè immobilis factus à curia deprehenſus, & ex arbore ſuſpenſus fuit. Domnus Cæſar . . . . tor, ac humilis Dei ſeruus . . . . . nus de lamone reſtaurau . . . . . M. A. N. D. 157 . . ator. f. m.

Imago S. Mariæ ab Arcu pila lignea percuſſa ſanguinem emittit.

Imaginis eiuſdem percuſſor diuinitus dat pœnas.

58 Verùm anno 1590. iterum accenſus eſt feruor, iterum adaucta frequentia alterius celeberrimi miraculi occaſione: nam anno proximè ſuperiore feria ſecunda Paſchatis, qua anniuerſaria celebritate S. Maria ab Arcu in priſtini miraculi memoriam celebratur; fœmina quædam, cuius erat nomen Aurelia de Prete, quadrageſimum circiter ætatis annum agens, vna cum coniuge (is enim vocabatur Marcus de Cennamo, vterque ex eodem oppido S. Anaſtaſia) Ruſculum adibat ſuum, ac porcellum præ ſe agebat. cumq; appropinquaret ſacello S. Mariæ ab Arcu, deerrauit porcellus de via in agrum ſacello conterminum; quem fugientem cum fœmina aſſequi non poſſet, offendit, & in terram corruit. hic illa indignabunda, atque ira vehementius percita ſanctiſſimum Mariæ nomen (quod vel leuiſſima de cauſa ſæpiſſimè per ſummam impietatem ſolebat) iterum, ac tertio execrata eſt; malum inſuper imprecata cæmentario, qui ſacellum ædificaſſet; pictori, qui imaginem depinxiſſet. tùm maritus, qui præſens aderat, tàm abominabilis execrationis atrocitate commotus, vxore grauiter increpita, At, at (inquit) dabis vltore Deo pœnas tam nefariæ vocis, qua ſanctiſſimæ Virginis nomen execrata es, atque hinc ad annum pedes iſti tui è cruribus diuulſi diuinitus in terram concident. Verba pondus

Blaſphema nominis S. Mariæ ab Arcu quædam mulier pedum abſciſſione mulctatur.

pondus habuerunt,ac ruſticani oris vaticinium comprobauit euentus; nam anno proximè inſequenti adulta iam quadrageſima Aurelia pedum dolore decubuit: Accerſitur eiuſdem oppidi chirugus; Is morbi qualitate inſpecta, non igne,nec ferro, nec ardenti aqua vſus,ſed amygdalino tantum oleo,& lactucarum folijs adhibitis,nec vllam prorſus medicinam facientibus, ignarus quid vltra remedij afferret, eius vitæ ſalutem omninò deſperauit: tandem inarefacti pedes conciderunt diſtracti è cruribus, perinde ac ſi gladio abſciſſi eſſent, nullo dolore, nullo ſanguinis fluxu. ea omnibus meritò viſa eſt noui miraculi ſpecies,nam ipſa feria ſecunda Paſchatis,quæ in diem 23.Aprilis eo anno incidit alter pedum, feria verò tertia alter è tibijs exciderunt iuxta mariti vaticinium, & quicunque eam ſanctiſſimæ Deiparæ blaſphemam agnoſcebant (agnoſcebant autem ferè oppidani omnes) pro certo habebant,ne ipſa quidem Aurelia abnuente, eiuſmodi calamitatem ei accidiſſe in pœnam, tantiq; ſceleris vindictam. ita certè complures teſtes,ipſaq; met Aurelia legitimè ab Epiſcopali curia Nolana interrogati,ac iurati in ſuo examine depoſuerunt. eius miraculi vbi fama percrebuit, finitimi penè omnes accurrerunt decumbentis Aureliæ domum, inter quos adducto ſecum eodem Chirugo, Cæſar Sarnus eius oppidi Archipresbyter, is re omni perſpicuè cognita pedes in quas illum continuò conijcit,quibus ad D.Mariæ de gratia eius oppidi Templum delatis Nolanum Epiſcopum totius rei commonefecit. Pedes poſtmodum intra crates ferreos repoſiti,ad ipſum S. Mariæ de Arcu ſacellum publicè ſuſpenſi, elapſis duobus ſupra viginti annis, etiam nunc in nouo templo viſuntur, quaſi teſtes impietatis, Indices diuinæ vltionis in eos,qui in Deiparam Virginem iniurij aliquando fuerint: qui denique argumento ſunt quantopere velit Deus Matrem ab omnibus coli ſuam. Et verò tum denique in eam Deiparæ Imaginem deuotio iterum magis,magisq; excitata eſt;innumerisq; crebreſcẽtibus miraculis,ac beneficijs, quæ eo in loco à Deipara conferebantur, tantum pietatis exarſit in finitimorum populorum pectoribus erga eandem Virginem ab Arcu, vt omnes accurrerent;ſuis quiq; neceſſitatibus,aut morbis à Deipara opem quærerent, & pro ſua facultate votiuis donis ſacellum cumularent, ſacramq; ſupellectilem conferrent, & iam tecti viſuntur parietes votiuarum tabellarum multitudine, & nunc etiam elapſis à recenti miraculo annis duobus,ac viginti, magna populorum frequentia quotidie illuc accedentium celebratur:pleriq; etiam nudis pedibus confluunt; Nobiles matronæ pretioſiſſima quæq; comportant,tantumq; pecuniæ ex piorum hominum eleemoſynis conflatum eſt,vt laxatis ſacelli anguſtijs, non ſolùm excitatum ſit templum ſtructura ſatis amplum,ac nobile,adiectumq; cœnobium ex illuſtri fratrum Prædicatorum familia, vbi ex ea religioſi degunt ad quinquaginta: ſed etiam ex ijſdem eleemoſynis intra Ciuitatem Veſuuium (vulgo Somma) erecta ſit collegiata Eccleſia, in qua Sacerdotes duodecim eius Eccleſiæ cultui addicti congruis reditibus aluntur, atque honeſtè ſuſtentantur. In hoc miraculo narrando ideirco fuimus aliquantò fuſiores, quod noſtra ætate, atque oculis propè noſtris geſta res eſt, eamq; ne quid deeſſe poſſit ad fidem ex ipſis documentis,ac proceſſu,quem Nolana Epiſcopalis curia, (ad quam ſpectabat) ea de re compilauit eruendam,atque excerpendam curauimus.

Ergæ eandem deuotio imaginem in dies augetur.

ECCLESIAE HOSTES DEIPARA EAM protegente miſerè perierunt.

S. Eccleſiæ hoſtes à Deipara puniuntur.

59 NOn deſunt complura exempla infidelium,aliorumq; Eccleſiæ hoſtium,qui ſingulari Deiparæ ope contra noxium ſerpentis caput ſtrenuè dimicantis cõtriti ſunt, atque extincti, dignasq; ſcelerum ſuorum pœnas, etiam in præſenti vita dederunt. Ex his aliquot ſubijciemus.Quamuis enim,vt rectè de Deipara Bernardus ſermone Signum magnum: *Nihil,*inquit,*auſterum in ea,nihil terribile; tota ſuauis eſt, offerens lac, & lanam.*& infra: *Quod ſi (vt verè ſunt) plena magis omnia pietatis, & gratiæ, plena manſuetudinis, & miſericordiæ,quæ ad eam pertinent,inueneris; age gratias ei,qui talem Mediatricem benigniſſima miſeratione prouidit.* Ad miſericordiam tamen eius ſpectat,etiam Eccleſiæ hoſtes peſtilentiſſimos,tanquam lupos truculentos à filij ſui grege arcere, quo eorum furore compreſſo,fideles ſuę ſaluti quiete vacare,& diuinę Maieſtati ſecura mẽ-

Bernardus.

te

te deſeruire poſſint,quin etiam reliqui infideles aliorum pœna edocti ab Eccleſię vexatione abſterreantur. Sapienter enim illud pronunciauit Salomon Prou. 19. *Peſtilente flagellato ſtultus ſapientior erit*. In bellis quoque chriſtianorum Deiparam ſanctiſſimam tonitrua contra fidei hoſtes eiaculari, opemq; ſuam fidelibus impertiri ſolitam,minimè dubijs ſignificationibus ſæpè compertum eſt, quemadmodum in tractatu de exemplis perſpicuè apparebit. Prou. 19.

IVLIANVS APOSTATA A S. MERCVrio Deiparæ iuſſu interemptus.

IVlianus Apoſtata Chriſtiani nominis hoſtis infenſiſſimus iuxta ac ſæuiſſimus chriſtianos poſt reditum è bello Perſico (in quo tamen infeliciter perijt) falſis ſuis Dijs victimam deuouerat:quare viri,qui ea tempeſtate ſanctitate clarebāt,multis lacrymis Deo rem chriſtianam commendabāt.tandem Iulianus mādato Dei genitricis ad preces S.Baſilij corā eiuſdem imagine fuſas à S.Mercurio martyre haſta traiectus: *Et*,vt verbis vtar Nazianzeni orat.2.in Iulianum,*lætale certè,orbiq; vniuerſo ſalutare vulnus accepit*.Rem geſtam non ex vita Baſilij,quæ ſub Amphilochij nomine circumfertur, quam non recipit Baronius tomo 4. Annal. ad annum Chriſti 363. ſed ex fragmento vitæ Baſilij ab Helladio conſcripta hic ponimus: quod Damaſcenus in oratione prima de Imagin. refert his verbis. Quod autem imaginum inſtitutio non noua, ſed priſca ſit,& apud Sanctos, & eximios Patres nota, & vſitata diſce ex his, quæ in vita beati Baſilij ab Helladio eius diſcipulo,in Pontificatuq; ſucceſſore conſcripta ſunt; Pius enim vir,vt ipſe narrat, Dominæ noſtræ aſtabat imagini, in qua Mercurij etiam celebris martyris figura deſcripta erat,aſtabat autem ſupplicans,vt impius Iulianus tolleretur;ex qua quidem imagine didicit quid eſſet euenturum: vidit enim martyrem ad exiguum tempus obſcurum, ideſt (vt rectè interpretatur Billius) ab oculis ſuis euaneſcentem: non multò autem poſt haſtam cruentam tenentem. hæc apud Damaſcenum ex Helladio.Quibus conſonat Sozomenus lib.6. cap.2. qui refert viſionem quandam alteri obiectam, qua duo ex Sanctis ad Iulianum delendum egrediebantur, & ſequenti nocte ij per viſum Iulianum occiſum nunciarunt. Nicephorus verò lib.10.cap.35.duorum illorum nomina ponit,alterum ait vocatum Mercurium martyrem,alterum verò Artemium item martyrē, ambos egregios olim milites chriſtianos. hinc enim eſt, quod percuſſor Iuliani ignotus fuerit; etiam ijs,qui in eo certamine cum eo militabant. & S. Nazianzenus, qui multorum refert ea de re ſermones in oratione prima contra Iulianum, & in oratione in laudem Athanaſij diuina virtute id confectum tradit: certè ex nece Iuliani Deiparæ iuſſu veluti tonitru per S.Mercurium facta,magna pax in Eccleſia eſt conſecuta.

Iulianus Apoſtata Deiparæ iuſſu à S. Mercurio interficitur. Nazianzenus. *Baronius.* *Damaſcenus.* *Billius.* *Helladius.* *Sozomenus.* *Nicephorus.* *Mercurius, & Artemius martyres. Nazianzenus.*

Sed ne caput hoc nimium protrahatur; reliqua eiuſmodi exempla vberius proſequar ad calcem Tractatus de Exemplis Deiparæ; eorum tamen argumentum in lectoris gratiam eodem,quo ibi recenſentur,ordine hic ſubijciam.

HAERETICI, ALIIQ. CHRISTIANI NOminis hoſtes Deiparæ ope deleti, quorum exempla in Tractatu de Miraculis fuſius narrantur.

60 NEſtorius impietatis ſuæ in Deiparam pœnas luit.
Anatolium impium Deipara auerſatur.
Italia à Gothis per Deiparam liberata anno 553.
Conſtantinopolis per Deiparam ab obſidentibus Barbaris ſeruata.
Victoria de Barbaris Deiparæ præſidio à Theodoro Heraclij fratre, & ab ipſo Heraclio parta.
Conſtantinopolis à Saracenis obſeſſa ſæpè Deiparæ præſidio ſeruata.
Inſignis victoria de Mauris in Hiſpania Deiparæ præſidio reportata anno 718.
Saraceni Tarſi commorantes Deiparæ interceſſione ingenti clade profligantur.
Deipara ad recuperandam ab infidelibus Ieroſolymam inuocata fert opem.

Hæretici, alīq. chriſtiani nominis hoſtes Mariæ ope debellati.

Ingens Maurorum exercitus in Hiſpania anno 1212. ope Deiparæ ad internecionem deletur.

Deipara à Barbaris magna eorundem clade Carnutenſes tutatur.

Ioannes Zemiſces Deiparæ ope Barbaros profligat.

Ioannes Commenus Deiparæ auxilio ſcytharum exercitum delet.

Conſtantini Copronymi, & Leonis Iſaurici Hæreticorum mors execranda.

Albigenſes hæretici in Galliam per Deiparam extincti.

Infideles Dienſem arcem oppugnantes Deiparæ patrocinio profligantur.

Ingens Angolæ de Barbaris Deiparæ auxilio parta victoria.

Victoria Naualis de Turcis anno 1571. Deiparæ precibus parta.

Conflagratio hoſpitij Montis Virginis, & quamplurimorum miſerâdus interitus. Quorundam item admirabilis ab incendio per Deiparam ſalus anno 1611.

Hæc ſunt exempla, quæ plenius in Tractatu de exemplis Deiparæ memorantur.

Ex quibus omnibus illud perſpicuè apparet; ex hoc throno, nimirum Virgine beatiſſima, non tantum fulgura miraculorum, ſed etiam voces procedere, atque tonitrua, quibus ad conuerſionem homines ſalubriter excitantur, corda etiam obdurata ad reſipiſcẽtiam vtiliter concutiuntur; hoſtes denique Eccleſiæ ab eiuſdem infeſtatione potenter arcentur. Nobis verò illud ſedulò curandum eſt, ne noſtra culpa, & deſidia tot, tantiſq; Virginis vocibus, atque clamoribus, quibus nos à vitiorum veterno excitare ſtudet, obſurdeſcamus; quin potius cordis aurem illius monitis inclinantes, tandem euigilemus, ad eamq; ſedulò accurramus; vt per ipſam miſericordiam à Deo conſequamur, ab eaq; in publicis Eccleſiæ calamitatibus potentiſſimum eius præſidium contra noſtros perſecutores ſuppliciter imploremus.

EX SANCTISSIMAE VIRGINIS DEIPARÆ vita, verbisq. ſimiliter ex eius ſacratiſsimo vtero, vnde Chriſtus Dominus prodijt, fulgura micare, voces q. ac tonitrua perſonare, Cap. XXI.

SVMMARIVM.

Deipara ſuo exemplo omnes illuſtrat num. 1.

Deiparæ virtutes præclariſſimæ num. 2.

Virtutes Deiparæ heroicas fuiſſe num. 6.

Virtutes Theologicæ, quæ in Deipara refulgent num. 7.

Virtus Religionis in Deipara num. 11.

Virtutes Cardinales, quæ in Deipara elucent num. 12.

Mortificationis virtus in Deipara num. 18.

Clementia Deiparæ, eiusq; manſuetudo num. 19.

Virginitas Deiparæ num. 20.

Humilitas Deiparæ num. 21.

Orationis virtus in Deipara: Actus item vitæ actiuæ, & contemplatiuæ, quæ ne à ſomno quidem intercipiebatur, ſacrarumq; litterarum cognitio, ac meditatio, numero 22.

Deipara propter bonum exemplum Balſamum aromatizans dicitur nu. 32.

Chriſtus Dominus ex Virgine Deipara tanquam ex ſuo throno procedens, fulguris, vocis, & tonitrui appellatione aptè poteſt intelligi nu. 38.

Ex B. Virgine dum viueret fulgura, voces, & tonitrua, nimirum exempla virtutum, & ſuaues, ac terrificas motiones prodijſſe. Luc. 1.

EXtendimus ex Virgine in cœlis regnante fulgura, voces, & tonitrua exiſtere: nunc aliam verborum horum explicationem ineuntes, ex ipſa dum viueret, eadem prodijſſe, ſi fulguris nomine radiantes virtutes intelligantur, demonſtremus. Et quidẽ ſi actus, verbaq; ſanctiſſima Virginis, quæ in ſacra Euangeliorũ hiſtoria leguntur, preſertim Canticum illud MAGNIFICAT expendere velimus, inueniemus profectò ex hoc diuino throno fulgura, voces,

& tonitrua abundè proceſſiſſe. Etenim initio illius Cantici pluribus myſterijs refertiſſimi, inſignes Deiparæ virtutes veluti fulgura coruſcant, grati videlicet in Deum animi ſignificatio, qua nihil ſibi ex ijs, quæ in eius laudem S. Eliſabeth Spiritu ſancto repleta exclamando protulerat, tribuit; iterum omnia in Deum referēs, ipſum ex corde Magnificat, & laudibus effert: Humilitas, & ſui demiſſio cum Deum humilitatem ſuam reſpexiſſe fatetur, ſeq; Dei ancillam, cum iam Mater Domini eſſet; appellat; cum bonorum ſuorū omnium præpotentem Deum auctorem prædicat, eiusq; ſanctitatem commendat. Voces deinde admonitiones ſunt ſuaues, quibus Deum timentibus diuinam miſericordiam à progenie in progenies affaturam proponit, vt ſpem ſuam omnem ſidenter in eum collocent. Tonitrua denique, quibus ſuperborum mentes concutit, verba ſunt, quibus commemorantur diuina iudicia: *Fecit*, inquit, *potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mẽte cordis ſui. Depoſuit potẽtes de ſede.* & iterum: *Et diuitias dimiſit inanes, &c.* Quare Gerſon ſuper Magnificat; cum myſteria, quæ in hoc ſacro Deiparæ Cantico continentur, perpenderet; exiſtimat de eo accipi illud pſal. 45. *Deus canticum nouum cantabo tibi in pſalterio decẽ chordarum pſallam tibi*; hoc. n. canticum verè nouum videtur pſalterium eſſe decem chordarum, cum decem verſibus conſtet; in quo Deipara, facta in ſuo vtero diuini Verbi incarnatione, ne diuina in ſe collata beneficia reticendo ingrata videretur, animi ſui exultationem declarat verbis illis diuinā bonitatem prædicando: *Magnificat anima mea Dominum:* & quæ ſequuntur, iuxta illud pſal. 65. *Venite, audite, & narrabo omnes, qui timetis Deum quanta fecit animæ meæ:* necnon de Satana hoſte truculentiſſimo deuicto carmen hoc gratulatorium ſuo, & totius generis humani nomine decantat; non ſecus ac olim Maria ſoror Moyſi demerſo Pharaone, & Iudith Holofernis capite præciſo, de hoſtibus diuina virtute ſuperatis, Canticum gratiarum actionis Domino cecinerunt.

In Cantico Magnificat virtutes Virginis elucent.

Admonitiones ſuaues, & terrificæ in Cantico Magnificat.

Gerſon.

Pſal. 45.

Pſal. 65.

Bonauentura quoque in ſpeculo B. Virg. cap. 7. docet B. Virginem per virtutes ſuas contra vitia tonare, eamq; ſignificari vult per mare, quòd virtutum omniū ſit pleniſſima, eiq; accommodat illud 2. Paral. 16. *Tonet mare, & plenitudo eius. Hoc*, inquit, *plenum mare audiamus contra vitia tonare; tonet contra luxuriam, caſtitatem proponendo, & dicat, Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? tonet contra ſuperbiam, humilitatem ſentiendo, & dicat, Ecce Ancilla Domini: tonet contra ingratitudinem, & dicat, Magnificat anima mea Dominum.* hæc Bonauentura. Cæterùm, vt de virtutibus Deiparæ, quarum conſideratio eſt apprimè vtilis, aliquanto vberius diſſeramus; reliquis omiſſis, quæ in hac acceptione de vocibus, ac tonitruis huius throni ſcribi poſſent; cum ea, quæ de his paulò ſuperius commemorauimus, ſatis eſſe videantur, circa fulgura, quibus virtutes ſignificatas diximus, diligentius inſiſtamus: & ſanè ex Deiparæ vita, verbisq; tot, tantaq; omnibus ad imitandum propoſita micant exempla virtutum, vt ex ea fulgura vbertim proficiſci non immeritò dicantur.

Bonauentura.

2. Paral. 16.

Luc. 1.

DEIPARA SVO EXEMPLO OMNES ILLVSTRAT.

QVare Hieronymus in prologo in Sophoniam cōmendatis nonnullis ex veteri teſtamento mulieribus, ſubiungit: *Taceo de Anna, & Eliſabeth, & cæteris Sanctis mulieribus, quarum velut ſyderum igniculos clarum Mariæ lumen abſcondit.* & Bernardus hom. 2. ſuper miſſus eſt, agens de Virgine: *Ipſa*, inquit, *eſt præclara, & eximia ſtella ſuper hoc mare magnum, & ſpatioſum neceſſariò ſubleuata, micans meritis, illuſtrans exemplis.* Propterea Ephræm orat. de Deip. ſic eam ſalutat: *Aue lumen lucidiſſimum, quo mundus illuſtratur.* & rurſum vocat Virginem *Luciferam*, quo etiam nomine eam appellat Cyrillus Alexādrinus libro de recta fide ad Reginas, quòd exemplorum lucem ex ſe proferat clariſſimam: quin etiam Ephræm iterum eam *lucernam clariſſimam* vocat. cui conſonat illud, quod cap. 9. multorum Patrum teſtimonio diximus, per candelabrum templi aureum eam figuratam; Lucerna enim, ſeu candelabrum accenſum non tantum ardore ignis, qui eſt ſymbolum charitatis, flagrat: verùm etiam lucis fulgore, quæ ſymbolum eſt tum doctrinæ, tùm exemplorum, alijs prælucet. quare Methodius in hypapantem eam vocat *fidelium facem*. Et S. Bonauentura in ſpeculo *B.* Virg. cap. 3. *Maria*, inquit,

Hieronymus.

Bernardus.

Ephræm.

Cyrillus Alexandrinus.

Ephræm.

Methodius.

S. Bonauentura.

est illuminatrix plurimorum per exempla lucidissimæ vitæ suæ: ipsa est, cuius vita gloriosa lucem dedit seculo: ipsa est, cuius vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias: ipsa enim est lucerna Ecclesiæ ad hoc illuminata à Deo, vt per ipsam contra tenebras mundi illuminaretur Ecclesia. Oret ergo Ecclesia, oret fidelis anima, & dicat, Psal. 17. *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine Deus meus illumina tenebras meas. Hanc verè lucernam Dominus illuminauit plenissimè, & per hanc illuminationem tenebras animarum nostrarum fugat, & fugauit. hoc benè sentiens* Bernardus. *Bernardus ait: O Maria tu virtutum tibi inditarum magnificis exemplis ad imitationem tui nos prouocas, sicq; nostram illuminas: qui enim vias tuas consectatus fuerit, non ambulat in tenebris, sed habet lucem vitæ.* hæc Bonauentura. Quo circa rectè dicere possumus MARIAM iuxta nominis etymologiam, sonare *stellam*, seu illuminatricem maris, non tantum quòd nauigantes in hoc mari magno procellis expósito dirigat: sed etiam quia illustrium exemplorum fulgore coruscat, omnesq; illuminat, & ad sui imitationem inuitat: ideoque Ecclesia de ea canit in quadam Antiphona: *Cuius vita inclyta*, ne dum priuatas personas, sed *cunctas illustrat Ecclesias*; & in quodam Responsorio: *Cuius vita gloriosa lucem dedit seculo.* Offic. Eccl.

Quæ agenda. Verùm, vt hac in re ordine procedamus, primùm de virtutibus Deiparæ generatim quid Patres protulerint referamus; deinde ad aliquot ex præcipuis singillatim descendamus.

DEIPARAE VIRTVTES PRAECLARISSIMAE.

2 QVòd autem spectat ad primum, Virginem Deiparam in omni virtutum genere claruisse cuncti Patres pleno ore testantur. Et quidem sanctus Ignatius in Epistola ad sanctum Ioannem Apostolum, rationem reddens cur vehementer expeteret videre, & coram affari sanctissimam Virginem adhuc in terris degentem, quam *cœleste prodigium, & sacratissimum vocat spectaculum* eius mores, animiq; virtutes, quas fama acceperat, sic graphicè describit. *Et quidem*, inquit, *notificauere eandem Matrem Dei omnium gratiarum esse abundantem, & omnium virtutum more Virginis, virtutis, & gratiæ fœcundam, quæ, vt dicunt, in persecutionibus, & afflictionibus est hilaris; in penuriis, & indigentiis non querula; iniuriantibus grata, & modesta in re lœta; miseris, & afflictis condolet coafflicta, & subuenire non pigrescit; contra vitiorum autem pestiferos conflictus in pugna fidei disceptans enitescit; nostræ nouæ religionis, & pœnitentiæ est magistra, & apud fideles omnium operum pietatis ministra; humilibus quidem est deuota, & deuotis deuotius humiliatur, & mirum ab omnibus magnificatur.* & infra: *Sicut nobis à fide dignis narratur, in Maria matre Iesu humanæ naturæ natura sanctitatis Angelicæ sociatur.* hæc S. Ignatius. S. Athanasius hom. de Deip. de eadem sic scribit: *Ita quoque Spiritus sanctus descendit in Virginem cum omnibus suis essentialibus virtutibus, quæ illi per rationem principatus diuini adsunt, imbuens eam in gratia, vt in omnibus gratiosa esset, atque idcirco gratia plena cognominata est, eo quod adimpletione Spiritus sancti omnibus gratijs abundaret.* sic Athanasius. Euseb. Emiss. Eusebius Emissenus in Euangel. de Annunc. *In aduentu*, inquit, *Angeli sola sedebat, nec tamen sola tanto virtutum exercitu circumscripta.* Chrysostomus hom. 4. in Matth. *Erat*, inquit, *Virgo per cuncta mirabilis, cuius animam decebat ab omni esse tumultu cogitationum immunem, quæ tanti electa est ministra mysterij.* Hieronymus epist. 22. ad Eustochium: *Propone tibi beatam Mariam, quæ tantæ extitit puritatis, vt Mater Domini esse mereretur.* Sophronius serm. de Assumpt. *Beatam*, inquit, *Dei genitricem si diligentius inspicias, nihil virtutis est, nihil speciositatis, nihil candoris, gloriæq; quod ex ea non resplendeat, & ideò bene circundant eã flores rosarum, & lilia conuallium, vt virtutes virtutibus fulciantur, & formositas decore castitatis augeatur.*

Athanasius. Chrysostomus. Hieronymus. Sophronius. Ambrosius.

3 S. Ambrosius lib. 2. de Virginibus, virtutes Deiparæ ex professo luculenter describit; verum ne nimis longum faciam, aliqua tantum ex eo excerpemus: *Sit vobis*, inquit, *tanquam in imagine descripta virginitas, vitaq; beatæ Mariæ, de qua velut in speculo refulget species castitatis, & forma virtutis. Hinc sumatis licet exemplavíuendi, vbi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis quid corrigere, quid effugere,*

Virtutes B. Virginis ex Ambrosio.

gere, quid tenere debeatis, oſtendunt. & infra: *Virgo erat non ſolùm corpore, ſed etiam mente: quæ nullo doli ambitu ſincerum adulteraret affectum: corde humilis, verbis grauis, animo prudens, loquendi parcior, legendi ſtudioſior, non in incerto diuitiarum, ſed in prece pauperis ſpem reponens: intenta operi, verecunda ſermone, arbitrum mentis ſolita non hominem, ſed Deum quærere; nullum lædere, bene velle omnibus; aſſurgere maioribus natu, æqualibus non inuidere, fugere iactantiam, rationem ſequi, amare virtutem.* & mox: *Nihil toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum; non geſtus fractior, non inceſſus ſolutior, non vox petulantior; vt ipſa corporis ſpecies ſimulacrum fuerit mentis, figura probitatis.* & mox: *Quid ego exequar ciborum parſimoniam, officiorum redundantiam; alterum vltra naturam ſuperfuiſſe, alterum penè ipſi naturæ defuiſſe? illic nulla intermiſſa tempora, hinc congeminatos ieiunio dies; & ſi quando reficiendi ſucceſſiſſet voluntas, cibus plerumque obuius, qui mortem arceret, non delicias miniſtraret; dormire non prius cupiditas, quàm neceſſitas fuit.* & infra: *Quæ inceſſu, affatuq; venerabilis non tam veſtigium pedis tolleret, quàm gradum virtutis attoleret.* & mox: *Maria ſic implebat omnia virtutis officia, vt non tam diſceret, quàm doceret: quid in ſingulis morer? vt eam parentes dilexerint, extranei prædicauerint, quæ digna fuit, ex qua Dei filius naſceretur.* & infra: *Talis fuit Maria, vt eius vnius vita omnium ſit diſciplina: ſi igitur auctor non diſplicet, opus probemus, vt quicumque ſibi eius exoptat præmium, imitetur exemplum? Quantæ in vna Virgine ſpecies virtutum emicant, ſecretum verecundiæ, vexillum fidei, deuotionis obſequium. Virgo intra domum, comes ad miniſterium, mater ad templum.* hactenus Ambroſius. Eadem ferè ad verbum Ildefonſus mutuatus ab Ambroſio habet ſermo. 3. de Aſſumpt. *Ildefonſus.*

Damaſcenus lib. 4. de fide orthodoxa cap. 15. *Maria*, inquit, *ad templum adducitur, atque deinde in domo Dei plantata, atque per ſpiritum ſaginata, inſtar oliuæ fructiferæ virtutum omnium domicilium efficitur, vt quæ videlicet ab omni huiuſce vitæ, & carnis concupiſcentia mentem abſtraxiſſet.* & paulò inferius: *Ad hunc igitur modum ſanctitatem conſectata, ſanctumq; & admirabile, ac ſummo Deo dignum templum exiſtit.* hæc Damaſcenus. Idem Damaſcenus orat. 1. de Natiu. Deipar. cum eadem loquens: *Tota*, inquit, *ſpiritus thalamus es, gratiarum pelagus; Tota pulchra, tota Deo propinqua; ipſa namq; Seraphinos ſuperans, ac ſupra Seraphinos euecta, propinqua Deo extitit.* & infra, Deiparæ mores commendare volens, tria illa expendit, ex quibus hominis ingenium facilè perſpicitur, iuxta illud Eccl. 19. *Amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enũciant de illo*: ad quæ etiam inter alia ſpectaſſe videtur Ambroſius ſupra citatus in Deiparæ virtutibus recenſendis. Itaq; Damaſcenus: *Saluto*, inquit, *te MARIA, dulciſſimum Annæ pignus. quonam modo grauiſſimum tuum inceſſum exprimam? quonam modo amictum? quonam modo oris tui venuſtatem, ſenilem in iuuenili corpore prudentiam? honeſtus veſtitus, mollitiem omnem, ac luxum fugiens; greſſus grauis, ac ſedatus, atque ab omni mollitie remotus; mores ſeueri, atque hilaritate temperati: ita comparata eras, vt ad te nullus viris acceſſus pateret. Teſtis eſt metus ille, in quem ex inuſitato Angeli alloquio incidiſti. Parentibus morigera, & dicto audiens; Animus humilis in ſublimiſſimis contemplationibus: ſermo iucundus ex leui animo progrediens: denique quid aliud, quàm Dei domicilium? meritò te beatam prædicant omnes generationes, vt eximium humani generis decus.* huc uſque Damaſcenus. *Damaſcenus. Sanctitas Virginis in templo ex Damaſceno. Eccleſ. 19. Ambroſius. Luc. 1.*

4 Anſelmus de excellentia Virginis cap. 3. *Nata igitur ſancta Virgo, & infantiles annos exuta, quàm caſtè, quàm ſanctè, quàm dignè vitam inſtituerit, & inſtitutam egerit, quis vel cogitatu, non dicam dictu, queat coniecturare? Nulli denique dubium caſtiſſimum corpus, & ſanctiſſimam animam eius funditus ab omni fuiſſe macula peccati iugi Angelorum cuſtodia protectam; vtpote aulam, quam ſuus, & omnium creator Deus corporaliter inhabitaturus, & ex qua hominem in ſuæ perſonæ vnitate ineffabili fuerat operatione ſuſcepturus.* ita Anſelmus. *Anſelmus. Luc. 1.*

S. Bonauentura in meditationibus vitæ Chriſti cap. 3. præclara de virtutibus beatæ Virginis dum eſſet in templo refert, ex quibuſdam reuelationibus ab eadem Deiparæ factis, vt ipſe exiſtimat S. Eliſabeth; & inter alia: *Surgebam*, inquit *ſemper in noctis medio, & pergebam ante altare templi, & ibi omni affectu petitiones meas Deo præſentabam*, *S. Bonauentura Virtutes Virginis ex Hieronymo quid.*

Hieronymus. quas ibi fusè Bonauentura ex eadem reuelatione perſequitur: deinde ex Hieronymo Bonauentura temporis diſtributionem, qua vtebatur Deipara refert his verbis: *Beatus Hieronymus ſic ſcribit, hanc ſibi regulam B. Virgo ſtatuerat; vt à mane, vſque ad horam tertiam orationibus inſiſteret; à tertia, vſque ad nonam externo opere ſe occuparet; à nona verò iterum ab oratione non recedebat, vſque dum illi Angelus appareret, de cuius manu eſcam accipere ſolebat, & melius in Dei opere, & amore proficiebat:* & cum plures eius virtutes eximias ſingillatim recenſendo commendaſſet, quas breuitatis ſtudio omittimus; quippe quæ in ijs, quas Ambroſius, & alij ſupra citati commemorant, ferè continentur, ſubijcit: *Et erat ſollicita circa ſocias ſuas, ne aliqua ex eis in vllo ſermone peccaret, ne aliqua in riſu vocem ſuam exaltaret, ne aliqua iniurias, aut ſuperflua contra parem ſuã exerceret: ſine intermiſſione benedicebat Deũ, & ne forte in ſalutatione ſua à Dei laudibus tolleretur: ſi quis eam ſalutabat, illa pro ſalutatione ſua, DEO GRATIAS, dicebat. De eſca, quam de manu Angeli accipiebat, ipſa reficiebatur: quam verò à Pontificibus templi accipiebat, pauperibus erogabat; quotidie videbatur ei Angelus loqui, & quaſi chariſſimæ ſorori, vel matri obtemperabat.* hæc omnia ex Hieronymo refert Bonauentura. & ante eum Vincentius Beluacenſis in ſpeculo hiſtoriali lib. 6. cap. 66. Hoc ipſum de diſtributione illa temporis ex eodem Hieronymo afferunt Petrus de Natalibus in Catalogo Sãctorum lib. 8. cap. 51. & Iacobus de Voragine in vitis Sanctorum in Natiuitate B. Virginis. & Sabellicus lib. 2. exemplorum cap. 4. & 9. & lib. 3. cap. 4. Sanctus quoque Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 6. in ſexta conditione affirmat illud de ſollicitudine Deiparæ circa ſodales ſuas, *Ne qua Deum offenderet, ſed vt eum ſemper laudarent, & vt à verbis otioſis abſtinerent, eamq; cum vocabatur, reſpondere ſolitam, DEO GRATIAS; vt & illud modicum verbum nõ eſſet ſine Dei laude.* ita S. Antoninus. S. Thomas opuſc. 8. eleganter hac de re ſic habet: *Alij*, inquit, *Sancti ſpecialia quædam opera virtutum exercuerunt, quia alius fuit humilis, alius caſtus, alius miſericors: & ideò ipſi dantur in exemplum ſpecialium virtutum; ſicut B. Nicolaus in exemplum miſericordiæ, &c. Sed B. Virgo in exemplum omnium virtutum, quia in ea reperis exemplum humilitatis, Luc. 1. Ecce Ancilla Domini; & poſt, Reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ: caſtitatis, quoniam virum non cognoſco, & omnium virtutum, vt ſatis patet.* hæc S. Thomas.

Beluacenſis.

Petrus de Natalibus.

S. Antoninus.

S. Thomas.

Deipara exemplar omnium virtutum.

Luc. 1.

Maria dicitur templum Domini.

§ S. Antoninus 3. par. tit. 31. cap. 4. §. 2. cum oſtendiſſet Deiparam per templum Salomonis ſignificari, pulchrè ea, quæ in templo erant eius virtutibus accommodat: *Abundantia*, inquit, *gratiæ, & virtutum Deiparæ in templo ipſo figurata fuit; Nam in medio eius, in loco, qui dicitur, Sancta, erat ibi ex vno latere menſa aurea cum duodecim panibus propoſitionis; ex alio latere altare aureum thimiamatis, & thuribulum aureum, ac etiam candelabrum aureum cum ſeptem lucernis; velum quoque, quod diuidebat ſancta ſanctorum, quadricolore: Sic in templo mentis Virginalis fuit menſa fidei perfectiſſimæ duodecim articulorum deſignatorum per panes: fuit & altare aureum ſummæ dilectionis cum thuribulo ſpeciali, vnde fumus aromatum, ideſt deuotiſſimarum orationum, & contemplationum aſcendebat ad cælum; candelabrum quoque gratiæ ſeptem donorum Spiritus ſancti; virtutes quoque Cardinales deſignatæ per velum quatuor colorum: ſecundum Magiſtrum, in 3. ſent. vtique fuerunt in ea Prudentia, Fortitudo, Iuſtitia, & Temperantia.* hæc S. Antoninus.

S. Antoninus. 3. Reg. 6.

Magiſter ſententiarum.

Sophronius. Bernardus. Explicatio Verſiculi, & ſicut dies verni circundabant eam flores roſarum, & lilia conuallium.

Eccleſia quoque in die Aſſumptionis crebrò repetens Verſiculum illum ante multa annorum ſecula, teſte Sophronio, qui ætate Hieronymi vixit, ſermone de Aſſumptione: & Bernardo ſermone Signum magnum, de ſanctiſſima Virgine cantari ſolitum: *Et ſicut dies verni circundabant eam flores roſarum, & lilia conuallium:* eleganter indicat tùm pulchritudinem, & ſuauitatem; tùm etiam fragrantiam, & copiam virtutum Deiparæ, eiusq; meritorum, quæ comparantur roſis, ac lilijs, Verni præſertim temporis, quo exoriuntur, & propter aſperitatem præteritæ hyemis ſunt gratiora: eius enim virtutes, ac merita, vel ad ſanctitatis innocentiam profunda humilitate auctam, vel ad ſui mortificationem reuocantur, & idcirco candentibus Lilijs conuallium, in quibus magis creſcũt, & rubẽtibus Roſis exprimũtur. His porrò virtutum floribus (quarum aſſiduam exercitationem immenſi eius erga Deum amoris minimè otioſi languor exigebat) vbertim ſe circũdari poſtulabat Cãt. 2. cũ diceret: *Fulcite me floribus ſtipate me malis, quia amore lãgueo.*

Cant. 2.

Scio

Scio Sophronium loco citato paulò aliter hunc verſiculum explicare, cum dicit ad fragrantiam odoris Dei genitricis in eius Aſſumptione omnem illam Cœleſtem Ieruſalem decurriſſe: *Et Virginem beatiſſimam circundabant*, inquit, *flores roſarum, & lilia conuallium, eo quod omnes animæ martyrio rubricatæ eam æternæ dilectionis complectuntur amplexibus, ac virginitatis ſplendore candidatæ, ac ſi lilia in valle humilitatis enutritæ circundant eam venerationis gratia obſequentes.* Cuius rationem aſſignat, quia Deipara martyr, & Virgo fuit, quamuis in pace vitam finierit; & infra: *Fuit*, inquit, *plena charitate, & dilectione; ideò ſequitur eam purpuratorum exercitus, & candidatorum grex. Quam ſi diligentius aſpicias, nihil virtutis eſt, nihil ſpecioſitatis, nihil candoris, gloriæq; quod non ex ea reſplendeat; ideoq; bene circundant eam flores roſarum, & lilia conuallium, vt Virtutes virtutibus fulciantur, & formoſitas decore caſtitatis augeatur.* ſic ille. Cæterùm hæc ipſa Sophronij interpretatio tandem eodem cum noſtra recidit; ideo enim martyres, & virgines Deiparam glorioſam ſtipare tradit, quod earundem virtutum dilectionis, mortificationis, & virginitatis meritis, quibus illi præſtant, & ipſa præfulſerit. *Sophronius.*

6 AT rogabit quiſpiam, quasnam virtutes Deipara diuinitus infuſas acceperit; & an eius virtutes fuerint heroicæ. Ad primum dico, Deiparæ in ſua immaculata conceptione collatas eſſe cum gratia iuſtificante omnes virtutes, quas Theologi vocãt per ſe infuſas, & omnia Spiritus ſancti dona; quod facilè ex ijs, quæ Sancti ſupra allati docent, colligitur, & rectè probat Suarez tom. 2. in 3. par. diſput. 8. ſect. 2. non tamen habuit cõtinentiam, quæ imperfectionem heroicæ virtuti contrariam inuolait, vt infra dicemus; vbi etiam agemus, quomodo pœnitentiæ virtutem Virgo ſanctiſſima abſque vllo perfectæ innocentiæ præiudicio accepiſſe potuerit. In eodem quoque ſuę conceptionis exordio virtutes omnes morales, etiam quas dicunt per accidẽs infuſas, eidem ſunt tributæ; tùm quia primis parentibus, ex Suarez loco citato, fuerant infuſæ, quare & Deiparę non ſunt negandæ; tùm etiam, quia fomes in eius conceptione fuit extinctus vt cap. 7. diximus; eiusq; appetitus perfectiſſimæ ordinatus, ita vt nullum concupiſcentię motum ſenſerit; quod accommodatiſſime fit per virtutes ſuo genere acquiſitas, & connaturales: hæ enim noſtros affectus moderantur; Virtutes enim per ſe infuſæ, vt ait Suarez loco citato, cum ſint altioris ordinis, facilè paſſiones effrenatas compatiuntur. *Quasnam virtutes infuſas acceperit Deipara.* *Suarez.* *Accepit virtutes per accidens infuſas.*

VIRTVTES DEIPARAE HEROICAS FVISSE.

AD illud verò de virtutibus heroicis, ſuppono ex doctrina S. Thoma in 3. par. q. 7. art. 2. ad 2. habitum illum heroicum, vel diuinum, de quo Ariſtotiles in lib. 7. Eth. cap. 1. non differre à virtute communiter dicta, niſi ſecundum perfectiorem modum, in quantum ſcilicet aliquis eſt diſpoſitus ad bonum altiori quodam modo, quam communiter omnibus competat; & hinc S. Thomas concludit Chriſtum Dominum habuiſſe quidem virtutes, ſed perfectiſſime vltra communem modum, ac proinde heroicas; addit q; Plotinum poſuiſſe quendam ſublimem modum virtutum, quas dixit eſſe animi purgati. ſic ille. Ex quibus conſtat heroicam virtutem differre à virtute communiter dicta, non quidem materia, & ratione formali; cum ſub eodem motiuo ad idem obiectum tendat, ſed eximio quodam gradu perfectionis, quem connotat; vt ſcilicet parum, vel nihil habeat de admixtione vitij oppoſiti, nec rerardetur per paſſionem inordinatam inſurgentem in appetitu; ſed expedita ſit, ac facilis ad perfectum virtutis actum eliciendum. Quocirca S. Thomas 1. 2. q. 54. art. 3. vult virtutem heroicam diſponere ad actum conuenientem cuidam ſuperiori naturæ ſupra humanum modum, & in 1. 2. q. 68. art. 1. ad 1. & ſuper Matthæi cap. 5. docet merita virtutis heroicæ eſſe, vel actus donorum Spiritus ſancti, vel actus virtutum, ſecundum quod perficiuntur à donis. His poſitis huic petitioni de Deipara Supplementum Gabrielis in 4. diſtin. 49. queſt. 8. art. 3. dub. 2. ita reſpondet: *Has*, inquit, *virtutes heroicas habuit Virgo MARIA, nimirum in ſummo, & quadam eminentia ſpeciali: omnes enim virtutes fuerunt in ea intenſiſſimæ, & perfectiſſimæ, quia heroicæ: & modo nobiliſſimo; quia infuſæ à Deo, vt multi volunt: & in nullo prorſus impeditæ, ſed Dei gratia ſtabilitæ, & firmatæ.* hæc ſupplementum Gabrielis. *Quid ſint virtutes heroicæ, quas habuit Deipara.* *Ariſtotiles.* *S. Thomas.* *Plotinus.* *Supplementum Gabrielis.*

VIR-

VIRTVTES THEOLOGICAE, QVAE IN DEIPARA REFVLGENT.

Virtutes Virginis multipliciter significata.

7 SEd veniamus iam ad Deiparæ virtutes singillatim explicandas; hoc enim erat alterum quod initio huius capitis tractandum proposuimus. Et quidem si omnes, easq; præclarissimas, atque innumeras sanctissimæ Virginis virtutes, quæ ex sacra Euangeliorum historia colliguntur, expendere velimus, in immensum profectò opus excresceat: nec verò id necessarium duxi, cùm in hoc opere sparsim de earum plerisque nobis plenius

Franciſ. Arias.

agendum sit; & noster Franciscus Arias in libro de imitatione Virginis eas piè, ac luculenter exequatur; nõnullas tamen ex præcipuis, quæ in ea veluti fulgura ex diuino throno emicant, hoc loco enucleatius proponere opere pretium me facturum existimaui. Et vt à fide, spe, & charitate, (quæ reliquis antecellunt propter obiectum suum formale nobilissimum, circa quod versantur, quod est Deus, à quo & theologicarum nactæ sunt nomen) exordiamur: Deipara inter alias heroicas, quibus claruit virtutes, ijs in primis prædita fuit; Nam in charitatis intensione, ac perfectione, siuè Angelos spectes, siuè homines, vni Christo secunda fuit; quod ex immensitate eius gratiæ, qua, vt in superioribus præsertim cap. 13. vidimus, si Christi animam excipias, Deipara cæteris omnibus longè, multumq; præstat, liquidò apparet. Charitas verò ex D. Thoma 2.2.q.8. art.4. & q.24.art.12.ad 5. si non est idem re ipsa cum gratia, at saltem eandem inseparabiliter comitatur: & sanè qua proportione augetur gratia, eadem cresci t, & charitas. Fides verò, & spes, licet propter imperfectionem beatitudini repugnantem, quam includunt, in Christo, qui semper fuit comprehensor, locum non habuerint; in Deipara tamen, quæ viatrix erat, ijsq; egebat, fuerunt: sed illa eas in gradu perfectissimo suæ gratiæ proportionato accepit.

De fide, spe, & charitate Deiparæ.

Charitas Deiparæ perfectiſſima.

S. Thomas.

S. Thomas.

Quare si sermo sit de fide, ac spe, quibus non tantum homines fideles, sed etiã Angeli ante suam beatitudinem ex D. Thoma in 2.2.q.51.art.1. præditi fuere, Deipara certè in fidei, & spei magnitudine, ac perfectione omnium prima simpliciter, & absolutè est censenda; cùm Christus Dominus, qui semper fuit comprehensor, fidem, quæ est de non visis; & spem, quæ est de beatitudine non habita, nequaquam habuerit; vt docet S. Thomas 3.par.q.7.art.3.& 4. Hinc fit, vt Deiparæ ab Ecclesia identidem in Ecclesiastico officio accommodetur illud Eccl.24. *Ego mater pulchræ dilectionis, timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. Quoniam*, inquit S. Antoninus 4.par.tit.15.cap.17.§.3. *in dicta auctoritate notantur tres illæ virtutes theologicæ, quas Virgo non solum in se habuit in mente, earumq; actus produxit, & in alijs procurat. Charitas enim notatur ibi (Pulchræ dilectionis) vnde procedit timor reuerentialis. Fidei ibi (Agnitionis) per eam enim habetur cognitio de necessarijs ad salutem (& sanctæ spei) quod dicitur ad excludendam vanam spem.* hæc S. Antoninus; verùm de singulis hisce virtutibus aliquid breuiter perstringamus.

S. Thomas.

Eccl. 24.

S. Antoninus.

Fides Deiparæ.

Luc. 1.

Irenæus.

Auguſtinus.

Sanè Deiparæ fides à S. Elisabeth tantopere illis verbis laudatur: *Beata*, inquit, *quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino*: de hac fide Irenæus lib. 3. contra hæreses cap.33. *Quod Virgo*, inquit, *Eua ligauit per incredulitatem, hoc Virgo Maria soluit per fidem.* Augustinus lib. de sancta Virginit. *Beatior*, inquit, *Maria percipiendo fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi.* & mox: *Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde, quàm carne gestasset.* Idem sermone 18. de sanctis: *Eua*, inquit, *percussit, Maria sanauit, pro inobedientia enim obedientia commutatur, fides pro perfidia compensatur.* & iterum: *Circundat*, inquit, *virum Maria Angelo fidem dando, quia Eua perdidit virum serpenti consentiendo.* & serm.17. de Natali: *Fides Mariæ cœlum aperuit cum Angelo nuncianti consensit.* hæc Augustinus. Bernardus quoque sermone signum magnum, miris laudibus effert huius fidei magnitudinem, quam Deipara in Christi Incarnatione cum tanta humilitate coniunctam præstetulit; ita vt altera alteram non minueret, sed potius illustriorem redderet: *Ineffabili*, inquit, *artificio Spiritus superueniens tantæ humilitati magnanimitas tanta credulitatis in secretario virginei cordis accessit, quod videlicet, nec humilitas tanta minuit magnanimitatem; nec magnanimitas tanta humilitatem, sed cum in sua æstimatione tam humilis esset, nihilominus & in promissionis credulitate magnanimis; vt quæ nihil aliud, quàm exiguam se se repo-*

Bernardus.

Ierem. 31.

reputabat ancillam, ad incomprehenſibile hoc myſterium, & admirabile commercium, ad inſcrutabile ſacramentum nullatenus ſe dubitaret electam, & veram Dei, & hominis genitricem crederet mox futuram. hæc Bernardus, qui hac occaſione plura ad mores pulchrè ſubinfert, docetq́; in electis ex Dei gratia fieri, vt eos nec humilitas puſillanimes, nec magnanimitas faciat arrogantes. Abulenſis paradoxo 1. cap. 30. in Deipara fidei præſtantiam ex alio capite expendit: *Gabriel,* inquit, *legationis ſuæ verba propoſuit, Domina noſtra firmiter tenuit, hoc Deo operante ſine vlla difficultate perfici poſſe, licet conceptum virgineum omnis naturalis virtutis terminos excedere liquidiſſimè cognoſcebat, conſenſit autem tanquam verè obediens fieri matrem Dei, in quo multæ laudis digna extitit captiuando omnem intellectum in obſequium fidei, ſicut ait Apoſtolus 2. Cor. 10.* hæc Abulenſis. *Abulenſis.* *Luc. 1.* *2. Cor. 10.*

8 Propterea Ildefonſus ſerm. 4. de Aſſumptione, Deiparam vocat fide perſpicuam. Nam, vt rectè Ambroſius lib. 2. in Lucam, expendens verba illa: *Quomodo fiet iſtud, &c. Liquet,* inquit, *quod faciendum eſſe crediderit, quæ quomodo fieret, interrogauit, vnde, & meruit audire: Beata quæ credidiſti. & verè beata, quæ Sacerdote Zacharia præſtantior, cum Sacerdos negaſſet, Virgo correxit errorem. Nec mirum ſi Dominus redempturus mundum operationem ſuam inchoauit à matre, vt per quam ſalus omnibus parabatur, eadem prima fructum haberet ex pignore; & bene quæſiuit quomodo fieret: legerat enim quia Virgo conciperet, ſed non legerat quomodo generaret: tanti namq́; mandati myſterium non hominis fuit, ſed Angeli ore promendum: hodie primùm auditur, & creditur, Spiritus ſanctus ſuperueniet in te.* hæc Ambroſius. Idem ſuper illa verba S. Eliſabeth: *Beata quæ credidiſti: Vides,* inquit, *Mariam non dubitaſſe, ſed credidiſſe, & ideò fidei fructum conſecutam.* ſic ille. & Auguſtinus lib. 16. de Ciuit. cap. 24. *Non eſt,* inquit, *Virginis Mariæ diffidentia, quod ait, Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco. Quod enim futurum eſſet, certa erat; modum quo fieret inquirebat, & hoc cum quæſiſſet audiuit, Spiritus ſanctus ſuperueniet in te.* ſic ille. Deipara quoque fidem tempore Dominicæ paſſionis veluti in nocte tribulationis, & anguſtiæ ſibi propter filij compaſſionem nimis tenebroſa, ſolidam, atque ardentem ſeruauit; quod ſatis oſtendit dum filio in cruce ſuffixo fortiter aſtitit: neque eius crucem erubuit domi ſe abdendo, ſed palam in publicum prodijt, & vt Chriſti paſſionibus magis communicaret, illum ſecuta ſtabat iuxta crucem eius: Cùm cæteris autem mulieribus ad vngendum corpus eius (quem firma fide tertia die reſurrecturum credebat) nequequam acceſſit, vt propterea Prou. 31. de muliere illa forti (qua cap. 4. Deiparam ſignificari indicauimus) dictum ſit: *Non extinguitur in nocte lucerna eius;* in cuius rei memoriam in officio hebdomadæ ſanctæ reliquis candelabri triangularis candelis extinctis, vna accenſa remanet, quæ in Deipara fidem reſurrectionis explicitam perpetuò inconcuſſam ſignificat, quod plenius cap. 11. explicauimus, & ex eiuſdem fidei magnitudine factum eſt, vt ſumma animi fortitudine, atque conſtantia Chriſto cruci affixo abſque vlla animi, vel corporis conſternatione præſens aſtiterit, licet eius animam doloris gladius, iuxta Simeonis vaticinium pertranſierit. *Ildefonſus.* *Deipara fide perſpicua.* *Ambroſius.* *Auguſtinus.* *Prou. 31.* *Offic. Eccleſ.* *Luc. 2.*

Hanc verò Deiparæ fidem tempore dominicæ Paſſionis eleganter colligit S. Thom. in Iſaiam ſuper verba illa cap. 63. quæ ex perſona Chriſti de ſua cruce proferuntur: *Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum,* ſcilicet *in auxilium,* inquit S. Thom. *quia tempore paſſionis eo relicto omnes fugerunt, & dicit ſignanter (vir) propter Beatam Virginem, in qua nunquam fides defecit. Cant. 1. Bothrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* hæc S. Thomas. Abulenſis paradoxo 1. cap. 31. Deiparæ fidem extollit: *Quod præ omnibus Apoſtolis paſſionis Dominicæ tempore firmiter in ea ſine vlla,* inquit, *ſcrupuloſa hæſitatione permanſerit, ideo quantum ad iſtam fidem Domina noſtra ſingularibus laudibus titulatur, ſolaq́; præconijs miris attollitur, & ponitur tanquam CAPVT omnium credentium.* ſic Abulenſis. *Iſa. 63.* *S. Thom.* *Abulenſis.*

Virtus porrò ſpei in Deipara perfectiſſimè fuit, quod probat S. Antoninus loco citato; tùm quia beatiſſima Virgo perfectiſſima charitate prædita erat; quæ, vt auctor eſt D. Thomas 1. 2. q. 62. art. 4. cùm ſit omnium virtutum mater, nunquam eſt ſine alijs virtutibus tanquam filiabus ſuis; tùm etiam, quia *cùm ſpes,* inquit S. Antoninus, *ſit certa expectatio futuræ beatitudinis ex gratia, & meritis proueniens ſecundum Magiſtrum* *Deiparæ ſpes.* *S Tho. 1. 2. q. 62. art 4. & 2. 2. q. 17. art. 1. ad 2.* *S. Antoninus.* *Magiſter ſententiarum.*

in

in 3.ſentent.diſtin.24. alij ſancti, & ſanctæ, qui certitudinem ſcientiæ non habent de meritis ſuis,& gratia, ſed per coniecturas,ideo nec certam expectationem habent de ſua beatitudine, ſed conditionalem,ſi habeant gratiam, & merita: ſed beata Maria erat certa ſe eſſe gratia plenam,vnde & certa de ſua beatitudine,quam expectabat, & propter perfectam & abundantem ſpem,dicitur Eccleſ.24.in perſona eius, Ego mater pulchræ dilectionis,timoris,agnitionis,& ſanctæ ſpei. hucuſque S.Antoninus.

Eccl. 24.

Et licet ſpes quod ſpectat ex parte Dei propter ſuam omnipotentiam, & miſericordiam,qua poteſt,& vult omnes homines ſaluos fieri,ſit certa; admiſcetur tamen timor, propter illud, quod eſt ex parte noſtra: propterea enim monebat Apoſtolus Hebr. 12. *Contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei,* & Philip.2. *Cum metu,& tremore veſtram ſalutem operamini;* quæ teſtimonia ſacrum Concilium Tridentinum ſeſſ.6. cap. 13. ad hoc oſtendendum affert: *Neſcit enim homo* (teſte Salomone Eccleſ.9.) *vtrum amore, an odio dignus ſit*. At verò Deiparæ ſpes cum ex intima diuinæ bonitatis notitia, & ex cognitione, qua ſe in gratia confirmatam eſſe nouerat, procederet: idcirco abſque vllo timore admixto erat præſtantiſſima.

Hebr. 12. Philip. 2. Conc.Trid. Eccl. 9.

9 Nec ſolùm virtus ſpei in Deipara fuit eximia,verùm etiam ipſamet propter eius efficaciſſimam apud filium interceſſionem, & maternam, quam de nobis gerit curam,ſpei noſtræ magna pars dicitur.quare in precatione illa Eccleſiæ, cuius initium eſt: *Salue Regina*,ei dicimus, *& SPES noſtra ſalue:*& meritò,nam Eccleſ.24.non tantum ex ipſius perſona dicitur: *Ego Mater ſanctæ ſpei:* verùm etiam & illud, *In me*,inquit,*omnis SPES vitæ,& virtutis;* ideoq; ſibi peculiariter deuotos ad ſe inuitat illis verbis,quæ proximè ſubnectuntur: *Tranſite ad me omnes,qui concupiſcitis me,& à generationibus meis,* (hoc eſt à filio meo,quem genui) *implemini: Spiritus enim meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel,& fauum.* & S.Auguſtinus ſermone 18. de Sanctis,quem Eccleſia in Breuiario legit die 9. Septembris. hæc ad Deiparam verba habet: *Accipe quod offerimus,redona quod rogamus,excuſa quod timemus,quia tu es SPES vnica peccatorum, per te ſperamus delictorum veniam,& in te beatiſsima noſtrorum eſt expectatio præmiorum.* hæc ibi. Epiphanius verò orat. de laud.Virg. *MARIAM*, inquit, *interpretari ſolemus Dominam,atque SPEM; peperit enim Dominum,qui eſt SPES totius mundi,nempè Chriſtum*. hæc Epiphanius. Ad hæc ſi ex Apoſtolo ad Roman. 15. *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò ſpem:* facile colligere poſſumus præſtantiam ſpei,qua prædita fuit Deipara,cùm (vt omittam cætera, quæ in tota ſua vita inuicta fortitudine tolerauit) in paſſione certè filij ex eiuſdem compaſſione, vt cap. 10. & 11.oſtendimus,tot,tantaq; admirabili patientia,atque conſtantia propter Deum ſingulariter pertulerit.

Offic. Eccl. Eccl. 24. Auguſtinus. Epiphanius. Rom. 15.

Quoniam autem ſpes,quàm Apoſtolus Hebr. 6. *Anchoram animæ tutam, ac firmam* vocat,quòd animam inter inquieti huius mundi fluctus inſtar anchoræ in Deo firmam reddat,in eodem Deo fundatur,ac nititur: ideò pſal. 32. in nomine ſancto eius ſpem ſuam ſe collocaſſe profitetur Dauid, & pſal. 39. Beatus eſſe pronunciatur vir ille, *cuius eſt nomen Domini ſpes eius:* At verò hoc nomen Domini, in quo ſpes noſtra eſſe perhibetur Prou.18.dicitur *Turris fortiſsima;* quod eos,qui ad ſe confugiunt,exaltet,protegat,ac tutos efficiat,eisq; vires ad reſiſtendum dæmoni conferat,iuxta illud Iſa.40. *Qui ſperant in Domino mutabunt fortitudinem,aſſument pennas ſicut Aquilæ; current, & non laborabunt; ambulabunt, non deficient.* Hinc fit,vt Deiparæ ſpes rectè per Turrim eburneam Cant. 7. ſignificetur illis verbis: *Collum tuum ſicut Turris eburnea:* quemadmodum enim collum capiti proximè vnitur,ita Deiparæ ſpes Deo,in quo nitebatur tot nominibus coniunctiſſima fuit; aſſimilatur verò hoc collum turri ex ebore, quod candore, & ſoliditate maximè conſpicuum eſt,vt ſpei eius ad Deum munitiſſima, & eximia celſitudo inſtar turris; innocentiæ quoque,& puritatis candor,atque in innocentiæ puritate ſtabilitas,quæ ad ſpem maximè roborandum conferunt,inſtar eboris indicentur: hac.n. vitæ ſanctimonia Deipara à vana illa ſpe,& præſumptionis vitio quàm remotiſſima fuit: præſumptio ſiquidem,qua quis exempli cauſa gloriam ſine meritis conſecuturum ſe ſperat,vel alia ratione inaniter præſumit ex D.Thom.2.2.q.21.art.3.& 4. aducrſatur ſanctæ ſpei,cuius Deipara matrem ſe Eccl.24.profitetur.

Hebr.6. Pſal. 32. Pſal. 39. Prou. 18. Iſa. 40. Deipara eſt turris eburnea. Cant. 7. S. Thom.

Chari-

10 Charitas verò Virginis beatiſſimæ, qua erga Deum, & proximum mirificè flagrabat, varijs typis in ſacris litteris adumbratur; ſignificatur enim per candelabrum templi aureum ſeptem lucernis ardentibus inſtructum: Per aurum mundiſſimum, quo arca intus, & foris erat deaurata; Per aurum item fuluum nimis throni Salomonis eburnei; Per coccum bis tinctum ad cortinas Tabernaculi, Sacerdotisq; veſtes conficiendas adhibitum: hæc enim eximia Deiparæ charitas de qua cap. 9. plenius diſſeruimus, veluti Dei vexillum in eius anima eminebat, iuxta illud Cant. 2. *Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem;* vox enim illa hebraica (*ordinauit charitatem*) idem eſt, ac ſi latinè dici poſſet: *Vexillauit charitatem;* quo verbo ſignificat charitatem in ſe tanquam Dei vexillum erectam, per quam ipſa oſtendebatur eſſe ipſius Dei, cuius vexillum in ſe leuatum gerebat: per hanc etiam perpetuò parata erat ad Dei voluntatem exequendam, non ſecus ac fideliſſimi milites ſub vexillo Regis dilectiſſimi conſtituti ad ſubita imperia prompti. Huius porrò, qua Deipara in Deum flagrabat, dilectionis eximiam magnitudinem, & pretium ineſtimabile, Methodius oratione in hypapantem, Theſauri metaphora aptè indicaſſe videtur, cum eandem illis verbis affatur: *Salue dilectionis Dei theſaure.* & S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 24. agens de Proceſſione, quæ in Eccleſia fit in honorem Deiparæ: *In die Purificationis,* inquit, *candelas accenſas geſtamus in manibus, lumen ardentiſſimæ charitatis Virginis deſignantes, & eam in noſtris operibus habere proteſtantes:* hæc ille. Quare S. Bernardinus tom. 2. ſerm. 51. art. 3. cap. 2. *Virgo,* inquit, *ſemper habuit continuum aſpectum ad Dei beneplacitum, promptumq; conſenſum, ſemper gerebat in mente beneplacita diuina adimplere.* ita S. Bernardinus. Et S. Bonauentura in ſpeculo cap. 4. eleganter præſtantiam charitatis Deiparæ erga Deum ex verbis illis: *Magnificat anima mea Dominum,* ab eadem Deipara prolatis, ſic probat: *Anima,* inquit, *quod amat, hoc magnificat, & in hac exultat: idcirco anima MARIAE Deum decentiſſimè magnificauit, & in Deo firmiſſimè exultauit, quia Deum excellentiſſimè amauit:* de cuius amore Hugo de ſancto Victore: *Quia, inquit, in corde eius amor Spiritus ſancti ſingulariter ardebat, ideò in carne eius virtus Spiritus ſancti mirabilia faciebat.* hæc Bonauentura, eandem Hugonis ſententiam citat S. Thom. opuſc. 8. Atque hæc de Deiparæ virtutibus theologicis.

Deiparæ charitas. Exod. 25. 3 Reg. 10. Exod. 26. Cant. 2. Methodius. S. Antoninus. S. Bernardinus. S. Bonauentura. Luc. 1. Hugo de ſancto Victore. S. Thomas.

VIRTVS RELIGIONIS IN DEIPARA.

11 SEd vt nonnullas ex reliquis Deiparæ virtutibus percurramus, initium ducemus à Religione, quæ hominem ad diuinum cultum ordinat, quam Ambroſius ſub deuotionis nomine lib. 1. de Abraham Patriarcha cap. 2. teſtatur virtutem eſſe ordine primã, & cæterarum fundamentum, meritoq; Deum eam ab Abraham primam exegiſſe, cum dixit: *Exi de terra tua, & cognatione tua, & de domo patris tui.* quamq; D. Thomas 2. 2. q. 81. art. 6. inter alias virtutes morales præeminere affirmat. Huius verò Religionis inſigne exemplar Deipara omnibus dedit, cum tertio ſuæ ætatis anno ad templum præſentata, & à parentum diuulſa gremio, diuino obſequio mancipata eſt, ibiq; infantiæ, ac pueritiæ ætatem ſpiritualibus rebus vacans, in ſanctis ſanctorum, vt ſupra diximus, traduxit religioſiſſimè: quod vberius cap. 8. oſtendimus. qua in re dum relicta parentum domo à ſeculari ſtrepito aliena, in Templo vni Deo vacat, vitæ etiam religioſæ ſpecimen quoddam nobis exhibuit, vt cap. 37. dicemus, vbi eam caſtitatem, paupertatem, & obedientiam, quæ ad tria religionis vota ſpectant, ſanctiſſimè coluiſſe oſtendemus & ex Carthuſiano 1. ſentent. diſt. 16. q. 2. poſt filij Aſcenſionem illud fœliciſſimum collegium centum viginti Virginum eius obſequio, & regimini deputatarum ſapienter inſtruxiſſe referemus, quod in eodem capite trigeſimoprimo admodum veriſimile fuiſſe, vberius demonſtrabimus. Nec minus eius in Deum Religio, atque pietas enituit in ſolicita Chriſti Dei, & hominis educatione, & obſequijs erga eundem, vſque ad eius crucem cui forti animo præſens aſtitit, exhibitis: quam ſolicitudinem ſatis præſetulit, cum filium duodennem, qui ea inſcia in templo remanſerat, dolens in Ieruſalem reuerſa triduo diligenter quæſiuit, & tandem inuenit.

Legis item diuinæ ſeruandæ in ijs quoque, ad quæ minimè tenebatur, fuit ſtudioſiſſima;

Religio Deiparæ. Ambroſius. Gen. 12. D. Thomas. Cap. 37. Carthuſianus. Ioan. 19. Luc. 2. Studium diui-

ua legis seruanda in Deipara. Luc. 2. Cap. 37.

Exod. 23.

ma; purificationis legem ſpontè ſubiuit; quod infra,& cap.item 37.vberius demonſtrabimus. Templum quotannis ex Nazareth cum filio ſtatis in lege temporibus non ſine longi itineris labore adire ſolebat: quamuis ea lege mulieres nequaquam tenerentur, ſed ſoli viri,iuxta illud Exod. 23. *Ter in anno apparebit omne maſculinum tuum coram Domino Deo tuo.* Quod ſi Religionis virtus in templorum conſtructione, ac dedicatione,& in oblationibus elucet;quanta fuit Deiparæ religio,quæ animam,& corpus ſuum templum Spiritui ſancto dicauit,quod Dei filius ſua inhabitatione conſecrauit? quæ filium ſuum in die Purificationis Deo patri oblationem gratiſſimam iuxta, ac digniſſimã obtulit? Huc etiam referri poſſet orationis eius ſublimitas,atque præſtantia.Sed de hac aliquanto fuſius infra in hoc capite agemus.

Matth. 5.

S. Antonin.

Actus verò octo Beatitudinum, de quibus Matthæi cap. 5. in ſermone Domini in monte,cum ſint perfecti actus virtutum diſponentes ad æternam, & cœleſtem beatitudinem; quomodo perfectiſſime fuerint in Deipara,probat de ſingulis Albertus Magnus apud S.Antoninum 4.par.tit.15.cap.24.§.1.quem conſulat qui volet: Nos enim peculiarem de his beatitudinibus diſputationem nõ inſtituemus;quod multa,quæ de ijs dici poſſent, in his, quæ de virtutibus Deiparæ differemus contineantur. itaq; ad virtutes Deiparæ Cardinales accedamus.

VIRTVTES CARDINALES, QVAE in Deipara elucent.

Virtutes Cardinales quomodo perfectiſſimè in Deipara extiterint. Albertus.

12 QVatuor porrò virtutes Cardinales in Deipara ſingulari ratione emicabant, quas Albertus apud S.Antoninum 4.par.tit.15. cap.17. §.4. aſſerit in ea fuiſſe perfectiſſimas: *Hoc eſt,*vt ipſe loquitur,*per modum patriæ, & vt purgati animi non quidem ſimpliciter, ſed medio modo inter ſtatum viatorum,& comprehenſorum: nam quantum ad actuum perfectionem habuit per modum patriæ ſine aliqua pugna contrariorum: ſed quantum ad merendi conditionem habuit per modum viatorum:* ex quo colligit S. Antoninus loco citato Deiparam in virtutum actibus omnem puram creaturam ſuperaſſe: *Angeli enim,*inquit ipſe, *in patria habent virtutes inamiſſibiles, ſed non meritorias præmij eſſentialis: Viatores homines habent, virtutes meritorias, ſed (ſi confirmatos in gratia excipias) amiſſibiles: Beata autem Maria habuit cum Angelis virtutes inamiſſibiles: cum ſanctis viatoribus meritorias, & ſic etiam excellentius cunctis habuit.* hæc S. Antoninus. Adde eam ſuperaſſe etiam in hoc Sanctos in gratia confirmatos; tùm quia virtutes omnes habuit in gradu abſque comparatione maiori, quàm illi; tùm etiam, quia virtutes Deiparæ nullum peccatum ſibi contrarium,ne veniale quidem,vel leuiſſimum compatiebantur,ac reliqui Sancti:quamuis in gratia confirmati,aliquod veniale interdum committebant. Ex hoc etiam infertur,non fuiſſe in Deipara continentiam ſub ea ratione,qua ex D.Thoma 2.2.q.155.art.4.importat reſiſtentiam rationis ad concupiſcentias prauas (quas iuxta Ariſtotilem lib.7.Ethic. cap.9. continens patitur) cum dicat quid imperfectum: continentia enim ſic accepta ex eodem S. Thoma 3.par. q.7. art.2.ad 3.non eſt virtus,ſed aliquid minus virtute,& idcirco affirmat Chriſtum ex hoc ipſo, quòd omnem virtutem habuit, non habuiſſe continentiam, nam quicquid perfectionis dicit continentia,reperitur in temperantia abſque imperfectione: virtutem verò temperantiæ in Deipara extitiſſe, infra oſtendemus.

Continentia,vt dicit quid imperfectum non fuit in Deipara. Ariſtoteles. S. Thomas.

Num pœnitentia virtus fuerit in Deipara. S. Antonin.

13 Cæterùm dubium eſſe poſſet de pœnitentiæ virtute num fuerit in Deipara;ad quod S.Antoninus 4.par.tit.15.cap.17.§.4. reſpondet ex ſententia Alberti: *Hanc virtutem perfectius fuiſſe in Deipara,quàm in alijs viatoribus, in quibus actus pœnitentiæ ſupponit aliquod peccatum eſſe,vel fuiſſe:at in Deipara actus pœnitentiæ fuit ſine præſentia,vel præceſſione culpæ, fuit enim per modum patriæ,vbi habet alium actum, videlicet non eſt dolor de commiſſis,ſed eſt deteſtatio peccati ſine velle peccare.* hactenus verba S.Antonini. Suarez quoque tom.2.in 3.par. diſput.4. ſect.2. concedit in beata Virgine pœnitentiæ virtutem; quoniam (inquit) hæc non dicit actum deteſtationis proprij peccati, quem B. Virgo non exercuit, quia nihil deteſtabile egit, ſed dicit habitum, cuius fuit capax, quia capax fuit peccati, licet per diuinam gratiam confirmata fuerit in bono: & quem-

Suarez.

admodum

admodum Suarez tom. 1. disput. 19. sect. 1. ponit in Christo pœnitentiam ad actus, qui non dicunt imperfectionem, nimirum ad detestationem peccati simplicem propter vitandam diuinam iniuriam; eodem etiam modo pœnitentia habere potest in Deipara eundem actum, quem ex Alberto ponit in ea S. Antoninus, vt diximus. verùm ad singulas virtutes Cardinales, quæ in Deipara fuerunt descendamus.

Ac de eius quidem Prudentia, quæ inter virtutes Cardinales primum sibi vendicat locum, in festo Assumptionis sic canit Ecclesia? *Virgo prudentissima, quo progrederis quasi Aurora valde rutilans?* Deiparæ enim figura fuit Abigail mulier 1. Reg. 25. prudentissima, & speciosa: ideò Ephræm sermone de laudib. Virg. *Deiparam* vocat *Principem omnium prudentissimam, & sagacissimam.* & Damascenus oratione prima de Dormitione: Hanc cęlestem Deiparę prudentiam appellat *Sapientiæ thesaurum, quæ incautam Euæ verbis serpentis nimium credulæ simplicitatem emendauit; dùm Angelo prudenter respondit, Quomodo fiet istud?* ex hac prudentia proficiscebatur illud, quod de ea scriptum reliquit S. Lucas cap. 2. *Maria*, inquit, *conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.*

Prudentia Deiparæ
offic. Eccles.
1. Reg. 25.
Ephræm.
Damascenus.
Gen. 3.
Luc 2.

Quòd si teste Salomone Prouerb. 10. *Qui moderatur labia sua prudentissimus est*: facilè intelligemus eximiam Virginis prudentiam, cuius loquendi parcitatem, & verecundiam Bernardus, sermone Signum magnum, egregiè ponderat, & extollit; septies enim in sacra Euangeliorum historia locuta legitur, & ex his ter cum Deo, bis cum Angelo, & bis cum hominibus, quæ singillatim expendit S. Bonauentura in speculo cap. 8. & ad mores egregiè accommodat; vult enim in Deipara fuisse gratiam labiorum, de qua psal. 44. *Diffusa est gratia in labijs tuis*; ex eius enim labijs mellifluæ sententiæ prodierunt, iuxta illud Cant. 4. *Fauus distillans labia tua*; cùm Angelo enim loquuta est, primò verbum castitatis: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* secundò verbum humilitatis: *Ecce Ancilla Domini.* Cùm homine, primò verbum charitatis salutando Elisabeth. secundò verbum instructionis ad ministros in nuptijs Cana Galileæ: *Quodcumque dixerit vobis, facite.* Cùm Deo autem, primò verbum gratiarum actionis: *Magnificat anima mea Dominum.* secundò verbum doloris ex filij amissione: *Fili quid feciſti nobis sic.* tertium verbum compassionis, deficiente vino in nuptijs: *Vinum non habent.* ex quibus præclarissima ad imitandum exempla coruscant.

Bernardus.
Bonauentura.
Psal. 44.
Cant. 4.
Septem verba quæ loquuta legitur Deipara in Euangelio.
Luc. 1.
Ioan. 2.
Luc. 1.
Luc. 2.
Ioan. 2.

14 Iustitiæ verò virtus in Deipara singulariter fuit: quare in litanijs Lauretanis meritò *Speculum Iustitiæ* appellatur. Enimuerò ex Augustino lib. de corret. & grat. cap. 1. *Ad iustitiam legis pertinet declinare à malo, & facere bonum, quæ sunt* (vt verbis vtar S. Thomæ 2. 2. q. 79. art. 1.) *quasi duæ partes integrales iustitiæ, cùm vtrumque ad eius perfectum actum requiratur.* At Deipara ab omni peccati labe tùm originali, tùm actuali declinauit, vt cap. 7. probauimus, & in omni bonorum operum genere præ omnibus puris creaturis, vt ex ijs, quæ cap. 12. disseruimus satis patet, accuratè se exercuit, & perfectissimè, siuè spectes charitatis magnitudinem, ex qua ea operabatur: siuè tempus, ex quo illa exhibere cœpit, ab instanti nimirum suæ immaculatæ Conceptionis ad extremum vsque spiritum: siuè opera ipsa eximia difficultate ardua, tempore diuturna, multitudine innumerabilia, quæ præstitit; consequens ergo est, vt iustitiæ palmam inter puras creaturas sit adepta. Si verò loquamur de partibus iustitiæ potentialibus, nimirum de virtutibus ei annexis, cuiusmodi ex S. Thoma 2. 2. q. 80. art. 1. sunt Religio, Pietas, & reliquæ: has certè omnes ex ijs, quæ in hoc capite dicimus, liquido appareret singulariter in Deipara fuisse. Quare Bonauentura in speculo cap. 8. probat *Deiparam esse iustissimam*, quia Christus, qui est iustissimus iustissimè fuit cum ea, & subijcit: *Tu*, inquit, *es virga Aaron, recta, florida, & fructifera: Recta, imò rectissima per iustitiam, & æquitatem; Florida per virginitatem: fructifera per fœcunditatem. Quæ enim esset virga recta, si non virga Aaron esset recta? Quæ anima esset iusta, si non Maria esset iusta? hoc est, quod B. Bernardus dicit: Quis iustus, si non Maria iusta, de qua ortus est sol iustitiæ?* sic Bonauentura.

Iustitiæ virtus in Deipara. Litaniæ B. Virg. Augustinus.
S. Thom.
S. Thom.
Bonauentura.
Exod. 7.
Bernardus.

15 De Fortitudine Deiparæ exclamat Salomon Prouerbiotum 31. *Mulierem fortem quis inueniet*: & iterum de eadem: *Fortitudo, & decor indumentum eius*, ac si dicat.

Fortitudo Deiparæ. Prouerb. 31.

Deiparam fortitudine omni ex parte decoram, hoc eſt abſque vllius perturbationis motu indutam ſemper fuiſſe, atque ornatam; quod de reliquis Sanctis dici neutiquam poteſt, vt animaduertit ſanctus Antoninus loco citato. & ſanè inſignem fuiſſe Deiparæ fortitudinem facilè intelligemus, ſi ea ſpectemus, que de hac virtute Philoſophi tradiderunt; Ariſtoteles enim lib. 2. ethicor. cap. 6. & 9. Fortitudinem vult eſſe circa timorem, & audaciam: *Quoniam fortitudo*, inquit ſanctus Thomas 2. 2. quæſt. 123. artic. 3. *difficilia, quæ retrahere poſſent voluntatem à ſequela rationis, firmiter tolerat cohibendo timorem: & moderatè eadem difficilia aggreditur, quando ſcilicet oportet ea exterminare ad ſecuritatem in poſterum habendam, quod pertinet ad rationem audaciæ, quam moderatur*. hæc ſanctus Thomas. Hoc ipſum, & Cicero lib. ſecundo de Inuent. per obiecta harum paſſionum eleganter expreſſit cum docet ad fortitudinem pertinere conſideratam periculorum ſuſceptionem, & laborum perpeſſionem. Ex quo duplicem fortitudinis actum licet colligere; vnum qui eſt in rebus aduerſis, & laborioſis patienter ſuſtinendis: alterum in arduis viriliter aggrediendis. & ad primum quidem, quem ſanctus Thomas 2. 2. quæſt. 123. artic. 6. appellat *ſuſtinere*, docetquè eſſe fortitudinis actum magis principalem; ſpectat martyrium, quod eſt actus elicitus quidem à fortitudine, ſed imperatus à charitate: *Ideoquè inter cæteros actus humanos*, inquit ſanctus Thomas 2. 2. quæſt. 124. artic. 3. *eſt perfectior ſecundum ſuum genus, quaſi maximæ charitatis ſignum, ſecundum illud Ioannis 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*. At verò Deipara vtrumque fortitudinis actum ſtrenuè, ac diligenter exercuit. Nam, vt omittam incommoda, quæ propter Deum ex voluntaria paupertate, ex crebris itineribus ad montana Iudææ ad Nazareth, ad Bethelem, in Aegyptum, rurſus in Galileam, & per ſingulos annos ad feſta Ieroſolymitana, & ex commoratione ad aliquot annos in terra Aegypti inter populos nefario Idolorum cultui deditos, alijsquè quas in ſe ipſa ſuſtinuit moleſtijs; Grauiſſima ſanè fuerunt, quæ ex filij, quem vnicè diligebat, doloribus, & cruciatibus per compaſſionem ſenſit, quibus veluti acutiſſimo gladio, iuxta Simeonis vaticinium, eius anima transfixa eſt; tùm in filij Circumciſione, & in moleſtijs, quas ex paupertate, & in Aegyptum fuga idem ſubiuit; tùm etiam in blaſphemijs, ac perſecutionibus à Iudæis eidem Chriſto dùm in terris ageret illatis. & tandem in eiuſdem acerbiſſima, ac ignominioſiſſima paſſione, & nece, quam ipſa præſens ſpectauit: quæ omnia fortitudine, ac conſtantia incredibili pertulit, ita vt iuxta crucem filij, quem ſummo amore complectebatur, non conſternata iaceret, ſed viriliter ſtaret: quod Ambroſius in oratione in obitu Valentiniani illis verbis expendit: *Stabat & ſancta Mater iuxta crucem filij, & ſpectabat Virgo vnigeniti paſſionem: ſtantem illam lego, flentem non lego*. hæc ille. Verùm de Virginis conſtantia admirabili in Chriſti paſſione plura diximus cap. 11. vbi oſtendimus ad gloriam, meritumq; martyrij nihil illi defuiſſe, quam complures Patres propter dolorem, quem in filij nece ſumma patientia pertulit acerbiſſimum, meritò *pluſquam martyrem* appellare non dubitant.

S. Antoninus.

Ariſtoteles.

S. Thom.

Cicero.

S. Thom. Deiparæ quæ, quantaq. fortiter ſuſtinuit.

Ioan. 15.

Luc. 1. Matth. 2. Luc. 2.

Deipara Chriſto patienti fortiter compaſſa eſt.

Luc. 2.

Ioan. 19.

Ambroſius.

Deipara quæ nã fortiter operata eſt.

16 Quòd ſi de altero Fortitudinis actu loquamur, quo *terribilis vt Caſtrorum acies ordinata* Dæmones ſæuiſſimos humani generis hoſtes multipliciter domuit, atque deuicit, ſatis in præſentia ſit illud Geneſ. 3. quo ſerpentis tartarei caput contritura à Domino prænunciatur, idque qua ratione præſtiterit ſequentibus capitibus copioſè exponemus.

Geneſ. 3.

Quòd ſi fortitudinis magnitudo ex magnitudine dilectionis penſanda eſt, quemadmodum tradit ſanctus Thomas 2. 2. quæſt. 124. artic. 3. ita vt ex alicuius rei amore ſupra vires interdum aliquid perferamus, vel aggrediamur: id quod videre licet etiam in brutis, quæ pro vita tuenda omnibus naturaliter chariſſima, animos, viresq; ad reſiſtendum, & obluctandum exerunt ſolito maiores; quæq; pro filijs defendendis, conſeruandisq; quorum amorem natura parentibus indidit, ſtrenuè dimicant; ſequè etiam vltro in extremum vitæ diſcrimen obijciunt. Quocirca Cant. 8. meritò dicitur: *Fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio*. Sanè fortitudinis Deiparæ præſtantiam in ijs, quæ ad Dei honorem ſpectant, aliqua ex parte intelligemus, ſi

S. Thom.

Cant. 8.

exi-

eximiam eius in Christum charitatem, de qua vberius cap. 9. egimus, nobiscum animo reputemus.

17 Iam verò de Temperantia, quæ in virtutum Cardinalium ordine quarta reponitur, qua ratione in Deipara maximè enituerit, dicendum est. Et huius quidem virtutis partes, quas vocant subiectiuas, quæ sunt eius species, Auctore sancto Thoma 2. 2. quæst. 143. art. 1. recensentur; Abstinentia cibi; Ieiunium, quod est actus abstinentiæ; Sobrietas potus; Castitas, cuius pars est virginitas. Partes verò potentiales, seù virtutes ipsi temperantiæ connexæ, plures loco citato numerantur, eiusmodi sunt, Mansuetudo, Clementia, Humilitas, Modestia, tùm in exteriori corporis actione, tùm etiam in eiusdem corporis ornatu, ac vestibus, & reliquæ similes virtutes. & sanè his omnibus in gradu quodam perfectissimo Deipara instructa est, atque ornata, quod breuiter sic demonstratur. Si enim temperantia, teste sancto Thoma tertia par. quæst. 7. artic. 2. ad tertium, tanto perfectior est in homine, quanto magis prauis concupiscentijs caret. atque ea de causa huiusmodi virtutem in Christo Domino fuisse concludit. Qualis ergo, quantaquè temperantiæ perfectio præ cunctis puris creaturis fuisse existimanda est in Deipara, quæ non tantum omni praua concupiscentia caruit, verùm etiam singulari priuilegio peccati fomitem, (qui ex sacro Concilio Tridentino sessione quinta ex peccato est, & ad peccatum inclinat) perpetuò extinctum, ne dum religatum habuit, quemadmodum capit. 7. vidimus. Quare Chrysostomus homilia in Domini hypapantem: *Beata*, inquit, *Maria vltra omnem humanæ naturæ modum Modestiam, atque Temperantiam excoluit, ac ob id vniuersorum Dominum in vtero gestare promeruit.*

Deiparæ temperantia. *S. Thom.* *S. Thom.* *Conc. Tridenti.* *Chrysostomus.*

Quòd si de singulis temperantiæ virtutibus, quæ perfectionem dicunt, & in Deipara præ reliquis Sanctis fuerunt, agere velimus; longius quàm par est ab instituto digrediemur; aliquas tamen attingere satis sit in præsentia: & quod spectat ad Abstinentiam, Ieiunium, Sobrietatem, Modestiam, & reliquas huiusmodi Deiparæ virtutes, sanè locupletissimi earum testes esse possunt Ignatius, Ambrosius, Damascenus, aliquè Patres, quorum verba initio huius capitis attulimus. nec tamen silentio prætereire possum Albertum Magnum Virginis sanctissimæ studiosissimum, qui non minus verè, quàm acutè id, quod dicimus optima ratione ostendit, quam sanctus Antoninus affert 4. par. titul. 15. cap. 17. §. 4. vbi probare nititur Deiparam mediocritate humilis vestimenti omnes alios superasse. quam rationem cum ad multa, quæ de Deipara prædicantur, referri possit, hic ascribendum duxi: *Cùm enim in nonnullis virtutibus habita ratione personæ, & aliarum circumstantiarum, quædam mediocritas interdum sit tenenda circa particularia* (inquit Albertus apud sanctum Antoninum loco citato) *Ars secundum Philosophum medium determinare nescit; singularia enim infinita sunt, nec est eorum disciplina: sed in huiusmodi Gratia potentior est arte. dicimus ergo quòd in hoc Beata Maria alios excessit in cultu vestium, quod super artem per vnctionem Spiritus sancti sciuit mediocritatem super omnes in huiusmodi obseruare.* sic ille. Pari etiam ratione Virgo beatissima præ cæteris Sanctis per eandem Sancti spiritus vnctionem in reliquis virtutum actibus debitam mediocritatem nouit, atque tenuit.

Ignatius. *Ambrosius.* *Damascenus.* *Albertus.* *S. Antoninus.*

De eius porrò Modestia in vestibus, & corporis ornatu illud scriptum reliquit Epiphanius Presbyter Constantinopolitanus in vita Deiparæ, & ex Epiphanio Nicephorus lib. 2. histor. 23. *Vestimentis*, inquit, *quæ ipsa gestauit coloris natiui contenta fuit, id quod etiam nunc sanctum capitis eius velamen ostendit.* sic ille; & Cedrenus in compendio, agens de moribus Deiparæ: *Vestes*, inquit, *amplexans nullo colore tinctas.* quibus consentit Damascenus orat. 1. de Natiu. quem supra citauimus, de hoc agens: *Honestus*, inquit, *vestitus mollitiem omnem ac luxum fugiens.* sic ille.

Epiphan. Presb. Constantinop. *Nicephorus.* *Cedrenus.* *Damascenus.*

MORTIFICATIONIS VIRTVS IN DEIPARA.

18 AD abstinentiam, & reliquas, quas commemorauimus Deiparæ virtutes, attexenda videtur mortificatio eximia, qua Deipara suum innocentissimum corpus rationi minimè repugnans, sed spiritui concors, & obsequentissimum; ad Dei tamen

Mortificatio Deipara.

gloriam, & vt Christi passionibus magis communicaret, ieiunijs, vigilijs, varijsque afflictationibus, ex Ambrosio supra citato, exercebat: ideoq; hæc mortificationis virtus in Deipara per myrrham, amaram illam quidem, sed odoriferam, & quæ incorruptionem corporibus tribuere solet, rectè significatur. quemadmodum sanctus Antoninus 4. par. titu. 15. cap. 17. §. 4. animaduertit; Mortificatio enim carni quidem est iniucunda, sed Deo valde grata, alios bono exemplo veluti odoris flagrantia recreat, & ad currendum in odorem huiusmodi vnguentorum, nimirum ad pietatis opera strenue suscipienda excitat, atque ad peccatorum putredinem à nobis arcendam mirum in modum confert: Myrrha verò, cui Deiparæ Mortificatio comparatur, non qualiscumque, sed electa, illa quidem, ac præcipua memoratur Eccles. 24. illis verbis: *Quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris.*

Ambrosius.
S. Antoninus.
Eccl. 24.

CLEMENTIA DEIPARAE, EIVSque *mansuetudo.*

Clementia, ac Mansuetudo.

19 QVamuis Deipara erga semetipsam, vt dixi, per mortificationem seuera fuerit; erga alios tamen suauem, & benignam per clementiam, & mansuetudinem se exhibet; de quibus aliqua breuiter perstringamus. Sanè temperantiæ sicuti virtuti principali ex Diuo Thoma 2. 2. quæst. 157. art. 3. & 4. adiungitur clementia, quæ ex Seneca lib. 2. de clementia cap. 3. Est quædam animi lenitas superioris in constituendis pœnis; & ex eodem sancto Thoma prouenit ex quadam dulcedine affectus, qua quis ab omni eo, quod alium contristare potest, abhorret; ideoq; maximè accedere videtur ad charitatem, quæ est potissima virtutum; ita sanctus Thomas: & hæc quidem virtus Regibus, ac Principibus maximo fuit semper ornamento; adeò vt vel ipsi tyranni sæuitia insignes, clementissimi nomine se cohonestari affectarint. Hæc porrò virtus in beatissima Virgine mundi Regina cumulatissimè inuenitur, quæ apud Christum pro condonandis, vel minuendis pœnis, quæ iustè nostris sceleribus debentur, intercedit; de quo pluribus differuimus supra cap. 16. vbi de eius misericordia. & infra cap. 30. vbi eam Aduocatæ munere fungi ostendemus. Hinc est, quod Prouerb. 31. de Muliere illa forti, qua cap. 4. Deiparam describi diximus, inter alia à Salomone illud prædicatur: *Lex clementiæ in lingua eius*; & Ecclesia in celebri illa precatione, cuius initium est *Salue Regina*, eam illis verbis reuerenter inuocat: *O clemens, ò pia, ò dulcis Virgo Maria*, qua suauissima inuocatione omnes ad Virginem preces claudendas meritò vir quidam sanctitate præclarus dicebat. quin etiam ijs quoque, qui erga eandem Virginem impiè se gesserunt, & ad eam confugiunt, veniam legitur impetrasse. Cuius rei exemplum sit illud Theophili, qui dæmonis suggestione eam, eiusq; filium chirographo à se conscripto abnegarat, & per eam misericordiam obtinuit, de quo supra cap. 20. Quare Bernardus, sermone Signum magnum, agens de Deipara: *Nihil*, inquit, *austerum in ea, nihil terribile, tota suauis est, offerens lac, & lanam.* & mox: *Quod si (vt verè sunt) plena magis omnia pietatis, & gratiæ, plena mansuetudinis, & misericordiæ, quæ ad eam pertinent inueneris, age gratias ei, qui talem tibi mediatricem benignissima miseratione prouidit.* sic Bernardus.

S. Thom.
Seneca.
Cap. 30.
Prouer. 31.
Offic. Eccl.
Bernardus.

Mansuetudinem verò, (quæ ex Aristotele octauo ethicor. cap. 5. & ex D. Thoma loco citato, moderatur iram secundum rectam rationem, & in eundem effectum interdum concurrit cum clementia) in Deipara fuisse testantur sanctus Ignatius in Epistola ad sanctum Ioannem, in qua eam iniuriantibus gratam prædicat. & Damascenus orat. 1. de Natiuitate: *Sermo*, inquit, *eius iucundus ex leni anima progrediens*; & Bonauentura in speculo cap. 8. *Maria*, inquit, *mansuetissima fuit per lenitatem, patientissima contra omnem aduersitatem. Nam licet Christi passio veluti acutissimus gladius animam Mariæ per compassionem pertransiuit, iuxta prophetiam Simeonis; ipsam tamen nec per odium occidit, nec per impatientiam vulnerauit: Maria n. interfectores filij sui nunquam odiuit, nunquam contra eos impatiens fuit. Nam si alij martyres in suo martyrio corporali patientissimi fuerunt, quãto magis martyr noſtra Maria in suo martyrio spirituali.* & infra: *O mira Mariæ patientia, & mansuetudo, quæ non solùm patientissima fuit, dum coram ipsa*

Aristotele.
Mansuetudo Mariæ.
S. Ignatius.
Damascenus.
Bonauentur.
Luc. 2.

filius

filius eius crucifigeretur, ſed etiã dum ante crucifixionem propter ipſam filius eius vilipenderetur; ſicut in Euangelio Marci dicitur: Nonne hic eſt fabri filius, & MARIAE? Vbi poſt pauca ſequitur, Et ſcandalizabantur in eo. Re vera faber eſt Chriſtus, ſed qui fabricatus eſt Auroram, & Solem. hactenus Bonauentura. Quod ſi ex gloſſa in Matth. 5. Mites ſunt, qui malis moribus dominantur: & ex alia gloſſa, Manſuetus eſt, qui nec irritat, nec irritatur; nec nocere cogitat; ſatis apparet Deiparam fuiſſe præ omnibus mitiſſimam, quæ perfectum ſui dominium abſque malis moribus, & abſque pugna interiori habebat, & nullis nocere, omnibus autem prodeſſe ſtuduit; nulli verbum aſperum loquuta, quod ex Euangeliorum hiſtoria obſeruauit Bernardus ſermone Signum magnum. Reliqui enim Sancti non ſine pugna ſuarum paſſionum dominium obtinuere. Quocirca merito de Deipara canit Eccleſia.

Marc. 6.

Gloſſa ordinaria.

Bernardus.

Offic. Eccleſ.

„ *Virgo ſingularis,*
„ *Inter omnes mitis,*
„ *Nos culpis ſolutos,*
„ *Mites fac, & caſtos.*

VIRGINITAS DEIPARAE.

20 VIrginitas quoque Deiparæ illibata, quam ipſa prima omnium voto emiſſo Deo optimo conſecrauit, ea fuit, vt propter ſummam in hac virtute puritatem, atque præſtantiam iure optimo Virgo virginum appelletur; de qua Baſilius hom. de humana Chriſti generatione: *Nulla,* inquit, *puritate par Mariæ virginitas inter homines ad effectum Sancti Spiritus excipiendum eſt reperta, quo in eam ſuperueniente vera Dei genitrix eſt effecta.* Et Ambroſius lib. 1. de Virginibus inter virginitatis laudes, & hanc recenſet, quæ ad Deiparæ virginitatem ſpectat: *Hæc,* inquit, *nubes, aſtra, Angelos, ſyderaq; tranſgrediens, Verbum Dei in ſinu Patris inuenit, & toto hauſit pectore.* ſic Ambroſius. *Deum enim,* inquit Bernardus homil. 2. ſuper miſſus eſt, *huiuſmodi decebat natiuitas, qua non niſi de Virgine naſceretur: talis & congruebat Virgini partus, vt non pareret niſi Deum. Et gaudia matris habens cum virginitatis honore, nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem. Atque ita in Deipara virginitas* (vt verbis vtar Bernardi ſermone Signum magnum) *ex fœcunditate, & ex virginitate fœcunditas mutuis ſe ſe radijs illuſtrare hæc duo ſydera videntur.* Quinimò Deipara non tantum hominibus, ſed ipſis etiam Angelis virginitate præcellit, quod cap. 32. vbi de eius virginitate copiosè agitur, oſtendemus. Illud addam ex Bonauentura in ſpeculo cap. 4. *Ex quo,* inquit, *Maria Virgo de Spiritu ſancto diuina eſt prole fœcundata, nequaquam virginitas eius tali ex prole eſt vitiata, ſed mirabiliter eſt in tanta prole glorificata: nam in prole approbata, in prole conſecrata, in prole nobilitata, in prole ditata, & dotata, & conſignata, & confirmata eſt tua virginitas ô Maria.* hæc Bonauentura. & Ildefonſus ſermone 5. de Aſſumptione, agens de Deipara: *Et ſicut,* inquit, *de altera Maria dictum eſt, iſta optimam partem elegit, quia prima omnium fœminarum Deo virginitatem obtulit, & idcirco promeruit, vt Dei filius Angelo nunciante ex ea corpus noſtræ redemptionis ſuſciperet.* ſic ille.

Virginitas Deiparæ.

Baſilius.

Ambroſius.

Bernardus.

Cap. 32.

Bonauenturæ.

Ildefonſus.

Luc. 1.

HVMILITAS DEIPARAE.

21 VIrginitati Deiparæ proximè adnectenda eſt eius humilitas: *harum enim virtutum,* inquit Bernardus homil. 1. ſuper miſſus eſt, *pulchra eſt permixtio: nec mediocriter Deo placet illa anima, in qua & humilitas commendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatem: ſed quanta putas veneratione digna eſt, in qua humilitatem exaltat fœcunditas, & partus conſecrat virginitatem?* ſic ille. *Decet enim,* inquit Ambroſius lib. 2. in Lucam, *vt quanto caſtior Virgo, tanto ſit humilior.* Et ſanè humilitas reliquis virtutibus in primis eſt neceſſaria, cum ex Baſilio cap. 5. conſtitutionum theſaurus ſit ſecuriſſimus omnium virtutum; & ex Bernardo ſermone 1. de natali, & D. Thom. 2. 2. q. 161. art. 5. ad ſecundum, fundamentum ſit, atque cuſtos virtutum: *Qui enim,* teſte Gregorio hom. 7. in Euãg. *virtutes ſine humilitate congregat, quaſi in vento puluerem portat;*

Mariæ humilitas.

Bernardus.

Ambroſius.

Baſilius.
Bernardus.
S. Thomas.
Gregorius.

Humilitas Deiparæ per Nardum significatur Cant. 1. Rupertus. Bernardus. Plinius. Cant. 1. Rupertus.

& vnde aliquid ferre cernitur, inde deterius cæcatur. At verò humilitatis virtus in Deipara maximè eluxit, & per Nardum fragrantissimam, quæ, *dum esset rex in accubitu suo dedit odorem suum*, ex Ruperto in Cant. 1. & Bernardo sermone 8. de Assumpt. significatur. Nardus enim frutex est teste Plinio lib. 12. histor. natur. cap. 12. breui, nigra, fragili; radice odorem mittens; ita Deipara tametsi in oculis suis exigua, & abiecta, quæ de se ipsa Cant. 1. dicebat: *Nigra sum, sed formosa: humilitatis tamen eius odor*; ex Ruperto in Cant. 1. *Deum vnicè delectauit, velut suauis odor, qualis de nullo vnquam vsque ad ipsum spirauit, vel spirare potuit sacrificio*; tantusq; fuit, vt ad Deum in suo accubitu regali peruenerit, eumq; ad gremium Virginis per incarnationem traxerit.

Humilitas Deipara eò maior quo pluribus Dei donis coniuncta. Bernardus.

Et certè suspicienda omnibus, atque imitanda Deiparæ humilitas eo magis emicat, quo pluribus, ac maioribus Dei donis præ omnibus puris creaturis singulariter extitit exornata. Quod eleganter expendit Bernardus sermone 4. de Assumpt. *Quanta*, inquit, *& quam preciosa humilitatis virtus, cum tanta puritate, cum innocentia tanta, cum conscientia prorsus absque delicto; imò cum tanta gratiæ plenitudine? Vnde tibi tanta humilitas, ò Beata? digna planè quam respiceret Dominus; cuius decorem concupisceret Rex, cuius odore suauissimo ab æterno illo paterni sinus attraheretur accubitu. Audi Mariam in Euangelio, Respexit (inquit) humilitatem ancillæ suæ: audi eandem in Epithalamio, Cum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum; Nardus quippe herba humilis est, & pectus purgat; vt manifestum sit, humilitatem Nardi nomine designari; cuius odor, & decor inuenerit gratiam apud Deum.* hactenus Bernardus. Idem sermone 42. in Cantica enarrans illud Cant. 1. *Nardus mea dedit odorem suum. Nardus*, inquit, *humilis herba est, & calidæ naturæ; per hanc non inconuenienter virtus humilitatis accipitur, sed quæ sancti amoris vaporibus flagret; est enim humilitas, quam parit veritas, & est humilitas, quam charitas format, & inflammat.* & sermone 45. *Decor*, inquit, *animæ est humilitas; Verùm in eo, qui grauiter peccauit & si amanda, non tamen est admiranda humilitas; at si quis innocentiam retinet, & nihilominus humilitatem iungit; non ne is tibi videtur geminum animæ possidere decorem? Sancta Maria sanctimoniam non amisit, & humilitate non caruit; & ideò concupiuit rex decorem eius: quin humilitatem innocentiæ sociauit: meritò admiranda cui sanctitas amissa humilitatem non attulit, sed seruata admisit.* Idem homil. 4. super missus est: *Humiliter*, inquit, *respondet, vt sedes gratiæ præpararetur, ecce Ancilla Domini, Quæ est hæc tam sublimis humilitas, quæ cedere non nouit honoribus, insolescere gloria nescit? mater Dei eligitur, & Ancillam se nominauit. Non mediocris reuera humilitatis insigne; nec oblata tanta gloria, obliuiscì humilitatem: non magnum est esse humilem in abiectione: magna prorsus, & rara virtus, humilitas honorata.* hæc ille. & Damascenus orat. 1. de Natiuitate, hoc admiratur in Deipara: *Animus*, inquit, *humilis in sublimibus contemplationibus.* Ambrosius in cap. 6. Apocalyp. *Per fiscellam*, inquit, *scirpeam bitumine, ac pice illitam, in qua positus est Moyses infans (qui Christum figurabat) Beata Virgo Maria designata est, quia sapientia Dei, qui est filius Dei, beatam Mariam Virginem elegit, in cuius vtero hominem, cui per vnitatem personæ coniungeretur, formauit; per bitumen autem, quod ab aquis solui non potest, virginitatem beatæ Mariæ, quæ nullo æstu carnali violari potuit, intelligere possumus; per picem autem, quæ custos est bituminis, humilitatem custodem cæterarum virtutum, de qua ipsa loquitur dicens, quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* sic Ambrosius.

Per Nardum significatur humilitas, quam charitas inflamat.

Humilitas cum innocentia maximè laudanda.

Luc. 1. Humilitas tum tanta gloria val de suspicienda. Damascenus.

Ambrosius. Fiscella Moysis figurat Deiparam. Exod. 2.

Humilitas custos virtutum. Luc. 1.

Humilitas peculiariter dicitur virtus Deiparæ. Luc. 1.

22 Hanc humilitatis virtutem Deipara adeò dilexit, & coluit, vt eam non tantum laudibus in suo Cantico mirificè extulerit, Dei potentiam prædicando, quæ superbos deprimit, & exaltat humiles; verùm etiam in cunctis suis actionibus singulari quadam ratione eius specimen nobis dederit præclarissimum; ita vt hæc virtus ei peculiariter tribuatur: quare Cant. 1. ex persona Virginis dicitur: *Nardus mea dedit odorem*; quia humilitas per nardum significata, peculiari ratione est SVA. quocirca beatæ Mechtildis in lib. 1. suarum reuelationum: *Prima*, inquit, *virtus, in qua Virgo nata, & infans se singulariter exercuit, fuit humilitas, qua ita modestè de se sentiebat, vt cum tot gratias haberet, nulli creaturæ se prætulit, nec antepositi.* sic ibi.

Cant. 1. B. Mechtildis.

Cæterùm hoc ipsum nonnullas Deiparæ actiones expendendo ostendamus. In primis

mis cùm in matrem Dei eſſet electa, ſe Ancillam Domini vocat; quod expendens Bonauentura in ſpeculo cap.4. *O mira,* inquit, *& profunda humilitas Mariæ, Ecce Mariam Archangelus alloquitur, Maria gratia plena dicitur; ſuperuentio Spiritus ſancti promittitur, In matrem Domini aſſumitur: Iam omnibus creaturis anteponitur: iam Domina cœli, & terræ efficitur; ſed in his omnibus mira humilitate deprimitur dicens, Ecce Ancilla Domini.* ſic Bonauentura: & Ambroſius lib.2. in Lucam, in hæc verba: *Vide,* inquit, *humilitatem, vide deuotionem; Ancillam ſe dicit Domini, quæ mater eligitur; nec repentino exaltata promiſſo eſt; ſimul Ancillam dicendo, nullam ſibi prærogatiuam tantæ gratiæ vendicauit, quæ faceret quod iuberetur: mitem enim, humilemq; paritura, humilitatem debuit etiam ipſa præferre;* & S. Antoninus 3.par.tit.31.cap.3.§.2. hæc eadem Deiparæ verba tractans, docet alios Sanctos tametſi demiſſe de ſe locutos, ad hanc tamen Deiparæ humilitatem nequaquam peruenisſe: *Non ſimili,* inquit, *humilitate vſi ſunt Abraham dicens, ſum puluis, & cinis; Aut Iob aiens, ventus eſt vita mea, vel Dauid proteſtans quod eſſet canis mortuus, & vnus pulex; ſiue Baptiſta, qui faſſus eſt ſe eſſe labilem vocem: Nam hi omnes dixerunt id, quod erant, & non minus: Hæc autem multo minus, quam ſit, quantum diſtant inter ſe Regina cœlorum, Domina Angelorum, & mater Domini ab Ancilla Domini; Veritatem tamen dixit, quia & mater, & Ancilla erat Chriſti.* hæc S. Antoninus. Et ſanè cum potuiſſet titulis illis glorioſis verè, & abſque vanæ gloriæ nota ſe appellare, maluit tamen oculos figere in id, quod erat humilius; ex quo glorioſior, Deoq; magis grata eſt effecta. Nec ſolùm in hac reſponſione Deiparæ humilitas eluxit, quod Domini Ancillam ſe appellarit: verùm etiam in ipſo conſenſu, atque obedientia eandem humilitatem profundiſſimam præſetulit. Cùm enim Gabriel Archangelus legatum Dei ageret, cuius nomine totum negotium tranſigebat; potuiſſet Virgo beatiſſima eidem reſpondere, *fiat mihi ſecundum verbum Domini,* cuius Ancillam ſe fuerat proteſtata. Verùm ipſa Dei Genitrix mox futura; atque adeò Angelorum Domina, ac Regina, quo ſe magis ipſi etiam Angelo demitteret, nobisq; exemplum abſolutiſſimę obedientiæ parendi non tantum Deo, ſed homini etiam Dei nomine pręcipienti, præberet, maluit dicere, *Fiat mihi ſecundum verbum tuum.*

Humilitas Deiparæ in verbis illis, Ecce Ancilla Domini. Bonauentura.

Ambroſius.

S. Antoninus.

Comparatio humilitatis Deiparæ cum humilitate aliorum Sanctorum.

Gen. 18.

Iob 7.

1.Reg. 24.

Ioan. 2.

Humilitas in verbis illis, fiat mihi ſecundum verbum tuum.

Luc. 1.

23 Deinde quemadmodum magnanimitas fidei, qua ſe Dei genitricem mox futuram credidit, nihil de tanta humilitate, qua ſe exiguam Dei reputabat Ancillam, detraxit; quod ſupra dicebam ex Bernardo: ita ex eadem humilitate cum filium Dei iam conceptiſſet, Deo plena ad viſitandam ſanctam Eliſabeth cognatam ſuam feſtinauit, de quo Ambroſius lib.2. in Lucam: *Diſcite,* inquit, *mulieres humilitatem MARIAE; ſuperior venit ad inferiorem, vt inferior adiuuetur: nec ſolum venit; ſed prior ſalutauit.* & lib. 2. de Virginibus: *Humilior,* inquit, *facta eſt, vbi ſe à Deo agnouit electam, & ſtatim ad cognatam ſuam in montana proceſſit; non vtique vt exemplo crederet, quæ iam crediderat oraculo: beata enim, inquit, quæ credidiſti, & tribus cum Eliſabeth menſibus manſit. Tanti enim interuallo temporis non fides quæritur, ſed pietas exhibetur.* ſic Ambroſius. Et Bernardus ſermone Signum magnum: *Maria,* inquit, *tota alacritate montana conſcendit, vt Eliſabeth miniſtraret.* Idem ſermone de Aquæductu: *In Virgine,* inquit, *quæ montana conſcendit, tanquam funiculus triplex feruebat, in quærenda gratia charitas; ſplendebat in carne virginitas; humilitas in obſequio eminebat. quid hac humilitate ſublimius? veniſſe Matrem Domini ſui ad ſe mirabatur Eliſabeth, ſed iam magis miretur, quod inſtar filij, & ipſa non miniſtrari venerit, ſed miniſtrare.* hæc Bernardus.

Fides cum tanta humilitate in Deipara.

Humilitas, qua S. Eliſabetham viſitat eiq; miniſtrat. Luc 1. Ambroſius.

Bernardus.

Luc. 1. Gloſſa ordinar.

Qua in re Deipara perfectiſſimum humilitatis gradum tenuit. *Perfecta enim humilitas,* inquit gloſſa Matth. 3. *habet tres gradus, primus eſt ſubdere ſe maiori, & ſe non præferre æquali, & hic gradus vocatur ſufficiens, & omni iuſto neceſſarius. Secundus eſt ſubdere ſe æquali, nec præferre ſe minori; & hic dicitur abundans. Tertius ſubeſſe minori, in quo eſt omnis iuſtitia, quam Chriſtus Dominus ſe implere dixit, cum à Ioanne baptizari voluit.* ita Gloſſa. Propterea Bernardus ſermone de Aquæductu ad hoc ſpectans: *Abijt,* inquit, *in montana cum feſtinatione, & viſitauit Eliſabeth; & in miniſterio eius erat quaſi menſibus tribus, vt iam tunc poſſet dicere matri mater, quod tanto poſt filio dixit filius, Sine modo; ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam.* ita Bernardus. *Cùm autem Eliſabeth à Spiritu ſancto edocta miraretur* (verba ſunt Bernardi ſermone ſignum magnum

Perfectiſſimus humilitatis gradus ſubdere ſe minori. Matth 3.

Matth. 3. Bernardus.

Humilitas Deiparæ in Cantico Magnificat. Bernardus.

gnum) *personam venientis, dicens: Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? commendaret & vocem salutantis, ad quam exultauit infans in vtero suo, & beatificaret fidem credentis: Magna quidem præconia, sed & deuota humilitas nihil sibi passa retinere, in eum magis vniuersa refudit, cuius in se beneficia laudabantur. Tu, inquit, magnificas matrem Domini; sed Magnificat anima mea Dominum.* hæc Bernardus.

Luc. 1.

Ildefonsus.

& Ildefonsus sermone 2. de Assumptione: *In nullo*, inquit, *de se præsumpsit Virgo; in nullo aliquid de se alium sapit; sed tota in Deo exultat, & tota eius anima Dominum magnificat: Nihil sibi tribuit meritorum, nihil sibi de se applaudit: sed solummodo quæ Dei sunt requirit, & sapit: idcirco in illo tota exultat, solùm sibi vendicat humilitatem ancillæ, quæ mater Saluatoris ab Angelo veneratur.* sic ille.

Humilitas Deiparæ ex spontanea paupertate.

Ad Deiparæ quoque humilitatem referri possunt quamplurima abiectissima, quæ ex spontanea paupertate non sine magno incommodo subire cogebatur. & licet ab Euangelistis non omnia sint litteris consignata; ea tamen piè conijcere licet ex sordenti stabulo, in quo filium est enixa: & ex vili præsepio, in quo eum pannis inuolutum, quia non erat ei locus in diuersorio, reclinare coacta est: *& hoc ipsum præsepium* (inquit Bernardus in speculo Euangelici sermonis) *à brutis animalibus mutuo accepit.* In eodem deinceps stabulo ad præscriptum vsque purificationi tempus per dies quadraginta est commorata; cuius rei argumento est, quod post dies tredecim, teste Hieronymo epist. 17. & 27. & Chrysostomo homil. 7. in Matth. 2. & alijs, in eadem spelunca à magis fuerit inuenta cum filio.

Bernardus.

Hieronymus.

Chrysostomus.

Deipara habuit humilitatis gradus à S. Anselmo positos.

Patienter tulit se contemni, & præsertim in Christi vita, & passione.

24. Quoniam verò ex Anselmo lib. de similitudinibus, inter septem, quos recenset humilitatis gradus: Quintus est, vt quis patienter sustineat dici se contemptibilem. Sextus vt patiatur contemptibiliter se tractari. Septimus vt hoc amet: hinc facilè profundam Deiparæ humilitatem colligimus: quicquid enim contumeliarum; quicquid irrisionum, ac tormentorum, integro dominicæ prædicationis triennio, toto passionis eiusdem tempore à Iudæis, ab Herodis, Pilatiq; militibus, tum verbis, tum factis, ea præsertim viuente, ac vidente, Christo eius filio est irrogatum, id omne non tantum Virginis matris animum acerrimè sauciauit; verum in eius quoque maximum contemptum cessit. Illa enim in Christi faciem iactata conuicia, & blasphemiæ: illa in sanctissimum vultum coniecta sputa, impacti colaphi: illa exprobrantium opprobria, ac diuersa illusionum genera in domo Cayphæ, Herodis, Pilati obita; quod Barrabæ postpositus, quod communi totius populi insano clamore ad crucis patibulum postulatus, quod flagris atrocissimè toto corpore proscissus, quod in affectati regni speciem regijs insignibus per deridiculum ab vniuersa cohorte illusus, ac spinea corona capite redimitus; quod crucem suis ipse humeris baiulauerit, quod in medio latronum veluti eorum Princeps in ipsa cruce per summam ignominiam suffixus obierit: id omne, vt diximus, in maximum Virginis etiam matris, quæ stabat iuxta crucem, opprobrium, & humiliationem recidebat. præsertim, quia interdum nominatim eam perstringebant, Christo familiæ paupertatem obijcientes, & quasi per contemptum dicentes illud Marci 6. *Vnde huic hæc omnia, nonne hic est faber, filius Mariæ?* & mox: *& scandalizabantur in eo:* quæ tamen omnia, vt supra animaduertit Bonauentura in spec. cap. 8. ipsa non minus humiliter, quam patienter æquo animo ferebat. Et sanè Iudæi eam ex generosa Dauid progenie ortam inficiari non poterant, cum id de Christo eius filio apud omnes adeo esset exploratum; vt nemo, tametsi Christo maximè infensus, in dubium reuocare sit ausus. Verum propter Virginis sanctissimæ paupertatem de ea abiecte sic loquebantur: apud iniustos enim rerum æstimatores,

Ioan. 19: Iudæi aliquando nominatim Deiparam continebant.

Marc. 6. Matth. 13.

Horatius.

,, *Et genus, & formam regina pecunia donat.*

Humilitatis gradus à S. Benedicto recensiti in Deipara inueniuntur.

Quòd si auctore S. Benedicto experientissimo rerum spiritualium magistro, & monasticæ disciplinæ in occidente propagatore eximio, in sua regula cap. 7. ad humilitatis gradus, quos postea S. Thomas 2. 2. q. 161. art. 6. explicat inter alia (vt ipsius ferè verbis vtar) hæc spectant: *corde, & corpore semper humilitatem indicare, defixis in terram vultibus. Taciturnitas, & pauca verba, ac rationabilia loqui; Deum timere, & memorem esse omnium, quæ præcepit: voluntatem propriam non sequi; sed per obedientiam subdere se maiori. Denique intimo cordis affectu credere, & pronunciare se omnibus viliorem:*

Reg. S. Benedicti. S. Thomas.

hinc

Hinc manifestè apparet Deiparam humilitate singulariter claruisse.

Nam quod spectat ad pudorem illum, qui non tantum humilitatis, sed & virginitatis comes esse solet; hic certè in Deipara mirificè eluxit, teste Ambrosio lib. 2. de Virginibus, vbi de Deipara eleganter id probat: *Prodire*, inquit, *domo nescia, nisi cum ad Ecclesiam conueniret; & hoc ipsum cum parentibus, & propinquis; domestico operosa secreto, forensi stipata comiatu, nullo tamen meliore sui custode, quam se ipsa.* & infra: *Quid quod annis quoque omnibus ibat in Ierusalem solemni die Paschæ, exibat cum Ioseph: vbiq; in Virgine comes singularum virtutum est Pudor: Hic indiuiduus debet esse virginitati, sine quo non potest esse virginitas. Nec ad templum igitur Maria sine Pudoris sui custode processit. Hæc est imago virginitatis.* sic Ambrosius. Idem in comment. in Lucam lib. 2. *Et ingressus*, inquit, *ad eam Angelus, Discе Virginem moribus, discе Virginem verecũdia, discе Virginem oraculo, discе mysterio. Trepidare virginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, omnes viri affatus vereri. discant mulieres propositum Pudoris imitari, sola in penetralibus, quam nemo virorum videret, solus Angelus reperiret, sola sine comite, sola sine teste, ne quo degenere deprauaretur affatu, ab Angelo salutatur.* hæc Ambrosius.

Pudor virgineus in Deipara. Ambrosius.

25 Bernardus sermone Signum magnum de Deipara hoc argumentum tractans, mansuetudinem pudoris, cordisq; humilitatem in Deipara fuisse ex sacris litteris sic probat: *Gratissima*, inquit, *gemma in diademate, micans in capite stella, rubor in facie hominis verecundi: An verò quis putat quod hac caruerit gratia, quæ gratia plena fuit; Pudibunda fuit Maria, ex Euangelio id probamus: vbi enim aliquando loquax? vbi præsumptuosa fuisse videtur? foris stabat quærens loqui filio; nec materna auctoritate, aut sermonem interrupit, aut in habitationem irruit, in qua filius loquebatur, in omni denique textu Euangeliorũ non nisi quater Maria loquens auditur.* ita Bernardus. In nuptijs verò in Cana Galileæ, quamuis à filio dictum ei fuisset: *Quid mihi, & tibi est mulier, nondum venit hora mea: Ipsa tamen*, inquit Bernardus, *tanquam mitis, & humilis corde nec illi respondit, nec tamen desperauit, ministros admonens facere quod diceret eis.* & infra: *Toties denique Maria filium audiuit non modo loquentem turbis in parabolis; sed & discipulis seorsum Regni Dei mysteria reuelantem, vidit miracula facientem; vidit deinde in cruce pendentem; vidit expirantem; vidit resurgentem; vidit & ascendentem; sed in his omnibus quoties verecundissimæ Virginis, quoties pudicissimæ turturis, vox memoratur audita?* hæc Bernardus.

Bernardus. *Luc. 1.* *Matth. 12.* *Deipara quater locuta legitur.* *Ioan. 2.* *Bernardus.*

Petrus quoque Galatinus lib. 7. de arcanis cath. veri. cap. 5. testatur *Deiparam vsque adeò modestiam coluisse, vt eius oculi nihil inhonesti, nihil illiciti aspexerint; imò vt oculos nunquam eleuarit, sicut cæteri homines facere solent; sed semper nisi Deum oraret, humi defixos tenuerit, atque inter cæteras perfectiones eo spiritu prophetiæ donata est, vt si forte aliquid inconcessum, seu illicitum, vel auditura, vel visura esset, illico eius aures, & oculi clauderentur, ita vt non nisi voluntati diuinæ deseruire viderentur.* hæc Galatinus, quæ rationi admodum consona esse nemo inficiabitur, vt rectè adnotauit Canis. lib. 1. de B. Virg. cap. 13.

Galatinus. Modestia oculorum Deiparæ index humilitatis. *Canisius.*

26 De eius verò taciturnitate, ac silentio (præter ea, quæ Bernardus iam tetigit) nos supra, vbi de eius prudentia aliqua expendimus, in præsentia illud tantum obseruasse sufficiat, eam ad tacendum, quam ad loquendum fuisse promptiorem: nam cum inuenta esset in vtero habens de Spiritu sancto, quoniam ad sui commendationem id maximè pertinebat, noluit quicquam tanti mysterij S. Iosepho sponso aperire, tametsi suæ existimationis in re grauissima non leuem pateretur iacturam: verum totum diuinę prouidentiæ commisit quoad S. Ioseph ab Angelo huius mysterij est admonitus. Nec tantum ipsa Dei dona sibi collata alto silentio tegebat, verum etiam ex eius humilitate factum est, vt complura eius priuilegia in sacra Euangeliorum historia non sint litteris mandata, vt colligere licet ex sancta Brigitta lib. 6. reuelat. cap. 94. vbi cum Deipara ei dixisset Christum resurgentem sibi priusquam alijs apparuisse, & palpabilem se ei ostendisse, subijcit: *Quamuis*, inquit, *hoc non est scriptum propter humilitatem meam.*

Bernardus. Deiparæ taciturnitas præsertim in ijs, quæ eius laudem concernebant. Matth. 1. *Aliquæ Deiparæ priuilegia minimè scripta propter eius humilitatem. S. Brigitta.*

Epiphanius Presbyter Constantinopolitanus in vita Deiparæ, quam ex probatissimis Auctoribus se collegisse testatur, reiectis quibusdam malæ fidei scriptoribus de Virginis moribus multa affert, quæ Nicephorus in lib. 2. histor. cap. 23. scribit, ex quo ea, quæ ad

Epiphan. Presb Constantinop. *Nicephorus.*

rem

rem noſtram faciunt accipiam: *Erat MARIA*, inquit Nicephorus, *in rebus omnibus honeſta, & grauis, pauca admodum, eaq; neceſſaria loquens, ad audiendum facilis, & perquã affabilis honorem ſuum, & venerationem omnibus exhibens*. & infra: *Decenti dicendi libertate aduerſus omnes homines vſa eſt, ſine riſu, ſine perturbatione, ſine iracundia maxime*. & mox: *Erat denique factus omnis expers, ſimplex, minimeq; vultum fingens, nihil molliciei ſecum trahens, ſed humilitatem præcellentem colens*. hæc ille. Vbi rectè obſeruat Caniſius lib. 1. de B. Virg. cap. 13. illud quod græcè habetur in Nicephoro ἀπαρρησιαστος, & interpres vertit decentem dicendi libertatem magis proprie, & ſignificantius exprimi ſi dixeris eam cum omnibus loqui ſolitam ſine audacia, quod virginali pudori propriè congruit.

Caniſius.

In Deipara ſtudium ſeruandæ diuinæ legis. Cap. 37.

Humilitas Deiparæ in purificatione. S. Thom.

Leuit. 12.

Vtrum in purificatione mulierum, ſacrificium pro peccato ad prolem an ad matrẽ ſpectaret. S. Thomas.

Tres ſententiæ, prima ad prolem ſanctificandam.

Gloſſ. ordin.
Hugo.
Rupertus.
Beda.

Secunda pro matre.

Euthychius.
Lyranus.
Catetanus.
Abulenſis.
Ianſenius.

Tertia pro matre, & prole.

Auguſtinus.
Origenes.
Suarez.
Ambroſius.
Luc. 2.

Quod ſi de diuino timore, ſtudioq; diuinæ legis ſeruandæ in ijs etiam, ad quæ minime aſtringebatur, ſermo fiat; (nam & iſtud ad humilitatem à S. Benedicto referri diximus.) de hoc quidem ſupra non nihil attigimus, & cap. 37. vberius agemus: vnico tantum exemplo Purificationis in præſentia contenti erimus, in quo Deipara propter humilitatis, & obedientiæ exemplum, vt docet S. Thomas 3. par. q. 37. art. 8. Purificationis legem, cui minimè erat obnoxia ſubijt; idq; non ſine aliquo ſuæ exiſtimationis diſpendio: *Purificatio enim inſtituta erat* Leuit. 12. *ad tollendam mulierum, quæ ſuſcepto ſemine conceperant, immunditiam quandam ex ſordibus partus contractam*. Deinde in hac Purificatione offerebatur agnus in holocauſtum, & pullus columbæ, ſiue turtur pro peccato, pro pauperibus verò par turturum, aut duo pulli columbarum, vnum in holocauſtum, & alterum pro peccato: & quamuis D. Thomas loco citato art. 3. velit huiuſmodi ſacrificium in libro Leuitici omnibus puerperis præſcriptum, ad prolem ſpectare, ad expiationem ſcilicet peccati, in quo erat concepta, & nata, & ad quandam ipſius cõſecrationem, cui conſentit Gloſſa, & Hugo in Leuit. 12. & Rupertus lib. 2. in Leuit. cap. 16. Beda, & Euthymius in Luc. 2. Alij tamen exiſtimant illud ſacrificium pro peccato ad matrem referri; nam pro ea iubebatur Sacerdos orare, ita Lyranus, & Caietanus Leuit. 12. & Abulenſis in Leuit. quæſt. 23. & 30. Ianſenius in concordia cap. 10. Alij verò (quod mihi magis probatur) ad matrem, & ad filium pertinere volunt; in qua ſententia videtur eſſe Auguſtinus lib. quæſt. in Leuit. q. 80. & Origenes homil. 14. in Leuit. & Suarez tom. 2. in 3. par. diſput. 16. ſect. 1. At verò Deipara quamuis de Spiritu ſancto, abſque virili ſemine concepiſſet, id quod ab illa lege eam excipiebat; & quamuis ex partu illo virgineo, quo Deum eſt enixa, vel ipſis aſtris purior remanſiſſet, nec peccato vllo vel ipſa, vel eius filius tenerentur; Purificationis tamen legi ſe ſponte ſubiecit, & veluti paupercula par turturum, aut duos pullos columbarum ad ſacrificium, obtulit; quicquid de eius immunditia, vel de peccato, pro quo ſacrificium offerri videbatur, alij falſo exiſtimare poſſent. quare Ambroſius lib. 2. de Virginibus ſtudium diuinæ legis cognoſcendæ, quod in Deipara elucebat, ſic commendat: *Maria*, inquit, *conſeruabat hæc omnia in corde ſuo. Quamuis mater Domini diſcere tamen præcepta Domini deſiderabat, & quæ Deum genuerat, Deum tamen ſcire cupiebat*.

In Deipara humilitatis gradus ſubijciendo ſe alienæ voluntati.

Climacus.
Phil. 2.

27 De altero verò humilitatis gradu, quem S. Benedictus ponit, quo quis alienæ voluntati ſe ſubijcit, de quo Climacus grad. 8. *Humilitas*, inquit, *eſt principium obedientiæ, ſicut Moyſes fuit principium legis: & obedientia, quæ eſt filia humilitatis perficit ipſam matrem ſuam humilitatem, ſicut ſancta Maria nata de Synagoga perficit Synagogam*, ſic Climanus. Hunc autem humilitatis gradum Apoſtolus Paulus ad Philip. 2. in Chriſto meritò extollit cum ait: *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem*. At verò obedientiæ ſuæ Deipara illuſtre nobis exemplum reliquit; *non ſolum enim*, quemadmodum ad hoc probandum animaduertit S. Antoninus 3. par. tit. 31. cap. 3. §. 2. *Trimula in templo ſe totam regendam ſubiecit*, & ex ſancta Mectilde lib. 1. Reuelation. *Parentibus adeò ſubiecta, & obſequens fuit, nulla vt illos ratione vnquam offenderit, aut contriſtarit*; ſed etiam cum ſtatuiſſet virginitatem, (cuius votum Deo nuncuparat) ita ſeruare, vt hoc propoſitum ne Angelo quidem filium, & talem filium promittente aliqua ex parte vacillarit, cumq; iuxta illius ætatis mores in templo diutius conſiſtere non permitteretur; coniugium tamen S. Ioſeph, quem diuinitus nouerat virginitatem ſecum pariter ſeruaturum ſubire non recuſauit; quod licet in reliquis mulieribus, quæ ſobolis

S. Antoninus.

Renel. S. Mectil.

ſuſci-

ſuſcipiendæ cauſa coniugium ineunt, mirandum non ſit. In Deipara tamen, quæ virginitatem ſeruatura erat, illud ex coniugio factum eſt, vt cum eſſet ſapientia, & ſanctitate ſuo ſponſo, tametſi ſapientiæ, & ſanctimoniæ laude inclyto, tanto ſuperior; tamen vitæ ſuæ rationes, domeſtica negotia, crebra itinera, quæ poſtea ſuſcepit in Bethelem, in Aegyptum, & iterum ex Aegypto, & reliqua omnia alieno arbitrio regenda permiſerit: Atque ita quid in huiuſmodi profectionibus eſſet faciendum Angelus ſanctum Ioſeph, pęnes quem familiæ adminiſtratio erat, monebat; ipſa verò ad S. Ioſephi imperium omnia exequebatur; quin etiam cum filium triduo quæſitum in templo inueniſſet, eundem ſponſum, qui pater Domini putabatur, honoris cauſa primo loco nominandum exiſtimauit, cum dixit: *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te;* quod & obſeruauit Auguſtinus, vt mox dicemus. *Luc. 2.* *Auguſtinus.*

28 Denique quam demiſſe de ſe ipſa ſentiret, atque pronunciaret, non obſcurè oſtendit locus, quem poſt Chriſti Aſcenſionem gloria filij magis, magisq; apud fideles coruſcante ſibi delegit; nouerat enim humilis Virgo ex eiuſdem Chriſti parabola Lucæ 14. recumbendum eſſe vltimo loco: *Ideò in aliis Apoſtolorum legimus* (inquit Bernardus loco citato) *quod redeuntes diſcipuli à Monte Oliueti vnanimiter perſeuerabant in oratione, & cum ibi adeſſet Maria, non nominatur prima, quæ ſuper omnes eſt, tam filij prærogatiua, quàm ſuæ priuilegio ſanctitatis; ſed recenſetur poſt mulieres, quia ſe vltimam exhibebat, vt nouiſſima omnium poneretur infra viduas, & pœnitentes, & infra eam, de qua eiecta fuerunt ſeptem damonia, ineffabili ſeſe manſuetudine inclinabat: meritò igitur facta eſt omnium Domina, & ſuper Angelos exaltata.* hæc ex S. Bernardo. Similiter, vt iam dicebamus ſemetipſam ſecundo loco poſt ſponſum nominauit. Cùm dixit ad filium in medio Doctorum inuentum: *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*, quod S. Auguſtinus ſermone 65. de diuerſis cap. 11. ad mores eleganter transfert: *Non eſt prætermittenda*, inquit, *fratres maximè propter diſciplinam fœminarum, tam ſancta modeſtia Virginis Mariæ. Meruerat parere filium altiſſimi, & erat humillima, nec ſe marito, nec in ordine nominis præferebat, vt diceret Ego, & Pater tuus, ſed Pater tuus, inquit, & ego, non attendit ſui vteri dignitatem, ſed ordinem coniugalem, quia caput mulieris vir.* hæc Auguſtinus. *Deipara in cænaculo vltimo loco manet.* *Luc. 14.* *Bernardus.* *Act 1.* *Luc. 2.* *Auguſtinus.*

Hanc etiam animi demiſſionem apertè declarant verba illa ſui Cantici: *Quia reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ*, vt meritò Bernardus ſermone Signum magnum: *Nec in ſola*, inquit, *Mariæ taciturnitate commendatur humilitas, ſed euidentius reſonat in ſermone.* ſic ille. In hoc enim Cantico humilitatis nomine, & ſi virtutem ipſam humilitatis à Deipara intellectam velint Origenes hom. 8. in Lucam. Auguſtinus ſerm. 35. de Sanctis. Beda in Luc. 2. Bernardus ſerm. 42. & 45. in Cantica. probabilius tamen exiſtimo cum Theophilato, Euthymio, Ianſenio, Maldonato in cap. 2. Luc. & Toleto in Luc. 1. annot. 120. Sanctiſſimam Virginem ſuam vilitatem, & exiguitatem, ſeq; tanto beneficio indignam profiteri voluiſſe; ac proinde humilitatis virtutem magis exercuiſſe, quam ſignificaſſe: *Verus enim humilis*, ex Bernardo ſerm. 16. in Cant. *vilis vult reputari, & non humilis prædicari.* Et hoc ſatis confirmari videtur ex Luca, à quo hoc loco vſurpatur græcum vocabulum ταπείνωσις, quod abiectionem, non autem ταπεινοφροσύνη, quod humilitatis virtutem in ſacris litteris ſignificare conſueuit, vt videre eſt Epheſ. 4. *cum omni humilitate*, & col. 3. *induite* &c. *humilitatem;* quamuis Coloſ. 1. vbi dicitur, *In humilitate mentis:* ταπεινοφροσύνη pro abiectione accipiatur ex Hieronymo ad Aglaſiam q. 10. & τάπεινος ad humilitatis virtutem referatur 1. Petr. 5. & Iacob. 4. cum dicitur: *Deus humilibus dat gratiam.* Quare cum Deum ſuam vilitatem reſpexiſſe humiliter proteſtata eſt: non id fictè, aut falſo de ſe affirmabat Deipara; quamuis enim ſpiritum accepiſſet, qui ex Deo eſt, vt ſciret præclariſſima, quæ ſibi à Deo donata erant (nam & hoc de ſe aſtruit Apoſtolus 1. Cor. 2.) atque pro ijs Deipara maximas ſibi Deo gratias agendas eſſe prædicaret, quod, & in hoc ipſo Cantico illis verbis cecinit: *Magnificat anima mea Dominum.* & mox: *Quia fecit mihi magna qui potens eſt:* propter ſuam tamen inſignem ſanctitatem ſeruabat illud Eccleſ. 3. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Ideo*, quemadmodum ait S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 5. §. 1. *quanto maior fuit, tanto minor ſibi ipſi videbatur propter immenſam humili-*

Humilitas Dei parę in Cantico, Quia reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ. *Quid nomine humilitatis ſignificatur.* *Origenes.* *Auguſtinus.* *Beda.* *Bernardus.* *Theophilatus.* *Euthymius.* *Ianſenius.* *Maldonatus.* *Toletus.* *Bernardus.* *Luc. 1.* *Eph 4.* *Coloſ. 3. & 1.* *Hieronymus.* *1. Petr. 5.* *Iacob. 4.* *1. Cor. 12.* *Luc. 1.* *Eccleſ. 3.* *S. Antoninus.*

*militatem,& animi demiſſionem;*neque enim attendebat ad regalem progeniem,*ex qua,*
Offic. Eccleſ. vt canit Eccleſia,*exorta refulgebat:* nouerat enim illud.

Ouid. lib. 13. Metamor. ,, *Nam genus,& proauos, & quæ non fecimus ipſi*
,, *Vix ea noſtra voco.*

Sed reſpiciebat ad humanæ naturę,ſi Deo componatur;abiectionem: iuxta illud Sap.
Sap 11. 11. *Quoniam tanquam momentum ſtateræ, ſic eſt ante te orbis terrarum, & tanquam*
Iſa. 40. *gutta roris antelucani, quæ deſcendit in terram:* & iuxta illud Iſa. 40. *Omnes gentes quaſi non ſint,ſic ſunt coram eo:& quaſi nihil,& inane reputatæ ſunt ei.* Reſpiciebat ad ſexus
Luc. 1. fœminei fragilitatem,ad paupertatis ſuæ tametſi ſpontaneæ conditionem, propter quã humano fauore erat deſtituta; ideoq; verè prædicabat Deum optimum reſpexiſſe humilitatem ancillæ ſuæ; ex quo etiam diuina bonitas,quam magnificandam ſuſceperat, magis elucebat, quæ ipſam in tantam gloriam extulerat, vt beatam eam dicturæ eſſent omnes nationes; quia fecerat in ea magna qui potens eſt. Hac porrò tam eximia animi demiſſione in tanta diuinorum donorum affluentia non ſolum præ omnibus puris creaturis,vt cap.12.diximus,exaltari promeruit,quæ præ cunctis humilitatem coluit,iuxta
Deipara Eua ſuperbiam emendauit. illud Matth.23. *Qui ſe humiliat exaltabitur:* verùm etiam primæ matris Euę ſuperbiam
Rupertus. emendauit,quod Rupertus in Cant.cap.1.in illa verba: *Nardus mea dedit odorem ſuum* ex perſona Deiparæ loquens eleganter ſic exprimit: *Olim in Eua malo ſuperbiæ fœtore Rex offenſus,& ob hoc ab humana generatione auerſus fuerat,nunc autem delectatus nardo humilitatis meæ ad genus humanum conuerſus eſt.* & iterum idem Rupertus: *Placuit Deo quod in fœmineo ſexu tantam humilitatem inuenit, à quo initium ſuperbiæ generi humano ſuperueniens totam maſſam corrupit.* hæc ille. & Bernardus homil.2. ſuper Miſſus eſt, Deiparam cum Eua comparans: *Redditur,* inquit, *fœmina pro fœmina, prudens*
Bernardus. *pro fatua, humilis pro ſuperba, quæ pro ligno mortis guſtum ſibi porrigat vitæ.* ſic Bernardus.

Contra hæreticos Deiparæ verba in alium ſenſum detorquentes. Faceſſant tamen hinc nefariæ quorundam recentiorum hæreticorum voces,hæc Deiparæ verba, quibus Deum humilitatem ſuam reſpexiſſe fatetur, in eum ſenſum detorquentium,vt ex illis vilem, abiectam, & nullius coram mundo precij ſanctiſſimæ Virginis conditionem aſtruere contendant. Nam, vt in præſentia taceam veram animarum
Nobilitas Deiparæ. nobilitatem,quæ ex Ambroſio libro de Noe, & Arca cap. 4. clarificatur ſplendore virtutum,quibus præ cunctis mortalibus Deipara enituit: certè nobilitas illa ex maiorum
Ambroſius. ſtemmate,quam homines magnificiunt, Deiparæ non deerat: adeò vt nemo ea tempeſtate cum Deipara in hac generis antiqua,& ſpectatiſſima proſapia vlla ex parte conferri potuerit.& vt ex vno reliquos conijciamus,Octauianus ipſe Auguſtus, qui tunc temporis rerum potiebatur,& filius erat Aciæ neptis Iulij Cæſaris Dictatoris inter Romanos antiqua nobilitate conſpicui,non abſque fabularum, & mendaciorum admixtione genus ſuum oſtendere poterat. Nam vt nihil dicam, quæ de eius auo, & proauo iactata
Suetonius. commemorat Suetonius in Octauiano, de quibus nihil ad nos,certè de Iulio Cæſare
Virgilius. Poeta cecinit.

,, *Iulius à magno deductum nomen Iulo.*

Cuius tamen Iuli patrem Aeneam probroſa illa Dea Venere procreatum fabulabantur Poetæ. At verò Deipara,quemadmodum cap.17.vberius diximus, ex inclyto ſemi-
Matth.1. ne Regum,& Sacerdotum,quorum in Iudæorum populo erat præcipua,& omnibus certa,atque explorata nobilitas,originem continuata ſerie ducebat,ſuumq;genus per qua-
Luc.2. tuordecim circiter Reges,aliosq; Duces populi ad Dauid,& ad Abraham referebat:idque omnibus ſatis cognitum erat, atque teſtatum; ideò enim ex Nazareth non abſque longiſſimi itineris labore aſcendit in Bethelem,vt profiteretur cum Ioſepho ſponſo, eo quod eſſet de domo,& familia Dauid: & Chriſtus,qui non aliunde, quam ex ſua genitrice ortum ducebat,ab omnibus filius Dauid citra vllam controuerſiam agnoſcebatur. Nam & circumciſio propterea illi populo erat data,vt internoſceretur ab alijs, & vt hac ratione certiſſime conſtaret Chriſtum ab Abraham, cui de eo facta erat repromiſſio,deſcendere, quo adueniente circumciſio eſt abolita; Genealogiæ quoque Iudæorum in
Euſebius. Ioſephus. hunc finem Deo id agente diligentiſſime ſcribebantur, & in archiuijs publicis ſaltem vſque ad Chriſti tempora ſub Herode Rege,quod teſtatur Euſebius, & Ioſephus lib. 1.

aduer-

aduerſus Appionem; Iudæi quoque Chriſto infenſiſſimi eum fabri filium per contemptum vocantes, ex Dauid tamen proſapia deſcendere neutiquam negarunt; quod ſi de proximis Virginis Deiparæ progenitoribus, ſanctis nimirum Ioachimo, & Anna, ſermo fiat, eos honeſtiſſimos, & primis quibuſcunque, ac ſplendidiſſimis, & nobiliſſimis connumeratos teſtantur Patres, quos cap. 18. vberius attuli, qui bona ſua trifariam diuiſa in templi miniſtros in pauperes, & in proprios vſus impendebant: ex quo colligimus bonis eos non indiguiſſe, quibus tamen Deipara, vnica eorum hæres, ſponte ſe abdicauit in pauperes erogando, vt cap. 37. dicemus ex S. Brigitta lib. 7. reuelat. cap. 13. & lib. 1. cap. 10. Et hæc in præſentia ſatis ſint contra hoſce hæreticos, quibus illud Ambroſij epiſt. 5. dicere poſſumus: *Claudat ſua ora perfidia, obmuteſcat, ne matrem Domini aliquo audeat temerare conuicio.* Contra hos pluribus piè, & eruditè diſputat noſter Caniſius lib. 1. de B. Virg. cap. 3. & lib. 4. cap. 7.

Matth. 13.

S. Brigitta. Cap. 37.

Caniſius.

ORATIONIS VIRTVS IN DEIPARA:
Actus item vitæ actiuæ, & contemplatiuæ, quæ ne à ſomno quidem intercipiebatur, ſacrarumq; litterarum cognitio, ac meditatio.

29 SEd veniamus iam ad orationis in Deipara virtutem, quam ad Religionem ſupra ſpectare diximus, & conſulto in hunc locum reiecimus, vt intelligamus cum profundiſſima Deiparæ humilitate, de qua iam egimus, iugem quoq; ac perfectiſſimam eius cum Deo per orationis ſtudium coniunctionem. Et ſanè admirari in Deipara poſſumus orationis ſedulitatem, atque animi ad Deum iugiter aſcendentis intentionem, quæ idcirco incenſo comparatur; vt proptereà ab Ephræm oratione de Deipara ipſa Virgo ſanctiſſima vocetur *Thuribulum aureum*; quod Hebr. 9. dicitur fuiſſe intra ſancta ſanctorum cum Arca. Eam quoq; adumbrabat: *Altare thymiamatis*, Exod. 30. Nam quemadmodum altare illud de lignis ſethim auro puriſſimo conueſtitum, & corona aureola circumdatum erat cornibus inſignitum, in quo ſuauiſſimi odoris thymiama mane, & veſperi adolebatur: ita ſanctiſſima Virgo myſticè his omnibus (quæ ſupra cap. 5. in conſtitutione Arcæ, & menſæ panum propoſitionis explicauimus) ſingulariter erat inſtructa, quatuor cornibus ad dæmones hoſtes fæuiſſimos in quatuor mundi partibus ſuis precibus, & orationibus ventilandos ornata. Quale autem thymiama pretioſiſſimum ſuaue fragrans ex eius corde charitatis igne ſuccenſo recta ad Deum vſque aſcenderit, & eos, qui aderant recrearit; dæmonesq; hoc ſuffitu longè, vt diximus, effugarit, ex ijs, quæ de eius virtutibus in hoc capite dicuntur, aliqua ex parte colligi poterit.

Pſal. 140.

Thuribulum aureum. Hebr. 9.

Altare Thymiamatis. Exod. 30.

Quatuor cornua in altare thimiamatis, quid in Deiparæ ſignificent.

Admirari prætereà poſſumus in ea actus vitæ actiuæ, & contemplatiuæ; in vtraque enim adeò excelluit, vt proptereà in eius Aſſumptione Euangelium legatur (quemadmodum animaduertit Ildefonſus ſermone quinto de Aſſumptione, & Bernardus ſermone quarto de Aſſumptione) de Martha, quæ *excepit Dominum in domum ſuam, & ſatagebat circa frequens miniſterium*, & ſimul: *De Maria ſedente ſecus pedes Domini; quæ audiebat verbum illius:* quod fusè probat Ildefonſus loco citato. Et de actiuæ quidem vitæ operibus, quæ in Chriſtum filium ſuum exercuit, copiosè egimus cap. 12. de actibus verò vitæ contemplatiuæ S. Ildefonſus ſermone quinto de Aſſumptione in hunc modum argumentatur: *Si Maria quondam peccatrix, cui donando peccata erat Dominus propitius, intentè audiebat verba ex ore eius; quanto ſtudio magis hæc, quæ mente, ac corpore ſancta audiebat ardentius, cuius ipſe & Dominus erat, & filius?* hæc ille. Quocirca Petrus Damianus ſermone primo de Natiuit. Virgin. per duas manus tenentes ſedile throni Salomonis, vitam Virginis actiuam, & contemplatiuam ſignificari dicit: *Vita,* inquit, *actiua, & contemplatiua Virginem perfectiori diligentia ambierunt, adeò vt nec actio contemplationem minueret, & contemplatio non deſereret actionem.* ita Damianus. Bonauentura in ſpeculo cap. 4. *Indefeſſiſſima,* inquit, *& ſtudioſiſſima fuit Maria per ſedulitatem in bonis operibus: ipſa namq; eſt MARIA illa, de qua dicitur in Act. Hi omnes erant perſeuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & MARIA matre Ieſu. Maria indefeſſe perſeuerando in oratione exem-*

Actus vitæ actiuæ, & contemplatiuæ in B. Virgine. Ildefonſus. Bernardus. Luc. 10. Ildefonſus.

Petr. Damian. 3. Reg. 10.

Bonauentura. Act. 1.

plum dedit, quam oportet sequi, & non deficere: & si Maria tam sedule orauit in terris, quomodo non sedule orabit pro nobis in Cœlis? & mox: *Sed ecce MARIA nostra non solum ore in orationibus, sed etiam corde in sanctis meditationibus indefessa fuit, & sedula; de qua dicitur in Euangelio Lucæ: Maria conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Nec fuit ociosa, & ideò non solum mentem in sanctis meditationibus, non solum linguam in deuotis orationibus, sed etiam manus in bonis operibus sedulas habuit. ad quid enim cum Elisabeth mansit tribus mensibus? Respondet Beda, vt mulieri proiectæ ætatis Virgo iuuenula ministerium sedula impenderet.* hactenus Bonauentura.

Luc. 2.

Beda.

Contemplatio Virginis non interrumpebatur somno, & probatur.

30 Quin etiam ne à somno quidem retardabatur eius contemplatio. Quare S. Ambrosius lib. 2. de Virginibus loquens de beata Virgine: *Dormire,* inquit, *non prius cupiditas; quàm necessitas fuit, & tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus, qui frequenter in somnis, aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda pronunciat.* ita Ambrosius. Et S. Bernardinus tomo 2. sermone 51. artic. 1. cap. 2. *Somnus,* inquit, *qui abyssat, & sepelit in nobis rationis, & liberi arbitrij actus, & per consequens actum merendi, non credo, quod talia in Virgine fuerit operatus, sed anima eius liberè, ac meritorio actu tunc tendebat in Deum. vnde illo tempore erat perfectior contemplatrix, quàm vnquam fuerit aliquis alius dum vigilauit;* vnde ipsa Cantic. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat; scilicet in contemplatione perfecta à nulla actione debilitata.* sic ille. Id ipsum etiam dicit tomo 1. sermone 61. artic. 3. cap. 3. Idem tomo 3. sermone 11. artic. 2. cap. 3. in illud Cantic. 8. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto,* expendens verbum illud (ascendit) vult eo verbo indicari singularem Virginis gratiam: *Quæ tota fuit,* inquit, *profectus deuotionis, semper enim ascendebat dum vixit.* ita ille. Rupertus super Cantic. 5. docet, multarum sanctarum animarum esse non solùm ocio sancto dormire, ideſt à terrenis curis vacare, & in cœlestibus per contemplationem corde vigilare: sed etiam secundùm corpus dormire, & secundùm animam per somnium cœlestia videre: sicut Iacob dormiens vidit scalam illam: & Ioelis 2. *Senes vestri somnia somniabunt;* & conuersus ad Virginem: *Sed tu,* inquit, *ò cœlum Dei, vnica sedes Domini in vtroque vigilantiæ modo, cunctis mortalibus longè eminentior fuisti, longè studiosior ad contemplandum eum, in quem desiderant Angeli prospicere, atque aptior fuisti.* sic Rupertus. Carthusianus in Cantic. cap. 5. in illa verba: *Ego dormio, & cor meum vigilat:* loquens de Virgine: *Hoc,* inquit, *sanctissima Virgo præeminenter dicere potuit, quia contemplatiuissimam vitam duxit, & ab exteriori tumultu omni inordinato strepitu, & cura superflua, atque inquietudine culpæ penitus abstinens, & sopita, vigilantissima mente Deo vacauit, pro Ecclesia exorauit, actibusquè virtutum in termino excellentiæ perfectissimis iugiter fuit intenta. Denique in somno corporali cor eius peruigil fuit, & ex assidua assuefactione perfecta insistendi diuinis, ex ardentissima, & exercitatissima charitate, ex splendidissima, & exuberantissima sapientia sibi infusa, & contemplatione in vigilijs, penè, aut prorsus continuè, etiam tempore somni, vigili corde fuit Deo coniuncta, & pro commissa sibi Ecclesia vigilare non cessat.* ita Carthusianus. Idem lib. 2. de laudibus Virginis artic. 8. docet. Nulla neque affectione, neque occupatione mentem Virginis à contemplatione reuocatam: vide etiam Bustum in Mariali 3. par. serm. 1. par. 3. vbi idem docet. In hoc etiam inclinat Canisius lib. 1. cap. 13. Albertus Magnus de B. Virgine cap. 176. & 177. inter alia Virginis priuilegia ponit, quia quolibet tempore meruit. Hoc Alberti dictum refert, & probat S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 20. §. 6. qui §. 2. dixit, Virginem, quia nunquam peccauit, nec erat otiosa, sed semper operabatur cum maxima charitate, in omni actu valdè meruisse: ex quo ostenditur immensum eius meritum. Idem Antoninus loco citato cap. 44. §. 8. ex Odilone: *Vnum,* inquit, *pro certo scimus, quia omnis Mariæ actio, & intentio semper fuit intenta in Deo.* hæc S. Antoninus. Si enim de hominibus in statu Innocentiæ Augustinus lib. 5. contra Iulianum cap. 9. *Tam fœlicia,* inquit, *erant somnia dormientium, quàm vita vigilantium;* Virginem multò magis dicere possumus tam felicem æquè dormiendo, ac vigilando fuisse. vide Suarium tom. 2. in 3. par. disput. 18. sect. 2.

Cant. 5.

Cant. 8.

Cant. 5.

Rupertus.

Genes. 28.

Ioel 2.

Carthusian.

Bustus in Mar.

Canisius.

Albert. Mag.

S. Antoninus.

Augustinus.

Suarius.

Ad

31 Ad contemplationem etiam magnopere confert ſacrarum litterarum cognitio, lectio, atque meditatio; in quibus Deipara ſe diligenter exercuit: *Litteras enim hebraicas*, inquit Cedrenus, *ſuperſtite etiam num patre Ioachimo didicit:* cui conſentit Epiphanius Presbyter Conſtantinopolitanus apud Nicephorum lib. 2. cap. 23. qui etiam addit fuiſſe eam docilem, & amantem doctrinæ, & in ſacris litteris laboraſſe; id quod longè ante de ea docuerat Origenes homilia ſexta in Lucam: *Habebat*, inquit, *Maria legis ſcientiam, & erat ſancta, & vaticinia quotidiana meditatione cognouerat:* & Ambroſius lib. 2. de Virginibus agens de Deipara: *Tùm*, inquit, *minus ſola videbatur, quam cum ſola eſſet; nam quemadmodum ſola, cui tot libri adeſſent, tot Archangeli, tot Prophetæ?* Idem lib. 2. in Lucam agens de eadem: *Legerat*, inquit, *quia Virgo conciperet, ſed non legerat quemadmodum Virgo generaret.* ſic Ambroſius. *Ideò ſciſcitatur*, inquit Beda, *ab Angelo quod in Propheta non inuenit:* & Auguſtinus ſermone 21. in Natali: *Virginem in hunc modum affatur: Reuolue Maria propheticam lectionem; neque enim te ſcientia diuinorum poteſt præterire librorum, quæ ipſam plenitudinem paritura es prophetarum; recole in libro Iſaiæ Prophetæ Virginem, quam legiſti; & gaude, quia tu eſſe meruiſti.* Andreas Cretenſis in oratione de Annunciatione: *Conſentaneum eſt*, inquit, *eam vtpotè nobilem, & Dauidis filiam diuinarum ſcripturarum non fuiſſe ignaram.* S. Ildefonſus ſermone 5. de Aſſumptione de Deipara agens: *Vnum*, inquit, *profectò ſcimus, quia omnis eius vita, & actio intenta fuit ſermoni Dominico*; idque probat, *quia corpore*, inquit, *erat in domo parentum, ſpiritu in illo diuinæ ſpeculationis intuitu, ſine præiudicio alicuius irreprehenſibiliter viuens orabat, legebat forſitan diuinæ ſcripturæ teſtimonia ad illud ineffabile ſacramentum, quod in ea gerebatur ſine dubio pertinentia. eiuſmodi erat illud Moyſis. Prophetam, inquit, ſuſcitabit Deus de fratribus veſtris, tanquam me ipſum audietis; & illud, Non auferretur ſceptrum de Iuda; & illud Balaam, Orietur ſtella ex Iacob, & exurget homo de Iſrael, & Iſaiæ: Ecce Virgo concipiet, & pariet filium; & Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius. & pſal.* (ex verſione, quã legit Ambroſius in orat. de obitu Satyri fratris.) *Mater Sion dicet homo, & homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam Altiſſimus. & Iſa. Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis.* ſic Ildefonſus.

Deipara ſacrarum litterarum peritiſſima. *Cedrenus.* *Epiphan. Presb. Conſtantinop.* *Nicephorus.* *Origenes.* *Ambroſius.* *Beda.* *Auguſtinus.* *Iſa. 8.* *Andr. Cret.* *Ildefonſus.* *Deut. 8.* *Gen. 49.* *Numer. 24.* *Iſa. 7. & 11.* *Pſal. 86.* *Iſa. 9.*

BONVM EXEMPLVM EX DEIPARAE virtutibus micare.

32 INter præcipuos virtutum effectus meritò connumeratur bonum, quod ab illis promanat exemplum; quo viri ſancti bonus Chriſti odor, vt ait Apoſtolus, effecti alios mirificè ædificant, recreant, & ad diuinas laudes, earumdemq; virtutum imitationem inflammant. Hinc eſt illud, quod initio huius capitis dicebamus, ex Virgine beatiſſima omni ſanctitate exornata, veluti ex diuino throno fulgura virtutum longe lateq; coruſcare; *cuius vita inclyta* propter radiantium virtutum exempla *cunctas illuſtrat Eccleſias*. Propter multiplicem igitur virtutum ſuarum exemplum, ſeu odorem fragrantiſſimum; præſertim orationis, mortificationis, cæterarumquè omnium, quibus alios ſuo exemplo ad pietatem excitabat, eadem Deipara meritò de ſe dicebat Eccleſ. 24. *Sicut cinnamomum, & balſamum aromatizans odorem dedi, quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris, & quaſi ſtorax & Galbanus, & vngula, & gutta, & quaſi libanus non inciſus vaporaui habitationem meam, & quaſi balſamum non mixtum odor meus: Ego quaſi Terebinthus extendi ramos meos: & rami mei honoris, & gratiæ; ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris, & flores mei fructus honoris, & honeſtatis.* De hoc agens Bonauentura in ſpeculo cap. 7. *Odor*, inquit, *MARIAE fuit ſicut cinnamomum in cortice conuerſationis; ſicut balſamum interius in vnctione deuotionis; ſicut myrrha in amaricatione caſtigationis; fuit quoque odor MARIAE ſicut cinnamomum in actione, ſicut balſamum in contemplatione, ſicut myrrha in paſſione. O verè diues, quæ tam plena fuit odorifero Spiritus ſancti balſamo, vt ait Bernardus ſuper illud Spiritus ſanctus ſuper-ueniet in te.* hæc ille.

B. Virgo propter odorem virtutum ſuarum eſt balſamum aromatizans. *Eccleſ. 24.* *Bonauenturæ.* *Bernardus.*

Idem in ſpeculo cap. 5. *Balſamum*, inquit, *MARIAE eſt vnctio gratiæ, qua Ma-*

Quid ſit balſa-

mum non mixtum. *Bernardus.* *ria copioſiſſime eſt infuſa*; vnde Bernardus loquens de verbo illo: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te*, ait, *Pretioſum illud balſamum tanta ſibi copia, tantaq; plenitudine influet, vt copioſiſſime effluat circumquaque*. hæc Bonau. Cæterùm cur Deipara in dicto cap. 24. Eccleſ. Balſamo, ac Terebintho comparetur, aliqua afferamus; nam de myrrha ſupra in hoc ipſo capite, & de Viti cap. 8. iam diximus.

Plinius. Et quod ſpectat ad balſamum; nonnulla, quæ ad rem noſtram faciunt ex Plinio libro 12. naturalis hiſtoriæ cap. 25. eius planè verbis delibemus, quo melius intelligatur, quare balſamo Deipara aſſimiletur: *Omnibus*, inquit Plinius, *odoribus præfertur Balſamum vni Terrarum Iudææ conceſſum, quondam in duobus tantum hortis; vtroque regio. Sauiere in eandem arbuſculam Iudæi, ſicut in vitam quoque ſuam; Contra defendere Romani, & dimicatum pro frutice eſt. Seritque nunc eam fiſcus, nec vnquam fuit numeroſior, aut procerior. Inciditur vitro, lapide, oſſeiſue cultellis, ferro læsi vitalia odit, emoritur protinus. Succus è plaga manat, quem opobalſamum vocant, ſuauitatis eximiæ, ſed tenui gutta in muſto candida, rubeſcit; deinde ſimulq; dureſcit è tranſlucido. Vitiatur oleo roſæ; Cypri, lentiſci, & aliarum quarundam fruticum; & melle mutatum ſtatim contrahit muſcas. Summa probatio ſynceri eſt, vt lac coagulet, in veſte maculas non faciat.* hæc Plinius.

Bernardus. *Bonæuentur.* *Maria virtutes per balſami odorem ſignificantur.* *Cant. 1.* *Eccl. 24.* Ex quibus omnibus multa Deiparæ congruunt, quæ eius præſtantiam exprimunt. ſuppono enim balſamum ex Bernardo, & Bonauentura citatis, Spiritu ſancti gratiam, & virtutes diuinitus ſanctiſſimæ Virgini infuſas ſignificare. Et primò quidem balſami odor ſuauiſſimus virtutum Deiparæ præcipuam fragrantiam indicat, quæ omnes recreat, & ſuo exemplo ad currendum poſt Chriſtum ſponſum excitat, ita vt ei dicere poſſimus illud Cantic. *In odorem vnguentorum tuorum curremus*; ideoq; ex perſona Deiparæ in hac, quam ex Eccleſiaſtico 24. citauimus ſententia pronunciatur: *Sicut balſamum aromatizans odorem dedi.* Qua in re illud peculiare balſami oleo odorato ineſt; quod virtutem quandam maſculam, & fortem, cuiuſmodi erant Deiparæ virtutes, non autem mollem, & effæminatam ſignificet; nam balſamum veluti nobile, ac generoſum reliquis vnguentis præſtans viris adhiberi ſolebat, fœminis verò magis congruebat Amomum aſſyrium, aliaq; id genus delicata vnguenta, quibus Reges aſſyriorum, quorum notiſſimus eſt luxus, vtebantur: idquè ſatis exprimit Martialis lib. 14. Epigram. 54.

Virg. egloc. 4. *Aſſyrium vulgo naſcetur Amomum.* *Martial.*

„ *Balſama me capiunt, hæc ſunt vnguenta virorum,*
„ *Delicias Nini vos redolete nurus.*

Plinius. *Strabo.* *Solinus.* *Ioſephus de antiquitate.* 33 Secundò, Balſamum olim vni Iudææ, nulli prætereà Regioni erat conceſſum; quod non tantùm Plinius; ſed etiam Iuſtinus lib. 36. Strabo lib. 16. Solinus cap. 36. affirmant. nam ex Ioſepho lib, 8. antiqu. cap. 6. fertur Regina Saba balſami radicem Salomoni dono dediſſe, & ideò in ſola Iudæa reperiri; vt propterea ex Plinio loco citato Pompeius deuicta Iudæa balſami arbuſculam in triumpho duxerit; & Veſpaſiani Imperatores iterum ipſam Romam Iudæa vaſtata attulerunt; quo tempore Iudæi ne in poteſtatem Romanorũ veniret, eam prorſus excindere ſunt conati, vt diximus ex Plinio; niſi Romani armis eam ſeruaſſent. quare Virgilius in 2. Georg. referens ſuas cuiq; regioni datas arbores. ſic de balſamo cecinit.

Virgilius.

„ *Diuiſæ arboribus Patriæ: ſola India nigrum*
„ *Fert Ebanum; ſolis eſt thurea virga Sabæis.*
„ *Quid tibi odorato referam ſudantia ligno*
„ *Balſamaq; & baccas ſemper frondentis acanthi?*

Poſt Chriſti aduentum balſami frutex propagatus. *Dioſcoridis.* *Auicenna.* *Burchardus.* *Solinus.* At verò circa Chriſti aduentum videtur balſami frutex multis in locis propagatus; nam Dioſcorides, qui circa Chriſti tempora claruit, & Auicenna in Aegypto eam naſci teſtantur, quibus conſentit Burchardus in deſcriptione Terræ ſanctæ, parte ſecunda, capite quarto, vbi inter Heliopolim, & Babyloniam medio fere loco à ſe viſum refert hortum balſami, qui niſi irrigetur aqua ex fonte, in quo Deipara dùm in Aegypto maneret, filium lauit, fructum minimè edit. Solinus verò ait: *Balſami lucos deuicta Iudæa ita propagatos, vt iam latiſſime*, inquit, *colles ſudent balſama*. Strabo in maritimis Sabeorum ſylueſtre balſamum oriri tradit. & Pauſanias

Pauſanias.

in

in Bæothicis lib. 9. in Arabia balſami arbores ponit: ex India verò Occidentali noſtro ſeculo magnam balſami copiam aduehi nemo ignorat. Hoc autem in Deiparam optimè quadrat, quæ prius vni nota Iudææ, coruſcante per vniuerſum orbem Euangelio, magno fidelium prouentu in vniuerſum orbem prædicata cunctas pariter illuſtrat Eccleſias, ſuoq; odore omnes reficit.

Tertiò, quod balſami arbor non cultro ferreo, ſed oſſeo, ac lapideo, & vitro incidatur; &, vt quidam dicunt, ea parte, quæ reſpicit ſolem, inde verò fluat balſamum candidum, quod deinde rubeſcit, & dureſcit. hoc etiam Deiparæ aptari poteſt, quæ Chriſtum ſolem iuſtitiæ aſpiciens, eumq; penitus in ſe excipiens, non ferri materialis ſectione, ſed filij cõpaſſione, *qui lapis eſt angularis, & ſpeculum ſine macula* vitreum, verisq; oſſibus conſtabat, transfigebatur, mittebatq; non ſanguinem, ſed lacrymas, & affectus candentes puritate, rubentes verò charitate, quorum meritum lucidiſſimum nullo vnquam tempore mollitie euaneſcet, ſed durum, ac firmum ſtabit. *Matth. 21. Sap 7.*

34 Quartò, balſamum Deiparæ nulla admixtione olei, vel mellis eſt vitiatum, quod Eccleſ. 24. ex perſona eius dicitur illis verbis: *Et quaſi balſamum non mixtum odor meus*; hoc autem Bonauentura in ſpeculo B. Virg. cap. 5. eleganter explicat: *Balſamum*, inquit, *miſceri ſolet, & vitiari melle, vel oleo. ſed certè balſamum ſpiritus ſancti in MARIA non fuit mixtum, quia nec Melle carnalitatis, & mundanæ conſolationis, nec oleo vanæ laudis, & adulationis fuit vitiatum; ſed vera, & pura Mariæ gratia fuit*. hæc Bonauentura. *Eccl. 24. Cur per balſamum non mixtum ſignificatur Deipara.*

Quintò, Pauſanias in Bæoticis lib. 9. ſcribit in Arabia plurimas viperas ſub balſami arboribus latitare; easq; ſub illis commorantes balſami paſtu venenum amittere: ipſarum item morſus ob id eſſe innoxios. At verò præſidio Deiparæ, quæ eſt myſticè balſami arbor, dæmonibus per ſerpentes ſignificatis venenum adimitur, ne eorum morſus, & nefariæ, quas immittunt, ſuggeſtiones, Deiparæ deuotis noceant. *Pauſanias.*

Quod autem pertinet ad Terebinthum, eius fructus ex Plinio lib. 13. cap. 6. *Cùm vite matureſcit, non grandior faba, odore iucundior, in Macedonia breuis arbor, atque frutico-ſa, in Damaſco Syriæ magna, eximij, ac nigri ſplendoris. Flos racemoſus oliuæ modo, ſed rubens: folia denſa.* & ex lib. 14. cap. 20. *Optimam, tenuiſſimamq; reſinam fundit.* hæc Plinius. Quocirca cum Deipara Eccleſ. 24. ait: *Se inſtar Terebinthi ramos ſuos honoris, & gratiæ extendere*, hac ſimilitudine indicat ex Hugone in caput illud Eccleſiaſtici: *Se operum exempla ad vmbram refrigerij faciendam, & contra æſtum libidinis extendere, quibus in præſenti gratiam, & in futuro honorem ſua interceſſione conferat*. ſic ille. & hæc Deiparæ exempla ſunt virtutum eius odor (vt de Terebintho dicebat Plinius) longe iucundiſſimus; nam vt rectè Bernardus apud Bonauenturam in ſpeculo cap. 8. *O magna*, inquit, *ò pia, ò multum laudabilis Maria, tu nec nominari potes, quin accendas, nec cogitari quidem, quin recrees affectus diligentium te: Tu nunquam ſine dulcedine diuinitus tibi inſita piæ memoriæ portas ingrederis*. hæc Bernardus; & Carthuſianus in Eccleſ. 24. idem repetit. & hæc de Terebinthi ſymbolo. Reliqua enim, quæ de hac arbore tradit Plinius facilè ex ijs, quæ de Virgine ſanctiſſima alibi diximus, eidem aptari poſſunt. *Maria per Terebinthum ſignificatur. Plinius. Eccl. 24. Hugo. Bernardus. Bonauentura. Carthuſianus. Plinius.*

35 Earumdem Deiparæ virtutum fragrantia ſignificatur Cant. 3. illis verbis: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij:* In thure enim, oratio ſurſum aſcendens, ſicuti in myrrha amara, carnis mortificatio, inſuauis illa quidem, ſed contra vitiorum putredinum apprime vtilis, quæ orationem, vt hæc ſit efficacior, comitari debet, adumbrantur: in reliquo verò puluere pigmentario non modo virtutum omnium vniuerſitas, quæ in Virgine erant, deſignatur; verùm etiam ne minutiſſimos quidem virtutum actus in Virgine deſideratos oſtendit; cùm eos is, qui in ſpiritualibus diteſcere ſatagit, negligere non debeat. Hæc porrò virgula in cœlum recta aſcendebat, quia in Deum Virgo ſanctiſſima ſemper erat intenta; virtutibus quoque redolens tanquam aromatibus in puluerem redactis, & in charitatis igne poſitis circumſtantes mira odoris ſuauitate repleuit. *Cant. 3. Oratio, & mortificatio B. Virginis adumbratur in thure, & myrrha. Quid ſit vniuerſus puluis pigmentarius.*

Hanc virgulam fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris Sophronius ſermone de Aſſumptione explicans verba illa Canticorum: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit, &c.* ex perſona *Sophronius. Cant. 3.*

ſupernorum Ciuium hæc admirantium exiſtimat; redditq; rationem cur Deipara ſic exprimatur: *Dicta ſanè*,inquit,*quaſi virgula fumi,quia gracilis, & delicata; quia diuinis extenuata diſciplinis, & concremata intus in holocauſtum incendij, pij amoris, & deſiderio charitatis. Vt virgula,inquit, fumi ex aromatibus, nimirum quia multis repleta eſt virtutum odoribus; manans ex ea fragrabat ſuauiſſimus odor,etiam Angelicis ſpiritibus*. hæc Sophronius. Et Bernardus hom.3. ſuper miſſus eſt, eundem Canticorum verſiculum de Virgine ſanctiſſima ab Angelis pronunciatum meditatur ante Incarnationem: *Nam cum eſſet*,inquit,*Rex in accubitu ſuo nardus Virginis dedit odorem ſuum,& aſcendit in conſpectu gloriæ eius fumus aromatis,& inuenit gratiam coram oculis Domini, clamantibus,qui circumſtabant; Quæ eſt iſta,quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ,& thuris*. ſic Bernardus.

Bernardus. Cant. 1. Cant. 3.

Petr. Dam. 36 Quare Petrus Damianus ſermone de Aſſumptione explicans hanc eandem virgulam ex aromatibus myrrhæ, & thuris: *In myrrha*, inquit,*continentiam,in thure deuotionem intellige.* & mox: *Hæc ſunt duo, quæ virginalem ſubſtantiam totam circumdedere virtute,continentia ſcilicet,& deuotio,quorum alterum carnem, alterum mentem ita poſſedit,vt caro mundiſſima,mens puriſsima Genitricem Domini ſingularius conſecrarent.* & infra: *Vniuerſus puluis pigmentarius in Virgine coniectus eſt, quia in ea virtutum conuentus reuerendum ſibi thalamum conſecrauit; & ſi cæteris per partes ſpiritus affuit; Mariæ tamen tota plenitudo gratiæ ſuperuenit. Nec integræ fuerunt in ea ſpecies,ſcilicet pigmentariorum aromatum,ſed in ſubtiliſsimum puluerem comminutæ, quia ipſa eſt,quæ fortioribus tribulantium malleis ſuppreſſa vidit ſuum & Dei filium affigi cruci, militari lancea perforari,inter duos latrones poſitum expirare.* hactenus Petrus Damianus.

Vniuerſus puluis pigmentarius B. Virginis virtutes ſignifi-cat. Alia explicatio puluiris pigmē-tarij.

Meritò igitur,vt dicebamus,Eccleſ.24.virtutum eius odor comparatur cinnamomo, balſamo,myrrhæ,alijsq; rebus aromaticis, & odoratis; quoniam Deipara præclaro virtutum ſuarum exemplo veluti odore ſuauiſſimo alios confortat, & ad currendum in via Domini excitat, iuxta illud Cant. 1. ex perſona fidelium: *In odorem vnguentorum tuorum curremus:* ſi enim Apoſtolus de ſe ipſe meritò dicebat 2.Cor.2.*Chriſti bonus odor ſumus Deo.* & 1.Cor.4. & 11. *Imitatores mei eſtote, ſicut ego Chriſti*; quanto maiorem odorem de ſe effundebat Virgo, & quanto præclariora ad imitandum exempla ab ea deſumere poſſumus,quæ Chriſto in gratia,ac virtutibus ab eodem ei collatis, quàm ſimillima præ omnibus fuit, ipſumq; tanquam ſpiritualis eius filia, mirificè in ſupernaturalibus donis exprimebat: ſicuti ex altera parte Chriſtus eidem erat in carne, quam ab ea tanquam à matre acceperat,ſimillimus,eamq;tanquam naturalis eius filius ad viuum referebat.

Eccl. 24. Per odorem aromatum virtutes ſignificatur. Cant. 1. 2.Cor. 2. 1.Cor.4 & 11.

37 Quocirca ſeipſam appellat *Hortum ſponſi, & areolam aromatum*, quaſi omnium virtutum odoramentis conſitam, ad quam Verbum æternum in ſua incarnatione deſcendit; ſic enim legimus Cant. 6. *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum,vt paſcatur in hortis,& lilia colligat.*

Cant. 6.

Proptereà Deipara appellatur etiam *ager plenus* Geneſ. 27. ex quo odor ſuauiſſimus manabat,ideo Sophronius ſermone de Aſſumptione,agens de B.Virgine:*De iſto*,inquit, *ventris Agro Patriarcha Iſaac longè odorans aiebat, Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* & rurſum: *Et bene*,inquit,*ab Iſaac plenus ager dicitur, quia plena gratia virtutum Maria Virgo pronunciatur, de cuius vtero credentibus fructus vitæ affluit,& nos omnes, inquit Euangeliſta, de plenitudine eius accepimus.* hæc Sophronius. Et Bonauentura in ſpeculo cap.7. *Sicut Ager*,inquit,*plenus odoriferarum ſpecierum odoribus; ſic Maria plena eſt odoriferis famæ ſuæ aſperſionibus. De hac plenitudine accipiamus,quod legitur in Geneſi: Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni,cui benedixit Dominus. Ager iſte eſt Maria,in qua theſaurus Angelorum,imo totus Dei Patris abſconditus eſt. Felix qui vendit omnia,quæ habet,& emit Agrum iſtum: huius agri pleni plenus odor eſt plena Mariæ fama,plenus honor.* ſic Bonauentura. Idem cap.8.probans Deiparam eſſe celeberrimam,& vt ipſius verbis vtar nominatiſſimam,ac famoſiſſimam ſic ait: *Tu benè ſignata es per illam Ruth,de qua legitur ſic: Sit exemplum virtutis in Ephrata, & habeat celebre nomen in Bethelem,ideſt in Eccleſia: O celeberrimi nominis Maria, quo modo poſſet nomen tuum non eſſe celebre,quæ etiam deuotè nominari non potes ſine nominantis vtilitate*

B. Virgo Ager plenus ex quo odor. Sophronius. Gen. 27. Ioan. 1. Bonauent. Gen. 27. Deiparæ nomen famoſiſſimum. Ruth 4.

litate? teſtatur tuus Bernardus dicens: O magna,ò pia,ò multum laudabilis Maria;tu nec nominari potes,quin accendas;nec cogitari quidem,quin recrees affectus diligentium te;Tu nunquam ſine dulcedine diuinitus tibi inſita piæ memoriæ portas ingrederis. Maria ergo,Fratres,optimè ſignata eſt per illam famoſiſſimi nominis fœminam Iudith, de qua ſcriptum eſt: Hæc eſt in omnibus famoſiſſima,quoniam timebat Dominum valdè, nec erat qui de illa loqueretur verbum malum: Famoſa quidem eſt Maria propter virtutes, & exempla ſua tam laudabilia: Famoſior autem propter miſericordias,& beneficia ſua tam inenarrabilia: Famoſiſſima verò propter gratias, & priuilegia ſua tam mirabilia. Quid enim mirabilius,quam eſſe Matrem, & Virginem, & eſſe Dei matrem? Quid autem mirum ſi Maria de tantis millibus miſericordiæ ſuæ beneficijs famoſa eſt in mundo, quæ tam famoſa eſt de vnico beneficio circa Theophilum exhibito? ait Bernardus; Famoſum ſummæ tuæ benignitatis teſtimonium eſt,per te reſtauratus Theophilus ò Maria. hæc Bonau. Bernardus. Iudith 8. Bernardus.

Quòd ſi odorem fructus huius agri pleni ad Chriſtum cum Bernardo homil. 3. ſuper miſſus eſt referre velimus, id quoque in Virginis laudem, quæ eſt ager, vbi hic fructus odoriferus ortus eſt recidere certum eſt. Quare Bernardus loco citato loquens cum Virgine: *Benedictus*,inquit,*fructus ventris tui,benedictus in odore,benedictus in ſapore, benedictus in ſpecie: Huius odoriferi fructus fragrantiam ſentiebat qui dicebat, Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni,cui benedixit Dominus. An non verè benedictus, cui benedixit Dominus?* ſic Bernardus. cui conſonat Bonauentura in ſpeculo B. Virgin. cap. 5. vbi agens de odore Chriſti,qui eſt fructus ventris Deiparæ, ſic ait: *Iſte quoque fructus odore iucundus eſt deuotis animabus,quod benè ſenſerat B. Ioannes Apoſtolus, qui Domino dixit: Odor tuus in me concupiſcentias excitauit æternas: ò anima ſi odorem huius fructus ſentires,nonne poſt ipſum curreres? ſicut dicitur Cant. 1. Curremus in odorem vnguentorum tuorum.* hæc Bonauentura,qui in eodem ſpeculo cap. 14. citat,& ſequitur Bernardum in explicatione odoris agri pleni. Bernardus. Luc. 1. Gen. 27. Bonauentura. Cant. 1.

CHRISTVS DOMINVS EX VIRGINE DEIPARA TANquam ex ſuo throno procedens, fulguris, vocis, & tonitrui appellatione aptè poteſt intelligi.

38 PAſſumus & tertiam ſubiungere explicationem, vt per tria illa,fulgura ſcilicet, voces,& tonitrua,quæ de throno procedebant,intelligamus ipſum Chriſtum ex vtero matris tanquam de throno prodeuntem; Chriſtus enim fulgur,& vox,& tonitruum appellari poteſt. Neq; id mirum videri debet,ſi attendamus Virginem ſanctiſſimam ſub typo nubis,vnde fulgura,& tonitrua exiſtunt myſticè interdum ſignificari: nam & ipſa vt cap. 3. probauimus,Iſa. 19. *Nubes leuis*,& Eccleſ. 24. *Columna nubis*, & Pſal. 77. *Nubes diei* dicitur. Quare Methodius oratione in hypapantem Domini Deiparæ partum virgineum,& clariſſimum fulgurationis metaphora exprimens: *Fulguraſti*,inquit, *ò Genitrix, ſuauia nobis dona producens, fulguraſti luminis ſolaris ardentiſſimis facibus, feruentiſſimæ nempe dilectionis æſtu, quod ante principium conceptum fuerat in fine pariens, palam faciens occultum eatenus ſacramentum, ineffabilem inuiſibilis Patris filium, pacis ſequeſtrum,& admirabili quodam modo omni breuitate minorem factum.* ita Methodius. Epiphanius verò ſerm. de laud. Virg. *Aue*,inquit,*gratia plana multis virtutibus exornata Virgo in lampade geſtans lucem inextinguibilem ſole ſplendidiorem.* & iterum: *O Beata*, inquit,*Virgo,nubes es lucida,quæ fulgur lucidiſſimum ad illuminandum mundum deduxiſti Chriſtum,Nubes cœleſtis,quæ tonitruum Spiritus ſancti in ſe ipſa reconditum reduxit in mundum, & imbrem Spiritus ſancti in vniuerſam terram ad producendum fidei fructum cum impetu demiſit.* hæc Epiphanius. *Tertia expoſitio vt per fulgura, voces, & tonitrua Chriſtus ſignificatur.* Iſa. 19. Eccl. 24. Pſal. 77. Methodius. Epiphanius.

39 Sed age videamus quomodo Chriſtus Dominus ſub fulguris, vocis, & tonitrui appellatione intelligatur. in primis Chriſtus lux eſt mundi,& veluti fulgur coruſcans, ſimul etiam Verbum eſt Patris, & tonitruum, quo dæmonis potentia terribiliter ad nihilum eſt redacta; quod breuiter ſic demonſtratur. Chriſtus,inquam,eſt lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,& eſt lux mundi,vt ipſe dicebat Ioann. 8. & Hebr. 1. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ*, & Sap. 7. *Candor eſt lucis æternæ:* *Chriſtus fulgur & lux mundi.* Ioan. 8. Hebr. 1. Sap. 7.

ideò

Luc. 1. ideò Luc. 1. in Cantico Zachariæ Chriſtus veluti ſplendidiſſimus oriens ex alto, dicitur: *Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.* Iſa. 62. *Propter Ieruſalem non quieſcam, donec egrediatur vt ſplendor iuſtus eius; & Saluator eius, vt lampas accendatur*; & quidem de incarnatione hunc locum intelligit Cyrillus Alexandrinus lib. 10. in Iſaiam: *Salutare*, inquit, *Dei quid aliud, quàm Verbum Patris, qui ob ſalutem humani generis carnem aſſumpſit? ita namq; per Iſaiam ait, Videbunt gentes iuſtitiam meam, & ſalutare meum ſicut lampas accendatur.* hæc ex Cyrillo. Et quod magis ad rem noſtram facit, alij ex hebræo legunt: *Donec egrediatur ſicut fulmen iuſtus meus*. Sanè Chriſtus lumen eſt cœleſtis Ieruſalem indeficiens. Propterea Ioannes in Apoc. 21. *Illa cœleſtis Ciuitas non eget*, inquit, *ſole, neque luna, vt luceant in ea, nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius eſt Agnus.*

Iſa. 62.

Cyrill. Alex.

Iſa. 62.

Apoc. 21.

Eſther 10. B. Virgo eſt fons lucis.

40 At B. Virgo hanc lucem peperit, ideo figuratur in Eſther 10. vbi ſic legitur: *Paruus fons, qui creuit in fluuium, & in lucem, ſolemq; conuerſus eſt, & in aquas plurimas redundauit Eſther eſt:* figurari etiam poteſt in aquis illis Ioſue 15. quæ vocantur *Fons ſolis*. Ideo Damaſcenus orat. 1. de natiu. Virg. vocat eam *Portam vitæ, Fontem lucis*, quo nomine eam vocant complures alij. Epiphanius loco citato his verbis: *O Virgo ſancta lucis æternæ Mater; lucis, inquam, quæ in cœlis illuminat copias Angelorum: lucis, quæ illuminat ipſorum Seraphim incomprehenſum oculum: lucis, quæ illuminat ſolem ſplendidis facibus: lucis, quæ fines terræ illuminat ad credendum Trinitati: lucis, quæ dixit, Ego ſum lux mundi: lucis, quæ dixit, Ego lux in mundum veni: lucis, quæ aſſumpta eſt, & illuminauit cuncta, quæ ſunt in cœlis, & in terra.* & iterum: *O vterum habentem inextinguibile lumen ſepties lucentis gratiæ.* hucuſque Epiphanius. Et Heſychius orat. 2. de S. Maria: *Alius*, inquit, *cognominat eam Matrem lucis*. & Chryſippus oratione ad Deiparam: *Aue*, inquit, *fons lucis omnem hominem illuminans: Aue ſolis ortus, qui nullum ferre poteſt occaſum.* Ildefonſus ſermone 1. de Aſſumptione: *Maria*, inquit, *ſecundum verbum hebraicum interpretatur Stella maris; Mare præſens ſeculum eſt, ſtella autem B. Virgo Maria, de qua ortus eſt ille, per quem illuminatur omnis mundus: Hinc ſecurius accedite ad laudem Virginis, & illuminamini, quoniam ipſa eſt per quam vera lux in mari huius ſeculi refulſit.* ſic Ildefonſus. Eccleſia in Miſſa in præfatione de *B.* Virgine hac eadem metaphora vtitur illis verbis: *Quæ virginitatis gloria permanente lumen æternum mundo effudit Ieſum Chriſtum Dominum Noſtrum.* Ephræm ſermone de laudibus Virginis: *Aue*, inquit, *ſtella fulgidiſſima, ex qua Chriſtus proceſſit: Aue per quam clariſſimus ſol iuſtitiæ nobis illuxit.* & iterum: *Virginem Luciferam* appellat. Cyrillus Alexandrinus lib. de recta fide ad Reginas, refert voces Epiſcoporum dicentium in hunc modum: *Chriſtum heri immaculatis parturitionibus parturiebat ſalutem nobis Maria vitæ genitrix, pulchritudinis Mater, maximipara lucifera.* ſic Cyrillus.

Loſue 15.

Damaſcenus.

Epiphanius.

Heſychius.

Chryſippus.

Ildefonſus.

Miſſale Rom.

Ephram. B. Virgo eſt ſtella fulgidiſſima.

Cyrill. Alex.

Iſa. 19.

41 Et ſanè Deipara iure appellari poteſt *Ciuitas ſolis*, de qua Iſa. 19. *In die illa*, inquit, *erunt quinque Ciuitates in terra Aegypti loquentes lingua Canaam, & iurantes per Dominum exercituum. Ciuitas ſolis vocabitur vna.* & Eccleſia in Antiphona: *Conceptio tua Dei Genitrix Virgo gaudium annunciauit vniuerſo mundo, ex te enim ortus eſt ſol iuſtitiæ.* ideo Ezechiel 44. B. Virgo appellatur *Porta Orientalis*, quoniam ex Ambroſio de inſtitutione Virginis cap. 7. *Generauit Orientem, peperitq; ſolem iuſtitiæ.* Chriſtus enim Zach. 6. & Luc. 1. appellatur *Oriens*. quod idem de porta orientali animaduertit Damaſcenus orat. 1. de Natiu. & Heſychius orat. 2. de B. Virgine: ideo Epiphanius ſermone de laud. Virg. *Stupendum* inquit, *miraculum mulier ſole amicta, lucem in vlnis geſtans.* & Fulgentius ſermone de laudibus Virginis: *Facta*, inquit, *Maria feneſtra Cœli, quia per ipſam Deus verum fudit ſeculis lumen.* Quod ſi accommodare velimus Virgini illud Eccleſ. 24. *Ego feci, vt in cœlis oriretur lumen indeficiens*, optimè confirmantur ea, quæ dicimus: quæ verba licet de diuina ſapientia primario dicantur, Eccleſia certè pleraq; ex eo capite ad Virginem quoque refert. & Hugo Cardinalis, & Carthuſianus in illum locum myſticè de ſanctiſſima Virgine id explicant.

Offic. Eccl.

Ezech. 44. Ambroſius.

Zach 6. Luc. 1. Damaſcenus. Heſychius. Epiphanius. Fulgentius.

Eccl. 24.

Hugo Card. Carthuſian.

Chriſtus vox. 42 Quod autem Chriſtus vocis nomine ſignificatur clarius eſt, quàm vt probatione egeat; ipſe enim Verbum eſt Patris, quod in vtero Virginis de eius puriſſimis ſanguinibus caro factum eſt.

Chri-

Christum porrò per tonitruum intelligi docet Gregorius lib.29.moral.cap.13. super illud Iob 38. *Et viam sonantis tonitrui. Quid per tonitruum,* inquit, *nisi prædicatio superni terroris accipitur? quem terrorem dum percipiunt humana corda quatiuntur. Aliquando verò in tonitruo ipse incarnatus Dominus figuratur, qui ex antiquorum Patrum conueniente prophetia ad notitiam nostram, quasi ex nubium concussione prolatus est. Qui inter nos visibiliter apparens ea, quæ super nos erant, terribiliter tonuit. vnde & ipsi sancti Apostoli de eius gratia generati Boanerges, ideſt filij tonitrui sunt vocati.* hæc Gregorius. Sicut autem tonitruum mortales terret, & concutit; ita Christus, benignissimus licet suis, hostes tamen suos terret, & velut tonitruo perculsos euertit, atque debellat psal. 2. *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confriges eos.* & Matth. 21. de Christo lapide, quem reprobauerunt ædificantes (dicit ipse Christus) *& qui ceciderit super lapidem istum confrigetur, super quem verò ceciderit, conteret eum.* Et quidem huius tonitrui vim, atque efficaciam cernimus in captiuis suis vinctis, quos in sanguine testamenti sui de lacu, in quo non erat aqua eduxit. Item in principe tenebrarum Satana, quem fortior ipse superueniens eiecit foras, & alligauit, & vasa eius tulit. In orbe quoque terrarum, quem destructa idololatria, & dæmonum cultu frementibus, & ne quicquam contra nitentibus per tot annorum spatia Tyrannis ad Patris æterni notitiam, & cultum deduxit.

Christus tonitruum est. Gregorius. Iob 38.

Psal. 2.

Matth. 21.

Christus contra dæmonem tonitruum. Zach. 9. Luc. 11. Ioan. 12.

An non tonitruum Christus, qui 2. Thes. 2. *Antichristum interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui?* de quo Isa. 11. *Percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium.* An non tonitruum, & in passione sua, cùm in hora comprehensionis suæ hostes suos omnipotenti brachio terræ allisit. De quo Leo sermone 1. de passione: *Illud,* inquit, *Christi verbum, Ego sum, manum illam ex ferocissimis congregatam, quasi quodam fulmineo ictu strauit, atque perculit, vt omnes illi atroces, minaces, atque terribiles retroacti corruerent. Quid iam poterit maiestas eius iudicantis, cuius hoc potuit humilitas iudicanda?* hæc Leo. His adde Augustinum sermone 30. de tempore, de Infante Christo: *Quid erit,* inquit, *tribunal iudicantis, quando superbos Reges (* ideſt Herodem *) cuna terrebat Infantis?* Sanè in nouissimo iudicij die Christus tanquam tonitruum percellet omnes impios, & detrudet eos in ignem gehennæ sempiternum. Quare Deut. 32. Dominus metaphora fulguris vtitur adhoc propositum: *Si acuero,* inquit, *vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionem hostibus meis, & ijs, qui oderunt me retribuam: Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus deuorabit carnes; de cruore occisorum, & de captiuitate nudati inimicorum capitis.* hæc ibi. Quæ omnia Christi contra impios terribilitatem, & grauissimam peccatorum punitionem ostendunt.

Contra Antichristum. 2. Thes. 2. Isa. 11. Leo. Ioan. 18. Augustinus. Christus tonitruum est in die Iudicij contra impios. Deut. 32.

43 Nec verò quisquam sibi blandiatur, quasi Christus futurus sit blandus Iudex, minimeq; seuerus; quòd interdū in diuinis litteris vocetur *Agnus* Ioan. 1. & Apoc. 5. qui est animal mansuetissimum, & à natura vnguibus, cornibus, & dentibus, quibus cæteræ animantes sæuire solent, destitutum: etenim pauendam, atque formidabilem esse iram huius Agni, indicant verba illa impiorum, qui Apoc. 6. dicunt montibus, & petris: *Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab IRA Agni, quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, & quis poterit stare.* hæc ibi. Cui consonat illud de columba, quæ Spiritum sanctum significat ex Ambrosio lib. de initiandis cap. 3. & 4. & est animal placidissimum carens vnguibus, rostro, & felle; tamen Ierem. 25. *Facta est,* inquit, *terra eorum in desolationem à facie iræ columbæ, & à facie furoris Domini.* Quibus aptissimè accommodari potest illud Ambrosij de Noe, & Arca cap. 4. *Neque irascitur,* inquit, *Deus quasi mutabilis: sed ideò irasci legitur, vt exprimatur peccatorum nostrorum acerbitas, quæ diuinam meruerit offensam, tanquam eousque increuerit culpa, vt etiam Deus, qui naturaliter non mouetur aut ira, aut odio, aut passione vlla, prouocatus videatur ad iracundiam.* hæc Ambrosius. Ita de ira Agni, & columbæ animalium mansuetorum, quæ Dominum significant, & eousque sequisse legimus, vt tantum meritò terrorem, tantamq; vastitatem peccatoribus attulerint.

Ioan. 1. Apoc. 5.

Timendum ab ira Agni. Apoc. 6.

Ambrosius. Ierem. 25.

Ambrosius.

Sed hæc pauca de multis satis sint ad huius tonitrui vim aliqua ex parte indicandam. Quod enim spectat ad victoriam, quam Christus non minus gloriosè, quàm potenter de

Satana

Satana reportauit,fusè agemus capite sequenti, vbi ostendemus Virginem sanctissimam per Christum filium suum venenati serpentis caput penitus contriuisse.

VIRGINIS DEIPARAE POTESTAS EFFICACISSIMA, & fortitudo inuicta ad omnes dæmonum vires funditus euertẽdas, sub typo tonitruorũ à diuino throno procedentium, ac primo quomodo id effecerit gignendo Christum, qui Isa. 27. dicitur, Gladius durus, grãdis, & fortis debellaturus Leuiatan. Cap. XXII.

SVMMARIVM.

Christus per humanitatem à Deipara acceptam dæmonem vicit nu. 5.
Christi de dæmonio victoria sub typo gladij Domini Isa. 27. Visitabit Dominus in gladio suo, &c. super Leuiathan.

B. Virgo dæmonum conatus cõprimit.

1 VOD si dicamus ex Virgine sanctissima, tanquam de throno Dei, tonitrua procedere ad dæmones nobis infestissimos feriendos, eorumq; conatus frangendos, atque irritos reddendos; id certè verissimum erit: quod vt planè perspicuum sit, & cognitum, reuocandum est in memoriam implacabile bellum iam inde à mundi primordio à Deo optimo nominatim positum inter Virginem gloriosam, & serpentem tortuosum Luciferum; necnon inter semen Virginis, Christum videlicet, qui est filius eius naturalis, & Dei seruos à Christo redẽptos (quos multis nominibus cap. 27. & 28. dicemus esse spirituale eiusdem Virginis semen) & inter serpentis semen, impios scilicet, qui Ioan. 8. ex patre diabolo esse, eiusq; desideria facere velle dicuntur. quoniam, vt interpretatur Augustinus libro contra Adimantium cap. 4. iniquitatem ab eo didicerunt, eumq; sunt imitati. Adde quia eius instinctu operantur, quod Christus loco citato loquens cum impijs Iudæis significauit cum dixit: *Vos quæ vidistis apud Patrem vestrum* (diabolum scilicet) *facitis.* & mox: *Vos facitis opera patris vestri:* hinc est, quod impij alibi sæpè vocantur *filij Belial*, ideſt dæmonis; Belial verò apostatam, vel præuaricatorem sonat, vel absque iugo: & hoc nomine dæmonem significari docet Hieronymus in Isa. 27. ideò autem impij filij Belial appellantur, quod dæmonis exemplo, & instigatione confracto disciplinæ iugo, quasi effrenes equi per abrupta vitiorum præcipites feruntur: adeoq; diaboli imse imaginem ad viuum referunt, vt eius nomen ipsis tribuatur: quare Ioan. 6. Christus de Iuda pronunciauit: *Vnus ex vobis diabolus est.*

Bellum inter Virginem, & serpentem, & semen illius, & semen huius.

Impij filij sunt dæmonis, & quare. Ioan. 8. Augustinus.

Filij Belial, qđ significat. Iudic. 19.

Hieronymus.

Genes. 3.

2 Verba, quibus à Domino hoc bellum est promulgatum, leguntur Genes. 3. cum post peccatum primorum nostri generis parentum, Dominus ipse serpenti maledicens adiecit: *Inimicitias, ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius; ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius:* per semen autem mulieris non tantum Christum electorum omnium caput, qui rectè ex Cypriano lib. 2. test. cap. 9. & Epiphanio hæres. 78. naturale semen mulieris appellatur, quòd ex sola muliere, absque viri consortio sit genitus; verùm etiam spirituale huius mulieris semen, ideſt electos omnes, & per serpentis semen impios intelligendos esse docet Rupertus lib. 2. de victoria Verbi Dei cap. 17. & S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 14. §. 6. Cæterùm his verbis, vt animaduertit Rupertus lib. 3. de Trinit. & eius operibus cap. 19. Deus optimus magnum suæ gratiæ opus promittit, vt victorem diabolum, qui tamen vicerat insidijs & fraude, Mulier quandoq; vincere debeat fortitudine, & indicto iam bello, atque apertis inimicitijs: voci autem, Mulieris, hoc in loco tum in hebræo, tùm à Septuaginta in græco idiomate præfigitur articulus, quasi singularem illam Mulierem certa Dei prouidentia præordinatam intelligi voluerit; vt animaduertunt hebraicæ linguæ periti, teste Canisio lib. 1. de B. Maria cap. 2. quin etiam Leo sermone 2. de Natiu. Cyprianus lib. 1. testimon. cap. 9. Bernardus sermone Signum magnum. Rupertus lib. 2. de victoria Verbi Dei cap. 16.

Cyprianus. Epiphanius.

Rupertus. Antoninus.

B. Virgo vincit aperto bello dæmonem.

Mulier illa Virginem designat. Canisius. Leo. Cyprianus. Bernardus. Rupertus.

&

& S. Antoninus loco citato, & alij omnes per hanc mulierem Deiparam accipiunt: Neque enim alterius mulieris gloria totis viribus à dæmone, eiusq; semine perpetuò oppugnata præter Deiparam ostendi potest: Neque etiam alia mulier, quæ dæmonem cum semine suo contriuerit: quod in præsentia planum fiet; idq; etiam eleganter sic cecinit Prudentius hym. 3. Cathemerinon. S. Antoninus. Prudentius.

,, *Hoc odium vetus illud erat;*
,, *Hoc erat aspidis, atque hominis*
,, *Digladiabile dissidium;*
,, *Quod modo cernua fæmineis*
,, *Vipera proteritur pedibus;*
,, *Edere namq; Deum merita,*
,, *Omnia Virgo venena domat.*

Idem colligitur Apoc. 12. vbi draco abijsse scribitur ad faciendum prælium cum reliquis de semine illius benedictæ mulieris amictæ sole, quam præter Ecclesiam significare etiam B. Virginem docent Augustinus lib. 4. de symb. ad Catech. cap. 1. Epiphanius hæres. 78. & alij, vt dicemus cap. 31. Hinc dissidium inter semen serpentis, & semen huius mulieris; Viros scilicet impios, & iustos ab ipso propemodum orbis exordio exortum cum Abel iustum per summam impietatem Caim interfecit, & per omnes postea consequentes ætates propagatum est. quod Apostolus in Ismael, & Isaac expressum dixit ad Galat. 4. *Sed quomodo*, inquit, *is, qui secundum carnem natus fuit, persequebatur eum, qui secundùm spiritum, ita & nunc.* hinc Ethnicorum contra christianos, Hæreticorum contra catholicos infenso ac pertinaci animo odium, atque furor, quem beatorum millia martyrum protestantur, qui non solum vrbem, quod dixit S. Leo, sed & orbem vniuersum purpuratis, & longè, lateq; rutilantibus populis compleuerunt. Hinc impiorum contra iustos Dei seruos propter studia contraria, & propter morum dissimilitudinem, multiplices persecutiones, quas ostendunt tot illustrium confessorum *foris pugnæ*, vt de se ait Apostolus, *& intus timores*, quos propter pietatem sustinere coguntur: *Viri enim sanguinum*, Prouerb. 19. *oderunt simplicem.* & inferius: *Abominantur iusti virum impium, & abominantur impij eos, qui in recta sunt via.* Quare Gregorius homil. 38. in Euangelia: Abel esse renuit, quem Caim malitia nõ exercet, & lib. 8. epist. 36. ad Maximum Episcopum Salonitanum: *In tantum*, inquit, *omnipotenti Deo te placuisse existimes, quanto te dissplicuisse peruersis hominibus cognoueris.* Et Ambrosius lib. 10. in Luc. cap. 23. agens de Iudæis, qui Barabbæ homicidæ absolutionem, & Christi innocentis exitium flagitarunt: *Tales*, inquit, *leges iniquitas habet, vt oderit innocentiam, scelus diligat, in quo & nominis interpretatio speciem dat figuræ; Barabbas enim patris filius latinè dicitur; Illi ergo, quibus dicitur, Vos ex patre diabolo estis, vero Dei filio, patris sui filium Antichristum prælaturi esse produntur.* hæc Ambrosius. Ideò Ioan. 15. Christus ad Apostolos: *Quia*, inquit, *de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Apoc. 12. Augustinus. Epiphanius. Cap. 31. Impij ab initio iustos prosequuntur. Galat. 4. Leo serm 1. de Apostolis, & agit de Martyribus Vrbis. 2. Cor. 7. Prouer. 29. Gregorius. Ambrosius. Ioan 15.

Hinc inter illas duas famosas Ciuitates, Terrenam, & Cœlestem iugis, ac perpes dissensio, de quibus Augustinus lib. 14. de Ciuit. cap. 28. *Fecerunt*, inquit, *Ciuitates duas amores duo, terrenam scilicet amor sui vsque ad contemptum Dei; cœlestem verò amor Dei vsque ad contemptum sui: denique illa in se ipsa, hæc in Domino gloriatur.* hæc Augustinus. Qui egregiè duodecim postremis libris de Ciuitate Dei, vtriusque Ciuitatis, vt ipse ait, exortum, procursum, & finem, non minus piè, quàm eruditè persequitur. Duæ Ciuitates inter se contrariæ. Augustinus.

Propter has iuges, & implacabiles inimicitias inter mulierem & serpentem, & inter semen illius & semen huius, docet Rupertus lib. 2. de vict. ver. Dei cap. 8. sacram scripturam appellari *librum bellorum Domini* Numer. 21. *& librum iustorum* 2. Reg. 1. quia in scripturis quid aliud continetur, nisi bellum, & certamen Verbi ad destructionem peccati, & mortis? Attamen in hoc contra serpentem, eiusq; semen certamine sub tantæ Virginis ductu, atque auspicijs, modò gratiæ Dei non desimus, nihil de victoria dubitandum: ipsa enim est, quam Deus Genes. 3. prædixit contrituram caput serpentis; &, vt rectè animaduertit Cyprianus lib. 2. testimon. aduersus Iudæos cap. 9. *Mater*, inquit, *Domini nostri Iesu Christi in illa muliere promissa est: hæc inimicitijs opposita est serpentis, Ponam (inquit) inimicitias inter te & mulierem; non certè Pono, dicit, ne ad Euam* Rupertus. Numer. 21. 2. Reg 1. Genes. 3. Cyprianus.

perti-

pertinere videretur: Verbum promissionis est, quod transmittitur in futura; ideſt Suscitabo mulierem, quæ repudiata facilitate credendi, non solùm te non audiat, sed ipso etiam Gabriele deferente verbum, rationem de promissionis exigat bonitate dicendo, Quomodo erit istud, quoniam virum non cognoui? hæc Cyprianus.

Luc. 1.

Cur aliqui legant Ipse conteret; cum tamen vulgata dicat Ipsa conteret.
Irenæus.
Cyprianus.
Pet. Chrysol.
Leo.
Ambrosius.
Augustinus.
Chrysostom.
Gregorius.
Beda.
Rabanus.
Lyranus.
Rupertus.
Ambrosius.
Alchimus.
Bernardus.
Bellarminus.

3 Non me latet Septuaginta Interpretes legere: *ipse conteret caput tuum,* & referre ad semen mulieris, quod in hebræo est masculini generis, & ita legit etiam Irenæus lib. 4. contra hæres. cap. 78. Cyprianus lib. 1. testimon. cap. 9. Petrus Chrysologus serm. 173. Leo serm. 2. de Natiuit. Domini. Verùm complures alij Patres legunt: *Ipsa conteret caput tuum,* & refertur ad mulierem. ita habet Ambrosius lib. de fuga seculi cap. 7. Augustinus lib. 2. de Genesi contra Manicheos cap. 18. & lib. 11. de Gen. ad litt. cap. 39. Chrysostomus homil. 17. in Genesim. Gregorius lib. 1. moral. cap. 38. Claudius Marius Victor, Eucherius lib. 2. in Genes. cap. 28. Prudentius loco citato. Beda, Rabanus, Strabus, Lyranus in Genes. 3. Rupertus lib. 3. de Trinit. cap. 20. Alchimus auitus, Bernardus homil. 2. in missus est, & sermone Signum magnum, & in editione vulgata nouissimè Romæ recognita legitur: Ipsa. quam versionem contra Kemnitium hæreticum defendit Cardinalis Bellarminus controu. de verbo Dei lib. 2. cap. 12.

Cæterùm, quod spectat ad harum versionum diuersitatem animaduertendum est, voces illas, IPSE, & IPSA, hebraicè posse ijsdem litteris scribi, nempè per He, Vau, & Aleph: ita enim docet Lexicon Sanctis Pagnini, & Complutense, licet varia exigant puncta: cum enim est, IPSE, scribitur Scurec in vau, & legitur huh: IPSA verò habet chirich sub he, & legitur hih: idque manifestè ex sacris litteris confirmatur, nam Gen. 3. vbi nos habemus: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, &c.* in hebraica lectione additur, *ipsa dedit,* & scribitur tribus illis litteris He, Vau, & Aleph. Similiter Exod. 3. *Educam de terra illa;* pronomen, Illa, tribus ijsdem litteris effertur. Quoniam verò puncta à recentioribus Iudæis sunt inuenta, idcirco potuit antiquitus vtroque modo verti, & hinc orta est translationum varietas: verùm illa est præferenda, quam confirmat editio vulgata; quæ, vt diximus, habet *Ipsa conteret.* Neque obstat verbum illud, *conteret,* hebraicè esse masculini generis, & ideò referri ad semen, quod in hebræo est masculini generis, non autem ad mulierem, quæ est fœminini generis; nam in sacris litteris solent interdum, teste Bellarmino loco citato, pronomina, & verba masculini generis coniungi nominibus fœmininis, & affert locum Ruth 1. vers. 8. & Esther 12. vers. 5. quæ quiuis in textu hebraico recognoscere poterit.

Gen. 3.
Exod. 3.
Bellarminus.
Ruth 1.
Esther 12.

Ad maiorem tamen huius loci explanationem addam, & illud Augustini lib. 2. de doctrin. christia. cap. 12. quod etiam insinuat lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 44. diuersas Interpretum translationes interdum sibi non aduersari; sed, vt ipse ait, sibi inuicem attestari, & se mutuo exponere: atque ita in re proposita, quamuis, vt diximus, legendum sit, *Ipsa conteret caput tuum:* verè enim per Deiparam noxium huius serpentis caput est cõfractum: quod in Iudith, quæ Holophernis caput præcidit, & in sexcentis figuris, atque typis, vt cap. 24. fusius ostendemus, in sacris litteris adumbratum videmus; tamen siue legatur *Ipsa,* siue *Ipse,* quod ad rem significatam attinet, in idem recidunt; cùm certum sit ipsam quicquid in hac serpentini capitis contritione præstitit, id totum filij sui virtute, qui est eius semen confecisse. Rursum id, quod Christus, propria quamuis virtute eiusdem serpentis caput conterendo effecit; Matri rectè tribui posse: tum quia arbori ascribitur quod ab eius fructu in valetudine recuperanda præstatur; tum etiam, quia Christus, vt semen est huius mulieris, serpentem hunc adeò efferatum domuit, atque ad nihilum eius vires redegit, hoc est per corpus suum sacratissimum à Virgine acceptum, & Deo Patri in cruce oblatum, vt mox dicemus.

Iudith 13.

Naturalis inter mulierem, & serpentem antipathia.
Rupertus.

4 Illud denique minimè est reticendum, inter mulierem quamcumque, & serpentes naturalem quandam esse antipathiam; qua in re illud est mirabile apud Rupertum lib. 3. de Trinit. cap. 20. sibi vt ait fida relatione compertum: *Quod si nuda,* inquit, *mulieris planta viuacissimum caput serpentis, vel leuiter preſserit, statim totum cum capite corpus interit: è contrario illic si vel extremæ plantæ dentulum infixerit, occidit: adeò graues inter vtramque naturam inimicitiæ positæ sunt.* hæc Rupertus. *Nimirum,* inquit Bernardus sermone Signum magnum, *ipsa Virgo est quondam à Deo promissa mulier serpentis antiqui*

Bernardus.

caput

caput virtutis pede contritura, cuius planè calcaneo in multis verſutijs inſidiatus eſt, ſed ſine cauſa. ſola enim contriuit vniuerſam hæreticam prauitatem. hæc Bernardus. Verùm non tantum ratione hæreſum, *quas ſola*, vt canit Eccleſia, *in vniuerſo mundo interemit*, & nos cap. 29. oſtendemus: ſed etiam vniuerſaliter caput ſerpentis eam contriturã prædixit ipſe Dominus Gen. 3. quod B. Virgo multipliciter præſtitit. Primò per ſemen ſuum Chriſtum, quem de ſuis caſtis viſceribus protulit. Secundò in ſe ipſa contriuit, cum omnem ſerpentis impetum à ſe penitus excluſerit, ac fregerit. Tertiò etiam in alijs, præſertim ſibi peculiariter deuotis, multis modis tortuoſi ſerpentis caput conterit, vires impetusq; retundit, atque comprimit: de his ſingillatim nunc dicendum. *Geneſ. 3.* *Quot modis B. Virgo dæmonis caput contriuit.*

CHRISTVS PER HVMANITATEM A Deipara acceptam dæmonem vicit.

5 AC primùm quidẽ Virgo Deipara venenati ſerpentis caput cõtriuit gignendo Chriſtum benedictum fructum ventris ſui, per quem tartarei draconis vires ad nihilum ſunt redactæ; & per quem ablata eſt maledictio, inuidia diaboli in orbem terrarum inuecta. quod pulchrè S. Leo ſer. 2. de Nat. docuit: *Deus*, inquit, *omnipotens, & clemens ſtatim, vt nos diabolica malignitas veneno ſuæ mortificauit inuidiæ, prædeſtinata renouandis mortalibus ſuæ pietatis remedia inter ipſa mundi primordia præſignauit, denuntians ſerpenti futurum ſemen mulieris, quod noxij capitis elationem ſua virtute contereret; Chriſtũ ſcilicet in carne venturum, qui natus ex Virgine violatorem humanæ propaginis incorrupta natiuitate damnaret.* ita S. Leo: Ipſe. n. Chriſtus *pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiuè quæ in terris, ſiuè quæ in cœlis ſunt, mortem quidem noſtram moriendo deſtruxit, infernum ſpoliauit, cum victos ſuos*, iuxta Zachariæ vaticinium, *eduxit de lacu, in quo non erat aqua; chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, cruci illud affigendo deleuit peccata noſtra, pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus: mundum vicit, atque ad Patris cognitionem, & obedientiam traduxit, Satanam principem huius mundi eiecit foras, & apud inferos religauit*, ſicq; draconis caput, per Chriſtum Virginis filium planè eſt contritum. *B. Virgo dæmonis caput per Chriſtum contriuit.* *Quomodo per Chriſtum contritum ſit caput dæmonis.* *Leo.* *Coloſ. 1.* *Zach. 9.* *Coloſſ. 2.* *1. Petr. 2.* *Ioan. 12.* *Matth. 12.*

6 Verùm vt plenius intelligatur qua ratione Virgo ſanctiſſima ad hanc ſerpentini capitis contritionem per Chriſtum effectam concurrat, cùm ſit præcipuum, quod in præſenti demonſtrandum ſuſcepi; illud oſtendendum erit, quid ad hoc efficiendum Virgo attulerit: & deinde quomodo Chriſtus per id, quod accepit à Virgine hoc ipſum præſtiterit. Quæ ſanè res licet inter fideles ſatis ſit explorata, vt tamen à ſuis initijs ducta plenius eluceſcat; ſupponimus Chriſtum Dei filium 1. Io. 1. *In hoc apparuiſſe, vt diſſolueret opera diaboli*; ideoq; corpus ex Virgine ſuſcepiſſe, vt peccata noſtra in corpore ſuo ſuper lignũ perferret, & in eadem ara crucis ſemetipſum per Spiritum ſanctum Deo patri offerens, nos ei reconciliaret, de poteſtate tenebrarum eriperet, ſicq; de Satana triumpharet: vt qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur: & veluti alter fortiſſimus Sãſon propria morte de ſuis hoſtibus glorioſiſſimè vltus, eos omninò perderet. Quare S. Leo ſer. 8. de Paſs. *O ineffabilis*, inquit, *gloria paſſionis, in quo & tribunal Domini, & iudicium mundi, & poteſtas eſt Crucifixi*: quare arma, quibus in hoc ſpirituali bello contra dæmonem dimicauit, fuit corpus ſuum ſanctiſſimum, cuius liuore ſanati ſumus: *Cùm. n. potuiſſet nos ſola voluntate à dæmonis tyrannide eripere; Subuenire tamen moriendo hominibus voluit*, vt verbis vtar Gregorij lib. 20. moral. cap. 26. *Quia nos videlicet minus amaſſet, niſi & vulnera noſtra ſuſciperet: nec vim nobis ſuæ dilectionis oſtenderet; niſi hoc, quod à nobis tolleret, ad tempus ipſe ſuſtineret. Paſſibiles quippe, mortalesq; nos reperit, & qui nos exiſtere fecit ex nihilo, reuocare videlicet etiam ſine ſua morte potuit à paſſione.* & S. Leo ſer. 14. de Paſs. *Filius Dei ex omnipotentia, qua æqualis eſt Patri, poterat ſolo verbo hominẽ reparare, ſed operibus Dei cõgruebat, vt hoſtilis aduerſitas de eo vinceretur, de quo vicerat. Placuit. n. Deo*, inquit Auguſt. lib. 13. de Trin. cap. 13. *vt propter eruendum hominem de diaboli poteſtate, non potentia diabolus, ſed iuſtitia vinceretur*, & cap. 14. *Hanc iuſtitiam, qua victus eſt diabolus, dicit fuiſſe in effuſione innocentiſſimi ſanguinis Chriſti in cruce*, de quo S. Thom. 3. par. q. 46. art. 3. vbi plures aſſignat congruentias, propter quas Chriſtus ſua paſſione redimere nos voluit, & ideò neceſſe erat, vt corpus haberet, quod immolaretur pro nobis: id quod Eccleſia in feſto Aſcenſioois eleganter ſic canit. *Quæ agenda.* *1. Ioan. 1.* *1. Petr. 2.* *Iudic. 16.* *Leo.* *Iſa. 53.* *Gregorius.* *Leo.* *Auguſtinus.* *Chriſtus corpus aſſumpſit ex Virgine, in quo dæmonem viuit.* *S. Thom.* *Offic. Eccleſ.*

,, *Tremunt videntes Angeli,*
,, *Versa vice mortalium;*
,, *Culpat caro, purgat CARO;*
,, *Regnat Deus Dei caro.*

Leo. Et S.Leo ser.1.de Nat.idē testatur his verbis:*Omnipotens Dominus cum sequissimo hoste, non in sua maiestate,sed in nostra congreditur humilitate,obijciens ei eandem formam, eādemq; naturam mortalitatis nostræ participem, sed peccati totius expertem; vt inuentor mortis diabolus per ipsam,quam vicerat,vinceretur.*Idem ser.1.de Pass.agēs de eadem: *Totum,*inquit,*illud sacramētum,quod simul & humanitas consummauit, & Deitas,dispē-satio fuit misericordiæ, & actio pietatis, talibus.n.vinculis tenebamur astricti, vt nisi per hanc opem nō possemus absolui.*& clarius ser.8.de Pass. *Cum mortis,*inquit,*aculeū recipere non posset natura Deitatis,suscepit tamē nascendo ex nobis,quod posset offerre pro nobis.* Idem epist.13.ad Pulcheriam Augustam de Christo:*Nisi,*inquit,*nouus homo factus in similitudinem carnis peccati nostram susciperet vetustatem,& consubstantialis Patri,consubstantialis esse dignaretur & matri,Naturamq; sibi nostram solus à peccato liber uniret,sub iugo diaboli generaliter teneretur humana captiuitas.* hæc S.Leo.

Ambrosius. 7 Ambros.lib.de fid.resur. *Quoniam,*inquit,*Dei non poterat mori sapientia,resurgere aūt non poterat,quod mortuum non erat;assumitur caro,quæ mori posset,vt dum moritur quod solet;quod mortuum fuerat hoc resurgeret.*& Augustserm.176. de temp. ex hoc duas in Christo naturas,diuinam scilicet,& humanam colligit: *Mortem.n.*inquit,*nec solus Deus sentire,nec solus homo superare potuisset.*& infra: *Si nihil de nostro suscepit, nihil nobis præstitit;proinde charissimi si non in nostra carne diabolum triumphauit;se exercuit,non nobis vicit;si non in nostro corpore resurrexit,conditioni nostræ resurgendo nihil contulit: si non in nostra carne peregit medicinam,solam ergo ex homine nascendo elegit iniuriā: de nostro est,quod apprehendit,de suo est quod donauit: meum tector esse quod cecidit, vt meum sit quod resurrexit:meum est quod iacuit intra tumulum,vt meum sit quod ascendit in cœlū.*

Augustinus.

Nota ex Augustino.

hęc ille.Idē Augustlib.4.de Trin.c.14.loquēs de excell.sacrif.Christi in cruce peractio: *Quid tam mirandum,*inquit,*quod offerretur pro mundanis vitijs mortalium,quā sine vlla contagione carnalis concupiscentiæ caro nata in vtero,& ex vtero virginali? & quid tā grate offerri,& suscipi posset;quàm caro sacrificij nostri corpus effectum sacerdotis nostri;*& lib.13.de Trin.c.14.*Ideo,*inquit,*Christā esse opus erat & hominem,& Deum;nisi.n.homo esset non poterat occidi:nisi Deus esset non crederetur noluisse quod potuit; sed non potuisse quod voluit:nunc verò humana pro nobis passus est,quia homo erat,sed si voluisset etiam hoc non pati,potuisset,quia & Deus erat.* & cap.18. *Hæc,*inquit,*tanta Dei dona,& si quę alia sunt,nisi Verbum caro fieret,nulla essent.* sic Augustinus.

S. Bernardus. S.Bernar.ser.75.in Cant.agens de sponsa,quæ in sęculo suo quærit Christum;lectulū interpretatur tumulum,præsepium ipsum vterum Virgin.*Meritò,*inquit,*sponsa ponens lectulum dicit suum,quia omne quod infirmum est Dei,non de proprio inesse illi manifestum est,sed de nostro, Ex nobis assumpsit quæ pro nobis sustinuit, Nasci,lactari,mori,sepeliri: Mea est mortalitas nati,mea infirmitas paruuli,mea expiratio crucifixi, mea sepulti dormitio.*hæc Bern. S.Thom.3.p.q.44.art.3.ad 2.agens quomodo Christus ēt in miraculis patrandis humanitate vtebatur:*Christus Dominus,* inquit, *venerat saluare mundum non solum virtute diuina,sed per mysterium Incarnationis ipsius;& ideò frequenter in sanitate infirmorū non solùm potestate diuina vtebatur curando per modum imperij, sed ēt aliquid ad humanitatē ipsius pertinens apponebat:vnde super illud Luc.4.singulis manus imponens curabat omnes,dicit Cyrillus,quamuis vt Deus potuisset omnes verbo pellere morbos;tangit tamen omnes, ostendens propriam carnem efficacem ad præstanda remedia.*& super illud Marc 8. *expuens in oculos eius,impositis manibus,&c. dicit Chrysostomus: Sputt quidem, & manus imponit cæco,volens ostendere quod Verbum diuinum operationi adiunctum miracula perficit; manus enim operationis est ostensiua,sputum sermonis ex ore prolati.*& super illud Ioan.9. *Fecit lutum ex sputo, & liniuit super oculos cæci dicit Augustinus de saliua sua lutum fecit,quia Verbum caro factum est.* hucusque S.Thomas ibi.

S. Thomas. Christus humanitate vtebatur in miraculis,& quare.

Luc. 4. Cyrillus.

Marc. 8. Chrysostomus Hom 8.in Mar.

Ioan. 9. Augustin tract. 44.in Ioan.

Christus corpus ex Virgine accepit.

8 Quamuis autem filius Dei carnem humanam ex quacumque materia, & non ex materno vtero assumere potuerit;maluit tamen ex muliere virgine illibata illam accipere;

vt

vt pulchrè expendit Auguſtinus epiſt.3.& lib.13.de Trin.cap.18.cuius verba cap.14.recitaui.& S.Thomas 3.par.q.31.art.4.cuius rei inter alias congruentias,& illa à Theologis aſſignatur,vt Chriſtus carnem ſuam ex Virgine ſumens ex materia ſecũdum corpulentam ſubſtantiam ab Adam,(qui fraude dęmonis ceciderat)deriuata in ea dæmonem vinceret;ſicq;medicina vulneri magis eſſet accommodata,& ſatisfactio quadam ratione magis propria exhiberetur in ea natura,per quam Deus fuerat offenſus. quod Apoſtolus animaduertit Hebr.2.cum dixit:*Qui.n.ſanctificat,& qui ſanctificantur ex vno omnes*,de quo S.Leo ſerm.2.de Natiu.*Non iuſtè*,inquit,*diabolus amitteret originalem deditiĳ generis ſeruitutem,niſi de eo quod ſubegerat vinceretur;quod vt fieret ſine virili ſemine editus eſt Chriſtus ex Virgine*.Idem ſerm.3.de Nat.*Offerenda erat pro reconciliandis hoſtia, quæ eſſet noſtri generis ſocia,& noſtræ contaminationis aliena*. Idem etiam egregiè docet S.Thomas 3.par.q.4.art.6.Quare Auguſtinus lib.1.de doctr.chr.c.14.agens de ſapiẽtia Dei in curatione hominis,quæ & contraria morbo,& ſimilia adhibuit,inter alia, hæc ẽt ponit:*Corrupto*,inquit,*animo fęminæ,ingreſſus eſt morbus:integro corpore fœminæ proceſſit ſalus*.& mox:*Per fęminam deceptus homo:Chriſtus per fęminam natus,homo homines,mortalis mortales, mortuos morte liberauit*. ſic Auguſt. Ideò B.Virgo,quæ ex puriſſimis ſuis ſanguinibus Chriſtum cõcepit,eum carne,per quam dæmonem vicit,veſtiens,eidẽ quoque arma,in quibus dæmonem vinceret verè ſuppeditaſſe dicitur:vt propterea Cant.4. dicatur ſanctæ Eccleſię de collo eius,quod eſt B.Virgo,*ſicut Turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis* (hoc enim ſpectat ad munitionem huius turris inexpugnabilis) ſed præterea ſubiungit : *Mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium*. inde.n.carnem Chriſtus ſuſcepit,quæ fuerunt arma, quibus eſt vſus fortior ipſe Chriſtus ad fortem armatum dęmonem expugnandum.Et in die Incarnationis,quando Deus humanitate ab ea indutus eſt,iuxta illud Phil.2.*In ſimilitudinem hominum factus,& habitu inuentus vt homo*, tunc à Regio Propheta verè in ſpiritu canitur illud pſ.92. *Dominus regnauit decorem indutus eſt,indutus eſt Dominus fortitudinem , & præcinxit ſe virtute*; nimirum indutus eſt humanitatem decoram,& ſpecioſam;ac ſimul fortiſſimam,& potentiſſimam,& præcinctus eſt ad hoſtes ſcilicet debellandos , & ſicut qui gladium,vel arma ad alterius cędem alteri porrigit, eiuſdem necis particeps dicitur:& ſicut Eua pomum Adamo porrigendo ad humani generis pernitiem eſt cooperata;ita & Virgini,quę arma Chriſto dedit,aſcribi etiam ſuo modo poteſt dæmonis per Chriſtum deuicti expugnatio. Ad quod etiam facit diuerſus modus,quo Deus Euam formauit ex Adam,& quo incarnatus eſt ex Virgine. Et,vt reliqua, quibus inter ſe differunt,omittam;illud in præſentia animaduertendum eſt,quod cap.17.adnotauimus,Euam ex coſta dormientis Adę abſq; eius conſenſu formatam . At in Incarnatione Deus non ſolùm ex Virgine, ſed dante,& conſentiente ipſa,carnem ſuſcipere voluit; ideoq; per Gabrielem Archangelum eius aſſenſum efflagitauit,quo præſtito , Verbum ſtatim caro factum eſt ex puriſſimis eius ſanguinibus,ita vt Virgo sãctiſſima vera ſit Dei Mater. Hinc SS.Patres,Auguſtinus,Bernardus,quos loc.cit.attuli piè contemplantur,totum mundum quaſi ad Virginis genua prouolutum,eam ad aſſentiendum Angelo nuntianti ſuppliciter orare:quare Deipara ſciẽs, & volens,arma ad triumphandum de dæmone Chriſto ſuppeditauit.Hinc eſt,quod Methodius orat.in hypap. Virginem ſic affatur: *Tu potentem illum corpore tanquam decenti Panoplia* (hoc eſt omni genere armorum)*induiſti per quam ipſe facilè à me caperetur,& cerneretur. per quam etiam ignita omnia maligni tela extinguuntur* . hæc Methodius. & Irenæus lib.3.cap.33.de hoc conſenſu:*Maria Virgo*,inquit,*obediens,& ſibi, & vniuerſo generi humano facta eſt cauſa ſalutis*. & mox: *Euæ inobedientiæ nodus ſolutionem accepit per obedientiam Mariæ*.

Auguſtinus. S. Thom. S.Tho.3.par.q.4.art.6. Suar. tom. 2.in 3.par diſpu.19. ſect. 1. Hebr. 2. S.Leo. Auguſtinus. Cant. 4. B. Virgo turris Dauid vnde arma deſumpta. Philip. 2. Pſal. 92. Qui gladium ad necem porrigit cooperatur ad illam. Geneſ. 2. Methodius. Irenæus.

9 Et ſanè Apoſtolus Hebr.9. Noſtram è Satanæ captiuitate redemptionem per Chriſti corpus Spiritus ſancti opera ex puriſſimis Deiparæ ſanguinibus formatum, eleganter explicat comparatione tabernaculi ſacerdotum veteris legis; vbi.n.diſſeruiſſet de muneribus,& hoſtijs Moſaicæ legis,quæ non poterant iuxta conſcientiam perfectum facere ſeruientem,ſolummodo in cibis,& potibus,& varijs baptiſmatibus,& iuſtitijs carnis vſq;ad tempus correctionis impoſitis,ſubijcit: *Chriſtus autem aſſiſtens Põtifex futurorum bonorũ per amplius,& perfectius tabernaculum non manufactum,ideſt non huius creationis,neque* Hebr. 9.

per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta. Hoc n. tabernaculum non manufactum ex Theod. Primas, & Haymone eſt Chriſti humanitas, ſeu ex Chryſoſt. Theophil. Oecumen. & S. Tho. in illum locum, eſt Chriſti corpus, quod pro nobis in cruce oblatum, ex Virgine ſine virili opera, Spiritus ſancti virtute fuit deſumptum. Propterea n. Chriſtus Dan. 2. vocatur *lapis abſciſſus de monte ſine manibus:* dicitur autem *Tabernaculum amplius, & perfectius*, quia Coloſ. 1. *In ipſo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*; & quia fuit *plenus gratiæ, & veritatis.* Ioan. 1. Hinc eſt, quod S. Brigitta lib. 3. reuel. cap. 29. cum Virginem ſanctiſſimam in templo Salomonis per ſingulas partes comparaſſet, refert Deiparã in hunc modum reſpondiſſe: *Ego ſum Mater ſacerdotis ſummi, & in templo corporis mei induit ſe veſtibus ſacerdotalibus ſpiritualiter, in quibus obtulit ſacrificium pro mundo.* hæc ibi. Nimirum ibi carne indutus, in qua, & quam obtulit; idem n. Sacerdos fuit, & victima. quod pulchrè Athanaſius ſerm. 3. contra Arianos: *Verbum*, inquit, *vt Aaron veſtem talarẽ, ita carnem è terra aſſumpſit, Mariamq; vice rudis illaboratæ terræ* (alludens ad virginitatem Deiparæ) *Matrem ſui corporis habuit, vt iam habens quod offerret, ipſe Pontifex ſe ipſum Patri in victimam daret.* ſic Athanaſius. Andr. Cretenſis ſerm. de dorm. *Ipſe*, inquit, *magnus Pontifex Ieſus, qui cœlos aſſumpta carne peruaſit, quæ habebat animam ratione præditam, & intelligentem tanquam in templo in Virginis ſanctuario nos adiens ſuffit, & ſacrificat, & ſacrificatur, & offerens oblationes offertur, & pro nobis ſeipſum ſanctificans, ſanctificat eos, qui ipſum ſanctificant.* hæc Andr. & Hierony. lib. 1. in epiſt. ad Epheſ. c. 1. docet Chriſtum eſſe gloriam Patris, de qua pſ. 66. *Exurge gloria mea: Quæ gloria*, inquit, *ſuo fulgore mundum illuminans, Templum ſibi de virginali vtero fabricata eſt, cuius tẽpli pater gloriæ efficitur Deus.* ſic Hier. Chriſtus ergo in tẽplo carnis ſuæ de virgine fabricato noſtra peccata expians dæmonem profligauit. Ideò Deipara à Leone ſerm. 1. de Paſs. Dom. dicitur *Virgo SALVTIFERA*, ait. n. ſalutiferæ Virginis partum non tantum nouiſſimis profuiſſe temporibus, ſed in præteritas etiam ſe refudiſſe ætates: quia. n. Verbum corpus de ea ſuſcepit, ipſa hac ratione cooperata eſt ad noſtram ſalutẽ. Hinc elogia illa de Virgine præclariſſima à SS. Patribus pronunciãtur. Bernard. ſerm. 2. Pent. *Meritò in te reſpiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus omnipotentis quicquid creauerat recreauit.* & ſerm 4. de Aſſumpt. *Per te*, inquit, *cœlum repletum, infernus euacuatus eſt, inſtauratæ ruinæ cœleſtis Ieruſalem, expectantibus miſeris vita perdita data.* hæc Bern. Cyrillus hom. 6. in Neſtorium cum Virgine loquens: *Per te*, inquit, *Trinitas ſanctificatur, per te crux precioſa celebratur, & adoratur in toto orbe terrarum: per te exultat cœlum, lætantur Angeli, & Archangeli, fugantur dæmones, & homo ipſe ad cœlum reuocatur.* & poſt alia in hanc ſententiam: *Per te vnigenitus Dei filius vera lux effulſit, ſedentibus in tenebris & vmbra mortis.* ita Cyrillus.

IO Petrus Chryſologus ſerm. 142. ſuper illud: *Inueniſti gratiam apud Deum: Hæc*, inquit, *cum dicit, & ipſe Angelus miratur, aut fœminam tantam, aut omnes homines vitam meruiſſe per fœminam.* & ſerm 143. ſuper illud: *Aue gratia plena: Hæc*, inquit, *eſt gratia, quæ dedit cœlis gloriam, terris Deum, fidem gentibus, fœdus vitijs, vitæ ordinẽ, moribus diſciplinam: Hanc gratiam detulit Angelus, accepit Virgo, ſalutem ſeculis redditura.* idem ſer. 146. *Vna*, inquit, *puella ſic Deum in ſui pectoris capit, recipit, oblectat hoſpitio, vt pacem terris, cœlis gloriam, ſalutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum cœleſtibus parẽtelam, ipſius Dei cum carne commercium, pro ipſa domus exigat penſione, pro ipſius vteri mercede conquirat & impleat illud propheticum: Ecce hæreditas Domini filij merces fructus ventris.* Idem Chryſol. ſer. 146. *Et vt ſemper*, inquit, *MARIA humanæ præuia ſit ſalutis populum, quem vnda generatrix miſit in lucem, ipſa iure præceſſit in Cantico Maria, inquit, ſoror Aaron ſumens tympanum in manu ſua dixit: Cantemus Domino glorioſe enim honorificatus eſt.*

Petrus Damianus ſerm. de Aſſumpt. *Conſidera*, inquit, *& quæ in cœlis, & quæ in terris in Virgine refabricata, Deum qui cœlum palmo metitur, virginei ventris breuitate concluſum, Redemptionem hominum, Angelorum reſtaurationem, denique quicquid eſt, fuit, & erit per Virginis vterum renouatum.* ita Damianus.

Bonauentura in ſpeculo B. Virg. cap. 7. *O fœmina*, inquit, *plena, & ſuperplena gratiæ, de cuius plenitudinis exundantia reſperſa reuiuiſcit omnis creatura.*

Theodoretus. Primas Haymon. Chryſoſtomus. Theophilatus. Oecumen. S. Thom. Dan 2. Coloſ. 1. Ioan. 1. Athanaſius. Andr. Cret. Hieronymus. Virgo dicitur Salutifera. Elogia Sanctorum de Virgine quod ad noſtrã ſalutem ſit cooperata. Bernardus. Cyrillus. Petr. Chryſol. Luc. 1. Pſal. 126. Exod. 15. Petr. Dam. Bonauent.

Geor-

Georgius Nicom. orat. de oblat. Deip. ad eam ſermonem dirigens: *Per te*, inquit, *paradiſum purè ſumus conſecuti: per te generis colonia ad propriam redijt manſionem: per te receſſit rhomphæa verſatilis: per te quæ erant clauſæ delitiarum portæ fuerunt apertæ: per te ſpes Prophetarum ad effectum ſunt deductæ: in te finem acceperunt, quæ ab eis dicta ſunt: per te noſtræ reſurrectionis certa ſigna tenemus: per te nos Regnum cœlorum ſperamus aſſecuturos: Te noſtræ ſalutis habemus adiutorem.* hæc ille. Georg. Nicom.

S. Bruno ſermone de Natiu. Virg. illud Iob 40. de Leuiathan: *nunquid illudes ei, aut ligabis eum ancillis tuis*, dicit Virginem eſſe, qua Dominus ligauit Leuiathan. S. Bruno.

B. Laurentius Iuſtinianus ſermone de Natiu. Virg. *eam ſæculi reparatricem*, & in cap. 9. lib. de Connubio verbi, & animæ, Virginem *peccati interemptricem* appellat. Quare meritò omnes Deiparæ ſanctiſſimæ dicere poſſumus, quod Iudith fortiſſimæ fœminæ, quæ Deiparam adumbrabat poſt interfectum Holofernem, ab vniuerſis dictum legimus c. 13. *Benedixit te Dominus in virtute ſua, quia per te ad nihilum redegit inimicos noſtros.* Iudith 13.

II Quod autem id, quod per Chriſtum effectum eſt, Virgini rectè tribuatur, cõfirmatur exemplo Iacob Patriarchæ Geneſ. 48. qui loquens cum Ioſeph filio de prædio ſuo in Sichimis, id quod filij quamuis (ipſo inſcio fecerant) ſibi tribuere non dubitat: *Do*, inquit, *tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo*, cum tamen non ſuo, ſed Simeon, & Leui gladio tuliſſet, vt patet Gen. 34. Nam, & Vlyſſes (liceat quoque nobis ratiocinationis noſtræ efficacitatem ex profanis Auctoribus confirmare) quòd Achilli alieno habitu delitescenti arte ſua deprehenſo, arma tantum ſumere, & ad bellum Troianum proficiſci perſuaſerit, eiuſdem egregia apud Troiam facinora, & ipſam Hectoris cædem ſibi aſcribere non veretur; ſic enim contra Aiacem in illo Græciæ ducum conſeſſu, cum Achillis arma ſibi depoſceret, de Achille loquentem inducit Poeta, Gen. 48. *Exemplum de Iacob Patriarcha.* Gen. 34. *Exemplum ex Vlyſſe.*

Iniecíq; manum, fortemq; ad fortia miſi:
Ergo opera illius mea ſunt, Ego Telephon haſta,
Pugnantem domui; victum, orantemq; refeci.
Quod Thebæ cecidere, meum eſt. An me credite Lesbon,
Me Tenedon, Chryſenq;, & Cillan Apollinis vrbes,
Et Syron cæpiſſe; mea concuſſa putate
Procubuiſſe ſolo Lyrneſia mœnia dextra:
Vtq; alios taceam, qui ſæuum perdere poſſet
Hectora, nempe dedi, per me iacet inclytus Hector. Ouid. lib. 13. Metamor.

Ex quibus ſatis colligitur quantum eiuſmodi adiumenta ad negotium conficiendum afferenti tribuere omnes ſoleant, quantò magis Deiparæ in victoria de Satana à Chriſto reportata tribuendum erit, quæ non ſolo conſilio, ſed ipſa etiam opera Chriſtum nobis genuit, eiq; carnem tribuendo, arma ad dæmonem expugnandum ſubminiſtrauit. Quare S. Thomas 3. par. q. 27. art. 5. ad 1. *Virgo*, inquit, *tantam obtinuit gratiæ plenitudinem, vt eſſet auctori gratiæ propinquiſſima, ita quod eum, qui eſt plenus omni gratia, in ſe reciperet, & eum pariendo quodammodo gratiam ad omnes deriuaret.* ita S. Thomas. Et hæc pauca de ratione, qua in Incarnatione Virgo ſanctiſſima cooperata eſt ad noſtram ſalutem, vt omittam plurimos Patres præter eos, quos cap. 17. citaui, qui per eam reparata omnia dicunt: ita enim docent Irenæus lib. 5. cap. 19. Anſelmus de excell. Virg. cap. 11. Rupertus lib. 13. in Ioan. S. Bernardinus Senenſis tom. 3. ſerm. 6. art. 2. cap. 2. quorum verba afferam cap. 27. vbi agam de Virgine cur mater ſit iuſtorum: vt omittam etiã alias rationes, quibus Virgo ad idem cooperata eſt, precibus ſcilicet efficaciſſimis impetrando, merendo etiam multa de congruo, & alijs modis: quæ omnia fuſius tradunt Theologi in 3. ſentent. & in 3. par. S. Thom. de quibus eruditè Noſter Franciſcus Suarez tom. 2. in 3. par. diſput. 23. ſect. 1. vbi agit quo modo Virgo fuerit noſtræ ſalutis cauſa: & diſput. 18. ſect. 4. in fine multos Patres in huius veritatis confirmationem affert, & diſput. 10. ſect. 6. vbi diſſerit quomodo Virginis conſenſus Angelo nuncianti factum ſit medium ad Incarnationis exequutionem. *Irenæus. Anſelmus. Rupertus. S. Bernardinus. S. Thom. Suarez.*

Vidimus in communi Chriſtum Dominum humanitate ſua, de Virgine accepta contra dæmonem dimicaſſe, de eoq; triumphum egiſſe; nunc tractandum remanet, qua ra- *Quomodo Chriſtus per humanitatem de Vir*

gine acceptam de dæmone triũpharit.

tione Christus per humanitatem ex Virgine desumptam, hoc executioni mandarit, quod in sacris litteris varijs metaphoris inuenitur descriptum, quæ si enucleentur, varia quoque diuinæ bonitatis, & sapientiæ mysteria emicabunt. Liceat enim nobis de his metaphoris multiplicibus idem dicere, quod Augustinus lib. 10. de Ciuit. cap. 6. loquens de Christi sacrificio multipliciter significato; *Hoc vnum*, inquit, *per multa figuratur, tanquam verbis multis res vna dicatur, vt sine fastidio multum commendetur*. ita Augustinus. Nos autem quamplurimis omissis, quinque tantum metaphoras, vel figuras ad Christi, eiusq; genitricis gloriam pro modulo nostro inuestigare conabimur.

Augustinus.

CHRISTI DE DAEMONE VICTORIA SVB TYPO GLADII Domini Isa. 27. Visitabit Dominus gladio suo, &c. super Leuiathan.

Isa 27. Prima metaphora victoria Christi sub typo gladij Leuiathan serpentem percutientis Septuaginta.

1 ET prima quidem habetur Isa. 27. *In die illa*, inquit, *visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti super Leuiathan serpentem vectem, & super Leuiathan serpẽtem tortuosum, & occidet cætum, qui in mari est*; vel, vt habent Septuaginta: *Inducet Dominus gladium sanctum, magnum, & fortem super draconem colubrum fugientem*, &c. Quibus verbis ex Interpretum sententia, Christi de Satana triumphus describitur: ideò inuestigandum nobis est quis, qualisuè sit gladius hic Domini: quis item, qualisq; sit Leuiathan serpens iste, & quomodo visitaturum, & simul perditurum se illum prædicit D

Origenes. Hieronymus. Hebr. 4 Gladius Domini Christi humanitatem significat. Tertullian. Nazianz. Basilius. Augustinus. Psal. 7.

Gladius igitur Domini, & si multa significet, & præsertim Verbum Domini ex Origene lib. 2. Periarch. cap. 2. & alijs, quorum Hieronymus in hunc locum meminit, de quo Hebr. 4. *Viuus est sermo Dei, & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti*; tamen in hoc loco Christi Domini humanitatem ex plurimorum Patrum tententia significari existimo. Tertullianus enim lib. 4. contra Marcionem: *Illa*, inquit, *die superducet Dominus machęram magnam, sanctam, & fortem, Christum scilicet suum intelligit*. Nazianzenus, *Machęra Christus dicitur, quod resecet malum, & putridum à meliori*. Basilius in psal. 44. *Machęra*, inquit, *dicitur Christus, quòd resecet & mortificet prauas animi cupiditates, & motus*. Augustinus in psal. 7. in illa verba: *Nisi conuersi fuerit is gladium suum vibrabit: Gladium dicit esse humanitatem Christi, qui in primo aduentu tanquam in vagina humilitatis absconditus: in secundo verò veniens iudicare viuos, & mortuos, vibrabit gladium & iustis suis lumine, terrore verò impijs coruscabit*: addit etiam ex persona Christi ad

Psal. 16. Augustinus.

Patrem dici in alio psalmo (scilicet 16.) *Erue animam meam ab impio, & framean tuam ab inimicis manus tuæ*: cuius psalmi verba enarrans in eundem psal. 16. idem repetit: *Erue*, inquit Augustinus, *animam meam ab impio, resuscitando me à morte, anima mea framea tua est, quam assumpsit manus tua, ideſt æterna virtus tua, vt per ipsam Regna debellet iniquitatis, & diuidat iustos ab impijs*. Cyrillus Alexandrinus in Isa. similiter interpretatur de Christo. Theodoretus, *Machęram*, inquit, *nominat vindicem filium, & liberantem*. Procopius Gazeus in Isa. 49. super illud: *Posuit os meum, vt gladium acutum; Humanitas Christi facta est*, inquit Procopius, *vt Leuiathan serpentem magnum, & tortuosum iugularet*. Rupertus Tuitiensis in Zach. 9. super illa verba: *Et ponam te gladiũ fortium*, gladium interpretatur de Christo, vt per ipsum scilicet fieret illud, quod erat fortissimum, iuxta illud: *Non veni pacem mittere, sed gladium; veni enim separare hominem aduersus Patrem suum &c.* Glossa etiã interlinearis hic Isa. 27. In gladio, ideſt filio.

Cyrill. Alex. Theodoretus. Procop. Gaz. Rupertus. Zach 9. Gloss. interl.

Iudic 7. Panis hordeaceus gladius est Gedeonis.

3 Idem etiam confirmare possumus ex lib. Iudic. cap. 7. vbi in somnio illius Madianitæ visus est, quasi subcinericius panis ex hordeo volui, & descendere, ac Madianitarum castra delere, cui alter respondit: *Non est hic aliud, nisi gladius Gedeonis, tradidit enim Dominus in manus eius Madiam, & omnia castra eius*. Sed quæret quispiam, quid commune pani subcinericio cum gladio? Respondeo si attendamus rem spiritualiter per vtrumque significatam, mirum in modum sibi congruunt: sub nomine enim panis, caro Christi intelligitur, quæ sub speciebus panis continetur. Quare Saluator dicebat Ioan. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*: dicitur verò subcinericius, quia ignem, & cineres reliquias ignis, colore, odore, & sapore refert. Quoniam sanctissima Eucharistia vndique passionem, in cuius memoriam est instituta, redolet, & flagrantissimam Christi charitatem præsefert, ideò cum de hoc sacratissimo Sacramento ageret

Ioan. 6.

Chri-

Christus, solebat aliquid de passione addere, exempli gratia: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Caro mea pro mundi vita: Hic est sanguis, qui pro vobis effundetur.* Et Apostolus 1. Cor. 11. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* At verò hæc Christi caro gladius, seù instrumentum fuit, vt dixi, ad hostes debellandos, & fideles ad hoc Sacramentum piè accedentes, vires sumunt ad dæmones superandos, iuxta illud Chrysostomi hom. 61. ad populum Antiochenum: *Tanquam leones, inquit, ignem spirantes ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles:* etenim psal. 22. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me:* meritò autem metaphora mensæ vtitur Dauid, quoniam panis hic Eucharistiæ supersubstantialis ex Deipara, quam per mensam panum propositionum adumbratam diximus cap. 5. est desumptus. Hunc gladium (qui, vt dixi, est Christi humanitas sacratissima) conflatum à B. Virgine, quæ fuit vera Christi mater, ex materia ab eadem Virgine subministrata in suo vtero tanquam in officina appositissima, antiqui Patres summis votis optabant, vt verbum quantocyus ad dæmones euertendos assumerent, idq; illis verbis ab eo efflagitabant psal. 44. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.* de hoc Rupertus lib. 3. de Trinit. & operibus eius cap. 19. *Christus*, inquit, *cum illo antiquo serpente fortiter se exercuit accinctus gladio super femur suum potentissimus, speciosus, & pulcher intendit, prospere processit, & regnauit; hostemq; publicum ante pedes suos productum contriuit, & vulnerauit, iuxta Psalmistam, Tu humiliasti sicut vulneratũ superbum in virtute brachij tui tunc adimpletum est MVLIERI in isto semine suo, quòd fuerat hic prædictum, Ipsa cõteret caput tuum: vnde in alio psalmo Propheta dicit: Tu contribulasti capita draconũ in aquis: Tu confregisti capita draconis.* hæc ex Ruperto.

Luc. 22. Ioan. 6. 1. Cor. 11. — Chrysostomus. — Psal. 22. — Gladius hic ex Virgine conflatus. — Psal. 44. — Rupertus. — Psal. 88. — Psal. 73.

Gladius porrò iste dicitur Durus, Grandis, & Fortis. & quidem Septuaginta loco, Duri, vertunt, Sanctum, quod est Christi epithetum valdè proprium; Ex Euangelista namq; Matthæo cap. 2. iuxta Prophetarum vaticinium, *Christus Nazarenus vocabitur*. quod explicans Hieronymus in illum locum: *Nazarenus*, inquit, *Sanctus interpretatur; Sanctum autem Dominum futurum omnis scriptura commemorat.* ita Hieronymus: ideò Angelus ad Virginem: *Quod nascetur ex te Sanctum vocabitur filius Dei.*

Matth. 2. — Hieronymus. — Luc. 1.

14 Sed videamus quomodo humanitas Christi Domini sit gladius durus, grandis, & fortis: & durus quidem, quia cedere nescit, & est inuincibilis. quare psal. 2. de Christo: *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos:* quod repetitur Apoc. 2. & 19. & Ieremiæ qui fuit figura Christi dicitur cap. 1. *Ego dedi te in Ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum super omnem terram, & bellabunt aduersum te, & non prævalebunt.* & Ezech. 3. adhuc rebus durioribus assimilat eum: *Vt adamantem*, inquit, *& vt silicem dedi faciem tuam, ne timeas eos:* debebat enim res durissimas effringere iuxta illud psal. 106. *Confiteantur Domino misericordiæ eius, quia contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit*, ideſt ad educendum vinctum de domo carceris, & vmbra mortis, contriuit inferorum potentiam, & munitiones, quæ dicuntur Matth. 16. portæ inferi; conterendus etiam erat Satanas cum suis, qui Isa. 27. (vt mox dicemus) appellatur *serpens vectis*. & ita Sap. 18. *Omnipotens sermo tuus de Cœlo durus debellator in mediam exterminij terram prosiliuit*, ideſt Christus Dominus durus dæmonis debellator aduenit, vt cap. 2. diximus. Bernardus verò sermone 2. de Pentec. hanc duritiem refert ad Christi patientiam inuictam, quam in passione exhibuit: *Quam fortiter*, inquit, *Domine Iesu tam indigna, quàm aspera pro hominibus passus es, ita vt liceat sugere mel de petra, oleumq; de saxo durissimo; duro ad verba, duriore ad verbera, durissimo ad crucis horrenda; quia in omnibus his sicut Agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum.* ita Bernardus.

Gladius iste est durus. Psal. 2. — Apoc. 2. & 19. — Ierem. 1. — Ezech. 3. — Psal. 106. — Matth. 16. Isa. 27. Sap. 18. — Bernardus.

Grandis fuit hic gladius, nam vniuersam terram peruasit, & grandia effecit: quare psal. 18. *In omnem terram exiuit sonus eorum*, scilicet Apostolorum, qui Christi nomen per vniuersum orbem portarunt, & ad eiusdem cognitionem, & amorem, exterminato Idolorum cultu, gentes traduxerunt: & Christi virtute dæmones ex orbe vndiq; eliminarunt, atque effugarunt. Neque solùm terrarum finibus, quamuis ampliſſimis se se gladius iste continuit, verùm etiam virtutem suam ad inferiores partes terrę, & ad suprema cœlorum extendit, infernum spolians, reserans cœlos.

Gladius iste est grandis. Psal. 18.

Deni-

Gladius iſte eſt fortis. Luc 11. & Matth. 12.

15 Denique fortis fuit hic gladius, vt ex effectu videre licet, quippe qui fortem armatum diabolum, qui in pace cuſtodiebat atrium ſuum, vicit, alligauit, eiusq; arma vniuerſa, in quibus confidebat, abſtulit, & ſpolia eius diſtribuit. Neque dicas, hunc gladium minimè fortem, quia carneus, ac proinde infirmus præſertim propter paſſionem: quoniam ex Apoſtolo 1. Cor. 1. *Prædicamus quidem Chriſtum crucifixum, ſed Dei virtutem, & Dei ſapientiam, quia quod ſtultum eſt Dei ſapientius eſt hominibus; & quod infirmum eſt Dei fortius eſt hominibus:* ratio autem fortitudinis immenſæ, quæ ad dæmonis tyrannidem funditus euertendam, huic gladio, ideſt Chriſti humanitati ineſt, oritur ex brachio potentiſſimo, nimirum ex Verbo Dei cui vnita eſt: propterea de hoc Virgo ſanctiſſima in ſuo Cantico cecinit: *Fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui, depoſuit potentes de ſede, &c.* pſal. 76. *Redemiſti in brachio tuo populum tuum*; cuius rei figura fuit Samſon, qui Iudic. 15. propter brachij ſui fortitudinem in mandibula aſini interfecit mille viros. Quòd enim verbum Dei brachium Domini dicatur, ſatis conſtat Iſa. 52. *Parauit*, inquit, *Dominus brachium ſanctum ſuum in oculis gentium* (ſcilicet per Incarnationem) ſubijcit enim: *Et videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri.* quod idem S. Simeon in Cantico ſuo cum dixit: *Viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum*, ijſdem ferè verbis de Chriſto expreſſit, quare brachium Domini apud Iſaiam eſt Chriſtus, & Iſa. 53. *Brachium Domini cui reuelatum eſt* quod brachium filium Dei eſſe interpretatur Athanaſius in lib. de communi eſſentia Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, quoniam per hoc conſubſtantialitas inter Patrem, & Filium indicatur. Eodem modo explicat Hieronymus in Iſa. 53. Auguſtinus tract. 53. in Ioan. & Gregorius hom. 2. in Ezech. & ratio eorum eſt, quia ſicut per brachium operamur, ita omnia per Verbum facta ſunt, Verbum igitur eſt brachium Dei: humanitas verò, vt docent Theologi, & S. Thomas 3. par. q. 8. art. 1. ad 1. & q. 62. art. 5. eſt inſtrumentum Dei coniunctum: mirum igitur non eſt, ſi humanitas Chriſti gladius dicatur fortiſſimus Verbi, & omnino inſuperabilis: quapropter 3. par. q. 48. art. 6. ad 1. docet S. Thomas paſſionem Chriſti relatam ad diuinitatem conſequi infinitam virtutem, & efficienter cauſare noſtram ſalutem.

Luc. 1. Pſal. 76. Iudic. 15. Brachium Domini eſt Verbum Dei. Iſa. 52. Luc. 2. Iſa. 53. Athanaſius. Hieronymus. Auguſtinus. Gregorius. Humanitas Chriſti eſt inſtrumentũ Verbi coniunctum. S. Thom.

Quis ſit Leuiathan.

16 Nunc videndum quis, qualisq; ſit Leuiathan ſerpens iſte, quem Chriſtus debellauit. Leuiathan certum eſt ex communi Patrum ſententia ſignificare diabolum, quod etiam colligitur ex ijs, quæ ſubiungit, vocat enim illum *ſerpentem tortuoſum, &c.* ita intelligunt Tertullianus lib. 4. contra Marcionem: *De principe*, inquit, *huius mundi, & immundis ſpiritibus, quos Chriſtus Machæra Patris aduentu ſuo expulit.* Athanaſius ſermone de paſſione Domini, Origenes 2. Periarc. cap. 8. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, & Procopius in Iſa. 27. Gregorius lib. 33. moral. cap. 9. Etymologia porrò huius nominis deducitur à Leuiah, quod eſt copulare: ideo enim Geneſ. 29. vnus ex filijs Iacob vocatus eſt Leui: *Quia*, inquit, *Lia nunc quoque copulabitur mihi maritus meus, & à Thanin.* quod eſt ſerpens, ſeu draco, quaſi idem ſit Leuiathan, quod ſerpens copulans ſibi, vel copulatus alijs, vel habens in ſe copulationem aliquorum. de quo vide Leonem Caſtrium in Iſa. 27. & noſtrum Pinedam in Iob 40. & ita intelligitur illud Ezech. 29. ad draconem diabolum ſub perſona Pharaonis: *Ecce ego ad te draco magne, qui cubas in medio fluminis.* & mox: *Agglutinabo piſces fluminum tuorum, & vniuerſi piſces tui ſquamis tuis adhærebunt.* & hæc eſt copulatio, quam Leuiathan nomen importat, quaſi dicat: Omnes, qui tibi in ſceleribus adhæſerunt, idem ſubibunt iudicium, *vt vincti cum draconе*, inquit Hieronymus in illum locum Ezech. *vnum cum eo corpus efficiant, & copulentur ei, vel in erroris conſortio, vel in pœnæ ſimilitudine, quo modo qui adhæret Domino vnus ſpiritus eſt.* ita Hieronymus. Draco enim cauda ſua Apoc. 12. trahebat tertiam partem ſtellarum cœli, & miſit eas in terram, & huic draconi non tantum agglutinati ſunt inferiores dæmones, qui vocantur Angeli eius, ibidē & Matth. 25. qui Apoc. 12. ſimul è cœlo proiecti ſunt à S. Michaele, & Angelis eius, ſed etiam homines vitijs dediti, qui pro qualitate vitiorum ex Hieronymo loco citato, vel capiti, vel ventri, vel caudæ, & extremis draconis partibus adhærent: *Qui enim facit peccatum ſeruus eſt peccati* Ioan. 8. & 2. Petr. 2. à quo quis ſuparatus eſt, huius & ſeruus eſt: *Et proijciam te*, inquit Ezechiel, *in deſertum, vt nequaquam reperias quos decipias*. hæc ex Hieronymo. Huc etiam ſpectat

Tertullian. Athanaſius. Origenes. Hieronymus. Cyrillus. Theodoretus. Procopius. Gregorius. Geneſ. 29. Leo Caſtrius. Pineda. Ezech. 29. Diabolus draco magnus. Ezech. 29. Hieronymus. Apoc. 12. Matth. 25. Hieronymus. Ioan. 8. 2. Pet. 2. Ezech. 29.

ctat Etymologia nominis Leuiathan, quam communiter tradunt Hieronymus de nom. hebrai. in Iob. Gregorius lib. 33. moral. cap. 9. Iſidorus lib. 8. etymol. cap. de Dijs gentium, & alij, quòd ſcilicet ſignificet, additamentum eorum: in idem enim recidit, ac ſi dicas, copulationem. D. Gregorius loco citato explicans hanc etymologiam dicit dæmonem eſſe addittamentum hominum, quibus culpam præuaricationis intulit, & hanc vſque ad æternam mortem quotidie peſſimis ſuggeſtionibus extendit: vel per irriſionem ſic dicitur, quia primo homini diuinitatem additurum ſe perhibuit, ſed immortalitatem quam habebat, tulit.

Etymologia Leuiathan
Hieronymus.
Gregorius.
Iſidorus.
Gregorius.

17 Serpens ergo iſte Leuiathan diabolus, & appellatur ſerpens, quia ex Theodoreto, & Gregorio lib. 17. moral. cap. 20. figuram draconis induit ad decipiendos primos parentes: *Et ſerpentis ore*, inquit Gregorius, *permiſſus eſt loqui, vt ex ipſo vaſe eius homo cognoſceret qualis eſſet qui intus habitaret.* dicitur etiam ſerpens propter venenum, & acerbitatem ſuam: & Lubricus ex Gregorio, qui ſi ſuggeſtioni eius primo non reſiſtitur, repente totus ad interiora cordis dum non ſentitur, illabitur.

Theodoretus.
Gregorius.
Cur diabolus ſerpens dicatur.

Vectem autem eundem appellat Iſaias propter magnitudinem, & quia vectis inſtar conatur in peccatoribus cordis ianuam Deo occludere, & eſt vectis ferreus; quare Chriſti fortitudine opus fuit ad eum effringendum, iuxta illud pſal. 106. *Confiteantur Domino miſericordiæ eius, quia contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit.* Hieronymus, *Vectem*, inquit, *ſeu claudentem puto appellari, quod multos ſuo carcere clauſerit, & propriæ ſubiecerit poteſtati, nihilq; in ſe rectum habet: & idcirco* (quod cum Hieronymo notat etiam Gregorius) *dicitur tortuoſus, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui habitatorem quondam maris amarorum, & ſalſorum fluctuum.* ita Hieronymus. Interficiet, inquam, quia ad nihilum eius artes, & vires rediget, & morti æternæ addictum in inferno cum ſuis aſſeclis includet. eodem enim modo loquitur Leo ſermone 10. de Paſſione: *Claui*, inquit, *illi, qui manus Domini, pedesq; transfoderant, perpetuis diabolum fixere vulneribus; & ſanctorum pœna membrorum, inimicarum fuit interfectio poteſtatum.* ita S. Leo. Baſilius in pſalm. 32. tortuoſum vult dici diabolum, quod dux ſit peccati, & varijs flexibus ad varia vitiorum genera etiam inter ſe interdum pugnantia inducat, & nunquam recta via incedat. Cyrillus verò iuxta ſeptuaginta, dæmonem dicit eſſe colubrum fugientem, quòd timidus ſit, & ſemper familiare ſit ei fugere. Quare Iacobi 4. rectè dicitur: *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis:* ad hanc fugam alludit Athanaſius ſermone de Paſſione Domini, vbi docet arundinem vim habere tollendi ſerpentes, & datam eſſe Chriſto in paſſione, cum ei milites illuderent; quoniam myſticè Chriſtus perſequutus eſt fugientem draconem diabolum. Hieronymus pulchrè in Iſa. 27. de hoc colubro fugiente dicit: *Qui*, inquit, *nunquam fugere conſueuerat, à Chriſto effugatur*; addit Hieronymus de hoc dracone diabolo dici in lib. Iob: *Adduces draconem in hamo, circumdabis capiſtrum naribus eius.* Statimq; *Hoc eſt principium plaſmatis Domini, quod factum eſt, vt illudatur ab Angelis eius*, & in pſal. 103. *Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei.* & Apoc. 12. *Facta eſt pugna, &c. Et miſſus eſt draco magnus coluber antiquus, qui vocatur diabolus, & ſatanas, &c. Illud*, inquit Hieronymus, *notandum, quod & in pſal. & in Iob propterea factus dicatur draco, hoc eſt leuiathan, vt illuderetur ei ab Angelis; vnde & Apoſtoli accipiunt poteſtatem, vt calcent ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici.* hæc Hieronymus. hic animaduertendum Hieronymum ibi legere, *vt illudatur ab Angelis*, cùm tamen Iob 40. legatur: *Ab ancillis ſuis.*

Iſa. 27.
Cur dicatur vectis.
Pſal. 106.
Hieronymus.
Gregorius.
Leo.
Baſilius.
Cur ſit tortuoſus.
Cyrillus.
Cur ſit coluber fugiens.
Iacobi 4.
Athanaſius.
Nota de Chriſti arundine in paſſione.
Hieronymus.
Iob 40.
Illuditur dæmoni ab Ancillis Dei.
Pſal. 103.
Apoc. 12.
Hieronymus.
Luc. 10.
Iob 40.

18 His explicatis de gladio Domini, & de ſerpente Leuiathan facilè intelligemus, quid ſibi velit vaticinium Iſaiæ, quo prædicit Dominus in illa die viſitaturum ſe ſuper Leuiathan (ideſt Dæmonem) in ſuo gladio (ideſt in humanitate) hanc enim viſitationem præſtitit in Incarnatione, cum ex Virginis ſanguinibus humanitatem ſuſcepit, quaſi gladio ſe accingens, quod initio dicebamus. Et hoc eſt, quod Zacharias pater Præcurſoris impletum pronunciauit facta Incarnatione, cum dixit: *Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ:* & hanc viſitationem eſſe contra Leuiathan oſtendit illis verbis: *Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium, qui oderunt nos. Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati ſeruiamus illi, in ſanctitate, & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris.* Hanc viſitationem per Incarnationem

Iſa. 27.
Quomodo Chriſtus contra dæmones illum viſitauit.
Luc. 1.

nem contra Leuiathan precabatur à Domino Regius Propheta, cum vineam Dei, ideſt plebem ſuam, direptam, & incenſam, & per filij hominis, ideſt Chriſti, viſitationem reparandam dicit, & à Chriſti increpatione hoſtes vineæ perituros, affirmat: ait enim pſalm. 79. *Deus virtutum conuertere, reſpice de cœlo, & vide, & viſita vineam iſtam, & perfice eam, quam plantauit dextera tua, & ſuper filium hominis, quem confirmaſti tibi incenſa igni, & ſuffoſſa ab increpatione vultus tui peribunt, fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ, & ſuper filium hominis, quem confirmaſti tibi.*

Pſal. 79.

INSIGNIS VICTORIA QVAM CHRISTVS Dominus de Dæmone per carnem à ſanctiſsima Virgine Deipara acceptam retulit, alijs metaphoris ex ſacris litteris deſumptis oſtenditur. Cap. XXIII.

SVMMARIVM.

Chriſti de dæmone victoria ſub typo hami extrahentis Leuiathan Iob 40. *nu.* 1.
Chriſti de dæmone victoria ſub typo manus educentis aſpidem Iſa. 11. *nu.* 4.
Chriſtus infans multipliciter Satanæ ſpolia detraxit. nu. 5.
Chriſti in mundum aduentu obmuteſcunt oracula. nu. 10.
Chriſti de dæmone victoria in Gedeone, qui Madianitas profligauit præfigurata nu. 14.
Chriſti de dæmone victoria in Dauide, qui Goliath proſtrauit præfigurata nu. 16.

CHRISTI DE DAEMONE VICTORIA ſub typo hami extrahentis Leuiathan Iob 40.

Secunda metaphora victoriæ Chriſti ſub typo hami cetum extrahentis. Iob 40.



I ANC eandem ſerpentis contritionem, atque expulſionem perficiendam per Chriſti humanitatem ex Virgine acceptam alia metaphora, quam nos ſecundo loco explicandam ſuſcepimus, proponit ipſe Deus Iob 40. vbi eam naturæ viribus impoſſibilem propter huius ſerpentis aſtutias, & effæratas vires; Chriſto tamen facillimam per hamum myſticum indicauit illis verbis: *An extrahere* (inquit Dominus) *poteris Leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius?* quaſi dicat, hamo & fune, nequaquam humanis viribus, vel induſtria, ſed Chriſti Domini virtute præparatis id faciendum eſſe: vt rectè explicant Hieronymus ſuper Iſaiæ cap. 27. Gregorius lib. 33. moral. cap. 10. & 12. & alij: *Ante aduentum enim Chriſti* (inquit Auguſtinus ſermone 197. de tempore) *ſolutus erat diabolus: veniens Chriſtus fecit de eo quod in Euangelio dictum eſt: Nemo poteſt intrare in domum fortis, & vaſa eius diripere, niſi prius alligauerit fortem: venit ergo Chriſtus, & alligauit diabolum.* ita Auguſtinus. Sed quomodo id factum eſt? *In hamo Incarnationis Dominicæ cetus iſte*, inquit Gregorius, *ad omnium hominum mortem inhians, vitam penè omnium vorans, captus eſt: in Chriſto enim erat humanitas tanquam eſca, quæ ad ſe deuoratorem duceret, & erat ibi diuinitas tempore paſſionis latens, cuius aculeus mordentem cetum tenuit, & perforauit: dum enim ipſe Chriſto mortem iniuſtè appetit; nos, quos quaſi iuſtè tenebat, amiſit.* ita Gregorius.

Hieronymus. Gregorius. Auguſtinus. Matth. 12.

Gregorius.

Quod idem eleganter S. Leo ſermone 9. de Paſſione: *Diabolus*, inquit, *non intellexit, quòd ſæuiendo in Chriſtum, ſuum deſtrueret principatum: ſed malitia nocendi auidus, dum irruit, ruit: dùm capit, captus eſt: dùm perſequitur mortalem, incidit in Saluatorem.* & ſermone 11. de Paſſione, dæmonem omnium captiuorum dicit amiſiſſe ſeruitutem, dùm nihil ſibi debentis perſequitur libertatem. Idem habetur ex Auguſtino ſermone citato 197. de temp. & fusè lib. 4. de Trinit. cap. 13. & lib. 13. cap. 14. Epiphanius quoque hunc hamum dicit eſſe Chriſti diuinitatem; in ſermone enim de Deipara, ſic ait: *Aue gratia plena, hami eſca ſpiritualis: in te ſiquidem hamus diuinitas.* ita Epiphanius: Virgo autem

S. Leo.

Auguſtinus.

Epiphanius.

autem ſanctiſſima ex ſuis viſceribus eſca hunc hamum veſtiuit. de quo Chryſoſtomus homil. 5. ex varijs in Matthæum locis: *Sicut hamo*, inquit, *eſcæ præda poſita piſces illudimus, qui auiditate prædæ hamo capiuntur: ſic & diabolo contingit, dum tantum corpus hominis in filio Dei conſiderat, & Deum in corpore non agnoſcit, quaſi ad præparatam ſibi prædam ſolita rapina feſtinat: ſed dum vult auidius prædam rapere, ipſe Leuiathan, ipſe vt piſcis adductus, in hamo, præda Domini captus efficitur.* hæc Chryſoſtomus. De hoc etiam vide Rupertum lib. 1. in Matth. *Chryſoſtomus.*

Petrus verò Damianus hoc ipſum eleganter ſic explicat: *Ex vtero Virginis egreditur Chriſtus veſtitus cilicio noſtræ mortalitatis: & de Virgine virgam, de libro autem generationis lineam faciens, diuinitatis hamum innexuit, quem carne operuit virginali, vt draco magnus illectus ad carnem, ferrum diuini numinis ſubſentiret.* hæc Damianus. *Petr. Damian.*

2 Sed illud animaduertendum, hamum eſſe ferreum, ne à piſce conſumi poſſit, aduncum ad retinendum, & acutum ad penetrandum, & perforandum; eſcam verò ſolere eſſe vermem, vel aliquid ſimile. Et quidem diuinitas Chriſti veluti ferrum eſt inuincibilis, eſtq; veluti adunca: ab eius enim manu propter ſuam potentiam nihil extorqueri, neque elabi poteſt, & per ſapientiam, atque omnipotentiam eſt acuta, vt penetret omnia, & perforet maxillam Leuiathan: corpus verò Chriſti ſanctiſſimum, quod veluti eſca fuit, huic hamo circumpoſita, quando Verbum caro factum eſt ex Virgine, vermi quo in piſcatione per hamum frequentiſſimè vti ſolemus, comparatur: ideò pſal. 21. ex Chriſti perſona: *Ego*, inquit, *ſum vermis, & non homo;* quod in ſua Conceptione, Paſſione, ac in Victoria, quam de dæmone, & de mundo retulit, facilè poſſumus animaduertere: primò enim ex Euthymio, & ex Ambroſio in pſal. 21. vermis abſque ſexuum commixtione virtute ſolis ex terra, vel ex ligno aliquo gignitur: ita & Chriſtus ex ſola Virgine de Spiritu ſancto concipitur, in cuius figuram 2. Reg. 23. Dauid Rex dicitur, *quaſi tenerrimus ligni vermiculus.* Secundò, Chriſtus vermi aſſimilatur in paſſione: etenim in eum Iudæi veluti in deſpicatiſſimum vermiculum abſque vllo commiſerationis ſenſu per ſummam crudelitatem ſæuierunt: nam erga vermem ſi ferro in partes diſſecetur, ſi pedibus proteratur, & conculcetur, homines non adeò miſericordia tanguntur: ſicuti cum hæc eadem in animalibus perfectioribus fiunt; ita Chriſtus in tota ſua paſſione, & in atrociſſimis, quæ ei intulerunt tormentis, non ſolum indigniſſimè, verùm etiam abſque vlla commiſeratione eſt tractatus nam in eodem pſal. 21. vbi minutiſſima quæq; eiuſdem paſſionis perſequitur, poſt verba illa: *Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis*, hæc ſubintulit: *Omnes videntes me deriſerunt me, locuti ſunt labijs, & mouerunt caput, ſperauit in Domino eripiat eum, &c.* Quæ ipſa verba à principibus Sacerdotum cum Scribis & ſenioribus in Dominum à cruce pendentem per ludibrium iactata commemorat S. Matthæus cap. 27. Quare Bernardus ad hoc ſpectans de Chriſto Domino ſic ait: *Multa dixit, mira fecit, dira paſſus eſt, ſuſtinuit enim in verbis contradictores, in factis obſeruatores, in tormentis illuſores, in morte exprobatores.* Et quemadmodum vermis tametſi crudeliter diuexatus non ſtridet: ita & Chriſtus in paſſione ſicut Agnus coram tondente ſe obmutuit, & teſte Apoſtolo Petro, *cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè.* *Hamus iſte eſt ferreus, acutus, & aduncus.* *Eſca huius hami.* *Pſal. 21.* *Cur Chriſtus vermi aſſimiletur.* *Euthymius.* *Ambroſius.* *2. Reg. 23.* *Pſal. 21.* *Matth. 27.* *Bernardus.* *1 Petr. 2.*

3 Tertiò ex Euthymio, ſicut vermis quamuis tenerrimus duriſſima perfodit ligna, & in munutiſſimum puluerem ea redigit: ita Chriſtus Dominus per ſuam paſſionem, quæ videtur quid infirmum, & quid ſtultum oculis infidelium, dæmonis vires attriuit, imperium euertit, captiuos quos tenebat in libertatem vindicauit; de tyrannis fidei perſecutoribus triumphauit, & mundum ad veram fidem traduxit: quod non incongruè præſignatum videtur in Dauid 2. Reg. cap. 23. qui dicitur quaſi tenerrimus ligni vermiculus, & ſtatim ſubijcitur: *Ipſe interfecit octingentos impetu vno*: hoc ipſum conſpicere licet Daniel 2. in lapide illo, qui Chriſtum ſignificabat, vt cap. 5. dixi, & de monte, ideſt de Virgine abſciſſus eſt ſine manibus, hoc eſt abſque virili opera; & tamen percuſſit ſtatuam illam grandem, & ſublimem, cuius caput erat aureum, & reliquæ partes ex argento, ære, ferro, ac teſta: quæ omnia ſunt contrita, & redacta quaſi in fauillam æſtiuæ areæ: lapis verò factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam terram, quo oſtenſum eſt monarchias omnes in ſtatua illa adumbratas, in Chriſti poteſtate futuras. Hinc factum eſt, vt *Euthymius.* *2. Reg. 23.* *Daniel 2.*

Chri-

Christus,qui ex Leone sermone 1. de Epiph. Bethleem præelegerat natiuitati, & Ierosolymam passioni; caput tamen Ecclesiæ suæ (inquit S.Thomas 3.par.q.35.art.7.ad 3. *In ipsa Roma,quæ caput mundi erat, statuit, in signum perfectæ victoriæ, vt exinde fides deriuaretur ad vniuersum mundum,secundum illud Isa.26.Ciuitatem sublimem humiliabit,& conculcabit eam pes pauperis,scilicet Christi,gressus egenorum,ideſt Apostolorum Petri,& Pauli*) hæc S.Thomas.

S.Thom.

Isa.26.

Denique quod ad rem nostram facit, corpus Christi sacratissimum comparatur vermi,quoniam, vt dicebamus, diuinitati tanquam hamo circumpositum ad capiendum Leuiathan,cetum illum magnum, hoc est diabolum,fuit expositum. Addit Gregorius cap.12. *Huic hamo lineam non defuisse, antiquorum nimirum Patrum propaginem: Cum enim dicitur* (inquit Gregorius) *Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Iacob, & cæteri successores vsque ad Mariam Virginem desponsatam describuntur, quasi quædam linea torquetur,in cuius extremo incarnatus Dominus, ideſt hamus iste ligaretur, qui ad mortem ceti istius in hac aquarum profunditate caliginosa mira,est dispositione suspensus.* ita ex Gregorio. Hoc igitur hamo esca vestito (humanitas enim vt ait Leo epist.22. velamen fuit diuinitatis) extractus est truculentus piscis Leuiathan. & vt habetur Iob 40. *Perforata est etiam maxilla eius.* quoniam vt ait Gregorius cap. 13. *Quisquis nondum captus est à Leuiathan, maxillam eius fugiat: quisquis verò captus est, & dentibus eius teritur,viam euadendi quærat,quia si peccatum perfectè lugeat, adhuc foramen in maxilla eius inuenit per quod euadat.* ita ex Gregorio. Similiter etiam circulus naribus Leuiathan positus,& alia huiusmodi de Leuiathan Iob 40. commemorantur, quæ ad coercendum dæmonis furorem, eiusq; impetum frangendum quasi fræno iniecto à Christo effecta sunt. ea nos hic studio breuitatis omittimus,ne nimium ab instituto deflectamus.

Linea huius hami.
Gregorius.

Leo.

Iob 40.
Perforata est maxilla dæmonis.

Iob 40.

Dicit verò aliquis, inquit Augustinus sermone 197.de temp. *si alligatus est diabolus, quare adhuc tantum prævalet? Verùm est fratres charissimi, quia multum prævalet, sed tepidis, & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus dominatur; alligatus est enim tanquam innexus canis catenis,& neminem potest mordere,nisi eum,qui se illi mortifera securitate coniunxerit:quàm stultus est homo ille, quem canis in catena positus mordet, Tu te illi per voluptates,& cupiditates secli noli coniungere, & ille ad te non præsumet accedere,latrare potest,sollicitare potest,mordere omninò non potest,nisi volentem:non enim cogendo,sed suadendo nocet:nec extorquet à nobis consensum,sed petit.* ita Augustinus.

Augustinus. Cur diabolus ligatus prævalet contra aliquos.

CHRISTI DE DAEMONE VICTORIA sub typo manus educentis aspidem. Isa.11.

Tertia metaphora victoriæ Christi sub typo manus colubrum educentis Isa. 11.

4 TErtia metaphora est illa, qua eadem dæmonis de cordibus fidelium eiectio per Christum in Incarnatione, quando adhuc puer erat, sub educentis manus typo significatur. Isai. enim 11. legimus: *Et delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis, & in cauerna reguli,qui ablactatus fuerit manum suam mittet.* quod de Christo dæmonem fugante intelligit Tertullianus lib. 4. contra Marcionem,& Athanasius sermone de Passione Domini. Cyrillus in Isa.11. Gregorius lib.17.moral.cap.18. Verùm hoc ipsum à Christo factum per carnem sumptam à Virgine,pulchrè Ambrosius significat in præfatione in psal.37.docens quomodo caro Christi facta sit antidotum veneni per carnem olim transfusi: *Antidotum,* inquit,*facta est caro,quæ erat venenum ante peccati,quia erat illecebra peccatorum. Audi quemadmodum antidotum caro: Dei Verbum factum est caro,misit manum in cauernam aspidum,venenum euacuauit,peccatum abstulit,ideſt de peccato peccatum damnauit in carne: quemadmodum dixit Apostolus ad Roman.* 8. hæc Ambrosius: quin etiam alia plura in hanc sententiam addit. & Gregorius lib. 17. moral.cap.18. explicans hunc locum occasione similis sententiæ Iob 26. vbi legitur: *Spiritus Domini ornauit cœlos, & obstetricante manu eius eductus est coluber tortuosus. Cauernæ huius colubri,* inquit Gregorius, *corda sunt iniquorum,dum verò Christus diuina pietate corda infidelium tenuit,& ex inde captiuum diabolum traxit,quasi manum, iuxta illud Isai.* 11. *quod paulò ante memorauimus, ad latibula serpentis misit,quem & aspidis nomine appellat Isaias occultè sæuientem, & reguli apertè ferientem.* hæc Gregorius. &

Tertullianus
Athanasius.
Cyrillus.
Gregorius.
Ambrosius.

Rom.8.

Gregorius.
Iob 26.

Gregorius.

Isa.11.

certè

certè vi huius diuinæ manus obstetricantis, illud factum est, vt in cubilibus in quibus, Isa. 35. prius habitabant dracones, oriretur viror calami, & iunci, & ex insignibus peccatoribus, insignes euaderent Sancti, quod non solùm cum initio nascentis Ecclesiæ ex cultu Idolorum, ad veri Dei cognitionem traductus est orbis: sed quotidiano etiam experimẽto satis compertum habetur. Hoc autem per manum educẽtem, ideſt vt dicebat Ambrosius per Christi carnem in Incarnatione de Virgine sumptam factum videmus. *Isa. 35.* *Ambrosius.*

Nec illud est prætereundum quod Isa. 8. de Christo adhuc infante, ac de Satana opima spolia referente his verbis prænunciatur: *Victoriæ Christi metaphora sub typo spoliæ detrahentis.* *Et accessi ad Prophetissam, & concepit, & peperit filium; & dixit Dominus ad me, voca nomen eius, Accelera spolia detrahere: Festina prædari: quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram Rege Assyriorum.* Isa. 8. Hanc. n. Prophetissam Patres Deiparam Virginem esse fatentur, ad quã accessit, seù superuenit Spiritus sanctus, & concepit, ac peperit Christum. ita explicat Tertull. lib. de Trin. vbi animaduertit, Isaiam prophetico spiritu futurum quasi iam factum prædixisse: cùm. n. nondum accessum esset ad Mariam; tamen *Accessi*, inquit, *ad Prophetissam.* & Eusebius lib. 7. de demonstr. Euang. c. 7. verba illa Spiritui sancto tribuit dicenti, se Mariæ Prophetissæ superuenturum. Basilius in Isa. c. 8. Mariam, illam Prophetissam fuisse, sic probat: *Quoniam*, inquit, *in eam superuenit Spiritus sanctus, & prophetico afflata spiritu, elocuta est, Magnificat anima mea Dominum, &c.* cui consonat Nazianz. orat. in S. Pascha, Epiphanius hær. 79. Procopius in Isa. vbi Deiparam ita vocatam docet, quod Spiritus sancti in eam superuenientis particeps esset futura. & Andr. Cretensis orat. de Annunc. *Benedicta*, inquit, *tu quam Isaias Prophetissam, & Virginem nuncupauit.* & Rupertus in illa verba Cant. 7. *Venter tuus sicut aceruus tritici*, loquens cum Virg. *Tu*, inquit, *es illa Prophetissa, ad quam accessit omnis sanctus, & fidelis Propheta; ad quam tẽdebat, & impleta est omnis sancta, & fidelis prophetia.* sic ille. Nomen verò filij huius Prophetissæ, teste Isaia, à Domino impositum, quod est; *Accelera spolia detrahere, festina prædari, quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram Rege Assyriorum;* ad Christum pertinere omnes ferè tradunt, non quòd hoc nomine vocandus esset: sed quemadmodum rectè Chrysostomus adnotauit hom. 5. c. 1. in Matth. vt hoc nomine id quod futurum erat significaretur: *Puer. n.* inquit ipse, *vocatus est, velociter spolia detrahe; quod illo nato direptio, & spoliorum facta est diuisio.* Athanasius lib. 1. de Incarn. Verbi, ex hoc Isaiæ loco probat Christum puerum statim natum diripuisse spolia. & August. serm. 32. de tẽp. *Tunc puer*, inquit, *priusquam sciret vocare patrem, vel matrem*, ideſt Christus antequam per humanam carnem verba proferret, accepit virtutẽ Damasci, & spolia Samariæ: *Spolia. n.* inquit Eusebius loc. cit. *appellat his verbis eos omnes, qui abducti ab errore dæmonum, adhæsere Christo.* & ex Ambrosio in psal. 118. serm. 21. *Velociter*, inquit, *spolia detrahe, quia Rex Assyriorum, ideſt diabolus eorum quos vanos effecerat sua perfidia, spolia amisit quæ tenebat.* *Tertullianus.* *Eusebius.* *Basilius.* *Nazianzenus.* *Epiphanius.* *Procopius.* *Andr. Cretens.* *Rupert. in Cant. 7.* *Chrysostomus.* *Athanasius.* *Augustinus.* *Eusebius.* *Ambrosius.*

CHRISTVS INFANS MVLTIPLICITER Satanæ spolia detraxit.

5 SEd quærat quispiam quænam Satanæ spolia Christus in sua infantia diripuerit? sanè plurima. In primis Christus Redemptor noster non tantùm in sua passione, ac morte, in qua suum meritum consummauit, sed & in tota sua vita sine intermissione per varios actus meruit, Christi autem merito dæmonis vires sunt attritæ, & ad nihilum redactæ: de Christi autem merito egregiè tractat Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 39. sect. 2. & 3. & Caietanus 3. p. q. 34. art. 3. & q. 19. Imò in ipso etiam instanti suæ sacratissimæ Incarnationis, & Conceptionis mereri incæpit, quemadmodum docent Theologi cum D. Thoma 3. p. q. 34. art. 3. quod satis indicauit Apostolus ad Hebr. 10. cùm. n. Apostolus ex Anselmo, & D. Thoma in illum locum ageret de primo actu, quo Christus carnem assumpsit, vult ex psal. 39. cuius verba citat, Christum in eo instanti cognouisse voluntatem Patris, necnon legalium sacrificiorum ad peccata expianda insufficientiam, seq; voluntariè pro hominibus obtulisse, ac per illam voluntatem sanctificationem nostram meruisse; verba Apostoli hæc sunt: *Ideò ingrediens mũdum dicit, Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt, Tunc dixi, Ecce venio.* & mox: *Christus ab instanti suæ Conceptionis salutem nostram operari cepit.* *Suarez.* *Caietenus.* *S. Thomas.* *Anselmus.* *Hebr. 10.* *Psal. 39.*

In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Chriſti ſemel. quælibet enim Chriſti actio ratione dignitatis perſonæ valoris erat infiniti, vt propterea paulò poſt Incarnationem Deipara in ſuo Cantico Chriſti victoriam de dæmone partam canens, meritò dixerit: *Fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui, Depoſuit potentes de ſede, &c.* Quod eleganter Bernar. ſer. 2. de Pentec. explicat: *Chriſtus*, inquit, *ſubſtantialiter Virginis vtero illapſus, de Spiritu ſancto conceptus eſt: vt conceptionem noſtrã mundaret, quam ſpiritus malus ſi non fecerat, tamen infecerat, vt non eſſet etiam in vtero vita ipſius otioſa, dùm nouem menſibus purgat vulnus antiquum ſcrutans, vt dicitur, vſque ad imam putredinem virulentam, vt ſanitas ſempiterna ſuccederet. Et tunc iam operabatur ſalutem noſtram in medio terræ, in vtero videlicet Virginis Mariæ, qui mirabili proprietate terræ medium appellatur.* ſic Bernardus.

Luc.

Bernardus.

Chriſtus adhuc infans ad ſuum regnum hominss traducebat.

Iſa. 8.

6 Nec ſolùm Chriſtus infantulus in vtero matris, & poſteà recens natus noſtram ſanctificationem merebatur: verùm ẽt adhuc puer hominum animas de Satanæ poteſtate ereptas ad ſuum regnum multipliciter traducebat; ac proinde eiuſdem Satanæ ſpolia detraxiſſe, atque prædatus eſſe, iure optimo dicitur loc. cit. Iſa. 8. quod in præſentia nonnullis exemplis oſtendemus. Primùm. n. vix in vtero Matris conceptus, ab ea ex Nazareth in Montana in domum Zachariæ delatus, Ioannem Præcurſorem ſuum, eiecto dæmone ſanctificat: deinde vix natus ex vltimis Orientis finibus Magos ad ſe adorandum ducatu ſtellæ euocauit; tùm Innocentes pueros ab Herode per ſummam crudelitatem trucidatos, in ſuorum Martyrum numerum aſciuit: ſui item cognitionem paſtoribus in ipſa nocte Natiuitatis per Angelum impertijt: deinde Herodianam ſæuitiam fugiens Aegyptũ ingreſſus, tùm dæmonum Idola proſtrauit; tùm etiam ſolitudinem Aegypti ſacra benedictione eſt proſecutus: ita vt poſteà in ea innumerabiles Monachi, & Anachoritæ mira ſanctitate floruerint: Simulacrorum quoque ſeù potius dæmonum oraculis ſilentium, quod nonnullis eorum, appetente Saluatoris in hunc mundum aduentu, imponi cẽptum erat: multò magis Chriſto iuſtitiæ ſole illuceſcente eſt imperatum: denique alia huiuſcemodi plurima, quamuis non ſint litteris mandata, infantulus feciſſe exiſtimandus eſt, iuxta illud Ioan. vlt. *Sunt autem multa alia, quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos qui ſcribendi ſunt libros.* Sed age hæc quæ Chriſtum in ſua infantia effeciſſe breuiter perſtrinximus, vberius expendamus, & Patres qui locum hunc Iſa. 8. quem tractamus de ijs omnibus, quæ ſummatim commemorauimus à Chriſto infante peragendis ſingillatim oſtendunt.

Luc 2.
Matth. 2.
Iſa. 19.

Ioan. vlt.

Chriſtus Ioannem Baptiſtam ſanctificat.

Luc. 1.

Iſa. 8.

Irenæus.

7 In primis Chriſtus Dominus ſtatim ac carnem ex Virgine in eius vtero ſuſcepit, Matrem cum feſtinatione ad Montana impulit, vt ex Io. Baptiſta adhuc in matris vtero degente, dæmonem ſerpentem eijceret: vt. n. facta eſt vox ſalutationis Marię in auribus Eliſabeth, illicò Io. Baptiſta ab omni originalis labe expiatus, ac Spiritu sãcto repletus, exultauit in gaudio in vtero matris, Chriſtumq; agnouit, & adorauit. de hac. n. Ioannis ſanctificatione, inter alia locum hunc Iſaiæ intelligendum ſignificat Irenæus, vt mox dicemus: Deinde Chriſtus adhuc infans Magos ex Oriente ad ſui adorationem ſtella duce pertraxit: & quidem verba Iſaiæ de conuerſione Magorum explicat Tertullianus lib. aduerſus Iudæos cap. 9. & lib. 3. contra Marcionem c. 8. Regemq; Aſſyriorum dicit fuiſſe Herodem: eadem quæ Tertullianus, habet Iuſtinus dial. contra Triphonem, Ambroſius ſimiliter lib. de interpellatione Dauid, Chriſtum antequam miniſterio carnis vocaret patrem, aut matrem, gentes euocaſſe docet. & lib. 3. in Lucam: *Magos*, ait, *huius pueri incunabula de exuuijs idolorum manubias obtuliſſe Domino triumphales.* Chryſoſtomus homil. 2. in cap. 2. Matth. eodem modo de Magis Iſaiam interpretatur, vultq; Magos ſapientes dici virtutem Damaſci, & Regem Aſſyriorum eſſe diabolum; Aſſyrios verò infideles ſignificare, & Auguſtinus ſermone 32. de temp. *Debellaturus*, inquit, *Chriſtus vniuerſum orbem, hæc prima ſpolia (id eſt Magos) qui ſpolia dicuntur Samariæ; & aurum ab eis, quod eſt virtus Damaſci abſtulit in hac terra; & nondum loquens per linguam, loquutus eſt per ſtellam.* Præter Magos Chriſtus recens natus, Innocentes etiam pueros, quos Herodis trucidauit ſęuitia, ad ſuum regnũ ſingulari beneficio adlegit, quos flores martyrum Eccleſia cum Cypriano, & Auguſt. ſer. 10. de Sanctis, meritò appellat: *Quibus profanus hoſtis* (vt verbis vtar Auguſtini) *nunquam tantum prodeſſe potuiſſet obſequio,*

Magos ad ſui cognitionem adducet.

Tertullianus

Iuſtinus.

Ambroſius.

Chryſoſtomus

Auguſtinus.

Matth. 2.

Innocentes ſibi acquirit.

Offic. Eccleſ.

Cyprianus.

Auguſtinus.

ſequio, quantum profuit odio: Nam ex eodem Auguſtino lib. 3. de ſymb. ad catech. cap. 4. *Chriſtus, qui in præſepio iacet, thronum Herodis terret, & agit per eum neſcientem cauſas ſuas, & à captiuitate diaboli animas liberat, ſuſcepit filios inimicorum in numerum adoptatorum,* ſic Auguſtinus. Neque exigua fuit hæc præda: hos etenim Innocentes quatuordecim millia fuiſſe teſtatur Menologium Græcorum, & Canon Miſſæ Aethiopum apud Biblioth. ſanct. Patr. tom. 6. & Irenæus lib. 3. aduerſus hæreſes cap. 18. verba hæc Iſaiæ explicans non ſolùm ad Innocentes per martyrium acquiſitos, verùm etiam ad alia in Chriſti infantia peracta refert: cum enim ageret de S. Simeone ſene, qui in vlnas ſuas Chriſtum accepit, & de eo mira locutus eſt; hæc verba ſubijcit de Chriſto: *Iam enim expoliabat homines auferens ignorantiam ipſorum, ſuam autem agnitionem eis donans, & diſpartitionem faciens eorum, qui cognoſcebant eum, quemadmodum Eſaias, Voca, inquit, nomen eius. Velociter ſpolia, celeriter diſpartire. Hæc ſunt autem opera Chriſti. ipſe igitur erat Chriſtus, quem portans Simeon benedixit Altiſſimum quem paſtores cum vidiſſent, glorificabant Deum, quem Ioannes cum adhuc in ventre matris ſuæ eſſet, & ille inuulua Mariæ, Dominum cognoſcens, exultans ſalutabat. Quem Magi videntes, & adorantes, & afferentes munera quæ prædiximus, & ſubſternentes ſemetipſos æterno Regi, per alteram abierunt viam, non iam per Aſſyriorum reuertentes viam; priuſquam enim cognoſceret puer vocare patrem, aut matrem, accipiet virtutem Damaſci, & ſpolia Samariæ contra Regem Aſſyriorum; occultè quidem, ſed potenter omnia, quoniam occulta manu expugnabat Dominus Amalech. Propter hoc & pueros eripiebat, qui erant in domo Dauid, bene ſortiti illo tempore naſci, vt eos præmitteret in ſuum Regnum, ipſe infans cum eſſet, infantes hominum martyres parans.* hucuſque Irenæus.

Auguſtinus.

Menol. Græcor.

Irenæus.

Chriſtus puer ſui cognitionem impertit.

S. Simeoni Seui Paſtoribus.

Iſa. 8.

Matth. 2.

Iſa. 8.

8 Adhæc Chriſtus infantulus aſcendens ſuper nubem leuem, ideſt in vlnis matris, quæ per illam nubem leuem, vt cap. 3. dixi, intelligitur, ingreſſus eſt Aegyptum, & commota ſunt ſimulacra Aegypti: *à facie eius, & cor Aegypti contabuit in medio eius.* ita ex Iſa. cap. 19. Quod licet Hieronymus lib. 7. in Iſa. de ingreſſu Chriſti in Aegyptum huius mundi ſuper nubem leuem B. Virginis interpretatur: *Quando ſtatim,* inquit, *omnia ſimulacra Aegypti commota ſunt:* tamen de peculiari Idolorum ruina eo tempore, quo Chriſtus puer per Virginem in Aegyptum eſt delatus, complures exponunt: etenim Athanaſius lib. de Incarn. Verbi teſtatur, Domino in Aegyptum deſcendente, non tantùm commota eſſe ſimulacra Aegypti, ſed etiã corruiſſe. & Origenes hom. 3. in diuerſis: *Fuge,* inquit, *in Aegyptum, propterea vt deſtruantur manufacta eorum, & confringantur, & pereant Idola ipſorum, propterea vt dæmones turbentur, & appropient ibidem Angeli ſancti qui Deum ſequuntur.* Euſebius lib. 3. de demonſtr. euang. cap. 20. de fuga Domini in Aegyptũ agens: *Dæmones,* inquit, *praui incolentes Aegyptum per multa ſecula in ſimulacris latitantes, animasq; Aegyptiorum omni ſuperſtitionis errori addicentes cum ſenſiſſet nouam quandam, diuinamq; virtutem ad ſe acceſſiſſe, illicò commoti ſunt, corq; ipſorum, & vis intelligendi intrinſecus in ipſis conuicta ſunt, ceſſaruntq; ac fugata ſunt ab ea virtute, quæ viſum effugiẽs illos compellebat, & ignis inſtar ineffabili quadã ratione adurebat.* hæc Euſebius. Sozom. lib. 5. hiſtor. cap. 2. refert arborem maximam, quę Perſes dicitur, Hermopoli oppido Thebaidis, appropinquante Chriſto ad ſolum ſe inflexiſſe, & Chriſtum adoraſſe; Dæmonem verò, qui ibi colebatur, perhorruiſſe, & abactum eſſe: omnes quoque Aegyptiorum ſtatuas adueniente Chriſto, iuxta Iſaiæ prophetiam, concuſſas; arboris verò illius folia in huius rei teſtimonium fideles à morbis liberare. Hieronymus, & Procopius Gazeus idem ferè in Iſa. 19. Palladius in hiſtor. Lauſiaca cap. 52. vidiſſe ſe narrat Hermopoli templum in quo ingreſſo Vrbem Saluatore ceciderunt omnia ſimulacra. Idem Caſſiodorus lib. 6. tripart. cap. 42. Nicephorus lib. 10. hiſtor. cap. 31.

Chriſtus Aegypti Idola euertit.

Iſa. 19.

Hieronymus. In deiectione Idolorum Aegypti eiecit dæmonem.

Athanaſius.

Origenes.

Euſebius.

Sozomenus.

Iſa. 19.

Hieronymus.

Procop. Gaz.

Palladius.

Caſſiodorus.

Nicephorus.

9 Nec ſolùm ad Chriſti infantuli in Aegyptum aduentum Idola, & ſimulacra corruerunt; verùm etiam illius regionis deſerta, ac ſolitudines (quarum vſum, & habitationem propter æſtum, aliarumq; rerum ad mortalium vitam vtcumque ſuſtentandam neceſſariarũ, ſummam inopiam natura hominibus denegaſſe videbatur) ex Chriſti aduentu, atque præſentia tãtam ſunt conſecutæ benedictionem, vt ex ijs tot ſanctiſſimorum, ac probatiſſimorum Anachoretarum, ac Monachorum prodierint examina, & meritò de eis dici potuerit illud Iſa. 35. *Lætabitur deſerta, & inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium:*

Chriſti ortus ac pueritia Aegypto totiq; mundo ſalutaris.

Iſa. 35.

Augustinus. *lilium:* quas Aegypti solitudines Augustinus propter multitudinem, & egregiam sanctitatem eas incolentium in lib. 8. conf. cap. 6. vocat: *Monasteriorum greges, mores suaueolẽtiæ Dei, & vbera deserta Eremi.* Hoc autem S. Io. Chrysostomus hom. 8. in cap. 2. Matth. inter alia à Christo initio suæ incarnationis feliciter edita eleganter animaduertit: *Christus,* inquit, *vbi primus apparuit, in melius cuncta conuertit; nam & Magi superstitionem patriam relinquentes, ad verum Dominum veniunt adorandum. & Augustus ipse futuro in Bethleem partui per descriptionis seruit imperium, & Aegyptus suscipit, ac tuetur insidias fugientem tyranni. Namq; tactu ipso Domini gustum quendã sanctificationis adipiscitur, vt cum illum audierit ab Apostolis prædicari, huius quasi priuilegij honore decoretur, quod Dominum prima susceperit: & certè solius hic Palestinæ videbatur primatus, sed facta est postea ista seruentior: denique si quis nunc ad Aegypti veniat solitudines, Paradiso prorsus omnem istam videbit Eremum digniorem, & innumerabiles Angelorum cetus in corporibus fulgore mortalibus, & populos martyrum, & choros virginum, & omnem quidẽ tyrannidem diaboli dissolutam, Christi Regnum coruscans.* & mox: *Et hæc omnia bona, non in vrbibus solum, sed etiam in desertis florent locis; est enim cernere tota illa regione diffusum exercitum Christi, & admirabilem illum regium gregem, virtutumq; cœlestiũ conuersationem in terris micantẽ: atque hæc non in viris solùm, verùm etiam in fœminis splendere conspicias.* & infra: *Non ita varijs astrorum choris cœlum refulget, vt Aegyptus innumeris monachorum, ac virginum distinguitur, atque illustratur habitaculis: si quis veterem illam Aegyptum nouit rebellem Deo, adorantem irrationales animantes, porros etiam, cepasq; pauitantem, hic optimè Christi potest nosse virtutem, per quem facta est tam admiranda mutatio.* hactenus Chrysostomus.

CHRISTI IN MVNDVM ADVENTV obmutescunt oracula.

Oriente Christo Apollinis Delphici oraculum obmutescit.

10 DEnique appropinquante huius sacratissimi pueruli, qui est sol iustitiæ in hunc mũdum aduentu, famosissimum Delphici Apollinis oraculum, diuina virtute obmutuit: non secus ac apparente aurora solis nuncia, nocturnæ aues conticescunt, diurnæ verò ad suauiter concinendum excitantur. Hoc autem Delphici Apollinis silentium Iuuenalis cecinit satyra 6. cuius cum veram causam ignoraret; eã tamen satyricè sic reddidit.

Iuuenalis.

cessant oracula Delphis,
Sed siluit postquàm Reges timuere futura;
Et superos vetuere loqui.

Cùm Apostoli prædicarent cætera quoque oracula obmutuare.

Et certè Apostolorum doctrina per orbem personante Idola obmutuisse Theodoretus affirmat lib. 10. de curandis græcan. affectio. Verùm ante tempora Apostolorum, & longè ante Iuuenalis ætatem cum Christi nimirum aduentus appropinquaret, Delphica responsa cessasse affirmat Cicero lib. 2. de diuinat. qui quadraginta propemodum annis ante Christi incarnationem vixit, eiusq; rei causam, quam nonnulli afferebant, meritò irridet his verbis: *Cur isto modo iam oracula Delphis non eduntur, non modò nostra ætate, sed iam diu ita vt nihil possit esse contemptius? hoc loco cum vrgentur euanuisse. aiunt vetustate vim loci eius, vnde anhelitus ille fieret, quo Pythia mente incitata oracula ederet: de vino, aut salsamento putes loqui, quæ euanescunt vetustate.* hæc ille.

Theodoretus.
Cicero.

Act. 14.

11 Et sanè cum Deus ex Apostolo Paulo Act. 14. sine testimonio semetipsum non reliquerit, verisimile est Delphicum oraculum eo tempore cessare cæpisse, cum fama per orbem de Christo propediem venturo ex versibus sibyllinis, & ex vaticinijs Prophetarũ, quæ Iudæi vbiq; terrarum dispersi facilè euulgabant, percrebescere cæpit, dæmonibus Christi maiestatem, atque potentiam iam tum perhorrescentibus. huius famæ per hominum ora volitantis, testis est idem Cicero, alijq; vt infra dicam: sed ad oraculorum silentium redeamus. Strabo lib. 9. de hoc sic ait: *Hodie profecto summa in mendicitate est Delphicum oraculum.* Plutarcus verò lib. quem edidit, Cur oracula cessarint, duas eius rei præcipuas causas reddit; vnam, dæmones ipsos, seu Deos oraculis præpositos senescere & mori, exhausta cœlestis spiritus vi; omnium enim rerum esse vicissitudinem. Alteram Sapientes, & Philosophos complures iam esse, quorum responsis oraculorum defectus suppleretur. Cæterùm vanam esse vtranque causam, facilè dicet is, qui vel summis labijs philosophiam degustarit: spirituales enim substantias contrariarum qualitatum

Strabo.
Plutarchus.

exper-

expertes ſicut & cœlum ipſum, quamuis corporeum minimè conſeneſcere tradunt Philoſophi: & idem de ſubſtantijs ſupra cœlum ſeparatis teſtatur Ariſtoteles lib. 1. de cœlo text. 100. cuius ratio in alijs quoq; ſimilibus ſubſtantijs militat. Adhæc nullus Philoſophorum, quamuis ſapientiſſimus, futura contingentia, de quibus oracula conſuli ſolebant, prædicere, neque eorum cupiditati, qui ea ſciſcitabantur, ſatisfacere poterat. *Ariſtoteles.*

Verùm tamen huius ſilentij cauſam ipſemet dæmon in Apolline diuinitus compulſus reddidit Auguſto Apollinis ſtudioſiſſimo, ſeq; à Chriſto adhuc infante in Tartara exactum planè confeſſus eſt: quemadmodum docent Suidas in Auguſto: Cedrenus in compendio hiſtor. & Nicephorus lib. 1. hiſtor. cap. 17. cuius verbis rem geſtam narrabo: *Cæſar*, inquit, *Auguſtus prouectiore iam ætate ad Oraculum Pythij Apollinis venit, & ſacrificio omnium maximo, quod Hecatombe dicitur, dæmoni oblato quæſiuit, Quiſnam poſt eum Romanum adminiſtraturus eſſet imperium? At cum nullum ederetur reſponſum, alterum quoque adiecit ſacrificium, denuoq; rogauit, quid ita oraculum pluribus verbis vti ſolitum, nunc tandem obmutuiſſet? Tum illud parua interpoſita mora, ad hunc modum reſpondit:* *Cur Apollinis oraculum obmutuerit.* *Suidas.* *Cedrenus.* *Nicephorus.*

Me puer hebræus diuos Deus ipſe gubernans
Cedere ſede iubet, triſtemq; redire ſub Orcum,
Aris ergo dehinc tacitus abſcedito noſtris.

Tali reſponſo accepto Cæſar Romam reuerſus in Capitolio aram maximam extruxit, cum huiuſmodi latina inſcriptione ARA PRIMOGENITI DEI. hucuſque Nicephorus. Quo in loco poſtea à Conſtantino extructa creditur Baſilica in honorem Dei Genitricis, cui nomen eſt ARA COELI. Quin etiam teſte Oroſio lib. 6. cap. 22. *Eodem tempore, quo Chriſtus natus eſt, Auguſtus, ad quem*, inquit, *rerum omnium ſumma conceſſerat, Dominum ſe hominum appellari paſſus non eſt, imo non auſus, & edicto id vetuit tempore, quo verus Dominus totius generis humani inter homines natus eſt.* huius edicti meminit etiam Dio lib. 55. Conſulibus Aelio Cato, & Sentio Saturnino, qui ex Baronio tomo primo Annal. eſt annus ſextus à Chriſto nato; quaſi agnoſceret Auguſtus alium Dominum iam natum. *Oroſius.* *Dio.* *Baronius.*

12 Et hoc totum confirmatur ex rumore, qui cum non lõgè abeſſet Chriſti incarnatio, vulgò ſparſus erat de Rege venturo, qui ſalutem allaturus erat. Cicero enim lib. 2. de diuinatione quamuis execraretur nomen Regis: *Quem*, inquit ipſe, *Romæ poſthac nec Dij, nec homines eſſe patientur*, & idcirco falſum eiuſmodi rumorem exiſtimet; tamen cum de Sybillinis verſibus ageret, huius rumoris meminit: *Horum*, inquit, *verſuum interpres falſa quadam hominum fama, dicturus in Senatu putabatur, eum quem reuera Regem habebamus* (Cæſarem Dictatorem intelligit) *appellandum quoque eſſe Regem, ſi ſalui eſſe vellemus.* hæc ille. & quamuis Interpretem reijciat propter rationem, quam diximus: *Carmen tamen Sybillæ non eſſe*, inquit, *furentis, cùm ipſum poema declarat (eſt enim magis artis, & diligentiæ, quàm incitationis, & motus) tùm verò ea quæ ἀκροστιχὶς dicitur, cum deinceps ex primis verſus litteris aliquid connectitur.* ita Cicero. Et Sibyllæ quidem Erythreæ, vel Cumanæ Acroſtichidem refert S. Auguſtinus lib. 18. de Ciuitat. cap. 23. quorum verſuum initia hanc reddunt ſententiam: *Ieſus Chriſtus Dei filius Saluator.* Ratione autem rumoris huius de Rege venturo Lentulus, teſte Lucio Floro lib. 4. cap. 1. ſe Catilinæ in coniuratione adiunxit, vt Regnum conſequeretur, & Marcus Antonius in Lupercalibus coronam Cæſari impoſuit, quod Cæſari exitium attulit; Brutus enim, & Caſſius Regis nomen Romæ non ferentes in eum coniurarunt. Verùm ſalus afferenda per hunc Regem Chriſtum erat præcipuè à peccatis, quemadmodum Matth. 1. Angelus in interpretatione nominis IESVS, Ioſeph dixiſſe ſcribitur: *Et vocabis nomen eius Ieſum: Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Neque id reticuit Sibylla, quemadmodum videre licet apud Virgilium Ecloga quarta, vbi tempus huius Regis aduenisſe, eiusq; præclariſſimas actiones ex Sibyllæ Cumęæ vaticinio, quamuis poeticis fabulis Virgilius illud reſperſerit, ſic cecinit: *Cicero.* *Sybillina Oracula de Chriſto venturo.* *Auguſtino.* *Lucius Florus.* *Luc. 1.* *Matth. 1.* *Virgilius.*

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas,
Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo:
Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia Regna,

Iam noua progenies cœlo demittitur alto.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo.

Et mox.

Te duce si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua soluent formidine terras;
Ille Deum vitam accipiet.

Quæ carmina ad Christum, à quo solo scelerum vestigia sanari possunt, pertinere ex persona Sibyllæ apertè probat S. Augustinus, vt infra dicemus.

Christus ante aduentum prædicitur.

Suetonius quoque in Vespasiano cap. 4. *Percrebuerat*, inquit, *oriente toto vetus, & constans opinio, esse in fatis, vt eo tempore Iudæa profecti rerum potirentur.* Quod ipsum Tacitus lib. 21. Annalium in antiquis Sacerdotum litteris contineri affirmat. Vterque tamen falso de Vespasiano, & Tito, qui vix duodecim annis regnarunt, prædictum existimant; cum id ad Christum in Iudæa ortum exitus ipse rei, referendum euidenter ostendat. Ex quibus exploratum relinquitur venturi Regis famam, vbiq; eo tempore diffusam.

Suetonius.
Tacitus.

Zach. 13.

13 Neque alicui mirum videri debet in Christi aduentu hæc dæmonis oracula obmutuisse; cum illud legamus prædictum Zach. 13. *Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltra, & pseudo prophetas, & spiritum immundum auferam de terra:* & 1. Ioan. 3. *In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli.* quod pulchrè S. Ignatius in Epistola, quam ad Ephesios scripsit, agens de dæmonis fallacijs per Christum deletis, his verbis significauit: *Hinc euanuit mundi sapientia, præstigiæ factæ sunt nugæ, Magia risus, omnes ritus malitiæ aboliti, ignorantiæ caligo fugata, & tyrannicus principatus destructus, cùm Deus, vt homo apparuit, & homo vt Deus operabatur.* sic Ignatius. Ex his omnibus apertè perspicitur, quod in hac tertia metaphora probandum suscepimus, Christum adhuc Infantem ab vbere matris manum misisse ad cauernam reguli (idest dæmonis) ad eum educendum, ejciendumq;. Quod ipsum perspicuè prædixit Sibylla Cumæa apud Virgilium Ecloga citata, vbi triplicem Christi ætatem pueri, adulti, & viri iam perfecti distinguit, vnicuique sua ascribens: sed de Christo puero inter alia admirabilia ab eo patranda, illud Isa. 11. *Vitulus, & Leo, & ouis simul morabuntur*, & hanc de venenato serpente victoriam sic cecinit, eodemq; ordine, quo Isaias ea vaticinatur, à Sibylla prædicuntur:

1. Ioan. 3.
Ignatius.
Sybillinum de Christo oraculum.
Virgilius.
Isa. 11.

At tibi prima puer nullo munuscula cultu,
Errantes hederas passim cum baccare tellus,
Mixtaq; ridenti colocasia fundet acantho.
Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ
Vbera: nec magnos metuent armenta Leones;
Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.
Occidet & serpens, & fallax herba veneni
Occidet, Assyrium vulgo nascetur Amomum.

Quin etiam nonnulli diligentissimi Chronologiæ obseruatores adnotarunt, Eclogam hanc à Virgilio eodem ipso anno editam, quo Herodes primus ex Alienigenis, Caluino iterum, & C. Asinio Pollione Consulibus, Iudææ regnum à Romanis impetratum inuasit. Id enim carmina illa eiusdem Eclogæ indicant:

Teq; adeò decus hoc æui, te Consule inibit
Pollio, & incipient magni procedere menses.

Gen 49.

Tunc enim translato de Iuda sceptro, iuxta Patriarchæ Iacob vaticinium Genes. 49. Christus mittendus expectabatur, & rumor percrebescere cepit, Messię nascituri tempus: QVO, vt ex Sibylla idem Poeta cecinit.

. . . . . *Ferrea primum*
Desinet & toto surget gens aurea Mundo.

Augustinus.

Licèt autem Virgilius in gratiam Asinij Pollionis ad eius filium Soloninum hoc vaticinium detorserit; esse tamen vaticinium Sibyllæ Cumęæ Augustinus lib. 5. de Ciuitat. cap. 27. apertè colligit ex versu illo sub initium Eclogæ.

Vltima

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas. *Virgilius.*

Et de Christo intelligendum non solùm testatur ibi Augustinus, sed & Constantinus Magnus in oratione ad sanctum Cetum cap. 20. vbi totam Eclogam illam de Christo per singula interpretatur, vt videre est apud Eusebium Cæsarienſem, qui orationem illam refert. *Const. Magn.* *Euseb. Cæsar.*

CHRISTI DE DAEMONE VICTORIA IN GEDEONE, *qui Madianitas profligauit, præfigurata.*

14 QVartò eandem Christi de dæmone, eiusq; in homines tyrannide victoriam per sui corporis à Virgine accepti passionem efficiendam, Isaias pauciſſimis verbis cap. 9. comprehendit, vt habet Hieronymus in illum locum, & Gregorius lib. 30. moral. cap. 17. Propheta enim loquens ad Christum, ingentem fidelium lætitiam propter libertatem, in quam à dura dæmonis seruitute per eundem sunt vindicati, commemorat illis verbis: *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe; sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia:* & huius lætitiæ rationem reddit: *Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian;* hac enim triplici Iugi, Virgæ, & Sceptri metaphora dæmonis tyrannidē ad viuum expressit. Dæmon enim grauissimo iugo, ac onere hominibus imposito eos deorsum ad terrena, & vilia non sine maximo eorum dedecore, & labore deprimebat: quare Eccles. 40. *Iugum graue super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum vsque in diem sepulturæ in matrem omnium.* quod de afflictionibus, quæ ex peccato originali consecutæ sunt, quas plurimas recenset Sapiens in eo capite, intelligit Augustinus in Enchiridio cap. 66. & in lib. 5. hypognost. cap. 3. Deinde pœnis multiplicibus propter peccata inflictis, dæmon quasi virga hominum humeros iugiter percutiendo ita afflictabat, vt à crebra humeri percussione, virga humeri appelletur. Tùm sceptro tyrannico ad noua peccata, tanquam importunus exactor iugiter incitabat. Hæc porrò omnia Christus superauit, sicut in die Madian: eodem scilicet modo, quo olim innumerabiles Madianitæ à Gedeone, populi Dei duce, cum trecentis militibus fractis lagenis, coruscantibus lampadibus, tubisq; personantibus sunt deleti: *Gedeon enim,* inquit Gregorius loco citato, *ad prælium veniens, Redemptoris nostri signat aduentum, non solum ipso opere, sed etiam nomine;* Gedeon namq; interpretatur circumiens in vtero: Dominus enim noster per maiestatis potentiam omnia complectitur, & tamen per dispensationis gratiam intra vterum Virginis humanitatem sumens venit. vbi illud obiter adnotandum in hoc nomine Gedeonis, qui typus erat Christi, per VTERVM MATRIS denominari: quia Christus Dominus per carnē, quam à Matre accepit in vtero, de dæmonibus hostibus suis per Madianitas significatis, qui omnia vastabant, triumphauit. Hoc enim tyrannicum dæmonis dñium à Christo Domino confracto per passionem corpore suo sacratissimo ex Virgine desumpto, & in fictili lagena adumbrato, radiante lampade suæ diuinitatis per diuini Verbi prædicationem, tanquam per tubæ sonitum euersum est. Christum porrò ducem & caput subsequuti sunt Apostoli, Martyres, alijq; Dei serui in trecentis Gedeonis commilitonibus mystico numero significati, tum propter sanctissimæ Trinitatis, quam prædicarunt, mysterium: tùm etiam quoniam trecentorum numerus græcè in Tau littera, quæ crucis figuram exprimit, continetur. Quod animaduertit Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 3. & de Noe cap. 33. Gregorius loco citato, & Augustinus lib. quæst. super lib. Iudic. q. 37. vbi huius rei rationem reddit: *Quia,* inquit, *Tau græca littera est, quæ numerus iste trecentorum significatur, gentes in crucifixum magis credituras præfiguratur: Græcorum enim nomine Apostolus omnes gentes intelligit, cum dicit Iudæo primum, & Græco, quoniam in linguis gentium græca excellit.* ita ex Augustino. Isti ergo fortissimi milites Christum imitati corpora sua veluti fictiles lagenas in sinistra tenentes, hoc est contemnentes, & nihili facientes propter Deum tradiderunt ad supplicia, vel ad spontaneam carnis mortificationem, & miraculorum, ac vitæ sanctimoniæ splendore, necnon prædicationis clamore veluti tuba in dextera, quoniam eam magnificiebant, & reliquis omnibus præferebant, Christi hostes subegerunt, Satanæ dominium destruxerunt, fidem Christi longè

Quarto significatur victoria Christi victoria Gedeonis contra Madianitas. *Isa. 9.* *Hieronymus.* *Gregorius.*

Tyrannis dæmonis triplici metaphora explicatur iugi, virga, & sceptri. *Eccl. 40.*

Augustinus.

Isa. 9. *Christus superauit sicut Gedeon per lagenas, lampades, & tubas.* *Gregorius.*

Dei serui in trecentis Gedeonis commilitonibus significati.

Tau trecentos significat, & habet crucis figuram. *Ambrosius.* *Gregorius.* *Augustinus.* *Rom. 1.*

gè,lateq; disseminarunt, ac propagarunt. Hæc de victoria Christi in Gedeone adumbrata.

Moralis digressio contra peccatores ad iugum virgam,& sceptrum damonis redeuntes.

15 Cæterùm quod spectat ad mores, animaduertant ij,qui peccata peccatis addentes voluntariè sub tyrannicum demonis imperium relabuntur, se dum eius iugum portãt, dæmoni arare per peccata absque vlla propria vtilitate. Dùm illius virgæ se subijciunt, intolerandis conscientiæ stimulis excruciari: præter quam quod *omnis inordinatus animus sibi ipsi pœna est*,vt dicebat Augustinus. Dùm eius sceptrum admittunt se sub eius vexillo militare; *Stipendia verò peccati mors* Roman.6.At è conuerso qui Christo dant nomina;admittunt quidem iugum eius,quod tamen est suaue,sicut & onus leue Matth. 11. Veruntamen iugum computrescet à facie olei præ nimia diuinæ gratiæ copia,imminuetur eius difficultas: Virgam quidem experiuntur,sed consolationis: psal.22. *Virga tua,& baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Sceptrum quoque mansuetudinis agnoscunt, psal.44. *Specie tua,& pulchritudine tua intende,prospere procede,& regna: propter veritatem,mansuetudinem,& iustitiam:* & sceptri onus non nobis,sed suis humeris Christus imposuit,dùm crucem,per quam regnauit, sibi ipse baiulauit. & ideò Isa. 9. *Factus est principatus super humerum eius*, de qua S. Leo sermone 8.de Passione: *Vt impleretur*, inquit, *quòd Isaias Propheta præuiderat,dicens: Ecce natus est puer, cuius imperium super humerum eius; Cùm ergo Dominus lignum portaret crucis, quod in sceptrum sibi conuerteret potestatis, manifestabatur fidelibus grande mysterium, quia pulchra specie triumphi sui portabat trophæum..* hæc ex S.Leone. Idem habet Augustinus tract.117. in Ioan.& Tertullianus lib.contra Iudæos cap.10. Quare studendum omnibus, vt relicta dura dæmonis seruitute,à qua Christus nos redemit;ad Christi vexilla euolemus,& huius victoriæ à Christo partæ fructum re ipsa in nobis sentiamus.

Rom. 6.
Matth.11.
Isa. 10.
Psal. 22.
Psal. 44.
Isa. 9.
Leo.
Augustinus
Tertullian.

CHRISTI DE DAEMONE VICTORIA IN DAVIDE, qui Goliath prostrauit,præfiguratur.

Quinto figuratur victoria Christi in victoria Dauid contra Goliath.

16 QVintò,hic idem Christi triumphus,quem per corpus suum sanctissimum ex Virgine acceptum de principe tenebrarum reportauit,adumbratus fuit 1.Reg.17. in Dauid,qui Gygantem illum Goliath cunctis vasta sui corporis mole,& armorum magnitudine formidabilẽ,singulari certamine aggressus, baculum habens in manu, vnius lapidis iactu percussit,prostrauit,atque eiusmet gladio interemit;Philistinorumq; exercitum internecioni dedit,& arma eiusdem in suo tabernaculo reposuit,cui in vniuersis vrbibus Israel acclamatum est: *Percussit Saul mille,& Dauid decem millia.*Huius figuræ explicationem ab Augustino sermone 197.petamus,vbi agens de hac ipsa Dauid victoria, ita scribit: *Et in Dauid*,inquit,*tunc figuratum est, quod in Domino Iesu Christo completum est; venit enim verus Dauid Christus, qui contra spiritualem Goliath, id est contra diabolum pugnaturus,crucem suam ipse portauit. videte fratres vbi Dauid Goliath percusserit, in fronte vtique, vbi crucis signaculum non habebat: sicut enim baculus crucis typum habuit,ita etiam & lapis ille,de quo percussus est,Christum Dominum figurabat:ipse est enim lapis viuus,de quo scriptum est, Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Quod autem eum proprio suo interfecit gladio, designatum est, quod in Aduentu Christi suo gladio diabolus victus est, qui per nequitiam suam, & iniustam persequutionem,quam exercuit in Christum,omnium in eum credentium perdidit potestatem. Quòd autem arma Goliæ Dauid posuit in tabernaculo suo; arma diaboli nos fuimus, sic enim dicit Apostolus,Sicut enim exhibuistis membra vestra arma iniquitatis peccato: ita & nunc exhibete membra vestra arma iustitiæ Deo:arma enim inimici nostri misit Christus in tabernaculo suo, quando nos,qui domus diaboli fueramus, per ipsius gratiam templum Dei esse meruimus.* ita Augustinus.

1.Reg. 17.
1.Reg. 18.
Augustinus.
Psal.117.
Rom.6.

Christus lapis abscissus est de Virgine, Dan. 2.

Sed vnde lapis iste,qui ex Augustino Christum figurabat,abscissus est?sanè hic est lapis ille Dan. 2. *Abscissus de monte sine manibus*, qui impactus statuæ illi per somnium obiectæ Nabuchodonosor,quæ quatuor præcipuas Mundi monarchias Chaldæorum, Persarum, Græcorum, atque Romanorum significabat, eam contriuit, & quasi in fauillam æstiuæ areæ redegit,& in montem magnum euasit,vniuersam terram occupans:La-

pis

pis verò iſte de monte ſine manibus abſciſſus nihil aliud ex communi Interpretum ſententia ſibi vult, quàm Chriſtum, qui de ſacroſancta Virgine propter ſui excellentiam, ſanctitatem, atque perfectionem mons celſiſſimus appellatus, abſque opere viri eſt conceptus, & genitus. Chriſtum eſſe lapidem hunc, & Virginem eſſe montem illum, vnde abſciſſus eſt, interpretatur Irenæus lib. 3. contra hæreſes cap. 18. & alij, quos fusè citaui cap. 5. *Irenæus.*

Hic etiam animaduertendum quinque lapides limpidiſſimos ex torrente à Dauid acceptos, ſignificare quinque Saluatoris noſtri vulnera ex torrente paſſionis ſuſcepta: & quoniam quælibet Chriſti actio ratione ſuppoſiti erat infiniti valoris, ideò etiam vnius lapidis ictu hoſtis proſterni potuit: At verò vt copioſa eſſet redemptio: *Copioſa prorſus,* inquit Bernardus ſerm. 22. in Cant. *quia non gutta, ſed vnda ſanguinis largiter per quinque partes corporis emanauit:* ideò quinque lapides accepit, & tam multa, tamq; acerba pro nobis perpeti non eſt dedignatus clementiſſimus Saluator. cui ſit honor, & imperium in ſecula ſeculorum. *Bernardus.* *1. Reg. 17.*

Ex his omnibus perſpicuum relinquitur per hanc mulierem, quoniam Chriſtum genuit tartarei draconis domitorem, planè eiuſdem caput fuiſſe contritum: nunc agendum nobis erit quomodo Virgo ſanctiſſima in ſe ipſa eiuſdem ſerpentis caput contriuerit.

QVA RATIONE VIRGO DEIPARA TARTAREI draconis caput in ſe ipſa contriuerit, & cunctas in orbe hæreſes ſola interemerit: qua etiam ratione in alijs, ijs præſertim, qui peculiari eam pietate proſequuntur, illud conterat; & de fortiſſimis mulieribus, quæ in veteri teſtamento eiuſdem Virginis typum geſſerunt. Cap. XXIIII.

SVMMARIVM.

Deipara cunctas hæreſes ſola interemit nu. 4.
Deipara in nobis dæmonem vincit nu. 6.
Deipara iuuat nos in morte nu. 8.
Deipara in multiplici virga figuratur nu. 9.
Eorum exempla, qui in morte ſingulari Deiparæ beneficio ſunt adiuti nu. 12.
Deipara in fortiſſimis fœminis Eſther, Iudith, Debbora præfiguratur nu. 26.
Deipara per Auroram ſignificatur nu. 18.

SECVNDO Virgo ſanctiſſima non tantum gignendo Chriſtum, dæmonem ſerpentem domuit: ſed in ſeipſa Dei beneficio omnem ſerpentis vim, atque furorem à ſe longius repulit, ac planè propulſauit: quin etiam de peſtilentiſſimo ſerpentis ſemine, quod in hæreticorum perfidia peculiariter propagatur, glorioſum triũphum egit; ac proinde ex hoc etiam capite ſerpentis venenati caput contriuiſſe, eiusq; ſemen debellaſſe meritò prædicatur: vtrumque autem in præſentia oſtendemus. *B. Virgo in ſeipſa Dei virtute dæmonis caput contriuit.*

Et quod ſpectat ad primùm, cum ſerpentis tartarei caput multa ſignificet, horum autem nihil, ne minimùm quidem locum in Virgine habuerit: idcirco illud contritum affirmamus. Significat enim caput ſerpentis Primò peccatum originale per quod dæmon non ſecus, ac ſerpens per caput ſe ſe in animas filiorum Adam immittit. Secundò per caput ſerpentis accipiuntur motus ſenſualitatis, ſeu fomitis, qui initium ſunt tentationum, quibus ad peccandum incitamur: *Vnuſquiſque enim,* Iacob. 1. *tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus:* qui motus niſi citò comprimantur facilè peccatum pariunt, ſicut ſerpens capite in locum aliquem illapſus, totus ſe ſe conatur immittere. Tertiò, ſignificat ſerpentis caput ſuperbiam, quæ Eccleſ. 10. *Initium eſt omnis peccati.* Quartò, per hoc ſerpentis caput intelligi poteſt tyrannicus dæmonis dominatus, quo ſupra- *Caput ſerpentis quatuor ſignificet.* *Iacob. 1.* *Eccleſ. 10.*

pra genus humanum ſe ſe erigebat, non ſecus ac ſerpens, qui capitis aſſultu, intentuq; ſe ſe attollit.

Prædicta omnia Virgo deuicit. Ab originali labe fuit immunis. Marcel. Roma. Docuit à B. Virgine dæmonem poſſe vinci.

Virgo igitur ſanctiſſima multiplex iſtud ſerpentis caput in ſe omninò contriuit. primùm enim ab originali labe, quemadmodum cap. 7. dixi, prorſus immunis fuit, vt mihi de ea illud, quod olim de Marcello Romanorum Duce fortiſſimo, dici poſſe videatur, quod Annibalem tot Romanorum cladibus inſolescentem, ac vinci propemodum neſcium, docuerit poſſe vinci: ita B. Virgo dæmonem ſęuiſſimum hoſtem, cuius cruentas manus nullus vnquam filiorum Adæ propter peccatum originale, (quod reliqui omnes contrahunt) ad eam vſque diem euaſerat, Dei beneficio dum ſine peccato concipitur, docuit poſſe vinci, quem mox eius filius à ſe victum alligauit, de eoq; triumphum egit:

Fomitem habuit extinctum. Superbiam excluſit. Cant. 1.

Deinde fomitem, vt eodem capite dixi, ab inſtanti ſuæ immaculatæ Conceptionis extinctum penitus habuit: Tum humilitatem ſuperbiæ antidotum, adeò coluit, quemadmodum cap. 21. oſtendi, vt eius humilitatem, quæ veluti nardus fragrantiſſima dum eſſet Rex in accubitu ſuo dedit odorem ſuauitatis, Deus reſpiciens ex ea carnem aſſumpſerit.

Solius Dei Ancilla. Cant. 7. Luc. 1.

Denique præter vnius Dei, cui toto corde ſemper adhæſit, nullius alterius dominatum vnquam experta, iure optimo dicebat illud Cant. 7. *Ego dilecto meo; & ad me conuerſio illius*; quare per antonomaſiam Ancilla Dei appellari meruit.

Bernardus. Geneſ. 3.

2 De Virginis porrò contra dæmonis caput victoria, ac fortitudine Bernardus homil. 2. ſuper miſſus eſt explicans locum hunc Geneſ. 3. *Inimicitias ponam, &c.* aliqua ex his, quæ diximus eleganter indicat: *Cui*, inquit, *hæc ſeruata victoria niſi Mariæ? ipſa procul dubio caput contriuit venenatum, quæ omnimodam maligni ſuggeſtionem tam de carnis illecebra, quàm de mentis ſuperbia deduxit ad nihilum.* & poſt pauca: *Hanc requirebat Salomon cum vehementer admirans dicebat: Mulierem fortem quis inueniet? & ita videbatur congruere, vt qui vicerat per fœminam, vinceretur per ipſam.* hæc Bernardus. Hinc eſt, quod ex Iuſtino in Apologia 2. & Athanaſio lib. de Incarnatione Verbi, cui conſentiunt Beda, Bernardus, & Eucherius, ac Bonauentura in ſpeculo cap. 3. Deipara ſtella Iacob nuncupatur Num. 24. non tantùm quia ex familia Iacob, verùm etiam, quia iuxta etymologiam vocis Iacob, quæ ſupplantatorem ſonat, fuit prudentiſſima vitiorum omnium, ac dæmonum ſupplantatrix. Hæc autem ſerpentini capitis per Deiparam contritio non obſcurè præſignificata eſt in nece Siſaræ Iudæorum hoſtis acerrimi, quem Iahel vxor Haber, tabernaculi clauo ſupra tempus capitis eius poſito, & in cerebrum vſque ad terram per malleum defixo inter ſuos pedes proſtrauit: In nece quoque Abimelech, qui malis artibus principatum occupauerat, cuius capiti vna mulier fragmen molæ deſuper iaciens illiſit, eiusq; cerebrū confregit. ſimiliter & 1. Reg. 5. caput Idoli Dagon cum duabus palmis manuum eius abſciſſis coram Arca fœderis, quæ vt dixi cap. 5. Virginem figurabat, ſuper limen templi miſerè iacebat: præſignatur etiam in capite Holofernis à Iudith caſtiſſima, atque fortiſſima præciſo.

Prouer. 31. B. Virgo eſt mulier illa fortis. Iuſtinianus. Athanaſius. Beda. Bernardus. Eutherius. Bonauentura

Iudic. 5.

Iudit.

1. Reg. 5.

Iudith 14.

B. Virgo propter victoriam aſſimilatur palmæ. Cant. 7. Prou. 31.

3 Sanè propter multiplicem triumphum, quem in omnibus ſenſibus, & corporis partibus de Satana reportauit vniuerſum Virginis ſanctiſſimę corpus Cant. 7. aſſimilatur palmæ, quæ ſymbolum eſt victoriæ: *Statura*, inquit, *tua aſſimilata eſt palmæ.* De eius fortitudine legimus Prouerb. 31. *Mulierem fortem quis inueniet?* & infra: *Confidit in ea cor viri ſui, & ſpolijs non indigebit.* Quoniam quamplurima ſpolia, plurimi nimirum peccatores ex poteſtate dæmonum, eius ope, & patrocinio erepti, Chriſto cōſecrantur, & mox: *Accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roborauit brachium ſuum.* & infra: *Fortitudo, & decor indumentum eius*: quæ omnia eximiam Virginis fortitudinem indicant. Quare Damaſcenus orat. 1. de dormit. Virginem alloquens: *Tuum*, inquit, *in Cœlum aſcenſum impuri, atque in aere verſantes ſpiritus perhorruerunt; tuo tranſitu aer benedicitur, ſuperior æther ſanctitate afficitur.* & Bernardus in deprecatione ad Virginem, quæ habetur tom. 2. operum ipſius, & citatur à Bonauentura in ſpeculo B. Virginis cap. 9. *Tu bellatrix egregia primo eum, qui primus Euam ſupplantauit expugnare viriliter aggreſſa es. Tu & ſpiritum elationis Euæ vertice humilitatis compoſuiſti.* Idem Bernardus ſer. citato: *Tu terribilis vt caſtrorum acies ordinata, an non horruerunt principes tenebrarum quando viderunt præter morem armatura omni fortiorem inſtructam contra ſe procedere fœminam, fœminam fortem, ad bellum doctiſſimam, cuius enſis ſuper femur ſuum propter timores noctur-*

Prouerb. 31.

Damaſcenus.

Bernardus.

nos.

nos. In circuitu eius acies valida ſpiritualium virtutum ſuo ſe inuicem ordine tuentium (ſiquidem ordinatione perſeuerat dies) ſed & innumerabilium Beatorum ſpirituum militiam ad miniſterium tanti principis delegatam fuiſſe, nullatenus ambigimus, vtpotè qui cuſtodirent lectulum Salomonis gratiſſimum, ac prouidentem, ne præparatum æterno Regi hoſpitium alienus hoſpes inuaderet: nimirum timor, & tremor ſuper eos venerunt; ita quod dicerent, Ecce pluſquam Eua hæc; Caſtra Dei ſunt hæc: Fugiamus Iſraelem. hæc Bernardus. & S. Bernardinus tom. 2. ſerm. 51. art. 3. cap. 4. *Tu perdito mundo aditum recuperas, & principem tenebrarum euertiſti.* & Carthuſianus lib. 3. de laud. Virg. art. 11. *Nec miror,* inquit, *ò Domina ſi ſic fortitudine pollebas, ſummis etiam Angelis robuſtior, quoniam Dominum virtutum Chriſtum Regem, qui Patris virtus eſt cuncta ſuſtentans protuliſti.* ſic ille.

Pſal. 118. S. Bernardinus. Carthuſianus.

Quamuis tamen ſerpentis caput à Virgine fortiſſima obterendum dicatur; nihilominus ſerpens quoque mulieris calcaneo inſidiaturus prænunciatur, ſed Virgini nocere nequaquam valuit, propter ea, quæ cap. 7. diximus.

Gen. 3.

DEIPARA CVNCTAS HAERESES SOLA INTEREMIT.

Maria hæreſes debellauit.

4 QVòd enim pertinet ad alterum de hæreticorum nimirum, qui ſemen ſunt ſerpentis, per Deiparam euerſione; illud ſupponendum eſt, complures ex hæreticorum fece, non tantum bellum Chriſto Domino indixiſſe; verùm etiam impuras contra Deiparam linguas ſoluere non eſſe veritos. Sed quid mirum? *Neque enim,* inquit Bruno ſermone de Annunciatione, *matrem diligere poſſunt, qui tam iniquo odio filium proſequũtur:* & certè non minori impietate, quã deteſtanda ingratitudine huiuſmodi homines impudentiſſimi contra ſingularem hominum tùm omnium, tùm ſingũlorũ benefactricẽ oblatrare ſunt auſi: *In ea enim,* vt verbis vtar Bernardi ſermone Signum magnum, *nihil auſterum, nihil terribile, tota ſuauis eſt, offerens lac, & lanam, nemini malum inferens, & omnibus ſinum miſericordiæ aperiens.* Verùm hanc veſanam quoque Hæreticorum contra Deiparam temeritatem, hoc bellum, quod contra Deiparam ſuſceperunt, ſub typo ſerpentis, eiusq; ſeminis clarè prædictum cernimus Geneſ. 3. vbi inimicitiæ inter ſerpentem, & mulierem, ideſt Dei genitricem, vt cap. 22. oſtendimus, inter ſemen quoque ſerpentis, & ſemen mulieris à Deo indicuntur: ideoq; Apoc. 12. Draco contra mulierem illam amictam ſole ſtetiſſe, eiusq; filium deuorare voluiſſe dicitur. quin etiam *draco perſecutus eſt,* inquit, *eam, & abijt facere bellum cum reliquis de ſemine eius.* & Apoc. 13. de beſtia illa, quæ ex Irenæo lib. 5. cap. 28. & alijs Interpretibus eſt Antichriſtus, ſic ſcribitur: *Et aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deum blaſphemare nomen eius, & tabernaculum eius:* (ideſt Virginem ſanctiſſimam, quam Dei tabernaculum cap. 5. appellari probauimus,) *& eos, qui in cœlo habitant,* reliquos ſcilicet ſanctos. Hinc eſt, quod Lutherus, & plerique noſtræ tempeſtatis hæretici eiuſdem Antichriſti præcurſores, cui viam per impia dogmata, & per carnis libertatem ſtrenuè muniunt, veteres quaſdam hæreſes Conſtantini Copronymi, & aliorum ex hac fece hominum iam olim ab Eccleſia damnatas, ac profligatas ab Orco reuocantes conati ſunt ſtatuere, Virginis ſupra reliquos ſanctos præſtantiam obſcurare, eius cultum conuellere, inuocationem penitus abolere, ſed fruſtra: *Sagittæ namq; paruulorum factæ ſunt plagæ eorum.* Ipſa enim non modò dæmonis ſerpentis venenati noxium caput contritura prædicitur; verùm etiam virulentum, ac nefarium eius ſemen, quod in hæreticorum colluuie præcipuè ſe prodit, iugiter expugnare non ceſſat. Qua de re Eccleſia in ſolemni illo, ac celebri cantico ante plurima annorum ſecula recepto, quo in Miſſa, & Officio Deiparæ vtimur, eidem peculiariter gratulatur his verbis: *Gaude MARIA Virgo cunctas hæreſes ſola interemiſiſti in vniuerſo mundo:* quod ſanè multipliciter præſtitit. Primò, quia Chriſtum iuſtitiæ ſolem peperit, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quiq; errorum tenebras depellit. Secundò, quia ſingulari modo magiſtra fuit Apoſtolorum, vt cap. 19. diximus, quorum doctrina hæreſes refelluntur. Tertiò, & hanc tangit Bernardus ſermone Signum magnum, quia plurimæ hæreſes circa Chriſti Incarnationem oblatrarunt: quæ facilè reijciuntur ab ijs, qui eam Dei genitricem agnoſcunt. Quartò, quia fidei defenſoribus, &

Bruno. Bernard. Geneſ. 3. Geneſ. 3. Apoc. 12. Apoc. 13. Irenaus. Pſal. 63. Offic. Eccleſ. Bernardus.

Doctori-

Doctoribus contra hæreſes ſtrenuè pugnantibus ſingulariter auxiliatur, quemadmodum cap. 20. dixi, eam S. Dominico contra Albigenſes præſto fuiſſe. Quintò, quia ſuis meritis, & precibus hæreſum perfidiam retundit, hæreticorumq; furorem comprimit. Huic Cantico, quo Virgo beata cunctas hæreſes peremiſſe prædicatur, aliqui verſiculi etiam ſubnectebantur, quibus perpetua Deiparæ virginitas contra Iudæos commemorabatur: ex quo factum eſt, vt in quadam hac de re cum Iudæis altercatione, Romæ tempore Bonifacij IIII. Pontificis, qui templum olim Pantheon dictum in honorem B. Mariæ, & omnium Martyrum dedicauit, Clericus quidam à natiuitate cæcus inſpectante populo in eodem templo illud in die Purificationis B. Mariæ Virginis in Iudæorum confuſionem decantans, lumen diuinitus receperit: quare in huius rei memoriam, vt illud in officio Purificationis retineretur decretum eſſe dicitur. Sanè in feſto Purificationis hoc reſponſorium haberi ſatis patet ex antiquis breuiarijs tum Romanis ante Pij V. tempora, tùm Gallicanis: & præterea ex graduali Miſſæ votiuæ B. Virginis poſt Purificationem, in quo aliquot ex huiuſmodi verſiculis etiam nunc decantantur; & hoc quidem miraculum breuiter attigit Thomas Cantipratenſis, qui vixit circa annum 1240. in lib. apum, in Append. exempl. ad 2. librum, & narratur à Pelbarto in Stellario B. Virg. lib. 2. par. 3. cap. 2. & in Specul. exempl. diſtinct. 8. §. 58. ex quo antiquitas illius Elogij, quo cunctas hæreſes interemiſiſſe prædicatur, apparet: quin etiam idem Thomas Cantipratenſis loco citato narrat fideliſſima narratione ſibi compertum puerum quendam, quod veſperi ſæpe hoc ipſum elogium per plateas concineret, à Iudæis clam iugulatum, ac ſepulturæ mandatum, ſed poſtridie viuum repertum. Hinc eſt, quòd ab Eccleſia edocti Rupertus lib. 1. in Cant. & Bernardus ſermone Signum magnum de Deipara efferunt ſolam contriuiſſe vniuerſam hæreticam prauitatem, quod idem ſcripſit ante mille, & ducentos annos Sophronius, Hieronymo coæuus, in ſermone de Aſſumpt. Deip.

In ſollemnitate Purificationis B. Virg. Clericus à natiuitate cæcus lumen recepit.

Thom. Cantipret.
Pelbartus.

Cantipratenſis. Exemplum. Puer qui Mariæ laudes canebat à Iudæis iugulatus non obijt.
Rupertus.
Bernardus.
Sophronius.

5 Quòd autem Deipara de vniuerſa hæretica prauitate triumpharit, multa afferri poſſunt, quale eſt illud de Albigenſium hæreſi, quam Deipara, (vt cap. 20. diximus) per formulam precandi, quam Roſarium vocamus, à S. Dominico inſtitutam extinxit, & eiuſmodi plurima non deſunt. Verùm celebre eſt illud de veſte ad ſacrificandum S. Ildefonſo Archiepiſcopo Toletano à Deipara dono data, quod pro eius perpetua virginitate contra Hæreticos propugnaſſet. eundem quoque Ildefonſum S. Leocadia Virgo, quæ ante trecentos annos pro Chriſto, martyrio affecta erat, è ſepulcro palam multis præſentibus prodiens hoc nomine commendauit: rem geſtam narrat Mariana lib. 6. de rebus hiſpaniæ cap. 20. & nos infra in tract. de virginibus ſect. 2. in S. Ildefonſo, & ſect. 4. in S. Leocadia referemus. Cæterùm hæreticos qui aduerſum Dei genitricem oblatrarunt complures catholici confutarunt, præſertim noſter Caniſius contra eos egregium volumen, quod de Deipara inſcripſit, non minori pietate, quàm eruditione elaborauit.

Exemplum.

Mariana.

DEIPARA IN NOBIS DAEMONEM VINCIT.

B. Virgo in alijs caput ſerpentis conterit.
S. Antoninus.
1. Reg. 5.
Figuratur in Arca, quæ Dagon proſtrauit.
Quomodo eiectus eſt dæmon in ſanctificatione Io. Baptiſtæ.
S. Bonauent.

6 TErtiò, nec ſolùm in ſe Virgo beata caput contriuit ſerpentis; verùm etiam in alijs exemplo ſuo precibus, & meritis idem præſtat, vt rectè S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 14. §. 6. adnotauit, cuius rei figuram habemus 1. Reg. 5. Arca enim Domini in templum Dagon illata, illius ſtatuam proſtrauit, eiq; caput, & manus præcidit: ita Virgo ſanctiſſima per Arcam, vt cap. 5. dixi, figurata, ex anima, in quam per peculiarem erga ſe deuotionem intrat, dæmonem expellit, eiusq; vires frangit. Certè exemplum habemus in Ioanne Baptiſta, ex cuius anima Chriſti virtute eiectus eſt dæmon, ipſeq; à peccato originali eſt mundatus, quando vox ſalutationis Mariæ facta eſt in auribus Eliſabeth, tunc enim ſanctificatus eſt Ioannes, & exultauit in gaudio infans in vtero Matris. S. Bonauentura in meditationibus vitæ Chriſti cap. 5. *Vide*, inquit, *quanta virtus ſit in verbis Dominæ, quia ad eorum pronuntiationem confertur Spiritus ſanctus, ſic enim abundanter ipſa erat plena, quod eius meritis ipſe Spiritus ſanctus etiam alios replebat*. ita Bonauentura. Quoties etiam Satanas expetiuit nos, vt cribaret ſicut triticum, & noſtris demeritis exigentibus obtinuiſſet, niſi Virgo interceſſiſſet, & rogaſſet pro nobis? Quoties aliquos Satanæ ſpontè addictos veluti prædam iam iam deglutiendam ab eius truculentis fau-

Luc. 22.

cibus

cibus extorſit,vt meritò de illa dici poſſit illud pſal. 34. *Eripiens inopem de manu fortiorum eius;egenum, & pauperem à diripientibus eum:* vt propterea Andreas Cretenſis de dormitione Virginis eam Chriſtianorum fidei propugnaculum,& eorum, qui ſpem in ea collocant propugnatricem vocet. Et verò præter innumeras peccatorum ex magnis ſceleribus ad Deum eius interceſſione conuerſiones, quæ apud probatiſſimos Auctores leguntur,& quarum nonnullas ſupra cap.20.alias cap. 35. & ſequentibus ponimus: hic ſolùm addam,eam dum viueret ſerpentinos cõcupiſcentiæ motus (qui etiam caput ſerpentis appellari ſolent)in alijs,vt refert Alenſis 3.par.ſuæ Theologiæ q.9.membr.2.art. 5. ſuo aſpectu extinſiſſe,quod S.Ambroſius grauiſſimus Doctor affirmat in lib.de Inſtitutione Virgin. cap. 7. *Cuius* (inquit loquens de Virgine) *tanta erat gratia, vt non ſolùm in ſe virginitatis gratiam ſeruaret, ſed etiam his,quos viſeret integritatis inſigne conferret.viſitauit Ioannem Baptiſtam,nec immeritò manſit integer corpore,quem in tribus menſibus oleo quodam ſuæ præſentiæ,& integritatis vnguento Domini mater exercuit:* ita Ambroſius.& S.Thomas 3.ſent.diſtin.3.q.1.art.2.quæſt.1.ad 4. *Pulchritudo*,inquit, *B.Virginis,intuentes ad caſtitatem excitabat.* idem etiam docet Gerſon ſerm. de Concept.B.Virg.quod quidem ex peculiari Dei dono illi conceſſum eſt, & ſanè S.Bonauentura in 3.diſt.3.art.2.q.3.quorundam Iudæorum teſtimonio affirmat, Virginem, quamuis pulcherrimam,à nullo tamen viro concupitam.

Pſal. 34. *Andr. Cret.* *B. Virgo ſuo aſpectu in alijs cõcupiſcentiæ motus extinguebat Alenſis. Ambroſius.* *Luc. 1.* *S. Thomas.* *Gerſon.* *Bonauentura.*

7 Cùm igitur tot modis Virgo venenati ſerpentis caput contriuerit, meritò Bernardus ſerm.Signum magnum ad illa verba: *Et luna ſub pedibus eius:* cum dixiſſet lunam interdum propter ſuam mutabilitatem ſtultitiam mentis ſignificare,iuxta illud Eccl.27.*Stultus ſicut luna mutatur*,ſubijcit de dæmone:*Vnicus*,inquit,*ille ſtultus totius ſtultitiæ princeps, qui verè mutatus vt luna, ſapientiam perdidit in decore ſuo, ſub Mariæ pedibus conculcatus,& contritus,miſeram patitur ſeruitutem.* hæc Bernardus. & S.Bernardinus tom. 3.ſerm.11.art.1,cap.3.probans per B.Virginem nos à dæmone protegi: *Figurata eſt*,inquit,*B.Virgo in figura Arcæ Moſaycæ, de qua Num.10.ſcriptum eſt,cum eleuaretur Arca, dicebat Moyſes: Surge Domine, & diſſipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te à facie tua,vt myſticè innuatur,quòd quando eleuata fuit Virgo glorioſa ad Cœleſtia Regna, dæmonis potentia imminuta eſt:& diſſipata: vnde pro illa dici poteſt illud Eccleſ. 24. Superborum,& ſublimium colla propria virtute calcaui.* hæc S.Bernardinus.

Bernardus. *Dæmon ſub luna mutabilis typo, & ſub pedibus Virginis.* *Apoc.12.* *Eccleſ. 27.* *S.Bernardinus.* *Numer.10.* *Eccleſ. 24.*

DEIPARA IVVAT NOS IN MORTE.

8 QVæ omnia licet vera ſint; nos tamen ſemper pauidi,ſemperq; ſolliciti cum metu,& tremore,vt monet Apoſtolus,ſalutem noſtram operari,& ad Virginis patrocinium ſedulò confugere non negligamus, ſcientes antiquum ſerpentem non propterea à nobis omni ſtudio oppugnandis ceſſare,ſed,vt Gen.3. dicitur,adhuc inſidiari calcaneo mulieris,ſaltem in eius ſemine; hoc eſt in filijs eius ſpiritualibus: inſidiatur enim calcaneo illorum,nempè extremæ parti,hoc eſt fini,tùm ipſius mundi,cum extremis temporibus ex Apocal.20. ſoluetur Satanas modico tempore de carcere ſuo,& exibit, & ſeducet gentes,quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ Gog,& Magog,atque per ſe, & per Antichriſtum,eiusq; præcurſores primum; deinde per eiuſdem aſſeclas bellum contra Eccleſiam acrius,& ferocius inſtaurabit. *Sciens* Apoc.12. *quod modicum tempus habet.*tùm etiam inſidiatur calcaneo vniuſcuiuſque noſtrum: quia in exitu vitæ ſingulorum vehementius omnes ſuæ verſutiæ neruos ad eos perdendos intendit, vt habet Sacrum Concilium Tridentinum ſeſſ.14.cap.2.de Extrema vnctione:quoquomodo tamen calcaneo ſerpens inſidietur,à Virgine eius caput obterendum prædicatur:& idcircò Virginis præſidium, vt dixi,omni quidem tempore reuerenter,& deuotè, ſed impendente præſertim morte, quando plus imminet periculi,enixius eſt implorandum,vt tortuoſi draconis caput proterere dignetur. quod S.Ephræm in orat.ad Virginem precatur his verbis: *Adeſto mihi nunc,& ſemper ò Virgo Dei genitrix,Mater miſericordiæ,benigna,& clemens,in præſenti quidem vitæ curſu feruens, protectrix, atque auxiliatrix, hoſtiles quoſcumque impetus à me auertens, & in via ſalutis me conſtituens, ac in extremæ vitæ articulo miſeram meam animam conſeruans, & tenebroſos, atque horrendos peſſimorum dæmonum aſpectus*

Philip.2. *Geneſ.3.* *Dæmon inſidiatur calcaneo noſtro in fine mundi.* *Apoc.20.* *Apoc.12.* *Dæmon inſidiatur calcaneo, ideſt morti vniuſcuiuſque.* *Concil.Trid.* *S. Ephræm.*

ab ea procul repellens: in tremendo autem die iudicij ab æterna me damnatione liberans, & postremò in numerum iustorum me referens, atque inaccessæ tui filij Domini, & Dei gloriæ me hæredem efficias. Idem in Lamentatione Deiparæ super passione Domini ad eandem sermonem dirigens, sic ait: *Eripe*, inquit, *nos ò Virgo sancta, atque intemerata, à quacumque necessitate ingruente, & à cunctis tentationibus diaboli. Esto nostra conciliatrix, & Aduocata in hora mortis, atque iudicij, nosq; à futuro inextinguibili igni, & tenebris exterioribus libera, & filij tui nos gloria dignare, ò Virgo, & Mater dulcissima, ac clementissima.* sic ille.

DEIPARA IN MVLTIPLICI VIRGA FIGVRATVR.

B. Virgo in virga multis in locis sacrarum literarum figuratur.

9 IPsa enim Virgo præfiguratur in virga Ioseph, qui dictus est lingua ægyptiaca Saluator mundi, cuius virgæ fastigium ex Apostolo Hebr. 11. (iuxta sensum quem in versione sua Genes. 47. secuti sunt Septuaginta Interpretes) adorauit Iacob moriens, id quod nobis indicat vnumquemque morti proximum, reuerenter adorare, & inuocare debere sanctissimam Virginem, quæ est virga veri Ioseph Christi Domini Saluatoris mũdi, vt ab ea iuuetur: *Hac enim* virga Isa. 30. *percussus pauebit Assur*, idest dæmon, vt interpretatus est S. Antoninus. Deipara quoque ex Bonauentura in speculo B. Virginis cap. 3. *Est virga virtutis, de qua psal. 109 contra inimicos infernales, quibus magna virtute dominatur.* sic ille.

Hebr. 11.
Gen. 47.
B. Virgo figuratur in virga Ioseph, cuius fastigium adorat Iacob moriens.
Isa. 30.
Est virga quæ percutitur Assur.
S. Antonin.
S. Bonauent.
Psal. 109.
Ildefonsus.
Num. 24.

De beatissima enim Virgine, ait Ildefonsus, dictum à Dauid psal. 109. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, additq; Dauid per apostrophem subijcere illud (dominare in medio inimicorum tuorum)* sic Ildefonsus. Cui consonat vaticinium Balaam Numer. 24. *Orietur*, inquit, *stella ex Iacob, & consurget virga de Israel, & percutiet duces Moab, vastabitq; omnes filios Seth.* & infrà: *Israel verò fortiter aget.* Deipara enim stella est Iacob, vt supra diximus, estq; virga Israel, quod sæpè ostendimus, quæ percutit, & vastat omnes contrarias inferni potestates, & fortiter aget.

Hieronym.
Esther 4.
S. Antonin.

10 Hæc etiam est virga illa aurea Assueri, qui ex Hieronymo lib. de nomin. hebraicis in Danielem, idem sonat, quod beatitudo, cuius virga, vt habetur Esther 4. extensa à Rege in signum clementiæ contra eum, qui non vocatus atrium Regis interius ingrediebatur, viuebat, alioquin statim interficiebatur. Eodem etiam modo ait S. Antoninus 4. p. tit. 15. c. 24. §. 4. malè nobiscum accessuris ad Deum per mortem propter multa nostra demerita ageretur, nisi Virginis preces clementiam à Deo patre misericordiarum impetrarent: *Hæc est*, inquit Petr. Dam. serm. de Assumpt. *virga illa, qua retunduntur impetus aduersãtium dæmoniorum, virga Aaron, per quam fiunt signa, & mirabilia. Baculum autem crucis intellige, quo non solum verberatus est, sed occisus ille insatiabilis homicida, qui mortibus hominum pascitur, & nutritur. In Virgine virga, & baculo cruce, miserorum spes, & consolatio continetur, sicut sublimis Propheta clara voce declarat, Virga*, inquit, *tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* hæc Petrus Damianus.

Petr. Dam.
Est virga Aaron in qua fiunt mirabilia.
Psal. 22.
Est virga in qua consolatio.

Et quoniam ipsa virili animo non minus religiosè, quàm officiosè Christo astitit in cruce morienti, non sine ingenti animæ suæ, quam doloris gladius pertransiuit, cruciatu: ideò peculiariter illi datum est suis filijs spiritualibus singulari pietate sibi deuotis, eamquè inuocantibus in extremo vitæ constitutis, suam opem impertire, dæmones pellere, illisq; vt sancto fine vitam hanc claudant, impetrare: & sicut luna præesse dicitur nocti Genes. 1. quia noctem illuminat: ita Virgo in mortis articulo, quæ nocti assimilatur, suis deuotis illucescit, & tenebras depellit. quare Pelbartus de Temesuar in Stellario Virginis lib. 12. par. 2. cap. 1. Virgini accommodat illud Sapient. 10. *In fraude circumuenientium illi affuit, & custodiuit eum ab inimicis, & à seductoribus tutauit illum, & dedit illi claritatem æternam*, quia Deipara tempore mortis à fraudibus dæmonum tentantium suos deuotos custodit, atq; tutatur. Huius rei illustre exemplum habetur in lib. 7. reuelationum S. Brigittæ cap. 13. de Carolo filio eiusdem S. Brigittæ propter eximiam quam ad Virginem habebat deuotionem, quam in vita sua vnicè dilexerat, cui de bonis, & priuilegijs ei diuinitus concessis vehementer gratulabatur, ac pro eius dignitate tuenda; & ne quid ei de suis donis minueretur omnes cruciatus si opus esset perpeti

B. Virgo iuuat morituros sibi deuotos.
Genes. 1.
Pelbartus.
Sap. 10.
B. Brigitta. De Carolo filio S. Brigittæ in morte à Deipara adiuto.

perpeti paratus erat; Cui quid Virgo ſanctiſſima antequam ille efflaret animam, & in ipſo animæ exitu à corpore, & poſt eius obitum præſtiterit; Deipara ipſa S.Brigittæ his verbis loco citato narraſſe ſcribitur: Ego ſteti propè eundem filium tuum Carolum paulò antequam emiſit ſpiritum, vt carnalem amorem non ſic in memoria haberet, quod propter eum aliquid Deo contrarium cogitaret, vel loqueretur, nec aliqua Deo placentia vellet omittere. Neque illa, quæ poſſent eſſe quomodolibet diuinæ voluntati contraria, vellet perficere ad animæ ſuæ nocumẽtum. Ego etiam taliter iuui eum in illo arcto ſpatio, ideſt exitu animæ ſuæ à corpore, vt non tam duram pœnam ſuſtineret in morte, quod ex ea inconſtans fieri poſſet aliqualiter deſperando, & ne Deum in morte obliuiſceretur. Ego etiam cuſtodiui taliter animam ab ipſis immortalibus inimicis, ideſt dæmonibus, quòd nullus eorum tangere poſſet. Sed ſtatim cum egreſſa fuit à corpore accepi eam in meam cuſtodiam, & defenſionem. Quo facto turba dæmonum feſtinanter fugit, & receſſit, qui ex ſua malitia ipſam cupiebant deglutire, & æternaliter cruciare. hæc ex illa Reuelatione. & infra Angelus teſtatus eſt Virginem Dei genitricem ex virtute ſua eidem Carolo contuliſſe quicquid illi deerat in armis ſpiritualibus, & indumentis, quæ pertinent ad milites intraturos in Regno cęli ad ſummum Imperatorem. Cæſarius lib.7.exemplorum complures recenſet, qui in extremis B.Virginem ſibi adeſſe ſeq; conſolari conſpexerunt, vt videre eſt à cap.51.vſque ad 57. *Cæſarius.*

De Fulberto etiam Carnotenſi Epiſcopo, qui obijt anno 1028. illud memoriæ proditum eſt, quod etiam refert Baronius tom.11. Annalium ad eum annum, quod cum eſſet erga Dei genitricem addictiſſimus, in cuius laudem librum conſcripſerat, baſilicãq; conſtruxerat ab ea ſingulari remuneratus eſt dono, dùm ipſi ægrotanti per viſum apparens, ſugenda aperuit ſacra vbera: ſic & alijs modis ſuos famulos in exitu vitæ conſolatur Virgo ſanctiſſima. *De Fulberto Carnotenſi Epiſcopo à Deipara in morte viſitato. Baronius.*

11 Ad implorandum igitur in morte Virginis patrocinium, ſancta Eccleſia illa precandi formula ad Virginem vtitur in ſalutatione Angelica: *Ora pro nobis peccatoribus nũc, & in hora mortis noſtræ:* & in quodam hymno: *Tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe:* & ſicuti mare rubrum Moyſi virga percuſſum, ac diuiſum, iter ſicco veſtigio Dei populo ad terram promiſſionis lacte, & melle manantem contendenti præbuit; ita per Virginem, quam virga Moyſi, vt ſupra diximus, adumbrabat tranſitus per mare huius mundi ad cœleſtem patriam electis repromiſſam expeditus Dei ſeruis redditur. Et quia de mari rubro loquimur, addam ad confirmandum, quod propoſui, illud S.Bonauenturæ in ſpeculo B.Virginis cap.3.vbi dicit, nomen Mariæ inter alia ſignificare amarum mare: *Illa enim amarum mare fuit diabolo, & Angelis eius per ipſam oppreſſis, & ſubmerſis, non ſecus ac Aegyptijs in mari rubro*, & ideò eam dicit eſſe amaram, & timendam dæmonibus. ita ex Bonauentura. *Salutatio Angelica. Eſt virga diuidens mare rubrum. Exod. 14. S.Bonauentura. Maria amarum mare dæmonibus.*

EORVM EXEMPLA, QVI IN MORTE ſingulari Deiparæ beneficio ſunt adiuti.

12 AT verò non abs re erit in præſentia aliquorum proferre exempla, qui in terribili illa hora mortis, quæ teſte Ariſtotele lib.3. Ethic. cap.6. meritò omnium terribilium terribiliſſimum exiſtimatur, Deiparæ ſedulò ſe commendantes, ſingularem eius opem ſunt experti; vel eiuſdem viſitatione confirmati ex hac vita fidentius emigrarunt: ea autem ijſdem verbis, quibus ab Auctoribus, vnde ea excerpſimus ſcribuntur, atque altius repetenda duximus, quo auxilij à Deipara collati neceſſitas, vel opportunitas magis perſpicuè omnibus appareat. *Ariſtoteles.*

S.Opportuna Virgo, & Monialium Abbatiſſa cum graui corporis ægritudine teneretur, exacta quadam nocte vidit B. Cæciliam, & S. Luciam cauſa viſitationis ad ſe venire; quas cum vidiſſet blando ſermone ita ſalutauit: Auete ſorores Cæcilia, & Lucia; quid præcepit Ancillæ ſuæ glorioſa Virgo Maria cœleſtis Regina, & omnium Virginum Domina? Reſpondentes ſacræ virgines Cæcilia, & Lucia dixerunt. O ſplendidiſſima ſpõſa Chriſti Opportuna, expectat aduentum tuum intacta Virgo Maria, vt filio eius cõiungaris in Cœlo, quem totis viſceribus dilexiſti in mundo; ornata corona gloriæ tuæ, & accenſa lampade, debes ire obuiam ſponſo, & ſponſæ. Poſt lætitiam autem tam præ- *Miraculum Opportunæ Virgini de obitu monitæ in ſuprema hora Deipara adeſt.*

claræ visionis,& visitationis,dùm clerus in exitu sanctæ illius animæ, & astantes sanctimoniales psalmos decantarent,& ipsa cum eis decantaret,respiciens ad ostium domus, dixit his,qui psalmos decantabant: Ecce aduenit Domina mea B.Virgo Maria, cui vos commendo, quos in hoc seculo amplius non videbo. Extendente autem ea brachia, quasi matrem Dei vellet amplexari, sancta eius anima carne est soluta, & viuit cum Christo per æterna sæcula.hæc ex vita eiusdem à S.Adelelino Episcopo Sagiensi litteris consignata apud Surium tom.2.die 22.Aprilis.

Surium.

Exemplum. *S.Arnulphus Episcopus mortis suæ tempus diuinitus cognouit,& à B.Virgine aliisq. Sanctis ad cælestem gloriam euocatur.*

S.Arnulphus Episcopus Suessionensis in vigilia Assumptionis Dominæ nostræ, qui erat sabbati dies, mortem suam imminere dixit fratribus: Parate iam,inquit,funeri necessaria,nam sub noctis initium decedã,vti mihi Dominus,cui pro viribus seruire conatus sum, hesterna nocte reuelauit, cum ille terræmotus, & aeris concussio fragorem cellæ excitaret. Sub prima enim quassatione *B.* Petrus Apostolus ad me venit significans mihi peccata remissa, & vitæ ianuam patere. Sub altera quassatione cum multis Angelicis spiritibus S. Michael me inuisit, pollicens, se duce, me ad beatam vitam ingressurum. Tertia concussione adfuit Domina nostra vera misericordiæ mater, multis stipata sanctarum virginum agminibus; benignissima voce me certiorem efficiens de anima mea inter Assumptionis eius gaudia in cœlos transferenda. Sub horam autem vespertinam corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi summa cum deuotione percepit, sicquè ad requiem aspirans sancto crucis signo se consignauit, & in ipso Dominicæ noctis ingressu, de lectulo se subrigens, in pauimento cinere, & cilicio strato feliciter obdormiuit 18.Kal:Septembris. hæc ex eius vita à Lisiandro Episcopo Suessionensi conscripta cap.4.& 5.apud Surum tom.4.die 15:Augusti.

Surium.

Exemplum. *Florentius mortis proximus fugato dæmone à Deipara inuisitur.*

13 Quidam nomine Florentius vir eloquens,& moribus ciuilis, qui simoniana perfidia valdè se contaminarat, in cuiusdam Episcopi suscepto patrocinio; grauissimè decumbebat,iam iamq; moriturum se affirmabat, atque inter acerbos, mœstosq; luctus, crebrosq; singultus, per amicos à B.Ioanne Gualberto Ordinis Vallis vmbrosæ Institutore, habitum Ordinis eius sibi donari petijt. Assensit vir sanctus, nec multum cunctatus, nouitiorum habitu eum induit. Eo indutus cum iam reualuisset, & scipioni innixus Monasterium perlustraret, prior morbi vis eum de nouo inuasit,ita vt morti propinquus videretur. Id vbi sanctus audiuit, ad lectum ægroti cum multis fratribus accessit, eumq; à corpore migraturum Domino commendauit. At æger caput suum pallio,quo erat opertus texit, & viro sancto, cur id faceret, inquirenti respondit timens, ac tremens: Video Satanam propè assistere,è cuius ore vasta flamma funditur,& ex naribus fumus sulphureus prodit. Cùm autem locum,in quo illum cernebat viro Dei indicasset; ille ablata à manu tenentis cruce, diabolum ea egregiè verberauit. Tùm ille mox instar fumi euanuit,& ægrotus in has prorupit voces:Ecce aufugit Satan, ecce recessit; & ecce adest B. Maria,Sanctiq; Petrus,& Benedictus. Atque his dictis spiritum exhalauit. hęc ex Blasio Melanesi Generali Ordinis Vallis vmbrosæ in vita S. Ioannis Gualberti apud Surium tom.4.die 12.Iulij.

Surium.

S.Richardus Episcopus Ciceſtrensis diē obiēs inuocatur Deipara dd suas aures sæpius iterari iubet. Psal. 30. Offic.Eccles.

Cùm S.Richardus Episcopus Ciceſtrensis morbo esset prægrauatus, & confectus illam Psalmistæ vocem:*In manus tuas Domine commendo spiritum meum,* crebrò iterabat. Ad beatissimam quoque Christi Matrem,semperq; Virginem Mariam subinde corde simul,& voce se conuertens, aiebat:

Maria mater gratiæ
Mater misericordiæ
Tu nos ab hoſte protege,
Et hora mortis ſuſcipe.

Mandauitq; suis Cappellanis, vt ea verba ad eius aures pronunciare non cessarent. Atque ita inter suspiria piæ deuotionis, & verba sacræ orationis adstantibus Religiosis Presbyteris,& Clericis, Laicis quoque fidelibus B.Richardus animam deinceps in illa beatissima ciuium supernorum victuram societate reddidit Creatori. hæc in eius vita apud Surium tom.2.die 2.Aprilis.

Surium.

S. Dominicus à vita decedens à Christo Maria

In hora transitus S.Patris Dominici OrdinisPrædicatorum institutoris adfuit beatiſs. Virgo cum filio, prout reuelatum fuit cuidam deuoto Patri Priori Conuentus Brixiēsis,

qui

quí dicebatur Fr.Gicala Longobardus,qui poſtea Brixiæ Epiſcopus fuit. Hic enim eadem die hora, qua S. Pater migrauit è ſeculo, anno ætatis ſuæ quinquageſimo primo, ſcilicet feria ſexta, hora ſexta, leui depreſſus ſomno poſt orationem vidit interioribus oculis quandam aperturam in cœlo, per quam ſubmittebantur candidiſſimæ duæ ſcalæ. ſummitatem vnius ſcalæ tenebat in manu B.Virgo Maria,alterius ſummitatem filius eius Ieſu Chriſtus tenebat; Angeli verò diſcurrebant per eas aſcendendo,& deſcendendo. Et in fine vtriuſque ſcalæ ſedes poſita erat,& vnus ſuper eam ſedens,qui ſimilis erat fratri Prædicatori habens faciem velatam eunti verſus Ieruſalem cœleſtem. Scalas autem illas ſurſum trahebant Dominus Ieſus cum Matre paulatim, & ducebatur ſurſum ſimul cum illis ſcalis,ſedes pariter cum ſedente,comitantibus Angelis. Denique receptis in cœlum ſcalis,& ſede cum ſedente,apertura illa clauſa eſt,viſioq; diſparuit. Quapropter ſubito dictus frater perrexit Bononiam, & reperit quod illo die,& hora Pater è mundo in cœlum tranſierat. hæc S. Antoninus 3.par. hiſt.tit.23. cap.4. §.14. in vita S.Dominici.

duabus ſcalis ad cœlum perduci cuidam fratri viſus eſt.

14 Religioſa quædam vidua,quę in ſancta viduitate diù ſeruierat Domino,& filias ſuas in ſancta virginitate ſponſo cœleſti integras ſeruabat,in Villembroc propè Niuellam in extremis laborabat. Vidit autem hæc noſtra Maria de Oegnes beatam Virginem ſanctæ viduæ aſſiſtentem,& quaſi flabello quodam caloris æſtum, quo torquebatur,humaniſſime temperantem. Cùm autem anima illius iam eſſet egreſſura à corpore, turba dæmonum inſidiãtium nulli orationum inſtantiæ cedere voluit,donec clauiger æthereus Crucifixi vexillo eos turpiter pudefactos profligaret. Poſtquàm autem defuncta eſt, vidit Chriſti Ancilla beatiſſimam Virginem cum multitudine cœleſtium puellarum pſallentium,& Deum laudantium,& velut in duos choros diſtributarum circa eius corpus verſari. Cumq; Sacerdos pro more exequias celebraret, ſummus Sacerdos Chriſtus cum ſanctorum frequentia officium, (vt videbatur) etiam complebat, & mirandum in modum Eccleſia triumphans militanti reſpondebat. hæc Iacobus de Vitriaco Cardinalis in vita B.Mariæ Oegniacenſis lib.2.cap.3.apud Surium tom.3.16.Iunij.

Exemplum. *Viduæ Aegortanti Deipara adeſt, ac eidem defunctæ iuxta perſoluit.*

Iacobus de Vitriaco.

Surius.

Cùm iam ad exitum tenderet Lyduuina Virgo ſanctiſſima ſolaq; eſſet,cunctis domeſticis abſentibus,ipſo Paſchatis die, & contemplationi ſummo mane vaceret,vidit ad ſe venientem Dominum Ieſum cum ſanctiſſima Matre ſua,& duodecim Apoſtolis,multisq; & Sanctis,& Angelis. Sedit autem Chriſtus ad lectuli eius dexteram, beatiſſima Maria ad ſiniſtram,alijs in orbem honeſtiſſime eam cingentibus. Vidit etiam menſulam ornatam,& in ea ceu ſacri olei vaſculum elegantiſſimum, Crucem quoque pulcherrimam, & cereum valdè luculentum,totum cubiculum mirificè illuſtrantem. Erat tùm corpus Virginis innumeris angoribus à vertice vſque ad pedes oppreſſum,& afflictum. & ecce ſentit ab ipſo Saluatore ſacerdotalibus induto veſtibus loca corporis ſui omnia perungi, quæ in morituris ſacro oleo vngi ſolent;ſed nulla Saluatorem audit verba proferentem. Inde Chriſtus ponit in manu eius cereum,eumq; tenet cum Matre ſua,crucc illic inuiſibiliter petmanenre donec exhalarer ſpiritum. Cùm autem inuncta eſſet, rogauit Dominum,vt extremum vitæ eius finem tot doloribus,& afflictionibus cumularet,vt à corpore exiens, anima ſine purgatorio mox ad illum poſſit euolare. Reſpondit Dominus: ita fiet filia,vt petis,poſt biduum cantabis alleluia cum alijs virginibus in regno Patris mei. Atque ipſa poſt biduum deceſſit. hæc Ioannes Brugnanus Ordinis Minorum in vita B. Lyduuinæ par.3.cap.11.apud Surium tom.2.die 14.Aprilis.

Exemplum. *Mortem Lyduuinæ virg Chriſtus cum Maria apparet, ac purgatorij pœnas commutauit.*

15 His omnibus ſubijciam memorabile exemplum de Innocentio III. in lib. 2. vitæ B. Lutgardis Virginis à Thoma Cantipratenſi litteris mandata apud Surium tomo 3. Dominus Innocentius Papa III. poſt celebratum Lateranenſe Concilium ab hac vita migrauit,moxq; apparuit viſibiliter Lutgardi. Illa autem vt vidit eum ingenti flamma cinctum,quiſnam ſit perconctatur. Reſpondit ſe eſſe Innocentium Papam. Et illa cum gemitu: Quid hoc eſt, inquit, communem omnium noſtrum patrem tam dire cruciari? Reſpondit ille tres ob cauſas ita crucior, quæ etiam æternis ſupplicijs me iuſtiſſimè addixiſſent,niſi per interceſſionem pijſſimæ Matris Dei,cui monaſterium condidi,in extremis me pœnituiſſet. & æternam quidem mortem euaſi, ſed pœnis atrociſſimis vſque ad iudicij diem cruciabor. Quòd autem ad te ſuffragia petiturus venire potui,mihi à ſuo fi-

Exemplum. *Innocẽtius III. Pontif. æternas inferorum pœnas per Deiparam euadit.*

lio Mater misericordiæ impetrauit. his dictis confestim disparuit. hactenus ibi.

B. Virgo in omnibus necessitatibus nos iuuat. Probatur ex figuris veterum insignium mulierum. Hieronymus.

Ceterum non tantùm in exitu vitæ Virginis opem experimur, sed in vniuersum in cunctis necessitatibus ipsa humano generi subuenire, ac dæmones longè arcère, eorumq; conatus comprimere dignatur. quod præter alia in Esther, Iudith, & Debbora clarissimis fœminis in lege veteri, quæ de hostibus gloriosè triumpharunt, &. vt verbis vtar Hieronymi in prologo in Sophoniam, aduersarios occiderunt, ac periturum Israel ex periculo liberarunt præfiguratum est. sed in Virgine sanctissima longè perfectius, quàm in illis est impletum, quod breuiter demonstrandum est.

DEIPARA IN FORTISSIMIS FOEMINIS Esther, Iudith, Debbora præfigurata.

Esther 2. B. Virgo est figurata in Esther.

16 HAnc igitur Virginem glorioſam adumbrauit Esther illa pulchra nimis, quam adamauit Assuerus plusquàm omnes mulieres, & posuit diadema Regni in capite eius, cuius intercessione apud Assuerum Mardochæus cum omni Iudæorum gente à certissima internecione seruatus est, Iudæorum inimicis interfectis, & Aman superbissimo, ac immanissimo hoste in ipsamet cruce Mardochæo parata, suffixo. vt propterea Esther 8. scriptum sit; *Iudæis autem noua lux oriri visa est, gaudium, honor, & tripudium*, quod de vniuerso hominum genere morti æternæ addicto, cui B. Virgo *pulcherrima mulierum* Cant. 5. subuenit, cuius speciem Rex concupiuit, quæq; mundo electa vt sol affulsit, meritò pronunciari potest, vt docet S. Bonauentura in speculo cap. 5. & hoc quidem elogium Ecclesia vsurpare solet, cum in festis B. Virginis canit: *Conceptio tua Dei genitrix gaudium annunciauit vniuerso mundo, ex te enim ortus est sol iustitiæ Christus Deus noster qui soluens maledictionem dedit benedictionem, & confundens mortem donauit nobis vitam sempiternam.*

Esther 8.

Cant. 5.

Offic. Eccles.

Figuratur in Iudith.

17 Huius Virginis typum gessit Iudith castissima, quæ sua sapientia, & fortitudine Holofernis ferocissimi hostis præciso capite populum suum ab imminenti vastitate liberat: quare in eam quadrat illud ab vniuerso populo ipsi Iudith acclamatum cap. 13. *Benedixit*, inquit, *te Dominus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros:* & illud cap. 14. vel ab ipsis hostibus expressum: *vna mulier hebræa fecit confusionem in domo Regis Nabuchodonosor;* & illud quod cap. 16. in cantico gratiarum actionis cecinit ipsa Iudith de extinctione Holofernis: *Dominus omnipotens nocuit eum, & tradidit eum in manus fœminæ, & confodit eum.*

Iudith 13.

Iudith 14.

Iudith 16.

B. Virgo figuratur in Debbora, in qua noua bella elegit Dominus. Iudic. 5.

Iudic. 5. B. Virgo pugnauit omnibus suis partibus, quæ tanquam stellæ in ordine suo dimicarunt.

Et quoniam per fœminam noua bellandi ratione beneplacitum est Deo de superbissimo hoste triumphare, iure optimo id quod de Debbora prophetide insigni fœmina, quæ Sisaram Ducem exercitus Regis Chanaam deuicit, dictum est Iudic. 5. illud ipsum de sanctissima Virgine, quam Debbora præfigurabat, quæq; dæmonem sæuissimum hostem debellauit, dicere possumus: *Noua* scilicet *bella elegit Dominus, & portas hostium ipsa subuertit:* & sicuti in victoria Debboræ legimus Iudic. 5. de cœlo dimicatum esse contra hostes, stellasq; manentes in ordine, & cursu suo contra Sisaram pugnasse: ita in conflictu, quo B. Virgo inferorum acies perterruit, profligauit, atque prostrauit, ipsa, quæ propter cœlestes suas prærogatiuas, cœlum, vt supra cap. 3. dixi, appellatur, contra eas dimicauit, omnesq; animæ eius vires, ac facultates virtutibus radiantes, omnes quoque corporis sensus veluti sydera fulgentissima in ordine suo, ne in minimo quidem à rectitudine deflectentes, pugnarunt, & præscriptum sibi à ratione ordinem ita seruarunt, vt propterea ipsa Virgo Cant. 6. *Terribilis vt Castrorum acies ordinata* dicatur. Quę dùm explicatis vexillis parata ad pugnam, milites habet benè disposítos, & suum ordinem seruantes: *Et ita constipata*, inquit Rupertus lib. 6. in Cant. *vt in nullo loco interrupta videatur: sicuti amicis decora, & amabilis, ita hostibus pauenda est, atque terribilis:* ideò à Petro Damiano sermone 2. de Natiuitate Deipara dicitur singularis timor malignorum spirituum, specialis amor ciuium beatorum: quare Cant. 6. *Pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut Ierusalem*, hoc est amicis; inimicis verò vt ibi subijcitur: *Terribilis vt castrorum acies ordinata*. hoc de ea prædicabat sponsus Cant. 7. *Quid videbis in Sulamite nisi choros Castrorum?* Ipsa enim vna propter fortitudinem suam instar erat copioſi

Cant. 6. Terribilis vt castrorum acies ordinata. Rupertus. Petr. Dam. Cant. 6. Cant. 7.

pioſi exercitus ex fortiſſimis militibus collecti. Qua de re pulchrè S.Bernardinus tom.3. ſermone 3.de glor.nom.Mariæ art.3.cap.4.vbi affirmat Virginem virtute ſua dæmones terrere. & Richardus à ſancto Victore ſuper Cant.cap.ſuo 26. *Virgo*,inquit,*tenebrarum principibus terribilis fuit,vt ad eam accedere,eamq; tentare non præſumpſerint,deterrebat enim eos flamma charitatis,incendebant orationes, & feruor deuotionis,ſtupebant immunem à peccatis.* hæc Richardus. & Rupertus in illud Cant.4. *Oculi tui columbarum*:inter alias columbæ proprietates,docet eam libenter iuxta fluenta reſidere, vt venientem accipitrem ex vmbra præcognitum,effugiat perniciter: *Ita nunquam*, inquit, *aduentus ſpiritualis accipitris (hoc eſt dæmonis) eſſe improuiſus, aut te ô Mater miſericordiæ conſequi,nec tibi appropinquare potuit.*ita Rupertus. Hic tamen animaduertendum eſt ex Suarez 3.par.tom.2.diſput.30 ſect. Virginem quamuis tentari potuerit exterius à dæmone; (nam etiã Chriſtus tentatus fuit) non tamen ab intrinſeco,quia carebat fomite,& omni potentiarum inordinatione; verùm tamen à flamma charitatis eius perterritos longè effugatos dæmones dicit Richardus. Quare S. Bernardinus Senenſis tom. 2. ſermone 51.art.3.cap.2. *Sicut magnus*,inquit,*ignis effugat muſcas,ſic à ſua ardentiſſima mente, & inflammatiſſima charitate dæmones effugabantur,& pellebantur in tantum,quod ſolum in modico non auſi erant reſpicere mentem eius, nec de magno ſpatio illi appropinquare: ſi enim hoc legimus de aliquibus ſanctis, ſaltem poſt aliquem de dæmonibus in tentationibus acquiſitum triumphum: quantò magis de Matre Domini noſtri credendum eſt, quæ ſemper contra omnes dæmones triumphauit.* hæc S. Bernardinus. Ideò Cant. 1. legimus: *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea:* & licet per equitatum Dei virga Moſis,qua diuiſum eſt mare rubrum, in quo demerſus eſt Pharao cum Aegyptijs, vt cap.20.dicebamus,rectè intelligi poſſit; in præſentia tamen Angelos exponere poſſumus: neque vnum alteri repugnat,nam pleraq; in exitu Iſrael de Aegypto,inuiſibiliter miniſterio etiam ſanctorum Angelorum ſunt patrata. pro cuius explicatione animaduertendum eſt,Angelos,qui ſunt militia cœleſtis exercitus, in hoc loco dici poſſe equitatum Dei,vt placet Gregorio Nyſſeno,& Gulielmo petyte in Cant.1.& confirmari poteſt ex Zach.1.& Apoc.19.vbi hæc legimus: *Exercitus,qui ſunt in cœlo,ſequebantur Verbum Dei in equis albis:* propter hos cœleſtes exercitus Deus optimus appellari ſolet Deus Sabaoth, ideſt exercituum. Horum equorum ſignificationem in Angelis eleganter explicat Dionyſius Areopagita cap.15.de cœleſ. hierarch. Beata igitur Virgo equitatui Dei in curribus Pharaonis aſſimilatur: ſicut enim in liberandis Iſraelitis ex ſeruitute Aegyptiaca equitatus Dei, fortitudo nimirum ſanctorum Angelorum,enituit in ſubuertendo Pharaone, & curribus eius in mari rubro: ita Deiparæ fortitudo in exitu ſeruorum Dei ex mundo ad terram promiſſionis præcipuè elucet in dæmone, eiusq; curribus, ſeù munitionibus euertendis; penitusq; demergendis in mari rubro paſſionis Chriſti,cuius virtute dæmones à ſanctiſſima Virgine omninò expugnantur. In S.Brigittę Reuelationibus in ſermone angelico cap.20. Angelus cum dixiſſet de promptitudine Angelorum in obſequium ſanctiſſimæ Virginis,ſubijcit hæc verba:Super omnes etiam malignos ſpiritus ipſam ſic Deus potentem effecit, quòd quotieſcumque ipſi aliquem hominem Virginis auxilium ex charitate implorantem impugnauerint; ad ipſius Virginis nutum illico pauidi procul diffugiunt, volentes potius pœnas ſuas, & miſerias ſibi multiplicari,quàm eiuſdem Virginis potentiam ſuper ſe taliter dominari. Eadem S.Brigitta lib.1.cap.9.& lib.6.cap.21.docet, ad nomen ſanctum Mariæ dæmones quaſi aues rapaces prædam,nimirum animam,ex vnguibus,quibus tenebant,eam quaſi territos relinquere, iterum verò aduolare,& reuerti ad eam, niſi aliqua emendatio ſubſequatur. Quod ipſum de Virginis nomine ſacratiſſimo eleganter teſtatur Germa.oratione in Zonam Deiparæ cum eam ſic affatur: *Tu nequiſſimi hoſtis contra ſeruos tuos inuaſiones,ſola tui nominis inuocatione ſanctiſſima repellens,tutos,atque incolumes ſeruas.*

S.Bernardinus.

Richardus. Virgo terribilis dæmonibus.

Rupertus. Cant. 4.

Suarez.

S.Bernardinus.

Cant 1.

Cur B. Virgo aſſimiletur equitatui Dei, ideſt Angelis.

Nyſſenus. Gulielmus. Zach.1. Apoc. 19.

Dionyſ. Areop.

Exod. 14.

S. Brigitta.

Poteſtas B. Virginis ſupra dæmones.

S. Brigitta. Ad nomen Mariæ fugiunt dæmones.

DEIPARA PER AVRORAM SIGNIFICATVR.

18 ANè in Deiparam,quam per columnam ignis,& nubis, quæ populo Dei in deſerto præibat ſignificatam,cap.3,diximus,rectè congruit illud Exod. 14. *Iamq; aduenerat* *Exod. 14.*

rat vigilia matutina, quando ſcilicet Aurora ſolis nuncia conſurgit, *Et ecce reſpiciens Dominus ſuper caſtra Aegyptiorum per columnam ignis, & nubis interfecit exercitum eorum, & ſubuertit rotas curruum, ferebanturq; in profundum.* Etenim precibus Deiparæ per ipſam nos reſpiciens Deus, dæmonis vires omninò contriuit, & quotidie conterit: ideò hoc etiam eueniſſe narratur in vigilia matutina,tempore ſcilicet myſticæ auroræ,hoc eſt Virginis,vt mox dicemus. Idcircò ex Bonauentura in ſpeculo *B.* Virginis cap. 9. Dæmonibus illud Iob 24.quod de adulteris nocturnis dicitur, applicari poteſt: *Si ſubito*,inquit,*apparuerit Aurora arbitrantur vmbra mortis*, timent enim deprehendi, atq; puniri,ideoq;fuga ſibi conſulunt,ac ſi Aurora eſſet vmbra mortis.Similes noctuis,& auibus nocturnis,quæ tenebris delectantur,& earum pleraq; inter eos immundæ Leuit. 11. enarrantur : ita princeps tenebrarum cum ſuis ſatellitibus,cum ſint latrones nocturni, & ſpiritus immundi,hanc Virginem,quę Cant. 6.eſt *ſicut Aurora cõſurgens*,quando per peculiarem deuotionem in alicuius anima veluti exoritur,timent illam,& aufugiunt.Virginem autem in Aurora ſignificari docet Auctor inter opera Bernardi ſermone 4. ſuper Salue Regina loquens cum eadem : *De te*, inquit, *ſecretorum cœleſtium conſcius. Salomon dicit: Quæ eſt iſta,quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens,&c. Aurora ſemper noctem ſequitur,Nox præcedit Auroram. Quid autem eſt nox frigida,& obſcura, niſi originale peccatum, frigidum concupiſcentia,obſcurum ignorantia? Tu ergo proceſſiſti,vt Aurora lucida, & rubicunda, quia ſuper originali peccato in vtero matris nata es lucida cognitione veritatis,& rubicunda amore virtutis.* ſic ille. Rupertus Tuitienſis Deiparam in commentarijs ſuper Cantica ſic affatur: *Quando*,inquit,*nata es ò Virgo beata, tunc vera nobis Aurora ſurrexit. Aurora prænuncia diei ſempiterni, quia ſicut Aurora quotidiana finis præteritæ noctis,& initium diei ſequentis:ſic natiuitas tua ex ſemine Abrahæ clara ex ſtirpe Dauid finis dolorum,& conſolationis fuit initium, finis triſtitiæ, & lætitiæ nobis extitit principium.* hæc Rupertus. Virginem etiam in Aurora ſignificari tradit Petrus Damianus ſermone de Aſſumptione,eiq; applicat illud pſalm. 73. *Tu fabricatus es Auroram,ideſt Virginem, & Solem nimirum iuſtitiæ, ideſt Chriſtum, qui de Spiritu ſancto eſt conceptus.*

Bonauentura.

Iob 24.

B. Virgo eſt Aurora quam dæmones aues nocturnæ fugiunt.

Cant. 6.

Bernardus.

Rupertus Tuitienſis.

Cant. 6.

Petr. Dam. Pſal. 73.

Meritò autem Deipara dicitur eſſe *ſicut Aurora conſurgens* Cant. 6. Aurora enim terminus eſt noctis, & diei principium, ſolemq; adeſſe teſtatur, nocturnas aues effugat, diurnas verò ad concinendum inuitat, iugiter etiam in ſplendorem maiorem proficit, eoq; tempore decidit ros album,quo ab æſtu refrigerantur ſata, & fœcundatur terra : ita Virgo Deipara mundo ignorantiæ,& peccatorum tenebris circumfuſo illuxit, veluti æternæ caliginis exterminium: ſolis iuſtitiæ non tantum prænuncia,& geſtatrix, ſed etiã Genitrix dæmones veluti tenebrarum aues immundas,vt ſupra dixi,longè expellit: Dei ſeruos,& ipſos Angelos tanquam aues diei ſublime volantes,ad Dei laudes excitat, atque inuitat, multo melius quàm olim tres illi pueri è Babylonicæ fornacis incendio liberi,creaturas omnes ad Deo benedicendum inuitabant:cum longè maiora Dei in humanum genus beneficia per Deiparam innotuerint,& obuenerint.Eſt item ſicut Aurora iugiter conſurgens cum in ſuis omnibus actibus dùm viueret, maioribus meritorum incrementis ſemper excreuerit,& nunc eius apud homines cognitio, & in eam pietas in dies magis, magisq; perpetuò propagetur ; eiusq; precibus diuina gratia in hominum animas deſcendat veluti ros album,quo ab æſtu tentationum,& concupiſcentiæ refrigerantur, & ad bona opera germinanda fœcundantur: ideò Deipara ipſa à Germano Patriarcha orat.de oblat.Virg.vocatur ardoris,qui eſt in nobis Ros diuinus, exiccati noſtri cordis diuinitus irrorans aſperſio . Poſſumus etiam roris nomine filium Dei intelligere, cuius in vterum Virginis deſcẽſus per Ros in vellus Gedeonis Iudic.6. propter ſeruatam in Incarnatione matris virginitatem ſignificatur,cuius aduenrum Patres antiqui illis verbis precabantur Iſa.45. *Rorate cœli deſuper:* & quemadmodum ex vellere Gedeonis expreſſo,concha rore impleta eſt: ita ex Deipara ſanctiſſima tanquam ex Aurora pulcherrima,& puriſſima Ros cœleſtis Chriſtus Dominus,omnem hominem venientem in hunc mundum illuminans,atque ad bona opera fœcundans prodijt ; qua metaphora vſus eſt Dauid pſal.109. vbi enim legimus in vulgata: *Ex vtero ante luciferum genui te* ; ex hebræo poſſumus,teſte Ianſenio in hunc pſalmum,vertere: *Ex vtero Auroræ ros natiuitatis*

Cant. 6.

Germanus Patriarcha.

Iudic. 6.

Iſa. 45.

Pſal. 109.

tis tuæ, vt indicetur Christus ex purissimis sanguinibus in vtero virginali conceptus, & ex ea genitus sicuti ros, quem Aurora demittit, mundo gratissimus aduenisse. vide Lyranum, Iansenium, & Titelmanum in Annotatione in hunc psalmum; vbi varias lectiones, & explicationes afferunt, atque hæc de Deipara significata per Auroram, quam Iob 24. Dæmones nocturni latrones timenti dicta sint.

19 Verùm ad inuocationis Deiparæ vim, & efficaciam quam contra dæmones habet intelligendam, præclarum est illud, quod habet S. Bernardus apud S. Bonauenturam in speculo B. Virg. cap. 3. de hoc agens: *Non sic*, inquit, *timent hostes visibiles quasi castrorum aciem copiosam, sicut aereæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium, & exemplum: fluunt, & pereunt sicut cera à facie ignis vbicumque inueniunt crebram huius nominis recordationem, deuotam inuocationem, solicitam imitationem*: sic Bernardus. & de ea quidem dicere possumus illud Eccles. 43. *In sermone eius siluit ventus, & in cogitatione sua placauit abyssum*: hoc est ipsa orante cessat ventus diabolicæ tentationis. & quando de ea deuotè cogitamus, placat abyssum cordis humani, quod est profundum, instar abyssi, ac tenebrosum, cuius rei exemplum sit sanctissima illa martyr, & virgo Iustina, quæ, vt refert Nazianzenus hom. de sanctis Cypriano, & Iustina, libidinis facibus exagitata à dæmone (quem magicis artibus Cyprianus ad oppugnandum Virginis, quam iuuenis quidam vehementer deperibat, propositum miserat) ad Deum recurrit, simulq; Virginem Mariam supplex obsecrauit, vt sibi Virgini periclitanti auxilium ferret: interim corpus ieiunio, & humi cubatione, quæ sunt castitatis arma exercens; tandem ex dæmone victrix Deiparæ patrocinio euasit, ipsumq; Cyprianum ad fidem hac occasione conuersum nobilis martyrij inclytum collegam habuit, quorum festum Ecclesia anniuersario ritu die 26. Septembris celebrat. Video in hoc Nazianzenum confundere Cyprianum Episcopum Carthaginensem, cui hæc contigisse existimat, cum Cypriano Antiocheno, cui verè hæc tribuitur historia, quod facilè ex nominis similitudine euenire potuit: nobis satis sit Iustinam, teste Nazianzeno in suis tentationibus Deiparæ à se inuocatæ, præsentissimam opem contra dæmonem esse expertam. Porrò dæmones à Virginis potentia sibi metuêtes pro sua virili per se, & per Hæreticos Vigilantium Lutherum, aliosq; eiusdem pestis contagio infectos, Homines à Virginis inuocatione auertere conantur, per quam tanquam per Aquæductum diuina misericordia ad nos deriuatur; in hoc imitantes Holofernem, qui in obsiditione Bethuliæ aquæductum incidi præcepit, vt obsessi ciues necessario aquæ vsu destituti ad deditionem compellerentur, & ita in eius potestatem venirent. Qua in re lupos quoque imitantur, qui ouis, quam inuadunt, illico fauces stringunt, ne balatu suo canes, & pastores ad sui liberationem accersat: ita & ipsi omni studio nituntur Virginis inuocationem impedire, ne precibus pulsata, opem ferat, & ipsi prædam amittant. Cuius rei exemplum habemus in Theophilo, cui dæmon, vt cap. 20. dixi, persuasit, vt Christum eiusq; Matrem abnegaret, sed Virginis eiusdem ope resipuit.

S. Bernardus. S. Bonauentura.

Tentationes mitigantur inuocata Virgine. Eccles. 43.

Exemplum. Exemplum S. Iustinæ, & S. Cypriani. Nazianzenus.

Nazianzenus. An iste S. Cyprianus fuerit Cartaginensis, vel Antiochenus.

Dæmones à Virgine colenda, & inuocanda homines auertere conantur. Iudith 7.

Dæmones lupos imitantur.

Aliud verò exemplum illustre in Prato Spirituali Sophronij cap. 45. legimus, quod in septima Synodo, quæ est Nicena 2. Act. 4. eiusdem Synodi iussu est recitatum, quod nos cap. 29. referemus, vbi dæmon ab impugnatione senis cuiusdam se cessaturum promittebat, si ab adoratione imaginis Dei genitricis Christum gestantis abstineret.

Exemplum in Prato Spirituali.

20 Id ipsum apertè colligitur in milite quodam apud Cæsarium lib. 2. Exemplorum cap. 12. qui cum multas diuitias à patre sibi relictas venditas prodegisset, ob idque tristis solum vertere cogitaret, ne apud notos mendicare cogeretur, à nefario quodam suo villico dæmonum consuetudini assueto, nocte per quoddam nemus ad locum palustrem ad dæmonem adductus, qui maiores ei diuitias, atque honores est pollicitus, modò Christo abrenunciaret: quod importunis villici suasionibus, inuirus tamen effecit, & Christum (vt Cæsarij verbis vtar) ore negauit, & manu exfestucauit, atque diabolo fecit homagium. Tunc adiecit diabolus, adhuc opus imperfectum est, etiam abrenunciare debet Matri Altissimi; illa est enim, quæ maximum nobis infert damnum: quos filius per iustitiam abijcit, Mater, quia nimis misericors est, ad indulgentiam reducit. quod cum miles se facturum constanter abnueret, re infecta, ingenti tamen scelere obstrictus, redijt. Verùm dum reuerticur ad Ecclesiam in via diuertit coram altari ad Imaginem Deiparæ filium in sinu gestantis prostratus, ex intimoq; corde magno fletu, & clamoribus

Cæsarius. Miles qui Christum abnegaret, per Mariam reconciliatur.

bus matrem miſericordiæ implorabat, quo ſibi admiſſi ſceleris veniam à filio impetraret. mira res, ipſo audiente, Deipara filio hæc dicebat: O dulciſſime fili miſerere huic homini. puer verò vt delicti grauitatem militi oſtenderet, ſe aliquantulum durum exhibuit; nam faciem à Matre auertens, nihil ei dicebat: cumq; iterum rogaret hominem ſeductum aſſerens, Matri dorſum vertit dicens: Homo iſte me negauit, quid ti faciam? Tùm Imago ſurrexit, puerum ſuper altare poſuit, eiusq; pedibus proſtrata: Rogo, inquit, fili, vt propter me dimittas ei hoc peccatum. Mox infans matrem eleuans, ait, Mater nunquam tibi aliquid negare potui, ecce propter te totum dimitto: hæc omnia cum non ipſe ſolus, ſed & alius miles, qui prædia, ac bona illius emerat, quæ iſte vendebat, caſu eandem Eccleſiam ingreſſus vidiſſet, & audiſſet, vnicam filiam ei in matrimonium collocauit, ac dotis nomine bona ab eo vendita tradidit, pollicitus ſe eum hæredem reliquorum bonorum poſt mortem facturum, cui iſte lęto animo annuit, ſicq; per Deiparam & peccati veniam, & bonorum temporalium affluentiam eſt conſecutus. Addit Cæſarius rem fuiſſe adeò conteſtatam, vt vterque miles cum hæc ſcriberet, adhuc, vt putabat, viueret. Eandem hiſtoriam narrat Vincentius Beluacenſis lib. 7. ſpecul. hiſtor. cap. 105. & 106. aſſeritq; euenisse in Caſtello quodam Aquitaniæ in ipſa nocte Aſſumptionis Deiparæ, in qua ille reſipuit, & per Deiparam ſui ſceleris veniam eſt conſecutus.

Beluacenſis.

PASSIONIS DOMINICAE TEMPORE

Virgo Deipara filio ad Aquilonarem partem aſtitit, vt impetus dæmonis per Aquilonem ſignificati, per eam comprimi intelligantur. Cap. XXV.

B. Virgo iuxta Chriſtum ad Aquilonem ſtabat non ſine myſterio.

DENIQVE vt intelligamus quantum præſidij Deus optimus contra dæmonis aſtutiam, atque ſæuitiam, *qui tanquam Leo rugiens circuit quærens quem deuoret*, nobis in ſanctiſſima Virgine contulerit, illud etiam animaduertendum eſt, non vacare myſterio beatiſſimam Virginem cum ad crucis dexteram filio adeſſet morienti, Aquilonarem partem tenuiſſe, vt ex hoc ſignificetur, quod animaduertit S. Bernardinus Senenſis tom. 3. ſerm. 2. de nomine Mariæ art. 3. cap. 2. *Quæ ab Aquilone*, vt dicemus, *nobis impendent mala, per eam vniuerſa propulſari.* Quod vt melius intelligatur, ſciendum eſt, ex Damaſceno lib. 4. de fide orthodoxa cap. 13. Sedulio lib. 4. carminum. Beda in Luc. 23. & alijs. Chriſtum Dominum in cruce facie ad occidentem ſpectaſſe in Caluariæ Monte; idq; Iudæorum ſtudio ita factum, vt dorſum contra Ieroſolymam haberet, quæ Caluariæ ad Orientem erat, ne videlicet eius aſpectu, qui ab ipſis per ſummum ſcelus cum iniquis reputatus erat, vrbs illa, vt impie ipſi exiſtimabant, pollueretur. atque ita illum hac conſolatione, quam ex conſpectu templi, & vrbis capere potuiſſet, indignum exiſtimarunt, quod in pœnam ipſorum met Iudæorum futurum Ieremias cap. 18. prædixiſſe videtur ex perſona Domini: *Dorſum*, inquit, *& non faciem oſtendam eis in die perditionis eorum.* peccatum enim, quo Chriſtum occiderunt eo die commiſſum. cauſa fuit perditionis, & malorum omnium, quæ in hunc vſque diem Iudæis iuſto Dei iudicio per omnem terræ orbem latè diſſipatis euenerunt. Nec ſine myſterio Chriſtus in cruce Occidẽtem reſpiciebat, quia ſcilicet aduerſus Mortem, quæ per occaſum ſignificatur, pugnabat: hoc etiam ſitu ad gentes in occidentali plaga poſitas, quarum princeps erat Roma, perpetua Vicarij ſui ſedes futura, oculo ſuæ miſericordiæ intendebat, iuxta illud pſal. 65. *Oculi eius ſuper gentes reſpiciunt*. Hinc factum eſt ex Baſilio lib. de Spiritu ſancto cap. 27. Athanaſio quæſt. ad Antiochum 16. Damaſceno loco citato, Tertulliano in Apolog. cap. 16. Iuſtino lib. quæſtionum quæſt. 118. Origene hom. 5. in Numer. vt ſolemne fuerit chriſtianis ad Orientem in fundendis precibus ſpectare, vt ad Chriſtum in cruce pendentem, & in cœlum aſcendentem; atque ita ad iudicandum inde venturum conuerſi orarent: nam & cum in cœlum ferebatur ex monte Oliueti, qui ad Orientalem Ieroſolymæ plagam eſt ſitus, aſcendit, iuxta

S. Bernardin.

Damaſcenus.

Sedulus. Beda. Chriſtus in cruce occidentem ſpectabat, & quare. Iſa 53.

Ierem. 18.

Pſal 65.

Baſilius. Athanaſius. Damaſcenus. Tertullian. Iuſtinus. Origenes. Chriſtiani cur ad Orientem cõuerſi orabant.

illud

illud psal. 67. *Ascendit super Cœlum cœli ad Orientem*: quamuis inde etiam dùm ascenderet ad Occidentem respiciebat, quod ex vestigijs suis ibi relictis, & ex illis verbis psalmi colligitur: *Iter facite ei, qui ascendit super occasum*: atque à duobus illis Angelis sic venturus prædicitur: *Quemadmodum viderunt eum Apostoli euntem in Cœlum*: quem orandi modum ex institutione apostolica profectum esse docent Damascenus loco citato, & Basilius de Spiritu sancto cap. 27. Iudæi enim antiquitus ex Hieronymo in Ezech. 8. è conuerso ad Occidentem iuxta situm templi orabant; ideò enim tanquam rem detestandam Ezechieli loco citato ostensi sunt illi, qui dorsa templo vertentes ad ortum solis adorabant. Cùm igitur Christus in cruce (vt dixi) Occidentem respexerit, consequens est Aquilonarem plagam illi dexteram fuisse, quemadmodum situm orbis consideranti facilè patet. quod & Sedulius lib. 4. carminum agens de Christo in cruce suffixo sic cecinit.

Psal. 67.
Act. 1.
Damascenus. Basilius. Hieronymus. Iudæi ad Occidentem orabãt.
Sedulius.

„ *Quattuor inde plagas quadrati colligit orbis,*
„ *Splendidus auctoris de vertice fulgor Eous*
„ *Occiduo sacræ lambuntur vertice plantæ*
„ *Arcton dextra tenet, medium læua erigit axem*.

2 Ex his consequitur etiam Virginem matrem, quæ à dextris, vt credere par est, illi astabat inter Christum, & bonum latronem à dextris cruci suffixum constitisse, & Aquilonem non absque mysterio tenuisse tanquam firmissimum aduersus Aquilonares impressiones propugnaculum: Aquilo enim in sacris litteris crebrò in malam partem sumi solet, quippe per eum inter alia dæmon intelligitur, propter eam, quam insolentius se se per superbiam efferendo appetijt in Aquilone altitudinem; & quia eius suggestione veluti flatu frigidissimo homines à bonis operibus torpent: legitur enim apud Isaiam cap. 14. dixisse: *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis*. & Ierem. 1. Ollam succensam vidit Propheta à facie Aquilonis, audiuitq; à Domino: *Ab Aquilone pandetur malũ super omnes habitatores terræ*. & ideò Gregorius super Cant. 4. in illa verba: *Surge Aquilo, Quid*, inquit, *per Aquilonem, qui in frigore constringit, & torpentes facit, nisi immundus spiritus designatur; qui superbos omnes dum possidet, à bono opere torpere facit*. Idem etiam lib. 17. moral. cap. 11. in illa verba: *Qui extendit Aquilonem super vacuum*, docet Aquilonis nomine diabolum significari, qui dixit: *Sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis*. *Qui*, inquit Gregorius, *super vacuum extenditur, quia illa corda possidet, quæ diuini amoris gratia non replentur*. & lib. 18. moral. cap. 11. *Olla*, inquit, *succensa, quam scilicet vidit Ieremias à facie Aquilonis, est cor humanum secularium curarum ardoribus, desideriorumq; anxietatibus feruens, quæ à facie Aquilonis, ideſt dæmonis suggestionibus inflammantur*. ita Gregorius. Ad ea igitur auertenda, quæ ab huiusmodi Aquilone nobis imminent mala, singulari Dei beneficio Virgo sanctissima humano generi in præsidium tributa est. & ideò ad hoc significandum versus eam partem; vnde mala ingruunt, Aquilonarem scilicet, ad dæmonum furorem reprimendum, dùm staret iuxta crucem Iesu, constitisse ostendimus; quasi ciuitas refugij munitissima, ad quam peccatores à facie Aquilonis fugientes tuto se recipere possint. id quòd eleganter cecinit Regius Propheta psal. 47. sub typo Ierusalem: *Fundatur*, inquit, *exultatione vniuersæ terræ mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas Regis magni*: quasi dicat; mons Sion, qui est ad meridiem Ierosolymæ iunctus cum lateribus Aquilonis, quę sunt reliqua vrbis pars, efficiunt ciuitatem istam Regis magni. quod licet de Ecclesia ex Iudæis per montem Sion, & Gentilibus per latera Aquilonis significatis conflata intelligatur; de beata tamen Virgine explicari potest, vt cap. 4. 5. & 14. dixi, quæ suis precibus, & iustos in feruore charitatis permanentes, & peccatores à frigore Aquilonis ad se confugientes complectitur, atque fouet. & Cant. 4. collum Deiparæ dicitur esse *sicut turris Dauid*. *Collum verò*, ex Hailgrino est, *eminentia sublimitatis eius, & est sicut turris Dauid, hoc est à Christo vero Dauid fabricata, vt peccatoribus esset refugium, & munimen. Propugnacula huius turris sunt virtutes, gratiæ, & prærogatiuæ, quibus peccatores protegit, & inimicum expugnat*. hæc ille. His etiam accommodari rectè potest illud Eccles. 43. *Frigidus ventus Aquilo flauit, & gelauit crystallus ab aqua, super omnem congregationem aquarum requieſcet, & sicut lorica induet se*

B Virgo à dextris filij stabat.
Aquilo dæmonem significat.
Isa. 14.
Ioan. 1.
Greg in Cant. 4
Iob 26.
Isa. 1.
B. Virgo mala, quæ ab Aquilone impendent auertit.
Ioan. 19.
Ioan. 21.
Psal. 47.
Quid sibi velit mons Sion latera Aquilonis.
Cant. 4.
Hailgrinus.
Eccl. 43.
B. Virgo per nebulam significa

tur, quæ ſolui glaciem.

ſe aquis, & deuorabit mõtes, & exuret deſertum, & extinguet viride ſicut igne. Medicina omnium in feſtinatione nebulæ. hæc ibi. Quibus verbis oſtendit ad obdurationem, & arefactionem omnis viriditatis, reliquaq; incommoda, quæ à dæmonis ſuggeſtione per

S. Bernard. Aquilonem hoc loco ſignificatum, vt ait S. Bernardinus tom. 3. ſerm. 1. de nom. glorioſę Virginis art. 1. cap. 3. in anima proueniunt, preſentiſſimum remedium eſſe Nebulam, quæ

Eccl. 24. ex S. Bernardino loco citato, & ex Hugone in Eccl. 24. in illis verbis: *Et ſicut nebula texi omnem terram*, beatiſſimam Virginem ſignificat, quæ cum feſtinatione ſtatim omnibus malis remedium affert; ſicut enim nebula flante Auſtro adueniens ſoluit glaciem, terramq; humectat; ita Virginis interceſſione per Spiritus ſancti gratiam ſoluitur gelu cor-

S. Bernard. dis, & virentes virtutum actus producuntur. Quare S. Bernardinus tom. 3. ſerm. 11. art. 1.

Eccl. 43. cap. 3. verba illa Eccl. 43. *Medicina omnium in feſtinatione nebulæ*, beatiſſimæ Virgini accommodat: ait enim medicinam omnium hominum eſſe in feſtina aſſumptione Virginis benedictæ: *Quia omnes*, inquit, *qui volunt, participes fiunt gratiæ ſuæ*: & citat Bernardum dicentem Deiparam copioſiſſima charitate ſua omnibus ſapientibus, & inſipiẽtibus feciſſe ſe debitricem, & miſericordiæ ſinum aperire, ac de plenitudine eius accipere vniuerſos. hæc ex S. Bernardino.

Chriſti à cruce pendentis vmbra verſus Virginem à dextris ſtantem porrigebatur. Cant. 2. 3 Neque illud prætereundum ex ſitu Chriſti in cruce ſuffixi, & ad Occidentem ſpectantis hoc etiam inferri, nimirum eo die circa meridiem, prius quam ſol præter naturæ ordinem obſcuraretur, Chriſti vmbram ab Auſtro ad Aquilonem, nimirum à ſiniſtra ad dexteram, vbi Virgo manebat porrectam fuiſſe, atque ita ad litteram à Virgine illud Cant. 2. dici potuiſſe, *ſub vmbra illius, quem deſideraueram ſedi:* verba etiam, quæ ſequuntur, nimirum *& fructus eius dulcis gutturi meo, introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem, fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo*, his quæ tractamus rectè congruere: prædictis ſiquidem verbis Virgo ſanctiſſima non ſolum agnoſcit omnia bona ſibi diuinitus collata, fructum eſſe dulciſſimum paſſionis filij ſui ab æterno præuiſæ; verùm etiam declarat in hac filij paſſione conformitatem ſuæ voluntatis cùm diuino beneplacito in ſuperiori animæ parte, quam rationalem appellant fuiſſe ita perfectam, vt propterea hanc filij paſſionem tanquam fructum dulcem gutturi ſuo pronunciare non dubitet: & vt ſimul oſtendat doloris acerbitatem ex compaſſione filij, ſubiungit, ſe amore languere; & addit illa alia, quæ magnitudinem amoris in Virgine erga filium indicant: etenim doloris illius magnitudo, magnitudini amoris, quo filium proſequebatur, reſpondebat, vt cap. 10. diximus.

B. Virgo boni latronis conuerſionem precibus iuuiſſe piè credi poteſt. Act. 5. 4 Ex eadem Chriſti vmbra dextrorſum protenſa conuerſionem latronis à dextris pendentis tam inſignem, tam celerem profectam fuiſſe, piè contemplari poſſumus; ſi enim vmbra S. Petri Apoſtolorum Principis Act. 5. corpore ægrotos priſtinæ reſtituebat valetudini, quantò efficaciorem exiſtimabimus Chriſti Domini vmbram ad latronem eiuſdem ſupplicij conſortem ab animi ægritudine, & peccatorum ſordibus liberandum. cui etiam præſto erat Mater ſanctiſſima inter filium, & latronem media; vt mirandum non ſit eum tantę Mediatricis precibus adiutum reſipuiſſe, & ita perfectè ad Chriſtum conuerſum. Scio Alexandrum Alenſem apud S. Bernardinum loco citato in ea eſſe ſententia, vt dicat B. Virginem fuiſſe quidem ad Aquilonarem partem crucis propter myſterium, vt ſcilicet oraret pro peccatoribus; quia tamen putat Chriſtum faciem ad Orientem habuiſſe, conſequenter dicit Virginem ad ſiniſtram fuiſſe, & non ad dexteram, & affert illud pſal. 141. *Conſiderabam ad dexteram, & videbam, & non erat qui cognoſceret me.* Nihilominus cum ex ijs, quæ ſupra diſſeruimus, tum auctoritate, tum etiam ratione exploratum habeatur Chriſtum in cruce ad occidentem ſpectaſſe; Virginem etiam ex ipſo Alenſi ad Aquilonem ſtetiſſe; ſequitur etiam dexteram filij tenuiſſe. quod non tantum ex receptis in Eccleſia Chriſti à cruce pendentis imaginibus, in quibus ad dexteram depingi ſolet; ſed etiam myſterio videtur magis congruere: Chriſtus enim in cruce quoddam futuri iudicij ſpecimen exhibuit inter duos latrones ex S. Leone ſermone 4. de Paſſione Domini: *Vt etiam*, inquit Leo, *in ipſa patibuli ſpecie monſtraretur illa, quæ in iudicio ipſius, omnium hominum eſt facienda diſcretio, cum & ſaluandorum figuram fides credentis latronis exprimeret, & damnandorum formam blaſphemantis impietas præ-notaret.* hæc Leo. Ideò ex diuina etiam diſpoſitione factum putamus, vt Virgo tanquam

Alex. Alenſ. Sententia Alenſis dicentis Virginem à ſiniſtris fuiſſe, reiicitur. Pſal. 141.

B. Virgo ſtabat à dextris.

S. Leo.

omnium

omnium Regina digniori etiam loco, ad dexteram ſcilicet proxima aſtaret.

5 Denique verba illa ex pſal. 141. *Conſiderabam ad dexteram, & videbam, & non erat qui cognoſceret me*, ſignificant Chriſtum inſpexiſſe num quiſquam ad opem ferendam præſto eſſet, hoc enim ſibi vult eſſe ad dextris, vt patet ex pſal. 15. *Quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear.* & pſal. 108. *Qui aſtitit à dextris pauperis, vt ſaluum faceret à perſequentibus animam meam.* & pſal. 109. *Dominus à dextris tuis confregit in die iræ ſuæ reges.* Quòd ſi in ſenſu Alenſis ſumenda forent, certè magis ſententiam noſtram confirmant; quippè ad commiſerationem excitandam videntur prolata: Etenim ſi à ſiniſtris fuiſſet agnitus, parum eſſet quòd à dextris non cognoſceretur. Sed illud fuit magna commiſeratione dignum, quod etiã ij, qui erant à dextris, inter quos erat Mater ſanctiſſima, à qua optimè poterat cognoſci, & tamen non cognoſcebatur, ideſt vix agnoſci poterat; quoniam *cùm ſpecioſus forma eſſet præ filijs hominum*; tamen propter ſputa, colaphos, flagella, ſpineã coronam: *Quæ* (vt verbis vtar Tertulliani de corona militis.) *Tẽpora Domini fedauit, & lancinauit*, propter clauorum figuras, corporis diſtenſionem, ita vt dinumerari poſſent omnia oſſa ipſius, propter ſanguinem deniq; toto corpore verberibus dilacerato, vbertim manantem, ita erat malè acceptus, vt iuxta Iſaiam cap. 53. *Non eſſet ſpecies ei, neque decor; & quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus: Vnde*, inquit Iſaias, *nec reputauimus eum.* & infra: *Et nos putauimus eum quaſi leproſum*, quæ oculis conſpecta matris quantum eidem dolorem attulerint, non facilè explicari poteſt. Hunc quoque Virginis myſticum ad Aquilonarem plagam ſitum oſtendit nomen ipſum Mariæ, quod ſtellam maris ſonat, quæ Polaris à poli arctici maxima propinquitate nuncupatur. quo titulo ab Eccleſia in celebri illo hymo: *Aue maris ſtella* ſalutari conſueuit. Hęc enim maris ſtella ad Aquilonem ſita in huius mundi amaro, ac procelloſo mari nauigantes, ad portum dirigit. vnde Bernardus ſerm. 2 ſuper miſſus eſt: *Si inſurgant*, inquit, *venti tẽtationum; ſi incurras ſcopulos tribulationum, reſpice ſtellam, voca Mariam.* & infra: *In periculis, in angu ſtijs, in rebus dubijs Mariam cogita, Mariam inuoca: non recedat ab ore, non recedat à corde.* ita Bernardus. Sanctus quoque Bernardinus Senenſis tom. 3. ſerm. 1. de glor. nom. Mariæ art. 3. cap. 2. pulchrè hac de re ſic ait: *Nec inconuenienter ſitus ſtellæ maris cum ſit in Aquilone conuenit Mariæ, quoniam per Aquilonem perſecutio, vel tribulatio deſignari ſolet propter ventorum, & procellarum vehementiam: ideò locus Mariæ in Aquilone eſt, vt per eam auſteritas perſecutionis inflictæ humaninus temperetur, & mitigetur. Solet etiam per Aquilonem peccatum ſignificari, vnde Ierem. 1. Ab Aquilone pandetur omne malum: ideò conſequenter locus Aquilonaris ei appropriatur.* Quod confirmat auctoritate Alexandri Alenſis, *eo quod ipſa media inter peccatores, & filium ſtatuatur, vt ex vna parte iram eius mitiget, ex alia peccatum exterminet.* hactenus S. Bernardinus.

Pſal. 141. *Eſſe à dextris ſignificat præſto eſſe ad opitulandum.*
Pſal. 15.
Pſal. 108.
Pſal. 109.
Pſal. 44. *Chriſtus propter plagas vix. agnoſcebatur in cruce.*
Tertullianus.
Iſa. 53.
Situs Virginis ad Aquilonem ex nominis etymologia confirmatur.
Maria eſt ſtella maris.
Bernardus.
S. Bernardinus.
Ierem. 1.
Alex. Alenſ.

Ex his omnibus infero ſanctiſſimam Virginem contra aereas poteſtates tonitrua iaculari, quibus eorum intentæ ad nocendum artes penitus diſſipentur, quod vt in nobis experiri mereamur, eandem Virginem per viſcera miſericordiæ ſuæ ſuppliciter, enixeq; rogamus.

SEPTEM ANGELORVM PRINCIPES Throno Dei, ſub typo ſeptem lampadum ardentium aſtantes, reliquosq. Angelos Virginem Deiparam venerari, & omnibus obſequijs proſequi. Cap. XXVI.

I Septimum, quod circa Dei thronum à S. Ioanne cap. 4. Apoc. commemoratur, eſt illud de ſeptem Angelorum principibus ante thronum Dei, & de reliqua Angelorum multitudine in circuitu throni: *Et ſeptem*, inquit, *lãpades ardentes ante THRONVM, qui ſunt ſeptẽ ſpiritus Dei*; & de iiſdem c. 1. dixerat: *Et à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni eius ſunt.* & c. 5. *Et vidi, & audiui vocẽ Angelorum multorũ in circuitu THRONI, & animalium, & ſeniorum, & erat numerus eorum millia millium dicẽtium voce magna,*

Septem principes Angelorum cum reliquis Angelis Virginem obſequuntur.
Apoc. 4.

dignus eſt Agnus,&c.& c.7. *Et omnes Angeli ſtabant in circuitu THRONI,& ſeniorũ,& quatuor animalium,& ceciderunt in conſpectu throni in facies ſuas, & adorauerũt Deum dicentes Amen:* quibus verbis quamuis ſeptem principum Angelorum,& aliorum beatorum ſpirituum erga Deum ſedentem in throno reuerentia,obſequium, & ad ipſius iuſſa peragenda promptitudo indicetur; ſuo tamen modo poſt Deum erga ipſam etiam Deiparam per thronum illum ſignificatam, tanquam Domini ſui matrem, & verè Angelorum Reginam effectam,hæc præſtant,eamq; omni honore, omnibusq; obſequijs proſequuntur,atque reuerentur,quod in præſentiarum demonſtrandum erit.

Septem ſpiritus Dei per ſeptem lampadas ſignificati ſunt ſeptẽ principes Angelorum.
Apoc. 1.
Tob. 12.

Et verò hi ſeptem ſpiritus Dei ſub ſymbolo ſeptem lampadum ardentium ante thronum, ſunt ſpiritus illi ſeptem definito numero omnium Angelorum principes præclariſſimi.qui Apoc.1.in conſpectu throni Dei eſſe dicuntur,à quibus S.Ioannes ibidem gratiam,pacemq; ſeptem Eccleſijs in Aſia ad quas ſcribebat precatur: & illi ipſi ſunt, de quibus S.Raphael Tob.12.*Ego ſum,* inquit,*Raphael Angelus,vnus ex ſeptem,qui aſtamus ante Dominum.* Scio aliquos interpretari hos ſeptem ſpiritus in ſeptem lampadibus ardentibus indicatos,eſſe ſeptem dona Spiritus ſancti, vel etiam per illos Angelorum vniuerſitatem ſignificari,atq; adeò eos non eſſe ſeptem definito numero Angelos; Verùm cum nos de his ſeptem Angelorum principibus peculiarem conſcripſerimus librum,in quo tum veterum,ac recentiorum auctoritate, tum etiam firmiſſimis rationibus in locis ſacræ paginæ citatis,& præſertim hic Apoc. 4. Septem certo numero Angelos præſtantiſſimos intelligi,oſtendimus:necnon eorum,qui contrarium ſentiebant interpretationes plenius confutauimus:ſimul etiam,quare ſub typo ſeptem lampadum ardentium exprimantur inueſtigauimus;ideò illuc,vbi proprius eſt huius rei locus lectorem remittimus; in præſentia autem id ſupponimus.

Lib.1.de ſeptem principibus Angelorum.

Apoc.4.

Age nunc oſtendamus ſeptem Angelorum principes cum cęteris Angelicis ſpiritibus Deiparæ peculiarem reuerentiã,atque obſequium exhibere,ad quod omni affectu præſtandum triplici ratione permouentur. Primò, quia ipſorum eſt Domina. Secundò, quia per Chriſtum eius filium, ac proinde ſuo modo per ipſam ruinæ Angelorum ſunt inſtauratæ. Tertiò, quia Matèr ipſorum cenſetur propter plurima, quæ Angeli ipſi à Chriſto eius filio acceperunt.

Triplici ratione Angeli Virginem veneran tur.

Prima ratio, quia B. Virgo eſt Domina Angelorum.

De his ſingulis aliqua breuiter perſtringamus, tum aliquas Sanctorum auctoritates egregiè hac de re loquentium citabimus;Deniq; huius rei occaſione ex Patribus oſtendemus, Angelos erga Deiparam adhuc inter mortales degentem multipliciter officioſos fuiſſe.

2 Et quod ad primũ attinet cum Virgo ſanctiſſima verè ſit Mater Dei,ſingulare ius habet ad bona filij ſui,vt ex Athanaſio,Damaſceno,Anſelmo,Bernardo,S.Bernardino Senenſi, & alijs quamplurimis diximus cap.5.vnum,vel alterum afferam. Damaſcenus lib. 4.de fide c.15.*Verè,* inquit,*rerum omnium conditarum Domina effecta eſt, cum Creatoris Mater extitit.* & S.Bernardinus Senenſis tom.1.conc.61.art.1.c.7.affirmat Dei genitricem hereditario iure omnium,quę ſunt infra Deũ habere regale dominium,& inclytum obtinere principatum,quoniam Chriſtus eius filius: *In primo,* inquit, *inſtanti ſuæ conceptionis monarchiam totius promeruit,& obtinuit vniuerſi.* hæc S.Bernardinus.

Athanaſius.
Damaſcenus.
Anſelmus.
Bernardus.
S.Bernard.
Damaſcenus.
S Bernardin.

Et certè nomen ipſum,Maria,hoc ẽt indicat:Syro.n.ſermone ex Hieronymo lib.de nom.hebraicis in Matthæum,& ex Damaſceno lib.4.c.15.Dominam ſonat:& propterea ab Eccleſia Domina Angelorum,& Regina Cœlorum dicitur; ideò ſancti Angeli omni ſtudio Virginem,quæ Mater eſt Domini ſui,tanquam ſuam Dominam,& Reginam adorant,ac reuerentur:propterea Bernardus hom.1.ſuper miſſus eſt:*Honorate,* inquit,*ſancti Angeli veſtri Regis Matrem, qui noſtræ adoratis Virginis Prolem, ipſum vtique noſtrum pariter,ac veſtrum Regem,noſtri generis reparatorem,veſtræ ciuitatis inſtauratorẽ;Oportebat.n.* inquit Damaſcenus orat.2.de dorm.Virg. *Dei Matrem ea,quæ filij erant poſſidere,atque ab omnibus rebus conditis,vt Dei Matrem, & ancillam adorari.*

Mariæ nomen Dominam ſonat Hieronymus. Damaſcenus.

Bernardus.

Damaſcenus

Et in miſſa Conceptionis B.Virginis,quę erat in Miſſali ante iſtud à Pio V.reſtitutum, qua miſſa etiam nunc ex priuilegio ſummi Pontificis Fratres Minores vtuntur,in Introitu habetur: *Egredimini filiæ Sion, & videte Reginam veſtram, quam laudant aſtra matutina, cuius pulchritudinem Sol, & Luna mirantur, & iubilant omnes filij Dei:*

Offic. Eccl.

quibus

quibus verbis alludit ad illud Iob 38. *Vbi eras cum me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei*; quod de Angelis Deum laudantibus intelligitur, & tamen hoc ipsum de Angelis laudantibus Ecclesia Virgini accommodat: cui etiam congruit illud psal. 44. quod de B. Virgine sub nomine Reginæ à dextris filij astantis dicitur, & de ea explicat Athanasius serm. de Deipara. & Damascenus orat. 1. de Natiu. & Gregorius II. Papa in Epistola ad Germanum lecta in 7. Synod. Act. 4. & alij: *Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis*, id est præstantissimi quique ex Cœlesti Curia, siue Angeli sint, siue homines. Etenim S. Bonauentura in 1. sentent. distin. 4. in expositione textus: *Tanta est Matris Dei dignitas, vt omnes*, inquit, *creaturæ quantumcumque ascenderent in gradibus nobilitatis, si essent præsentes, omnes deberent reuerentiam Matri Dei.* hæc Bonauentura. *Iob 38. Psal. 44. Athanasius. Damascenus. Greg II. Pont. Psal 44. Bonauentura.*

3 Secundùm propter quod sancti Angeli Virginem singulari affectu prosequuntur, & reuerentur est illud: Quoniam ipsa Christum concepit, ac genuit per quem inter Angelos, & homines pax est facta, iuxta illud Col. 1. *Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt*, suisq; precibus, ac meritis ad hominum salutem, quorum est Mater, & aduocata, singulari ratione est cooperata, & cooperatur, vt cap. 17. dixi, & fusius cap. 27. & 28. dicemus. Vnde sedes quæ inter ipsos ex lapsu dæmonum vacuæ remanserunt, instaurantur, atque adeò Angelorum ruinæ implentur, & ideò ex hoc summopere lætantur, eiq; gratias agunt. & hanc rationẽ ponit expresse S. Bernardinus Senensis, cuius verba infra recitabimus: Si enim, Luc. 15. *Gaudium est coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente*, quantam gaudiorum materiam ex hoc capite per Virginem Angeli consequuntur, vt testantur Sancti. Bernardus serm. 4. de Assumpt. ad Virginem: *Per te*, inquit, *cœlum repletum, infernus euacuatus, instauratæ ruinæ cœlestis Ierusalem*, & serm. 4. de Pentec. *Vterum Virginis*, ait, *mirabili proprietate medium terræ appellari*, in quo Dominus salutem nostram operatus est, ad quod omnes respiciunt, & qui in cœlo habitant, vt refarciantur, & qui in inferno, vt eripiantur, &c. & infra ad Virginem: *In te*, inquit, *Angeli lætitiam iusti gratiam, peccatores veniam inuenerunt in æternum, meritò in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus omnipotentis quicquid creauerat recreauit.* Petrus Chrysologus serm. 143. super illud: *Aue gratia plena. Hæc*, inquit, *gratia dedit cœlis gloriam, terris Deum, &c.* & sermone 146. dicit Virginem pacem terris, cœlis gloriam attulisse. Cyrillus homil. 6. in Nestorium: *Per te*, inquit, *exultat Cœlum, lætantur Angeli, & Archangeli, fugantur dæmones, &c.* Petrus Damianus sermone de Assumptione: *Considera*, inquit, *& quæ in cœlis, & quæ in terris in Virgine refabricata, hominum redemptionem, Angelorum restaurationem.* & serm. in Natiu. Virg. *Venit*, inquit, *Iesus restaurare, & quæ in cœlis, & quæ in terris, pacemq; & concordiam inter homines, & Angelos mediante Virgine reformare.* & Epiphanius oratione de Deipara: *Sanctissima*, inquit, *Virgo Angelis superior nata Deum habitantem in cœlis concepit in terra, vt hac ratione exercitus Angelorum traheret in terram, & versaretur cum hominibus. Ipsa enim est cœli, & terræ mediatrix, quæ vnionem naturaliter peregit.* hæc Epiphanius. *Secunda ratio, quia ruinæ Angelorũ per Christum Virginis filium restauratæ. Coloss. 1. Psal. 109. Cap 27. & 28. Bernardinus. Luc. 15. Bernardus. Psal. 73. Petr. Chrysol. Luc. 1. Cyrillus. Petr. Dam. Epiphanius.*

4 Tertium propter quod Angelos beatos Virgini obsequi diximus illud erat, quoniam non tantum per ipsam, vt vidimus, ruinæ ipsorum instauratæ; verùm etiam ipsimet plurima à Christo Domino Virginis filio sunt consecuti: ita vt Mater eorum appelletur. Hanc rationem affert etiam S. Bernardinus, cuius verba infra citabo. Interim illud solum asseram ex S. Bernardino tom. 3. serm. 11. art. 2. cap. 1. *B. Virgo*, inquit, *ab ipso Patre æterno recepit fontalem fœcunditatem ad generandos omnes electos, & etiam ipsos Angelos in aliquo gustu & gradu, & experientia diuinorum.* S. Antoninus ob eandem rationem 4. par. tit. 15. cap. 14. §. 3. concludit Virginem esse Matrem non tantùm hominum, sed etiam Angelorum, & hoc argumento nititur: quia quicquid est causa causæ est causa causati: *Sed Angeli*, inquit ipse, *recipiunt illuminationem, perfectionem, & beatificationem à Iesu, per quem omnia restaurantur in cœlo, & in terra, ergo B. Virgo cùm sit Mater Iesu causa est aliquo modo gloriæ Angelorum, vt aptè dicatur Mater eorum.* hæc S. Antoninus. *Tertia ratio, propter multa, quæ à Christo Virginis filio Angeli sunt consecuti. S. Bernardinus. S. Antoninus. Ephes. 1.*

Cæterùm & si apud Theologos exploratum sit, Christum caput esse non tantum hominum *Christus caput est Angelorum.*

S. Thomas. minum,ſed etiam Angelorum,vt docet Apoſtolus ad Coloſ. 1. de quo vide S. Thomam 3. par. q. 8. art. 1. & 4. atque adeò multa à Chriſto capite in Angelos influi, quod ſatis eſt ad id quod dicebamus confirmandum. controuerſia tamen eſt an gratia, & gloria fuerit Angelis collata per Chriſti merita præuiſa, de quo nos aliqua diximus ſupra cap. 14. Verùm ne nimium ab inſtituto digrediamur, ab ea pertractanda abſtinemus: videri tamen poteſt noſter Suarius, qui doctè pariter, & acutè ea de re agit tom. 1. in 3. par. diſput. 42. ſect. 1. cuius ſententia nobis maximè probatur, vult enim Chriſtum meruiſſe omnibus Angelis ſanctis omnia dona gratiæ, quæ hominibus meruit proportione ſeruata, exceptis ijs, quæ ad remedium peccati ſpectant. quare vult illis meruiſſe electionem, prædeſtinationem, vocationem, auxilia omnia excitantia, adiuuantia, tum ſufficientia, tùm efficacia, & omne meritum, atque augmentum gratiæ, & gloriæ. Idque confirmat auctoritate, & rationibus. Et certè videtur ſententia D. Thomæ in cap. 1 Ioan. & Auguſtini, vt dixi cap. 14. Licet enim ſæpè in ſcripturis ſacris ſermo ſit de effectu paſſionis per modum liberationis à peccato, atque ita in ordine ad homines: cum tamen de gratificatione, & ſanctificatione agitur, non excluduntur Angeli, vt videre eſt ad Epheſ. 1. & Coloſ. 1. quare Chriſtus verè ſanctificator, iuſtificator, & glorificator eſt Angelorum, vt ſect. 2. probat Suarius. Ad hæc Apocal. 12. in prælio illo magno S. Michael, & Angeli eius è cœlo draconem cum Angelis ſuis deturbaſſe, & viciſſe dicuntur in ſanguine Agni: ſiue intelligamus de prælio in cœlo empyreo geſto initio, vt intelligunt Scholaſtici cum Magiſtro in 2. diſtinct. 6. & ibi S. Thomas quæſt. 1. artic. 2. in argumen. ſed contra, & ad quartum; ſiuè de alio prælio in cœlo ſanctæ Eccleſiæ circa tempora nouiſſima: certè in illo, & in iſto vicerunt in ſanguine Agni, qui occiſus eſt ab origine mundi, ideſt præcogniti ante mundi conſtitutionem, vt ait ſanctus Petrus in prima ſua Epiſtola cap. 1.

Suarius. Quæ Chriſtus Angelis meruit.

S. Thomas. Auguſtinus.

Epheſ. 1. Coloſ. 1.

Suarius. Apoc. 12.

S. Thomas.

1. Petr. 1.

Ex his multo magis confirmatum remanet id, quod de gratitudine, & obſeruantia Angelorum erga Virginem diximus, per cuius filium tot bona ſunt conſecuti, præterquã quòd per Virginem ipſam, quæ ſuper omnes Deo maximè eſt propinqua, Angeli interdum illuminantur, vt cap. 33. dicemus. His præmiſſis.

SEPTEM PRINCIPES ANGELORVM *Deiparam peculiariter venerantur.*

Septem principes Angelorum Virginem venerari eleganter probat Mayro.

5 AFferamus Doctorum auctoritates, qui de reuerentia, & obſequijs Angelorum erga Virginem locupletiſſimi teſtes ſunt. Et quidem de illis ſeptem Angelis præſtantiſſimis, qui aſtant ante Dominum id peculiariter docet, & eleganter probat Franc. Mayro Scoti auditor ob inſignem doctrinam Doctor cognomento illuminatus, qui in ſermone de creatione animæ B. Virginis, vult Virginem ſtellam maris appellari propter decem proprietates, ſeu vt ipſe vocat priuilegia huius ſtellæ, quæ Virgini piè, ac doctè accõmodat, & vbi alia priuilegia expoſuiſſet: *Decimum*, inquit, *priuilegium huius ſtellæ maris eſt, quia habet ſeptiformitatem in ambitu, quia ſeptem ſtellæ notabiles voluuntur circa eam, ideo eius regio dicitur Septentrionalis. Ita & Mater Domini dicitur habere ſeptem Angelos notabiles, qui aſſiſtunt eius throno, de quorum numero dicitur B. Raphael, vt dicitur in Tobia, iuxta illud Apocalypſis: Gratia vobis, & pax, &c.* & ſequitur: *A ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu eius ſunt, & per conſequens in conſpectu throni Matris, quæ ſedet à dextris eius.* hæc Mayro.

Mayro.

Tob. 12. Apoc. 1.

At dicet quiſpiam, qua nam ratione apud Mayronem ſtella maris circumdatur à ſeptem ſtellis, cum ipſa ſit vna ex ſeptem poſita in extremitate caudæ vrſæ minoris, quæ dicitur Cynoſura. Reſpondeo Mayronem, vt expreſsè habet in illo ſermone in 4. & 9. priuilegio, & in ſermone de nomine B. Virginis, ſtellam maris ponere in ipſo vero polo mundi, & addit illam non deſcribere circulum circa polum, ſed intra proprium ambitum volui, & quia non videtur propter exiguitatem (quod humilitati Virginis accommodat) pro illa nos ſumere aliam, quæ vt ipſe ait dicitur Tramõtana, quæ eſt in cauda vrſę minoris, & facit modicum circulum, eſtq; polo maximè p. opinqua. Atque ita clarum remanet in Mayronis ſententia, Polum ſeu ſtellam, ſi quæ ſit in eo, à ſeptem ſtellis vrſæ

Stella maris nõ eſt polus, ſed per ipſam polum intelligimus.

mino-

minoris circumdari à quibus diſtinguitur,atque ita quod docet Mayro optimè quadrat in Virginẽ,quæ eſt in Eccleſia veluti polus,& vertex mundi ſublimis ſupra omnes, nosq; in hoc mari nauigantes, & naufragantes, dirigit ad portum. An autem in ipſo polo ſit ſtella aliqua,vt ait Mayro viſu imperceptibilis, non eſt huius loci. Certè Aſtrologi, vt docet noſter Clauius in cap.1.ſpheræ.præter ſtellas viſu perceptibiles,quas dicunt eſſe 1022.non negant plurimas, & fortaſsè innumerabiles eſſe alias minimas, quæ propter earum paruitatem non videntur, & diſtinctè ac clarè viſui minimè ſe offerunt, ad quas Deum aciem oculorum Abraham eleuaſſe,vt eas aſpiceret cum ei dixit Geneſ.22. *Numera ſtellas ſi potes, ſic enim erit ſemen tuum*. quod clarius erit ex ſententia præſertim eorum, qui circulum lacteum multitudinem eſſe volunt exiguarum ſtellarum, quæ diſtinctæ videri nequeunt, & ſplendorem illum efficiunt, & ita Mayroni viſum eſt veriſimile in polo ipſo eſſe aliquam ſimilem ſtellam:cum ſtella nihil aliud ſit,quàm pars denſior ſui orbis. Sed quicquid ſit de hoc,ſatis eſt ad Mayronis accommodationem explicandam,Virginem per polum ſignificari, vt diximus, & à ſeptem ſtellis circumdari. certum eſt enim lapidem magnetem perfectum,ex quo polum nautæ inueſtigant, verùm polum reſpicere,nautarumq; curſum,ſi ad rigorem loquamur,à vero Polo dirigi: verùm quia ſtella illa in cauda vrſæ minoris hoc tempore gradibus tribus, & ſemis circiter diſtat à polo,& viſu percipitur moraliter ſumi ſolet loco poli.

An in ipſo polo ſit aliqua ſtella. *Clauius.* *Geneſ. 22.* *Mayro.*

Hos etiam ſeptem Angelos Virginem ſanctiſſimam venerari probatur ex B.Amadeo, de cuius ſanctitate agitur in 3.par.Chronicorum S.Franciſci lib.6.cap.30. qui in ſuis reuelationibus in primo raptu cum cœleſtem curiam vidiſſet, audiuit Gabrielem hæc ſibi dicentem: *Septem Angeli ſumus,qui Genitricem Dei noſtri veneramur,alios omnes veſtri generis præcedimus.* & loquebatur de ſeptem Angelis,qui throno Dei aſtant, vt videre eſt ex ijs, quæ ibi ſubijciuntur. Imago etiam ſeptem horum Angelorum virgas manu præferentium, quæ Venetijs muſiuo opere peruetuſtæ in quadam ex Paraſtatis S.Marci habetur, ita eſt conſtituta, vt ſtantes ipſi Virginem in throno ſedentem circumſtent. Idem quoque in celebri, & antiqua imagine Deiparæ in Monte Virginis cernitur, quæ ſeptem habet Angelos ſub throno. Idem etiam in Imagine ſanctæ Mariæ Angelorum Romæ in Thermis Diocletianis, quæ in ſummo Altari colitur, de quibus copioſè egimus in lib.1. de ſeptem Principibus Angelorum: quæ omnia Mayronis ſententiam magis confirmant.

B. Amadeus. *Chron. S. Franciſci.*

6 Cæterùm in vniuerſum Angelos omnes,inter quos ſeptem illi principem obtinent locum,Matrem Dei omni reuerentia colere,docent complures ex Patribus. Damaſcenus enim orat.1.de dorm.Virg.apertè habet Angelos Deiparæ tanquam Dei throno aſtare, Virginem enim ſic alloquitur: *Tu es*, inquit, *ſolium illud regium, cui aſtiterunt Angeli Dominum,& effectorem inſidentem cernentes.* Idem orat.2.de dorm. agens de Aſſumpt. Deiparæ in cœlum: *Hodierno*,inquit,*die choreas agunt Angeli,plaudunt Archangeli, Virtutes concelebrant,Principatus exultant,Poteſtates lætantur,Dominationes gaudent,Throni feſtum diem agunt,Cherubim laudibus efferunt,Seraphim gloria afficiunt: nec minus ipſi gloria afficiuntur,cum gloriæ parenti gloriam tribuunt.* & infra dicit,Angelos omnes dormitioni Virginis interfuiſſe: *Quantumcumque enim*,inquit, *ſummo Regi aſtent; illius tamen Matrem,& omnibus rebus conditis excellentiorem ſtipare oportebat*. Idem orat. 1. de Natiu.alloquens ſanctos Ioachim,& Annam: *Vos*,inquit,*Angelis ſuperiorem,nunc autem Angelis,dominantem filiam extuliſtis.* ita Damaſcenus. S.Athanaſius ſermone de Deipara: *Beatam*,inquit,*te prædicant omnes Angelorum,& terreſtrium Hierarchiæ, quæ & in cœlis benediceris,& in terris beata prædicaris.* Et ſingularum Hierarchiarum benedictiones,quibus eam celebrant, ponit Ephræm ſerm. de laud.Virg. *Aue*,inquit, *Canticum Cherubim,& Seraphim,& hymnodia Angelorum,Aue præclariſſimum hierarchiarum cœleſtium ornamentum.* Sophronius inter opera Hieronymi de Aſſumpt. Virg. *Hæc*,inquit,*dicitur terribilis,vt caſtrorum acies ordinata, multis freta, & vallata Sanctorum agminibus: ſiquidem terribilis ſuis facta virtutibus,vt caſtrorum acies admodum ordinata hinc inde Angelorum ſanctorum ſulta præſidijs,pulchra vt luna, imo pulchrior quàm luna,quia iam ſine defectu ſui coruſcat,cœleſtibus illuſtrata fulgoribus*. Hæc ille. Auguſtinus ſerm.35.de Sanctis: *Si cœlum*,inquit,*te vocem,altior es: ſi Matrem gentium dicam,*

Angeli omnes B. Virginem colũt. Damaſcenus. *Angeli omnes Virginis dormitioni interfuere.* *S. Athanaſius.* *Ephræm.* *Sophronius.* *Cant. 6.* *Auguſtinus.*

Epiphanius. *præcedis: ſi Dominam Angelorum vocitem, per omnia te eſſe probaris.* & Epiphanius ſermone de laud. Deiparæ: *Conſpicio*, inquit, *Virginem ab Angelis adorari; Gabriel in primis ſalutat: Aue gratia plena.* & infra: *O Virgo incomprehenſi myſterij ferens miraculum, quæ fidem ter optatam Orbi prædicaſti Virgo ſublimior facta, & ſuperior ipſis Cheruhim, & Seraphim placens Chriſto Regi, à Deo in honore habita tanquam Ancilla digna, & Mater.*

Andr. Cret. Andreas Cretenſis orat. 2. de dorm. Deiparæ loquens cum eadem: *Tu*, inquit, *es Res illa magna venerandæ œconomiæ, quam cupiunt inſpicere Angeli.*

Georg. Nicom. 7 Gregorius Nicomed. in orat. de oblat. Deip. cum narraſſet Virgini in templo degenti cibum ab Angelo deferri ſolitum, hocq; fuiſſe valdè conueniens, ſubijcit: *Oportebat*, inquit, *non vnum ſolum ei ſeruire Angelum, ſed decies mille millia eam ſtipare.*

S. Bonauent. S. Bonauentura in ſpec. B. Virg. cap. 3. *Maria*, inquit, *interpretatur Domina, hoc quoque optimè competit Imperatrici, quæ reuera Domina eſt cœleſtium, terreſtrium, & infernorum; Domina (inquam) Angelorum, hominum, & dæmonum; eſt Domina Angelorum ſignata in Domina Eſther Regina, de qua legitur, quod ſuper vnam famulam ſuam delitioſè innitebatur, altera autem famularum ſequebatur Dominam defluentia in humum veſtimenta ſuſtentans. duæ famulæ ſunt Angelica, & Humana natura.* & infra: *Anima humana eſt famula, quæ Dominam ſuam Mariam ſequitur in mundo colligens virtutes, & exempla Mariæ: Intelligentia verò angelica eſt famula ſuper quam Domina ſua Maria innititur in cœlo: innititur certè tanquam familiariſſima ſe Angelis ſociando, & ſe cum ſua plenitudine Angelis communicando, & tanquam potentiſſima Angelis imperando; omnibus enim Angelis Maria innititur ſuo imperio; vnde Auguſtinus: ait Michael dux, & princeps militiæ cœleſtis cum omnibus ſpiritibus adminiſtratorijs, tuis Virgo paret præceptis in defendendis in corpore, & in ſuſcipiendis de corpore animabus fidelium, ſpecialiter tibi Domina, & die, ac nocte ſe tibi commendantium.* hucuſque Bonauentura. Idem in Litanijs B. Virginis, *S. Maria, cui Angeli obediunt, & obſequuntur.* Idem in Cantico: *Te Matrem Dei laudamus, Tibi*, inquit, *omnes Angeli, & Archangeli, Tibi Throni & Principatus fideliter deſeruiunt, Tibi omnes Poteſtates, & omnes virtutes cœli cœlorum, & vniuerſæ Dominationes obediunt; Tibi omnes Chori, Tibi Cherubim, & Seraphim exiſtentes aſſiſtunt, Tibi omnis angelica creatura inceſſabili voce proclamat Sancta, Sancta, Sancta Maria, Dei Genitrix Mater, & Virgo.* ita Bonauentura. & Mayro in ſerm. de Domina docet Angelos Virginem appeliare Finem, & terminum ſuæ reſtaurationis.

Eſther 15. B. Virgo figuratur in Eſther, eique angelica, & humana natura famulantur.

Auguſtinus.

S. Bernard. S. Bernardinus Senenſis tom. 1. conc. 61. art. 1. cap. 6. *Tot*, inquit, *creaturæ ſeruiunt Glorioſæ Virgini Mariæ, quot ſeruiunt Trinitati, omnes nempè creaturæ quemcumque gradum teneant in creatis, ſiuè ſpirituales vt Angeli, ſiuè rationales vt homines, ſiue corporales vt cœli, & elementa, ſiuè damnati, ſiuè beati: quæ omnia ſunt diuino imperio ſubiugata, Glorioſæ Virgini ſunt ſubiecta: Ille enim qui filius Dei eſt, & Virgini benedictæ Matri famulabatur in terra Luc. 2. Erat ſubditus illis.* Idem tom. 3. ſerm. 2. de nomine glorioſo Mariæ initio affirmat ſpirituum agmina beatorum iugiter Virginem venerari in cœlis, & ſerm. 3. de nomine glorioſo Mariæ art. 3. dicit, Virginem dominari quadruplici generi ſubditorum: & accommodat illud Cant. 6. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora, &c.* Dominatur nimirum ſeruis, ideſt peccatoribus de nouo conuerſis, quibus eſt quaſi Aurora conſurgens. Secundò amicis, ideſt ſpiritualibus, & deuotis, quibus eſt pulchra vt luna. Tertiò filijs, ideſt Angelis, quibus eſt electa vt ſol. Quartò inimicis, ideſt dæmonibus, quibus eſt terribilis vt caſtrorum acies ordinata: in cap. verò 3. de Angelis ſic ait: *Tertiò*, inquit S. Bernardinus, *Virgo dominatur filijs, ideſt Angelis, & in hoc eſt electa vt ſol, ſcilicet ad irradiandam totam multitudinem ſpirituum beatorum.* Cùm autem B. Virgo Regina ſit cœli, & Mater filij Dei, tantum habet ſeruorum numerum, quot filij ſui implent miniſterium: & vbi dixiſſet ex ſententia Hugonis ſuper cap. 9. de Angelica hierarchia maximum eſſe numerum Angelorum, ſubdit: *Omnes igitur angelici ſpiritus ſunt huius Glorioſæ Virginis miniſtri, atque ſerui. Quomodo enim non eſſent ſerui illius, per quam eorum, quantum ad numeri integritatem reparatio facta eſt, per cuius Filium eorundem facta eſt purgatio, illuminatio, & conſummatio, ideſt gloriæ conſummatæ perfectio. Verè igitur Dominam dici poteſt, atque meritò habent de illa omnes cœleſtes ſpiritus confiteri, & dicere illud* 4. Reg. 10. *Serui tui ſumus quæcumque iuſſeris*

Luc. 2.

B. Virgo dominatur quadruplici generi ſubditorum. Cant. 6.

Bernardin. Cant. 6.

Hugo.

4. Reg. 10.

iusseris faciemus: meritò ergo competit ei nominis etymologia, ideſt Domina. hæc S. Bernardinus. Idem S.Bernardinus tom.3.ſerm.11.art.2.cap.1.ait,Angelos ab ipſo exordio creationis,& glorificationis eorum præuidiſſe eam futuram matrem Dei,& per conſequens ſuper omnem rationalem creaturam in cœleſti gloria exaltandam. & cap. 3. *Gaudent,* inquit, *& lætantur Angeli cum B. Virgo anima, & corpore ingreditur empyreum cœlum, quia vident Reginam cœli hodie primo in Curia paradiſi. Iam enim maiori fœdere coniunguntur hominibus, quia & ſi vidiſſent hominem Deum in Aſcenſione ſublimatum; nunquam tamen hominem purum omni alteri creaturæ præpoſitum.* ita S. Bernardinus. *S.Bernardinus.*

Cui conſonat illud,quod B.Geltrudis lib.4.Reuelationum cap.49.ſcriptum reliquit; agens enim de Angelis, quos videbat coram Deipara, eos qui ad feſtum Aſſumptionis ſe parauerant adducere, eoſq; ab inſidijs malignorum ſpirituum defendere, ſubijcit: *Quia ad imperium,*inquit, *Dei genitricis multitudo Angelorum vndique defendendo protegit omnes glorioſam Virginem inuocantes.* *B.Grrtrudi..*

Et Suarez tom.2.in 3.par.diſput.22.ſect.1. ex eo quod Virgo ſanctiſſima futura erat perpetuò Domina, & Regina Angelorum,infert, fuiſſe in Verbo clarè cognitam ab Angelis ſanctis ab initio beatitudinis eorum: *Quoniam,*inquit, *ad eorum ſtatum pertinebat (quæ enim ad ſtatum alicuius beati pertinent,ab eo in verbo videri docent Theologi, præſertim S.Thomas in 4.diſtin.45.q.3.art.1. quæſtiuncula 1.) & ideo iam tunc ab eis adoratam,vt Dei Matrem,& omnium Dominam.* Fuiſſe porrò iam tũc cognitam ab Angelis,confirmat ex D.Thoma 3.par.q.30.art.2.ad 3. ſi ſolutio cum argumento expendatur, vbi voluit Incarnationis ex muliere myſterium ab Angelis cognitum, præſertim quia Angeli in via fidem Chriſti habuerunt ex S.Thoma 1.par.q.64.art.1.ad 4. & ideo cognouerunt Deum incarnandum ex muliere: viſio autem beatifica reſpondet fidei: in patria enim vident, quæ crediderunt in via. quemadmodum Chriſtus initio propoſitus eſt adorandus Angelis:& iterum cum re ipſa eſt incarnatus, vt colligitur ex illo ad Hebr.1. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ,dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei:* ita & Deipara cum primum ab Angelis eſt cognita,vt Dei mater,ac proinde vt adoratione digna,ſtatim eſt adorata ab eis. hæc ex Suarez. *Suarez.* *S. Thom.* *Hebr. 1.*

His conſonat S.Brigitta in ſuis reuelationibus in ſermone angelico,quem ipſe Angelus ex Dei præcepto eidem dictaſſe legitur: in cap.enim 20. vbi agitur de glorificatione B.Virginis: *Vnde,*inquit Angelus,*quia creator omnium ipſa mediante ſuum placitum perfecit in mundo,ideò placuit ei vna cum Angelis ipſam ſummo honore glorificari in cœlo.& idcircò ipſius Virginis animam quando fuit à corpore ſeparata, ſtatim ſuper omnes cœlos ipſe Deus mirificè ſublimauit,eiq; imperium ſuper vniuerſum mundum donauit, & Angelorum Dominam æternaliter illam conſtituit. Qui quidem Angeli ita poſtmodum obedientes Virgini effecti ſunt,quòd omnes inferni pœnas libentius ſuſtinerent,quàm aliquibus ſuis præceptis in aliquo contradicere.* & infra: *Tunc denique ipſam Virginem tota cœleſtis curia ſummis laudibus exaltabat.* In eodem ſermone angelico cap. 10. agens de Virginis conceptione,dicit, Angelos ex hoc theſauro (ideſt Virgine concepta) non modicum exultaſſe,quando conditorem ſuum,quem plus ſe ipſis diligebant,ita illum theſaurum diligere cognoſcebant. & cap.4. fusè perſequitur Angelus maximum gaudium,quo initio exultarunt Angeli ſancti,dum illis manifeſtata fuit Virgo futura, quam Deus tanta dignitate,ac gloria exaltare conſtituerat. His conſentit S. Vincentius ſermone 2. de Natiu.Virg.agens de eius conceptione: *Non credatis,* inquit, *quod fuerit ſicut in nobis, qui in peccatis concipimur,& naſcimur,& nutrimur: ſed ſtatim poſtquam corpus fuit formatum,& anima creata,tunc fuit ſanctificata;ideò fit feſtum de eius conceptione, quia facta eſt lux, ſcilicet ſanctificationis in ea, & ſtatim Angeli in cœlo fecerunt feſtum Conceptionis.* ita S.Vincentius. *S. Brigitta. Angeli gaudent de B. Virgo fit eorum Domina.* *Angeli exultarunt cum cognouerunt Deiparam futuram.* *S. Vincentius.*

8 Ad extremum quid mirum eſt Deiparam beatiſſimam iam in Cœlis regnantem ab Angelis ſumma reuerentia coli,atque obſeruari,quam in terris mortali adhuc corpore circumdatam tum ante, tum etiam poſt admirabilem filij Dei in ſuo vtero conceptionem,quando vera Dei Mater eſt effecta, illi crebrò viſitarunt, obſequijs coluerunt, eidemq; in templo degenti cibum cœlitus detulerunt. cui etiam Gabriel vnus ex ſeptem *Angeli B. Virginem in terris viſitabant, atque cibum ei deferebant.*

Angelo-

Genes. 28. B. Virgo curſcala toli dicatur.

Angelorum principibus, qui Dei throno aſtant, ad cuſtodiam eſt aſſignatus: quæ omnia apud complures Patres legimus. vt propterea beatiſſima Virgo ſcala Iacob tum propter ea, quæ cap. 16. attulimus: tùm etiam propter crebram eius cum Angelis ad eam è cœlis deſcendentibus, & ab ea aſcendentibus, conuerſationem, meritò iam tunc appellari potuerit. De Angelis quippe ad eam, & lactentem, & poſteà adultam officiosè venientibus, teſtantur Damaſcenus orat. 1. de Natiu. *O ſanctiſſima*, inquit, *filia, quæ materni vberis lacte aleris, & ab Angelis vndique cingeris*. & Ambroſius lib. 2. de Virginibus, loquens de Angelo Gabriele, qui eam in annuntiatione ſine comite reperit: *Quin etiam*, inquit, *tunc ſibi minus ſola videbatur cum ſola eſſet: Nam quomodo ſola cui tot libri adeſſent, tot Archangeli, tot Prophetæ? Denique & Gabriel eam vbi reuiſere ſolebat inuenit, & Angelum Maria quaſi viri ſpecie mota, trepida, quaſi non incognitum audito nomine recognouit: ita peregrinata eſt in viro, quæ non eſt peregrinata in Angelo, vt agnoſcas aures religioſas, oculos verecundos.* hæc Ambroſius. Hieronymus in lib. de Natiu. Mariæ tom. 9. loquens de vita à Virgine in templo tradu&ta: *Virgo Domini*, inquit, *cum ætatis proceſſu, & virtutibus proficiebat, & iuxta pſalmiſtam Pater, & Mater dereliquerunt eam, Dominus autem aſſumpſit eam: quotidie namq; ab Angelis frequentabatur, quotidie diuina viſione fruebatur, quæ eam à malis omnibus cuſtodiebat, & bonis omnibus redundare faciebat.* ſic ille. Ildefonſus ſerm. 5. de Aſſumpt. *Si quis*, inquit, *ſtudio pietatis indagare voluerit, quid poſt Aſcenſionem Domini egerit, quàm ſanctè, & iuſtè vixerit, & cum quibus habitauerit, ſoli Deo cognitum eſſe videtur. Et Gabrieli Archangelo, cui eius tota cauſa commiſſa eſſe prædicatur à Domino, & Angelis ſibi collætantibus, ſecumq; loquentibus.* Euſebius Emiſſenus hom. in vigilia Natiu. *Ecce*, inquit, *Gabriel conſiliator Virginis, eiusq; conſcius caſtitatis*. Andreas Cretenſis orat. 1. de dorm. Deip. loquens de Virgine in templo præſentata, & de cibo cœlitus allato: *Dico*, inquit, *quod ſit pulchrum munus Deo dedicatum, & quomodo in adytis tanquam in aureis vecta thalamis immortalem, non autem communem cibum ſumebat*. Germanus in orat. de oblat. Virg. *Manſit autem de cætero in ſanctis ſanctorum, ſeu in templi penetralibus ambroſiam nutrimentum per Angelum accipiens vſque ad ſecundam ætatem.* Georgius Nicomedienſis orat. de oblat. Virg. de ea agens: *Erãt quidem mores ei incomparabiles, & erat eius vitæ agenda ratio compoſita virtutibus: Quamobrem in dies procedente ætate creſcebãt in ea dona ſpiritus, & verſabatur cum Angelis, nec erat diuinarum expers apparitionum, cum ea vt ſolebat verſante in adytis vidit Zacharias, (qui munus ſacerdotale obibat) quendam ſermocinantem, qui erat inuſitata ſpecie, & ei præbentem alimentum; erat autem qui apparebat, Angelus.* hæc Georgius Nicomedienſis; qui addit Zachariam ex hoc viſo tanquam ex re inſolita vehementer admiratum, tum quòd conſpiceret Angelum in templo aſſiduè ad Virginem ventitantem, qui tamen eo in loco ſolis Sacerdotibus, & rarò apparere ſolitus erat: tum etiam, quia eidem in caniſtro materiali per ſeipſum nullo intermedio, alimentum deferebat, eiq; miniſtrabat, cum tamen Angelus Danieli prandium per Habacuch Angeli virtute in Babylonem delatum, & Eliæ per coruum mane, & veſperi nutrimentum perferendũ curauerit. & mox Georgius: *Quis*, inquit, *vidit, quis audiuit talem aſcenſum corporis quod in ſanctis habitat, & ſtipatur ab Angelis, & alimentum accipit Ambroſiam?* & infra: *Manus* (nimirum Virginis) *corporeæ admirabile quod conſpectum fuit, alimentum accipiunt; & per ipſum immaculata anima impletur donis. O ſummam pietatem, ò aſcenſum ætatis, quales ſcalas honeſtatis ſtatuit ad cœleſtium altitudinem, per quas Verbum deſcenſu nouo ad nos aſcendit; per quas quod inferius erat ſitum terrenum naturæ tabernaculum, aſcendit ad cœlos: Tu autem ô homo admirabilem, & nouam viuendi in templo rationem audiens Virginis, noli de eo dubitare, noli examinare ratione ea, quæ capere non poteſt cogitatio. Vides ipſum Dei Verbum modo ineffabili habitaſſe in eius vtero, & contendes, fuerit ne alimentum materiale, an expers materiæ? Vides paterno conſilio ſpiritus in ea adumbrationem, & de miniſterio Angelorum dubitas? Nihil eſt dubium ex ijs, quæ ſunt caſtiſſimæ Virginis ex eius magnalibus; nihil eſt, quod non ſit conueniens: oportebat Agnam immaculatam tali excipi conuiuio, talibus cibis exſaciari oportebat, non in ſanctis ſanctorum tabernaculi, ſed in ipſo Cœlo cœli in prima ætate educari eam, quæ his conſpecta eſt latior, & puritate antecelluit, oportebat non vnum ſolum ei ſeruire Angelum,*

Damaſcenus. Ambroſius. Hieronymus. Ildefonſus. Euſebius. Andr. Cret. Germanus. Georg. Nicom. Daniel 14. 3. Reg. 17.

ſed

ſed decies mille millia eam ſtipare. Etenim quem illi minimè poſſunt videre, ipſa mirandum in modum in vtero continuit. hactenus Georgius Nicomedienſis. Georgius Cedrenus in compendio hiſtoriarum: *Erat*, inquit, *in templo ſecretus locus aræ vicinus, vbi ſolæ Virgines ſtare ſolebant. ac reliquæ ſanè, populo dimiſſo, domum ſuam redibant, Maria verò in templo permanebat, atque ab Angelo nutriebatur.* hæc Cedrenus. Pantaleon Diaconus in Encomio S. Michaelis apud Metaphraſtem, quod habetur apud Surium 29. Septemb. vbi agit de S. Gabriele, cùm dixiſſet Gabrielem Zachariæ in templo ortum S. Ioannis Baptiſtæ annunciaſſe, ſubijcit hæc verba: *Eundem diuiniſſimum Gabrielem vidit idem Zacharias in ſanctis ſanctorum cibum è cœlis afferentem ad Dei Matrem.* ſic ille.

Georg. Cedr. *Pantaleon.* *Surium.*

10 Anſelmus de excell. Virg. cap. 3. *Nulli*, inquit, *dubium caſtiſſimum corpus, & ſanctiſſimam animam eius funditus ab omni fuiſſe macula peccati iugi Angelorum cuſtodia protectam, vtpotè aulam quam ſuus, & omnium creator Deus corporaliter inhabitaturus, & ex qua hominem in ſuæ perſonæ vnitate, ineffabili fuerat operatione ſuſcepturus.* & affert hoc exemplum: *Cum enim præpotens aliquis aliquo vadit hoſpitaturus, vſus obtinuit, vt clientes præcurrant, locum muniant, mundent, ornent, & cuſtodiant, qualis ergo apparatus omnis boni fiebat per aduentum, cœleſtis Regis in corde ſacratiſſimæ Virginis; quem illa non ſolum erat in ſemet tranſitiue hoſpitatura, ſed etiam ex ſubſtantia ſua factum hominem paritura?* hæc Anſelmus.

Anſelmus.

S. Bernardus hom. 2. ſuper miſſus eſt, Virginem hanc ait ab Altiſſimo præcognitam, & ſibi præparatam, ab Angelis ſeruatam, à Patribus præfiguratam, & Epiſt. 174. prædica Virginem Reuerendam Angelis, & hom. 3. ſuper miſſus eſt: *Angelus*, inquit, *ingreſſus ad eam tam reuerenter eam ſalutauit.* & ſermone Signum magnum: *Iam in eo*, inquit, *quod tam reuerenter, atque officioſiſſime ab Archangelo ſalutata eſt, vt iam in regali ſolio, ſupra omnes cœleſtium ordines regionum exaltatam cernere videretur, & paulominus adoraturus fœminam, qui ſolebat ab hominibus æquanimiter adorari, excellentiſſimum nobis Virginis noſtræ meritum, & ſingularis gratia commendatur.* hæc Bernardus.

S. Bernardus. *Luc. 1.*

S. Bonauentura in meditationibus vitæ Chriſti cap. 3. agens de vita à Virgine gloriosa in ſua pueritia in templo tradu&ta ex B. Hieronymo hæc refert: *Beatus*, inquit, *Hieronymus ſic ſcribit: hanc ſibi regulam B. Virgo ſtatuerat, vt à mane ad horam tertiam orationibus inſiſteret: à tertia vſque ad nonam externo opere ſe occuparet: à nona verò iterum ab oratione non recedebat, quouſque dum illi Angelus appareret, de cuius manu eſcam accipere ſolebat, & melius in Dei opere, & amore proficiebat.* & infra: *De eſca, quam de manu Angeli accipiebat, ipſa reficiebatur; quam verò à Pontificibus templi accipiebat, pauperibus erogabat. quotidie videbatur ei Angelus loqui, & quaſi chariſſimæ ſorori, vel Matri obtemperabat.* hæc ex Hieronymo referre ſe ſcribit S. Bonauentura.

S. Bonauentura *Hieronymus.*

Neque id alicui mirum videri debet ſi eximiam maternitatis Dei dignitatem, ad quã delecta erat, animo reputemus: quemadmodum rectè dicebat Georgius Nicomedienſis. Scimus enim 3. Reg. 19. Eliæ ab Angelo cibum ſubminiſtratum, & ex Palladio in hiſtoria Lauſiaca cap. 48. Abbati Apollo ſacris precibus vſque adeò intento, vt centies noctu, centies verò interdiù flexis genibus oraret, Angelum de more nutrimentum afferre ſolitum. & cap. 53. Abbatem Anuph cœleſti alimento quotidiè ab Angelo ſuſtentatum. S. Bonauentura cap. 4. meditati: ait in ſalutatione Gabrielis non fuiſſe Virginem turbatam de viſione Angeli, quia eos ſæpè videre ſolita erat, ſed in ſermone eius; quia in eius ſalutatione videbat ſe mirificè commendari, ideoq; propter ſuam humilitatem turbata eſt, & cogitabat qualis eſſet illa ſalutatio. S. Vincentius Fererius ſerm. 1. & 2. de Natiu. Virg. ait Virginem à parentibus poſt ablactationem deuotiſſimè in templo Domini præſentatam, & in aſcenſu quindecim graduum ab Angelis tanquam ab amicis ſponſi exceptam, & adiutam: *Quod*, inquit, *poteſt intelligi, & declarari ad modum ſponſarum in die nuptiarum, quæ vſque ad Eccleſiam deducuntur, & ex tunc aſſumuntur a conſanguineis ſponſi dicentibus*, vt idem inquit in ſerm. 2. *Iſta iam eſt noſtra, ita fecerunt Angeli de Virgine Maria.* hæc S. Vincentius. S. Bernardinus Senenſis tom. 2. conc. 51. art. 3. cap. 2. agens de multiplici armatura Virginis, docet illam præter arma interiora, habuiſſe quoque ſcuta exteriora quæ ſingillatim explicat: *Et primò*, inquit, *affuit ei Angelorum protectio, aſſiſtebant enim illi innumerabiles multitudines Angelorum in eius protectionem.*

Georg. Nicom. *3. Reg. 19.* *Palladius.* *Abb. Apollo, & Anuph ab Angelo ſuſtentantur.* *Luc. 1.* *S. Vincentius.* *S. Bernardinus.*

&

& de hoc Propheta ad Virginem ait, Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis: piè etenim credo, quòd plurimas legiones habuit Angelorum ad cuſtodiã, & protectionem ſuam, cum & Eliſæus, vt legitur 4.Reg.6. Angelorum multitudinem habuit ad ſui defenſionem. hæc S.Bernardinus.

4.Reg.6.

Gabriel vnus ex ſeptem ante Deum aſſtantibus fuit cuſtos Deiparæ.

11 Gabrielem quoque vnum ex ſeptem principibus aſtantibus diuino throno, qui vt lib.2.de ſeptem principibus Angelorum cap. 8. vberius diximus, inter omnes Angelos ſecundum Michaelem, principem obtinet locum, fuiſſe Virgini beatiſſimæ in Angelum cuſtodem deputatum complures ex Patribus affirmant. Decebat enim Virgini glorioſæ in terris degenti, quæ Mater Dei erat futura, non quemlibet, ſed vnum ex illis ſeptem ſupremis, & inter reliquos omnes Angelos præſtantiſſimis ad cuſtodiam deputari: ſicuti etiam Chriſtus in cruce Ioanni dilecto, & vni ex Apoſtolis præcipuo eam commendauit. Quod autem Gabriel cuſtos fuerit Virginis, id expreſsè habent, vel non obſcurè ſignificant nonnulli locis citatis, quorum verba recitauimus, Ambroſius, Ildefonſus, Euſebius Emiſſenus, Pantaleon. Idem etiã docent Sophronius inter opera Hieronymi ſerm. de Aſſumptio. *Poſt Aſcenſionem,* inquit, *Virgo ſancta corpore, & mente permanſit, quam ſanè Angelus Gabriel, ac ſi cœleſtis paranymphus intactam cuſtodiuit. & Ioannes Apoſtolus, atque Euangeliſta, cui Chriſtus eam de cruce commiſit Virgo virginem ſeruauit, ſuisq; ei deſeruiuit obſequijs.* hæc ille. His conſonat Petrus Damianus ſermone 1. de Natiuit. B. Virg. vbi luculenter docens thronum Salomonis Virginem ſignificare: *Duo,* inquit, *leones ſunt Gabriel Archangelus, & Ioannes Euangeliſta, quorum alter dexteræ Virginis, alter ſiniſtræ cuſtos deputatus eſt; Gabriel enim mentem, Ioannes carnem peruigili ſolicitudine ſeruarunt.* ita Damianus. Bernardus epiſt. 77. in fine: *Gabrieli,* inquit, *Virgo ſeruanda ab initio tradita fuiſſe credenda eſt.* Idem tenet Vldaricus in 4. ſuæ ſummæ apud Carthuſianum in 2.diſtin. 11.q.2. Abulenſis verò in Matth. 18. q. 60. Gabrielem Virginis cuſtodem aſtruit, verùm à Chriſti conceptione vſque ad eiuſdem mortem: quæ limitatio minimè probatur, cum reliqui citati Patres abſque vlla temporis exceptione Gabrielem Virginis cuſtodem fuiſſe ſimpliciter affirment.

Ioan. 19.

Sophronius.

Petr. Dam.

Bernardus, Vldaricus. Abulenſis.

In aſſumptione Angeli occurrerunt Virgini.

12 Denique Virgini ex hac vita ad cœlos migranti vniuerſum Angelorum Chriſtum comitantium cœtum officioſo obſequio occurriſſe quamplurimi Patres docent. Petrus Damianus ſermone de Aſſumpt. *Matri,* inquit, *cœlorum palatia penetranti, filius ipſe cum tota curia tam Angelorum, quàm iuſtorum ſolemniter occurrens, euexit ad beatæ conciſtorium ſeſſionis.* Andreas Cretenſis orat. 2. de Virg. dorm. *Iam,* inquit, *vniuerſus ſupermundanarum poteſtatum, qui intelligentia percipitur, pulchrè inſtructus cœtus à nullo conſpectus ad ſpectaculum confluebat admirabile.* Anſelmus de excell. Virg. cap. 8. *Stipatus,* inquit, *mille millibus, imò innumerabilibus Angelorum agminibus Deus ipſe huic piiſſimæ Matri ſuæ de hoc mundo migranti occurrit.* Bernardus ſermo. 1. de Aſſumpt. *Quis,* inquit, *cogitare ſufficiat quanto deuotionis affectu tota in eius occurſum cœleſtium legionum prodierit multitudo.* S. Ildefonſus ſermone 1. de Aſſumpt. *Vidi,* inquit, *Ieruſalem deſcendentem de cœlo à Deo ornatam, vt Reginam mundi, ſcilicet Mariam, ſecum ueheret ad ſublimia, & collocaret in throno Regni: ſi enim Dauid cum omni populo ad ferendam arcam aſcendit, & in figura officioſiſſimè tanta confertur gloria: Quid hodie ante B. Virginem quando illa in cœleſtem Ieruſalem euehitur.* Idem ſerm. 3. de Aſſumpt. *Quod ſi ad partum,* inquit, *Virginis talia cantarunt Angeli, credimus quod hodie dignas celebrarunt exequias, & ſuſcipiunt cum gloria Matrem ſui creatoris gaudentes.* ſic Ildefonſus. Sophronius ſub nomine Hieronymi ſermone de Aſſumpt. *Ad cuius,* inquit, *exequias quantum fas eſt credere, Angeli famulabantur, & vniuerſæ cœlorum congratulabantur Curiæ, Nec mirum, quia honor maternus eius eſt, qui natus eſt ex ea, quem omnis cœlorum ordo veneratur.* & mox: *Credendum eſt hodierna die militiam cœlorum cum ſuis agminibus feſtiue obuiam veniſſe Genitrici Dei, eamq; cum ingenti lumine circumfulſiſſe, & vſque ad thronum ſibi etiam ante mundi conſtitutionem paratum cum laudibus, & canticis ſpiritualibus perduxiſſe.* ita Sophronius. Idem de Angelis in Deiparæ aſſumptione ei obſequentibus habent Gregorius Turonenſis lib. 1. de gloria martyrum cap. 4. Nicephorus lib. 2. hiſtoriæ cap. 21. Arnaldus Abbas tract. de laud. Virg. S. Antoninus 3. par. ſummæ tit. 31. cap. 3. & 4. par. tit. 15. cap. 45. §. 3. vbi Chriſtum dicit perſonaliter ad Virginis aſ-

Luc. 2.

Sophronius.

Greg. Turon. Nicephorus. Arnaldus. S. Antoninus

ſumptio-

sumptionem veniſſe: *Et quia,* inquit, *vbi Dominus, ibi & familia eius: ideo & millia millium Angelorum, qui Domino miniſtrabant, cum Chriſto aduenerunt.* Damaſcenus orat. 2. de dorm. Virg. cum dixiſſet Virginem ſpiritum ſuum in filij manus commendaſſe, & quid deinde fit? *Elementorum, vt mihi quidem videtur factus eſt motus, & alteratio; voces; & ſtrepitus, laudes; dignas canebant Angeli præcurrentes, deducentes, & conſequentes: partim quidem ſanctiſſimam, & nulli culpæ affinem animam comitantes, & ſimul aſcendentes, donec regali throno ſtitiſſent Reginam, partim autem diuinum, & ſacrum corpus circumdantes, & canticis, quæ Angelis digna erant, Dei Matrem celebrantes.* & infra ex Euthymiaca hiſtoria lib. 3. cap. 40. refert Iuuenalem Ieroſolymitanum Archiepiſcopum Pulcheriæ, & Marciano Auguſtis in hunc modum locutum: *Ex antiqua accepimus traditione, quòd tempore glorioſæ dormitionis B. Virginis vniuerſi quidem ſancti Apoſtoli, qui orbem terræ ad ſalutem gentium percurrebant, momento temporis in ſublime elati conuenerunt Ieroſolymis, cumq; illuc eſſent, eis viſo apparuit angelica, & audita eſt pſalmodia cœleſtium poteſtatum, & ſic cum diuina gloria in manus Dei ſanctam tradidit animam. Eius autem corpus, quod Deum ſuſcepit, ineffabili quadam ratione cum Angelica, & Apoſtolica hymnodia elatum in loculo fuit depoſitum Gethſemane: quo in loco Angelorum chorea, & hymnodia manſit tres dies perpetuos: poſt tres autem dies Angelico cantu ceſſante, qui aderant Apoſtoli cum vnus Thomas, qui abfuerat poſt tertium diem veniſſet, & quòd Deum ſuſceperat corpus adorare voluiſſet, loculum aperuerunt, ſed omni ex parte ſacrum eius corpus nequaquam inuenire potuerunt.* hactenus Iuuenalis Epiſcopus apud Damaſcenum. Simeon Metaphraſtes orat. de ortu, & dorm. Deip. agens de corpore ſanctiſſimæ Virginis poſt eius dormitionem ad ſepulchrum elato: *Apoſtolis,* inquit, *& diuinis Patribus Deo digna cantica canentibus diuina arca ex Sion vecta Apoſtolicis manibus, & humeris ad Gethſemane ſacrum prædium exportatur, Angelis, vt eſt conſentaneum præcurrentibus, circumuerſantibus, ſequentibus angelicis pennis adumbrantibus; longè (inquam) ſplendidiore, & venerabiliore facta deductione, quàm propter tranſlationem veteris illius arcæ teſtamenti Domino, vt ſacra narrant eloquia,* & infra: eadem, quæ Damaſcenus de Angelorum apud Virginis ſepulchrum conuentu per triduum, ex Iuuenali narrat: Nicephorus quoque eandem Iuuenalis narrationem deſcribit lib. 2. cap. 23. & præſertim de Angelica hymnodia toto illo triduo, donec Deipara rediuiuo corpore glorioſa ad ſimilitudinem filij reſurrexit.

Damaſcenus. In ſepulchro Virginis hymnodia angelica.

Simeon Metaphraſtes.

Damaſcenus. Nicephorus.

13 Cùm ergo Angeli ex ijs, quæ diximus circa ſepulchrum Virginis adeò officioſi fuiſſe ſcribantur, quales eos exiſtimabimus erga ipſam ad æthereum thalamum aſſumptam, in quo Rex Regum eius filius ſtellato ſedet ſolio; quiq; eam omnium Dominam, ac Reginam conſtituit? & hæc de Angelorum obſequio erga Deiparam.

Cæterùm, vt hoc caput claudamus, illud diligenter animaduertendum eſt in locis initio huius capitis ex ſacra Apocalypſi citatis diſcrimen colligi inter ſeptem Angelorum principes, & reliquam Angelorum multitudinem: Illi enim ante Thronum, hi in circuitu throni: Illi ſolùm ante Dei thronum, hi verò in circuitu diuini throni, Seniorum, & quatuor Animalium eſſe perhibentur. Ratio eſt, quoniam ſeptem Angeli, ſicuti cæteris Angelis dignitate præſtant, vt diximus lib. 1. de his ſeptem Angelis: ita hominibus etiam ſanctiſſimis non ſunt inferiores, & idcirco poſt Deum ſolam Virginem per Thronum, ante quem ſtant, ſignificatam, ſuperiorem ſibi agnoſcere leguntur. Quare Suarius de primo Angelo tom. 2. in 3. par. diſputat. 18. ſect. 4. ait veriſimile eſſe nullum ſanctorum hominum peruenisſe, ne dum exceſſiſſe in gratiæ intentione ſupremum Angelum; ſolis Chriſto, & Virgine exceptis: ita Suarius. At verò reliqui Angeli in circuitu ſeniorum, & animalium conſtituuntur; præſtantiſſimi enim Sancti in viginti quatuor Senioribus, & Euangeliſtæ in quatuor animalibus adumbrati, ſuis meritis, pleriſque Angelis antecellunt. Sed de hoc ſatis, neque enim noſtrum eſt de præſtantia meritorum inter cœlicolas decernere: *Spirituum ſiquidem ponderator eſt* Dominus, vt habetur Prouerbiorum 16.

Septem principes Angelorum non ſcribuntur aliis Sanctis eſſe inferiores. Apoc. 4. & 7.

Suarius. De præſtantia primi Angeli.

Prouerb. 16.

VIRGINEM SANCTISSIMAM DEIPARAM omnium Iuſtorum eſſe Matrem. Cap. XXVII.

Apoc. 3. Chriſtus vincenti promittit conſeſſum in throno ſuo.



I CTAVVM, Chriſtus Dominus Apoc. 3. ei, qui vicerit conſeſſum in throno ſuo promittit: *Dabo*, inquit, *ei ſedere mecum in THRONO meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno eius*: quibus verbis ad litteram promittitur Beatis, eos regnaturos eſſe cum Chriſto in ſecula ſeculorum, vt habetur Apoc. 22. *Et futuros hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti*, vt dicitur Rom. 8. quod eſt cum Chriſto in throno eius ſedere: & hoc eſt, quod Matth. 25. vnicuique beatorum dicitur: *Intra in gaudium Domini tui*; quoniam eodem gaudio, ideſt eiuſdem obiecti, nimirum Dei viſione clara, & beatifica, qua Chriſti Domini anima fruitur, & ipſi perfruentur; non tamen æquali claritate, ſed quilibet iuxta meritorum ſuorum menſuram: propterea enim Luc. 19. vnus dicitur conſtitui ſuper decem Ciuitates, alius ſuper quinque. Cæterùm conſeſſus iſte in Chriſti throno per quandam allegoriam optimè ad hanc noſtram de B. Virgine tractationem ſic accommodare poſſumus; vt per thronum Chriſti beatiſſimam Virginem intelligamus; Chriſtus enim in B. Virginis vtero per incarnationem, qua filius eius fieri dignatus eſt, tanquam in throno reſedit, quemadmodum toto hoc opere, & præſertim cap. 2. probauimus; Sanctis verò promittitur in eodem throno ſedere cum Chriſto, vt ſcilicet ipſi eiuſdem Virginis, quæ Chriſti mater eſt naturalis per adoptionem efficiantur ſpiritualiter filij, & in eiuſdem corde, veluti in quadam ſpirituali ſede digniſſima per charitatem, qua ab ea diliguntur inhabitare, & quieſcere dicantur.

Apoc. 22. Rom. 8. Matth. 25.

Luc. 19.

Allegoricè promittit Deiparæ in matrem ſpirituali Iuſtorũ.

Chriſti benignitas, qui matrem ſuam Iuſtorum matrem eſſe voluit. Ioan. 1. 1. Ioan. 1.

2 Quòd autem Chriſtus electis ſuis Deiparam in Matrem polliceatur mirum videri nõ debet; ſi enim quotquot receperunt eum dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, de quibus 1. Ioan. 1. dicitur: *Videte qualem charitatem oſtendit nobis Deus, vt filij Dei nominemur, & ſimus:* quidni eiſdem etiam Deiparam in matrẽ dabit? id quod reliquis à Chriſto in humanum genus collatis beneficijs eſt admodum conſentaneum.

Electi in Virginis corde eſſe dicuntur. Galat. 4. Philip. 1. 2. Cor. 7.

Quòd præterea electi in Virginis corde eſſe dicantur, facilè probatur: ſi enim Apoſtolus Galat. 4. Quos in Chriſto genuerat, ſuos appellat filios, coſq; per charitatem ſe in corde habere teſtatur Phil. 1. *Eo quod habeam*, inquit, *vos in corde*. & quod magis eſt 2. Cor. 7. *In cordibus*, inquit, *noſtris eſtis, ad commoriendum, & conuiuendum*; quantò magis de ampliſſima Virginis charitate exiſtimare debemus in eius corde omnes ſuos ſpirituales filios ingenti cum eorum lætitia contineri. Quare Eccleſia ex pſal. 86. illud eidem Virgini dicit: *Sicut lætantium omnium noſtrum habitatio eſt in te ſancta Dei Genitrix*.

Pſal. 86.

Iob 7.

Neque id à Virginis benignitate, & charitate alienum reputabit is, qui nouit quanta cum admiratione Iob de Deo optimo idem affirmare non dubitet: *Quid eſt homo*, inquit, *quia apponis erga eum cor tuum*: vt omittam exempla quamplurima, quæ maternã Virginis erga ſuos ſpirituales filios ſolicitudinem ita teſtantur, vt eos in Virginis corde eſſe, ſeu vt dici ſolet, Virgini cordi eſſe nullus dubitandi locus relinqui poſſit: quapropter illud nobis enitendum eſt, vt puritate, atque alijs virtutibus, ita niteamus, vt non prorſus indigni eo loco, ſcilicet Virginis corde, inueniamur.

Quæ nam in præſenti agenda.

Verùm, vt huius rei veritas, cuius commemoratio iucundiſſima nobis eſſe debet, altius repetatur, tria pertractanda erunt. Primùm, beatiſſimam Virginem iuſtorum eſſe ſpiritualem matrem. Secundùm, ex quibus capitibus hoc illi tribuatur. Tertium, Ipſam matris munera in homines egregiè præſtare; & qua ratione ei reſpondere debeamus: quæ licet ſatis explorata ſint apud omnes catholicos; non erit tamen ab re ad pietatem erga Virginem excitandam de his breuiter nonnulla perſtringere.

B. Virgo Iuſtorum eſt mater ſpiritualis. Geneſ. 3.

3 Et quod ſpectat ad primũ, Virgini ſanctiſſimę MATRIS nomen tribuitur ab ipſo Deo Geneſ. 3. illis verbis ad ſerpentem: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem*, ſcilicet Virginem Deiparam, vt cap. 22. *Semen tuum, & ſemen illius*: ſicut enim impij ſemen ſerpentis,

pentis, ita Dei ſerui, qui Chriſtum naturalem Virginis filium caput ſuum, & parentem agnoſcunt, etiam huius benedictæ mulieris ſpirituale ſemen cenſentur, vt cap. 22. oſtendi. & ideò Apoc. 12. Draco abijſſe dicitur facere prælium cum reliquis de ſemine illius mulieris amictę ſole: *Qui cuſtodiunt mandata Dei, & habent teſtimonium Ieſu Chriſti.* ita ibi. Mulierem porrò illam non tantum Eccleſiam ſignificare, verùm etiam Deiparam adumbrare, dicemus cap. 31. Cap. 31.

DEIPARA EST MATER VIVENTIVM.

HInc ſancti Patres Deiparam vocant *matrem viuentium* (quo nomine Eua primùm eſt appellata) eorum ſcilicet, qui vita gratiæ viuunt. Dei enim gratia animarum noſtrarum eſt Vita, & idcirco Angeli ſancti, & homines ſempiterna beatitudine perfruẽtes, viui, viuentesq; appellantur Tob. 12. *Benedicite Deum cœli, & coram omnibus Viuentibus confitemini ei.* & pſal. 68. *Deleantur de libro Viuentium.* Quin etiam ipſa cœleſtis patria ab illis denominationem ſumit pſal. 26. *Credo videre bona Domini in terra Viuentium.* pſal. 114. *Placebo Domino in regione Viuorum.* Pſal. 141. *Tu es ſpes mea, portio mea in terra Viuentium.* E contrario verò peccatores, qui hac gratia carent, ſpiritualiter mortui cenſentur, Baruch 3. *Quid eſt Iſrael, quod in terra inimicorum es? inueteraſti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis, deputatus es cum deſcẽdentibus in infernum.* & Thren 3. *In tenebroſis collocauit me quaſi mortuos ſempiternos.* ipſa verò ęterna damnatio mors ſecunda in ſacris litteris crebrò appellatur Apoc. 21. *Pars illorum erit in ſtagno ardenti, igne, & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.*

B. Virgo eſt mater viuentium. Geneſ. 3. Tob. 12. Pſal 68. Pſal. 26. Pſal. 114. Pſal 141. Baruc 3. Thren. 3. Apoc. 21.

Ad rem igitur noſtram redeuntes, Deipara *mater viuentium* meritò appellatur. quod nomen, vt animaduertit S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 14. §. 6. multo magis Virgini tribuendum, quàm Euæ: quæ potius *mater cunctorum morientium*, vt verbis vtar Ruperti lib. 3. de Trinit. cap. 26. dicenda eſſet; quocirca S. Epiphanius hæreſ. 78. *Beata*, inquit, *mater Dei Maria per Euam ſignificatur, quæ per ænigma accepit vt mater Viuẽtium vocetur.* & infra: *Ab illa Eua omnis generatio ducta eſt in terra; hic autem verè à Maria hæc vita mundo genita eſt, vt viuentem gigneret, & fieret Maria Mater Viuentium.* & infra: *Eua mortis cauſa facta eſt hominibus: per ipſam enim mors ingreſſa eſt in mundum; Maria verò cauſa vitæ, per quam genita eſt nobis vita, & per hanc filius Dei aduenit in mundum.* hæc Epiphanius.

S. Antoninus. Rupertus. Epiphanius. Gen. 3.

4 Huc ſpectat, quod ſancti Patres crebrò Euam, per quam mors cæpit, cum ſanctiſſima Virgine quæ initium fuit vitæ, conferunt: *A muliere enim*, vt habetur Eccleſ. 25. *initium factum eſt peccati, & per illam omnes morimur*; quod de Euæ peccato intelligendum docet Auguſtinus ſerm. 17. de Natiu. illud quoque Eccleſ. 7. *Inueni amariorem morte mulierem.* Hieronymus in illum locum ad hoc refert: *Quia*, inquit, *per illam mors in orbem terrarum introïit:* per Deiparam autem vita eſt reparata, ita vt meritò Mater Viuentium ſit, & dicatur. Ideò Eccleſia in Hymno: *Aue maris ſtella*, ſic ait, loquens cum Virgine.

Mater vitæ Maria. Eccleſ 25. Auguſtinus. Eccl. 7.

offic. Eccleſ.

,, *Sumens illud Aue*
,, *Gabrielis ore*
,, *Funda nos in pace*
,, *Mutans Euæ nomen.*

Et in alio Hymno, cuius initium eſt: *O glorioſa Domina*, ſic canit.

,, *Quod Eua triſtis abſtulit*
,, *Tu reddis almo germine,*
,, *Intrent vt aſtra flebiles*
,, *Cœli feneſtra facta es.*
,, *Tu Regis alti Ianua,*
,, *Et Porta lucis fulgida;*
,, *Vitam datam per Virginem*
,, *Gentes redemptæ plauditæ.*

Irenæus lib. 5. aduerſus hæreſes cap. 19. *Sicut Eua*, inquit, *ſeducta eſt per Angelicum ſermonem, vt effugeret Deum; ſic Maria per Angelicum ſermonem euangelizata eſt, vt portaret Deum, & ſuaſa eſt obedire Deo: vti Virginis Euæ Virgo Maria fieret aduocata, & quemadmodum aſtrictum eſt morte genus humanum per Virginem, ſoluatur per Virginem, æqua lance diſpoſita virginalis inobedientiæ per virginalem obedientiam.* Idem

Irenæus.

Gen. 3. lib. 3. cap. 33. *Sicut Eua virum habens Adam, & virgo adhuc existens inobediens, & sibi & vniuerso generi humano facta est causa mortis; sic & Maria habens prædestinatum virum, tamen Virgo obediens, & sibi, & vniuerso generi humano causa facta est salutis.*

Tertullian. hæc Irenæus. Tertullianus in lib. de carne Christi cap. 17. *Sed & hic, inquit, ratio defendit, quod Deus imaginem, & similitudinem suam à diabolo captam æmula operatione recuperauit: in Virginem adhuc Euam irrepserat verbum ædificatorium mortis; in Virginem æquè introducendum erat Dei verbum extructorium vitæ, vt quod per eiusmodi sexum*

Luc. 1. *abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem: Crediderat Eua serpenti, credidit Maria Gabrieli, quod illa credendo deliquit, hæc credendo deleuit.* ita Tertullianus. Athanasius sermone de Deipara: *Proinde, inquit, ita noua Eua mater vitæ appellatur, variegataq; permanet ad primitias vitæ immortalis omnium Viuentium.* & paulò in-

Athanasius. Regenera trix nostra Deipara. ferius: *Decet, inquit, te matrem regeneratricem Dominam, ac heram cognominare, eo quod ex te prodijt Rex Dominus, ac Deus noster.* sic Athanasius. Hieronymus epist. 22. *Postquam, inquit, Virgo concepit in vtero, & peperit nobis puerum, cuius principatus in humeros eius, Deum fortem, Patrem futuri seculi, soluta maledictio est, mors per Euam, vita per*

Hieronymus. Sophronius. *Mariam.* sic Hieronymus. Sophronius inter opera Hieronymi serm. de Assumpt. *Quicquid, inquit, maledictionis infusum est per Euam, totum abstulit benedictio Mariæ.*

Augustinus. 5 Augustinus serm. 17. in natali Domini: *Vt vitiorum, inquit, sordibus horribiliter squallesceret mundus ab origine, iam in paradiso captiuus, fœmina causa fuit: cum autem nullus mederetur, & nemo succurreret, ad fœminam causa reuertitur, & origo per originẽ detruncatur, origo peccati detruncatur per Genitricem Christi: Prosapies impietatis per Prosapiem pietatis: Stirps mortis per Stirpem vitæ percutitur.* hæc ex Augustino. Idem serm. 18. de Sanctis, quem aliqui tribuunt Fulgentio: *Mater, inquit, generis nostri pœnam intulit mũdo, Genitrix Domini nostri salutem attulit mundo: auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria; illa occidendo obfuit, hæc viuificando profuit: illa percussit, ista sanauit: pro inobedientia enim obedientia commutatur; fides pro perfidia compensatur.* & infra: *Euæ plantum Mariæ cantus excluſit.* quæ ferè omnia inueniuntur in sermone 17. Augustini de natali Domini. Idem serm. 35. de Sanctis: *Hæc primæ matris damna resoluit; hæc homini perdito salutem adduxit.* Idem Augustinus lib. 3. de symbolo ad catechum. cap. 4. *Per fœminam mors, per fœminam vita: per Euam interitus, per Mariam salus: Illa corrupta secuta est seductorem; hæc integra peperit Saluatorem: Illa poculum à serpente propinatum libenter accepit, & viro tradidit, ex quo simul mereretur occidi; hæc gratia cœlesti desuper infusa vitã protulit, per quam caro mortua possit resuscitari.* hæc Augustin. Idem serm. 15. de temp. *Et quoniam, inquit, diabolus per serpentem Euę locutus, per Euæ aures mundo intulit mortem, Deus per Angelum ad Mariam protulit verbum, & cunctis seculis vitam effudit.*

Petr. Chrysol. Petrus Chrysologus serm. 140. *Benedicta, inquit, tu in mulieribus; quia in quibus Eua maledicta puniebat viscera, tunc in illis gaudet, hortatur, suscipitur Maria benedicta, & facta est verè nunc Mater Viuentium per gratiam, quæ mater ante extitit morientium per naturam.* hæc Chrysologus. Idem habet serm. 74. vbi astruit Deiparam esse matrem viuentium, quamuis verbis subobscuris.

Sedulius. Sedulius lib. 2. Paschatis de miraculis Christi initio.

,, *vt vnde*
,, *Culpa dedit mortem, pietas daret inde salutem:*
,, *Et velut in spinis mollis rosa surgit acutis*
,, *Nil quod lædat habens, matremq; obscurat honore;*
,, *Sic Euæ de stirpe sacra veniente MARIA,*
,, *Virginis antiquæ facinus noua Virgo piaret.*

Arator. Et Arator Poeta lib. in acta Apostolorum initio.

,, *Porta MARIA Dei genitrix intacta creantis*
,, *A Nato formata suo: mala criminis Euæ*
,, *Virgo secunda fugat, nulla est iniuria sexus,*
,, *Restituit quod prima tulit.*

Ildefonsus. 6 Ildefonsus sermone 4. de Assumptione vocat Deiparam *reparationem Euæ, introitum vitæ, ianuam cœli.*

Dama-

Damaſcenus oratione 1. de Natiuit. *Per Dei genitricem primigeniæ matris mœror in lætitiam mutatus eſt: etenim illa per diuinam ſententiam hoc audiuit: In dolore liberos paries: Hæc, Aue gratia plena: Illa, Ad virum erit conuerſio tua. Hæc, Dominus tecum.* & infra: *Per Euam ſerpenti operam nauantem mors aditum inuenit: Maria diuinæ voluntati obſecuta deceptorem ſerpentem in fraudem induxit, ac mundo immortalitatem inuexit.* ita Damaſcenus. & orat. 2. de dormit. pleraq; de comparatione inter Euam, & Virginem affert. *Damaſcenus.* *Geneſ. 3.* *Luc. 2.*

Bernardus homil. 2. ſuper miſſus eſt: *Lætare*, inquit, *tu pater Adam; ſed magis ò tu Eua mater exulta, qui ſicut omnium parentes, ita omnium fuiſtis peremptores: imò prius peremptores, quàm parentes; ambo (inquam) conſolamini ſuper filia, & tali filia; ſi vir cecidit per fœminam, iam non erigitur niſi per fœminam: mulier quam dediſti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi; muta excuſationis verbum in vocem gratiarum actionis, & dic: Domine mulier quam dediſti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, & comedi, & dulce factum eſt ſuper mel ori meo, quia in ipſo viuificaſti me.* ita Bernardus. Idem ſermone Signum magnum: *Sic prudentiſſimus, & clementiſſimus Artifex, quod quaſſatum fuerat non confregit, ſed vtilius omninò refecit, vt videlicet nobis nouum formaret Adam ex veteri, & Euam transfunderet in Mariam.* & infra: *Crudelis*, inquit, *Eua per quam ſerpens antiquus peſtiferum etiam ipſi viro virus infudit; ſed fidelis Maria, quæ ſalutis antitodum & viris, & mulieribus propinauit; Illa enim miniſtra ſeductionis, hæc propitiationis: Illa ſuggeſſit præuaricationem, hæc iniecit redemptionem.* ita Bernardus. *Bernardus.* *Comparatur B. Virgo cum Eua.*

6 Ex quibus omnibus illud habemus, Virginem ſanctiſſimam potiori iure, quàm Euam: imò ſingulari ratione præ illa matris viuentium titulo appellandam, cum damna Euæ, quæ mortem inuexit, ipſa Deipara vitam gignendo non tantum reſtituerit, ſed longe etiam melius reparauerit.

Ad hæc verba illa Sap. 7. *omnium eſt mater.* Albertus ſuper miſſus eſt, teſte S. Antonino 4. par. tit. 15. cap. 14. §. 3. de B. Virgine exponit: *Quam*, Albertus ait, *non ſolum ſpiritualiter genuiſſe omnes Sanctos etiam veteris teſtamenti, quippe qui per fidem verbi incarnandi de Virgine Maria explicitam, vel implicitam gratiam acceperunt, ſed etiam curam gerere maternam omnium, cui proportione ſua aptari poteſt illud, quod de Sapientia dicitur: Ipſi cura eſt de omnibus.* hæc ex Alberto. *Sap. 7.* *Albertus.* *S. Antoninus.* *Deipara mater Sanctorum etiam veteris teſtamenti.* *Sap. 6.*

DEIPARA EST MATER IVSTORVM.

7 QVapropter Patres eam matrem Iuſtorum agnoſcunt, & prædicant. Origenes tom. 1. in Ioannem in ipſa præfatione docet: *Mariæ filium eſſe Dominum Ieſum Chriſtum, & prætereà omnem eum, qui eſt perfectè chriſtianus: qui enim huiuſmodi eſt, non amplius viuit ipſe, ſed in ipſo viuit Chriſtus, & ideo de eo dici poteſt Mariæ, Ecce filius tuus Chriſtus.* hæc ex Origene. *B. Virgo mater eſt iuſtorum.* *Origenes.* *Ioan. 19.*

Hieronymus epiſtol. 25. ad Paulam de obitu Bleſillæ filiæ eius, introducit ipſam poſt mortem ad matrem ſic loquentem: *Putas me eſſe ſolam? habeo pro te Mariam matrem Domini:* quaſi dicat, ipſa Deipara in cœlis loco tui pro matre mihi eſt, vt potius mihi gratulari, quàm de obitu meo lugere debeas. *Hieronymus.*

Auguſtinus libro de ſancta virginitate cap. 6. agens de B. Virgine: *Illa*, inquit, *vna fœmina ſpiritu planè mater eſt membrorum Saluatoris, quod nos ſumus; quia cooperata eſt charitate, vt fideles in Eccleſia naſcerentur, qui illius capitis membra ſunt, corpore mater eſt ipſius capitis.* hæc ex Auguſtino. Idem etiam ſermone 18. de Sanctis. & Ildefonſus ſerm. 8. de Aſſumpt. & Sophronius inter opera Hieronymi ſermone de Aſſumptione: *Matrem gentium* eam vocant. Damaſcenus orat. 2. de dorm. Virg. refert verba Virginis ex hac vita migrantis ad Chriſtum, in quibus, vbi animam ſuam illi commendaſſet, commendans etiam fideles, vocat ſuos filios in hunc modum: *Tu*, inquit, *chariſſimis filijs meis, quos tu fratres appellandos duxiſti, peregrinationis meæ ſolatium eſto per manuum mearum impoſitionem, benedictionem eorum nouis benedictionibus cumula, poſtea ſublatis (vt veriſimile eſt) manibus ijs omnibus, qui tunc collecti erant bene precata eſt.* hæc Damaſcenus. *Auguſtinus.* *Ildefonſus.* *Sophronius.* *Damaſcenus.* *B. Virgo in ſua dormitione filios ſpirituales Chriſto commendauit.*

Petr. Chryſo. Petrus Chryſologus ſermone 146. docens MATRIS nomen ſanctiſſimæ Virgini peculiariter tribuendum eſſe, ad nomen eius, quod eſt MARIA, & ad congregationes
Geneſ. 1. aquarum, quæ Geneſ. 1. vocantur Maria alludens; eam in mari rubro præfiguratam, atque matrem populi per aquam regenerati fuiſſe egregiè explicat: *Maria*, inquit,
Exod. 14. *Mater vocatur, & quando non MARIA mater? Congregationes*, inquit, *aquarum appellauit Maria, nonne hæc exeuntem populum de Aegypto concepit vno vtero, vt emergeret cœleſtis in nouam creaturam renata progenies? iuxta illud Apoſtoli, Patres noſtri*
1. Cor. 10. *omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari, & vt ſemper Maria humanæ præuia ſit ſalutis, populum, quem vnda*
Exod. 15. *generatrix emiſit in lucem, ipſa iure præceſſit. in Cantico: Maria, inquit, ſoror Moyſi ſumens tympanum in manu ſua dixit: Cantemus Domino, glorioſe enim honorificatus eſt.* hucuſque Chryſologus. cuius ratiocinatio non minus pia, quam elegans; non enim ſola vocis ſimilitudine, quam habent maria cum Maria beatiſſima nititur, ſed in etymologia etiam ipſius nominis Mariæ, quæ vt cap. 5. dicebamus mare amarum ſonat, quare in mari rubro meritò præfiguratam dicit Chryſologus.

B. Virgo noſtræ ſaluti cooperata eſt. 8 Prætereà ſancti Patres per Virginem omnia reparata, ipſam quoque peculiari quadam ratione ſaluti noſtræ cooperatam affirmant, de quo cap. 17. egimus, ideoq; iure optimo mater noſtra dici poteſt. Hinc eſt, quod Anſelmus de excellent. Virg. cap. 11. *Sicut*,
Anſelmus. inquit, *Deus ſua potentia parando cuncta Pater eſt, & Deus omnium: ita beata Dei genitrix Maria ſuis meritis cuncta reparando mater eſt, & Domina rerum.* S. Ephræm ſerm.
Ephræm. de laudib. Virg. inter aliàs Deiparæ ſalutationes, etiam hanc ponit: *Aue omnium Parens.*
Bonauentura S. Bonauentura in ſpeculo B. Virginis cap. 8. *Maria*, inquit, *non ſolum eſt mater Chriſti*
Ambroſius. *ſingularis, ſed etiam mater omnium fidelium vniuerſalis: vnde B. Ambroſius ait, Si Chriſtus eſt credentium frater, cur non ipſa, quę genuit Chriſtum credentium ſit mater? Eia chariſſimi omnes nunc gaudeamus, nunc omnes gaudẽdo dicamus: Benedictus frater, per quem*
Anſelmus. *Maria eſt noſtra mater: & benedicta mater, per quam Chriſtus eſt noſter frater. Hinc bene Anſelmus ait, Domina mater per quam talem fratrem habemus: quid gratiarum, quid laudis tibi retribuemus.* hactenus Bonauentura: qui etiam in vita S. Franciſci cap. 9. nar-
Bonauenturæ rat S. Franciſcum indicibili amore erga matrem Domini fuiſſe affectum, inter alia hoc ẽt nomine: *Eo quod*, inquit, *Dominum maieſtatis fratrem nobis effecerit.* Idem in hymno: *Te matrem Dei, &c. Tu mater omnium beatorum, gaudium plenum poſt Deum, omnium ſupernorum ciuium ſolatium.*
Rupertus. Rupertus Tuitienſis lib. 13. in Ioannem, B. Virginem plane omnium noſtrum Matrem dicit, quia ſalutis omnium noſtrum cauſam; & tunc ſine dolore peperit, quando ſcilicet Chriſtum genuit: & tempore paſſionis Domini cum magno
Dionyſ. Carthuſianus. dolore parturiebat, quando iuxta crucem ſtabat. Dionyſius Carthuſianus in Cantica art. 27. *Sicut*, inquit, *Chriſtus eſt Deus noſter, & miſericordia noſtra, ſic Virgo eſt mater, & Domina noſtra miſericordiæ ianua.*

S. Bernardinus. 9 S. Bernardinus Senenſis tom. 3. ſerm. 6. art. 2. cap. 2. *Virgo*, inquit, *per hunc conſenſum in incarnationem filij omnium electorum ſalutem viſceroſiſſimè expetijt, & procurauit, & omnium ſaluti, & ſaluationi per hunc conſenſum ſe ſingulariſſimè dedicauit, ita vt ex tunc omnes in ſuis viſceribus baiularet tanquam veriſſima mater filios ſuos.* & ſerm. 11. art. 2. cap. 1. *Vnde*, inquit, *ab ipſo Patre æterno B. Virgo recepit fontalem fœcunditatem ad generandos omnes electos, & etiam ipſos Angelos in aliquo guſtu, & gradu, & experientia diuinorum.* & cap. 3. *Tota Trinitas hanc ineſtimabilem Virginem oſtendit eſſe electorum omnium genitricem piam inexiccabilis pietatis.*
S. Antoninus. S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 2. vbi dixiſſet Chriſtum in cruce Ioanni matrem ſuam virginem dediſſe in matrem: *Quia verò*, inquit, *Ioannes interpretatur, in quo eſt gratia, cuilibet etiam, qui Ioãnes dicitur, & exiſtit, in quo ſcilicet eſt gratia gratũ faciens, datur Virgo Maria in matrem;* & citat Anſelmum dicentem: *Mater Dei facta eſt mater noſtra:* quod ẽt probat: *Sicut. n.* inquit, *Chriſtus nos genuit verbo veritatis ad eſſe gratiæ ſpirituale in cruce patiẽdo; ita & B. Virgo Maria nos genuit, & peperit in maximis doloribus filio compatiendo pęnas immenſas pro nobis patienti. Ita*
Iſa. 66. *Albert. Magn.* *exponit Albertus Magnus illud Iſa. vlt. Parturiuit Sion filios ſuos, ideſt B. Virgo, quę ſpeculabatur myſteriũ paſſionis (Sion. n. ſpeculatio interpretatur) parturiuit ſummè condolendo in paſſione filij.* hæc S. Anton. Idem c. 14. §. 3. explicat quomodo ſanctiſſima Virgo mater

dica-

dicatur non ſolum hominum,ſed etiam Angelorum: *Quoniam*,inquit,*quicquid eſt cauſa cauſæ,cauſa etiã cenſetur cauſati,ſed Angeli illuminationem,perfectionem, & beatificationem recipiunt à Ieſu,per quem omnia reſtaurantur in cœlo,& in terra; ergo Maria, quæ mater eſt Ieſu, cauſa eſt aliquo modo gloriæ Angelorum, vt apertè dicatur mater eorum.* hæc S.Antoninus,eadem quoque habet cap.20.§.11.

10 S.Brigitta in ſuis Reuelationibus lib.4. cap. 138. à B. Virgine hæc ſibi vigilanti in oratione dicta refert: *Ego ſum*, inquit, *Mater Dei,quia ſic placuit ſibi. Ego etiam ſum mater omnium,qui ſunt in ſuperiori gaudio. quamuis Infantes habeant ſuam neceſſitatem ſecundùm ſuam voluntatem; tamen in augmentum ſuæ lætitiæ cumulatur eis gaudium, ex eo quòd vident faciem matris ſuæ blandam. Sic placet Deo dare omnibus in cœleſti Curia gaudium,& exultationem de meæ virginitatis puritate,& mearum virtutum pulchritudine,quamuis habeant incomprehenſibiliter ex eiuſdem diuinitatis potentia totum bonũ. Sum etiam Mater omnium, qui ſunt in purgatorio, quia omnes pœnæ, quæ debentur purgandis pro peccatis ſuis,in qualibet hora propter preces meas quodammodo mitigantur: ita placet Deo,vt aliqua ex his pœnis, quæ debentur eis de rigore diuinæ iuſtitiæ, minuatur: Ego ſum mater totius iuſtitiæ, quæ eſt in mundo, quam iuſtitiam filius meus dilexit dilectione perfectiſſima: & ſicut materna manus ſemper parata eſt ad opponendum ſe periculis,in cordis filij ſui defenſionem, ſi aliquis niteretur in ſui læſionem; ita ego ſum parata iugiter iuſtos, qui ſunt in mundo, defendere, & de omni ſpirituali periculo liberare. Ego etiam quaſi ſum Mater omnium peccatorum ſe volentium emendare, & habentium voluntatem in Deum amplius non peccare, & ſum voluntaria ipſum peccatorem in meam defenſionem accipere,ſicut charitatiua mater dum videret filium nudum ab inimicis acutos gladios habentibus,ſibi occurrentem; Nonne tunc ipſa opponeret ſe periculis viriliter, vt filium ſuum de manibus inimicorum ſuorum liberaret, & eriperet, & in ſinu ſuo gaudenter conſeruaret: Ita facio, & faciam ego omnibus peccatoribus miſericordiam meam à filio meo petentibus ſub mera contritione,& diuina dilectione.* hactenus ex Reuelationibus S.Brigittæ.

S. Brigitta.

Sancti in Cœlo gaudent de Virginis præſtantia non ſecus, ac filij de matris conſpectu.

B. Virgo mater eſt eorum, qui ſunt in purgatorio.

B. Virgo eſt mater iuſtorum.

B Virgo eſt quaſi mater peccatorum, quos iuuat.

Ex dictis ſatis probatum remanet primùm, quod tractandum ſuſcepi, ſanctiſſimam Deiparam iuſtorum omnium Matrem eſſe, atque à ſanctis Patribus tanquam matrem agnoſci: nunc quibus ex capitibus hoc illi tribuatur demonſtrandum erit.

VIRGINEM DEIPARAM IVSTORVM ESSE Matrem; tùm quia Chriſti Domini eſt Mater; tùm quia in Ioanne ab eodem Chriſto ſunt ei peculiariter in filios traditi;tùm etiam quia eorum ſalutem multipliciter promouit. Cap. XXVIII.

SVMMARIVM.

Chriſtus Deiparæ in Ioanne iuſtos in filios tradidit nu.5.
Deipara ad iuſtorum ſalutem multipliciter cooperatur nu.8.
Deipara Mater eſt diuinæ gratiæ,pulchræ dilectionis, fidei,& ſanctæ ſpei nu. 11.

IVM ex ſuperiori capite Virginem glorioſam iuſtorum eſſe Matrem conſtet, in præſentia quibus rationibus hoc ei conueniat, oſtendamus; quod erat alterum ex tribus, quæ in hoc argumento ſuperiori capite pertractanda propoſui. Et ſanè triplici ex capite hoc Virgini beatiſſimæ meritò conuenit. Primum,quia Chriſti Domini,qui omnium iuſtorum eſt parens,ipſa Mater eſt naturalis. Secundum, quia Chriſtus ipſe in cruce in Ioanne iuſtos Virgini in filios tradidit, eidemq; commendauit. Tertium,quia præter hæc ipſa multis modis ad iuſtorum ſalutem cooperatur, eosq; in Chriſto gignit: quæ omnia ſingillatim demonſtranda ſunt.

B. Virgo quibus capitibus Mater dicatur iuſtorum.

Primò, qui Mater est Christi.

Primùm igitur caput est, quia Christi mater est naturalis: hanc rationem admittunt Doctores ij præcedenti capite allati, qui Virginem matrem viuentium esse astruunt; quoniam scilicet vitam, ideſt Christum, per quem verè viuimus, genuit: & quoniam omnes, qui vita gratiæ viuunt ad eam spectant. Ita Epiphanius, Irenæus, Augustinus, Bernardus, qui Virginem cum Eua conferunt: necnon Athanasius, Albertus, S. Antoninus, Bonauentura, Rupertus, S. Bernardinus Senensis, quos supra citauimus; qui ex eo, quòd Mater sit Christi, matrem esse iustorum inferunt. Idem etiam ratione sic probatur: Virgo Mater est Christi; sed iusti omnes sunt spirituales filij ipsius Christi; ergo & Virgo sanctissima eorum mater dicitur. Consequentia ex communi modo loquendi, & ex phrasi ipsa scripturarum satis est clara, vt dicemus: Christum autem Patrem esse iustorum, qui per baptismum regenerantur, & Galat. vlt. *Noua creatura in ipso efficiuntur, quia pretioso suo sanguine eos redemit, & in filios adoptauit*, & iustos vicissim semen, seu sobolem esse eiusdem, docet Isaias cap. 9. qui inter alia Christi nomina, quibus eius admirabiles effectus, & in humanum genus beneficia indicantur, etiam hoc recensetur: *Et vocabitur*, inquit, *nomen eius Pater futuri seculi:* seu, vt alij vertunt, & in idem recidit, *Pater æternitatis;* nimirum eorum, qui ad seculum futurum, seu beatam illam æternitatem pertinent, quibus æternitatis aditum deuicta morte ipse reserauit: *Impij enim morti æternæ addicti, vinculis æternis* (vt verbis vtar Apostoli Iudæ) *sub caligine reseruantur*. Adhæc de Christo vaticinatur Isaias cap 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum*, generatione scilicet nunquam interitura, quod idem est cum eo, quod ipse Christus de se dixit: *Si granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, multum fructum affert.* De hac sua prole, seu semine Christus psal. 21. *Et anima*, inquit, *mea illi viuet, & semen meum seruiet ipsi.* & Isa. 63. Propheta in persona fidelium ad Christum: *Tu enim Pater noster, & Abraam nesciuit nos, & Israel ignorauit nos. Tu Domine Pater noster, & Redemptor noster:* quibus verbis, vt animaduertit Theodoretus, non negatur, Abraam Patriarcha, sed quòd Patris nomen magis Christo Deo Redemptori conueniat, nulloq; alio Patre nisi Christo esse nobis gloriandum ostenditur. Hinc est, quod Matth. 9. Iusti dicuntur *filij sponsi.* ex quo loco S. Augustinus lib. de sancta virginitate cap. 6. *Omnes qui in Christum crediderunt, ex Christo spiritualiter nasci, & rectè filios sponsi appellari colligit.* ideò Ioan. 12. *Credite in lucem, vt filij lucis sitis.* cumq; ipse Christus Ioan. 1. *Sit lux vera, quæ illuminat omnem hominem*; satis ostendit eos, qui in Christum credunt, filios euadere Christi. Quare Christus in sermone post cœnam, Ioan. 13. vt suam in Apostolos charitatem paternam exprimeret, illos compellauit *filiolos*, in baptismo enim Colos. 3. expoliamus veterem hominem, & induimus nouum, iuxta illud Apostoli Rom. 13. *Induimini Dominum nostrum Iesum Christum*, atque adeò in Christo renascimur. ideò etiam baptismus *lauacrum dicitur regenerationis*, in quo hanc filiationem, quæ est maxima dignitas, consequimur.

Epiphanius. Irenæus. Augustinus. Bernardus. Athanasius. Albertus S. Antonin. Bonauentura Rupertus. S. Bernard. Christus Pater est iustorum. Galat. vlt. Isa. 9. Epistola Iudæ. Isa. 53. Ioan. 12. Psal. 21. Isa. 63. Theodoretus. Matth. 9. Augustinus. Ioan. 12. Ioan. 1. Ioan. 13. Colos. 3. Rom. 13.

2 Quòd verò Christi mater, Mater quoque sit eorum, qui spiritualiter à Christo sunt geniti, ipsa nos ratio admonet. Quo circa S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 14. §. 3. ad hoc probàndum affert axioma illud philosophicum: Quicquid est causa causæ, est causa causati. Et Petrus Damianus sermone 3. de Natiu. Virg. *Meritò*, inquit, *B. Maria dicitur parens parentis, fons fontis viui, origo principij, quia ille ex ea prodijt per materiam carnis, qui caput est, & initium omnium rerum per essentiam diuinitatis.* Adhæc modus, & phrasis sacrarum litterarum hoc idem docent: nam Isa. 51. *Sara dicitur peperisse Iudæos*, cùm tamen ipsa non nisi Isaac genuerit, ex quo propagati sunt Iudæi: *& Abraam Pater dicitur multarum gentium per eundem Isaac.* ita Genes. 17. Isa. 51. & Ioan. 8.

S. Antonin. Petr. Dam. Gen. 17. Isa. 51. Ioan. 8. Ambrosius.

Quare non immeritò iuxta expositionem Ambrosij lib. de Instit. Virg. cap. 13. beatissimæ Virgini dicitur: *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis:* quamuis enim in virgineo Deiparæ vtero (cuius illibatam integritatem, vt animaduertit Carthusianus lib. de laud. Virg. art. 37. liliorum vallum significat) vnicum fuerit granum frumenti, quia tamen ex Ambrosio, granum frumenti posteà in cruce mortuum, plurimum fructum attulit, ideò de vno grano tritici aceruus est factus, & completum est illud propheticum: *Et conualles abundabunt frumento*. ita Ambrosius. Et Epiphanius sermone de laudibus Deiparæ: *Ipsa*, inquit, *est ager minimè cultus, quæ Verbum velut granum frumenti susci-*

In B. Virgine continentur iusti, qui dicuntur aceruus tritici. Cant. 7. Carthusian. Ambrosius. Epiphanius.

ſuſcipiens etiam manipulum germinauit. ſic ille. Cùm ergo granum illud innumeros electos, quorum Chriſtus caput eſt, atque parens, virtute contineat; conſequens etiam eſt, vt omnes illi ſanctiſſimæ Dei genitricis ſpirituales filij, velut aceruus tritici in eius vtero cenſeantur: ſimili namq; ratione Rebeccæ geminos tantum in vtero geſtanti dictum à Domino: *Duæ gentes ſunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur*, quod in illis duobus eorum poſteri continerentur. *Gen. 25.*

3 Dices, Chriſtus Dominus in ſacris litteris, præſertim in Canticis Sponſus dicitur Eccleſiæ; imò & cuiuſlibet animæ in gratia exiſtentis, vt videre eſt Matth. 9. Luc. 5. Ioan. 3. quare Apoc. 21. *Oſtendam tibi ſponſam vxorem Agni:* quocirca Eccleſia, & quælibet anima fidelis crebrò vocatur ſponſa Cant. 4. *Vulneraſti cor meum ſoror mea Sponſa.* Additur autem (*ſoror*) ad indicandum amorem caſtiſſimum, qui inter hunc ſponſum, & ſponſam intercedit; quorum epithalanium in ſpiritu cecinit Regius Propheta pſal. 44. & Salomon toto libro Canticorum. de quo Apoſtolus Epheſ. 5. *Erunt*, inquit, *duo in carne vna; Sacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* *Obiectio, quia Chriſtus eſt ſponſus animæ, & quomodo eſt pater.* *Matth. 9.* *Luc. 5.* *Ioan. 3.* *Apoc. 21.* *Cant. 4.* *Pſal. 44.* *Epheſ. 5.*

Præterea Chriſtus per Incarnationem frater, & caro noſtra eſt, ita vt, iuxta illud Roman. 8. *Sit ipſe primogenitus in multis fratribus.* quod nomen etiam poſt reſurrectionem non eſt dedignatus, quando ſibi omnem poteſtatem datam in cœlo, & in terra declarauit: nam & Mariæ Magdalenæ familiariter: *Vade*, inquit, *& dic fratribus meis, Aſcendo ad patrem meum, & patrem veſtrum*; quam dignationem meritò Apoſtolus Hebr. 1. adeò extollit: *Non confunditur*, inquit, *fratres eos vocare, dicens: Narrabo nomen tuum fratribus meis:* quæ cum ita ſint, qua nam ratione Chriſtus, qui eſt ſponſus, & frater noſter, dici etiam poterit Pater? & qua etiam ratione ex hoc capite B. Virgo Mater noſtra dicetur? *Chriſtus eſt pater iuſtorum, quomodo dicitur pater.* *Rom. 8.* *Ioan. 20.* *Hebr. 1.* *Pſal. 21.*

Reſpondeò ex his rectè inferri Chriſtum non tantum Patrem, verùm etiam ſponſum, & fratrem eſſe iuſtorum; in cognatione enim ſpirituali diuerſis rationibus, diuerſa quoque huiuſmodi nomina eidem imponi non eſt inconueniens: quare illud, quod apud Homerum à pudiciſſima quadam fœmina coniugi dilectiſſimo dictum legimus, vbi eum ſibi patrem, matrem, fratrem, atque ſponſum eſſe affirmat; multò præſtãtius in Chriſtum, mutato dumtaxat nomine, anima fidelis referre ſic poteſt. *Obiectioni ſatisfit.* *Homer. lib. 6.*

,, *Tu mihi Chriſte Deus Pater es, tuq; optima Mater;*
,, *Tu mihi Germanus charus, ſponſusq; fidelis.* *Homer. lib. 6. Iliad. prope finem Anaromache ad Hectorem coniugem ſuum.*

4 Iam verò hæc ipſa magis cõfirmant Virginem ſanctiſſimam electorum Matrem meritò dici; ſiquidem non tantum eſt Mater noſtra, quatenus Chriſtus eſt Pater noſter: ſed etiam quatenus ſponſus eſt noſter. Etenim mater ſponſi ſolet communiter mater etiam ſponſæ appellari; nam, vt rectè animaduertit Philo lib. 2. de Monarchia, generi loco filiorum ſunt ſoceris, & hi loco parentum ſunt generis: pari ratione ſponſa filij, loco filiæ eſt matri huiuſmodi ſponſi. & hæc viciſſim eidem ſponſæ loco eſt matris. *Philo.*

Similiter non tantum eſt mater Chriſti fratris noſtri: ſed carnem illi tribuendo fratrem cum nobis effecit. vnde Anſelmus apud Bonauenturam in ſpeculo B. Virg. cap. 8. *Si Chriſtus*, inquit, *eſt credentium frater, cur non ipſa, quæ genuit Chriſtum, credentium ſit Mater?* & ipſe Bonauentura infra: *Benedictus frater, per quem Maria eſt noſtra Mater: & benedicta mater, per quam Chriſtus eſt noſter frater.* hæc Bonauentura. de quo Anſelmus lib. de excell. Virg. cap. 9. *Quod*, inquit, *tantum patrem, & tantum fratrem* (ideſt Chriſtum) *ſortiti ſumus, vtique B. Mariæ aſcribere debemus, cuius integerrima, & benedicta fœcunditate in tantam dignitatem ſurreximus, quod eius fœcunda virginitas Deum de ſua ſubſtantia genuit.* & cap. 12. ad B. Virginem: *Per hoc*, inquit, *Deus noſter, per te factus eſt frater noſter, vt quemadmodum ipſe dignatus eſt conſors fieri noſtræ humanitatis, vt nos mereamur conſortes fieri ſuæ diuinitatis.* & Bernardus ſerm. de Aquæductu: *An*, inquit, *trepidas ad Chriſtum? frater tuus eſt, & caro tua, tentatus per omnia abſque peccato, vt miſericors fieret; Hunc tibi fratrem Maria dedit.* ita Bernardus. *Ambroſ. apud Bonauent.* *Anſelmus.* *Bernardus.*

CHRISTVS DEIPARAE IN IOANNE *Iuſtos in filios tradidit.*

5 ALterum caput, quo Virgini ſanctiſſimę Matrem eſſe Iuſtorum conuenit, illud eſt; quoniam ſcilicet Chriſtus Dominus in cruce pendens in Ioanne diſcipulo ſingulariter *Secundò, quia Chriſtus in cruce iuſtos ma*

tri in filios tradidit.

riter ſibi dilecto,& cuius nomen gratiam ſonat,omnes quos ipſe diligit, quiq; in gratia exiſtunt, in filios eidem tradidit, vt quos ipſe eo tempore maximis in cruce doloribus

Iſa.53.

parturiebat, iuxta illud Iſaiæ vaticinium: *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum:* ipſa tanquam pia Mater à Chriſto genitos in filios ſua charitate fouendos,ſuoq; patrocinio tuendos ſuſciperet. & hoc quidem ſibi volunt ex Auctoribus ſuperiori capite ad verbum allatis ij,qui affirmant B. Virginem tempore paſſionis propter

Ruper. Tuit.

acerbiſſimos dolores ex filij compaſſione toleratos nos parturijſſe. Ita Rupert. Tuitiēſis,

S. Antonin.

& Albertus apud S. Antoninum 4.par.tit.15.cap.2. quoniam ſcilicet eo tempore Chriſtus electos omnes in Ioanne,qui gratia interpretatur,ei dedit in filios. Huc referri poteſt illud S. Antonini 4.par.tit.15. cap.20. §.14. vbi docet Chriſtum feciſſe Virginem participem beneficij redemptionis, quatenus ſicut fuit adiutrix redemptionis per compaſſionem,ita fieret Mater omnium per recreationem: totumq; mundum ſicut obſtringitur Chriſto per paſſionem,ita etiam Dominæ obſtringi per compaſſionem. hæc S. Antoninus. Sed diſertis verbis hoc etiam plurimi adnotarunt, inter quos idem S. Antoninus

P. Alph. Salmer.

4.par.tit.15.cap.2.cuius verba ſuperiori capite citaui. P. Alphonſus Salmeron tom. 10.

Tolet. in Io. 19.

ſuorum operum tract.41. Toletus in Ioan.19.ſuper illud: *Mulier ecce filius tuus. Omnes nos,* inquit, *curæ, protectioni, & interceſſioni Virginis commendat, nobis autem fiduciam confert, vt tanquam ad Matrem, & Dominam in omnibus noſtris confugeremus; Ioannes omnes nos repreſentabat.* ſic ille. Idem etiam ſatis apertè indicat Origenes in Ioannem

Origenes.

Notanda doctrina Origenis ad hæc, quæ tractamus.

tom.1.in ipſa præfatione,vbi,vt quis myſteria,quæ in Euangelio S. Ioannis continentur percipiat,docet illum debere eſſe alterum Ioannem, qui ſupra pectus Domini recubuerit, vel à Chriſto acceperit B. Virginem in Matrem, ita vt ſit veluti alter Chriſtus filius

Ioan.12. & 19.

Virginis. & poſt aliqua concludit de omni perfecto chriſtiano,in quo viuit Chriſtus, dictum fuiſſe Virgini: *Ecce filius tuus Chriſtus:* verba Origenis placuit plenius referre, vt intelligamus quales nos eſſe deceat,vt ad tantam Virginis filiationem aliqua ratione aſpirare poſſimus: conferens enim ibi Origenes Ioannem cum reliquis Euangeliſtis, qui humanam Chriſti generationem,& actiones enarrant,ſubijcit de Ioanne in hæc verba:

Origenes.

Sed maiores, perfectioresq; de Ieſu ſermones reſeruat ei, qui ſupra pectus Ieſu recubuit: Nullus enim illorum adeò purè manifeſtauit illius diuinitatem, vt Ioannes; quippe qui inducit illum dicentem: Ego ſum lux mundi, Ego ſum via, veritas, & vita, Ego ſum reſurrectio, Ego ſum oſtium, Ego ſum paſtor bonus: & in Apocalypſi, Ego ſum α, & ω; principium, & finis; primus, & nouiſſimus. Audeamus igitur dicere, primitias ſcripturarum omnium euangelium eſſe: Euangeliorum verò primitias euangelium à Ioanne traditum, cuius ſenſum percipere nemo poteſt, niſi qui ſupra pectus Ieſu recubuerit, vel acceperit à Ieſu Mariam, quæ etiam ipſius Mater fiat, adeò talem, tantumq; neceſſe eſt, qui Ioannes alius ſit facturus, vt quemadmodum Ioannes, itidem etiam & iſte à Ieſu, Ieſus exiſtere oſtendebatur: Nam ſi nullus eſt Mariæ filius (iudicio eorum, qui de ipſa ſanè ſenſerunt)

Ioan.8. 14.11. & 10.

Apoc.22.

Ioan.19.

præterquam Ieſus, dicitq; Ieſus Matri, Mulier ecce filius, & non Ecce etiam hic eſt filius tuus, perinde eſt, ac ſi dixiſſet: Ecce hic eſt Ieſus, quem genuiſti; Etenim quiſquis perfectus eſt, non amplius viuit ipſe, ſed in ipſo viuit Chriſtus, cumq; in ipſo viuat Chriſtus, dicitur de eo Mariæ: Ecce filius tuus Chriſtus. hactenus Origenes.

Pietas Chriſti dum Ioannem matri filium tradit

Quanta autem cum pietate Chriſtus in cruce totum hoc inter Matrem,& Ioannem tranſegerit,pulchrè expendit Ambroſius epiſt.82.ad Vercellenſem Eccleſiam in fine: *Nam ſi,* inquit, *religiorum eſt, quod latroni donatur venia, multò liberioris pietatis eſt, quod à filio Mater tanto affectu honoratur. Ecce,* inquit, *filius tuus, ecce mater tua. Teſtabatur de cruce Chriſtus, & inter matrem, atque diſcipulum diuidebat pietatis officia.* hæc

Ambr. epiſt. 82 aliàs lib. 3. epiſtol 19.

Ambroſius. Cyprianus ſermone de Paſſione agens de hoc: *Thalamum,* inquit, *humanitatis tuæ cubiculario dilecto commendas.* & Cyrillus in Ioannem: *Commendat,* inquit, *Mariam Ioanni, vt officium filij in eam ſeruaret, Matri Ioannem, vt parentis in diſcipulum auctoritatem haberet, amore videlicet, atque charitate non minus illos coniungebat, quàm ſi naturæ maxima propinquitate coniuncti eſſent.* ita Cyrillus.

Cyprianus.

Cyrillus.

Gratia Chriſto agendæ, quod noſtri in cruce memor eſſe voluit.

6 Quòd autem Chriſtus in cruce in tanta tormentorum atrocitate noſtri ita memor eſſe dignatus ſit, vt matrem ſuam nobis etiam traderet in matrem, profectò beneficio nos ſibi deuinxit adeò ingenti, vt ſi ea, quæ illud conſequuntur, attentè perpendantur,

ver-

verbis ſatis explicari nequeat. quocirca gratiæ illi agendæ ſunt,quàm maximæ : neque enim ſatis illi fuit nos facere ſui æterni patris filios ; niſi etiam, quo ſibi coniunctiores redderet,etiam in Ioanne matris ſuæ filios efficeret,vt ex vtraque parte tam patris, quã matris fratres illius eſſemus . quare Bernardus ſermone Signum magnum : *Gratias*, inquit,*age ei, qui talem tibi mediatricẽ benigniſſima miſeratione prouidit.* Et hoc fuit legatum , ſeu hæreditas illa precioſiſſima inter ſummos cruciatus à Chriſto nobis relicta, cum Deiparam Ioanni,& in Ioanne nobis eam tradidit. quod non obſcurè in Eliæ pallio figuratum accepimus: ſicut enim olim Elias 4.Reg.2. in curru igneo per turbinem euectus aſcendens in cœlum,Eliſeo pallium ſuum reliquit,per quod ipſe Eliſeus 3.Reg. 19. à laborioſo,& humili arandi opere,ad ſalutarem,& honorificam Eliæ ſequelam antea fuerat traductus;& in quo poſtea admirabilia effecit,cum Iordanis aquas,vt per eas ſicco veſtigio pertranſiret, diuiſit : ita Chriſtus per turbinem paſſionis in curru crucis flammis charitatis vndequaque flagrante recedens,B.Virginem quæ ſuum erat pallium, in cuius vtero dum carnem ſuſcepit,veluti pallio circumdatus,ſeu obuolutus fuerat,nobis reliquit,cum ſcilicet in Ioanne nobis etiam eam in matrem tradidit,cuius virtute, & precibus tot peccatorum conuerſiones, tam multa miracula in Eccleſia peraguntur ; & aquæ tribulationum præſentis vitę ita diuiduntur,ac mitigantur,vt per eas tuti tranſire valeamus.alioquin *Forſitan pertranſiſſet anima noſtra*,vt habetur pſal.123.*aquam intolerabilem*;aquam nimirum ita altam,vt vadari nequeat.

Bernardus.

Præfiguratur hoc in pallio Eliæ, quod Eliſeo reliquit, 4. Reg.2. 3.Reg. 19.

B. Virgo palliũ Chriſti dicitur.

Per Virginem aquæ huius mũdi diuiduntur. Pſal. 123.

Deiparam autem Chriſti pallium appellat Methodius in hypapantem cum ea agens : *Tu es*,inquit,*impollutum illius indumentum,qui luce vti veſtimento circumfunditur* . Et quemadmodum Eliſeus adduci neutiquam potuit , vt Eliam priuſquam raperetur deſereret,ſed ad finem vſque illi adhæſit,& ita huius pallij hæres factus eſt, (audierat item Eliam ſibi duplicem eius ſpiritum in ſe fieri poſtulanti ita dicentem: Si videris me quãdo tollar à te,erit tibi quod petiſti,) ita & nos, vt tantum Chriſti pallium hæreditate poſſideamus , & ſpiritum eius duplicem , vberem nimirum eius gratiam conſequamur , exemplo S. Ioannis iuxta crucem Ieſu cum matre eius in finem vſque perſiſtamus , per crebram nimirũm,ac deuotam paſſionis eius meditationem , cum animi gratitudine , & charitatis ardore coniunctam ; per ſocietatem paſſionum, pro Chriſti nomine hilari , ac prompto animo ſuſceptarum : ſi enim cum Chriſto crucifixo perſtiterimus in eius tentationibus Luc.22. Regni quoque eius erimus participes: *Si compatimur* Roman. 8. *& conglorificabimur: ſi commorimur* 2.Timoth.2. *conuiuemus : Et ſi* 1.Petr. 4. *communicauerimus Chriſti paſſionibus,in reuelatione gloriæ eius gaudebimus exultantes : Quod ſi* 2. Corinth. 1. *fuerimus ſocij paſſionum, etiam & conſolationis erimus : Quin etiam Chriſto paſſo in carne eadem cogitatione* 1.Petr.1. *armemur , vt omnia tela nequiſſimi ignea extinguere poſſimus* .

Methodius.

4. Reg.2.

Cum Chriſto in cruce perſeuerandum.

Luc. 22.

Rom 8.

2. Timot.2.

1.Petr.4.

2. Cor.1.

1.Petr.1.

7 Verùm vt tam pretioſi legati nobis à Chriſto relicti , vberem fructum capiamus, obuoluamur & nos hoc ſacro Virginis pallio,ſub quo,vt cap.24.dicebamus,quamplurimi, tanquã in portu tutiſſimo ſtationem faciunt;ad eam ſupplices accurramus dicentes cum Eccleſia : *Sub tuum præſidium confugimus ſancta Dei genitrix,noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus; ſed à periculis cunctis libera nos ſemper Virgo glorioſa,& benedicta :* caueamusq; ne emolumentum , quod ex Virginis patrocinio conſequi poſſumus ampliſſimum,noſtra deſidia amittamus.neque enim exiguæ confuſionis rei erunt ij, qui tantum Chriſti beneficium paruifecerint: nam & Dominus Iudæis inter alia beneficia , quibus ſe ingratos exhibuerunt,illud exprobrat Micheæ 6. *Quod miſerit ante faciem eorum Moyſen, Aaron,& Mariam* . quæ verba enarrans Hieronymus in ſuis commentarijs in Michæam,de Chriſto,& Deipara interpretatur: *Audiamus*,inquit,*cum peccauerimus aduerſus nos diſputantem Deum, & in nos beneficiorum ſuorum magnitudinem arguentem. mittit Moyſem ſpiritualem legem,& Aaron magnum ſacerdotem, non typicum Ephod,veritatemq; portantem: ſed ſignaculum ſanctitatis in fronte habentem , quod Deus Pater ſignauit: mittit & MARIAM vaticinium Prophetarum.* hæc Hieronymus.Quare iuxta hunc Hieronymi ſenſum , vt in præſentia taceam eorum ſocordiam , & nequitiam omni ſupplicio dignam , qui Chriſti beneficium nec agnoſcunt , nec recipiunt , (quod grauiter Apoſtolus ad Hebr.10. expendit comparatione facta cum pœnis tranſgreſſori-

Ad B Virginem confugiendum.

Mich. 6.

Hieronymus.

Hebr. 10.

gressoribus Mosaycæ legis inflictis.) quanto putamus maiori, quàm veteres illos Iudæos reprehensione, ac pœna dignos eos, qui in lege gratiæ Mariæ Deiparæ beneficio vti neglexerint, quam Maria soror Moysi adumbrabat, quamq; Deus singulari benignitate præter Christum nobis in hoc deserto, ad terram promissionis cœlestem contendentibus dedit in matrem?

DEIPARA AD IVSTORVM SALVTEM multipliciter est cooperata.

Tertio, quia B. Virgo multis modis salutem hominum iuuat.

8 TErtium caput erat, quoniam sanctissima Virgo præter id, quod omnibus contulit Christum gignendo (qua ratione ad salutem nostram, vt cap. 17. dixi, suo modo peculiariter cooperata est) adhuc ad salutem nostram, & vt adoptionem filiorum Dei adipiscamur, multis rationibus, nimirum suis efficacissimis precibus, meritis, doctrina, exemplis, & miraculis, quæ ab ea iugiter, & vbertim in Ecclesia promanant, ita cooperatur, vt in Christo meritò nos gignere dicatur: nam & auxilia ad deserenda peccata, & ad proficiendum in via Dei nobis impetrat, vires dæmonis, eiusq; contra nos conatus retũdit, ac comprimit; miseris opitulatur, omnibus nostris necessitatibus, tùm corporis, tùm animæ præsto esse, & vt cœli Regina opem suam nobis impertiri dignatur.

Apostolus fideles à se conuersos vocat filios. 1. Cor. 4.

Quòd autem propter hoc meritò mater nostra dici possit, hac ratione demonstratur; Apostolus enim quos ad fidei veritatem sua prædicatione perduxerat, filios iure appellat 1. Corint. 4. *Vt filios*, inquit, *meos charissimos moneo: nam si decem millia pedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres, nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui.* & Galat. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis.* & ad Philemonem: *Obsecro te pro filio meo Onesimo, quem genui in vinculis.* Sed Virgo Deipara ad omnium salutem peculiari ratione cooperatur, ergo meritò mater omnium dici potest. Quòd autem omnibus ad salutem consequendam multis modis auxilietur præter ea, quæ plenius dixi cap. 16. quòd mater sit misericordiæ. & cap. 17. quomodo ad omnium salutem sit cooperata, probatur tum auctoritate, tùm etiam ratione. Augustinus lib. de sancta virginitate cap. 6. loquens de Deipara: *Hæc*, inquit, *mater spiritu est membrorum Saluatoris, quia cooperata est charitate, vt fideles in Ecclesia nascerentur.* Anselmus de excell. Virg. cap. 11. *Beata*, inquit, *Dei genitrix suis meritis cuncta reparando mater est, & Domina rerum.* S. Bernardinus Senensis tom. 3. serm. 6. art. 2. cap. 2. *Virgo*, inquit, *per consensum in incarnationem omnium electorum salutem viscerosissime expetijt, & procurauit, & ex tunc in suis visceribus omnes baiulauit tanquam verissima mater filios suos.* ita S. Bernardinus. Et in S. Brigittæ reuelationibus lib. 14. cap. 138. *Ipsa Virgo*, vt fusius cap. super retulimus, *dicebat se nedum iustorum; sed etiam peccatorum, qui ad bonam frugem recipere se volunt matrem esse, eisq; opem ferre.*

Galat. 4. Ad Philemonem.

Augustinus:

Anselmus.

S. Bernardin.

S. Brigitta.

Vita S. Franc.

S. Franciscus teste S. Bonauentura in eius vita cap. 6. eos, qui exemplo, & precibus aliorum conuertuntur, filios eorundem appellabat: verba S. Bonauenturæ hæc sunt: *Præferendum concionatori vano dicebat S. Franciscus, fratrem simplicem, & elinguem, qui bono exemplo alios prouocat ad bonum; illud quoque verbum: donec sterilis peperit, plurimos, taliter exponebat: Sterilis*, inquit, *est frater pauperculus, qui generandi in Ecclesia filios non habet officium; hic pariet in iudicio plurimos, quia quos nunc priuatis orationibus conuertit ad Christum, suæ gloriæ tunc iudex ascribet.* hæc Bonauentura.

1. Reg. 2.

9 Quæ cum ita sint, quid dicendum de Virgine sanctissima, cuius vita inclyta suis exemplis cunctas illustrat Ecclesias, quæ ex Bernardo homil. 2. super missus est, veluti præclara, & eximia stella supra hoc mare magnum, & spatiosum necessariò est subleuata, micans meritis, illustrans exemplis, cuius precibus omnes ita fouentur, vt non sit qui se absondat à calore eius: & sicut Christus est totius Ecclesiæ caput, vnde virtus tota in vniuersum corpus diffunditur, non secus, ac vnguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron, & in oram vestimenti eius. Item omnium est Redemptor, & mediator Dei, & hominum ad satisfaciendum pro omnium peccatis, & apud Patrem noster aduocatus: ita Virgo est collum, per quod, vt ait S. Bernardinus tom. 1. conc. 61. art. 2. cap. 10. ad nos Dei dona transfunduntur, quam Bernardus ideò vocat Aquæductum, & per quã

Bernardus.

Psal. 132.

B. Virgo est collum sub Christi capite. S. Bernardus.

eius

eius deuoti famuli preces,& vota ad Christum dirigunt,& est omnium Genitrix, & per suas preces apud filium omnium est mediatrix,reconciliatrix,& aduocata.qua de re copiosè dicemus cap. 30. Cap. 30.

Cæterùm Virgo sanctissima non tantum suæ vitæ Exemplis admirabilibus, Meritis præclarissimis, & Precibus apud filium efficacissimis, sed etiam suæ Doctrinæ splendore vniuersis in salutis spiritualis negotio opitulatur. Quocirca supra cap. 19. demonstrauimus,eam Doctorum aureolam meritò consecutam,& ipsam Magistram fuisse magistrorum,ideſt Apostolorum;& Prophetissam, ac Euangelistam appellari ex sententia Ruperti,Ildefonsi,Idiotæ,Anselmi,& aliorum,quos ibi citauimus:ac proinde,quæ per Apostolorum doctrinam ad finem vsque mundi fiunt, ad Virginem quoque qua ratione ipsorum fuit Magistra,pertinere,nullus inficiari poterit. *Rupertus. Ildefonsus. Idiotæ. Anselmus.*

Quare Cyrillus homil. 6. in Nestorium loquens ad Virginem: *Per te*, inquit, *omnis creatura idolorum errore detenta,conuersa est ad agnitionem veritatis, & fideles homines ad sanctum baptisma peruenerunt, atque in toto orbe terrarum constructæ sunt Ecclesiæ, Te adiutrice gentes veniunt ad pœnitentiam.* hæc Cyrillus. Hoc etiam probatur ex Anselmo,Bernardo,Petro Damiano,Petro Chrysologo cap. 27. citatis, qui dicunt per Virginem omnia recreata,& restaurata. *Cyrillus. Anselmus. Bernardus. Damianus. Chrysologus.*

10 Denique hoc totum abundè confirmatur ex ijs,quæ supra cap. 20. disseruimus, vbi ex multorum Patrum sententia, & exemplis ex probatissimis Auctoribus desumptis ostendimus,ex Virgine tanquam ex diuino throno fulgura,voces, ac tonitrua, miracula nimirum,admonitiones ad peccatorum conuersionem tum blandas,tùm terrificas, tonitrua item ad dæmonum furorem, quo in nos debacchari conantur coercendum procedere: quibus omnibus, quæ ad nos in Christo generandum requiruntur effusissimè, ac cumulatissimè exercet. & hoc quidem tanto vniuersalius (ad omnes enim non tantum generatim, sed etiam singillatim se extendit) tantoq; præ cæteris Sanctis efficacius præstat Virgo beata; quantò eius merita incomparabiliter reliquorum Sanctorum meritis, vt alibi dixi,antecellunt;precesq; eius, pectus, & vbera filio ostendentis gratiores, magisq; eidem sunt acceptæ. vt propterea Mater omnium meritò sit prædicanda, cuius maternam curam,atque solicitudinem in cunctis necessitatibus,tum animæ, tùm corporis, omnes ad eam piè confugientes experiuntur. Cumq; in cœlesti hierarchia post filium sit suprema, ad mortales in suis necessitatibus iuuandos interdum Angelos destinat, vel Sanctos, quemadmodum testatur Angelus apud S. Brigittam in sermone Angelico cap. 20. interdum per se ipsam operatur, & suam præsentiam suis seruis in vita, & in morte miraculosè exhibet,vt videre est in exemplis,quæ supra attulimus cap. 24. *S. Brigitta.*

DEIPARA MATER EST DIVINAE GRATIÆ, pulchræ dilectionis, fidei, & sanctæ spei.

11 QVoniam verò ea,quibus salus nostra constat, sunt gratia ipsa, & virtutes, quas Theologicas vocant: ideo, vt magis intelligamus quantopere Deipara ad salutem nostram sit operata, sciendum est,eas à beatissima Virgine peculiari quadam ratione adeò efficaciter à suo filio nobis impetrari, & procurari, vt *Mater diuinæ gratiæ, Mater item fidei,spei,& charitatis* meritò appelletur:quod qua ratione ei tribuatur breuiter ostendamus.In primis in Hymno ab Ecclesia ei dicitur:*Maria mater gratiæ,Mater misericordiæ*; & in Litanijs Lauretanis vocatur *Mater diuinæ gratiæ*. Quod confirmari potest ex Angelica salutatione, vbi *gratia plena* appellatur. Quare S. Gregorius Thaumaturgus in oratione de Annunciatione docet, Deiparam dici gratia plenam, quòd in illa Virgine totus gratiæ thesaurus recondatur, quæ sola ex omnibus generationibus sancta corpore,& spiritu fuerit:cuius Angelus non tantum pulchritudinem, sed & virtutes animi admiratus; idcircò, *gratia plenam* appellarit. & Epiphanius hæres. 78. *A diuitijs*, inquit, *diuinorum charismatum vocata est gratia plena.* Quod autem Mater gratiæ meritò appelletur. Anselmus lib.de excell.Virg. cap. 12. pulchrè ostendit cum ei dicit: *Tu,quæ mater Dei es, eo re vera misericordiæ mater, & gratiæ existis.* sic ille. Idq; non obscurè significauit Christus Dominus,cum Ioannem,qui gratiam sonat, ei in filium *Maria diuinæ gratiæ mater. Offic. Eccles. Greg. Thaum. Epiphanius. Anselmus. Ioan. 19.*

filium tradidit. Idemq; præsignificatum cernimus in S. Anna, quæ gratiam pariter sonat, & Deiparæ mater fuit. Et sicut Ioannes Baptista Domini præcursor suo nomine gratiam à Christo capite in omnes copiosè effundendam indicabat: ita S. Anna suo pariter nomine vberem gratiam per Virginis merita, & apud Christum preces in homines deriuãdam, præostendebat. Nam si S. Ioannes in Apocalypsis cap. 1. pacem, & gratiam septem Ecclesijs, quæ sunt in Asia, ad quas scribebat precatur à septem Angelis diuino throno astantibus, propter eorum preces ad hoc impetrandum efficaciſſimas, (qui licet inter cœlestes spiritus sint primarij; ministri tamen sunt Dei:) quantò magis illa, quæ Dei vera est genitrix suis precibus longè efficacioribus hoc ipsum præstabit, vt iure optimo Mater diuinæ gratiæ sit appellanda? Quare Gabriel in sua salutatione meritò eam gratia plenam appellat, eiq; quod gratiam apud Dominum inuenerit, pro se nimirum, & pro alijs, significauit: propterea à S. Bernardo serm. 2. de Aduentu: *Inuentrix gratiæ* vocatur: & ab Ephræm serm. de laud. Virg. *Fons gratiæ, & totius consolationis*, quasi perenniter suis precibus illam manet, atque in omnes deriuet. Huc spectat id, quod docet S. Bernardinus Senensis tom. 1. conc. 61. art. 1. cap. 10. *Plenitudo*, inquit, *gratiæ fuit in Christo, sicut in capite influente; in Maria verò sicut in collo transfundente*. Idem tom. 3. serm. 11. art. 1. cap. 3. *Virgo*, inquit, *beata, quia irrigat Ecclesiam militantem, figurata fuit in figura nebulæ, de qua Iob 38. Nunquid eleuabis in nebula vocem tuam, & impetus aquarum operiet te? Vox in nebula eleuata est gratia per orationem Virginis impetrata, ad quam sequitur impetus aquarum, quia per ipsam impetratur influentia gratiarum, & remissio peccatorum. vnde Eccles. 43. est scriptum, Medicina omnium in festinatione nebulæ, hoc est in festina assumptione Virginis benedictæ, quia omnes, qui volunt, fiunt participes gratiæ suæ.* ita S. Bernardinus, qui loco citato cap. 1. vult B. Virginem esse fontem hortorum, & puteum aquarum, cuius non deficiunt aquæ Isa. 58. propter gratiarum plenitudinem, quæ est in Virgine, ideò ipsa figuratur in cisterna Bethlehemitica, de qua egi cap. 5.

Apoc. 1.

Maria fons gratiæ.

Bernardus.

Ephræm.

S. Bernard.

Iob 38.

Eccl. 43.

Est fons hortorum. Cant. 4. Isa. 58.

Est cisterna Bethlehemitica.

12 Denique quomodo gratiam per Virginem consequamur egregie explicat S. Bonauentura in speculo cap. 6. spectans ad illud Isa. 11. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, &c. Quicumque*, inquit, *septiformem Spiritus sancti gratiam adipisci desiderat, ipsum florem Spiritus sancti in Virga quærat; per Virgam enim ad Florem, per Florem ad Spiritum in ipso requiescentem peruenimus. Per Mariam ad Christum accedimus, & per Christum gratiam Spiritus sancti inuenimus, propterea Bernardus Mariam alloquẽs, ait: Per te accessum habeamus ad filium ò benedicta inuentrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis, vt per te suscipiat nos, qui per te datus est nobis.* hæc Bonauentura.

Bonauentura Isa. 11.

Bernardus.

Nec solùm Mater gratiæ appellatur, verùm etiam Eccl. 24. (quemadmodum adnotauit Ildefonsus serm. 1. de Assumpt. & Innocentius III. in sermone in festo Assumpt. & S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 2.) de ea dicitur: *Ego mater pulchræ dilectionis, timoris, & agnitionis, & sanctæ spei:* quæ verba crebrò Ecclesia etiam Virgini accommodat, non solùm quia gratiam habuit intensissimam, & quia harum virtutum præstantissimarum actus, nimirum trium, quas theologicas appellant, addito timore Domini, qui initium est sapientiæ, ipsa dùm viueret perfectissimè exercuit: verùm etiam, quia ab ijs, quorum spiritualis mater esse dignatur, vt gratiam habeant, & vt in illis virtutibus, ipsi quoque strenuè se exerceant etiam, atque etiam requirit: & præterea illas ijsdem suis filijs à Christo procurat tanta facilitate, vt gratiæ, & earundem virtutum mater, & quasi officina dicatur. vt intelligant omnes ad gratiam, & ad virtutes has tam necessarias, earumq; augmentum à Deo obtinendum Virginis interceſſionem esse efficaciſſimam, quod eleganter Bernardus sermone 4. super Salue Regina indicat, loquens cum Virgine: *Defecit*, inquit, *vinum in cadis nostris, vinum scilicet lætificans cor hominis, de quo Propheta quod germinat virgines, harum Pincerna tu, Vexillifera tu: Vexilla Regis prodeunt in nobis, te agente pro nobis: Calix in manu tua vini meri, in manu tua, in potestate tua vini meri amoris diuini: Calix huius vini inebrians, quam præclarus est, inebriat ad contemptum mundi; calefacit, quia feruentes facit; acuit, quia erudit; audaces facit contra aduersa; fortes, inuincibiles à carne, mundo, & dæmonibus; obliuiosos eorum scilicet, quæ re-*

Eccl. 24. Ildefonsus. S. Antoninus. B. Virgo mater pulchræ dilectionis.

Psal. 110.

Bernardus.

Zach. 9.

Psal. 74.

Amor diuinus cur vino mero assimiletur.

tro

tro ſunt, & in futura extenſos; diſcretos, quia erudit ad iuſtitiam, ſomnolentos ad tẽporalia, & tædioſos; ad inuiſibilia verò contemplanda pronos, & promptos; per te Panem ſperamus, qui cor hominis confirmat, de quo ſcriptura: Panem Angelorum manducauit homo. hucuſque Bernardus agens de vino amoris diuini, quem Mater pulchrę dilectionis filijs ſuis impetrat. Et S. Thomas opuſc. 8. probans B. Virginem plenam gratia, quam refundit iuuando alios: *In omni,* inquit, *opere virtutis potes eam habere in adiutorium, & ideo dicit ipſa Eccleſ. 24. In me omnis ſpes vitæ, & virtutis.* hæc S. Thomas. & S. Bonauentura in ſpeculo cap. 6. probans plenitudinem gratiæ Deiparæ, præſertim donorum Spiritus ſancti: *Maria,* inquit, *gratulabunda dicere poteſt illud Eccleſiaſtici: In me omnis gratia vitæ, & veritatis, quæ mater eſt eius, quem legimus plenum gratiæ, & veritatis. Et quid mirum ſi in illa virga eſt tanta donorum Spiritus ſancti affluentia, in cuius flore Spiritus ſanctus requieuit cum tanta donorum ſuorum affluentia? Maria namq; eſt illa virga, & filius Mariæ eſt ille flos, de quo dicitur in Iſaia, Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini. In hoc flore mira Spiritus ſancti effluentia, de quo in omnem Eccleſiam tuam mira fit influentia, vt Beatus Euangeliſta Ioannes dicat: De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Cùm ergo de iſto flore tanta gratia redundet in totum hortum, quanto magis in ipſam huius floris virgam in ipſam Mariam? dicat ergo Maria ſecurè: In me omnis gratia vitæ, & veritatis.* hæc Bonauentura.

Pſal. 77. *Mater ſanctæ ſpei Mariæ.* *S. Thom.* *Luc. 1.* *Eccl. 24.* *Bonauentura.* *Iſa. 11.* *Ioan. 1.*

13 Ex his, quæ diximus, rectè infertur beatiſſimam Virginem non tantùm eſſe Chriſti matrem naturalem, ſed dici prætereà matrem eiuſdem ſpiritualem: ſiquidem Matth. 12. dicitur à Chriſto Domino: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt:* quæ verba explicans Gregorius homil. 3. in Euangelia: *Sciendum,* inquit, *nobis eſt, quia qui Chriſti ſoror, & frater eſt credendo, efficitur mater prædicando: quaſi enim parit Dominum, qui eum cordi audientis infundit: & mater eius prædicando efficitur, ſi per eius vocem amor Domini in proximi mente generatur.* hæc Gregorius. Quia ergo Deipara ſanctiſſima, ſicuti diximus, multis modis, vt in aliorum cordibus Chriſtus gignatur, efficit; ideò etiam ſpiritualis eiuſdem Mater eſt effecta. Neque deſunt qui ex verbis illis Matth. 12. Virginem exiſtiment matrem etiam Chriſti ſpiritualem effectam faciendo voluntatem Dei. ita enim Iuſtinus quæſt. 36. duplicem in Virgine Chriſti maternitatem agnoſcens, naturalem ſcilicet, & ſpiritualem circa verba illa Matth. 12. *Non matrem,* inquit, *debito honore fraudat Dominus, ſed docet; qua, vt ita dicam ex maternitate Virgo ſit beatiſſima: ſi enim is, qui verbum Dei, & audit, & ſeruat, Dei eſt & frater, & ſoror, & mater quorum vtrumque in eius matre inerat; perſpicuum eſt matrem ipſius, ex hac matris ratione beatam dici oportuiſſe.* & Auguſtinus lib. de ſancta virginitate cap. 5. docet Virginem corpore quidem eſſe matrem, ſpiritu verò eſſe matrem & filiam Chriſti: *Maria,* inquit, *faciens voluntatem Dei corporaliter tantummodo mater eſt; ſpiritualiter autem & ſoror, & mater.* & cap. 6. *Ex capite noſtro, quod eſt ipſe Saluator B. Virgo ſpiritualiter nata eſt; quia omnes, qui in eum crediderunt, in quibus & ipſa eſt, rectè filij ſponſi appellantur.* Idem cap. 3. eiuſdem libri. *Beatior,* inquit, *fuit Maria concipiendo mente, quàm ventre.* & infra: *Felicius geſtauit corde, quàm carne.* hæc ex Auguſtino. Et Guarricus Abbas ſermone 14. de Aſſumptione: *Ipſa,* inquit, *Virgo voluntatem Patris in tantum faciebat, vt de ipſa prædiceret Pater Iſa. 62. Vocaberis voluntas mea: igitur vbi eam filius negligere videtur, ibi amplius honoraſſe inuenitur, dum ei ſcilicet materni nominis honor duplicatur pro eo, quod eundem filium, quem aluo geſtauerat, incarnatum etiam nunc animo geſtabat inſpiratum.* hæc Guarricus.

B. Virgo Chriſti mater eſt naturalis & prætera ſpiritualis, quia multos conuertit. *Matth. 12.* *Gregorius.* *Matth. 12.* *Iuſtinus.* *B. Virgo mater eſt Chriſti ſpiritualis alia ratione, quia ſcilicet fecit voluntatem Patris.* *Auguſtinus.* *Guarricus.* *Iſa. 62.*

VIRGO DEIPARA IVSTORVM MATER, EGREgie matris munera in homines præstat, & quanam ratione illi respondendum. Dies quoque festi, Templaq ab Ecclesia ei dicata: multiplex item cultus eidem decretus. Cap. XXIX.

SVMMARIVM.

Deipara in domibus sibi dicatis innumeros egentes, & ægrotos subleuat nu. 6.
Quæ erga Deiparam à nobis præstanda nu. 10.
Quæ nam Ecclesia in Deiparæ honorem facienda decreuerit nu. 11.
Dies festi in Deiparæ honorem decreti ibidem.
Elenchus festorum Deiparæ, & quibus diebus recolantur: de eorum verò singulis plenius in tractatu de festis nu. 13.
Sabbatum Deiparæ perpetuò ritu dicatum, & à quo tempore nu. 14.
Sabbatum cur peculiariter Deiparæ consecratum nu. 18.
Templa Deiparæ erecta nu. 23.
Templa Deiparæ ante eius Conceptionem ibidem.
Templa dum in terris Deipara ageret, vel certe Apostolorum tempore ei dicata nu. 26.
Lauretana ædes ibidem.
Templa in India Deiparæ adhuc superstiti posita nu. 29.
Varia templa ab Apostolis, vel eorum discipulis Deiparæ consecrata nu. 30.
Templa, quæ Deiparæ post eius in Cœlum Assumptionem, propagata iam vbiq; gentium Christi fide, sunt extructa nu. 31.
De multiplici in Ecclesia cultu Deiparæ sancito nu. 34.
Preces quibus Ecclesia Deiparam inuocat ibidem.
Officium Deiparæ paruum ibidem.
Officium maius Sabbatinum de Deipara, vna cum missa nu. 35.
Frequens Deiparæ memoria in officio maiori ibidem.
Crebra Deiparæ iuuocatio in qualibet missa nu. 36.
In consecrationibus Altaris, & rerum sacrarum Deiparæ nomen vsurpatur. ibidem.
Pulsus ad salutationem Angelicam tribus diei temporibus nu. 37.
Conciones ad populum à salutatione Angelica inchoantur nu. 38.
Processiones in Deiparæ honorem decretæ nu. 39.
Stationes ad Deiparæ templa nu. 40.
Peregrinationes ad Deiparæ templa. ibidem.
Religiones, Vrbes, Portus, Insulæ à Deipara nomen accepere. nu. 41.
Litaniæ, variæq; preces in Deiparæ honorem compositæ nu. 42.
Deiparæ imagines, ac reliquiæ in Ecclesia præcipuo cultu insignes nu. 43.
Imaginum Deiparæ vsus iam inde ab ipso Apostolorum tempore, earumq; multitudo innumerabilis. ibidem.
Reliquiæ crinium, lactis, ac vestium Deiparæ, vbi nam locorum asseruentur nu. 48. & sequentibus.
Capilli Deiparæ nu. 51.
Lac Deiparæ ibidem.
Vestes Deiparæ num. 52.
Zona Deiparæ num. 53.
Velum, vitta, chirotheca, soccus, & annuli, mantica, fasciæ sepulchrales Deiparæ nu. 54.
Domus, lectus, pecten, fusus, & glomus Deiparæ num. 55.
Sepulchrum, Fons in Aegypto, Columna Cæsaraugustæ nu. 56. 57.
Sedes, ac lapis, vbi Deipara Toleti constitit, eiusdem Epistolæ, & oleum sancto Thomæ Cantuariensi datum. num. 58. & 59.
Christi præsepium, fasciæ, cunabula, velum, ac vestis inconsutilis nu. 60.

Cùm

IVM Virgo ſanctiſſima, vt in ſuperioribus vidimus, ex triplici capite Mater ſit iuſtorum; reliquum eſt, vt oſtendamus qua ratione ipſa egregiè, ac diligenter erga nos matris munera præſtare dignetur; vt intelligamus qua itidem ratione nos illi ſedulo pro virili noſtra parte, diuina adnitente ope, reſpondere debeamus: quamuis enim, quę ſuorum beneficiorum eſt in nos magnitudo, quæuè noſtra eſt tenuitas, par illi referre nequeamus; at ſaltem quantum Deo dante poſſumus, ad id conari debemus, ne planè ingrati inueniamur. *B. Virgo munera matris in nos exercet.*

Et quod attinet ad eius in nos officia, Primùm amat nos mirificè. Multa porrò Virginem ad hunc erga nos amorem permouent: primò enim cum ſit mater Dei, vere eſt Domina omnium, vt cap. 5. dixi, ideòq; amat ſeruos ſuos. Secundò, cum ſit mater omniũ, vt in ſuperioribus capitibus probauimus, filios ſuos fouet, ac diligit. Tertiò, quia os noſtrum, & caro noſtra eſt, originem ducens ex primis humani generis progenitoribus Adamo, & Eua: quam rationem ei proponunt Athanaſius in ſermone de Deipara, cum eius patrocinium implorat, ſimiliter Petrus Damianus in ſermone de Natiuitate, & Bonauentura in ſpeculo B. Virgin. cap. 6. *Obſecrare*, inquit, *poſſumus Mariam ſicut Abraham obſecrauit Saram, Dic obſecro te, quòd ſoror mea ſis, vt benè mihi ſit propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui. O Virgo Maria, ò Sara noſtra, dic quod ſis ſoror noſtra, vt propter te benè ſit nobis à Deo, & ob gratiam tui viuant animæ noſtræ in Deo, vt propter talem ſororem Aegyptij, ideſt dæmones, nos reuereantur, & vt Angeli nobis in acie coniungantur, & vt propter talem ſororem Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus noſtri miſereantur.* ita Bonauentura. Adde Saram meritò B. Virginem adumbrare, quæ ex vocis etymologia ſonat *Principem*: Deipara enim noſtra Princeps, & Regina eſt, quemadmodum cap. 5. diximus. Quartò, quia Chriſtus, cuius illa eſt Mater, tanta dilectione nos eſt dignatus, vt animã ſuam pro nobis ponere voluerit: idcircò & ipſa homines à filio adeò dilectos, hoc etiam nomine diligit: de quo eleganter Petrus Damianus in ſerm. 1. de Natiu. *Scio*, inquit, *Domina quia benigniſſima, & amas nos amore inuincibili, quos in te, & per te filius tuus, & Deus tuus ſumma dilectione dilexit.* Quintò, quoniam vnus idemq; eſt habitus charitatis, quo diligitur Deus, & proximus, teſte S. Thom. 2. 2. q. 25. art. 1. habitus verò charitatis in Deipara maximus fuit ordine ſuo diligens ea, quę ſub obiectum ſuum cadunt: hoc enim ad charitatem ſpectat ex 2. 2. q. 26. art. 1. & ad hoc ſignificandum de Virgine peculiariter intelligi poteſt illud Cant. 2. *Introduxit me Rex in cellaria ſua, ordinauit in me charitatem.* & quemadmodum Chriſtus Dominus cum S. Petro curam Eccleſiæ demandauit, illud præmiſit: *Simon Ioannis diligis me plus his*, & mox adiecit: *Paſce Agnos meos*: ac ſi diceret, amorem erga me tuum in paſcendis Agnis meis oſtende: ita Virgo ſanctiſſima ſuum erga Chriſtum amorem Chriſti oues diligendo demonſtrat.

Primum, B. Virgo amat ſuos filios. *Athanaſius.* *Petr. Damian.* *Gen. 12.* *Gen. 17.* *Petr. Damian.* *S. Thom.* *Cant. 2.* *Ioan. 21.*

Quare Bernardus ſerm. 1. de Aſſumpt. *Aut dubitare*, inquit, *aliquis poteſt omninò in affectum charitatis tranſiſſe Mariæ viſcera, in quibus ipſa, quæ ex Deo eſt charitas nouem menſibus corporaliter requieuit?* *Bernardus.*

Cæterùm de affectu amoris Deiparæ erga humanum genus, quem in Chriſti paſſione præſetulit, pulchrè S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 20. §. 11. *Et quod*, inquit, *dicitur de Patre æterno Chriſti, ita & de eius matre temporali dici poteſt illud Roman. 8. Proprio filio ſuo non peperit, ſed pro nobis tradidit illum, ſcilicet paſſum voluntate, & affectu: & quo modo non etiam cum illo nobis omnia donauit pertinentia ad recreationem noſtram?* ita S. Antoninus. Denique amoris, quo filios ſuos complectitur, immenſitatem ex beneficiorum magnitudine, ac multitudine, quæ in nos abunde, & iugiter conferre non ceſſat, de quibus ſæpè in hoc libro egimus, aliqua ex parte colligere poſſumus. At verò peculiariter ſibi deuotos amat: peculiari etiam ratione eis beneficia largitur; de ea enim dici poteſt illud Prouerbio. 8. *Ego diligentes me diligo*: & pſalm. 68. *Et qui diligunt nomen eius, habitabunt in ea*; loquitur autem de Ieruſalem, quæ beatiſſimam Virginem adumbrat: qui enim diligunt Virginem, fouebuntur ab ea per in-

S. Antoninus. *Roman. 8.* *Prouerb. 8.* *Pſal. 68.*

habitationem in eius charitate.

Deiparæ Virginis opem implorãtes exaudiuntur.

Nec ſolùm Deipara diligentes ſe diligit, ac beneficijs cumulat; verùm etiam ad ſe orantes benignè audit, eisq; reſpondere non dedignatur. quod eſt alterum eius erga homines dilectionis, ac benignitatis indicium; id quod ipſamet ſancte Brigittæ exemplo filij ſui declarauit in lib. 7. Reuelationum eiuſdem cap. 25. *Eadem*, inquit, *humilitas eſt nunc in filio meo in potentia Deitatis ſuæ, ſicut tunc fuit, quando reclinabatur in præſepio; qui iacens inter duo animalia, licet omnia ſciret ſecundum Deitatem, nihil tamen loquebatur ſecundum humanitatem. Sic etiam nunc ſedens ad dexteram Patris audit omnes loquentes ad eum cum charitate, & reſpondet per infuſiones ſancti Spiritus, quibuſdam, verbis, & cogitationibus: quibuſdam, quaſi ore ad os loquitur, ſicut ei placet. Similiter ego, quæ ſum mater eius, ita humilis ſum nunc in corpore meo, quod eſt ſuper omnia, quæ creata ſunt exaltatum, ſicut tunc fui quando Ioſeph deſponſata eram.* & infra ad calcem capitis: *Sicut ergo humilis fui in mundo cognita ſoli Deo, & Ioſeph; ſic etiam nunc ſum humilis ſedens in ſublimiſſimo throno parata præſentare Deo omnium orationes rationabiles; ſed aliquibus reſpondeo per infuſiones diuinas, aliquibus autem loquor ſecretius ſicut beneplacitum eſt Deo.* hactenus S. Brigitta. Hoc ipſum S. Bonauentura in ſpeculo B. Virg. cap. 4 inſinuat: *O quàm dulciter*, inquit, *Maria ſalutare nouit. O Maria digneris nos per gratiam tuam ſalutare. Et certè ipſa nos libenter ſalutat beneficio, & conſolatione, ſi nos eam frequenter ſalutamus ſeruitio, & oratione: libenter nos ſalutat cum gratia, ſi libenter eam ſalutamus cum Aue Maria.* ſic Bonauentura.

S. Brigitta.

S. Bonauent.

B. Virgo ſuorum filiorum curam gerit.

Ioan. 2.

S. Bernard.

Albert. Magn.

Sap 6.

Iſa 49.

Bernardus.

Quæ B. Virgo nobis procurat.

Cant. 8.

Ambroſius.

Pſal. 127.

2 Alterum Virginis in nos officium illud eſt, quoniam curam gerit noſtri maternam: de hoc S. Bernardinus Senenſis tom. 3. ſerm. 9. art. 3. cap. 2. ſic ſcribit: *Mater in nuptijs Cana Galileæ interpellat, ac ſi ad eam cura omnium pertineret, & omnium hominum Aduocatam ſe ſentiens, quæ præ omnibus creaturis cunctarum facta fuerat Virgo Mater, officium aduocationis, & piæ auxiliatricis aſſumpſit, etiam non rogata.* hæc ibi. Albertus Magnus ſuper Miſſus eſt, docet Virgini propter curã maternam, quam omnium gerit, aptari poſſe illud, quod de diuina Sapientia dicitur: *Ipſi cura eſt de omnibus.* Sanè in humanis patris amor ad filium, & ſi ſolidior, matris tamẽ eſt tenerior: & ideo pueri magis ad matrem, quàm ad patrem in ſuis neceſſitatibus recurrunt, quia facilius ab illa ſe impetrare, quæ cupiunt, experti ſunt. ideò etiam ipſe Dominus ſuam de nobis ſolicitudinẽ ab omni obliuione alienam Iſa. 49. matris curæ comparat: *Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui* quaſi dicat, nulla ratione, illa enim filio de alimentis, veſtibus, & de neceſſarijs proſpicit: ita B. Virgo omnibus ſinum miſericordię aperit: *Sileat*, inquit Bernardus ſerm 4. de Aſſumpt. *miſericordiam tuam Virgo beata, ſi quis eſt, qui inuocatam te in neceſſitatibus ſuis ſibi meminerit defuiſſe.* & infra: *Quis ergo miſericordiæ tuæ, ò benedicta, longitudinem, latitudinem, ſublimitatem, & profundum valeat inueſtigare.* hæc Bernardus. qui ſingula hæc latius perſequitur. Hinc eſt, quòd B. Virgo piã filiorum ſuorum ſolicitudinem gerit, illos omni ſtudio in Domino educat, cœleſtium conſolationum dulcedine lactat: neque enim ei huiuſmodi lactis copia deeſſe poteſt, in cuius perſona Cant. 8. dicitur: *Vbera mea ſicut turris:* quibus verbis ex Ambroſio in pſal. 118. ſerm. 22. (quamuis de Eccleſia ea exponat) vberum magnitudo, & vbertas indicatur. ad quod confirmandum citat illud pſal. 127. *& abundantia in Turribus tuis.*

Adhoc etiam caput maternæ curę, quam de nobis gerit Deipara, ſpectat quòd in via Domini nos dirigit; in tribulationibus, & afflictionibus conſolatur, in perplexitatibus, & animæ anguſtijs inſtruit, ſub protectionis ſuæ pallio ampliſſimo recipit, atque fouet; pœnas, quas Deus contra nos iratus iuſtè infligere minatur, miſericorditer à nobis deprecatur: vnum tamen, aut alterum, vt Deiparæ in rebus etiam externis materna de hominibus cura perſpiciatur, tacitus præterire nequeo, vt ex his curã, quam de noſtro ſpirituali profectu gerit, intelligamus. Cùm S. Alexius Romanorũ nobiliſſimus, domo, parentibus, & ſponſa relictis Edeſſam ſe contuliſſet, ibiq; egregia coram Deo pietate conſpicuus, ſed apud hominũ oculos ignotus in veſtibulo templi Deiparę ſeptẽdecim annos tranſegiſſet, imago Deiparæ (quę nunc religiosè in tẽplo S. Alexij Romę aſſeruatur) ne tãtus vir iaceret inglorius, eius nomen honorificè euulgauit per ædis cuſtodẽ, cui hæc de eo dixiſſe ſcribitur: *Introducito huc virũ illum Dei, qui dignus eſt regno cęlorum, nam oratio eius ſicut incen-*

S. Alexius à Deipara honoratur.

S. Alexius.

incenſum aſcendit in conſpectu Dei, & Spiritus ſanctus ſuper eum requieſcit. Introductus igitur cum celebris omnibus fieret, ipſe, vt hominum gloriam declinaret, inde diſceſſit. Dignus ſanè Alexius, qui Deiparæ voce ſuperius aſcendere iuberetur, quandoquidem extra templi fores, veluti in nouiſſimo loco in cœna recumbens tamdiù permanſerat. hęc ex eius vita die 17. Iulij apud Surium, & ex Breuiarij Lectionibus, & Petro in Catalogo Sanctorum lib. 6. cap. 107.

Surius. Breuiarium Romanum. Petr. in Catal. S. Cecilia.

3 Illud quoque, quod erga corpus S. Cæciliæ ne à Longobardis aſportaretur effecit, dignum videtur, quòd hic inſeratur. Si enim de Sanctorum reliquijs adeò ſolicita fuit; quantò magis eorundem dum viuerent, & in agone pugnarent ſalutem, ac profectum apud Deum precibus iuuiſſe, & promouiſſe exiſtimanda eſt. rei geſtæ hiſtoriam narrat Paſchalis Primus, Pontifex Maximus in litteris ſuis Apoſtolicis, quas recitat Baronius tom. 9. ad annum Chriſti 821. Cùm enim idem Paſchalis S. Cæciliæ templum, quod vetuſtate ruinam minabatur, magno ſtudio in meliorem formam conſtruere cæpiſſet, & fama eſſet corpus eiuſdem S. Cæciliæ ab Aſtulpho Longobardorum Rege hoſtiliter Romam obſidente, furto eſſe per eius homines ſublatum; S. Cæcilia virginali aſpectu, & habitu decora Paſchali, ante confeſſionem S. Petri matutinali luceſcente Dominica dum pſallentium harmoniam obſeruat, ſopore grauato apparuit, eumq; hortata eſt, vt ſuum corpus requireret, & in templo, quod reparabat reconderet. Cumq; Pontifex obijceret, eius corpus à Longobardis ſublatum: illa in hæc verba reſpondit: Veritas eſt, quòd Longobardi me multum deſiderauerunt, & quæſierunt; ſed gratia Dominæ meæ, ſemperq; Virginis Dei Genitricis Mariæ effecit, quod nec me inuenire, nec me deportare, ſicut voluerant, hinc longius potuerunt. hæc illa. Quod ipſum Anaſtaſius Bibliothecarius illorum temporum ſcriptor teſtatum reliquit in Codice quodam è Cauenſi Monaſterio accepto apud Baronium loco citato. Quòd ſi Deipara hoc erga corpus S. Cæciliæ præſtitit, mirum videri non debet, ſi corpus latronis egregia erga ſe pietate addicti honorificè tumulandum curauerit, quod ex Cæſario lib. 7. cap. 59. deſcribemus cap. 39. Reliqua verò exempla, quibus abundè ſuam, quam de nobis gerit curam, teſtatur, infra cap. 34. & ſequentibus afferemus.

Paſchalis Primus Pontif. Baronius. S. Cæciliæ corpus ne à Longobardis raperetur à Deipara ſeruatur.

Anaſtaſius Bibliothecarius. Baronius. Latronis ſibi deuoti corpus Maria tumulandum curat. Cæſarius. Cap. 39. Cap. 34.

Quin etiam Deipara non ſolùm, quæ neceſſaria, vel etiam vtilia ſunt, ſedulitate, ac materna quadam in ſuos ſolicitudine abunde ſufficit: ſed muneribus quoque, & quibuſdam quaſi officijs ſubinde eos cohoneſtare dignatur: Huiuſmodi fuit crux aurea ab eadem Deipara dono miſſa Valtero de Birbac, quod ex Cæſario nos cap. 36. referemus: Huiuſmodi fuit veſtis ad ſacrificandum ſancto Ildefonſo poſt egregiam nauatam operam in perpetua Deiparæ virginitate contra hæreticos verbo, & ſcriptis tuenda, dono ab eadem data; quod in tractatu de virginibus in Ildefonſo deſcribemus. Simile etiam veſtis ſacræ donum conſecutus eſt S. Bonitus Epiſcopus Aluernenſis. rem geſtam, quæ in vita S. Boniti apud Surium menſe Ianuario habetur, nos ex Vincentio lib. 7. ſpecul. hiſtor. cap. 97. ijſdem planè verbis hoc in loco narrabimus.

Deuoti B. Virg. qui ab ea munus aliquod acceperę. Cæſarius. Cap. 36.

Surius. Vincentius Bellouacenſis. S. Bonitus Epiſcopus cœleſti veſte à Deipara donatur.

Sanctus præſul Bonitus Aluernenſis cum cor ſuum perfectè dediſſet, vt perfectè Ieſum, & eius matrem diligeret, quadam die templum beati Michaelis cum turba intrauit, & in angulo Baſilicæ, licet inter multos, ſolitudinem cordis ſibi fecit: conſummatis myſterijs quiq; in ſua redierunt, & ipſe ſolus in latibulo ſuo remanſit, & cuſtodes quidem, ne quis remanſiſſet, perſcrutati ſunt Eccleſiam: ſed Dei nutu Sancti viri non potuerunt inuenire latebram, qui obſeratis iam Eccleſiæ foribus, eo ſecurius, quo ſecretius effudit in ſe animam ſuam, factusq; in agonia prolixius, & enixius orans vidit huiuſmodi viſionem: Ecce repentè de cœlo ſonuit, quaſi vox dulcis cantilenæ, & micantibus luminaribus limen templi cæpit tremere tanquam intrante multitudine: aſpiciebat vir ſanctus, & ecce Virgo Maria intrabat cum candidato ſanctorum Angelorum, & animarum cœtu, ſicut Regina circumſtante exercitu. chorus ille cœleſtis decantabat Dominæ, eiusq; filio, ipſa quoque vocem ſuam exercuit in Chriſti præconio: per medium chori facta eſt illa proceſſio. Cùmq; ventum fuiſſet ante altare, quæſitum eſt à quibuſdam Sanctorum, Quis haberet miſſam celebrare? En, inquit beata Virgo, adeſt Bonitus præſul verè bonus, & ſatis dignus, cui hoc officium debeat committi. Audiens hoc ille pauebat, & retrahebat ſe; cuius rei lapis, qui ei ceſſit, adhuc ſeruat indicium. tandem quæſitus, & inuentus

uentus est; deductus, & præsentatus illi beatæ congregationi: & ministrantibus Sanctis veste nuptiali ornatus est, ac diuino altari applicitus. & postquam dedit in celebratione sancti operis operam, ac decenter consummauit: beata Virgo valefaciés dilecto suo, pro munere cœlestem vestem ei dedit. Res est nota satis, & apud Aluernenses admodum celebris, maximè autem in Ciuitate Aluerniæ, quæ dicitur Mons clarus, & vsque hodie monstratur populo vestimentum illud cœleste, cuius materies, & contexturæ modus à nullo hominum dignosci potest, & est eximij candoris, miræq; leuitatis, ac lenitatis. hæc Vincentius.

Maria nos ab hostibus tuetur.

4 Tertium matris munus, quod circa nos Deipara exercet, illud est; quod à Satana truculentissimo hoste sub patrocinium suum veluti intra Vrbis munitissimæ menia admissos nos tutatur, ac protegit: ideoq; Cant. 8. de ea dicitur: *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis:* quibus verbis ex Titelmano in illum locum, sponsus sub similitudine muri benè firmi, & excelsi argenteis propugnaculis muniti, qui nullo hostium impetu prosterni possit, sub similitudine item ostij Cedrinis tabulis insolubilibus compacti, sponsæ inexplicabilem fortitudinem, & insuperabilem constantiam describit: quod licet de Ecclesia Christi sponsa Titelmanus rectè exponat; nos tamen cum Hugone, Carthusiano, & Hailgrino in Cantica, illud de Deipara etiam singulari Christi sponsa præ omnibus dilecta, meritò accipere possumus: quæ ex horum interpretum sententia, murus est stabilis, ac firmus ad defensionem, ac munimen nobis tributus. Propugnacula verò argentea splendida, pura, ac nitida, tùm ad ornatum, & decorem, tùm ad fortitudinem, ac munimentum extructa, indicant in Virgine diuina eloquia, quæ diligentissimè custodiuit, in quibus custodiendis retributio multa. Et quoniam argentum reliquis metallis tinnitu suo dulcius resonat, ideò hæc propugnacula argentea ex Hailgrino preces Virginis bene sonantes ad hostes repellendos significare etiam possunt.

Cant. 8. *Titelmanus.* *Hugone. Carthusian. Hailgrinus.* *Hailgrinus.*

Ad hæc Virgo beatissima ex eodem est *Ostium, & Porta illa Orientalis* Ezech. 44. per quam filius Dei ad nos venit, & malignis spiritibus, ne ad suos deuotos intrent, obsistit; totq; tabulis cedrinis à sanctissima Trinitate est compacta, quot in ea sunt virtutes, ac priuilegia, quæ instar cedri imputribiles, odoriferæ, & in profundum per humilitatem radicatæ in immensum excreuerunt.

Ezech. 44.

Cur Maria vbera turri assimilentur. *Cant. 8.* *Hugo.*

Hinc est, quod ex persona Virginis subijcitur eodem loco Cāt. 8. *Ego murus, & vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacē reperiens:* quibus verbis Deipara, ex Hugone, & Interpretibus citatis, deuotè eam venerantibus, piè recolentibus, strenuè imitantibus, ac obnixè deprecantibus pollicetur futuram se loco muri inexpugnabilis, quo omnes ad se confugientes circumdentur, vt tuti reddantur ab his, qui *in circuitu impij ambulant*; & ab eo, qui *tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret*. simul etiam misericordiæ suæ vberibus lactis suauissimi copia, vt dixi, turgentibus, instar turris, ac proinde ita excelsis, vt neminem quamuis procul existentem latere, omnes etiam inuitare possint, se eosdem nutrituram indicat. Turri vbera comparat, quod filios suos non nutriendi tantum, sed & protegendi, & ab hostium impetu securos eos reddēdi vim habeant, idq; ex eo tempore, quo gratiam, & pacem coram Deo legitur inuenisse, iuxta illud à Gabriele ei dictum: *Inuenisti gratiam apud Deum.*

Psal. 11. *1. Petr. 5.* *Cant. 8.* *Luc. 1.*

Mulier per antonomasiam Maria. *S. Antonin.* *Eccles. 36.* *Gen. 3.* *Apoc. 12.* *Ioan. 2. & 19* *Psal. 37.* *Psal. 79.* *Iudic. 6.*

5 Cæterùm ad hanc Deiparæ protectionem exprimendam, rectè vt ait S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 2. de sanctissima Virgine intelligi potest illud Eccl. 36. *Vbi non est sepes, diripietur possessio, & vbi non est mulier, ingemiscit egens.* Virgo enim beata dicitur, Mulier, per antonomasiam Genes. 3. Apoc. 12. & à Christo Domino sub Mulieris nomine aliquoties est compellata, quemadmodum ex S. Ioannis Euangelio constat. Genus igitur humanum omnis boni egentissimum, quando nondum aduenerat hæc benedicta Mulier ingemiscebat, multis calamitatibus, & miserijs oppressum, dicens illud psal. 37. *Rugiebam à gemitu cordis mei:* & assimilabatur, vt dicitur loco citato Ecclesiastici, possessioni sine sepe, quia quandiù hac muliere carebat, destituebatur hoc præsidio, & veluti munimento; ac proinde direptioni patebat, non secus ac possessio sine sepè, quam psal. 79. *Exterminauit aper de syluâ, & singularis ferus depastus est eam.* Ideoq; tunc iuxta illud, quod Iudic. 6. præfiguratum legimus, diuinæ nimirum misericordiæ Ros solum

lùm in vellere erat:in omni autem terra ſiccitas,id eſt:*Notus tãtum in Iudæa Deus*,Satanas verò princeps huius mundi in eo ſuam tyrannidem exercebat.At poſt huius benedictæ mulieris præſidium totam mundi aream Ros diuinæ miſericordiæ compleuit,& Satanas eiectus eſt foras alligatus à Chriſto. Qua de re pulchrè Bernardus ſermone de Aquæductu,(quem dicit eſſe Virginem ſanctiſſimam:) *Mirabatur*,inquit, *& Salomon, & veluti deſperanti ſimilis aiebat, Mulierem fortem quis inueniet? Nimirum propterea tanto tempore humano generi fluenta gratiæ defuerunt,quod nec dum intercederet is, de quo loquimur tam deſiderabilis Aquæductus.* hæc Bernardus. Hinc etiam eſt, quod *Maris Stella* dicitur,non ſolùm vt ait Bonauentura in ſpeculo B.Virg. cap.3. *quia eſt puriſſima ſine labe peccati,& quia eſt radioſiſſima* (vt verbis eius vtar) *radium æternum*,ideſt Dei filium,*pariendo*, ſed etiam vtiliſſima, dirigens nos ad patriam cœleſtem tanquam ad portum per mare huius ſeculi amarum,& procelloſum: nunc autem ipſa omnes inuitat verbis illis Eccl. 24. *Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini*, nimirum à bonis Chriſti,quem de caſtis viſceribus meis genui,vel vt eſt græcè (quod in idem recidit) ἀπὸ τῶν γενημάτων hoc eſt à fructibus meis implemini; Chriſtus enim eſt *benedictus fructus ventris eius*.

Pſal. 75.

Bernardus.

Prouerb. 31.

Deipara eſt maris ſtella.

Eccl. 24.

Quoniam autem ſinguli beati ea omnia, quæ ad ipſos, eorumq; ſtatum ſpectant,vident in Verbo,vt docent Theologi in 4.diſtinct.45.& in 1.par. q. 12. & peculiariter S. Thomas in 4.diſtin.45.q.3. art.1. quæſtiunc.1. & q.8. de verit. art.4. ad 12. & 2.2.q. 83. art.4. ad 2. & 3.par. q.10. art.2. in corp. vbi ex hoc infert *animam Chriſti Domini cognoſcere omnia,quæ Deus cognoſcit ſcientia viſionis: Quoniam ad Chriſtum*, inquit, *& eius dignitatem ſpectant quodammodo omnia in quantum ei ſubiecta ſunt omnia*. ita S.Thomas. hinc infero B.Virginem,cùm mater ſit,vt diximus,iuſtorum,& prætereà Domina mundi,Regina Angelorum,& hominum; ſit etiam Aduocata peccatorum, videre in verbo quicquid Deus nouit ſcientia viſionis,ijs exceptis,quæ ad Chriſtum ſingulariter,& ad interiores animæ eius cogitationes pertinent,cum ad eam ſpectet noſſe,quę ad nos filios,& ſeruos, & quorum cauſam agit,pertinent. Quod egregiè probat Franciſcus Suarez tom.2.in 3.par.diſput.21. ſect.5. & citat Germanum ſermone de Aſſumptione: *Spiritus*,inquit,*tuus ò Maria,viuit in æternum,omnia obſeruas,omnia intueris, & inſpectio tua ad omnes ſe porrigit*. Nec tamen propterea Virginis cognitio cognitioni animæ Chriſti æquatur:hæc enim longè plura ex poſſibilibus cognoſcit,& maiori cum claritate,ac perfectione. præterquam quod Virgo, vt dixi, neque videt ſimpliciter omnia, quæ cadunt ſub ſcientiam viſionis, quorum cognitionem integram ſoli animæ Chriſti concedit S.Thomas q.8.de verit.art.4.in corp.& 4.diſt.49.q.2.art.5.

Qua nam in verbo videat Maria. S.Thom.

Suarez. Germanus.

S.Thom.

Ex dictis colligitur etiam Virginem iure ſuo intercedere pro hominibus, tanquam pro ijs,qui ad ſe maximè ſpectant, cum mater ſit iuſtorum, qui à Chriſto ſuæ protectioni ſunt commiſſi,& humani generis ſit Aduocata.

B.Virgo, quia eſt mater noſtra iure ſuo intercedit pro nobis.

DEIPARA IN DOMIBVS SIBI DICATIS innumeros egentes, & ægrotos ſubleuat.

6 NEque ſolùm Deipara,quæ vel ad corporum incolumitatem, vel ad animarum ſalutem conducunt,benignitate erga nos planè materna apud Deum procurat in cœlis:verùm etiam in terris,Noſocomijs,Orphanotrophijs,alijsq; huiuſmodi domicilijs in eius honorem per ſingulas ferè Vrbes excitatis, quibus ampliſſimi redditus ex piorum hominum eleemoſynis Dei, Deiparæq; intuitu ſunt attributa,Aegrotos propemodum innumerabiles,Infantes plurimos à tenuibus,egenisq; parẽtibus expoſitos, Orphanorum Virginum,aliarumq; Fœminarum cætus alit,ac nutrit.Virgines item nubiles,dote eis aſſignata in matrimonium collocat, Pauperibus erogata ſubinde ſtipe ſuccurrit: quin etiam ijſdem,dum quæ corpori ſunt neceſſaria ſuppeditantur,plerumq; ea quoque ſedulo procurantur, quæ animis ſunt ſalutaria. Extant eius rei in ſingulis ferè vrbibus monumenta; Talis eſt Romæ domus S. Mariæ in Equiro orphanorum; tale ibidem noſocomium S.Mariæ à Conſolatione; tale eſt Venetijs Xenodochium, antiquiſſimum illud quidem (vulgo dicitur S.Maria à Charitate) ab Alexandro III. anno 1177. pontificijs

Materna B Virgin. cum qua in domibus ſibi dicatis egentes at ægrotos ſubleuat.

ficijs indulgentijs illuſtratum. Tale eſt illud Florentiæ nobiliſſimum, quod vocant S. Mariæ Nouæ. Sed ne in omnibus percenſendis nimius videar, ea in medium afferam domicilia, quæ in vna Vrbe Neapoli oculis noſtris ſpectauimus; quorum annuos redditus expenſas, capitum, quæ aluntur, numerum ex ſupputatione hoc ipſo, quo hæc perſcripſimus, anno diligenter perueſtigata hic adnotanda duximus.

Domus B. Virg. Annũtiatæ Neapoli.

Eminet inter omnes Neapoli domus B. Virginis Annuntiatæ, ædificiorum magnitudine, ac ſtructura adeò eximia, tam multis conferta familijs, tantoq; conuictorum numero, vt ingentis oppidi inſtar eſſe videatur. Huius domus Annuntiatæ templum magnificè eſt extructum Sanctorum corporibus, ac reliquijs in primis inſigne, ſacra ſupellectili, ac periſtromatis ſplendidè inſtructum, atque ornatum; Sacerdotum, ac Clericorum cultu maximè conſpicuum. Hæc porrò domus, vt perſcrutati diligentius deprehendimus; ex bonis, quæ vocant ſtabilia, & ex cenſibus redditus habet annuos ducatorum octo circiter, & octoginta millium: ex eleemoſynis verò incertis, quæ ſingulis annis hominum pietate in eam conferuntur, non exigua ſumma efficitur: At verò ſi ſumptus ſpectemus, in quos id impendit, quod ex redditibus, & eleemoſynis percipitur, certè niſi res omnium, qui in ea Vrbe degũt oculis pateret, penè incredibilis videri poſſet. Nam, vt à templo exordiamur, in ſtipendium ſexaginta Sacerdotum, & triginta Clericorum iuniorum, aliorumq; miniſtrorum in ſingulos annos ducatorum decem millia impendit. Nutricibus quater millibus, quas alit pro expoſitijs infantibus, ſoluit annuorum ducatorum ſexdecim millia. Ex ijs Mares vbi adoleuerint omnes pro cuiusq; genio, atque indole, alij mæchanicis artibus, alij litteris, quibus ſe ipſi honeſtè ſuſtentare poſſint, inſtituuntur. Fœminæ verò in eadem domo aluntur. ſuntq; omninò octingentæ: ex quibus quadraginta circiter ſuam Deo virginitatem vltro addixere, reliquæ verò ibi educantur ſuo tẽpore pro earum arbitrio vel honeſte collocandæ, vel etiam Deo conſecrandæ. præter has quingentæ numerantur, quæ nobilibus, ac honeſtis matronis dantur in famulas, poſtea ab ijſdem dote attributa nuptui tradendæ. Noſocomium quoque peramplum habet, in quod omnes ægroti, qui vel febri laborant, vel vulnere ſaucij ſunt (tametſi Turcę, vel Infideles) admittuntur, ij vt plurimum ad ducentos pertingunt, aliquando etiam ducenti ſupra mille extitere. Pro Noſocomij ſumptibus, & eleemoſynis, quæ pauperibus erogantur, alijsq; eiuſmodi expenſis in ſingulos annos ducatorum ſeptem ſupra quinquaginta millia impendit; cenſus item propter æs alienum conflatum quotãnis ad quadraginta ferè ducatorum millia exoluit. quæ omnia cum annuos redditus excedant, partim ex eleemoſynis, partim ex nouo ære alieno perſoluunt.

Charitatis munera, quæ in B. Virg. Annunciata domo præſtantur.

Pietatis opera, quæ in hoſpitali domus S. Mariæ de Populo exercentur.

7 Neapoli quoque extat hoſpitalis domus S. Mariæ de Populo, quam vulgus appellat Incurabilium. in ea ſolent eſſe ægroti viri ad quadrigentos, totidemq; ferè mulieres: ad hos enim infirmos inſanabili morbo laborantes fouendos, vel etiam ſanitati reſtituendos plurima exercentur munera chriſtianæ charitatis: præter hos etiam furioſos, ſeu amentes viginti, & eò plures ibidem nutrit; in Herculano verò (vulgo Torre dello greco) ægrotos circiter nonaginta, qui ethica febri laborant ſuis alit expenſis. Verno autem tempore propè lacum Agnani mille circiter ægrotis, qui varijs morbis ſunt affecti, & illuc ad ſudatoria vaporaria propter morbos exudandos confluunt, vitæ neceſſaria ſuppeditat. Ad eandem quoque domum ſpectat earum mulierum cœnobium, quæ à flagitioſa vita ad honeſtam, ac religioſam ſe ſe recipiunt (Conuertitas vulgus appellat) eæ quamuis numero ducentæ, ac ſeptuaginta, victui tamen cultuiq; corporis neceſſaria eiuſdem domus pietate, ac beneficentia, non requirunt. Qui miniſtrant ægrotis, atque alijs in rebus famulantur, octoginta octo numerantur. Huius domus Incurabilium annui reditus ad ſex, & triginta ducatorum millia. Eleemoſynæ autem ad ſummam duum circiter ducatorum millium ſingulis annis aſcendunt.

Domus S. Mariæ à Ieſu Redemptionis captiuorum.

Alia quoque domus in captiuorum redemptionem eſt excitata, cui nomen S. Mariæ à Ieſu Redemptionis captiuorum. Hæc annuos habet reditus ducatorum quinque millia, & quingenta, & tertiò quoque anno certum hominem in Africæ Mauritaniam deſtinat, qui è Mahumetanorum ſeruitute chriſtianos è Regno Neapolitano ortos fere octoginta vel centum ſoluta ad redemptionem pecunia aſſerat in libertatem.

Mons Pietatis Neapoli.

His adiungi poteſt illud chriſtianæ charitatis domicilium, quod vulgo dicitur Mons Pieta-

Pietatis,piorum hominum eleemoſynis Neapoli inſtitutum;cuius eſt munus, pecuniam mutuam gratuitò ijs dare,qui rei familiaris tenuitate laborant. atque in hoc chriſtianę pietatis, & charitatis opus ducenta, & quinquaginta aureorum millia perpetuò habet expoſita. Cæterùm,vt hæc ſub Deiparæ patrocinio, quæ omnis pietatis mater eſt,perfici intelligamus, in penitiore eius domicilij parte ſatis magnificè conſtructi, ſacellum eiuſdem Montis viſitur,dicatum B.Virgini,quam vocant Pietatis,quæ è cruce, cui aſtat gemebunda filium exanimem dum è cruce deponitur,expectat: vt eum vulneribus plagisq; conſeiſſum ſuo exceptum gremio materna pietate deploret,ac lamentetur.

Mons Miſericordiæ,quæ opera præſtat.

Extat & illud eadem in Vrbe domicilium, quod dicitur Mons miſericordiæ à ſeptem miſericordiæ operibus, quæ in alienis miſerijs chriſtiana commiſeratione ſubleuandis, ſedulo exercentur. id quod erectum eſt à viris primariæ nobilitatis,qui & templum à ſe funditus excitatum,beatæ Virgini à Monte Miſericordiæ conſecrarunt. Ab eius montis ſodalibus nullum in proximos miſericordiæ genus prætermittitur. Etenim ære alieno grauati è carceris cuſtodia, perſoluta creditoribus pecunia,liberantur; pauperes, quos pudor arcet à mendicando,eleemoſynis iuuantur; captiui è barbarorum manibus redimuntur;ægroti, qui in Noſocomijs præſertim Incurabilium decumbunt,ſingulis hebdomadis præſcripto die inuiſuntur,cibo reficiuntur,eorum etiam obſequio,famulatuq; releuantur; tandem in Aenaria (ea noſtro idiomate Iſchia dicitur, Inſula diuerſarum aquarum calidarum,ac mineralium,varijs quoque depellendis morbis opportunarum copia maximè celebris) ædes compararunt rebus omnibus neceſſarijs inſtructas,in quibus religioſos viros, qui nullis reditibus, ſed ex eleemoſynis victitant, aliosq; ægenos piè,ac benignè excipiũt,ijsq; victum,aliaq; neceſſaria verno tẽpore, quo eiuſmodi aquarum balneis ſibi remedia quærunt,liberaliter ſubminiſtrant. Neque ſolùm eiuſmodi operibus corporum valetudini,ſed animarum etiam ſaluti pro virili parte proſpiciunt. nam & defunctorum animabus, quæ Purgatorij igne expiantur,miſſarum ſacrificijs, quæ plurima in ſuo potiſſimùm templo facienda curant,frequenter opitulantur: & nuper cum in ea vrbis parte,quam Mercatum appellant (id autem eſt ſatis amplum, ac præcipuum rerum venalium forum) altera Profeſſorum Domus Societatis Ieſu erecta eſſet,ad eos propius iuuandos, qui illam Vrbis regionem incolunt: Montis huius ſodales, vt omnes explerent chriſtianæ miſericordiæ partes,duodecim aureorum millibus, templum nobis fundare decreuerunt. Intellexerunt nimirum viri ſapientes quales,quantiq; animarum fructus ex ea Domo percipiantur in præſentia, & quàm vberes ſperentur in futurum. Atque hæc quidem omnia ſiuè corporalis, ſiuè ſpiritualis miſericordiæ opera, tanta vniuerſæ Ciuitatis approbatione exhibentur, vt meritò complures eidem Monti in tam pios vſus plurimam pecuniarum vim affatim elargiantur.

Mons Deiparæ pauperum verecundorum.

Nec tacitus præteribo Congregationem Natiuitatis beatiſſimæ Virginis in Domo Profeſſa Societatis Ieſu Neapoli erectam,quæ egenis, qui à mendicando,pudore arcentur,ſecretis eleemoſynis ſubſidia confert. Sanè hæc Congregatio id in ſe ſuſcepit, vt modeſtiæ eorum,qui mendicare erubeſcunt,pro viribus opem ferat. Ac primo quidem corrogata inter ſodales eleemoſyna,quę cum nec ſemper eadem,nec multorum egeſtati ſatis eſſe poſſet, data ab ipſis ſodalibus certa pecuniæ quantitate; Mons ſub patrocinio beatiſſimæ Virginis anno humanæ ſalutis 1603.eſt erectus, dictusq; Mons beatiſſimæ Virginis pauperum verecundorum, qui non niſi à ſodalibus dictæ Congregationis adminiſtratur. Sed locus eidem Monti decretus extra Domus Profeſſæ ambitum, propterea quòd quæ in noſtris domicilijs, præſertim in Domibus Profeſſis eriguntur Congregationes,reditus habere minimè permittuntur. Atque hæc in eadem Domo Profeſſa ſcribente me Mons hic pauperum verecundorum annuos reditus habet aureorum ferè 1200.verecundæ pauperum indigentiæ addictos.

Aliæ domus in quibus Virgines educantur.

8 Sunt in eadem Vrbe aliqua quoque beatiſſimæ Virgini dicata domicilia, Orphanotrophia licet appellare,quod ingens in ijs Orphanorum multitudo innutriatur. Sunt & alia plura,quæ Puellarum conſeruatoria vulgus appellat,quod plurimæ illic puellarum alantur, & conſeruentur. Et vt omittam domum Spiritus ſancti,vbi virgines viginti ſupra trecentas,quarum virginalis integritas periclitabatur: Domum S. Eligij, vbi virgines numero quingentæ honeſtiſſimis ortæ parentibus: Domum SS. Philippi, & Iacobi,

vbi

vbi Virgines omninò centum ſupra quinquaginta ex parentibus,qui ſerici artem tractãt natæ aluntur:domum S.Margaritæ,in qua viduæ commorantur,eæ quatuordecim ſunt; hic ſolùm commemorabo domicilia ſub B. Virginis nomine inſtituta, omiſſis etiam ex induſtria quamplurimis religioſorum,ſiuè virorum,ſiuè mulierum cœnobijs ſub Deiparæ tutela conditis, vbi frequens eorum omnium cætus aſpicitur, de quibus in Tractatu de templis ageremus.

Orphanorum domicilia ſub B. Virginis patrocinio Neapoli inſtituta.

Primo igitur loco offert ſe ſe in ſuburbio,quaſi in ipſo Vrbis veſtibulo Domus cum templo S.Mariæ,quæ à celeberriſſima illa, quæ in Piceno eſt mutuata nomen, Lauretana dicitur: illic Orphani pueruli ducenti candenti amicti veſte ſuſtentantur, atque inſtituuntur ſub diſciplina Religioſorum Patrum Clericorum Regularium Congregationis Somaſchæ.

In media eadem Vrbe aliud extat domicilium Orphanorum, qui cæruleas induunt veſtes, ij omninò ſunt centum,ac ſeptuaginta; aluntur ſub cura eorundem Clericorum Regularium Somaſchę,& iuxta ſuam quiſque indolem,vel litteris,vel opificio alicui addiſcendo addicuntur.

Extat,& alia puerorum Domus,qui veluti errones è medijs abrepti triuijs, vbi omni humano præſidio deſtituti iacebant,in hac Domo fouentur,veſtiuntur,educantur; ea à Deipara, ſub cuius eſt clientela, eſt ſortita nomen,dicitur vulgo ſancta Maria à Columna pauperum Ieſu Chriſti. puerorum alumnorum numerus ad ſexaginta circiter excurrit.

Alia puellarum virginum domicilia ſub præſidio Deiparæ.

Hactenus de pijs puerorum domicilijs:veniamus iam ad mulierum Domos,in quibus puellulæ victitant,quarum aliquæ virginitatem ad finem vſque vitæ ſeruant: quædam vbi ad nubiles annos peruenerunt, aſſignata ijs dote,nuptui honeſtè traduntur.

Sancta Maria cognomento Viſita pauperes Virgines alit quinquaginta quatuor ſupra ducentas.

Domus Conceptionis B.Virginis apud Montem Caluarium, Virgines ferè quinquaginta quatuor.

S.Maria à Splendore Virgines numero quadraginta; & quamuis cum hæc ſcriberemus,nondum profeſſionem emiſerint:eæ tamen ſub regula S. Claræ aſperrimam Cappuccinorum vitam ſectantur,aſſiduis ieiunijs,& obſoletiore veſtitu carnem macerant.

S.Maria à Conſtantinopoli,quæ puellarum cætum nuper admiſit, Virgines numerat viginti tres.

S.Maria à Charitate mulieres quinque,& triginta.

S.Maria Refugij mulieres quatuor,& octoginta.

S.Maria Succurſus,mulierum,quas vocant Illuminatas. In hanc domum admittuntur non tantùm Virgines,ſed etiam aliæ,quæ è flagitioſæ vitæ naufragio ad honeſtatis portum appellunt;omnes in præſentia numero ſunt ferè triginta quatuor.

Domus Diuæ Mariæ Solitudinis Hiſpanorum (vulgo la Soledad) Virgines hiſpanorum filias educat octoginta duas.

Alia quoque Domus B.Virginis cognomento à Carminello,mulieres hiſpanas,quæ à flagitioſa vita ad honeſtam ſe receperunt,admittit hæ duodecim numerantur. Atque hæc omnia in vna Vrbe Neapoli,vt ex ea de reliquis chriſtiani orbis Ciuitatibus coniecturam capiamus.

Et hæc quæ ſatis apertè declarant ſanctiſſimam Deiparam in omnium ſe ſe, quibus miſeros,& imbecilles mortales iuuare poſſit,beneficiorum genus effundere, nihilq; non excogitaſſe,atque adinueniſſe,quo & animi morbos,& corporis incommoda ſubleuaret.

B. Virgo Iudæi filium, qui ſacram acceperat Euchariſtiam ab incendio ſeruat. Ioan. 2. Bernardus.

9 Quantum porrò præſidij à Deipara benigniſſima matre polliceri ſibi poſſint eius filij, qui illius opem ſuppliciter implorant,facilè declarant beneficia in eos etiam, à quibus non inuocatur collata, quos materno affectu tuetur,ac protegit; vt videre eſt in nuptijs Cana Galileę,in quibus non requiſita deficiente vino à Filio illud impetrauit:hoc enim factum Bernardus ſerm. 2. Dominicæ 1. poſt octauam Epiphaniæ his verbis expendit: *Et ipſa dico vobis chariſſimi ſi piè à nobis pulſata fuerit,non deerit neceſſitati noſtræ, quoniam miſericors eſt, & mater miſericordiæ. Nam ſi compaſſa eſt verecundiæ illorum, à quibus fuerat inuitata,multò magis compatietur nobis, ſi piè fuerit inuocata.* ſic Bernardus.

dus. Ad huius rei confirmationem ſexcenta exempla afferri poſſent; nos tantùm commemorabimus illud, quod ſub Iuſtiniano Imperatore, & Menna Conſtantinopolitano Epiſcopo, narrat Euagrius ſuo tempore geſtum, & toti orbi notum lib.4.cap.35. de puero Iudæo,qui licet Virginem ſanctiſſimam non inuocaſſet; per eam tamen ab incendio eſt ſeruatus: Mennæ,inquit,temporibus miraculum editum fuit planè memorabile. vetus fuit conſuetudo Conſtantinopoli, vt ſi quando multæ admodum particulæ puri, & immaculati corporis Chriſti ſupereſſent,pueri impuberes,qui ſcholas frequentabant, accerſerentur, easq; manducarent. Quod cum factum fuit,filius cuiuſdam hominis Hebræi quidem opinione,arte autem vitrarij,vna cum pueris verſatus eſt: qui quidem parentibus percontantibus ab eo cauſam moræ, reſpondit vti res ſe habuit, ſeq; cum alijs pueris pariter comediſſe. Hebræus bile, furore, & iracundia inflammatus in clibanum ardentem, in quo vitrum formare ſolebat, puerum conijcit. Poſtquam verò mater puerum quæritans reperire non potuit, paſſim per totam Vrbem ibat, Deum cum gemitu obteſtans,& flebilibus lamentis ſe dedens. Triduo autem poſt ad oſtium officinæ viri ſui conſiſtens luctu miſerabiliter diuexata,nomine puerum compellat. Puer matris vocem vt agnouit,è clibano reſponſum dat.mater effractis foribus introrumpit,videtq; puerum in medijs carbonibus candentibus conſiſtentem illæſum ab ignis incendio. qui cum rogaretur,Quo pacto illæſus manſiſſet: Mulier,inquit,veſte amicta purpurea crebrò ad me venit,porrexit aquam,qua carbonum flammas corpus ambientes extinguerem, cibum denique dedit quoties eſuriebam. Qua re ad Iuſtinianum perlata,puerum cum matre lauacro regenerationis tingendos decreuit:patrem autem pueri,qui recuſauit in numerum chriſtianorum aſcribi,in Syris cruci ſuffigendum curauit. hæc Euagrius. Eandem hiſtoriam confirmat Gregorius Turonenſis,qui paucis poſt annis, eodem tamen ſeculo vixit in lib.de gloria Martyrum cap.10. vbi aliquanto explicatius illud de B. Virgine tradit: *Cum enim*, inquit, *infantulum chriſtiani interrogarent,quale ei inter ignem fuiſſet vmbraculum,ait: Mulier quæ in baſilica illa, vbi panem de menſa accepi, in cathedra paruulum in ſinu geſtat infantem,hæc me pallio ſuo,ne ignis voraret, operuit: vnde indubitatum eſt beatam ei Mariam apparuiſſe*. hæc Gregorius Turonenſis, additq; multos Iudæorum exemplo hoc in Vrbe illa ſaluatos. eandem hiſtoriam memorat Glycas 4. par. Annalium.

Euagrius.

Auctores qui eandem narrant hiſtoriam.

Gregorius Turonenſis.

Glycas.

QVAE ERGA DEIPARAM A NOBIS PRAESTANDA.

10 SEd veniamus ad ea,quæ erga eiuſmodi matrem à nobis præſtanda ſunt,ne tot,tantisq; eius erga nos beneficijs ingrati planè ſimus. Qua in re duo potiſſimùm exequemur. Primùm,qua nam ratione priuata erga Deiparam pietate,atque ſtudio ſinguli nos gerere debeamus,idq; breuiſſimè:vberiorem enim, & integram ea de re tractationem,in ſecunda huius operis parte,capite nimirum 34. & ſequentibus inſtituemus. Alterum,quæ nam circa dies feſtos, templa, aliaq; huiuſcemodi publico cultu in Deiparæ honorem facienda Eccleſia ſtatuerit, vt debita filiorum officia erga eam rependentes, eius maieſtati,ac beneficijs aliqua ſaltem ex parte reſpondeamus.

Quæ ab hominibus erga Deiparam præſtanda. Quæ agenda.

Et quod attinet ad primùm, omnes magnum erga Deiparam affectum diuina aſpirante gratia in nobis ipſis excitare,fouere,atque augere,idq; quamprimum abſque vlla mora conemur: ſicut enim S.Ioannes,vbi à Chriſto è cruce pendente audiuit: *Ecce mater tua*,charitate filij erga tantam parentem accenſus, *ex illa hora*,hoc eſt omni cunctatione abiecta continuè *accepit eam in ſua*, ideſt in propria, hoc enim ſonat græca vox τὰ ἴδια, ita & nos amorem Virgini, qualem filios decet erga talem matrem exhibentes, eam in propria cordis penetralia S. Ioannis exemplo admoniti,illico,nulla interpoſita mora per intimam erga eam pietatem, ac deuotionem recipere nitamur; illud magnopere cauentes,ne peccata peccatis addentes hac Virginis filiatione prorſus indigni reddamur,neuè vtilitatem,quam percipere ex ea poſſumus vberrimam per oſcitantiam elabi patiamur. Quocirca conſcientiæ puritati,abſterſa omni peccati labe,in primis ſtudeamus; eamq; tanquam Dominam,ac matrem agnoſcentes omni cordis ſtudio diligamus, ac ſumma animi demiſſione veneremur;de eius bonis intima animi lætitia eidem gratulemur

Quid ſinguliſer ga Deiparam exhibere dicũt. Statim deuotio Deipara excitanda. Ioan. 19.

lemur in noſtris,quibus premimur anguſtijs,fidenter ad eam accurramus,dicamusq́; ſuppliciter, *Monſtra te eſſe matrem.* Et quoniam,vt rectè monet Cyprianus de bono patientiæ,ſeruos oportet eſſe obſequẽtes,& filios non decet eſſe degeneri es,diuina ope adiuti pro noſtra virili parte, eam imitari, eiq́; nonnulla obſequia deferre ſtudeamus. his enim ſex actuum generibus,Amore,Reuerentia Congratulatione,Fiducia, Imitatione, atque Obſequijs, pietatem ac deuotionem erga Virginem conſtare, Deo bene propitio in ſecunda huius operis parte plenius oſtendemus; interim hæc indicaſſe ſatis ſit.

Cyprianus.

Pietatis ſenſus erga Deiparam maximus apud omnes.

Et quamuis ſit,quòd Deo optimo ingentes gratias agamus, propterea quòd pium huiuſmodi erga Virginem Deiparam affectum cum reuerentia, atque obſeruantia coniunctum,in omnium ferè chriſtianorum catholicorum pectoribus,atque animis vſque adeò impreſſit,vt nemo fermè eorum ſit, qui aliquem erga Virginem pietatis ſenſum non experiatur: illud tamen nobis omnibus ſtrenuè eſt enitendum,vt magis, magisq́; in hac pietate proficientes,vberiorem ex ea fructum reportemus; cum præſertim peculiaris erga Deiparam electorum omnium matrem deuotio inter prædeſtinationis ſigna meritò annumeretur,quod cap. 34. fuſius oſtendemus.

Cap. 34.

QVAE NAM ECCLESIA IN DEIPARAE honorem facienda decreuerit.

Quomodo Eccleſia Deiparæ gloriam proſequatur.

SEd videamus,quæ nam Eccleſia à Spiritu ſancto edocta, ad gloriam tantæ Virginis, quam Dei,ac Domini ſui Genitricem non tantum agnoſcit,ac prædicat, ſed etiam veneratur,ac colit,à qua tot, tantisq́; beneficijs identidem cumulatur,facienda præſcripſerit. Quę quidem omnia ad Dies celebres in eius honorem dicatos,ad Templa ei erecta,denique ad Complura alia in eius cultum ſancita reuocari poſſunt.

DIES FESTI IN DEIPARAE GLORIAM DECRETI.

Dies feſti in honorem Deiparæ.

ET ſanè ſi de diebus in Deiparæ honorem inſtitutis loquamur, præter Sabbatum ſingulis recurrentibus hebdomadis Deiparæ dicatum; de quo infra in hoc capite plenius,plura in eius cultum feſta ſunt inſtituta,ſiuè ſpectes ea,quæ in Eccleſia vniuerſali,ſiuè ea,quæ in peculiaribus Regnis,& Vrbibus, vel etiam in Religioſorum hominum familijs celebrantur. vt de ſanctiſſima Virgine ſub typo Iudith dictum intelligamus, illud Iudith 16. *Erat autem diebus feſtis procedens cum magna gloria:* vbi vox illa, *PROCEDENS*,hoc eſt pergens,& vltra ſe extendẽs,innuere videtur Deiparam ferijs,feſtisq́; augeri in dies,quod experientia ſatis eſt compertum: vt propterea Cant. 6. dicatur progredi quaſi *Aurora conſurgens*, quæ magnis per ſingula momenta incrementis, magis, magisq́; clareſcit. quod ipſum Ildefonſus ſermone 1. de Aſſumptione in cedro Libani de Deipara ſignificatum tradit: *Hæc eſt*,inquit,*quæ vt Cedrus Libani quotidie in terris multiplicabitur,dilatabiturq́; ramis,& in cœlo radicibus,vt creſcat amplius,ſolidatur.* ſic ille. Et certè Iudæis olim præſcriptum erat Numer. 28. vt Nouilunijs recurrentibus Calendarum, ſeu Neomeniæ ſollemnitatem aucto ſacrificiorum numero celebrarent, eamq́; tubarum cantu Num. 10. feſtiuiorem redderent. quare pſal. 80. *Buccinate in Neomenia tuba,in inſigni die ſollemnitatis veſtræ, quia præceptum in Iſrael eſt.* Huiuſmodi verò Neomeniæ feſtum ex Toleto in Ioannis cap. 7. ann. 2. licet inſtitutum eſſet in memoriam perpetuæ diuinæ gubernationis,& in gratiarum actionem propter beneficia,quæ à præpotenti Deo percipiuntur toto tempore, quod luna, à qua menſes, & annos Iudæi computabant,menſtruo ſuo decurſu metiebatur; ſimulq́; ex Auguſtino lib. 19. contra Fauſtum cap. 10. *Hæc nouæ lunæ celebratio nouam creaturam,quæ per Chriſtum facta eſt prænunciaret.* Idem tamen Neomeniæ feſtum ſingulis menſibus recurrens figura etiam fuiſſe videtur feſtorum,quæ à populo chriſtiano ſumma cum alacritate aliquando celebranda erant in honorem Deiparæ, quæ *pulchra vt Luna* prædicatur. Et meritò noua Luna nullis veteris Euæ maculis inquinata appellari poteſt,cuius interceſſione, & meritis plurima à Chriſto Domino in humanum genus abundè, ac iugiter promanant beneficia: quare ad ea recolenda, & ad gratias de ijs Chriſto agendas complures feſti dies

Iudith 16.

Cant. 6.

Ildefonſus.

Eccleſ. 24.

Num. 28.

Pſal. 80.

Toletus.

Auguſtinus.

Cant. 6.

in

in Deiparæ honorem inſtar illius antiquæ ſolemnitatis Neomeniæ magna cum pietate ſunt inſtituti, & ingenti cum lætitia fidelium recoluntur. Si enim Ethnici vano Idolorum errore decepti in honorem matris Deum, (quæ tamen tot portenta genuiſſe ab ijſdem credebatur) æquinoctij verni diem colentes, nempè octauo calendas Aprilis(quo ſol diem nocte longiorem protendit) HILARIA(teſte Macrobio lib.1.Saturnalium cap. 21.) appellarunt,quorum Vopiſcus in Aureliano meminit,eaq; indicare videtur S.Dionyſius Areopagita Epiſt.8. quanto verius, quantoq; iuſtius omni exultatione, & hilaritate beatiſſimæ Virginis feſta, quæ vera Dei parens eſt, celebrabimus? præſertim eius Annunciationis diem, quæ in octauum calendas Aprilis incidit, cum Angelo nunciante Deum concepit, & veram hilaritatem,ac gaudium mundo attulit; quemadmodum pluribus cap.5.oſtendimus. Hinc vox illa Eccleſiæ in Deiparæ feſtis: *Cum iucunditate Conceptionem,& Natiuitatem B.Mariæ celebremus:* hæc enim feſta, vt eadem canit Eccleſia: *GAVDIVM annuntiauerunt vniuerſo mundo.*

Macrobius. *Vopiſcus in Aureliano.* *Dionyſius Areopagita.* *Luc.1.* *Officium Eccl.*

Cæterùm inter veteris legis Neomenias, & Deiparæ feſta, hoc diſcriminis intercedit, quod in illis luna hæc vtpotè ſenſu, ac ratione carens, ad diuina beneficia conferenda nulla ratione concurrebat, ab ea tamen denominatio, & certum feſtorum tempus ſumebatur; quia Iudæi tempus, quo à Deo ea percipiebantur, lunæ motu, vt dixi, diſtinguebant, ac numerabant; & idcircò feſta illa ad ſolius Dei, non autem nouæ lunæ cultum referebantur. At verò ad Dei beneficia, & myſteria, quæ in Deiparæ feſtis commemorantur, ipſa ſuis precibus, & meritis, vel aliqua alia interdum ratione eſt cooperata; quare & feſta illa in Dei gloriam, & Deiparæ etiam honorem ſunt ſancita.

12 Porrò octo feſtiuitates Eccleſia peculiariter in eiuſdem ſacratiſſimæ Virginis gloriam ſub duplici officio omnibus celebres eſſe iuſſit, nimirum Conceptionis eius, Natiuitatis, Præſentationis, Annunciationis, Viſitationis, Purificationis, Aſſumptionis. Feſtum denique, quod vocant ad Niues, ex quibus Aſſumptioni ieiunium vigiliæ præmittit, feſtaq; Aſſumptionis, & Natiuitatis, cum octauis ſolemni ritu peragenda ſtatuit. His octo addere poſſumus, & nonam feſtiuitatem,nimirum olim ſanctæ Mariæ ad Martyres, quam Bonifacius Quartus circa annum 603. celebrem, & Generalem quotannis die 13.Maij Romæ agendam inſtituerat: Gregorius verò Quartus ab vniuerſali Eccleſia die primò Nouembris in honorem omnium Sanctorum cum octaua ſeruandam decreuit;quemadmodum in Martyrologio die 13. Maij, & primò Nouembris legimus. in qua feſtiuitate Deipara inter omnes Sanctos præcipuè honoratur: vt propterea ſanctus Antoninus inter Deiparæ feſta feſtiuitatem omnium Sanctorum ſibi exiſtimarit recenſendam. quin etiam idem ſanctus Antoninus in 4.par.tit.15.cap.24.§.3.agens de multiplici honore, quo Eccleſia Deiparam veneratur,animaduertit ab Eccleſia in beatiſſimæ Virginis reuerentiam quotannis proceſſionem in die Purificationis fieri, quemadmodum in Chriſti cultum fieri ſolet in die palmarum, totq; numero feſtiuitates Deiparæ eſſe dicatas, quot & Deo: *Octo,*inquit,*ſunt ſolemnitates particulariter Deo ſub tali feſto ſacratæ,ſcilicet Natiuitatis Domini, Circumciſionis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Trinitatis, Pentecoſtes, & Corporis Chriſti: & totidem ſunt celebritates Virgini ſanctiſſimæ dedicatæ;ſcilicet Conceptionis, Natiuitatis, Annunciationis, Viſitationis, Purificationis, Aſſumptionis, feſtum ad Niues; Octauum eſt feſtum, quod antiquitùs dicebatur ſanctæ Mariæ ad Martyres, poſtea eſt inſtitutum in honorem omnium Sanctorum, in qua ſolemnitate beatiſſima Virgo eſt præcipuè omnium Sanctorum honorata.* hæc ex ſancto Antonino, qui non memorat feſtum Præſentationis Deiparæ, quòd tamen celebratur, & reſpondere poteſt feſto Transfigurationis Chriſti, cuius neque meminit: quod cum ſanctus Antoninus hęc ſcriberet, Calliſtus Tertius, (qui ex Platina illud celebrandum præſcripſit) tametſi eadem tempeſtate ſederit, nondum tamen eius officium inſtituiſſe videatur. Quamquam aliquot Deiparæ feſta ad Chriſtum pertinent; nam Virginis Annunciatio Chriſti Conceptio eſt; & eiuſdem Purificatio,Domini preſentatio; ſicuti Chriſti Natalis,Deiparæ partus eſt. Cæterùm circa Dei Genitricis feſta, vt ad aliqua magis peculiaria deſcendamus, ſciendum eſt inter feriatos dies in Eccleſia ſancitos(quibus Gregorius Nonus Extra.de ferijs cap.vltimo à ſtrepitu

Solemniores Deipara feſtiuitates. *Solemniores octo feſtiuitates Deo dicatæ.* *Platina.* *Extra. de ferijs cap. vltimo.*

iudiciorum ceſſandum eſſe decernit) recenſeri & feſta Deiparæ his verbis: *Et dies*, inquit, *feſtiuitatum omnium Virginis glorioſæ*. In quod caput Canoniſtæ, & præſertim Ioannes Andreas, Hoſtienſis, & Panormitanus animaduertunt feſtiuitates omnes Virginis (vt loquitur Panormitanus) eſſe in præcepto, & principaliter eſſe quatuor, ſecundum quatuor anni tempora; ſcilicet Annunciationem in Vere, Aſſumptionem in æſtate; Natiuitatem in Autumno, Purificationem in Hyeme: *Quæ*, inquit Hoſtienſis, *ſunt ad modum lapidum pretioſorum, & coronæ in anni circulo collocatæ*: quibus verbis indicat totius anni tempora Virginis ſolemnitatibus ornata, atque munita, ideoq; omnibus anni temporibus à fidelibus debitum illi cultum tribuendum.

Ioan. Andreas. Hoſtienſis. Panormitanus.

Virginis feſta anni tempora decorant.

13 His quatuor feſtiuitatibus Natiuitatis, Annunciationis, Purificationis, & Aſſumptionis accedunt, vt dixi, quatuor aliæ ſolemnitates, quas in Virginis Deiparæ honorem Eccleſia vniuerſalis magna omnium pietate celebrat, Cõceptionis nimirum immaculatæ, Præſentationis in Templo, Viſitationis ad S. Eliſabeth, & feſti, quod vocãt ad Niues.

Quatuor aliæ Virginis ſolemnitates.

Quibus adnectenda ſunt & alia Deiparæ feſta, quæ peculiares ob cauſas, vel apud certas religioſorum virorum familias, vel certis in Regnis, aut Diœceſibus ſolemniter inſtituta ſunt, de quorum ſingulis aliqua quidem in præſenti perſtringenda forent. Verùm ne huiuſmodi caput plus æquo excreſcat, quæ de ijs vberius dicenda eſſent, in peculiarem tractatum ad finem totius operis congeſſimus. Hic eorum Elenchum tantum adſcribemus, quo ea ſaltem generatim indicentur.

De ſabbati tamen Deiparæ dicati inſtitutione antiquiſſima, & de eiuſdem inſtitutionis cauſis in hoc capite differemus, tum quia id cap. 11. polliciti ſumus, tùm etiam, quia ea occaſione quædam explicantur, quæ ad rem præſentem facere potiſſimùm viſa ſunt.

I

ELENCHVS FESTORVM DEIPARAE, *& quibus diebus recolantur; de eorum verò ſingulis plenius in Tractatu de Feſtis.*

Feſti dies in Deiparæ honorem.

COnceptio immaculata Deiparæ celebratur 8. Decembris.
Natiuitas eiuſdem cum octaua die 8. Septembris.
Præſentatio in templo die 21. Nouembris.
Annuntiatio die 25. Martij.
Viſitatio Dei genitricis ad S. Eliſabeth die 2. Iulij.
Purificatio die 2. Februarij.
Aſſumptio Deiparæ cum præcedenti vigilia, & octaua die 15. Auguſti.
Feſtum ſanctæ Mariæ ad Niues 6. Auguſti.
Feſtum omnium Sanctorum prima Nouembris.

COMPLVRA DEIPARAE FESTA, QVAE *varijs in locis celebrantur.*

DEſponſatio Deiparæ 22. Ianuarij in Gallijs.
Dedicatio ſanctæ Mariæ ad Martyres Romæ 13. Maij.
Expectatio partus Deiparæ 18. Decembris in Hiſpania.
Feſtum Deiparæ à Conſtantinopoli, ſeu Odigidriæ, quod feria tertia Pentecoſtes celebratur.
Sancta Maria Angelorum, ſeu Portiuncula die 2. Auguſti.
Sancta Maria à Carmelo die 16. Iulij.
Commemoratio ſanctę Marię de Victoria die 7. Octobris.
Et feſtum Roſarij Dominica prima Octobris.
Feſtum dolorum Deiparę.
Feſtum Gaudiorum Deiparę.
Feſta duo depoſitionis veſtium Deiparæ in Vrbe Conſtantinopolitana die ſecunda Iulij, & die vltima Auguſti.
Solemnitas Recollectionis feſtorum Deiparæ Louarij Dominica prima Septembris.

SAB-

SABBATVM DEIPARAE PERPETVO dicatum, & à quo tempore.

Cultus Deiparæ die ſabbati ab Eccleſia decretus.

14 SAncta Chriſti Eccleſia à Spiritu ſancto edocta, ſuam erga Deiparam pietatem, atque obſeruantiam teſtatur, non tantum quamplurimis, vt ſupra diximus, ſolemnitatibus anniuerſario ritu in eiuſdem honorem inſtitutis: verùm etiam ſingulis recurrentibus hebdomadis, ſabbati die perenni cultu eidem dicato, vt quemadmodum dies Dominica Chriſti Reſurrectioni, & feria ſexta eiuſdem paſſioni: ita & ſabbatum Deiparæ ſolemne eſſet, quo die præter miſſas, & diuina officia, quæ de eadem celebrari publicè ſolent, fideles aliquid peculiare pro ſua quiſque in Virginem pietate priuatim præſtare ſtudent. complures enim eo die non ſolùm veteri Eccleſiæ præcepto à carnibus abſtinent, ſed maiorem etiam in Virginis honorem ciborum abſtinentiam ſibi imperant, aliasq; corporis caſtigationes, vtpotè cilicium, flagellorum diuerberationem, & his ſimilia ſponte ſubeunt; eleemoſynas etiam eodem die pro virginis reuerentia in pauperes erogant, ac preces eidem impenſiori cura recitant. Quæ quidem omnia Virgini cordi eſſe, innumerabilia propemodum miracula, & crebra propter hæc obſequia in mortales ab ea collata beneficia teſtantur, vt videre eſt apud Auctores, quorum aliquot exempla cap. 39. referemus. *Cap. 39.*

Ieiunium die ſabbati, ex antiquiſſimo Eccleſiæ vſu receptum.

Cæterùm de huius inſtitutionis primordijs, quouè tempore ſabbatum apud fideles in Deiparæ honorem ſolemne eſſe cæperit, non ſatis inter Auctores conſtat. Quocirca, vt de ſabbati obſeruatione rem omnem altius repetamus, animaduertendum eſt, ab ipſis Apoſtolorum temporibus Romanam Eccleſiam cum multis ei vicinis, ac nonnullis quoque remotis Occidentis Eccleſijs die ſabbati ieiunare ſolitam: Orientales verò eadem die ieiunium ſoluere conſueuiſſe; cuius rei rationem reddit Auguſtinus epiſtol. 86. his verbis: *Populi Orientis propter requiem ſignificandam, qua caro Chriſti in monumento requieuit, malunt in ſabbato ieiunium relaxare; alij propter humilitatem mortis Domini ieiunare, ſicut Romana, & nonnullæ Occidentis Eccleſiæ.* hæc Auguſtinus. qui etiam inſinuat apud aliquas Africæ Eccleſias, & præſertim apud Ciuitatem S. Monicæ matris ſuæ ieiunium eo die viguiſſe: Sanctum quoque Ambroſium à ſe Catechumeno nomine matris ea de re conſultum, reſpondiſſe; Illius Eccleſiæ, in qua quis degit, morem eſſe ſeruandum. Hieronymus epiſt. 97. & 28. non tantum Romanam, ſed etiam Hiſpaniæ Eccleſias ieiunium ſabbati in more habuiſſe, Hippolytum quoque virum diſertiſſimum, aliosq; Auctores ea de re ſcripſiſſe teſtatur, monetq; traditiones Eccleſiaſticas cuiquè Eccleſiæ proprias ſeruandas eſſe: Sanctus quoque Innocentius Papa eius nominis Primus, inter alia, quæ ſapienter conſtituit, commemoratur ſtatuiſſe, & illud in eius vita, & præſertim in Breuiario Romano his verbis: *Probauit etiam vt ſabbato ob memoriam Chriſti Domini ſepulturæ ieiunium ſeruaretur.* Alij verò eiuſmodi diuerſitatis inter Occidentis, & Orientis Eccleſias aliam reddunt rationem: Cùm enim Simon Magus Menander Saturninus, Cerinthus, & poſtea Cerdon, Marcion, alijq; Hæretici, (quorum meminit Irenæus lib. 2. cap. 20. & ſequentibus, & Epiphanius hæreſ. 21. & ſequentibus, & præcipuè hæreſ. 42.) Deum Iudæorum mundi opificem, non minus impiè, quàm impudenter malum eſſe dicerent, Chriſtumq; ad eum deſtruendum veniſſe affirmarent: & quoniam Deus ſabbato, quod in eiuſdem honorem Iudæi obſeruabant, quieuerat; idcirco ipſi in eius contumeliam eadem die ſabbati ieiunabant. Ad huius ergo tam perniciosæ hæreſis deteſtationem, quæ in Oriente potiſſimùm erat propagata, Orientales catholici à ſabbati ieiunio cauebant. Ideò S. Ignatius epiſt. ad Philippenſes: *Si quis*, inquit, *Dominicum diem, aut ſabbatum, vno excepto, ieiunarit, hic Chriſti interfector eſt.* Idem prohibetur in Canone Apoſtolorum 55. qua de re videndus eſt Baronius tom. 1. Annal. ad annum Chriſti 57.

Auguſtinus.

S. Ambroſius.

Hieronymus.

Hippolytus.

Cur Orientales catholici à ieiunio abſtinebant.

Ireneus.

Epiphanius.

S. Ignatius.

Baronius.

Cur Occidentales catholici ſabbato ieiunarint.

15 At verò in Occidente, & potiſſimùm Romæ fideles ſabbato ieiunabant ex Auguſtino epiſt. 86. ſupra citata: *Quoniam*, inquit, *hæc eſt opinio plurimorum (quamuis perhibeant eſſe falſam pleriq; Romani) quòd Apoſtolus Petrus cum Simone Mago die Dominico certaturus, propter ipſum magnæ tentationis periculum, pridie cum eiuſdem Vrbis Eccleſia ieiunarit, & conſecuto tam proſpero, glorioſoq; ſucceſſu, eũdem morem tenuerit; eumq;*

Auguſtinus.

imitatæ ſint nonnullæ Occidentales Eccleſiæ. hæc Auguſtinus. Eandem ferè cauſam affert Caſſianus lib. 3. de Inſtit. cap. 10. ex aliquorum enim ſententia vult, Apoſtorum Petrum in ſabbato contra Simonem conflictaturum ieiunaſſe, ieiuniumq; diſcipulis ſuis indixiſſe. Innocentius verò Primus Epiſtola ad Decentium, & habetur de conſecrat. diſtin. 3. cap. ſabbato. Huius ſabbatini ieiunij aliam quoque cauſam reddit, quoniam ſcilicet Apoſtoli propter Chriſti mortem non tantum ſexta feria, ſed ſabbato etiam in mærore fuerunt.

Caſſianus.

Innocentius I. C. Sabbato de conſecr. diſt. 3.

Alia ratio cur Occidentalis Eccleſia cum Orientali in ſeruando ieiunio non conuenerit. Franc. Turria. Luc. 5. Auguſtinus.

His ſubijciam illud, quod noſter Franciſcus Turrianus lib. 1. contra Magdeburgenſes cap. 3. in verbis illis Domini Luc. 5. *Venient dies cum ablatus fuerit ab illis ſponſus, tunc ieiunabunt in illis diebus*; egregiè obſeruauit: hinc enim factum exiſtimat, vt apud Orientales ieiunium fieri conſueuerit feria 4. & 6. quibus ablatus videtur Dominus: *Quóniam*, inquit Auguſtinus epiſt. 86. *ipſa quarta ſabbati conſilium reperiuntur ad occidendum Dominum feciſſe Iudæi: deinde traditus eſt Dominus ea nocte, quæ ad ſextam ſabbati, qui dies paſſionis eius manifeſtus eſt, pertinebat.* ſic Auguſtinus. Apud Occidentales verò ſexta feria, & ſabbato, quo corpus Domini in ſepulchro iacuit loco quartæ feriæ eſt receptum ieiunium, hoc eſt à carne abſtinentia, quod genus abſtinentiæ ex Damaſceno libello de ieiunijs ad Cometum eſt ieiunium quoddam, & ex Tertulliano lib. contra Pſychicos vocatur *ieiunium portionale*, id eſt *exceptio*, vt ille ait, *quorundam Eduliorum.* hæc ex Franciſco Turriano. Atque hæc de antiquiſſima ſabbati obſeruatione.

Damaſcenus.

Tertullianus

Sabbati dies ex antiquiſſima ſanctæ Eccleſiæ inſtitutione Deiparæ eſt dicatus. Concil. Clarem.

16 Verùm vt ad exordia inſtitutionis, qua ſabbatum in Deiparæ cultum celebrari cęptũ eſt, veniamus; nonnulli id ad Concilium Claremontanum ſub Vrbano II. anno 1094. celebratum referunt, quorum ratio ea eſt, quoniam in eo Concilio preces horarię Virginis, ſeu eius officium, vt vocant paruum, omnibus, qui officium Dominicum recitare tenentur, eſt indictum, ibiq; ſtatutum eſt, vt ſabbatis officium Deiparæ, & miſſa de eadem ſolemniter celebretur. Hæc enim in Claremontana Synodo teſtantur S. Antoninus 2. par. hiſt. tit. 16. cap. 1. §. 23. Genebrardus lib. 4. chronolog. in Vrbano II. & ante eos Vincentius Beluacenſis lib. 25. ſpec. hiſtor. cap. 112. Ptolomæus de Lucca in hiſtoria ſcholaſtica noua apud Raulinum ſecundæ partis ſermonum de Sanctis ſermone 45. & alij conſtituta fuiſſe ſub Vrbano II. ad eiuſdem Deiparæ patrocinium in expeditione pro terra ſancta recuperanda in eodem Concilio decreta, implorãdum: Attamen longè prius ſabbatum in Deiparę honorem ſeruatum inuenitur: nam S. Gerardus Epiſcopus Canadienſis, de quo Surius tom. 5. die 24. Sept. qui pręclariſſimo martyrio pro Chriſto eſt affectus anno 1042. ſingulis ſabbatis officium Aſſumpt. Deip. cum nouem Lection. magnisq; laudum pręconijs ante eiuſdem aram inſigni pietate explebat, & ordo Cluniacenſis inſtitutus anno ſalutis 812. in ſuo Breuiario ſic habet: *vt ſabbatis extra quadrageſimam, & niſi ſit feſtiuitas, &c. Officium*, inquit, *celebretur de intemerata Virgine ſingulari noſtra ſpe poſt Dominum Ieſum.* Quòd ſatis indicare videtur antequam Concili Claremontani decreto in vniuerſali Eccleſia officium Virginis in ſabbato ſanciretur, ſabbatum Deiparæ communi ſenſu attributum. Quare mihi admodum veriſimile eſt Cõcilium Claremontanum, id quod de ſabbato Deiparæ attributo in mores inductum iam erat, ſua auctoritate ſanxiſſe; quod innuere videtur Caniſius lib. 5. de B. Virg. cap. 29. cum ait, Synodum Claremontanam vel tradidiſſe, vel confirmaſſe illud de horarijs Deiparæ precibus recitandis ab Eccleſiaſticis, & de ſabbato Virginis cultui dicato, citatq; Hieronymum Rauẽnatem lib. 5. hiſt. qua de re videndus etiam eſt Arnoldus lib. 5. ligni vitæ.

S. Antoninus.

Genebrardus Ptol. de Lucca.

Apud Raulin.

Vrb. II. Pont.

S. Gerardus Epiſc Canadienſis & mart. Surius.

Breuiarium Ordin. Cluniac.

Caniſius.

Hier. Rauẽnas.

Arnoldus.

Pelbartus.

Quin etiam Pelbartus grauis Theologus lib. 1. Stellarij B. Virg. par. 4. art. 3. cap. 2. ſabbatinum Deiparę officium à S. Ildefonſo, qui circa ann. Dom. 660. floruit vſurpatum affirmat; ſcribit. n. haberi præcipuè in lib. qui inſcribitur, Scala cęli, cuius Auctor fuit Io. Egidius, ſeu Ioannes Minor Ord. Præd. haberi præterea in miraculis B. Virg. S. Ildefonſum Toletanum Archiep. poſt editum de perpetua Deip. virginitate librum, Nouẽ Lectiones in officio ad Deiparæ honorem quolibet ſabbato dicendas confeciſſe: cumq; die quodã ſabbati admirabilis in Eccleſia armonia reſonaret, arbitratus canonicos eo abſente matutinum officium perſoluere, ocyus cum ſuis ad Eccleſiã perueniens admirabilem vidit claritatem, & Angelorum choros officium illud à ſe editum decantantes, ac B. Virginem, quam Angeli laudabant, in Epiſcopali cathedra reſidentem, abſolutisq; matutinis

Scala Cœli à Io. Egidio deſcripta S. Ildefonſus Archiep. Toletan.

Officiũ B. Virg. à S. Ildefonſo auctum, ab Angelis celebrari viſum.

S. Il-

S.Ildefonſo ad ſe vocato caſulam ad celebrandum cęlitus allatam, quemadmodum alibi diximus,eſſe largitam. hæc ex Pelbarto.

Hoc ipſum de Sabbato ante multa annorum ſecula in Hiſpania in honorem Deiparæ dicato colligi poteſt ex hiſtoria celeberrimi Deiparæ templi in Monte ſerrato ea occaſione extructi,quod annum Domini circiter 890. Paſtores, qui cum ſuarum ouium gregem in illius montis iugo degebant,obſeruarint ſingulis diebus SABBATI inclinante iam die ingentia lumina in proximum Antrum delabi,conuentusq; Angelicos ibidem exaudiri,quo prodigio ad Barcinonenſem Archiepiſcopum delato,& ſuis oculis perſpecto; inuenit is in eo Antro Deiparæ ſimulacrum pijſſimum,cui poſtea inſigne illud templum eſt excitatum,de quo nos plenius in Tractatu de feſtis,ac templis Deiparæ, vbi & memorabile illud exemplum de Comitis Barcinonenſis filia à Ioanne Garino Eremita iugulata,& poſt aliquot annos Deiparæ ope viua inuenta,referemus; quod per idem ferè tempus contigit,& adſtruendi ibi Monaſterij cauſam præbuit.

Imago B. Virg. Montis ſerrati luminibus, ac Angelorum concentibus diuinitus inſignita. Hiſtoria Montis ſerrati.

Tract. de feſtis ac templis Deiparæ.

17 Huc etiam ſpectat illud,quod de precatione, cuius initium eſt *Salue Regina* Nauarrus pietate, & doctrina clariſſimus Prior Abbas Monaſterij Roncę vallis pugna Caroli Magni cum Mauris celebratæ in finibus Nauarræ,refert in Manuali de oratione cap. 19. nu. 183. *Fama eſt,* inquit, *ſapidam illam orandi formam (Salue Regina) olim in noſtra Ronca Valle SABBATIS ſolitam ab Angelis cantari apud quendam fontem,quem ab eo tępore in hoc præſens Angelorum fontem appellant; quam (vt alij aiunt) S.Bernardus audiuit ab ijſdem alibi cantari.* hæc ille.

Salue Regina Angeli canentes audiuntur. Nauarrus Abb. in manuali de oratione.

Quod ne cui mirum videatur adijciam id, quod hac de re ſcriptum reliquit Gulielmus Durandus in rationali diuinorum officiorum lib.4. cap. 1. Is enim agens de miſſis, quæ peculiariter olim ex inſtitutione Alcuini Magiſtri Caroli Magni,rogatu tamen Bonifacij Archiepiſcopi Moguntini ſingulis quæq; diebus hebdomadæ aſſignatæ erant;affirmat quinta feria dici miſſam de Angelis,ſexta feria de Cruce,Sabbato verò de B.Virgine. Claruit verò Alcuinus anno Domini circiter 770. quod ſatis indicat iam tùm inmore poſitum,vt Sabbatum Deiparæ eſſet ſolemne; alioquin miſſæ de Deipara vltimum hebdomadæ diem minimè attribuiſſent: neque illam Angelis,quorum eſt Regina, poſtpoſuiſſent. verùm in hac miſſarum aſſignatione habita eſt tantum ratio eius diei, qui Deiparæ de more erat dicatus,propter rationes,quas infra afferemus; non ſecus ac ſexta feria Dominicæ paſſioni eſt tributa: ſequentibus verò temporibus cum ordo ille miſſarum ab Alcuino editus aliquantulum immutatus eſſet; nihilominus tamen ſtatutum eſt,vt ſecunda feria de Angelis, ſexta feria de cruce,& feria ſeptima, ſeu ſabbato de B. Virgine miſſa diceretur : quod ex quodam miraculo Conſtantinopoli ortum habuiſſe Gulielmus Durandus docet his verbis. In ſeptima feria ſtatutum eſt, vt miſſa diceretur de B.Virgine, quod initium habuit, quoniam olim in quadam Eccleſia Ciuitatis Conſtantinopolis erat imago B.Virginis,coram qua dependebat velum,quod totam velabat imaginem : ſed hoc velum in ſexta feria poſt veſperas recedebat ab imagine nullo mouente, ſolo Dei miraculo, quaſi deferretur in cœlum,vt ad plenum poſſet imago à populo proſpici : celebratis verò veſperis in ſabbato, deſcendebat ipſum velum ante eandem Iconem,ſiuè imaginem,& ibi manebat vſque ad ſextam feriam. Hoc viſo miraculo ſancitum eſt,vt ſemper illa feria de B.Virgine cantaretur. hæc Gulielmus. & licet Iacobus Pamelius in tertio ſacramentorum libro,qui eſt Alcuini, aliter hanc miſſarum diſtributionem referat; ipſe tamen,& reliqui omnes magna conſenſione miſſam ferię ſextæ Paſſioni, & miſſam Sabbati B. Virgini attribuunt. Ex quibus omnibus facilè colligi poteſt id,quod dicebamus, aliquot ſeculis ante Concilium Claremontanum ſabbatum in Eccleſia Deiparæ attributum eſſe : in Synodo verò Claremontana hoc fuiſſe auctoritate eiuſdem Synodi decretum.

Guliel. Duran.

Alcuinus Caroli Magni Magiſter.

Bonif. Archiep. Mogunt.

Guliel. Duran.

Velum diuinitus ab imagine B. Virg. à Conſtantinopoli dū veſperæ celebrantur recedebat.

SABBATVM CVR PECVLIARITER DEIPARAE CONSECRATVM.

18 AT,dicet quiſpiam,cur Eccleſia inter hebdomadæ dies, ſabbatum potiſſimùm Deiparæ dicauit? Ad hoc quidem dicimus; Eccleſiam,quæ Deum in Sanctis veneratur,dies natales,quibus Martyres pro Chriſto mortem inuicto animo ſubierunt,& Confeſſores

Deipara ex eo, quia alijs Sanctis longè præſtet ſingulis hebdomadis veneratur.

feſſores ex hac lacrymarum valle ad Deum feliciter commigrarunt, anniuerſaria celebritate recolere, Deiparæ verò non tantum anniuerſarium, ſed ſingulis recurrentibus hebdomadis, diem vnum perpetua religione multis rationibus dicaſſe; tùm propter ſingularem maternitatis Dei, qua Sanctis omnibus longè, multumq; antecellit, prærogatiuam; tùm etiam, quia ipſa inter martyres, vt dixi, eſt pluſquam martyr, inter Apoſtolos eorum eſt magiſtra, atque præconium; quod cap. 17. & 19. oſtendimus: inter Virgines earum eſt primiceria, atque adeò multis nominibus Virgo virginum appellatur, quod cap. 32. clarum fiet. Quare vt Sanctis dignitate præſtat; ſic crebris, ac iteratis diebus illi ſacris Eccleſia maiori eam (vt par eſt) cultu veneratur, eiusq; apud Chriſtum opem, atque patrocinium impenſiori ſtudio implorat: quod autem ex hebdomadæ diebus, dies potiſſimùm ſabbati Virgini ſit ſacer, cuius gratia hæc omnis eſt inſtituta diſputatio; ſanè eius rei multiplex ratio reddi poteſt.

Cap. 32.

Cur Virgini ſacer ſit Sabbati dies.

Primo, quia Reſurrection. Chriſti fides ea die in B. Virg. permanſit.

Turrecremata. Abulenſis. S. Antoninus. Guliel. Dur. Bernardus.

Et prima quidem eſt illa, quia in ſabbato, quod Chriſti paſſionem proximè eſt conſecutum, fides in ea remanſit: hanc afferunt Turrecremata cum nonnullis, quorum meminit Abulenſis in præfatione in Matth. q. 14. & S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 24. §. 3. & Gulielmus Durandus in ration. diuin. offic. lib. 4. cap. 1. eandem reddit Bernardus in lib. de Paſs. Domini cap. 2. cuius hæc ſunt verba: *Paſſionis tempore omnes relicto eo fugerunt: ſola illa, quæ benedicta eſt in mulieribus, per illud triſte ſabbatum ſtetit in fide, & ſaluata fuit Eccleſia in ipſa ſola: propter quod aptiſſimè ſancta Eccleſia in laudem, & gloriam eiuſdem Virginis diem ſabbati per totius anni circulum celebrare conſueuit.* ſic Bernardus. & Bonaueutura in 3. diſtin. 3. art. 2. q. 3. ad 2. *Quoniam*, inquit, *diſcipulis dubitantibus in Virgine ea die remanſit fides Eccleſiæ ſolida, & inconcuſſa:* quod Abulenſis loco citato intelligendum exiſtimat de fide explicita Reſurrectionis Chriſti, non tantum in communi, ſed etiam in particulari, eius videlicet, qui tunc mortuus erat; putat enim eo tempore, aliquos Iudæorum per Orbem diſperſos credidiſſe quidem Meſſiam in lege promiſſum moriturum, & reſurrecturum, licet ante ſufficientem Euangelij promulgationem neſcirent in particulari eum adueniſſe: & hoc ferè recepit Bellarminus controuerſia de Concilijs, & Eccleſia lib. 3. cap. 17. vbi etiam negat Apoſtolos in illo triduo amiſiſſe fidem, licet reſurrectionem Domini ignorauerint, quamuis enim Chriſtus eis mortem ſuam, & reſurrectionem prædixiſſet; ipſi tamen Luc. 13. *Non intelligebant quæ dicebantur*, & Ioan. 20. *Nondum ſciebant ſcripturas, quia oportebat eum à mortuis reſurgere:* in Deipara tamen explicitè, & in particulari fides omnium, etiam reſurrectionis Chriſti in triduo illo perfectiſſimè vigebat. Id quod complures ſignificari docent in candela illa, quæ in matutino illius tridui hebdomadæ ſanctæ reliquis candelabri triangularis extinctis accenſa reſeruatur. quare S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 41. §. 1. *Fidei*, inquit, *lumen in Deipara occultum, quod omnibus poſtea patefactum, & omnes ſuo exemplo illuminauit, ſignificatur candela illa accenſa in matutino tridui hebdomadæ ſanctæ*: idem affirmant Gulielmus Durandus lib. 6. rationalis diuinorum officiorum cap. 79. nu. 25.

Bellarminus.

Luc. 13.

Ioan. 20.

Secundo, quia acerbiſſimum cordis martyrium ea die pro Chriſti nece eſt paſſa.

Sermonum diſcipuli auctor. Luc. 2.

Bernardus.

Secunda ratio, quam etiam cap. 11. attigimus, & eſt Auctoris ſermonum diſcipuli ſermone 164. & aliorum, quoniam Deipara die Sabbati, quo Chriſti corpus in ſepulchro iacebat exanime, non ſolùm, vt dixi, fidem explicitam reſurrectionis Chriſti ſeruauit illibatam, verùm etiam propter filij abſentiam, cuius corpus in ſepulchro depoſuerat, & propter recentem atrociſſimæ necis eiuſdem filij, quam præſens ſpectauerat memoriam tanto, tamq; acuto doloris gladio, iuxta Simeonis vaticinium in anima transfigebatur, vt à Patribus cap. 11. citatis *pluſquam martyr* appelletur, eiusq; dolor acerbiſſimus à Bernardo ſermone Signum magnum, *martyrium cordis*, quod à feria ſexta vſque ad Domini reſurrectionem perdurauit, meritò appelletur. quare quemadmodum dies illa, quo ſancti Martyres mortis dolorem pertulerunt, in eorum honorem quotannis celebratur, ita & ſingulis hebdomadis ſabbatum, in quo Dei genitrix pluſquam martyr extitit, ab Eccleſia ei fuit conſecratum.

Alia rationes ex myſtica Sabbati ſignificatione.

Guliel. Dur.

19 His adijciam rationes aliquas ex myſtica ſabbati ſignificatione petitas.

Tertia ratio, quam inter aliàs reddit Gulielmus Durandus in rationali diuinorum officiorum loco citato: *Quoniam*, inquit, *Sabbatum eſt ianua, & introitus in diem Dominicam, quæ eſt dies requiei, & ſignificat vitam æternam: quia verò Deipara eſt nobis*

Porta

Porta ad Regnum cœlorum, quod per diem Dominicum figuratur; ideo de illa ſolemnizamus in ſeptima feria, quæ diem Dominicam præcedit. ſic Gulielmus. additq; Auctor ſermonum diſcipuli ſermone citato: *Sabbatum eſt medium*, inquit, *inter diem gaudij, & penoſam; hoc eſt inter Dominicam, & feriam ſextam, & ipſa Virgo mrdiatrix eſt, nimirum ad intercedendum inter Deum, & hominem.* *Auctor ſermonum diſcipuli.*

Quarta ratio eiuſdem Gulielmi: *Vt ſolemnitas*, inquit, *matris ſolemnitati filij continuetur.* *Guliel. Durand.*

Quinta ratio propter ſimilitudinem, quam myſticè habet Deipara cum Sabbato; & ijs, quæ de Sabbato in ſacris litteris habentur, ſiuè in prima rerum creatione, ſiuè in opere redemptionis. Hæc ratio breuiſſimè tangitur à Gulielmo Durando loco citato, & ab Auctore ſermonum diſcipuli loco citato: nos vberius eam explicabimus. Quemadmodum enim Deus Geneſ. 2. ſex diebus mundum creauit, *compleuitq; die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat, & requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere, quod patrarat; benedixitq; diei ſeptimo*: ita etiam Deus perfectiſſimam, & omnibus numeris abſolutam condidit Virginem, ac proinde ſi puras creaturas ſpectemus, cum nihil ſit ea præſtantius, dici poteſt in ea compleuiſſe, ſeu perfeciſſe opus ſuum: in eaq; item abſque vlla contradictione perfectiſſimè requieuiſſe, tum in vtero, ex quo carnem ſuſcepit, in eoq; nouem reſedit menſes; tum etiam in anima, in qua per gratiam copioſiſſimam perpetuò manſionem fecit. cui etiam inſtar Sabbati multis modis benedixit, quod toto hoc opere manifeſtè oſtenditur. In opere verò redemptionis Chriſtus, vt verbis vtar Bernardi ſerm. 1. Paſchæ: *In patibulo ſexta feria redemit hominem, ipſa die qua fecerat hominem in initio; ſequenti die ſabbatizauit in monumento, conſummato opere quod perfecerat; Tertia verò die, quæ prima dierum eſt, primitiæ dormientium apparuit mortis victor nouus homo.* ſic Bernardus. At Chriſtus longè præſtantius in noſtræ redemptibnis opere in Virginis vtero tanquam in ſepulchro animato ſabbatizauit, & quieuit; licet enim in matris vtero nobis mereretur, ac proinde noſtram iam operaretur ſalutem in medio terræ, hoc eſt in vtero Virginis, quemadmodum dicemus ex Bernardo ſermone 1. de Pentec. ſabbatizaſſe tamen dici poteſt, quoniam ſtabat poſt parietem vteri virginalis, ſeq; publicè videndum, & adorandum minimè exhibebat, quoad tanquam ſponſus per natiuitatem procedens de thalamo ſuo Paſtoribus, Magis, Simeoni ſeni, Annæ prophetiſſæ, alijsq; innoteſcere cæpit. *Aliæ rationes propter ſimilitudinem, quam Deipara myſtice habet cum ſabbato.* *Gen. 2.* *Bernardus.* *Pſal. 73.* *Cant. 2.* *Pſal. 18.*

20 Et ſanè vterus Virginis cum ſepulchro, in quo poſtea Dominus iacuit, plurimum habet ſimilitudinis, ſepulchrum enim ex ſacra Euangeliorum hiſtoria fuit nouum; in quo nondum quiſquam poſitus fuerat: quod ſibi Ioſeph ab Arimathia exciderat in Petra, ſigillo munitum cum cuſtodibus Iudæorum ſtudio adhibitis: eratq; in horto propè locum, vbi crucifixus eſt Ieſus, & propè Ieroſolymam. In eoq; Dominus in munda Sindone, cui ſuæ paſſionis (quemadmodum Turini apparet, vbi ea religioſiſſimè aſſeruatur,) verberum nimirum, ſpinarum, ſputorum, & cicatricum veſtigia impreſſit: cùm aromatibus myrrhæ, & aloes eſt inuolutus. Quod denique ſepulchrum iuxta Iſaiæ vaticinium cap. 11. ſequentibus ſeculis futurum erat glorioſum. *Vterus Deiparæ quomodo ſimilis Dominico ſepulchro.* *Iſa. 11.*

Cæterũ in Virginis vtero hæc omnia myſticè conuenire, ſi ſingula perpendamus, perſpicuum erit. Primùm enim vterus Virginis Dominico ſepulchro à Patribus comparatur. Auguſtinus enim lib. 4. de Trinit. cap. 5. ſimilitudinem Incarnationis Domini cum eiuſdem paſſione indicans, ſic ait: *Octauo calendas Aprilis Dominus conceptus creditur; quo & paſſus, ita in monumento nouo, quo ſepultus eſt, vbi nullus mortuorum poſitus nec ante, nec poſtea, congruit vtero Virginis, quo conceptus eſt, vbi nullus ſeminatus eſt mortalium.* hæc Auguſtinus. & Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum expendens verba illa Cant. 4. *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa: hortus concluſus, fons ſignatus. Quod clauſum eſt*, inquit, *atque ſignatum, ſimilitudinem habet matris Domini, matris, & virginis. Vnde & in ſepulchro Saluatoris nouo, quod in petra puriſſima fuerat exciſum, nec antea, nec poſtea quiſquam poſitus eſt.* hæc Hieronymus. *Auguſtinus.* *Hieronymus.* *Cant. 4.*

Quin etiam ſicut ſepulchrum illud nouum erat, & ſignatum; ita & Virgo beatiſſima non tantũ propter illibatam virginitatem voto obſignatam noua dici poteſt: ſed ẽt quia ex veteri Adamo nihil vetuſtatis, nihil noxę originalis, nihil ſequentis fomitis contraxit.

Adhæc

Isa. 16. Adhæc ipsa Virgo petra erat purissima, atque durissima, iuxta illud Isa. 16. *Emitte Agnum Domine dominatorẽ terræ de Petra deserti*: nominatur enim Petra propter eius inuictam tum contra dæmonum impressiones fortitudinem; tùm etiam in aduersis constantiam. appellatur Petra DESERTI propter virgineam vteri sacratissimi ab omni viri consortio solitudinem.

Eratq; sub Ioseph sanctissimi sponsi custodia, sicut sepulchrum Iosephi ab Arimathia fuisse dicitur: Loco verò custodientium militum præsto ei erant Angelorum excubiæ Domini sui matrem perpetuò vallantes, eiq; obsequentes.

B. Virg. anima horto assimilatur. 21 Ipsa quoque Virginis anima Hortus fuit cœlestis sponsi amœnissimus, vbi sanctarum cogitationum folia iucunda, verborum vtilium flores odori, & sacrarum operationum fructus dulcissimi, ac suauissimi edebantur; ita vt meritò sponsum inuitaret verbis illis Cant. 5. *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum*. & Cant. 1. *Flores apparuerunt in terra nostra*.

Cant. 5.

Cant. 1.

Quemadmodum autem sepulchrum erat propè locum Dominicæ crucifixionis, & propè Ierosolymam; ita Deipara quamuis in vtero filium gestaret iugi memoria passionis Dominicæ, quam ex scripturis sacris prænouerat, & perenni cœlestis Ierosolymæ recordatione vicinam se mysterijs, ac locis illis exhibebat.

Nec deerant purissimæ conscientiæ munda linteamina, vbi adhuc infans quiescebat Christus; illic non secus, ac in Sindone Dominicæ passionis vestigia erant, ac monumenta. Nam Virgo Deipara perinde quasi suo forent impressi animo filij cruciatus, quos reuelatione prẽcognitos assiduè secum ipsa reuoluebat, mirificè commouebatur; & quemadmodum ex Ruperto, & S. Brigitta dicemus: *Ob maximam futuræ passionis Domini compassionem tota colliquescebat*.

S. Brigitta.

Aromata porrò, odores, myrrha, & aloes in Christi sepultura adhibita, fuerunt in Virgine virtutis mortificationis, humilitatis, & cæteræ fragrantissimæ illæ quidem, sed amaræ, quæ omnem putredinem longè arcerent.

Cant. 6. Prouerb. 31. 22 Quòd si sepulchrum Domini meritò est gloriosum, gloriosissima fuit, & Deipara, iuxta illud Cant. 6. & Prou. 31. *Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt*: quod ne ipsa quidem Deipara, quamuis humillima, reticuit; cum in suo Cantico dixit: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*: Neque sola Deipara, in cuius vtero Christus commoratus est; verùm etiam Domus ipsa Lauretana, in qua cum Christum concepit, Virgo beatissima degebat, glorioſa euasit; nam è Nazareth in Picenum Angelicis manibus transuecta tanta miraculorum gloria coruscat, vt è toto terrarum Orbe vtriusque sexus homines religionis causa magna cum pietate turmatim eò confluant, atque conueniant. Et hæc de vteri virginei cum sepulchro Dominico comparatione.

Luc. 2.

S. Ambrosius. Sepulchrum Domini vterus appellatur. Quocirca S. Ambrosius sermone 2. de Paraſceue ipsum Dominicum sepulchrum propter similitudinem eum Deiparæ vtero, Vterum appellare non dubitat. cuius verba hæc sunt: *Beatum corpus Domini Christi, quod cum nascitur, Vtero Virginis giginitur; cùm recedit Ioseph iusti tumulo commendatur. Beatum planè corpus, quod virginitas peperit, iustitia custodiuit. Custodiuit illud Ioseph tumulus incorruptum, sicut seruauit illud Maria Virginis Vterus illibatum. Hic enim viri pollutione non tangitur, ibi mortis corruptione non læditur. Vbiq; beato corpori defertur sanctitas, vbiq; virginitas. Nouus illud venter concepit, nouus tumulus includit. Virgo ergo Dominica vulua: Virgo est sepultura. Quin potius ipsam sepulturam vuluam dixerim; est enim similitudo non parua: sicut enim Dominus de matris vulua viuus exiuit, ita de Ioseph sepultura viuus surrexit: & sicut tunc de Vtero ad prædicandum natus est, ita & nunc ad euangelizandum renatus est de sepulchro; nisi quod gloriosior est ista, quàm illa natiuitas. Illa enim corpus mortale genuit; hæc edidit immortale. post illam natiuitatem ad inferos descenditur, post hanc remeatur ad cœlos.* hæc Ambrosius. Qui licet Resurrectionem Domini ex tumulo meritò appellet gloriosiorem, natiuitate eiusdem ex vtero, quod in natiuitate mortalis, in Resurrectione prodierit immortalis: si tamen Deiparæ vterum sacratissimum cum sepulchro ipso accuratius conferamus, in vtero complura longè præclariora inueniemus. Sepulchrum enim saxeum erat, & inanimum: vterus verò ille sepulchrum animatum, & rationale iure optimo dici potest: ibi corpus Dominicum licet verbo vnitum, anima tamen rationali

Deiparæ vterus sepulchro Dominico præstantior.

erat

erat destitutum, ideoq; in triduo mortis, vt docent Theologi cum S. Thoma 3. par. q. 50. art. 4. Christus non fuit homo, hic verò Deus, & homo erat perfectissimus, ibi vix triginta sex horis iacuit; hic ad nouem integros menses permansit: *Ab hora enim mortis* (verba sunt Augustini lib. 4. de Trinit. cap. 5. & 6. *computata ipsa hora nona, qua expirauit; vsque ad diluculum resurrectionis, horæ sunt quadraginta: sepultus est autem cum iam sero factum esset, hoc est in fine diei, hic verò commoratus est ducentis septuaginta sex diebus, qui numerus dierum complet nouem menses, & sex dies, sicut à maioribus traditum suscipiens Ecclesiæ custodit auctoritas: octauo enim calendas Aprilis conceptus creditur: natus autem traditur octauo calendas Ianuarias.* hucusque ex Augustino. Ibi locum tantùm sepulturæ accepit; hic non tantum mansit, sed ex intimis Virginis visceribus carnem tanquam verus eius filius accepit: ibi nihil amplius pro nobis merebatur cum Christi Domini meritum solum ad mortem vsque durauerit ex S. Thoma 3. par. q. 19. art. 3. ad 1. & q. 50. art. 6. ad 2: quod etiam docent Sotus in 4. distin. 1. q. 3. art. 3. Suarez tom. 1. in 3. par. disput. 39. sect. 3. hic verò ab instanti suæ Incarnationis perfectissimè meruit teste S. Thoma 3. par. q. 34. art. 3. ideoq; vt ait Bernardus sermone 2. Pentec. *Iam tunc operabatur salutem nostram in medio terræ, in vtero videlicet Virginis Mariæ*, qui mirabili proprietate Terræ Medium appellatur; ad illam enim, sicut ad medium omnes respicere, non minus verè, quàm eleganter probat ibi Bernardus.

S. Thomas. S. Augustinus. S. Thomas. Suarez. Bernardus. Psal. 73.

Maneat igitur, Christum in vtero Virginis suo modo sabbatizasse, sicuti posteà in monumento, & præstantiori quadam ratione in vtero quieuisse: propter hanc ergo similitudinem, quæ Deiparæ intercedit cum ijs, quæ in sabbato facta leguntur, dies sabbati ab Ecclesia eidem Virgini meritò est consecratus.

TEMPLA DEIPARAE ERECTA.

Templa Deiparæ erecta.

23 EXplicatis ijs, quæ ad festos dies Deiparę dicatos spectant, proponenda sunt templa in eius honorem excitata; quod erat secundum ex ijs, quæ ab Ecclesia ad cultum eidem exhibendum præstari diximus: quæ quidem templa antiquissima, maxima, & omni memoria digna vbiq; gentium, atque locorum per omnes ætates à primarijs, & insignibus viris in Deiparæ honorem olim sunt extructa, & in dies extruuntur, Deo ipso ea præcedentibus, ac subsequentibus signis confirmante; quæ etiam à fidelibus non minori religione, ac pietate, quam suorum animorum, & corporum commodo celebrantur. Eiusmodi porrò templa ad triplex quo erecta sunt tempus reuocari possunt. Quædam antequam Deipara in lucem ederetur. Quædam dum ipsa viueret, vel paulò post, Apostolorum nimirum ætate. Quædam post eius glorioſam in cęlum Assumptionem Christi fide per vniuersum terrarum Orbem iam disseminata eidem Virgini passim sunt posita, atque dicata.

TEMPLA DEIPARAE ANTE EIVS CONCEPTIONEM.

Maria à S. Patribus, Sybillisque prænognita. Cap. 34. S. Thomas. Bernardus.

PRincipio illud ponendum est, quod cap. 17. indicauimus, & cap. 34. iterum dicemus, Deiparam iam inde ab ipso mundi exordio non tantum sanctis Angelis, quemadmodum ex D. Thoma cap. 5. ostendimus: verùm etiam nonnullis viris Sanctis diuinitus prænognitam, eisq; promissam, & ab ijsdem ardenter desideratam, quod satis declarant Prophetarum de ipsa oracula, & mystice sacrarum rerum figuræ, quibus Bernardus sermone Signum magnum, & sermone 2. super missus est, cum alijs Patribus tum prænuntiatam, tum adumbratam agnoscit, vt propterea S. Brigitta in sermone angelico cap. 7. & 8. astruat, Adamum, Abrahamum, Isaac, Iacob, & Dauid ingenti lætitia affectos cum spiritu agnouerunt Dei genitricem ex suo semine nascituram; quin etiam eam nonnullis ethnicis non omninò ignotam fuisse ostendunt ea, quæ cum de sacratissimo MARIAE nomine longè ante prænognito ageremus, cap. 4. attulimus. quòd ipsum perspicuè testantur vaticinia Sibyllarum, quæ quidem ex Varrone apud Hieronymum lib. 1. contra Iouinianum, & ex Lactantio lib. 1. contra gentes decem fuere; nimirum Persica, Lybica, Delphica, Samia, Cumana, Hellespontica, Phrygia, Tiburtina, Erythræa, Cimmeria; sua verò

S. Brigitta. Cap. 4. Varro. Hieronymus. Lactantius. Sybillarum numerus.

Canisius. verò singulæ oracula de Deipara versibus prodidere, quos prolixè recitat Canisius lib. 2. de B. Virg. cap. 7.

24 Quæ cum ita sint, nemini mirum videri debet, si inter densissimas Ethnicismi tenebras nonnulli Dei beneficio Deiparæ cognitionem, tametsi obscuram adepti, eam non absque diuino consilio aris, ac templis, vt dicebamus, venerati fuerint; quod ex subiectis exemplis planum fiet.

Aræ Virgini Parituræ multis ante eius ortum annis à Druidis erectæ. Cæsar. de bello Gallico.

Druidæ Gallorum Sacerdotes inter eos sapientissimi sunt habiti; &, vt verbis vtar Cæsaris lib. 2. de bello gallico: *Non tantum magno erant apud reliquos in honore, sed etiam certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Galliæ habetur media, considebant in loco consecrato, ibiq; de aliorum controuersiis constituebant.* Hi quemadmodum olim Athenienses aram ignoto Deo dicarant; sic & ipsi multis antequam Deipara nasceretur annis Carnuti Vrbe Galliæ Lugdunensis florentissima in eodem agro, qui ipsorum comitijs erat destinatus, Aram sub terram profunde excauatam Deiparæ dicarunt cum hac inscriptione, VIRGINI PARITVRAE: quem locum postea sub terra, & super terram egregiè ampliatum, atque exornatum christiani in celeberrimam Ecclesiam cathedralem erexerunt, quemadmodum Carnutenses, ac eiusdem loci incolæ constanter affirmant, idq; referunt Cassaneus in catalogo gloriæ mundi par. 12. consideratione 20. & Nauarrus de oratione, & horis canon. lib. 21. nu. 28. Hanc posteà Ecclesiam Carnutensem Caroli Calui Regis liberalitate extructã affirmat Belforestus in Annalibus Franciæ ad Carolum Caluum. postmodum à Fulberto Carnutensi Episcopo Deiparæ impense addicto, pietate, doctrinaq; clarissimo, (cui ægrotanti è sacro vbere lac Deipara præbere dignata est,) renouatum largitionibus Canuti Anglorum Regis tradit Vvillelmus Mulmesburiensis lib. 2. de gestis Anglorum cap. 11.

Cassaneus. *Nauarrus.* *Belforestus.* *Vvillelmus Mulmesburiensis.*

Nec illud silentio prætereundum, horum Druidum consilio præter Aram, Statuam quoque Deiparæ cum Puero esse positam, quemadmodum Nicolaus Naucelius professione medicus in Parecbasi de mirabili natiuitate Christi cap. 11. testatur his verbis: *Annalium Carnutensium historia de Druidibus (ij ferè olim Gallorum Magi, seu Sapientes, eo potissimùm tractu, inter lucos versari soliti) certò memorat, & constanter affirmat, homines religionis, atque omnium scientiarum peritos Christi Aduentum præsensisse, & præuidisse, quorum imbutus doctrina Comes Carnutensis, nomine Priscus, statuam erexit Virginis matris puerum in sinu gestantis: eidemq; Virgini parituræ templum conseerauit à Godefrido Montis Lorici Comite communibus impensis ædiutus, Christi Aduentum longè ante humano generi salutarem præstolatus, meritoq; veneratus.* hactenus ille.

Argonautis Oraculum consulentibus templũ Dei Genitrici dicandum respondetur. Genebrardus Augustinus. Plinius.

25 Argonautæ, qui ex Genebrardo tempore Ahialonis Iudicis ante Christi Aduentum annis mille ducentis circiter vixerunt (quemadmodum etiam colligitur ex Augustino lib. 18. de Ciuit. cap. 15.) Cyzici in Hellesponto templum extruxerunt præclarissimum, quòd à Plinio lib. 36. cap. 15. veluti maximè admirandum celebratur, consultoq; ab eis Pythio oracolo; responsum retulerunt MARIAE Verbi æterni genitrici dicandum esse: & quamuis ipsi veritatis ignari dæmonis instinctu Rheæ, quam Deorum matrem, stulta gentilitas fabulabatur similitudine quadam prorsus dissimili decepti, illud consecrarint, Zenone tamen Imperatore ad veræ Dei matris cultum est traductum: rem gestam Cedrenus in compendio narrat his verbis.

Zeno Imperat. *Cedrenus.*

Quo tempore Iudices Israelitico populo præfuerunt, Argonautæ cum Iasone Thessalo, Polluce, Hyla, Telamone, ac reliquis in Colchidem nauigauerunt, qui cum per fauces in Ponticum mare transire vellent Cyzicum Hellesponti Dominium nauali prælio ipsos prohibere conantem interfecerunt, ac Cyzicum Vrbem Hellesponti primariam ceperunt. Mox cognito Cyzicum sibi genere propinquum fuisse, venia postulata, templum condidere admodum mirabile, atque ad Oraculum, quod est ante Pythias Thermas profecti Phœbum Apollinem rogauerunt, vt sibi ediceret, cui ædes consecranda esset, responsum ijs in hanc est sententiam.

„ *Assidua virtute decus sublime parate,*
„ *Atque vnum (sic mando) Deum, qui cuncta gubernat*
„ *Cœlesti residens solio colite, atque timete.*
„ *Illius æternum natum ante secula Verbum,*

„ *Nescia*

„ *Nescia Virgo viri quondam partu tenera edet:*
„ *Quod velut igniferis impulsa sagitta procellis,*
„ *Edomitum reddet Patri pro munere mundum;*
„ *Huius, quam Mariæ nomen, manet, alma genitrix*
„ *Agnoscet templum proprium sibi rite dicatum.*

Hoc oraculum æreis litteris in marmore impressis conscriptum illi in supero portę limine posuerunt, atque ipsi quidem tunc ædem Rheæ matris Deum dixerunt: sed ea postea Zenone imperante templum sanctæ Dei genitricis denominata fuit. hactenus Cedrenus.

At verò oraculum hoc, quod è græco latinus Cedreni interpres versibus paraphrasticos vertit: nos quo oraculi sententia planius percipiatur sic ad verbum ex Cedreno vertimus. *Cedreni Interpres.*

Quæcumque quidem ad virtutem, & ornatum visa sunt facite: Ego verò iubeo colere vnum solum apud superos regnantem Deum, cuius Verbum nulli corruptioni obnoxium, in intactæ puellæ vtero conceptum erit. Hoc Verbum tanquam sagitta ignifera medium percurrens vniuersum Mundum, cum eum cæperit, Patri adducet donum; illius puellæ erit domus hæc, MARIA verò nomen eius. hucusque oraculum.

Huc etiam pertinet templum illud à Iasone eorundem Argonautarum Principe in arce Athenienſi positum, quod Deiparæ consecrandum esse Apollo Delphicus diuina virtute coactus vaticinio prædixit, cuius vaticinij verba à S. Procopio martyre ex antiquis Græcorum Annalibus allata, habentur in eius vita apud Metaphrastem, quam Surius ponit die 8. Iulij. eius porrò vitæ tanta est auctoritas, vt inde pro cultu Sanctārum imaginum in 2. Nicena Synodo Act. 4. testimonium sit allatum; ex eaq; nos quæ huc spectant afferemus. *Simile responsum ab eodem oraculo de templo à Iasone in arce Athenensi extructo S. Procopius martyr. Metaphrastes. Surius. Synodus secunda Nicena.*

Sanctus igitur Procopius martyr, cui nomen antea Neanias, Christo Domino cum peculiariter vocante ad fidem conuersus, in persecutione Diocletiani Imperatoris dira supplicia est perpessus, primum sub Iusto Præside Palestinæ: mox eo extincto sub illius successore Flauiano: demum inclyto martyrio est coronatus. is cum Flauiano rationem christianæ fidei magna animi constantia redderet, Deiq; vnitatem ex Mercurio Trismegisto, Socrate, & Heraclyto confirmasset, Christi etiam Incarnationem, & crucem ex Sibylla ostendisset, tandem ex Ethnicorum historijs hoc subijcit: *Cùm Iason princeps Argonautarum de templo, quod Athenis primum constructum est in arce, Delphicum Apollinem esset sciscitatus, cuiusnam futura esset ædes illa, sic respondit Oraculum: quæcumque ad honestatem, virtutemq; vos incitant, facite: Ego autem tres cupio, Deum vnum regnātem apud superos, cuius Verbum ab interitu alienum conceptum in simplice Virgine, qui tanquam ignitus arcus percurrens mundi medium omnes capiens eos adducet donum Patri. Huius erit hæc ædes, MARIA autem erit nomen eius.* hæc ibi. Dæmones verò cum ea omninò obliterare non possent, suis saltem mendacijs adulterare sunt conati. Nam & & Verbum Dei, quod est Patris Sapientia, ad capiendum mundi imperium instar igniferæ sagittæ, vel ipsius oraculi prædictione missum, eiusq; Genitricem Virginem simul imperitè miscentes, & mendacijs confundentes vnius fabulosæ Mineruæ commento, in quam hæc omnia congesserant, obscurare se posse sperarunt: ideoq; eorundem dæmonum instinctu Poetæ Mineruam ex Iouis capite progenitam, eamq; sapientiæ Deam, ac Virginem militaribusq; armis instructam, & Athenarum Præsidem; in quarum arce templum à Iasone excitatum erat, confingentes, huic vaticinio tenebras offudere. Hinc etiam factum fortasse est, vt à stulta gentilitate Mineruæ in arcibus templa fieri consueuerint, quemadmodum docent Farnutus, & Vitruius lib. 1. ad quod respexisse videtur Virgilius Eglo. 2. cum sic cecinit. *Farnutus. Vitruius. Virgilius.*

. . . . . „ *Pallas quas condidit arces*
„ *Ipsa colat.*

At dicet aliquis, idem videri templum illud Argonautarum apud Cedrenum, & hoc Iasonis à S. Procopio citatum: nam eadem prorsus sunt oraculi verba in vtraque historia, & Iason ipse Argonautarum Dux, & Princeps fuit. Cæterùm diuersa esse hæc, suadere videntur: nam illud Cyzici, istud Athenis: illud ab Argonautis vniuersis, hoc à solo Iasone, de illo consultus est Apollo ad Thermas Pythias, de hoc verò apud Delphos; *In quo nam duo hæc oraculi responsa inter se differant.*

illud

illud poſtea Rheę,hoc Mineruę ab Ethnicis eſt dicatum.Et fieri facilè potuit,vt Dei nutu ad huius vaticinij veritatem magis confirmandum idem reſponſum,quod Argonautę cum Iaſone apud Pythias Thermas acceperant,ijſdem verbis referret Iaſon ſolus à Delphico Apolline. Quòd ſi malimus idem eſſe Templum, quod ab vtroque Auctore deſcribitur,ſed propter rei geſtæ vetuſtatem aliquantulum hiſtoricos inter ſe diſcrepare; illud certè probatum manet, Templum Deiparæ multis antequam naſceretur ſeculis à Iaſone,& Argonautis erectum,ac dæmonũ malis artibus quaſi furto ſublatũm,& Rheæ, vel Mineruæ iniquis poſſeſſoribus addictum: poſtmodum Chriſti fide in vniuerſum terrarum orbem illata, Cedreno auctore,vt diximus Cyzici Zenonis Imperatoris tempore ab iniqua poſſeſſione vindicatum, veræq; Dominæ reſtitutum, ad Dei genitricis honorem certius,planiusq; reuocatum eſt.

Deipara ante Chriſti aduentum ab Aegyptijs prædicta. Caniſius. Epiphanius.

AEGIPTII QVOQ; ante Chriſti aduentũ Virginem in lecto,& Infantem in Præſepio paſſim collocare,& adorare conſueuerunt,teſte Caniſio lib.2. cap. 7. Cuius rei cauſam rogati dicebant, quoniam ipſorum maiores hoc à ſancto Propheta acceperant. Et certè S.Epiphanius in vitis Prophetarum refert, Ieremiam Aegyptijs prædixiſſe Idolorũ ſuorum ruinam: *Vbi Aegyptum*,inquit,*aſcendet cum ſuo infante Virgo enixa, Deo ſimilis*. ſic Epiphanius.quod factum eſt Chriſto infante cum ſua Genitrice in Aegyptum Herodianam rabiem fugiente,quemadmodum cap.23.diximus.

Templa dum in terris Deipara ageret, vel certè Apoſtolorum tempore eidem dicata.

LAVRETANA AEDES.

Lauretana B. Virgin. Domus præſtantia.

26 EX omnibus Templis,quæ Deiparę viuenti dicata ſunt. Primùm ſibi locum vendicare videtur Aedes illa,quæ naſcentem Virginem ſuo gremio excepit,aluit,fouit, eiusq; eſt mancipata obſequio. Ea nunc Domus Lauretana dicitur, & Deiparæ natalitio,& Gabrielis Archangeli legatione,& diuinæ prolis conceptu, & Apoſtolorum veneratione,& mutatione ſedis,& miraculorum gloria,& ſingulari omnium gentium, ac nationum religione inclyta;vt iam nulla ſit in terris,aut auguſtior,aut vetuſtior: Nulla, inquam,vetuſtior; quam ipſi Apoſtoli magno ſemper honore coluerunt,& diuino cultui conſecratam celebrarunt, rem diuinam certatim inibi factitantes; quemadmodum ex eiuſdem Virginis reuelatione fuſius docet noſter Horatius Turſellinus lib.1.hiſtor. Lauret.cap.3.Quamquam ſi templi vim,atque vſum perpendamus,quod nihil aliud eſt,quã Domus diuino cultui deſtinata, in qua Deus tum adoratur, tum oratur, tum ei ſacrificium offertur; profectò Lauretana ędes Chriſti,eiusq; Genitricis tot annorum inhabitatione iure optimo iam tum templum rectè appellari potuit, cum intra eius parietes Dei genitrix eſt nata,& Verbum Patris caro factum verè habitauit in nobis,totq; ac tam ſalutaria mortalibus Dei,Deiparæq; ſunt celebrata myſteria, de quibus copiosè nos ſupra cap. 8.& 20. vbi Chriſtus,vt homo,eiusq; Genitrix ſanctiſſima æterno Patri pias continenter preces fundebant,eiq; ſuppliciter adorationis cultum exhibebant, ac ſacrificium impolluti cordis immolabant. Nulla porrò auguſtior, quam tot, tantisq; nobilitatam myſterijs Baptiſta Mantuanus Theologus, & Poeta inſignis in ſua hiſtor. ędis Lauret. non modò terreſtri paradiſo,vbi Eua ex Adę latere eſt formata;Monti Sion,vbi eſt data lex; Templo Salomonis præcipua Dei preſentia inclyto; ſpeluncę Bethleemiticæ, vbi Chriſtus natus;Monti Thabor,vbi transfiguratus; Monti Oliuarum,vnde triumphans in cœlum aſcendit:verùm etiam auguſtiſſimo eiuſdem Chriſti ſepulchro,quo nihil ſanctius habetur in terra,reliquisq; omnibus, quæ ſub cœlo ſunt, locis ęquare, vel etiam præferre non dubitat. præcipuè,quod hic Deus humanitate indutus fundamenta iecerit ſalutis noſtræ. Quæ omnia egregiè confirmat Baptiſta Mantuanus, & ſubdit: *Liceat mihi Patriarchæ Iacob ſermonem concludere: Terribilis eſt locus iſte, non eſt hic aliud niſi Domus Dei, & Porta Cœli:* quippe Deus, Deiq; mater ędem hanc arcano præſentiæ ſuæ ſenſu, inſignem præ cęteris eiuſdem Deiparę templis perpetuò faciunt. Placet hic Turſellini

Cap.8.& 20

Baptiſta Mantuanus.

Gen.28.

Turſellinus.

ſellini rerum,quæ ad Lauretanam ædem ſpectant,teſtis certè locupletiſſimi, & accurati earundem ſcripturis,ad verbum referre ſententiam in præfat. ſuæ hiſtor.Lauretan.non minus verè,quàm eleganter litteris conſignatam: *Tantam*,inquit, *Deus mortalium animis inſpirauit huius ædis Lauretanæ Religionem, vt quicumque ad Lauretanam ædem accedunt, non tam ad ædem Virginis, quàm ad ipſam Virginem ſibi adire videantur: Et ſanè huic Deus,Deiq; mater miro quodam modo præſentiam ſuam declarant. Hinc diuinus ille omnium pectoribus incutitur horror ad ſacroſanctæ Domus ingreſſum; hinc illud abeuntibus injicitur eius reuiſendæ deſiderium: hinc nobilis illa perditarum, profligatarumquè mentium in diuerſa mutatio, quæ quidem perpetua ædis Lauretanæ miracula ita euidentia ſunt, vt etiamſi deeſſent alia, quibus abundat, cunctis facerent diuinæ præſentiæ fidem: eſt autem hoc præcipuum, ac proprium Templi Lauretani, vt eius religio, ac ſanctitas quotidie magis effloreſcat: cum aliquarum etiam celeberrimarum ædium beatiſſimæ Virginis, aliorumquè Sanctorum celebritas cum aliquandiu viguerit interdum defloreſcere videatur*. hæc Turſellinus. Quæ veriſſima eſſe, omnes qui ad Lauretanum Templum adeunt iucunda experientia didicerunt. Nam innumerabiles illi ſunt, qui iam inde á primis annis inibi peccata repetunt, & animi ſordes triginta, vel etiam quadraginta annorum obſoletas, ſacra confeſſione eluunt. In hac æde perditi homines, & in ſuis ſceleribus diù obdurati repentè mutantur, hæretici impietatem eiurant, alij iras, ſimultatesq; deponunt: qui verò caſtè, ac purè eo accedunt, multò caſtiores, purioresquè diſcedunt, ſequè diuinitus moueri, impelliquè ſentiunt, & ad virtutes, ac ſui victoriam, ad rectè facta non modò accenduntur, verùm etiam impetu quodam animi inſolito rapiuntur, atque ad Dei, Deiparæquè amorem mirificè inflammantur: ibiquè de perceptis beneficijs Deo, ac Deiparæ pro virili parte gratias agere, vel noua ad corporis, & animæ ſalutem beneficia ſibi ſuppliciter impetrare ſtudent.

Plurima collata Lauretanam domum inuiſentibus beneficia.

27 Verùm,vt huius ſacræ ædis Lauretanæ præſtantia magis perſpiciatur, eius primordia, progreſſum, ac tranſlationem breuiter perſtringamus. Excitata primum eſt virginalis hæc ſeu cella, ſeu ædes in oppido Nazaretho in Galilea, ibiquè cœleſtis Reginæ incunabulis, Deiquè concepti conſecrata veſtigijs, poſtmodum ab Apoſtolis ſacris initiata, araquè, & Chriſti Crucifixi imagine,& ſimulacro illo cedrino,in quo ſanctus Lucas Euangeliſta beatam Mariam ſtantem, & puerum Ieſum amplexantem expreſſit, inaugurata, ac Deiparæ cultui dedicata eſt: quæ omnia à Virgine ipſa Deipara per viſum didicit Alexander Terſactenſis Antiſtes in Dalmatia, in cuius diœceſi primum conſederat è Galilea hæc ſacra ædes; & ne ambigeret veram fuiſſe Genitricis Dei ſpeciem Alexander è diuturno, grauiq; morbo diuinitus ſubito conualuit, quemadmodum poſteritati tradidit Hieronymus Angelitta in hiſtoria Lauretana, vt videre eſt apud Turſellinum lib.1. cap. 3. Apoſtolorum auctoritatem cæteræ deinceps ætates ſecutæ ſunt. Nos è multis pauca maiorum gentium capita percenſebimus, quæ identidem ad Mariæ incunabula ſtudio religionis acceſſerunt. *Anno ſalutis circiter* 300. (quo tempore fides chriſtiana Magni Conſtantini patrocinio ſe liberius explicuit) *ſancta Helena Auguſta Palæſtinam peragrans ex Monte Thabor*, inquit Nicephorus lib. 8. cap. 30. *Orientem verſus deſcendens, peruenit Nazareth, & ſalutationis Angelicæ domo reperta Dei genitrici peramænum excitauit templum*. ſic ille.

Reuelatio Alexandri Terſactenſis Antiſtitis in Dalmatia de Lauretanæ B. Virg. domus primordijs. Hieronymus Angelitta. Turſellinus.

Nicephorus. Templum Deiparæ à S. Helena Nazareth excitatum.

Sanctæ Helenæ pietatem chriſtiani omnes impenſe ſunt æmulati. S.Hieronymus,vna cum S. Paula dum Paleſtinæ loca pie luſtrauit: *Nazareth nutriculam Domini* (vt ipſe loquitur in Epiſtola 27.) *ſe adijſſe teſtatur*. Anno verò circiter 700. cum Hieroſolymam obtinerent Saraceni, eandem Virginis Domum à peregrinis Europæis celebrari ſolitam, Auctor eſt Beda de locis Sanctis; viguit idem ſtudium ab anno ferme 1100.Hieroſolyma, Paleſtinaq; Gothofredi Ducis Lothoringi ductu è Saracenorum manibus recepta, quamdiù Hieroſolymitanum ſtetit regnum, quo tempore à Tancredo genere Normando Metropolis eſt facta. Iacobus verò Vitriacus Cardinalis, & Epiſcopus Aconenſis in deſcriptione Terræ ſanctæ de ſe ipſe teſtatur crebrò Nazarethum perrexiſſe, ac ſæpè in æde Virginis rem diuinam feciſſe ipſo anniuerſario Angelicæ ſalutationis die.

Alsorum Chriſtianorum pietas erga Natalem B. Virg. domum Nazareth. S. Hieronymus. S. Paula. Beda. Tancredus Normandus. Iacobus de Vitriaco Cardin.

S. Ludou. Galliæ Regis erga eandem B. Virg. domum pietas.

Sanctus Ludouicus Galliæ Rex eius nominis Octauus, anno salutis 1245. vt Auctor est Paulus Aemilius lib. 7. histor. labentem in Syria rem christianam magno studio complexus, illò traiecit copias: sed cùm minus prospero euentu res gereretur, teste Iodoco Clitoueo sermone de S. Ludouico prima illa religionis christianæ incunabula perlustrans ex Thabor Nazareth iter intendit, & vbi primum Deiparæ aspicit ædem, desilit equo, procumbit in genua, Natalem illam Virginis domum, ipsamq; salutat Virginem, inde progressus pedibus templum adijt. aderat Annuntiationis Deiparæ festum, in cuius pernigilio Rex cilicio ad carnem indutus, pane dumtaxat, & aqua ieiunauit; in ipso autem festo Missa in hac æde Regio apparatu est celebrata, in qua magnam vim lacrymarum profundens, sacram sumpsit Eucharistiam. Postmodum christianis è Syria pulsis, Tripoli diruta, & Ptolemaide mense Aprili anni 1291. teste Ioanne Villano expugnata, cum debitus sacrosanctæ cellulæ honos, nec ab indigenis, nec ab externis haberetur, paucis post captam Ptolemaidem diebus, hoc est septimo idus Maij anni 1291. Nicolao IIII. Pontifice Maximo (vt Illyrici Annales perhibent) hæc Domus Angelorum opera à fundamentis auulsa à Galilea per ingentes terrarum, marisq; tractus vecta est in Dalmatiam, sitaq; est in monte quodam Tersactum inter, & Flumen Oppida Dalmatiæ. Inde ingenti erga Italiam diuinæ beneuolentiæ signo, cui tale, tantumq; donum inde vsque à Galilea diuinitus est allatum, quadriennio post, nec tamen integro; anno nimirum 1294. quarto idus Decembris translata in Picænum Italiæ regionem ad mare supremum, & in Recinetensis agri sylua collocata, ab Laureta Recinetensi Matrona, in cuius ditione nemus illud erat, ædis Lauretanæ nomen inditum: sed cum ea sylua facinorosorum hominum auaritia, latrocinijs, cædibusq; eorum, qui eò confluebant, esset infesta, octauo post mense in editum collem mille ferè passus ab eo loco Recinetum versus est delata. Atque hic etiam duorum fratrum, quorum ille collis communis erat, auaritiam, dissentionemq; perosa, ad iactum ferè sagittæ ab eo loco in proximum collem paucos post menses submota, ibi stabilem, certamq; sibi sedem delegit, quam nunc incolit, vbi innumerabilium miraculorum frequentia claret, ac populorum ex toto terrarum orbe eam piè visitantium concursu celebratur, vt meritò quidam in suo carmine de hac æde sic cecinerit.

Ioan. Villanus.

Eadem Domus Angelorum opera in Dalmatiã transfertur, ac postea in Picænum.

Lauretana Domus vnde dicta.

Muretus.

,, *O Cœlo dilecta domus, posthesq; beati.*

Ac ipsa quidem Deiparæ cella suo beata fulgore, sua vetustate nitidissima, suo robore firma, quæ vix solo subnixa tot iam secula, nullo penitus fundamento, perstat immota, humana fulcimenta nec requirit, & aspernatur. quod refert Turselinus lib. 1. cap. 16. Circa cellam templum extructum est egregium, & mirabile, quod cellam ipsam in medio acceptam, quasi pio ambit obsequio, quo in templo multorum Romanorum Pontificum liberalitas, auctoritas, industria, & in Deiperam pietas se acerrime intendit, accito vndiquè magni nominis artifice, omnisquè generis marmore longè comportato: qua solertia, opulentiaquè moles effecta est, quæ omnem antiquitatem lacessit, & aliqua ex parte vincit. Iam statuas scite factas, valuas æneas pulcherrimè cælatas, columnas opere Corinthio striatas, cæteraquè templi ornamenta egregiè oculis subijcit Turselinus lib. 3. cap. 16. qui etiam einsdem Lauretanæ Virginis miracula diligentissimè, pari cum latini sermonis elegantia persequitur, quorum aliquot ex eodem descripsimus cap. 20. Alia verò ad Tract. de miraculis reseruamus.

Turselinus.

Domus eadem à Romanis Pontificibus summopere exornata.

Nec minor in exornando Templo, quam in excolendis animis summorum Pontificum pietas eluxit. Nam anno 1554. Iulius III. Pontifex Maximus, quo peregrinis exterarum præsertim nationum Lauretum ex toto orbe confluentibus magis consultum esset, Societatis Iesu Collegium Lauretanæ Domus expensis ibidem fundauit, vt nostri Sacerdotes diuersarum pariter nationum linguæ commercio peregrinos ad expiationem animorum allicerent, eorumq; confessionibus assiduam, sedulamq; operam darent, rudibus christianæ doctrinæ capita explicarent, omnes ad pie, sanctèq; vitæ studium excitarent. Quod autem Deipara in Natali sua Domo Societatis opera vti dignetur; merito inter præcipua eius beneficia nostræ Societati collata agnoscimus, & fatemur. De hac quoque sacra æde contra adlatrantes hæreticos non minus doctè, quàm pie scripsit noster Canisius lib. 5. de B. Virgin. cap. 25. Et sanè Lauretanæ Domus pietas

Societatis Iesu Collegium in Lauretana Domo à Iulio III. Pontifice fundatum.

Canisius.

multas

multas per Vrbes eſt propagata; nam Romæ,Neapoli,alijsq; Vrbibus ſub eodem nomine Templa Deiparæ poſita viſuntur.

TEMPLA IN INDIA DEIPARAE *adhuc ſuperſtiti poſita.*

29 VEtuſtiſſima videntur templa illa in India Oriẽtali Deiparæ inter mortales verſanti erecta;alterum Cranganore ab vno ex tribus Magis,qui ſtella duce ad Chriſtũ infantem adorandum venerunt,cuius inſtar alterum Calecutij in honorem Deiparæ nõ longè poſt,eſt excitatum,quod certiſſimis teſtimonijs eſt compertum. Narrat enim Hieronymus Oſorius Algabrienſis Epiſcopus nobilis hiſtoricus lib.1.de rebus geſtis Emmanuelis Regis Luſitanię Vaſcum Gamam Luſitanicæ claſſis Præfectum anno 1498.menſe Maio appuliſſe Calecutium celebrem Indiæ Vrbem; cumq; ad Regem viſendum in terram deſcendiſſet à quodam viro primario, qui ius genti illi dicebat, Catuelem appellant, nomine Regis exceptum, & primùm in Templum apud illos ſanctiſſimum, & magnificentiſſimum eſſe deductum: In medio autem Templi erat (inquit Oſorius) ſacellum editum,forma rotundum,ad quod per multos gradus aſcendebatur, oſtium erat ex ære factum,& valdè anguſtum; intra ſacellum erat ſignum in aduerſo pariete locatum, cuius formam noſtri propter loci obſcuritatem aſpicere nequiuerunt,aditus in illud ſolis ædituis,atque Sacerdotibus patebat, quatuor æditui propius accedentes digito in imaginem intento bis MARIAM inclamant. Catuelis cum reliquis,qui eum ſequebantur,ſe repentè in terram proni,manibus extenſis,abijciunt,deinde ſurgunt, & more ſuo precationem peragunt. Noſtri ſuſpicati opem ſanctiſſimæ Virginis implorari genibus flexis, pacem à Deo expoſcunt, Virginemq; Dei Matrem more noſtris vſitato venerantur.hæc Oſorius, qui deinde huius religionis,qua homines pagani Mariæ nomen venerantur,rationem perſequitur; quam nos ex eodem breuius huc inſerendam duximus, quod res cognitu non iniucunda ad Virginis ſanctiſſimæ laudes ſpectare videatur. Crangor, inquit, in India Vrbs eſt perantiqua, quæ Calecutio diſtat Auſtrum verſus circiter quinque, & quadraginta paſſuum millibus,& à multis chriſtianis à ſancto Thoma conuerſis incolitur. Cuius Rex olim Brachmanarum litteris in primis eruditus,cum ſorori germanæ vitium intuliſſet,illius flagitij conſcientia grauiter afflictus, pœnas de ſe multorum dierum inedia, alijsq; laboribus ſeuerè repetebat: nec tamen animi ſolicitudine leuabatur: quare Religionis cauſa iter ſuſcepit in Perſidem,& Carmaniam,in qua antiquiſſima Magorum diſciplina florebat, ex quibus duo opibus, & ſapientia Principes Regi Cranganoris per litteras noti, à ſtella præter naturæ ordinem orta edocti,Regem Cœli in Iudæa natum, ad eum adorandum ſe compararunt, quibus idem Rex Cranganoris ſubnigro colore, qualem Pictores in hoc myſterio exprimendo effingere ſolent,ſe tertium Comitem adiunxit. quare in poſterum reliquis nominibus abiectis, nomen Cheriperimale, (id eorum lingua ſonat, vnum ex tribus) ex hac tam illuſtri ſocietate,qua maximè gloriabatur,aſſumpſit. Chriſtum itaq; adorant, eiq; munera offerunt: Rex lætiſſimus tertio demùm anno in patriam reuerſus, ædem extruxit, quam Mariæ nomine conſecrauit, in qua ſanctiſſimæ Virginis imago cum filio in vlnis, collocata fuit, ſanxitquè, vt quoties in Templo æditui hoc nomen inclamarent, toties ſe omnes, qui adeſſent in terram proſternerent. Poſtremò cum vt ſe totum diuinis rebus daret, & negotia reliquit, & regni opes diſtribuit ijs, quos ſapientia, & religione præſtare cognouerat. Ex his vnus fuit, qui Calecutij Vrbis ampliſſimæ fundamenta iecit, & templum illud, quò fuit Gama deductus extruxit, & in medio ſacellum ſanctiſſimæ Virgini dedicauit, & exemplum patroni ſecutus, ſtatuit, vt ad Mariæ nomen omnes ſe ſe in terram proijcerent, & licet incolæ ſint pagani, hanc tamen memoriam ab antiquis traditam religione ſumma conſeruant. Hæc ſunt, quæ in antiquiſſimis chriſtianorum Indorum monumentis contineri, ab hominibus Indiæ peritiſſimis accepiſſe ſe ſcribit Oſorius.

Satellum Calecutij antiquiſſimum in Maeia Virg. honorem erectum.

Hieronymus Oſorius Algabriẽſis Epiſcopus.

Vaſcus Gama.

Cranganoris Rex in India vnus è tribus Magis fuit, qui Chriſtum adorarunt.

Cranganoris Rex, tertio à partu Virginis anno eidem templum dicauit.

Eiuſdem exemplo Calecutij B. Virg. templum extructum.

VARIA TEMPLA AB APOSTOLIS, VEL eorum discipulis Deiparæ consecrata.

Templum Mariæ Virg. à Columna Cæsaraugustana à S. Iacobo Apostolo erectum.

30 Cæsaraugustæ in Hispania à sancto Iacobo Apostolo Deiparæ adhuc superstiti templum est positum. Cuius rei historiam narrat Petrus Antonius Beuterus in Chron. Hispan. cap. 23. his verbis: *Benedictissima Virgo, gloriosa, & sancta Maria Domina nostra, & Regina Angelorum, in ripa fluminis Eberi propè Cæsaraugustam Aragonum Vrbem in columna marmorea glorioso Apostolo Iacobo apparuit: qui eodem deinceps in loco sacellum Angelicum iussus extruxit, & eius honori, ac nomini consecrauit, quod Diuæ Mariæ Virginis à Columna Cæsaraugustana cognominatur ob pylam, siuè columnam, in qua videndam ipsa se præbuit; quod quidem miraculum contigisse perhibetur circa annum imperij Tyberij XX.* hæc ille, qui addit ex testimonio Callisti Papæ, & aliorum hoc ipsum templum multis ab hinc seculis eximijs, ac infinitis fere miraculis nobilitari. Hanc etiam historiam habet Vasæus in Annalibus rerum Hispaniæ, & Ioannes de Pineda in Monarchia Ecclesiastica lib. 10. cap. 2. §. 4. idem testatur Calistus Tertius in quodam diplomate, quod in Ecclesia Cæsaraugustana asseruatur dato anno 1456. vbi, *quamplurima*, inquit, *& infinita miracula diuina prouisione dietim fiunt*: & addit: *Cappellam illam eius Ecclesiæ de mandato Dei genitricis per Beatum Iacobum fabricatam nuncupari Cameram Angelicam Dei genitricis de Pylari*. hæc ex diplomate Callisti.

Maria adhuc in terris viuens S. Iacobo Apostolo in Hispania apparet.

Vasæus.

Ioan. de Pineda.

Calistus III.

Sacellum Deiparæ adhuc in terris viuenti à S. Petro Apostolo extructum.

Sanctus Petrus Apostolorum Princeps, cui eximia Dei genitricis dignitas, atque præstantia probe erat perspecta, cum adhuc in Syria moraretur, eidem Deiparæ sacellum erexit, ea ad huc in terris agente (nam post eius Assumptionem in Occidentali dumtaxat regione, & nominatim Romæ degebat) eius sacelli Iacobus de Vitriaco Cardinalis, qui obijt in Syria anno 1244. meminit his verbis in sua historia Orientali cap. 44. Anteradensis Ciuitas sic dicta, quasi ante Aradum sita, vulgari autem appellatione hodie dicitur Tortosa, in qua beatus Petrus Phænicem circumiens cum à partibus Ierosolymitanis transiret in Antiochiam, in honorem beatissimæ Virginis Mariæ modicam fundauit Ecclesiolam, in qua etiam diuina celebrauit mysteria, quæ vsque hodie in magno habetur honore, & multorum populorum accessu frequentatur, eo quod beatissima Virgo in illa sibi, ab infantia primitiuæ Ecclesiæ consecrata, multa operatur miracula, & infirmis illuc venientibus grata confert subsidia sanitatum. Dicitur autem à multis, quod inter omnes beatissimæ Mariæ Ecclesias, ista fuerit prima. Non solùm autem à Christianis, sed etiam à Saracenis in magna habetur reuerentia. hæc Iacobus de Vitriaco. Eiusdem Sacelli à Diuo Petro in honorem Dei genitricis positi Raphael Volaterranus lib. 11. Geographiæ in Syria cum agit de Tripolitana regione in Phœnicia meminit: *Antaradum*, inquit, *Ciuitas ante Aradam sita, hodie Tortosa dicitur, in qua Sacellum Diuæ Genitricis Primus omnium extruxit Princeps Apostolorum ex ære christianorum collato, in quo primum sacrificasse dicitur*. hæc ille.

Iacobus de Vitriaco Cardin.

Raphael Volaterranus.

Sacellū B. Virg. in monte Carmelo, Ioannes Baptista Mantuanus.

Ioannes Baptista Mantuanus inter Christianos Poetas insignis libro tertio Parthenijæ, memoriæ prodidit in monte Carmelo audita Virginis Beatissimæ in cœlos Assumptione, statim excitatum fuisse in eiusdem honorem Sacellum, quod eleganter sic cecinit.

„ *Propterea montana viri spelæa colentes,*
„ *Audito illius fato, sublime Sacellum*
„ *Apricis posuere iugis primi, atque quotannis*
„ *Sacra instaurantes, hymnos, & thura ferebant.*

Basilica in honorem Iesu Christi, ac Matris à S. Martha extructa. Beluacensis.

Sancta Martha Christi hospitio clara, cum apud Massiliam degeret maximam; teste Vincentio Beluacensi libro nono sui Specul. historiar. cap. 100. & 101. condidit Basilicam in honorem Domini Nostri Iesu Chisti, & beatissimæ Mariæ semper Virginis, quam Sancti Maximinus vnus ex septuaginta duobus Christi Discipulis Aquensis Episcopus, & Trephimus Arelatensis, & Eutropius Auraicensis 16. Calendas Ianuarij consecrarunt.

Templum Deiparæ à Candace

In Aethiopia à Francisco Aluarez, qui hæc litteris mandauit, quemquè Thomas

Bozius

Bozius lib. 9. de ſignis Eccleſiæ cap. 9. vocat ſcriptorem integerrimæ fidei, viſum eſt templum à Candace Aethiopum Regina in Auxumo magnificentiſſimè conſtructum Deiparæ conſecratum, & miraculis olim nobilitatum; & tametſi omnes Aethiopum Reginę, teſte Strabone, Candaces nominarentur, Aſſerunt tamen Aethiopes, eam quæ templum iſtud poſuit, illam fuiſſe cuius Eunuchus baptiſmo luſtratus eſt à Philippo Diacono Act. 8. ex quo templum illud longè antiquiſſimum eſſe facilè colligitur.

Aethiopum Regnum extructũ. Franc. Aluarez Thom. Bozius.

Strabo.

Act 8.

S. Maternus Epiſcopus B. Petri Apoſtoli diſcipulus, cuius memoria in Martyrologio die 14. Septembris adnotatur, poſt quam à morte mirabiliter ad vitam eſſet excitatus in Germaniam miſſus, Tungrenſes, Colonienſes, Treuirenſes, aliosq; finitimos populos ad Chriſti fidem perduxit. Is Tungris Eburonum ędem Virgini Deiparę cõſecrauit, quemadmodum veteres Colonienſis, & Treuerenſis Eccleſię docent annales apud Caniſium lib. 5. de *B.* Virg. cap. 23.

Templum à S. Materno Epiſc. Deiparæ dicatũ Martyrol Rom.

Caniſius.

TEMPLA, QVAE DEIPARAE POST EIVS IN COELVM Aſſumptionem, propagata iam vbiq; gentium Chriſti fide, ſunt extructa.

31 IAm verò reliquorum templorum numerum, & amplitudinem, quæ Deiparę conſequenti tempore, ea nimirum in cœlis regnante, cum iam chriſtiana religio vniuerſum orbem peruaſiſſet, vbiq; terrarum condita ſunt, nullus ſcribendo conſequatur: cùm in ſingulis Vrbibus, oppidis, pagis crebra ſint; crebris etiam miraculis illuſtria; quæ tabulis, ac ſcriptis cõmendata, vim, benignitatemq; Virginis matris, & collatam animabus, corporibusq; eam implorantium opem proteſtantur, quin etiam nullum eſt inter chriſtianos templum, vel præpotentis Dei, vel etiam Sanctorum cultui dicatum, in quo non Virgini ſanctiſſimę proprium ſacellum, vel ara excitetur. vt videre eſt Romæ in Baſilica Saluatoris Lateranenſi, in Baſilicis item ſanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, in quibus Deiparę ſacella magnificè extructa, atque exornata cernuntur. quod egregiè obſeruauit S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 24. §. 3. *Generatio*, inquit, *electorum Eccleſiæ beatiſſimam dicit Virginem ex multitudine Eccleſiarum dedicatarum ſub titulo eius per totum orbem. quæ Ciuitas, quod caſtrum, quæ villa eſt, quæ non habeat Eccleſiam, & ſolemniorem in eius nomine fabricatam? certè nec in nomine Saluatoris, nec in honorem aliquorum Sanctorum reperiuntur in tanto numero.* hæc ille. Verùm ne in Deiparę templis percenſendis plus ęquo longior ſim, quamplurimis omiſſis, pauca de celeberrimis indicabo non in preſenti capite, ne nimium digredi videar, ſed in peculiari tractatu, quem ea de re ad calcem operis reijciam, vbi etiam in nonnullis quędam commemoranda duxi, quod ad eorundem templorum maieſtatem magis explicandam, atque adeò ad Deiparę etiam honorem ſpectare viſa ſint. In quo illud etiam generatim lectorem monitum velim, Deiparæ templa non vno omnia eſſe inſignita nomine, ſed vario, ac multiplici; cum & multa in nos ab illa beneficiorum genera proficiſcantur, & multa in ipſa quoque ſint egregia, & præclara honore, cultuq; digniſſima. hinc eſt, vt quædam ab aliqua Deiparæ dignitate nomen inuenerint, huiuſmodi eſt S. Maria Angelorum, quorum eſt Regina, quædam ab eiuſdem vitę myſterijs, vtpotè à Conceptione, Annuntiatione, & ſimilibus; quædam ab ijs, quę nobis preſtat beneficijs, vt à Conſolatione, à Gratijs, à Pace, à Succurſu. quędam à loco, vbi ſunt extructa, vt puta Ara cœli, Tranſtiberim in Via lata. quędam ab ijs, qui ea condidere, vt Baſilica Liberij. Quam multa verò fuerint omni tępore B. Virginis templa, ex ijs quidem, quæ de vna Vrbe Roma, deq; vno Hiſpanię Regno generatim ſubijciemus, facilè quiſpiam intelligere, ac conijcere de reliquis poterit.

Templa ac ſacella Deiparæ poſt eius in cœlum aſſumptionem propè innumera erecta.

S. Antoninus.

Deiparæ templis cur diuerſa nomina indicta.

32 In vna Vrbe Roma reliquarum omnium Principe Tyrannorum in Chriſtianos, perſecutionibus reſtinctis, quadringenta templa Deiparæ conſecrata fuiſſe Andreas Fuluius lib. de antiquitatibus Vrbis, vbi agit de Baſilicis chriſtianorum his verbis teſtatur: *Fuerunt in Vrbe in illa primitiua Eccleſia Chriſti templa ſupra tria millia, ex quibus QVADRINGENTA diuæ Mariæ Virgini Deiparæ dicata, quorum extant hodie aliqua venerandæ vetuſtatis.* ſic ille.

Templa Deiparæ in Vrbe ab ipſis naſcentis Eccleſiæ exordijs extructa. Andr. Fuluius.

Nos ex illis, quæ nunc extant, aliquot celebriora in tractatu illo de Feſtis, ac Templis Deiparæ commemorabimus. Neque illud ſilentio mihi prætereundum videtur, eiuſce-

modi Deiparæ Templa, præſertim Romæ à maioribus noſtris ſuper dirutis Idolorum delubris interdum excitata: *Romana enim Ciuitas*, vt verbis vtar Leonis ſerm. 1. de Apoſtolis Petro,& Paulo,*priuſquam Chriſti fidem reciperet,cum pene omnibus dominaretur gẽtibus,omnium gentium ſeruiebat erroribus*,& frequentiſſima habebat Idolorum delubra,ig quorum poſteà ruinis pleraq; Deiparæ inędificata ſunt templa:in ijs igitur percenſendis,quę nam huiuſmodi Idolorum fana fuerint, vbi Deiparæ templa ſunt poſita, indicabimus;vt planum omnibus fiat: *Deiparam non modo*, vt canit Eccleſia,

Offic. Eccleſ.

Cunctas hæreſes in vniuerſo mundo ſolam interemiſſe.

Verùm etiam de Ethniciſmo, & de vniuerſa Gentilium ſuperſtitione triumphum egiſſe, atque in eorum fanis veluti in infeſtiſſimorum hoſtium expugnatis arcibus ſui filij, ſuaquè trophea erexiſſe. Quare in his videtur impletum illud Iſaiæ vaticinium cap. 35. *In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant orietur viror calami, & iunci, & erit ibi ſemita, & via, & via ſancta vocabitur*; quod nemini mirum videri debet, cum hæc ſit mulier illa, quæ draconis venenati caput contritura prædicitur, quam Cyrillus homil. 6. in Neſtorium meritò ſic alloquitur: *Per te omnis creatura idolorum errore detenta conuerſa eſt ad cognitionem veritatis, & fideles homines ad ſanctum baptiſma peruenerunt, atque in toto orbe terrarum conſtructæ ſunt Eccleſiæ*. ſic ille. & Euthymius oratione de Zona Deiparæ: *Sanctiſſima*,inquit, *Virgo aras contriuit idolorum, & delubra gentium perdidit, & comminuit, & ceſſare fecit immoderatam ſanguinis effuſionem*. ſic Euthymius,& hæc de vna Vrbe Roma.

Iſa. 35.

Gen. 3.

Cyrillus.

Templa B. Virgin. 1000. à Iacobo primo Rege in Hiſpania dicata.

Hieron. Blanca.

33 In Hiſpania verò Iacobus Rex eius nominis primus cognomento Expugnator tribus nobiliſſimis Regnis è Saracenorum manibus ereptis in Aragoniæ Regno ad duo millia templa exædificanda,ac Deiparæ nomini dicanda curauit,teſte Hieronymo Blanca in commentario rerum Aragonenſium ad annum 1235.qui cum ea de re ageret: *Delubra*, inquit,*ad bis mille in Deiparæ Virginis honorem conſtruxiſſe, ac ſub eiuſdem Virginis nomine, cui ſe ſæpius vouerat ſacrum, quem nunc vocamus Redemptionis Captiuorum ordinem fundaſſe perhibent*. ſic ille. Ei aſtipulantur alij rerum Aragonenſium hiſtorici.

Ordo Redemptionis Captiuorum.

Hæc vniuerſe dicta ſufficiant de templorum multitudine,quæ Deiparæ poſt eius in cœlum Aſſumptionem chriſtiana iam fide vbiq; gentium recepta,erecta ſunt:nunc quædam ex præcipuis, quæ ſeorſim, ac ſingillatim percenſere viſum eſt, tum Romæ, tum Neapoli,tum in alijs Occidentis Vrbibus, atque Orientis, ea (vt dixi) commodius in appendicem,ac ſingularem ea de re tractatum ad calcem libri conijciemus.

DE MVLTIPLICI IN ECCLESIA CVLTV DEIPARAE SANCITO.

Quo nam cultu Eccleſia Deiparam veneretur.

34 TErtium caput, quo Eccleſia ſuam erga Deiparam obſeruantiam declarat, Multiplex eſt cultus, quem præter dies feſtos, ac templa ei dicata in eiuſdem venerationem,ſiue decreuit, ſiuè re ipſa exhibet. Et hic quidem ad tria ferè reuocari poteſt; ea verò ſunt. Primùm Preces, quæ ei perſoluuntur, & id genus alia,quibus eius laudes celebrantur, vel eius præſidium ſingulari quadam ratione imploratur. Tùm eiuſdem imagines, quæ innumerabilibus in locis qua publicis, qua priuatis maxima cum pietate coluntur,& celebrantur: Denique Capillorum ipſius,Veſtium, atque eiuſcemodi rerum reliquiæ,quę plerisq; in locis honorificè,ac religiosè aſſeruantur.

PRECES, QVIBVS ECCLESIA DEIPARAM INVOCAT.

AD primum caput de precibus, alijsq;, quæ in Deiparæ honorem recitantur, vel fiunt multa ſpectant,ea verò duodecim ferè ſunt.

OFFICIVM DEIPARAE PARVVM.

De Officio B. Virg. Paruo.

PRimò, officium B.Virginis, quod vocant Paruum, ad diſcrimen officij Dominici, quod recitare tenentur ij, qui ſacris ordinibus initiati ſunt, & vulgo dicitur Magnum,propterea quod pluribus Pſalmis, ac Precibus conſtat. Huiuſmodi verò Virginis officium ſtudio Petri Damiani doctiſſimi iuxta,ac ſanctiſſimi viri (vt ex Hieronymo Rubeo

Petr. Damian. Hier. Rubeus.

beo in eius vita admonemur)mirificè propagatum est: posteà anno nostræ salutis 1094. decreto Vrbani II. in Concilio Claremontano (vt testatur Vincentius Beluacensis in speculhistor.lib.25.cap.112.S.Antoninus 2.par.histor.tit.16.cap.1.§ 23.& 4.par.sum. tit.15.cap.24.§.3.& Genebrardus lib.4.chronol.) omnibus,qui diuinum officium recitare tenentur clericis,indictum est sub præcepto, tametsi, vt notat Nauarrus in Manuali de oratione cap.22.nu.99.à Pio V. in noua Breuiarij Romani editione sublata sit obligatio illud dicendi sub præcepto extra chorum: piè tamen hortatur omnes ad illud recitandum,adiecta Indulgentiarum largitione. Porrò idem Pontifex Pius præcipit seruãdam in choro eius dicendi consuetudinem præscriptis in Breuiario diebus. Quin ex constitutione eiusdem,qui ex beneficio ecclesiastico obtinent pensionem, tenentur ad recitandum saltem officium paruum B.Virginis, quemadmodum obseruat idem Nauarrus de oratione cap.21.nu.1. Cæterùm hæc pia in laudem Virginis precandi forma, ita vsu recepta est,vt laici ferè omnes, qui aliquo pietatis gustu afficiuntur singulis diebus eius officij recitandi consuetudinem teneant.

Concil.Clarem. Vincent Belua. S. Antoninus. Genebrardus. Nauarrus. Pius V. Pontif. Nauarrus

OFFICIVM MAIVS SABBATINVM de Deipara, vna cum missa.

35 SEcundò, in officio Dominico Maiori singulis sabbatis ex decreto eiusdem Vrbani II. officium,& missæ sacrum,nisi quid obstet,fiunt de B.Virgine, quod etiam nunc diligenter seruatur,idq; inter alia,quæ in Deiparæ honorem præstantur,recenset S.Antoninus 4.par.tit.15.cap.24.§.3.his verbis: *Præter officium paruum B.Virginis,quod est in præcepto singulis diebus quo ad obligatos; addit quoque Ecclesia omnibus sabbatis cum vacat eam in missis,vel officio toto honorari solemniter,& cum sequentijs: & sicut honoratur Dominus filius in dominicali officio ob suam resurrectionem, ita & ipsa honoretur Domina mater in sabbato,quia illa die,scilicet sabbati, mortuo filio, & fide extincta, de eius diuinitate in omnibus discipulis, & alijs,sola vera cognitio suæ diuinitatis in ea requieuit die illa; nam sequenti die recuperauerunt plures.* hæc S.Antoninus; quod qua ratione sit intelligendum, fusè supra expositum, cum ageremus, quare sabbatum Deiparæ dicatum fuerit.

De officio Maiori quo Deipara die sabbati veneratur. Vrb II. Pont. S. Antoninus.

FREQVENS DEIPARAE MEMORIA IN OFFICIO MAIORI.

TErtiò,in Officio item Maiori in Laudibus, ac Vesperis cum Sanctorum commemorationes præscribuntur, omnium prima post commemorationem de Cruce, est B. Virg. commemoratio.

Ad hæc ad singulas horas cum oratione Dominica præmittitur Angelica salutatio; ad officij denique finem Antiphona ad Deiparam *Salue Regina*,vel alia tempori accommodata subnectitur.

Deipara commemoratio in officio maiori.

CREBRA DEIPARAE INVOCATIO IN QVALIBET MISSA.

36 QVartò,in quolibet Missæ sacrificio Deipara crebrò inuocatur, tùm in ijs, quæ clara voce,tùm etiam in ijs, quæ secreto à Sacerdote proferuntur. quòd si liturgias S.Iacobi Apostoli,& S.Ioannis Chrysostomi; Aethiopicam item,& Syriacam spectemus, in ijs profecto omnibus salutatio Angelica semper clara voce recitatur, quod in missa etiam latina nonnunquam fit,præsertim in nonnullis Deiparæ Missis votiuis.

Ad hæc olim nouem tantum erant præfationes celebres, quas pro varia ratione festorum in missis Ecclesia vsurpat,quemadmodum testatur Pelagius II. de consecrat. distin.3.cap.inuenimus,licet in sacramentario S. Gregorij, qui Pelagio proximè successit Romæ impresso præter illas nouem extaret quædam in natiuitate Deiparæ, quam breuissima. Verùm Vrbanus II. 70.distin. cap. Sanctorum Nouem illis addit,& Decimam, qua in missis Deiparæ nunc vtimur,quod etiam refert Gulielmus Durandus lib.4.rationalis diuinorum officiorum,vbi de præfationibus,& Sigonius lib.9.de Regno Italiæ.

Inuocatio Deiparæ in missa.

Cap. inuenimus de consecr. distin 1. Sacramẽtarium Gregor. Cap. Sanctorum distin.70. Guliel.Durand. Sigonius.

IN CONSECRATIONIBVS ALTARIS, *& rerum ſacratarum Deiparæ nomen vſurpatur.*

Inuocatio Deiparæ in conſecrationibus.

QVintò, in conſecrationibus, ac benedictionibus ab Eccleſia in Pontificali Romano inſtitutis Deiparę nomen ſæpè reuerenter inuocatur,ſiuè cum in eius honorem ea, quæ Pontifex conſecrat, dicãtur,ſiuè cum eius auxilium imploratur; id quod aduertere licèt in ſolemni templi conſecratione,in qua cum ad Altaris conſecrationem venitur,Eccleſia ſecundum Deum in Deiparæ honorẽ nominatim,& ante reliquos Sanctos,& ante ipſum etiam patronum, cui templum peculiariter dicatur, id à ſe ſe his conceptis verbis fieri profitetur:*Sanctificetur hoc Altare in honorem Dei omnipotentis, & Glorioſæ Virginis Mariæ, atque omnium Sanctorum, & ad nomen, ac memoriam Sancti N. Pax tibi:* quæ verba in conſecratione Altaris Pontifex quinquies iterat, cum ſignum crucis cum aqua benedicta diuerſis in locis imprimit. & quoniam oleo catechumenorum bis quinas cruces, oleo verò ſacri chriſmatis ſemel totidẽ cruces in ijſdem locis ſignat ad earum ſingulas eandẽ ferè formulam repetit. Ad hęc cum idem Pontifex in tmepli conſecratione ſacro chriſmate,in templi parietibus duodecim cruces inungit,ad ſingulas eandem verborum formulam cum Deiparę inuocatione repetit,in hunc modum: *Sanctificetur, & conſecretur hoc templum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, in honorem Dei, & Glorioſæ Virginis Mariæ, atque omnium Sanctorum ad nomen, & memoriam Sancti N. Pax tibi.* Quòd ſi Altare abſque templo conſecretur,Pontifex eiuſdem Deiparæ nomen, eãdemq; dicendi formulã totidem vicibus pie vſurpat,cum ex aqua benedicta, ex oleo cathecumenorum,& ex ſacro chriſmate totidem numero cruces in eo ſignat, quot diximus fieri cum Altare vna cum templo conſecratur.

In alijs prætereà precationibus, quæ ſiuè in primarij lapidis benedictione pro Eccleſia ædificanda,ſiuè in ipſa templi,& Altaris conſecratione à Pontifice funduntur,Deiparæ ſemper auxilium enixè inuocatur,vt videre eſt in Pontificali Romano.

Pontificale Romanum.

PVLSVS AD SALVTATIONEM Angelicam tribus diei temporibus.

Triplex pulſus ad ſalutationem Angelicam, & tribus diei temporibus cur & à quibus ſit inſtitutus.
S. Antoninus.
Angelus.
Syluester.
Tabiena.
Nauarrus.
S. Antoninus.
Pſal. 54.

37 HVc etiam ſpectat ſalutatio Angelica,ad quam triplici æris campani pulſu,ter ſingulis diebus,veſperæ,mane, & meridiè populus excitatur; quod vel in locis Eccleſiaſtico interdicto obnoxijs fieri poſſe docent S. Antoninus 3.par.tit 27.cap.4.ſub finem,& ex ſummiſtis Angelus,Syluester,Tabiena V.interdictum,& Nauarrus in Manuali cap.27.num.177. Cæterùm hunc ſalutationis Angelicæ pulſum in Deiparæ venerationem fieri animaduertit S.Antoninus 4 par.tit.15.cap.24.§.3. *Statuit*, inquit, *Eccleſia, ſingulis diebus pulſari ter campanas Eccleſiarum de ſero,& iterum de mane, ad quid, niſi vt honoretur beata Maria, & laudetur ex ſalutatione Angelica?* ſic ille. Huiuſmodi fortaſſe conſuetudinem hauſimus ex Pſalmographo,qui ſui exemplum poſteritati tradidit, cum pſal 54 idem in Dei honorem ſe præſtitiſſe ſic cecinit: *Veſpere, mane, & meridie narrabo,& annunciabo,& exaudiet vocem meam.* Verùm eius inſtitutionis initium multiplex fuiſſe videtur;etenim Polydorus Virgilius de inuentione rerum lib.6.cap.12.Veſpertinum quidem pulſum acceptum refert Ioanni XXII. qui annum Domini circiter 1320. in memoriam Incarnationis illum inſtituit; matutinum verò Theodoricus Archiepiſcopus Colonienſis præcepiſſe dicitur. At Octauianus in vita S.Bonauẽturæ apud Surium tom.5. tum veſpertinum,tùm matutinum eidem S.Bonauenturæ adſcribit; veſpertinum quidem,quia ſub veſperum intendentibus ſe tenebris, ſanctiſſimam Virginem Angelus Gabriel ſalutaſſe; matutinum verò, quia ſub idem tempus à Virgine receſſiſſe exiſtimatur: cur verò à Ioanne XXII.pulſus ſalutationis Angelicæ ſerotinus fuerit inſtitutus, vel ſaltem eius auctoritate propagatus eius rationem reddit Auctor ſermonum diſcipuli in ſermone de Viſitat. Deipar. qui eſt 25. de Sanctis, cuius verba tam de pulſu matutino,quàm de veſpertino,quod rem totam egregiè ad vtilem praxim explicent, in

Polyd. Virgil.
Ioannes XXII. Pontif.
Theodoricus Archiep. Colonien.
Surius.
S. Bonauent.

Auctor ſermonum diſcipuli.

præſen-

præsentia referre non grauabor. Quare, inquit, pulsatur Aue Maria de sero, & de mane tribus ictibus. Respondetur, de mane in aurora diei ex laudabili consuetudine pulsatur, vt illa hora honoremus, & salutemus salutatione Angelica beatam Mariam Virginem, qua hora Angelus Gabriel eam salutauit, quia secundum beatum Dionysium Incarnatio Christi in ortu diei facta est; quia tunc ortus est sol iustitiæ super terram nostræ miseriæ. Item vt recommendemus nos B. Mariæ Virgini, vt ipsa impetret nobis à filio suo vt illo die custodiamur à peccatis, & confortemur in bonis operibus, & virtutibus. Sed de sero pulsatur, vt per intercessionem, & iuuamen sanctissimæ Virginis dimittantur nobis peccata, quæ commisimus illo die, & sic peccator statim debet conteri de peccatis suis: item vt meritis eius custodiamur illa nocte, & si qua bona fecimus illo die per eius manus virgineas filio suo Domino nostro Iesu Christo offeramus. Etenim legitur, quod in vigilia Annuntiationis Virginis Mariæ in Auinione duo propter iustitiam seculares sunt ad stipites manibus, & collis ligati vt cremarentur. Accenso igitur igne, vnus illorum crebrò B. Mariam Virginem inuocans, vt se iuuaret, intuendo si aliquando ieiunijs, vel orationibus, vel aliqua obsequia ipsi Virgini præstitisset: Et ecce eidem vestibus, & corpore inustis penitus sola colli, & manuum vincula ignis consumpsit, & ab igne solutus exiliuit, socio suo ab igne totaliter consumpto. Reiectus est autem solutus secundario in ignem, & iterum permansit inustus, & ab igne exiliuit, sicq; cum laude ad Ecclesiam maiorem beatissimæ Virginis ductus est, & Papa Ioannes XXII. statuit sero fieri pulsum campanæ, ad quem quicumque homo genuflectendo tria *Aue Maria* dixerit, viginti dies Indulgentiarum habebit. Et de illo miraculo, & de illis Indulgentijs habetur publicum instrumentum litteræ authenticæ. hęc in sermone discipuli.

Dionysius.

Exemplum.

Ab igne incelumis seruatur quidam, qui Mariæ patrocinium implorarat.

Duobus hisce campanæ pulsibus addidisse meridianum dicitur Ludouicus XI. Galliæ Rex à Gaguino lib. 10. histor. Franc. & Genebrardo lib. 4. Chronol. ad annum 1227. illum porrò Callistus III. (quemadmodum accepimus à Platina, & Alphonso Ciaccone in eius vita) confirmauit, vt populum inuitaret ad orandum contra Turcas pro Christianorum pace. Cæterùm Arnoldus Vvion lib. 5. ligni vitæ cap. 20. cum alijs, quos citat, auctoribus docet Vrbanum II. in Concilio Claremontano, bello ad recuperandam terram sanctam indicto, mandasse vt in omnibus Ecclesijs, mane, ac vesperi trino campanæ signo populus ad orationem, atque diuinam opem contra Barbaros impetrandam excitaretur, quod annos omninò 134. vsque ad Gregorium IX. ritè seruatum est: Gregorium verò adiecto meridiano pulsu eiusmodi consuetudinem in Deiparæ laudem commutasse ob tria mysteriorum genera, quibus à suis studiosis, præsertim in Rosarij recitatione honorari, coliq; Deipara solet. ob mysteria, quæ vocant Gaudiosa, quę à Christi Domini Incarnatione cæperunt; ac vespertino pulsu indicantur: Dolorosa propter summos, maximeq; intensos dolores, qui fuerunt in Christi Domini crucifixione, & morte, quæ in horam diei nonam incidit; Meridiano pulsu commemorantur Gloriosa, quæ initium duxerunt ab ea, quæ sub auroram facta est Christi resurrectione. hæc ex Vionio. Et sanè iure optimo hoc triplici tempore ad orationem faciendam, ac Deiparæ patrocinium implorandum excitamur, vt mane diei nascentis initio, nosq;, futurasq; nostras actiones ad Dei gloriam referamus: meridie, adulto iam die breui precatione spiritum reficiamus: vespere, cadente iam luce factorum omnium rationem per conscientiæ examen à nobis exigamus.

Ludouicus XI. Galliæ Rex. Gaguinus. Genebrardus. Callistus III. Platina. Alphonsus Ciaconus. Rinoldus Vvionius. Vrbanus II. Pontifex. Gregorius IX. Pontifex.

CONCIONES A SALVTATIONE ANGELICA INCHOANTVR.

38 Concionatores, vt ex suis Concionibus vberem animarum fructum referant, diuinam gratiam per Deiparam implorare studeant, ideoq; vna cum populo suas à salutatione Angelica conciones auspicantur, huius pie consuetudinis meminit S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 24. §. 3. *Omnes*, inquit, *sermocinantes, & prædicantes Christi cultu exordium pro gratia impetranda à salutatione Angelica faciunt.* sic ille. Huius ratio peti potest ex quadam reuelatione facta S. Dominico. Is cum in regione Tolosana Gallię Narbonensis concionaretur, nec quicquã fructus spiritualis colligeret; cum sacratissima Virgine ea de re expostulauit, quæ cum sancto viro aliquando apparuisset, ei dixit: *Dominice*

Cur ab Angelica salutatione conciones inchoentur. S. Antoninus.

S. Dominicum Deipara monet, vt ad Rosarij recitationem alios horteatur.

minice fili nihil mireris, quod concionando minimè proficias. enim verò aras ſolum à pluuia non irrigatum, ſcitoq; cum Deus renouare decreuit mundum, ſalutationis Angelicæ pluuiam præmiſit: ſicq; orbis ipſe in melius eſt reformatus; hortare igitur homines in concionibus ad Roſarij mei recitationem, & magnus de hinc animarum fructus conſequetur. quod S. Dominicus ſtrenuè executus, vberes ex ſuis concionibus animarum fructus retulit.

Liber miraculorum Roſarij B. Virg.

hæc ex miraculis Roſarij, quæ in libro Roſarij italice habentur: ita proportione quadam in ſermonibus ad populum præmittitur ſalutatio Angelica, vt hac cœleſti pluuia terra cordis noſtri arida irrigetur, & fructum diuino beneficio per Virginem impetratum, vberiorem ferat.

PROCESSIONES IN DEIPARAE HONOREM DECRETAE.

Proceſſiones in B. Virgin honorem cur & quibus diebus celebrari conſueuerint.

39 OCtauò, huc referuntur Proceſſiones, quæ in Deiparæ honorem fiunt, tùm in vniuerſali Eccleſia, tùm in peculiaribus locis, vel Religioſorum familijs, aut piorum hominum ſodalitatibus. Eiuſmodi eſt proceſſio illa in Eccleſia quotannis inſtituta in die Purificationis cum accenſis cereis: *Quæ*, vt ait S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 24. §. 3. *ſit in honorem B. Mariæ per correſpondentiam ad diem in Ramis palmarum: nam ſicut tunc portantur rami oliuæ cum palmis in ſignum victoriæ Chriſti de morte per reſurrectionem, oſtendentes etiam nos victoriam de vitijs per pœnitentiam ad vitam gratiæ reſurrexiſſe, ita in die Purificationis candelas accenſas geſtamus in manibus, lumen ardentiſſimæ charitatis Virginis deſignantes, & eam viuam in noſtris operibus habere proteſtantes.*

S. Antoninus.

hæc S. Antoninus, qui adijcit: *Quemadmodum in Aſcenſionis Dominicæ die in honorem Chriſti fieri proceſſio conſueuit, ita & in virgineæ Aſſumptionis die fieri ſolitam eſſe proceſſionem in Deiparæ honorem, cum tota cœleſtis curia, vna cum Chriſto filio obuiam ei proceſſit ad recipiendam in Cœlum, thronoq; collocandam ſuo.* Ad hæc teſtatur Rupertus lib. 7. de diuinis officijs cap. 25. Proceſſiones, quæ Dominicis diebus fieri conſueuerunt ad Deiparæ oratorium primum omnium tendere; loquens enim de Reſurrectione Domini: *Rectè*, inquit, *à maioribus noſtri ordinis traditum eſt, & quaſi pro lege fixum conſeruatur, vt in proceſſionibus, cunctis per annum Dominicis, beatæ Dei Genitricis memoriam prima ſtatione viſitemus, decantando quodlibet, quod eius proprium ſit, eaq; ſalutata, & oratione dicta tunc demum proceſſionem peragamus. ſicq; feruente ſacræ religionis ſtudio prouiſum eſt, vt infra clauſtrum habeatur eiuſdem B. Virginis diuerſorium, ſcilicet ſacratum in ipſius honore proprium nominis eius oratorium. quid conuenientius, quid pulchrius, quid venerabilius, quàm congratulari matri Virgini ſuper Reſurrectione vnigeniti?* hactenus ille. Huc ſpectant Proceſſiones ſodalitatis Roſarij, quæ prima cuiusq; menſis Dominica apud Religioſiſſimum Prædicatorum Ordinem fiunt, & aliæ eiuſcemodi diuerſis in locis.

Rupertus.

STATIONES AD DEIPARAE TEMPLA.

Stationes ad Templa Deiparæ Romæ.

40 NOnò, ad hoc caput ſpectant etiam ſtationes, quæ cum in Vrbe Roma ad multa, diuerſaq; decreta ſint templa; multò plures ad Deiparæ, quàm ad aliorum templa aſſignantur. & vt miſſa faciam templa ſanctæ Mariæ Tranſtiberim S. Mariæ in Dominica S. Mariæ ad Martyres ſtationibus inſignia, certè quemadmodum obſeruauit Onuphrius lib. de ſeptem Eccleſijs: Nullum planè templum (ſi vnum S. Petri in Vaticano excipias) tot ſtationibus æquè eſſe inſignitum, atque ædem S. Mariæ Maioris, ad quam tum ſtationes numero quindecim numerantur ab Onuphrio, tùm potiſſimùm ea, quæ in ſacro Paſchatis die ibidem ea de cauſa celebratur. quòd, vt aduertit Rupertus lib. 7. de diuinis officijs cap. 25. Deipara omnium prima Chriſtum filium à mortuis rediuiuum aſpexerit, quemadmodum cap. 11. oſtendimus.

Onuphrius.

Rupertus.

Cap. 11.

PEREGRINATIONES AD DEIPARAE TEMPLA.

Peregrinorum frequentia ad templa Deipar.

DEcimò, ſpectant quoque peregrinationes, quæ ſi ad aliquem ſacrum locum omniũ gentium, & nationum concurſu, frequentiaq; celebres ſunt: fiunt certè Lauretum, Monſer-

Monſerratum,Guadalupem,atque ad alia Deiparæ loca,vt miſſum illud faciam, nullam vſquam eſſe Prouinciam,nullum ferè Regnum,vbi non illuſtratum miraculis, conſecratum ædibus,titulis inſignitum,nobile aliquod Deiparæ templum exiſtat: quodue ſtudioſorum quidem B.Virginis peregrinorum celebritate non clareat.

RELIGIONES, VRBES, PORTVS, INſulæ à Deipara nomen accepere.

41 VNdecimò, huc ſpectant Religioſorum Ordines à Deiparæ nomine appellati, cuiuſmodi ſunt ordines militares S.Marię Teutonicorum,à quibus Pruſſia,& Liuonia bello acquiſitæ Chriſti fidem ſuſcepere, S.Mariæ Monteſę:aliquot item ordines Religioſorum Clauſtralium,nimirum ordo S.Marię Montis Virginis,Seruitarum,Carmelitarum, S.Mariæ Redemptionis Captiuorum de Mercede, & alij; quibus attexere poſſumus eos religioſos,qui candenti habitu,Deiparæ puritatis ſymbolo,peculiare ſtudium, ac pietatem erga eandem profitentur, vt puta Oliuetani, & alij; de quibus vberius capite 34. *Religiones quibus in honorem Deiparæ nomen eſt indictum.* *Cap. 34.*

Vrbes quoque,Portus, & Inſulæ complures de nomine Deiparæ dicuntur, quemadmodum obſeruauit Bozius lib.9. de ſignis Eccleſiæ cap. 8. & 9. eiuſmodi eſt Ciuitas in Pruſſia dicta Mariæ Burgumſedes magni magiſtri ordinis Teutonicorum, à quibus fuit extructa, alia de Aſſumptione in Peruano Regno, in Inſula S. Dominici Vrbs S. Mariæ Pacis,altera Conceptionis S. Mariæ; in Inſula verò Terzera Vrbs noſtrę Dominæ adiutricis. In noua Hiſpania Ciuitas Conceptionis B.Mariæ, altera Purificationis. *Vrbes.* *Bozius.*

Portus quoque plurimi in Indijs à Deiparæ nomine appellantur: nam in noua Hiſpania extant Portus dicti de Conceptione,de Natiuitate,de Purificatione noſtrę Dominę, in Iaponia verò ex Maffeo lib.3.epiſt.5. Portus olim Vocoxiurę, nunc S.Marię Virginis Adiutricis dicitur. *Portus.* *Maffeus.*

Inſulæ etiam aliquæ idem nomen prę ferunt, in Adriatico quidem S. Maria Tremitana, in Oceano verò Brittannico ſancta Maria *Bouini*, in mari Peruano ſancta Maria Montis ſerrati, Guadalupæ Rotundę, & aliæ locis Europæis cognomines: Aſſumptionis in noua Francia, Conceptionis in India paulò infra æquinoctialem,teſte Maffeo lib. 2. hiſtor. Indicæ. *Inſulæ.*

Innumerabiles quoque Congregationes,ſodalitia,confraternitates Deiparę inſignitę titulis,ac patrocinio nobilitate maximè florent,nec ſine vberrimo animarum fructu, cuiuſmodi ſunt,Roſarij Confraternitas,ſodalitia ex omni virorum ordine, quæ in domicilijs Societatis Ieſu erecta ſunt,de quibus cap.40. *Congregationes ſodalitia, & Confraternitates.* *Cap. 40.*

LITANIAE, VARIAE Q. PRECES IN Deiparæ honorem compoſitæ.

42 DVodecimò,denique huc ſpectant complures,quę omnium ore pie vſurpantur in Deiparæ venerationem concinnatæ precationes; & omitto quidem Canticum ſacratiſſimum Magnificat ab ipſa Deipara editum,& ſalutationem Angelicam ex verbis Angeli Gabrielis,S.Eliſabethæ,atque Eccleſiæ conflatam, propter cuius recitationem plurima à Deipara beneficia collata memorantur apud Cæſarium lib.7.exempl.cap.26. & ſeq. apud Thomam Cantiprat.lib.2.apum cap.29. par.9. Iacobum de Voragine in feſto Annuntiationis,& apud Pelbartum lib.1.par.4.cap.2.& lib.12.par.vlt.cap.6. vide etiam in Speculo exempl.diſt.3.nu.32.& diſt.4.nu.1. *Preces in honorem B. Virginis Luc.1.* *Cæſarius.* *Cantipratenſ.* *Iacob de Vorag.* *Pelbartus.* *Spec. Exemplor.*

Sed ad alias veniamus.profectò eius generis ſunt precationes, quę vel in Breuiario, vel in paruo B.Virginis officio,vel alibi paſſim leguntur,earum prima aliqua initia libuit hic apponere,quas Deiparæ cordi eſſe,complura ab eadem eas recitantibus prę ſtita beneficia non obſcurè declararunt. In harum numerum referuntur Litaniæ Deiparæ ex varijs eiuſdem titulis honorificis, ac typis collectæ, quæ in ſacra æde Lauretana certis diebus,præſertim Sabbatis,feſtisq; Deiparæ dicatis decantantur. His adde Hymnos. *Officium Eccleſiaſticum.*

„ *Aue maris ſtella,&c.*

„ *Quem*

,, *Quem Terra, Pontus, Aethera, &c.*
,, *O Glorioſa Domina, &c.*

Quo Hymno S. Antonius Patauinus dæmonem eum præfocare conatum effugauit, & imminente morte Virgini ſe commendauit, quemadmodum cap. 35. dicemus.

Cap. 35.

,, *Memento ſalutis Auctor, &c.*

Huius hymni ſunt verſus illi.

,, *Maria mater gratiæ,*
,, *Mater miſericordiæ,*
,, *Tu nos ab hoſte protege,*
,, *Et hora mortis ſuſcipe.*

Quos tùm valentes, tùm moribundi magna pietate iterant, quo Virgini in eo articulo ſe ſe commendent: quin etiam, quemadmodum narrat Pelbartus lib. 10. Stellarij par. vlt. cap. 8. ex Ioanne Aegidio ſeu Iuniore Ordinis Prædicatorum, in libro qui inſcribitur Scala Cęli. Quidam paternis bonis dilapidatis, ſpe pecuniæ adipiſcendæ in nemus à pręſtigiatore quodam perductus cępit à dæmone ad Deiparam abnegandam vrgeri, ſed iuuenis terrore perculſus, hos verſiculos: *Mariæ mater gratiæ, &c.* quos quotidie recitare conſueuerat, contenta voce pronunciat, ſicq; dæmon iratus, pręſtigiatore præfocato ſtatim euanuit. Adde & Antiphonas.

Pelbartus.

Maria nomen inuocans quidà ab inſultu dæmonis liberatur.

,, *Alma Redemptoris mater, &c.*
,, *Aue Regina Cœlorum, &c.*
,, *Regina Cœli lætare alleluia, &c.*

Quàm Antiphonam ab Angelis decantatam, & à ſancto Gregorio Papa vltimo verſiculo adiecto completam cap. 20. diximus.

Cap 20.

,, *Salue Regina, &c.*

Huius Antiphonæ auctor, quamuis à Durando lib. 4. ration. diuin. officiorum cap. 22. & à Claudio Rota in Legend. Sanct. cap. 177. dicatur Petrus Epiſcopus Compoſtellanus; communiter tamen exiſtimatur Hermannus Contractus Deiparę (à qua ſcientiam conſecutus eſt) ſtudioſiſſimus, id enim teſtantur Tritem. lib. 2. de viris illuſtribus S. Benedicti cap. 84. Genebrardus lib. 4. Chronic. Caniſius lib. 5. cap. 13. Bellarminus lib. 1. de bonis operibus in particulari cap. 15. cumq; ſolemnis eſſet in Germania teſte Cæſario lib. 7. Exemplorum cap. 30. & in Gallijs, Gregorius IX. Auctore Abbate Vrſpergenſi in fine horarum eam per omnes Eccleſias decantari iuſſit: Inter opera quoque S. Bernardi leguntur ſermones de ea, & S. Bonauentura tom. 2. opuſcul. Rhythmis eam celebrauit. Eandem Antiphonam Nauarrus in manuali de oratione cap. 19. nu. 184. teſtatur, vt ſupra dixi, ab Angelis in Ronca Valle cantari ſolitam ſabbatis apud quendam fontem, qui iam inde vſque in præſentem diem *Fons Angelorum* appellatur: addit præterea Nauarrus à quibuſdam eam appellari *Nauticam*, propterea quod Nautę pręſertim imminens naufragium metuentes, magna cum intentione animi eam religioſe vſurpant. & Bozius lib. 9. de ſignis Eccleſiæ cap. 8. *In mores*, inquit, *inductum eſt, vt omnis chriſtianus ſingulis eam diebus Deiparæ dicat*. Porrò complura miracula in eorum beneficium, qui *Salue Regina* pie recitare ſolebant, narrat Cæſarius lib. 7. exempl. cap. 30. Thomas Cantipratenſes in lib. 2. apum cap. 29. par. 22. S. Antoninus 3. par. hiſto. tit. 23. cap. 3. §. 2. & Speculum exempl. diſt. 7. nu. 42. 43. & 44.

De Salue Regina.
Durandus.
Claudius Rota.
Hermannus Contractus.
Tritemius.
Genebrardus
Caniſius.
Bellarminus.
Cæſarius.
Gregorius IX. Pontifex.
Bernardus.
S. Bonauent.
Nauarrus.

Bozius.

Cæſarius.
Cantipraten.
S. Antoninus
Spec. Exemp.

In pręcationum quoque numerum refertur Rhythmica illa pręcatio, quæ in officio paruo B. Virginis inſcribitur: *Plantus B. Mariæ*, cuius initium: *Stabat mater doloroſa*. Eius auctor à nonnullis exiſtimatur S. Gregorius Papa, teſte S. Antonino 3. par. hiſto. tit. 22. cap. 3. §. 32. & Philippo Bergomate in ſupplemento ad annum 1299. his denique aſcribi poſſunt orationes illæ, atque Antiphonę.

S. Antoninus.
Philippus Bergomas.

,, *Obſecro te Domina ſancta Maria, &c.*
,, *O Intemerata, & in æternum benedicta, &c.*

Quæ in Deiparæ, & S. Ioannis Euangeliſtę honorem dirigitur, eam S. Edmundus adoleſcens, poſteà Archiepiſcopus Cantuarienſis recitare ſolitus, cum die quadam illam ex obliuione omiſiſſet, in ſequenti nocte à S. Ioanne Euangeliſta, qui eidem per quietem apparuit, & grauem ferulæ ictum comminatus eſt, ne eam in poſterum omitteret familiariter

S. Edmundus à S. Ioanne Euangeliſta monetur ne aſſuetas erga Deiparam preces omittat.

liariter eſt perſuaſus, ita in eius vita apud Surium tom. 5. & Vincentius Beluacenſis lib. 31. ſpecul. hiſtor. cap. 73. Alius quoque hac eadem oratione dæmonis inſidias euaſit ex Vincentio lib. 7. cap. 101. *Vincentius Beluacenſis.*

,, *O Domina mea ſancta Maria me in tuam, &c.*
,, *O Maria Dei genitrix Virgo gratioſa, &c.*
,, *Sub tuum præſidium, &c.*
,, *Sancta Maria ſuccurre miſeris, &c.*

Deſumpta ex Auguſtino ſermone 18. de Sanctis. *Auguſtinus.*

,, *Gaude Maria Virgo cunctas hæreſes, &c.*

Atque hæc cum piè decantaretur, aliquot contigere miracula, quæ nos capit. 24. retulimus. *Cap. 24.*

,, *Felix namq; es ſacra Virgo Maria, &c.*

Quam laudem iuxta Sueſſionem Vrbem in Gallia concinentes Angelos exauditos in vigilia Aſſumptionis, teſtatur Thomas Cantipratenſis lib. 2. apum cap. 40. par. 7. *Cantipratenſis.*

Præter eas, quas commemorauimus ad Deiparam precationes, variæ extant ad eandem precandi formulæ ex oratione Dominica, & ſalutatione Angelica ad certum numerum diſpoſitis, ac repetitis, de quibus vberius cap. 39. Eiuſmodi eſt Roſarium à ſancto Dominico inſtitutum, quod ex tribus quinquagenis ſalutationum Angelicarum, interiecta ad ſingulas decadas oratione Dominica conſtat, certis ex vita Chriſti, & Deiparæ myſterijs, vt vocant, Gaudioſis, Doloroſis, & Glorioſis ad meditandum propoſitis. Eiuſmodi eſt corona Deiparæ, quæ ſex decadibus ſalutationum Angelicarum cum ſua oratione Dominica continetur, adiecta tertio ſalutatione Angelica. Eiuſmodi etiam eſt corolla, ſeu corona parua Deiparæ ex oratione Dominica tertio in honorem trium diuinarum perſonarum repetita, & oratione Angelica duodecies in honorem duodecim priuilegiorum Deiparæ, quæ per coronam duodecim ſtellarum in Apocalypſi ſignificantur. de quibus copioſius cap. 39. *Cap. 39.* *Apocal. 12.*

DEIPARAE IMAGINES, AC RELIQUIÆ *in Eccleſia præcipuo cultu inſignes.*

431 IMagines, ac reliquias eorum omnium, qui cum Chriſto regnant in Cœlis, magno quidem honore, magna à fidelibus religione coli ſolitas, ſatis eſt omnibus exploratum. Sed tamen pietatem, ac cultum erga Deiparæ ſiue imagines, ſiuè reliquias fuiſſe in Eccleſia ſemper eximium, ac propè ſingularem declarant magnificentiſſima ijs excitata Templa, feſti ijſdem inſtituti dies, peregrinorum è remotiſſimis regionibus ad eas ſtudioſè accurrentium celebritas, ac frequentia: quin etiam eiuſmodi cultum ſibi cordi eſſe, crebris miraculis in eorum vtilitatem editis, qui ab ea coram ſuis, vel imaginibus, vel reliquijs opem implorant, ipſa quotidie Deipara locupletiſſime teſtatur. *Imaginibus, ac Reliquijs Deiparæ magnus vbique terrarum honor exhibetur*

IMAGINVM DEIPARAE VSVS IAM *inde ab ipſo Apoſtolorum tempore, earumquè multitudo innumerabilis.*

ET quod ſpectat ad Deiparæ imagines non commemorabo eas, quas alibi in hoc opere, præſertim cap. 20. & in tractatu de feſtis, ac templis Deiparæ obiter attigimus. prætereo illam Deiparæ imaginem, à qua, vt cap. 20. diximus, S. Mercurius martyr Iulianum Apoſtatam iuſſus eſt interficere: omitto illam, quæ eſt Sozopoli, cuius è dextera manu medicum vnguentum ad varios curandos morbos ſcaturire diximus eodem capite. nihil dicam de illa Virginis imagine, quæ Edeſſę in Syria iuſſit S. Alexium in templum introduci, eiusq; nomen, vt eſt in Breuiario Romano, diuulgauit, & nunc quidem Romæ in eiuſdem S. Alexij æde in marmoreo, ac ſublimi tabernaculo, columnis nimirum quatuor ſubnixo religioſiſſime aſſeruatur: taceo imaginem illam, in cuius conſpectu preces effudit ſancta Maria Aegyptiaca, orauitq; enixè Deiparam, vt Ieroſolymitani templi aditus peccatis ſuis præcluſus per eam pateret: miſſas facio alias permul- *Imagines B. Virg. præcipuo cultu inſignes.* *Cap. 20.* *Tractatu de feſtis, ac templi.* *Breuiar. Rom.*

tas, quæ in templis, vel Deiparæ, Sanctisuè, vel Deo dicatis visuntur. dicam tantum de antiquitate earum Deiparæ imaginum, quæ cum ipsa fidei christianæ promulgatione exordium sumpsere, ac de earum in vniuersum multitudine, & vtilitate.

S. Mariæ Maioris Imago Romæ à S. Lucæ depicta. Theodor. Lector Metaphrast. Surius. Beluacensis. Sigonius. Canisius Bellarminus.

44 Principio certum est, & complurium auctorum testimonio comprobatum Dei Genitricem à sancto Luca Euangelista fuisse coloribus effictam, quod præter acceptam à maioribus traditionem, testantur Theodorus Lector libro 1. Collectaneorum (is autem ante mille annos floruit) Simon Metaphrastes apud Surium in vita S. Lucæ: Nicephorus lib. 14. cap. 2. & lib. 15. cap. 14. Vincentius Beluacensis lib. 23. cap. 147. Sigonius lib. 1. de Regno Italiæ: Canisius lib. 5. cap. 22. Bellarminus lib. 2. de Imagin. cap. 10. Neque verò eam in vna tantummodo tabula Virginis formam pennicillo imitatum esse, sed in pluribus quoque tabulis, plures effigies expressisse, vel ex eo facilè constat, quòd Romæ, quæ in sancta Maria Maiore extat Virginis effigies Vrbis, & Orbis veneratione inclyta, eam esse ex ijs vnam, quæ à sancto Luca depicta, expressaq; est, constanti fama habetur. Cuius per Vrbem circumlatione S. Gregorij tempore sæuientem latè pestem discussam esse diximus cap. 20. eidem Imagini nostra nuper ætate, pro sua in Virginem pietate, sacellum longè magnificentissimum extruxit Paulus Quintus Pontifex Maximus, in eoquè eam sacello collocauit anno proximè superiore, hoc est nostræ salutis 1612.

Cap. 20.

Paulus V. Pontifex.

Mariæ Imago altera Constantinopoli ab eodem depicta Nicephorus.

Constantinopoli item alteram fuisse Deiparæ effigiem à sancto Luca depictam, testis in primis est Pulcheria Augusta, quæ templum ei condidit sanè nobilissimum, de quo Nicephorus lib. 15. cap. 14. in hæc verba: *Pulcheria Augusta templum in Vrbe Constantinopolitana erexit ὁδηγῶν, viæ Ducum appellatum, vbi Antiochia missam Verbi Matris imaginem dedicauit, quam Diuus Apostolus Lucas suis ipse manibus depinxit, illa adhuc viuente, & tabulam ipsam videns, gratiamq; adeò illi formæ suæ immittente. Hæc imago primum in loco, qui Tribunal dicitur, fuit; vbi, quæ nunc quoque, miracula peracta sunt. Porrò in templo illo, vt tertio quoque septimanæ die peruigilium itidem, & supplicatio perageretur curauit, quod ad hunc vsque diem seruatur.* hæc Nicephorus. Alibi etiam huiusmodi Deiparæ Icones à sancto Luca coloribus expressas habere se pleriquè gloriantur, nimirum Guadalupæ in Hispania, Cestochoniæ in Polonia, & alijs quoque in locis.

Imaginum Deiparæ cultus, ac multitudo.

45 Quòd si harum Deiparæ Imaginum numerum, ac multitudinem attendamus, reperiemus profectò in omnibus propemodum christianorum hominum templis, quę siue Deiparæ, siuè alijs dicata sunt Sanctis, & in singulis ferè Aris, quæ in quolibet quidem templo non paucæ eriguntur, sacram Deiparæ filium in sinu fouentis imaginem in medio sanè loco, qui quidem omnium honorificentissimus existimatur, collocari semper consueuisse. Neque in templis solùm, sed in sacellis etiam, quæ ad pietatis monumentum in publicis excitata sunt vijs. Addo etiam quod in compitis, triuijsq; viarum, in priuatis hominum cubiculis, in opificum officinis ad pietatis sensum excitandum, eiusmodi imagines sitas esse conspicamur. quin etiam artis impressoriæ beneficio, multitudine innumerabiles, elegantia insignes incisæ, & in charta papyracea typis excusæ visuntur in dies, atque in singulis propemodum manibus iam propagatę cernuntur. Quod ipsum ferè animaduertit S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 24. §. 3. vbi rationem reddit, quare Crucifixi Domini imago ponebatur olim in extrema parte templi, vt nunc videre est Romæ in sancta Maria Maiore, & in sancta Maria Transtiberim; Deiparę verò cum filio in ipso sacrario, eius verba Sacerdotibus alta mente reponenda hæc sunt: *In ipsis Ecclesiis, vel domibus priuatis non deficit alibi imago beatissimæ Mariæ benedictæ, & vbi in Ecclesiis in parte inferiori earum, quasi in sancta ponitur Imago Crucifixi, tanquam candelabrum ad illuminandum, & incitandum ad sui imitationem: In parte superiori, seu sacrario quasi in sancta sanctorum, & in loco propitiatorij (scilicet tabulæ altaris) communiter ponitur figura B. Mariæ cum filio in vlnis: & vt ab ipsa speremus propitiationem à peccatis nostris apud filium suum. hoc autem salubriter institutum est, vt dum Sacerdos diuina Sacramenta pertractat, Mariam intuens, pẽset qualis fuit cui creditum est solo verbo Verbum carnẽ efficere. Et qualis esse debet sacerdos, qui debet ex verbo suo, vel potius Christi à se prolato corpus Christi, & sanguinem efficere ex substantia panis, & vini, & exemplo*

S. Antoninus.

Cur Deiparæ imagines in superiori parte templi, Crucifixi verò in inferiori collocari consueuerint.

sua

ſuæ humilitatis,& puritatis dictat puram gerere mentem, & humilem: ac mediatricem ponat pro ſe ad interpellandum, ad digne, & fideliter miniſtrandum tantum Sacramentum. hactenus S.Antoninus.

Cæterum hanc ſingulari quidem laude dignam conſuetudinem humani generis hoſtis per ſummam fraudem interturbare, vel penitus abolere non tantopere moliretur, niſi vſu didiciſſet ingenti hominum bono, ac ſpirituali fructu in chriſtianũ orbem,& inuectam olim fuiſſe, & in præſentia retineri: id quod vel vnico exemplo planum omnibus fiat ex narratione Abbatis Theodori Eliotæ apud Sophronium in Prato ſpirituali capite 45. cuius illa ſunt verba: Dicebat Abbas Theodorus Aeliotes, quòd fuerit quidam incluſus in monte Oliuarum,certator maximus; Impugnabat autem illum fornicationis ſpiritus: Die verò quadam cum inſtaret illi vehementer, cœpit eiulare ſenex, & dicere dæmoni: Quandiù non dimittis me? Recede iam à me, qui mecum conſenuiſti: Apparuit autem ei dæmon viſibiliter dicens; Iura mihi, quia nemini dices quod tibi dicturus ſum, & te non amplius oppugno. iurauitquè illi ſenex dicens: Per inhabitantem in altiſſimis nulli dicam, quæ mihi dixeris. Tunc ait illi dæmon: Noli adorare hanc imaginem, & vltra te non impugnabo. Habebat autem hæc imago expreſſam figuram Dominæ noſtræ S. Dei genitricis Mariæ ferentem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Ait incluſus dæmoni, Dimitte me, vt deliberem. In craſtinum autem hoc ſignificauit ipſi Abbati Theodoro Aeliotæ, tunc habitanti in Laura Pharan; narrauitq; illi omnia. Senex autem ait recluſo; Verè Domine Abbas illuſus es, quia iuraſti dæmoni. verumtamen bene feciſti hoc reuelans. Expedit autem tibi nullum in illa Vrbe Lupanar omittere, quod non ingrediaris, quàm vt neges te adorare Deum, & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum cum matre ſua. Confirmatum igitur, & corroboratum pluribus verbis,reliquit illum in loco ſuo. Apparuit ergo dæmon incluſo rurſus dicens: Quid hoc eſt peſſimè ſenex? nonne tu iuraſti mihi, quia id nemini diceres? & quare dixiſti ei, qui venit ad te? Dico tibi, quia vt periurus in die iudicij iudicaberis. Reſpondit incluſus dicens: Scio quidem, quia iuraui, veruntamen Dominum, & Creatorem meum adorabo, tibi autem non obediam. hæc in Prato ſpirituali. Hanc hiſtoriam tanquam à Sophronio Archiepiſcopo Ieroſolymitano in libro Prati ſpiritualis deſcriptam,totidem verbis legit Stephanus Monachus in 2. Synodo Nicena Act.4.& iterum Act. 5.

Imaginis Deiparæ cultum ſibi infenſiſſimum eſſe dæmon oſtendit. Sophronius Prat. ſpiritual.

Prat. Spiritual.

Synnod. Nic. 2.

46 Quam porrò pia ſit, quantaquè imitatione digna eorum conſuetudo, qui coram Deiparæ imagine lampadem domi accendunt, eorumq; qui antequam domo pedem efferant, & iter aliquod ineant, Dei genitrici coram eius imagine, quam in cubiculo habent, commendare ſe ſolent: vtrumque inſigni Deipara ipſa miraculo ex eodem Prato ſpirituali cap. 180. comprobauit, vt videre eſt in ſubiecto exemplo, quod totidem hic verbis referemus. Narrauit nobis ſanctiſſimus Dionyſius Presbyter ſanctæ Eccleſiæ Aſcalonitarum, & ſacrorum vaſorum cuſtos de Abbate Ioanne Anachoreta dicens: Quaſi verè magnus in generatione iſta fuit: atque ad commendationem ſummorum illius apud Deum meritorum, hoc de ipſo miraculum narrabat: In ſpelunca, inquit, morabatur ſenex in partibus villæ, quæ dicitur Sochus, viginti ferè milliaribus ab Ieruſalem; Habebat autem ſenex in ſpelunca imaginem immaculatæ Dominæ noſtræ Dei genitricis, ſemperq; Virginis Mariæ in vlnis ferentem Chriſtum Dominum, & Saluatorem noſtrum:quoties igitur abire volebat ad locum aliquem,vel per vaſtam ſolitudinem,ſiuè Ieroſolymam ad adorandam ſanctam Crucem,& venerabilia loca,vel in Sinai montem orationis gratia,ſiuè ad Martyres diſtantes ab Ieroſolymis multis,prolixisquè interuallis (erat enim ſenex Martyrum reuerentia mirabiliter deditus;& nunc quidem pergebat Epheſum ad S.Ioannem;nunc autem Euchaitam ad S.Theodorum; nunc verò ad S. Theclam in Seleuciam Iſauriæ; nunc ad S.Sergium in Saraphas;& modò ad iſtum,modò ad illum ſanctum) reficiebat candelam, & accendebat,vt ſibi conſuetudo erat, atque ad orationem ſtans, & Deo, vt ſuum iter dirigeret ſupplicans, dicebat ad Dominam intendens in imaginem ipſius: Sancta Domina noſtra Dei genitrix,quia longum iter iturus ſum diebus multis perficiendum, candelæ tuæ tu curam habe, eamq; ne extinguatur iuxta propoſitum meum ſerua. Ego enim adiutorio tuo comitante,

Prat. Spiritual.

Deuotio cuiuſdam ſenis erga Imaginem Deiparæ miraculis confirmatur.

iter arripio. Hisq; ad imaginem dictis, egrediebatur, peractoq; proposito itinere reuertebatur, aliquando post mensem, sæpè etiam post duos, vel tres menses, nonnunquam post quinque, vel sex, & ita reperiebat integram candelam, & ardentem, sicut eam cum iter arriperet dimiserat: & nunquam hanc à se ipsa extingui vidit, neque de somno surgens, neque à peregrinatione rediens, neque ex Eremo in speluncam pergens. hactenus ex Prato spirituali. Hæc historia ex Limonario, seu Prato spirituali recitata est à Stephano Monacho in 2. Synodo Nicena Act. 5.

Prat. Spiritual.

Synod. 2 Nicen.

Eximia Ludouici Pij Imperatoris erga Deiparæ imaginem pietas. Canisius.

47 Ludouicus autem cognomento Pius Imperator, Caroli Magni filius vsque adeo Deiparæ imaginem venerabatur, vt ne venatum quidem abiret, nisi sacram matris Dei imaginem secum ipse afferret, & coram ea, vel ad arborem in media solitudine suas funderet preces, quod ex Crantio in Metropoli lib. 1. cap. 10. refert Canisius lib. 5. cap. 29.

Simile exemplũ de sancta Heduuigi Poloniæ Ducissa. Cap. 36.

Neque verò inuoluenda silentio est hoc in genere pietas sanctæ Heduuigis Ducissæ Poloniæ, quæ, vt cap. 36. dicemus, dùm viueret, Deiparæ imaginem secum ipsa continenter ferebat; quam moriens tribus digitis sinistræ manus adeò strinxerat, vt inde commodè euelli non posset, ea imago exactis ab eius obitu annis 25. inuenta est intra tres digitos, qui consumptis carnibus, solutaq; ossium compage, integri prorsus, incorruptiq; longo interuallo deprehensi sunt, quemadmodum videre est in eius vita apud Surium tom. 5.

Surius.

In benedictionibus imaginum B. Virg. peculiaris à Sum. Pont. reuerentia adhibetur. Pontific. Rom.

Ad extremum illud quoque in huiusmodi Deiparæ imaginibus obseruatione dignum videtur, & ad singularem earum commendationem, atque reuerentiam facit, quòd in Pontificali Romano inter reliquas sacrarum rerum benedictiones, quæ à Pontifice solemniter peraguntur; ponuntur illæ, quibus Deiparæ, Sanctorumq; imagines dedicantur. Cumq; Sanctorum imagines à Pontifice sine mitra vnica precatione, & sola aquæ benedictæ aspersione absque thurificatione fiant; Deiparæ tamen imaginem à Pontifice mitra ornato maiori solemnitate compluribus Antiphonis, Psalmis, atque orationibus, bina item aquæ benedictæ aspersione, altera initio, adiecta thurificatione, altera in fine dedicari, atque sanctificari solere.

RELIQVIAE CRINIVM, LACTIS, AC vestium Deiparæ vbinam locorum asseruentur.

Reliquiæ Deiparæ.

48 Reliquiæ sanctissimæ Virginis diuersis in locis, & Vrbibus in Ecclesia honorificentissimè, ac religiosissimè conseruantur; ijsq; complures, & augustissimæ illæ quidem sunt extructæ Basilicæ. Quamquam enim Deipara, & anima, & corpore in cœlum assumpta ad filij dexteram beatissimo æuo perfruitur: prætiosissimus tamen Reliquiarum eius thesaurus, sacratissimi nempè Lactis, Capillorum, Vestium, aliarumq; rerum; quibus, dùm in terris ageret, vtebatur, ad nostrum solatium, ac præsidium diuino consilio relictus, & fidelium pietate seruatus, quasi per manus ad posteros transmissus est. Quemadmodum eadem quoque Dei prouidentia factum est, vt tùm Christi Domini Fascię, Vestes, & id genus alia magno studio, & præcipuò cultu in Ecclesia asseruarentur, tùm prę sertim sacratissimum eiusdem Christi præputium à sanctissima Virgine ab initio reuerenter quidem seruatum, temporis verò processu, teste Innocentio III. lib. 4. de mysterijs missæ per Angelum Ierosolyma Carolo Magno delatum, & ab eodem Asquigrani reponeretur, quod deinde Caroli Calui tempore Romam translatum, & in Ecclesia Lateranensi reconditum est. Verùm in direptione Vrbis, quæ in annum 1527. incidit, ex Sacello Lateranensi, quod dicitur, Sancta sanctorum, à quodam milite furto est sublatũ, & in oppido Calcata, quod 20. circiter miliaribus Roma distat: tandẽ repositum ad hanc vsque diem perseuerat. cuius historiam fusè describit Card. Toletus in Lucę c. 2. annot. 31. Quomodo autem Christi præputium in terris haberi possit, ad Theologorum trutinam examinat Suarez tom. 2. in 3. par. disp. 15. sect. 1. & plenius disp. 47. sect. 1.

Christi præputium mirificè seruatum. Innoc. Pontifex.

Cardin Tolet.

Suarez.

Christianorum pietas in Sanctorum reliquijs asseruandis.

Verùm vt christianorum studium in eiusmodi Deiparæ reliquijs piè conquirendis, & reuerenter collocandis magis intelligatur; exemplum eorum, quæ in aliorum Sanctorum reliquijs colendis gesta sunt proferamus. Sciendum igitur est in colligendis, & honorificè

norificè collocandis Sanctorum reliquijs,non ijs ſolum,quæ ad eorum oſſa,vel cineres; verùm etiam in ijs,quæ ad eorundem veſtes, aliaq́; ipſorum contactu ſanctificata pertinent, magnam ſemper enituiſſe fidelium pietatem, Deumq́; per eas innumerabilia effeciſſe miracula,vt videre licet 4.Reg.2.in Pallio Eliæ,quod ei in curru igneo in cœlum aſcendenti ceciderat,illudq́; Eliſeus, tametſi ſuper eum requieuiſſet ſpiritus Eliæ, leuauit;in quo & Iordanis aquas,vt per eas ſicco veſtigio tranſiret,diuiſit. idem quoque videre eſt Act.19.in ſudarijs à corpore Apoſtoli Pauli delatis, eiusq́; ſemicinctijs, quæ languores ab ægrotis pellebant, & ſpiritus nequam abigebant. Quapropter S.Ioannes Chryſoſtomus ſermone de Apoſtolis Petro, & Paulo apud Surium ex Metaphraſte tomo 3. exclamat ab his ipſis Apoſtolis multos carceres ſanctificatos,multas catenas decoratas,optabatq́; gladium,quo percuſſus eſt S.Paulus ſibi fieri pro corona; clauos,quibus cruci ſuffixus eſt S.Petrus,pro gemmis in diademate infixis; quin etiam vinculis S. Petri,quibus pro Chriſto Ieroſolymis,& Romæ vinctus eſt,tantus honor eſt habitus, vt propterea Romæ in Eſquilijs hoc nomine S.Petri ad Vincula Eccleſia dedicata ſit; eiuſquè memorię dies inſtitutus Kalend.Auguſti,quę tacta ægros ſanabant,dęmones pellebant,vt eſt in Breuiario Romano.

4 Reg. 2.

Act 19.

Sanctorum Apoſtolorum Petri, ac Pauli reliquiæ miraculis præclaræ. Chryſoſtomus. Surius.

Breuiarium Romanum.

Adhæc,teſte Euſebio lib.7.hiſtor.cap.14. S. Iacobi Apoſtoli Cathedra ad Conſtantini vſque tempora inter tot Ieroſolymitanę Vrbis direptiones,totq́; incendia, Tito primum,deinde Adriano Imperatoribus,illęſa prorſus,& integra ſeruata eſt, & eiuſcemodi alia ſexcenta de Sanctorum reliquijs apud probatos auctores inueniuntur.

Euſebius. S.Iacobi Apoſtoli Cathedra.

Quare ſi hæc in Sanctorum reliquijs conſeruandis,& colendis peracta ſunt, mirum eſſe non debet complurium virorum pietate præſtantium in reliquijs Deiparæ,quę longo interuallo reliquos Sanctos omnes,vt cap.6. dixi,dignitate,& miraculorum efficacitate,ac multitudine ſuperat, colligendis, & omni honore proſequendis ſingularem pietatem,ac ſtudium eluxiſſe: inter quos immortali memoria digna videtur Pulcheria Auguſta,quæ eiuſmodi Deiparę reliquias diligentiſſimè vndiq́; conquiſitas in tribus nobiliſſimis à ſe extructis templis repoſuit, quemadmodum ex Nicephoro lib. 14. cap. 2. & lib. 15. cap. 14. infra dicemus. Et ſanè harum Deiparæ reliquiarum fruſtula pretioſiſſimi muneris loco data, & delata, quin etiam diuinitus ab incendio ſeruata perhibentur, quarum beneficio plurima ſunt edita miracula, ideoq́; ad Dei Genitricis honorem, ad noſtram vtilitatem,ac ſpirituales delicias diuina prouidentia eas ſeruari parerat.

Cap 6.

Pulcheria Auguſta in aſſeruandis Deiparæ reliquijs celeberrima. Nicephorus.

49 Hinc eſt,quòd S.Benedictus Abbas S.Mauro dilectiſſimo diſcipulo in Gallias diſcedenti,paterni amoris pignus,ac monumentum lignum S.Crucis,& reliquias S.Dei Genitricis,vna cum alijs reliquijs in capſula eburnea miſiſſe ſcribitur in vita eiuſdem ſancti Mauri à Fauſto eius condiſcipulo apud Surium tom.1. & Gregorius Turonenſis lib. 1. de gloria Martyrum cap. 19. earundem reliquiarum inſigne miraculum his ferè verbis deſcribit. Quidam Ioannes natione Gallus à lepra in Iordane mundatus,reliquias beatiſſimæ Mariæ ab Ieroſolymis accipiens,reuertebatur in patriam, cumq́; in Italia in latrones incidiſſet: Capſa, inquit, in qua ille beata geſtabat pignora ab ijſdem latronibus effringitur,nihilq́;in ea pecuniæ reperitur,ideò latrones extracta pignora in ignem proijciunt,cæſoq́; homine diſceſſerunt. Tunc ille ſemiuiuus exurgens, vt vel cineres exuſtorum colligeret pignorum, inuenit ſuper carbones accenſos illæſas iacere reliquias; ipſumq́; lintheum,quo inuolutæ erant,ita admiratur integrum,vt non putaretur prunis iniectum,ſed aquis abſconditum,collegitq́; cuncta cum gaudio,& viam, quam pergebat, ingreſſus,ad Gallias peruenit incolumis. ſic ille. Idem Gregorius Turonenſis libro citato cap.10. aliud earundem Deiparæ reliquiarum miraculum narrat, quod ipſemet expertus eſt. B.Virginis,inquit,reliquias,cum ſanctorum Apoſtolorum, vel beati Martini, quadam vice ſuper me in cruce aurea poſitas exhibebam,cumq́; per viam graderemur, conſpicio haud procul à via hoſpitiolum cuiuſdam pauperis incendio concremari. (Erat autem folijs,quæ ignibus maxima præſtant fomenta,contectum.) Currebat miſer cum liberis,& vxore aquam deportans, ſed flammæ non mitigabantur. Tunc extractam à pectore crucem leuo contra ignem;mox in aſpectu ſanctarum reliquiarum ita cunctus ignis obſtupuit,ac ſi non fuiſſet accenſus. hæc Gregorius.

Surius. Greg. Turonenſ.

Reliquias B. Virg. deferens quidam, incolumis ab illata cæde ſeruatur, reliquijs abigne illæſis permanentibus.

Zonæ Deiparæ commendatio ex Germano Patriarcha Constantinopolitano Metaphrastes. Surius.

50 Hinc Patres etiam miris laudibus eiuſcemodi Deiparæ reliquias celebrarunt. Nominatim verò Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus de ſacroſancta Deiparæ Zona, quæ Conſtantinopoli in Baſilica à Pulcheria in chalcoprateio extructa aſſeruabatur, inſignem orationem habuit, quam ex Metaphraſte refert Surius tom. 4. ad diem 31. Auguſti: eius verba libet hic aliquanto fuſius afferre, quod eas animi conceptiones, ac meditationes de ſacra illa Zona proponat; præconia, ac fructus efferat eiuſmodi, quæ alijs Deiparæ reliquijs analogia quadam accommodari facilè poſſint; ſic itaque Germanus: *Zona hæc corpus illud conſtringebat, in cuius vtero Deus celabatur; Zona, quæ Dei Arcam, ideſt Deiparam pulchrè, & honeſtè exornabat, quæ ſæpè ex virginei lactis guttis humectabatur, quæ cum diu Deiparę corpus veluti vnguentum diuinum inuoluerit, odorem ex eo curationum in æternum ſeruat.* & mox: *O zona, quæ ijs, qui ad te confugiunt das lũborum mortificationem ad vitia, animi autem fortitudinem ad virtutum operationem; O zona, quæ noſtræ naturæ imbecillitatem aſtringis, & roboras, & inimicos noſtros viſibiles, & inuiſibiles impedis; O zona veneranda, quæ tuam Ciuitatem circumdas, & contines, & conſeruas à barbarica illæſam excurſione; O zona pretioſa, quæ Deum Verbum dum eſſet in vtero inuoluiſti, & curationum benedictionem affatim illinc hauſiſti. O zona, quæ à corruptione alienæ Dei matris corpori appropinquaſti, & illinc induiſti incorruptionem. O veneranda zona accinge lumbos noſtros virtute, iuſtitia, & manſuetudine, fac nos hæredes æternæ, ac beatæ vitæ; & hanc noſtram vitam interitu obnoxiam conſerua, ne eam lædant inimici. Habeamus te vires, & auxilium, murum, & propugnaculum, portum, & ſalutare refugium. Quamobrem ò Deipara ad templum tuum ſtudiosè accurrimus, in quo cum ſtamus, in cœlo ipſo ſtare nos credimus, in quo te celebrantes, in Angelorum choro verſari nos exiſtimamus. Ecquis ex fidelibus venerandam tuam zonam intuens non ſtatim animi iucunditate repletur?* hactenus Germanus.

Altera eiuſdem zonæ ex Euthymio Zigabeno commendatio.

His, quæ de ſacra Deiparæ zona prædicat Germanus, conſonat Euthymius Zigabenus in alia oratione, quàm in eiuſdem zonæ laudem die 31. Auguſti in anniuerſario feſti depoſitionis Zonæ habuit, quamq; Surius ex Metaphraſte loco citato refert, vbi poſt multa in ſacræ zonæ commendationem prolata, teſtatur in eo Deiparæ templo, vbi hæc zona cum Chriſti faſcijs aſſeruabatur, paralyticos erigi, cęcos illuminari; horrore, & febre laborantes curari, adiecitq; ad ſuam vſque ætatem, (is autem vixit à reparata ſalute annum circiter centeſimum ſupra milleſimum) eam zonam ſeruari illæſam. Eius verba hæc ſunt: *Scriptum inuenimus in admiranda Arca, in qua eſt pretioſa hæc zona recondita, eam à tempore Arcadij filij Theodoſii magni hic fuiſſe repoſitã 31. huius menſis Auguſti, ſaluaq; illæſa, & impolluta, vt videtis, permanſit vſque ad hodiernum diem, nullo modo fædata, aut offuſcata, aut eius colore vllo modo mutato: ſed reſplendens ſupra niuem, & tanquam modo ex coccino laborata ſic eſt propoſita virtute ſancti, & viuifici, & adorandi ſpiritus.* hęc Euthymius.

Tractatus ſeries deſcribitur.

Sed iam aliquæ ex Deiparæ reliquijs, quæ nobis magis ſunt compertæ, indicatis etiã non quidem omnibus, ſed nonnullis locis, in quibus cuſtodiuntur, commemorandę erũt, atque ad earum veritatem confirmandam, teſtimonium ducemus ex antiquiſſima, & quaſi per manus à maioribus accepta traditione, quæ in ſingulis, in quibus eiuſmodi reliquiæ aſſeruantur, habetur templis: Traditioni verò aſtipulantur eorundem templorum tabulæ. quamquam & nos Auctores, qui earum reliquiarum meminerunt, interdum quoque citabimus.

Ac primùm quidem agemus de ſacratiſſimis Deiparæ capillis, ac lacte; tùm de eius veſtibus, & corporis indumentis; deinde de domo vtenſilibus, & de alijs eiuſmodi rebus, quas ſuo beata mater eſt dignata contactu, ſiuè dùm in terris ageret, ſiuè poſt ſuam in cœlum Aſſumptionem. Poſtremò Chriſti Domini indumenta, & alia eius generis, qua ratione ad Deiparam pertinent, commemorabimus.

CAPILLI DEIPARAE.

Capilli B. Virginis. Nicephorus.

51 EX ſacratiſſimis Deiparæ CAPILLIS, (quos ex Epiphanio Presbytero Conſtantinopolitano, Nicephorus lib. 2. hiſtor. cap. 23. flauos fuiſſe affirmat) pars aliqua mul-

multis reperitur in locis, Romæ præsertim, tùm in S. Maria Maiore, tùm in S. Ioanne Lateranensi, tùm etiam in subterraneo S. Helenæ sacello, quod est in templo S. Crucis in Ierusalem, Auctore Onuphrio libro de septem Ecclesijs, cum eorum templorum reliquias recenset. Ex ijsdem porrò Capillis aliquid habet Ouetum Hispaniæ, Auctore Marineo Siculo lib. 5. de rebus hispan. aliquid Aquisgranum Germaniæ Vrbs; aliquid tandem amplissimum quondam B. Virginis in Croylandia Insula Monasterium, vt eius monasterij Abbas Ingulphus testatur in sua historia, in qua affirmat, Imperatorem Hericum contulisse ei monasterio de crinibus S. Dei genitricis Mariæ, quos Hugo Rex Franciæ ei inclusos in aurea pixide dederat.

Marineus Siculus.

Ingulphus Abbas.

LAC DEIPARAE.

IAm ex virgineo Deiparæ LACTE, quod ex vbere de cœlo pleno sugebat Christus æterni Patris Verbum, aliquid diuersis pariter in locis asseruatur, nominatim verò Assysij in cœnobio S. Damiani ordinis S. Claræ: Toleti, & Oueti in Hispania, Auctore Marinæo Siculo loco citato. Parisijs in summo templo, & in sacello regio, teste Petro Bonfinio lib. 2. fastorum Parisiensium.

Lac.

Petrus Bonfinius de fastis Parisiensibus.

VESTES DEIPARAE.

52 SEd dicamus iam de vestibus, & corporeis Deiparæ siuè indumentis, siuè ornamentis, quod erat alterum ex ijs, quæ proposuimus. Eius VESTIS pars aliqua habetur Romæ, tùm in S. Maria Maiore, tùm in S. Ioanne Lateranensi, tùm etiam in S. Laurentio extra muros, teste Onuphrio loco citato. Foroliuij in Aemilia in Collegio Societatis in simulacro Deiparæ ex Germania allato bona pars vestis Deiparæ asseruatur. In Hispania quoque Ouetum ex Marineo: in Gallia templum Lutetiæ Cathedrale ex Bonfinio earundem vestium thesauro ditantur, atque illustrantur.

Vestes Deiparæ

Onuphrius.

Bonfinius.

Verùm celeberrima sanè est Deiparæ VESTIS, integra illa quidem, quam Leone I. Imperatore Constantinopolim delatam, & in nobilissimo templo in Blachernis collocatam scribunt Metaphrastes in oratione de vita, & obitu Deiparæ apud Surium die 15. Augusti, & post Metaphrastem Nicephorus lib. 2. histor. cap. 21. & lib. 15. cap. 14. Nos hæc omnia ex antiquiore Metaphraste, & qui plenius hæc narrat, referamus: *Deipara* (inquit Metaphrastes) *post acceptum nuncium à filio per Angelum, de sua ex hoc mundo migratione ad Ioannem aspiciens virginem, cum pauca cum Deo esset locuta, deinde duas (inquit) tunicas, quas toto vitæ tempore habui tegumentum mei corporis, eas dari iubeo hisce duabus mulieribus.* sic ille. Has duas mulieres quamuis Nicephorus (nisi mendum in scriptum irrepserit) dicat, fuisse viduas, ac celibes: ex Metaphraste tamen, qui aliquot ante Nicephorum seculis scripsit, eas fuisse virgines perspicuè apparet, cum de vnius vestis in Vrbem Constantinopolim translatione agit, quam oratione citata in hunc modum factam refert: Leone I. Imperatore (is autem regnare cæpit anno salutis 458.) Galbius, & Candidus fratres patritia dignitate præditi, qui exercitui præerant, multis comitati familiaribus studio visitandi Ierosolymam, in quendam paruum vicum propè Capharnaum, appetente nocte deuenerunt, atque hospitati apud quandam honestissimam Anū hebræam, obseruarunt interius aliam domunculam multo lucernarum lumine illustrem, multo item suffitu, & vnguentis suauiter spirantem, in ea verò magnam degere ægrotorum multitudinem. intellexerunt verò eo in loco dæmones expelli, cæcos, claudos, surdos, mutos, corpore mutilatos, alijsq; morbis affectos facilè curari: cuius rei causam multis, magnisq; precibus ab illa muliere hebræa tandem extorserunt, quæ post multa confessa est, Mariæ Deiparæ ibi vestem custodiri, & vt ipsius Metaphrastis vtar verbis, adiecit mulier illa: Etenim hæc, inquit, Deipara vitam finiens duabus mulieribus VIRGINIBVS duas suas vestes donauit loco benedictionis, ex quibus vna fuit ex mei generis maioribus, quæ id accepit, quod donatum fuerat, & in arca deposuit, & omninò iussit ijs, qui erant sui generis, vt esset VIRGO vnaquæq; quæ eam acciperet. est ergo arca recondita in interiori domo, & quæ in ea est vestis, causa est omnium, quæ fiunt miraculorum: Ea re

Surius Metaphrastes. Nicephorus.

Ex hac vita decedens Deipara duabus virginibus suas dari vestes iubet. Metaphrastes.

Altera ex ijs vestibus miraculis præclara.

re cognita Galbius,& Candidus in ea domo pernoctarunt,vbi erat arca, cuius longitudinem,latitudinem,ac ligni ſpeciem cum diligenter obſeruaſſent, Ieroſolymam abſceſſerunt, ibiq; ſimilem arcam conſtruendam curarunt,cum verò ad hebræam mulierem remigraſſent,& in eadem illa ſacra domo denuo pernoctaſſent,arcam inanem quidem, ac vacuam in eo loco depoſuerũt: alteram autem illam cum ſacroſancta veſte ſuſtulerunt, & cum ea Conſtantinopolim quàm celerrimè repetunt,& in ſuo ſuburbano prædio in ea regione, (cui Blanchernæ nomen) extructo oratorio, in eo pretioſum theſaurum reponunt: mox etiam de tota re ad Leonem Imperatorem referunt, qui vehementer lętatus,in eo,vbi aſſeruabatur loco regijs impenſis excitato rotundo Templo,magna cum veneratione ſacram ex argento,auroq; confectam arcam,in eo collocauit;atque ibi, teſtatur Nicephorus,vel ſua ætate venerandam illam veſtem integram, incolumemq; ſeruari,quę varios repellit morbos,& miraculis,quæ in ea fiunt naturam, & vim temporis ſuperat. hæc ex Metaphraſte,& Nicephoro.

Templum in eiuſdem veſtis honorem à Leone I. Imperatore extructum.

ZONA DEIPARAE.

Zona B. Virgin.

53 ZONAM ſanctiſſimæ Virginis pluribus in locis in pretio haberi, multorum teſtimonio conſtat; Romæ in S.Maria Maiore in marmoreo ferculo, vbi reliquię aſſeruantur, indeq; populo certis diebus ſolemniter commoſtrantur ex ea haberi teſtatur Onuphrius loco citato. Brugenſes eius partem ex Vrbe Conſtantinopoli anno 1230. dono ſibi datam ſolemni ea de re diplomate aſſeuerant,Aſquigranum, & Atrebatum ex eadem Zona habere ſe gloriantur,ac prædicant.

Nicephorus.

Cæterùm Conſtantinopoli Arcadio imperante ſacram Zonam integram repoſitam, cui templum Pulcheria Auguſti Arcadij filia magnificum extruxit, teſtatur Nicephorus lib.14.cap.2.& lib.15.cap.14. his verbis: *Pulcheria tria quoque Dei matri ex ipſis fundamentis templa erexit. Quorum vnum eſt in Chalcoprateio, ſeu fabrorum foro, ſacri tumuli nomen habens,in hoc veluti theſauram Dei genitricis depoſuit zonam. Hoc in templo vt quarto quoque hebdomadæ die peruigilium,& ſupplicatio ad lucernas,& lampadas fieret conſtituit,quam ea ipſa pedes frequentare ſolita erat.* ita Nicephorus. Ex his vel plures fuiſſe Deiparæ zonas,vel certè vnam in plures diſſectam partes,quę diuerſis in locis piè recondantur,fateamur neceſſe eſt.

INDVSIA DEIPARAE.

Induſia.

INTERVLAE Dei Genitricis,ſiuè ſubuculæ duæ extant,altera Aſquigrani à Carolo Magno ibi repoſita anno Domini circiter 810. Auctore Philippo Bergomate lib. 10. ſupplementi Chron. his verbis: *Carolus Conſtantinopoli in Galliam rediens, coronæ Domini noſtri Ieſu Chriſti partem, partemq; Dominicæ Crucis, & clauum vnum, ſudariumq; necnon & beatiſſimæ Virginis Mariæ CAMISIAM ſecum detulit,ad Baſilicam Aſquigrani tranſmiſit.* hactenus ille. Qui porrò Aſquigrani degunt, ij ex traditione acceperunt eam ipſam eſſe,quaVirgo mater pariens erat amicta.Coloris eſt candidi,longitudine vlnis duabus cum quadrante,latitudine vnius vlnæ cum quadrantibus duobus, & ſemis.

Philippus Bergomus.

Altera verò Carnuti in Vrbe Galliæ,ex Caroli Calui munere conſeruatur, quæ eam Vrbem memorabili,ac teſtatiſſimo miraculo, cuius complures auctores meminerunt, à Barbarorum furore defendit, annum Domini circiter 878. rem geſtam verbis Vincentij Beluacenſis lib. 24. Speculi hiſtor. cap. 46. ad calcem referemus: *Rollo multos magnis ſpebus ſolicitatos ſecum adduxit,piraticam aggreſſus, Carnuti adhæſit. Cuius ciues nec armis,nec muris confiſi, B. Mariæ Supparum,ideſt Camiſiam adorant, quam Carolus Caluus à Conſtantinopoli cum alijs reliquijs aduehi fecerat. Hanc Camiſiam in modum vexilli ſuper propugnacula cuſtodum trita pectoribus, ventis exponunt. Hoſtes viſam cæperunt ridere,& in eam ſagittas dirigere. Quorum oculis mox obtenebratis, nec antecedere, nec retrotendere valebant. Quod videntes oppidani,multa eorum ſe cæde ſatiarunt. Euaſit tamen Rollo,quem ſuæ fidei Deus reſeruauit.* hæc Vincentius.Is à Malmesburienſi, qui circa

Beluacenſis.

Malmesburienſis.

eâ annum Domini 1110. floruit lib. 2. de geſtis Anglorum, ad verbum ea eſt mutuatus, & ex Vincentio S. Antoninus 2. par. tit. 16. cap. 2. §. 5. *S. Antoninus.*

VELVM, VITTA, CHIROTHECA, SOCCVS, Annuli, Mantica, & Faſciæ ſepulchrales Deiparæ.

54 VELVM Deiparæ. Nicephorus lib. 2. cap. 23. (cum ageret de colore veſtium eiuſdem) ſua ætate monſtrari ſolitum, teſtatur his verbis: *Veſtimentis, quæ ipſa geſtauit, coloris natiui contenta fuit, id quod etiam nunc ſanctum capitis eius VELAMEN oſtendit.* ſic ille. Ex eo igitur velo complura loca habere ſe aliquid profitentur, Romæ in primis in ſubterraneo S. Helenæ ſacello apud S. Crucem in Ieruſalem eius veli partẽ cuſtodit, auctore Onuphrio loco citato; Aſſiſium in Vmbria in S. Franciſci templo; Treueris in Germania ex dono S. Helenæ; Atrebatum denique, vt eſt in diplomate Calliſti Papæ III. dato anno ſalutis 1455. menſe Iunio, vbi Indulgentias quaſdam ad certum tempus Eccleſiæ Atrebatenſi concedit, affirmatq; ibi aſſeruari vas: *In quo* (vt eius verbis vtar) *VELVM eſt, quo caput ſuum texit intemerata virginitas, & cingulum, quo vterus virginalis templum Dei, ſacrarium Spiritus ſancti, circumamictus erat.* hæc ibi. *Velum B. Virginis. Nicephorus. Onuphrius. Calliſtus III. Pontifex.*

De VITTA beatiſſimæ Virginis pars quædam apud Brugenſes fuit, ex munere cuiuſdam Epiſcopi in Syria nomine Moyſis, qui cum eſſet Conſtantinopoli, Lamberto B. Virginis Brugenſis Præpoſito dono eam dedit anno 1232. idq; ipſemet Epiſcopus ſuis litteris teſtatur. *Vitta.*

CHIROTHECA Deiparæ cum eiuſdem capillis è tranſmarinis partibus Audomaropolim in *B.* Bertini Monaſterium opera Simonis Abbatis S. Bertini delata eſt, vt videre licet in Chronico Bertinenſi manu ſcripto. *Chirotheca.*

SOCCVS Deiparę ante quingentos circiter annos Sueſſione Galliarum Vrbe reconditur, teſte Hugone Farſito Canonico Laudunenſi, qui anno 1113. vixit, & librum edidit miraculorum B. Virginis Sueſſionenſis, quorum aliqua nos ex Vincentio Beluacenſi breuiter perſtrinximus in tract. de mirac. Deiparæ. *Soccus. Ex Hugone Farſito. Tractatu de miraculis.*

ANNVLI Deiparæ tribus in locis piè aſſeruantur, vnus Peruſij in ſummo templo, vbi magna celebritate ab Vrbis Magiſtratu oſtendi ſolet: alter in Burgundia in Prioratu Semimurenſi apud Mandubios, teſte Genebrardo lib. 4. Chronic. ad annum 870. vbi cum de eo Prioratu à Gerardo de Ruſſillone Comite condito, aut dotato ageret: *Ab hoc*, inquit, *Gerardo, & Annulum Pronubum B. Virginis è tranſmarinis partibus habent.* Tertius in Monaſterio Aquicinctino forma exigua in palla ornatus, de quo vide Molanum in Martyrologio Sanctorum Belgij 16. Octobris: eius opem ſentiunt mulieres, quæ partus difficultate laborant. *Annuli Deiparæ. Genebrardus.*

Inuenio etiam MANTICAM Deiparæ, hoc eſt Perulam Viatoriam, qua fortè vſa eſt in itinere, ſeu fuga in Aegyptum: lego enim apud Cluniacenſes recoli feſtum inuentionis MANTICAE B. Virginis, cuius officium idem eſt, quod Natiuitatis. *Mantica.*

FASCIAE ſepulchrales, quibus ſacrum Dei genitricis corpus poſt animæ ipſius in cœlum migrationem breui tempore (nimirum vſque dùm corpore, & anima in cœlum eſt aſſumpta,) inuolutum fuit, à Iuuenali Epiſcopo Ieroſolymitano Conſtantinopolim miſſæ ſunt ad Pulcheriam Auguſtam; quæ, teſte Nicephoro lib. 15. cap. 14. in inſigne Templum in Blachernis à ſe ſe conſtructum (de quo nos Tractatu de Templis) eas ritè intulit. *Faſciæ ſepulchrales. Nicephorus.*

DOMVS, LECTVS, PECTEN, FVSVS, & Glomus Deiparæ.

55 DOMVS Virginis eius ortu, & Chriſti Ieſu conceptu maximè nobilis è Nazareth Lauretum in Piceno ab Angelis tranſlata, miraculorum gloria, & omnium gentium peregrinatione celebratur, de qua fusè ſupra in hoc capite. *Domus B. Virg.*

Ex LECTO Deiparæ extat aliquid Romæ in S. Maria Maiore in marmoreo ferculo, quod Reliquiarum dicitur, auctore Onuphrio de ſeptem Eccleſijs. *Lectus. Onuphrius.*

Pecten. PECTEN Virginis, vna cum eiusdem Peplo, seu velo ex dono S. Helenæ Constantini matris Treueri conseruatur, Auctore Iacobo Middendorpio lib. 5. Academiarum in Triueri.

Iacobus Middendorpius.

Fusus. FVSVS Deiparæ à Pulcheria Augusta in secundo templo Constantinopoli à se excitato, quod dictum est τῶν ὁδηγῶν repositus est, Auctore Nicephoro lib. 15. cap. 14. qui cum græcè illum appellet ἄτρακτον, quod propriè Fusum significat; Nicephori tamen Interpres maluit transferre pensum, fortasse propter affinitatem, quòd Pensum in fila deductum fuso agglomeretur.

Nicephorus.

Glomus. Huc spectat GLOMVS Deiparæ, qui in Aduaticis in Brabantia oppido Huo, quod est propè Mosam filo sacris eiusdem Genitricis manibus deducto, pressoq; inclytus seruari dicitur.

SEPVLCHRVM, FONS IN AEGYPTO, *Arbor, & Columna Cæsaraugustæ.*

Sepulchrum Deiparæ. 56 SEPVLCHRVM Deiparæ, si Nicephorum loco citato consulamus, Constantinopolim translatum, & in templo Deiparę Blachernis à Pulcheria Augusta repositum est. Quòd tamen Baronius tom. 1. Annal. ad annum Christi 48. meritò demiratur, cum Brochardus in descriptione terræ sanctæ par. 1. cap. 7. §. 47. in Valle Iosaphat illud esse affirmet: & qui nostris temporibus Ierosolymam adierunt, in petra excisum esse testentur, atque instar sepulchri Domini natiui lapidis cohærentia loco immobiliter inhęrere. Accedit & Beda, qui 200. propemodum annis post Pulcheriam floruit, & in libro de locis sanctis monet, sepulchrum Dei genitricis suis temporibus in dicto loco vacuum cerni. Nisi fortè dicamus partem aliquam lapidis eius tumuli Ierosolyma Constantinopolim transmissam: nam Romæ etiam, tum in templo S. Crucis in Ierusalem, tùm etiam in templo S. Laurentij extra muros, de lapide sepulchri Dei genitricis inter reliquias asseruari, testatur Onuphrius loco citato.

Nicephorus. Baronius. Brochardus.

Beda.

Romæ de sepulchro Deiparæ habetur Onuphrius.

Fons in Aegypto quo Deipara vtebatur. 57 Huc etiam spectat FONS ille in Aegypto, Heliopolim inter, ac Babyloniam medio fermè loco situs: *In quo fama est*, inquit Brochardus in descriptione terræ sanctæ par. 2. cap. 4. *B. Virginem Iesum paruulum sæpè lauisse, panniculosq; eiusdem, atque linteola tum detersisse, cum esset in Aegypto, & metu Herodis exularet.* Propè illum vero fontem lapis est, super quem Christi panniculos, & linteola, quæ lauerat beata mater exiccanda extendebat: ex eo fonte ab ipsis Saracenis irrigatur balsami hortus, ac maximè fæcundatur. Eius quidem meminit Iacobus de Vitriaco in historia Orientali cap. 86. Iansenius verò refert habitationem illam, vbi Deipara cum Christo permansit decem millibus passuum à Cairo distare; celebrem verò esse Saracenis, qui lampadem ibi ardentem perpetuò conseruant, ibiq; pretiosas balsami arbusculas Iesu beneficio increuisse, quæ sola aqua putei, quo ad obsequia Domini Virgo mater vsu fuerat irrigatæ, vegetare, pullulare, ac perdurare valebant. sic Iansenius: consule etiam Baronium tom. 1. Annalium.

Brochardus.

Ab eodem fonte balsami hortus fæcundatur. Iacobus de Vitriaco. Iansenius.

Baronius.

Arbor, quæ transeuntem Deipar. venerata est, miraculis claret. Apud Hermopolim quoque in Thebaide arborem esse memorant PERSEN dictam, quæ, vbi Dei genitrix cum Christo filio, & S. Iosepho sponso Herodem fugiens peruenit Hermopolim, ad solum vsque se flexit, & Christum Dominum adorauit. Eius arboris, siuè fructus siuè folium, siuè quælibet corticis particula ægrotis admota morbos á compluribus depulit. ita Sozomenus lib. 5. hist. cap. 20.

Sozomenus.

Columna, vbi stetit Deipara. Neque prætereunda silentio est columna ex iaspide, super quam D. Iacobo Apostolo adhuc superstiti, Deipara Cæsaraugustæ in Hispania se videndam præbuit, eumq; est allocuta. Ea in templo ibidem excitato religiosè asseruatur, de quo nos vberius supra in hoc capite.

SEDES, AC LAPIS, VBI DEIPARA TOLETI CONSTITIT, *eiusdem Epistolæ, & oleum S. Thomæ Cantuariensi datum.*

Lapis super quē stetit Deipara. 58 HVc referre possumus sedem, ac lapidem illum, ex quo S. Ildefonsum Deipara post suam disputatione, ac libro ab eo scripto defensam virginitatem Toleti est allocuta,

cuta,simulq; vestem ei ad sacrificandum dedit; eorum Mariana lib.6.de rebus hispaniæ cap. 10. meminit his verbis: *Cum Ildefonsus ad aram progressus, nixus de more genibus preces funderet,in CATHEDRA,vnde is ad populum concionari erat solitus, astantem B. Virginem vidit, quæ eum allocuta vestem ad celebrandum suis manibus capiti inseruit; LAPIS, vbi B. Virgo vestigio constitit, in ipso templi Toletani aditu monstratur clatris ferreis inclusus tantæ rei monumentum; vestis de cœlo allata in Maurorum incursione, Oueti seruatur in obserata arca ab oculis subducta mortalibus,eoq; maiori religione culta.* hæc ex Mariana. *Mariana.* *Vestis quam S. Ildefonso Archiepiscopo Toletano donauit.*

His attexenda est tùm Planeta,quàm S.Bonito Aluernensi Episcopo,eadem Deipara ad celebrandum missæ sacrificium est elargita, quod nos hoc eodem capite ex Vincentio Beluacensi lib.7.speculi histor.cap.97.retulimus: tùm etiam alia casula purpurea illa quidem,ac pulcherrima inclusa in parua,& eleganti pyxide; quam ad amoris significationem dedisse narratur S.Thomæ Cantuariensi,cum adhuc adolescens corporis sui castitatem eidem Deiparæ vouisset.res gesta narratur in Speculo exemplorum distinct. 9. num.122. *Planeta quam S. Bonito Aluernensi Episcopo dedit Beluacensis.* *Casula purpurea quam S. Thomæ Cantuariensi Episc. eadem Deipara est elargita.* *Spec Exemplor.*

59 His adde,quas scripsisse Deipara dicitur epistolas; vnam quidem scripsit ad S.Ignatium,quam licet Baronius tom.1.ad annum Christi 48. minimè recipiat:eam tamen agnoscit S.Bernardus sermone 7.in psal.90. Carthusianus in commentarijs super Dionysium Areopagitam de diuinis nominibus, Sixtus Senensis in Biblioth.Sanct.lib.2. in Maria, qui citat Marcum Michaelem Presbyterum Cortonensem lib.de viris illustr. & Canisius lib.5.de B.Virgine cap.1. Franciscus Arias de imitat virg.cap.20 & alij apud Canisium;qui etiam testatur Florentinos,& Messanenses gloriari se à Deipara Epistolas accepisse:& Epistolam quidem ad Florentinos refert totidem verbis,quæ sic habet: *Florentia Deo,& Domino Iesu Christo filio meo,& mihi dilecta, tene fidem insta orationibus, roborare patientia,his enim sempiternam salutem apud Deum,& apud homines gloriam consequeris.* hæc apud Canisium. *Epistolæ à Deipara scriptæ.* *Baronius.* *Bernardus.* *Carthusianus.* *Biblioth. sanctor.* *Marcus Mich. Cortonensis.* *Canisius.* *Francis. Arias.* *Florentini, Messanenses Epistolas Deiparæ gloriantur.*

Huc reuocari potest oleum,quod teste Thoma Valsigham in historia Anglicana,& in Ypodigmate Neustriæ ad annum 1399. S.Thomæ Cantuariensi dum esset in exilio cõseruandum Deipara dedit,eiq; prædixit, Reges Anglos, qui hoc vnguento vngerentur, pugiles Ecclesiæ futuros,quod vnguentum in Aquila aurea,& olla lapidea conseruatum diù latuit,nimirum vsque ad annum 21. Richardi II.Regis prædecessoris Henrici IIII.qui eo inunctus est ab Archiepiscopo Cantuariensi. *Oleum quod B. Virg. S. Thomæ Cantuariensi ob seruandum deducitur.* *Thomas Valsigham.*

CHRISTI PRAESEPIVM, FASCIAE, Cunabula, Velum, ac Vestis inconsutilis.

60 His attexere possumus,& ea, quæ Deipara ad Christi obsequium suis manibus, vel tractauit,vel confecit: huiusmodi est sacratissimum Præsepium, in quo ipsa puerpera filium natum reclinauit, quod Romæ sub altari præsepij in nobilissimo Sacello à Sixto V. extructo apud sanctam Mariam Maiorem est reconditum: de quo Onuphrius libro de septem Ecclesijs. *Præsepium Christi Domini.* *Onuphrius.*

Huiusmodi est Cunabulum,& aliquid ex Fascijs,ac pannis infantiæ Saluatoris, quæ omnia ritè conseruantur in eodem templo S. Mariæ Maioris in ferculo marmoreo reliquiarum, auctore Onuphrio loco citato. *Cunabula, ac Fasciæ.*

Fasciæ verò Saluatoris ex Nicephoro locis citatis ab Eudocia Augusta ex Ierosolyma Constantinopolim transmissæ ad Pulcheriam Augustam, ab ea in templo magnificentissimo cum Deiparæ Zona collocatæ sunt. *Nicephorus.*

In Ecclesia quoq; Lateranensi habetur de CVNABVLIS Domini, vt videre est apud Ioannem Diaconum cap.4.libri,quem de Basilica Lateranensi conscripsit ante 450.circiter annos. Idem legimus in tabula reliquiarum huius templi, quæ in absside est posita, auctore Onuphrio de septem Ecclesijs. *Ioan Diaconus.* *Onuphrius.*

Romæ etiam in templo Lateranensi, auctore Onuphrio loco citato, inter alias reliquias,quæ in ferculo marmoreo super altare S.Mariæ Magdalenæ asseruantur, recensetur & Christi Domini Indusium, his verbis: *Interula linea Domini nostri Iesu Christi,* *Indusium.*

quam

quam ei B. Virgo fecit, in capsulâ argentea: sic ille; qui alibi in eodem libro ait vocari in quadam tabula reliquiarum, primam Camisciam Saluatoris.

Velum Christi in cruce pendentis.

61 Ad hæc Velum, quo prætextum fuit Christi Saluatoris corpus in Cruce pendentis, Sancti meditantur fuisse Deiparæ, ab eaq; Christo ante crucifixionem aptatum: nam

Anselmus.

S. Anselmus in Dialogo de Passione Domini inducit Deiparam sic loquentem: *Cùm venissent ad locum Caluariæ nudauerunt Iesum vnicum filium meum totaliter vestibus suis: ego tamen velamen capitis mei circumligaui lumbis eius.* Et

Bonauentura

S. Bonauentura in meditationibus vitæ Christi cap. 78. *Mater*, inquit, *conspicit filium suum totaliter nudum, & tristatur: nam & ei nec femoralia dimiserunt. Accelerat ergo, & approximat filio, amplexatur, & cingit eum capitis sui velo.* sic ille. Hoc porrò Velum Romæ in S. Ioanne Lateranensi reuerenter asseruatur in ferculo marmoreo super altare S. Mariæ Magdalenæ, auctore

Onuphrius.

Onuphrio loco citato; cum enim plures reliquias commemoret, ait, Ibi Velum esse, quo velatum est corpus Saluatoris in cruce pendentis; & alibi istud vocat velum fœmoralium Christi Crucifixi.

Tunica inconsutilis à B. Virg. contexta.

Tunica quoque Christi inconsutilis desuper contexta per totum, quæ Ecclesiam significat, quam Dominus à militibus diuidi neutiquam est passus, ex

Greg. Turonens.

Gregorio Turonensi de gloria martyrum cap. 8. suis quidem temporibus in Galatia erat reposita: nunc verò quamuis Middendorpius asserat Treueri ex dono S. Helenæ repositam: tamen ex

Onuphrius.

Onuphrio libro de septem Ecclesijs, Romæ in templo S. Ioannis Lateranensis continetur in ferculo marmoreo super altare S. Mariæ Magdalenæ, quam

Ioan. Diaconus.

Ioannes Diaconus antiquissimus in libro de Basilica Lateranensi loco citato cum reliquias huius Basilicæ commemoraret, ponit his verbis: *Tunica inconsutilis, quam fecit sancta Maria Virgo filio suo Iesu Christo. Sanè hanc Tunicam* (inquit

Baronius.

Baronius tom. 1. Annalium ad annum Christi 34.) *contextam fuisse à B. Virgine par est credere*, nam in Oriente hominum vestes à fœminis confici solitas testatur Zerobabel

3. Esdræ 4.

3. Esdræ 4. cum de mulierum fortitudine differit: *Ipse*, inquit, *faciunt stolas omnium hominum*, &

Prouerb. 31.

Prouerb. 31. de muliere illa forti dicitur: *Confidit in ea cor viri sui, & spolijs non indigebit*; & mox: *Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus.* hæc ex Baronio. Atque hæc de reliquijs Deiparæ, quas piè veneratur Ecclesia.

VIRGINEM DEIPARAM HVMANI GENERIS esse Aduocatam, Sanctorumq. omnium in terris degentium preces peculiari ratione apud filium promouere. Cap. XXX.

SVMMARIVM.

Deipara est mediatrix nostra ad intercedendum nu. 6.
Deiparæ patrocinium apud Christum esse efficacissimum nu. 8.

Apoc. 8.

1 IONVM, quòd in Apocalypsi de Throno Dei commemoratur,



est illud, quod S. Ioannes cap. 8. cum apertum esset sigillum septimum, narrat his verbis: *Et alius*, inquit, *Angelus venit, & stetit ante altare habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, vt daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei; & ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* hæc ibi. Nunc qua ratione per Dei thronum, ante quem est altare aureum Virgo Deipara commodè significari possit, ostendendum erit: quod vt melius fiat, breuiter hæc, quæ ex S. Ioanne recitauimus, explicanda sunt.

Explicatur visio S. Ioannis Apoc. 8. de Angelo orationes offerente ante altare.

Et quidem hoc totum, quod in cœlo describitur similitudinem quandam habere videtur cum ijs, quæ in veteri testamento in templo visebantur, in quo erat thuribulum aureum Hebr. 9. *Et altare thymiamatis aureum* Exod. 30. ad differentiam altaris holocaustorum, quod erat æneum; & in Altari illo thymiama in Dei honorem adolebatur: Similiter in cœlis S. Ioannes conspexisse se memorat Angelum habentem thuribulum aureum

Hebr. 9. Exod. 30.

Altare hoc simile altari templi.

aureum ad offerendas ſuper altare aureum orationes Sanctorum omnium, quæ metaphoricè per incenſa, ſicuti Apoc.4. per odoramenta, exprimuntur. Porrò altare aureum eſt Chriſtus Dominus ex Richardo, ſuper quem omnes orationes ſunt offerendę, vt Deo ſint gratæ. Chriſtus.n. vocatur à Patre Iſa.60. *Placabile altare meum.* Hę.n orationes Sanctorum in terris degentium ex vnione, quam habent cum meritis Chriſti, qui in Sanctos, quorum eſt caput, ex Sac. Conc. Trid. ſeſſ.6.c.16. iugiter virtutem influit, vim obtinendi habent maximam. Thuribulum quoque aureum dicitur Chriſti humanitas ex Origene hom 10. in Num. & Auguſtino ſerm.98. de temp. & Ruperto lib.5. in Apoc. Et hoc quidem thuribulum eſt aureum propter ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti; feneſtratum autem, ſeu perforatum propter vulnerum cicatrices pro nobis ſuſceptas, poſitum ſuper altare crucis ex Ruperto: & in hoc thuribulo orationes Sanctorum offeruntur: quare omnes orationes clauſula illa terminantur: *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ*: manet.n. verbum Chriſti Ioan.16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis*: ideò Hebr.13. *Per ipſum offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, ideſt fructum labiorum confitentium nomini eius*: etenim 1.Io.2. *Aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum. & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* & Hebr.7. *Semper viuens ad interpellãdum pro nobis.* Nam & Deipara, & ſancti beneficia à Deo per filium eius Ieſum Chriſtũ Dominum noſtrum, qui ſolus noſter Redemptor, & Saluator eſt, impetrant; quemadmodum docet Sac. Conc. Trid. ſeſſ.25. hinc eſt, quod orationum incenſa, quamuis ab Angelo præſentata, tamen ſuper hoc altare aureum, & in hoc thuribulo, quę Chriſtum Dominum ſignificabant, offerri dicuntur; & Eccleſia orationes, in quibus apud Deum Deiparæ ſanctorumq; ſuffragia implorat, concludit clauſula illa: *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.* vt iam dicebamus.

Altare quid ſit. *Apoc.4* *Richardus.* *Iſa.60.* *Conc. Trid.* *Thuribulũ quid.* *Origenes.* *Auguſtinus.* *Rupertus.* *Omnia per Chriſtum offerenda.* *Ioan 16.* *Hebr. 13.* *1.Ioan. 2.* *Hebr. 7.* *Concil. Triden.* *Offic. Eccleſ.*

2 Difficultas tamen eſt, quisnam fuerit Angelus iſte, qui has obtulit orationes; & quamuis pleriq; exiſtiment eſſe Chriſtum Dominum ex ſententia Ambroſij, Richardi, & aliorum, quoniã Malac.3. dicitur *Angelus teſtamenti*, & Iſa.9. iuxta Septuaginta, *Magni conſilij Angelus*: magis tamen cum Ribera exiſtimo non fuiſſe Chriſtum Dominum, ſed vnũ ex Angelis; tùm quia, vt animaduertit Ribera in hunc locum, Chriſtus non ſolet dici Angelus abſolutè, ſed cum aliquo addito, puta *Angelus teſtamenti*, vel *magni conſilij*: tùm quia poſt commemoratos ſeptem Angelos tubas habentes, ſubnectitur: *Et alius Angelus ſtetit habens thuribulum*, vbi verbum, *alius*, reliquis ſeptem illum ſimilem indicat. Tùm etiam ex ſenſu Eccleſiæ, quæ in officio Angelorum in eorundem honorem hunc verſiculum (*Stetit Angelus iuxta aram templi habens thuribulum aureum in manu ſua*) vſurpat, & idem idem repetit; quod autem ſubiungitur, Aſcendiſſe fumum incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo; oſtendit preces illas ſic oblatas à Deo optimo eſſe exauditas.

Quisnam ſit ille Angelus offerẽs orationes. *Ambroſius.* *Richardus.* *Malach. 3.* *Iſa 9.* *Riberæ.* *Offic. Eccleſ.*

Supereſt nunc illud explicandum, cur dicatur Angelus obtuliſſe has orationes ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei. quod facili negotio poſſet expediri, ſi quis diceret per metonymiam nomine throni intelligi Deum ipſum ſedentem in throno: verùm ſi quis velit hoc etiam in loco allegoricè throni nomine accipi Deiparam, & ideò commemorari, quòd ea tanquam omnium Aduocata oblatas Deo ab Angelo Sanctorũ orationes, vt ab ipſo Deo exaudiantur ſuis precibus ſuffragetur, & adiuuet; hoc quidem verum eſt, idq; in hoc capite probandum ſuſcepimus.

Quomodo hic ſuã matur thronus. *Per thronum B. Virgo, quæ Aduocata noſtra eſt, intelligi poteſt.*

Sanè Petr. Damian. ad hunc locum Apoc. ſpectans in ſerm. de Natiu. Virg. agens cum Virgine de magna, qua ad intercedendum apud Chriſtum, pollet auctoritate: *Accedis*, inquit, *ante illud aureum humanæ reconciliationis altare non ſolum rogans, ſed imperans; Domina, non Ancilla.* hæc Damianus: quæ verba infra explicabimus. Ephræm ſerm. de laud. Virg. eam vocat *Thuribulum aureum.* & Georgius Nicom. orat. de oblat. Virg. Deiparam appellat *Thuribulum aureum, in quo Verbum, quod carnem aſſumpſit bono odore impleuit orbem terræ, in quo fuerunt combuſta crimina inobedientiæ, per quod liberatur aer à moleſtia inquinamentorum, per quod bonus odor ſpiritus ſpirauit in homines.* hæc Georgius Nicomedienſis.

Petr. Dam. *Ephræm.* *Georg. Nicom.*

3 Sed vt ea, quæ dicturi ſumus, ordine proponamus; poſitis ijs, quæ in cap. 16. de Virg. diximus, eam Matrem eſſe miſericordiæ, diuinamq; miſericordiam per eam ad homines

deriuari, in hoc capite duo agemus; Primùm Deiparam humani generis esse Aduocatam: alterum preces eius apud Christum esse efficacissimas, ideoq; per eam nostras preces Christo offerendas.

Duo in hoc capite agenda.

Deipara peculiariter omnium est Aduocata. Tridentinum.

Et quod spectat ad primùm, quamuis omnibus Sanctis, vna cum Christo regnantibus orationes suas pro hominibus Deo offerre competat, ac proinde ad beneficia à Deo impetranda per Iesum Christum filium eius suppliciter sint inuocandi ex Sac. Conc. Trid. sess. 25. Deipara tamen peculiari ratione est omnium vniuersalis Aduocata: & ideò Ecclesia in solemni Cant. Salue Regina, sic eam inuocat: *Eia ergo Aduocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte, & Iesum benedictum fructũ ventris tui nobis post hoc exilium ostende.* & in Antiph. illa peruetusta ab Ecclesia in offic. eccles. crebrò vsurpata, & ex Augustino serm. 18 de Sanctis desumpta inter alia sic eam precatur: *S. MARIA succurre miseris, iuua pusillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fęmineo sexu; sentiant omnes tuum iuuamen quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem.* & in orat. secr. in missa vigil. Assumpt. sic orat: *Munera nostra Domine apud tuam clementiam Dei genitricis commendet oratio: Quàm idcircò de præsenti sæculo transtulisti, vt pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat.* Cui consonat illud Cant. 3. de ferculo Salomonis magnificentissimo, in quo Deiparam adumbratam diximus c. 5. & 8. Cuius ferculi media, Salomon charitate cõstrasse dicitur propter filias Ierusalem; hoc est interiora huius mystici ferculi Christus, verus Salomon, charitate, atq; dilectione quasi pauimento constrauit, atque obduxit; idq; propter animas deuotas, quę ad Sion cęlestem suspirant; ibiq; mente, atque cogitatione habitant; vt intelligas Virginis sanctissimæ pectus charitate flagrare erga animas; præsertim eas, quæ ad cęlestẽ spectant Ierusalem, omni ope iuuãdas. & certè iure suo vniuersalis Aduocatæ munus obit, cùm. n. Mater sit omnium, eiq; à Christo in cruce magno affectu in Ioanne in filios traditi simus, vt c. 27. & 28. diximus; pro filijs magno miserationis affectu id pręstat. quod subiectis sanctorum Patrum testimonijs facilè demonstratur.

Offic. Eccles.

Augustinus.

Cant. 3.

Ioan. 19.

Irenaus.

4 Irenæus lib. 5. contra hæreses cap. 19. *Sicut Eua*, inquit, *seducta est, vt effugeret Deum; sic Maria suasa est obedire Deo, vt Virginis Euæ Virgo Maria fieret Aduocata.*

Nazianzen.

Nazianzenus in Tragædia de Christo patiente cum Virgine loquens.

,, *te tuum erga filium*

,, *Mihi patronam sentiam acceptissimam.*

Andr. Creten.

Andreas Cretensis orat. de dorm. Virg. *Placa*, inquit, *Dominum pro communi figmento: nam quandiù quidem versabaris in terris, te habuit parua terræ portio, ex quo autem translata es à terra, te vniuersus mundus continet commune propitiatorium, ò vitæ suppeditatrix, & vita viuentium, & causa vitæ.* Idem Andreas in salutatione Angelica: *Gaude*, inquit, *diuinum inter Deum, & homines conciliationis perfugium.* & in orat. de dormit. Virg. *Christianorum fidei propugnaculum, & eorum, qui spem in ea collocant, propugnatricem* vocat.

Ephram.

S. Ephręm orat. de laud. Virg. eam *Vallum fidelium, mundi Salutem, & Propitiatorium laborantium* appellat.

Epiphanius.

Epiphanius oratione de Virgine affirmat *Virginem cunctis superiorem existere, quæ lapsam Euam erexit, & per quam homines fiduciam habent in Cœlo erga Deum altissimum.*

Germanus.

Germanus hom. de Zona: *Quis*, inquit, *post tuum filium ita generis humani curam gerit, sicut tu? Quis ita nos defendit in nostris afflictionibus? Quis tam cito præueniens nos ab irruentibus liberat tentationibus? Quis in supplicationibus adeò pugnat pro peccatoribus? Nullus. n. est, qui saluus fiat, ò sanctissima, nisi per te: nemo est, qui liberetur à malis, nisi per te, ò purissima; nemo est, cuius misereatur gratia, nisi per te, ò honestissima; quamobrem quis non te beatam pronunciabit.* hæc Germanus.

Bernardus.

Bernardus in sermone 1. de Assumptione: *Aduocatam*, inquit, *præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam Iudicis mater, & mater misericordiæ suppliciter, & efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit.* & sermone Signum magnum: *Opus*, inquit, *est mediatore ad mediatorem Christum, quia licet misericors; habet tamen iudiciariam potestatem; nec alter nobis vtilior, quam Maria.* & mox: *Quod si (vt verè sunt) plena magis omnia*

pieta-

pietatis,& gratiæ,plena manſuetudinis, & miſericordiæ, quæ ad Mariam pertinent inueneris; age gratias ei, qui talem tibi mediatricem benigniſſima miſeratione prouidit,in qua nihil poſſit eſſe ſuſpectum. Denique omnibus omnia facta eſt, ſapientibus, & inſipientibus copioſiſſima charitate debitricem ſe fecit: omnibus miſericordiæ ſinum aperit,vt de plenitudine eius accipiant vniuerſi; Captiuus redemptionem; æger curationem, triſtis conſolationem;peccator veniam; iuſtus gratiam; Angelus lætitiam;denique tota Trinitas gloriam; Filij perſona carnis humanæ ſubſtantiam, vt non ſit, qui ſe abſcondat à calore eius. Idem ſermone de Aquæductu: *Ad Patrem,*inquit, *verebaris accedere, ſolo auditu territus ad* Pſal. 18. Bernardus. *filia fugiebas,Ieſum tibi dedit mediatorem. Quid non apud talem Patrem talis filius obtineat? exaudietur vtiq; pro ſua reuerentia,ſed forſan in ipſo maieſtatem vereare diuinam, quia licet factus ſit homo,manſerit tamen Deus. Aduocatam habere vis, & ad ipſum? ad Mariam recurre: pura ſiquidem humanitas in Maria, non modò pura ab omni contaminatione, ſed & pura ſingularitate naturæ. Nec dubius dixerim, exaudietur & ipſa pro ſua reuerentia:exaudiet vtiq; Matrem filius,& exaudiet filium Pater.Filioli hæc peccatorum ſcala,hæc mea maxima fiducia eſt,hæc tota ratio ſpei meæ:quid enim? poteſt ne filius aut repellere,aut ſuſtinere repulſam? non audire,aut non audiri filius poteſt? Neutrum planè; inueniſti (ait Angelus) gratiam apud Deum. Fæliciter,ſemper hæc inueniet gratiam,& ſola eſt gratia,qua egeuus.*

5 S.Franciſcus,quemadmodum his verbis ſcriptum reliquit S. Bonauentura in eius vita cap.9. matrem Domini indicibili complectebatur affectu, in ipſa poſt Chriſtum præcipuè fidens,eam ſui, ac ſuorum Aduocatam conſtituit, & in eius honorem à feſto SS. Apoſtolorum Petri,& Pauli vſque ad Aſſumptionem deuotiſſime ieiunabat. S. Bonauenturæ. S. Franciſcus B. Virginem Aduocatam ſui ſuorumq. cõſtituit.

S. Thomas opuſcul.8. agens de plenitudine gratiæ Virginis, cum eam probaſſet plenam eſſe primò in anima, ſecundò quò ad redundantiam animæ ad corpus, de qua incarnatus eſt filius Dei: *Tertiò,* inquit, *plena fuit gratia non ſolum in ſe, ſed etiam quantum ad refuſionem in omnes homines. magnum enim eſt in quolibet Sancto quando habet tantum de gratia, quod ſufficit ad ſalutem multorum: ſed quando haberet tantum, quod ſufficeret ad ſalutem omnium hominum de mundo, tunc eſſet maximum, & hoc eſt in Chriſto,& B.Virgine: nam in omni periculo potes obtinere ſalutem ab ipſa Virgine gloriosa. Cant.4.Mille clypei (ideſt remedia contra pericula) pendent ex ea. Item in omni opere virtutis potes eam habere in adiutorium,& ideò dicit ipſa Eccl.24. In me ſpes vitæ,& virtutis.* hucuſque S.Thomas. S. Thomas. B. Virgo poteſt pro omnibus intercedere. Cant. 4. Eccleſ. 24.

S.Bonauentura in hymno *Te matrem Dei laudamus, &c.* ad Virginem: *Tu,* inquit, *Agonizatrix pugnantium, Aduocata pauperum, miſeratrix, & refugium peccatorum; Tu erogatrix munerum, poſt Deum ſola ſpes noſtra. Tu ſalus te inuocantium. Tu promotrix iuſtorum, congregatrix errantium,&c.* & in Litania *B.*Virginis: *Sancta Maria,* inquit, *quæ pro peccatoribus ſupplicas.* Item in carminibus ſuper Salue Regina, ad illud verbum *Aduocata* ſic habet. S. Bonauentura

,, *Aduocata libera coram Saluatore,*
,, *Poſtulare propera, conſuetoq; more,*
,, *Et pro gente miſera benigno fauore*
,, *Natum tuum mitiga materno amore.*

Idem in 3 ſentent.diſtin.3 par.1.art.2.q.1.Virginem Aduocatam eſſe generis humani docet:& propterea *congruebat,*inquit,*vt Virgo nullum haberet peccatum,& ita vinceret diabolum,vt nec ei ſuccumberet ad modicum.* hæc Bonauentura.

S.Antoninus 4.par.tit.15.cap.14. §.7. probans Virginem eſſe Aduocatam peccatorum,citat Anſelmum in hæc verba: *Vt enim impoſsibile eſt,* dicit Anſelmus, *quod illi, à quibus Virgo Maria oculos miſericordiæ ſuæ auertit,ſaluentur:ita neceſſariũ,quod hi,ad quos conuertit oculos ſuos pro eis aduocans,iuſtificentur, & glorificentur.* & mox ſubijcit: *Hæc eſt,*inquit,*figurata in illa prudẽtiſsima muliere Thecuite,quæ ita ſapienter aduocauit apud Regem Dauid in cauſa Abſalonis vani,ſuperbi,& fratricidæ exulis facti propter tantum ſcelus à Ieruſalem,quod induxit patrem Dauid ad miſericordiam erga filium, & ab exilio reuocandum:ſic ergo Virgo Maria pro mundo rebelli ipſi Deo,& occiſore fratris ſui, ideſt animi ſui,propter quod exul conſtituitur à ſuprema Ieruſalem, ita aduocat, & interpellat;* S. Antoninus. Anſelmus. B. Virgo figuratur in muliere Thecuite. 3.Reg.14.

pellat; vt Deum Patrem placet, & conuersum ad pœnitentiam, ad gloriam inducat: vnde Bernardus, Securum accessum habes apud Deum, ô homo, vbi Mater stat ante filium, Filius ante Patrem; Mater ostendit filio pectus, & vbera; Filius ostendit patri latus, & vulnera, ibi ergo nulla poterit esse repulsa, vbi sunt tot amoris insignia: ad Thronum igitur eius, scilicet Virginem Mariam, in qua quieuit, accedamus cum fiducia (ait Apostolus ad Hebræos) vt misericordiam & gratiam consequamur in tempore opportuno. hactenus S. Antoninus. Idem cap. 19. § 2. Sapientia, inquit, aduocati, & eloquentia manifestatur ex tribus; scilicet, quod obtineat apud iustum, & sapientem iudicem. Secundo contra aduersarium astutum, & sagacem. Tertiò, quod in causa desperata. sed Virgo Maria Aduocata nostra obtinuit apud sapientissimum, & iustum iudicem, Deum cõtra astutissimum aduersarium Diabolum in causa desperatissima inter Deum, & hominem, in qua nullus hominum, qui eam præ esserant, loqui audebant hæc S. Antoninus. Certè in hoc Virgo præcipuè alijs Aduocatis præcellit, illi namq; reum criminis conuictum à supplicio, quod meretur, seruare nequeunt: at sanctissima Virgo nobis peccatoribus crimina nostra fatentibus, & ad ipsam confugientibus veniam impetrat; meritò ergo congruit ei illud Eccl. 24. vt notat Hugo Cardinalis in illum locum: *Ego feci vt in cœlis oriretur lumen, & sicut nebula texi omnem terram;* propter vniuersale patrocinium, quo instar nebulæ omnem terram sua gloria, & præsidio longè, lateq; complectitur, & à diuinæ iræ ardore tegit; imo & obdurationis glacies, flante dæmone per Aquilonem significato inducta, ab hac nebula dissoluitur Eccles. 43 quemadmodum cap. 25. diximus Eidem Deiparæ congruit & illud Isa. 4. *Et tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem, & absconsionem à turbine, & à pluuia;* Deiparam enim per tabernaculum significatam diximus cap. 5. qua ab æstu ardoris concupiscentiæ, seu ab æstu diuinæ vindictæ defendimur, quę etiam nos tutatur à tentationum, & perturbationum procellis.

Bernardus. Hebr. 4. S. Antoninus Aduocati sapientia in tribus elucet, quæ in Virgine inueniuntur. Eccles. 24. Hugo Card. B. Virgo nebulæ assimilatur. Eccles. 43. Isa. 4.

Denique huc spectant non solùm quæ cap. 16. de Virginis misericordia; sed etiam quę cap. 24. de Virginis fortitudine contra dæmones diximus, & quomodo sit turris Dauid, firmissimum, ac tutissimum omnibus perfugium.

DEIPARA EST MEDIATRIX nostra ad intercedendum.

6 HInc est, quod Virgo sanctissima peculiari quadam ratione à Sanctis dicitur *Mediatrix nostra*, non quidem ad redimendum, quod ex S. Thoma 3. par. q. 26. art. 1. vnius Christi Domini munus est; sed eminentissima quadam ratione præ alijs Sanctis ad intercedendum, & impetrandum: de quo egregiè contra hæreticos Canisius lib. 5. de B. Virgine cap. 2. Sanè sancti Patres eam Mediatricem vocant (nam & hoc ad munus Aduocatæ spectat.)

B. Virgo quomodo dicatur Mediatrix nostra. S. Thomas. Canisius.

S. Ephræm de laud. Deip. *Aue*, inquit, *Dei, & hominum Mediatrix optima, Aue totius terrarum orbis conciliatrix efficacissima.*

Ephræm.

In missa Aethiopum sic habetur: *O verè Mediatrix ante Dominum nostrum Iesum Christum, te supplices exoramus, vt memor sis nostri.*

Damascenus orat. 1. de dorm. *Mediatricis* munere eam perfunctam dicit.

Damascenus.

Anselmus de excell. Virg. cap. 9. *Qua*, inquit, *laude digna est, quæ tantorum beneficiorum sola præ cunctis effici meruit Mediatrix.*

Anselmus.

Bernardus sæpè serm. 2. de Aduentu: *Domina*, inquit, *nostra, Mediatrix nostra, Aduocata nostra.* & serm. 2. de Assumpt. *Ipsa est*, inquit, *Mediatrix nostra, ipsa est per quam suscepimus misericordiam tuam Deus, ipsa per quam & nos Dominum nostrum Iesum Christum in domos nostras excipimus.* & serm. Signum magnum: *Age gratias ei, qui talem tibi Mediatricem benignissima miseratione prouidit.* & Epist. 174. *Mirare gratiæ inuentricem, Mediatricem salutis, restauratricem seculorum.*

Bernardus.

Arnoldus Carnotensis Bernardo familiaris in tract. de laud. Virg. & habetur tom. 6. Bibliothecę sanctorum Patrum: *Habet*, inquit, *homo mediatorem causæ suæ filium ante Patrem, & ante filium matrem; Christus patri ostendit latus, & vulnera; Maria Christo pectus, & vbera, nec potest vllo modo esse repulsa, vbi concurrunt, & orant omni lingua disertius hæc clementiæ monumenta, & charitatis insignia.* hæc ille.

Arnoldus Carnotensis.

Alber-

Albertus ſuper miſſus eſt cap.5.*Celſior*,inquit,*illa omnibus creaturis,Regẽ glorię,quem in ſe ſuſcepit,per totum mundum communicauit,collocauit,& tanquam familiariſsima Mediatrix totum mundum ſibi reconciliauit.* ſic ille. *Albertus.*

Bonauentura in ſpeculo cap.8.*Maria*,inquit,*fideliſſima Mediatrix ſalutis,veluti fideliſſima columba inter ſummum Noe & mundum ſpirituali diluuio ſubmerſum: Eua autem veluti coruus in diluuio infideliſſima mediatrix fuit perditionis*, & cap.9.*Maria*, inquit, *propter nos benè comparatur Auroræ, ipſa nobis eſt ad Deum mediatrix, ad Angelos pacificatrix,ad dæmones defenſatrix,ad nos ipſos illuminatrix.* hæc ille. qui ſingula explicat, & probat; vult enim Virginem veluti Auroram eſſe optimam mediatricem inter noctem,& ſolem,& inter hominem iniuſtum, & iuſtum Deum, cuius iram refrigerat,atque mitigat.Idem in hymno *Te matrem Dei laudamus:Tu*,inquit,*Mediatrix Dei, & hominum amatrix.* *Bonauentura.* *Gen. 16.*

Beatus Laurentius Iuſtinianus ſermone de Annunciatione: *Effecta eſt*, inquit, *interuentrix mundi,dæmonum fuga,peccatorum ſpes,Dei & hominum veriſſima Mediatrix.* *B.Laur.Iuſtin.*

S.Antoninus 4.par.tit.15.cap.44.§.2.docens B.Virginem omnes ad Deum reducere: *Ipſa ſola*,inquit,*omnes inferiores reduxit tanquam Mediatrix reconciliationis, & adiutrix redemptionis, & Angelorum numerum reſtaurauit, & ſubuenit ruinæ ante conſpectum Domini,vt dicitur in figura de S.Iudith cap.13.& hominem lapſum reuocauit ad ſuperos.* hæc S.Antoninus. *S.Antoninus.* *Iudith 13.*

7 Nos ergo ſi Virginem apud Chriſtum nobis adeſſe velimus, nobis illam Aduocatam vnam ex omnibus maximè deligamus:is enim Aduocatus eſt deligendus, qui auctoritate apud Principem valeat, ſitq; illi gratus, ac velit cauſam rei tueri: talis eſt Deipara mater ſummi Iudicis propter ſuum inſigne meritum,& propenſiſſimam erga nos voluntatem; præſertim quia ex ſua pietate quando hoc Aduocatæ nomine compellatur ad opem nobis ferendam maximè commouetur.Quod in reuelationibus B.Gertrudis lib.4. cap.53.apertè perſpicitur, quæ cum in feſto Natiuitatis B.Virginis ad Completorium cantaretur Salue Regina,inter alia hæc vidiſſe narratur his verbis: *Cumq; Gertrudis per verba illa,Eia ergo Aduocata noſtra,benigniſſimam matrem in ſuum auxilium inuocaret, videbatur ipſa mater inclyta velut funibus quibuſdam validis tracta inclinari ad eam, per quod intellexit, quòd quoties aliquis ipſam ſuam Aduocatam cum deuotione nominando inuocat,per hoc nomen materna pietas eius in tantum commouetur,quod nullatenus ſe valet cohibere,quin benignè precibus illius acclinetur. In illo verbo (illos tuos miſericordes oculos) beatiſſima Virgo mentum filij blandè tangens ipſum verſus terram inclinauit ad nos,dicens,iſti ſunt miſericordioſiſſimi oculi mei,quos ad omnes me inuocantes ſalubriter poſſum inclinare, vnde & vberrimum fructum conſequuntur ſalutis æternæ. Hinc à Domino hanc percepit eruditionem B.Gertrudis,vt ad minus quotidie matrem ſuam beatiſſimam per iſta duo verba ſcilicet,Eia ergo Aduocata noſtra,& illos tuos miſericordes oculos, inuocaret; certa quod per hoc in hora ſua nouiſſima non mediocre ſolatium obtineret.* hæc ex reuelationibus B.Gertrudis. *Viſio B. Gertrudis.* *Salue Regina.*

DEIPARAE PATROCINIVM APVD Chriſtum eſſe efficaciſſimum.

8 QVòd autem ſpectat ad ſecundum,Virginis ſcilicet apud Chriſtum interceſſionem eſſe efficaciſſimam,de hoc eleganter S.Bernardus ſermone 1. de Aſſumptione: *Aſcendens*,inquit,*in altum Virgo beata,dedit ipſa quoque dona hominibus: Quidni daret? ſiquidem nec facultas ei deeſſe poterat,nec voluntas; Regina cœlorum eſt,miſericors eſt,denique Mater eſt vnigeniti filij Dei: nihil enim ſic poteſt poteſtatis eius,ſeu pietatis magnitudinem commendare,niſi fortè aut non creditur Dei filius honorare matrem,aut dubitare quis poteſt omninò in affectum charitatis tranſiſſe Mariæ viſcera,in quibus ipſa,quæ ex Deo eſt,charitas nouem menſibus corporaliter requieuit.* hæc Bernardus. Ex quo recte intelligimus efficacitatem precum Virginis ex maxima eius, qua apud Chriſtum pollet auctoritate, & ex eius propenſa ad beneficia in nos conferenda voluntate proficiſci. & licet efficaci argumento hoc loco id probet S.Bernardus,quia ſcilicet Mater eſt Dei,qui *B.Virginis preces apud Deum efficaciſſimæ.* *Bernardus.* *B.Virgo maxima apud Chriſtum pollet auctoritate.* *Bernardus.*

charitas eſt,& miſericordia: hoc ipſum tamen idem Bernardus ſermone Signum magnũ alio argumento ex munere Mediatricis ſic confirmat: *Iam ſi Eccleſia,* inquit, *lunæ intelligenda videtur vocabulo, quòd videlicet non ex ſe ſplendeat, ſed ab eo, qui dicit, Sine me nihil poteſtis facere: habes Mediatricem euidenter expreſſam: Mulier, inquit, amicta ſole, & luna ſub pedibus eius: Amplectamur Mariæ veſtigia fratres mei, & deuotiſſima ſupplicatione beatis illius pedibus prouoluamur, teneamus eam, nec dimittamus donec benedixerit nobis; potens eſt enim, nempè vellus eſt medium inter rorem & aream, Mulier inter ſolem & lunam, Maria inter Chriſtum & Eccleſiam conſtituta.* ita Bernardus.

Apoc. 12.

Iſa. 49.

Bernardus.

Ex hac porrò viſione, qua Apoc. 12. Deipara amicta ſole apparuit, eius apud filium intercedendi auctoritas indicatur, non ſolùm quia, vt dicebat Bernardus, mediat inter ſolem, & lunam; hoc eſt inter Chriſtum, & Eccleſiam: verùm etiam pulchrè hoc exprimitur ipſa metaphora Veſtis, in quam is, qui ea eſt indutus, peculiare quoddam ius habere videtur: nam eam quocumque locorum pergit ſecum circumgeſtat, & ad ſuum arbitrium attollit, vel inclinat, ſubleuata, vel inclinata ea corporis parte, quæ veſte circumdatur. Quare Iſa. 49. Deus optimus ſermonem dirigens ex (Tertulliano lib. 4. contra Marcionem, & ex Hieronymo, ac Cyrillo in Iſaiam, & Auguſtino lib. 1. de vnit. eccleſ. cap. 7.) ad Eccleſiam hac veſtis metaphora pollicetur ei omnium gentium nationes futuras obſequentiſſimas: *Leua,* inquit, *in circuitu oculos tuos, & vide; omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi: Viuo ego dicit Dominus, quia his omnibus velut ornamento veſtieris, & circundabis tibi eos, quaſi ſponſa;* ac ſi diceret, erunt tibi ornamento, atque obſequentiſſimos eos habebis; non ſecus, ac ornamentum, quo veſtiris: & propterea ad hoc obſequium indicandum infra ſubijcit idem Iſaias loquens cum Eccleſia: *Et erunt Reges nutricij tui, & Reginæ nutrices tuæ, vultu in terram demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent:* ita quoque B. Virgo Chriſto ſole iuſtitiæ amicta, magna apud eum pollet auctoritate, & cum per ſuam miſericordiam ad nos Deipara inclinatur, facilè etiam ſuis precibus filium, quo eſt induta ad nos trahit.

Iſa. 49. Tertullianus. Hieronymus. Cyrillus. Auguſtinus.

Ildefonſus.

Hieronymus.

Beda.

Petr. Dam.

9 Cæterùm de Virginis apud filium auctoritate locupletiſſimi teſtes ſunt Patres, quorum nonnullos afferamus. Ildefonſus ſerm. 8. de Aſſumpt. *Non dubium eſt,* inquit, *illam, quæ meruit pro liberandis ferre pretium, poſſe impartiri ſuffragium liberatis.* & hoc ipſum ijſdem verbis habetur apud Auctorem inter opera Hieronymi tom. 9. Epiſt. 2. de Aſſumpt. & apud Auguſtinum ſerm. 35. de Sanctis.

Beda homilia de S. Maria: *Cùm,* inquit, *diligat orationes ſanctorum Chriſtus, & exaudiat multo magis matrem ſuam exaudit pro peccatoribus orantem.* ſic ille.

Petrus Damianus ſerm. 1. de Natiu. Virg. agens de hac Virginis potentia, & erga nos amore: *Fecit,* inquit, *in te magna qui potens eſt, & data eſt tibi omnes poteſtas, in cœlo, & in terra.* & probat exemplo Theophili (cuius hiſtoriæ cap. 20. meminimus) de ipſis perditionis faucibus Virginis interceſſione reuocati: *Quomodo,* inquit, *illa poteſtas tuæ potentiæ poterit obuiare, quæ de carne tua carnis ſuſcepit originem: Accedis enim ante illud aureum humanæ reconciliationis altare, non ſolum rogans, ſed imperans; Domina, non Ancilla:* quibus verbis efficaciam precum Virginis per metaphoram exagerat: ſicut Ioſue 10. legimus exauditas fuiſſe preces Ioſue cum ſolem ſtare fecit, idq; his verbis exprimitur: *Obediente Deo voci hominis,* quæ Dei dignationem maximam in tanto miraculo ad vocem fidelis ſerui ſui aurem benignam inclinantis oſtendunt. Huc referri poteſt, & illud Methodij in hypapantem: *Quamobrem,* inquit, *ò ſanctiſſima Deipara, quæ reliquis omnibus, & benignior es, & materno honore, ac cum Deo colloquendi libertate glorioſior te obnixè rogamus, vt noſtri iugem, ac perpetuam habere memoriam velis.* ſic ille.

Petr. Dam.

Ioſue 10.

Quomodo intelligatur Virgo non ſolum rogare, ſed imperare.

Methodius.

S. Antoninus.

His conſentit S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 17. §. 4. vbi ponens diſcrimen inter orationem Deiparæ, & aliorum Sanctorum: *Oratio,* inquit, *ſanctorum non innititur alicui rei ex parte ſui, ſed tantum miſericordiæ ex parte Dei; Oratio autem Virginis innititur gratiæ Dei iuri naturali, & iuſtitiæ Euangelij; nam filius non tantum tenetur audire matrem, ſed & obedire, iuxta illud Apoſtoli, Filij obedite parentibus veſtris; quod etiam eſt de iure naturæ.* & mox: *Oratio Deiparæ erat nobiliſsimus modus orandi, tum quia habebat rationem iuſsionis, & imperij; tùm quia impoſsibile erat eam non exaudiri, iuxta illud quod in figura eius dixit Salomon matri ſuæ Berſabeæ 3. Reg. 1. cùm aliquid petere vellet;*

3. Reg. 1.

Pete

Pete,inquit,mater mea,neque enim fas eſt,vt auertam faciem meam. hæc S.Antoninus, quæ omnia eo ſpectant, vt hoc modo loquendi intelligeremus explicari maximam efficacium precum Deiparæ,& Chriſti promptam voluntatem eam exaudiendi.

Et Eccleſia in hymno *Aue maris ſtella*, orat Virginem, vt pro iure ſuo materno efficaciter à Chriſto impetret,quod ipſa petit,ait enim. *Offic. Eccleſ.*

,, *Monſtra te eſſe matrem*,
,, *Sumat per te preces*,
,, *Qui pro nobis natus*
,, *Tulit eſſe tuus*.

Et in Cantico *Salue Regina* fidenter ei dicimus: *Et Ieſum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende*: Si enim Apoſtolus Chriſti ſeruus intrepidè pronunciabat: *Omnia poſſum in eo,qui me confortat*; quantò magis Chriſti genitrix omnia poterit in eo, quem genuit: nam & Gerſon in ſua Ioſephina de efficacia impetrandi S. Ioſeph apud Deiparam, cuius fuit ſponſus,& apud Chriſtum, cuius reputari meruit Pater, cecinit. *Philip.4.* *Gerſon.*

,, *Quanta ò fiducia, quanta eſt*
,, *Vis impetrandi; quia dum vir, dum pater orat*
,, *Vxorem,& Natum,quaſi imperium reputatur*.

Quòd multo magis de Virgine, quæ vera eſt Dei genitrix, efferre potuit Petrus Damianus. qua formula loquendi alij eriam ferè vtuntur,vt colligere licet ex alijs auctoribus,quos mox ſubijciemus. Idem Petrus mox agens de Virginis erga nos amore: *Scio,* inquit,*Domina quia benigniſſima es,& amas nos amore inuincibili, quos in te, & per te filius tuus,& Deus tuus ſumma dilectione dilexit: quis ſcit quoties refrigeras iram Iudicis,cum iuſtitiæ virtus à præſentia Deitatis egreditur: In manibus tuis ſunt theſauri miſerationum Domini,& ſola electa es,cui tanta gratia conceditur*. hæc Damianus. *Petr. Dam.* *B. Virgo amat nos mirificè.*

Ambroſius in fine ſecundæ præparationis ad miſſam,quæ habetur tom.5.vbi multa à Domino pro ſe, & proximis ſuppliciter poſtulaſſet, Deiparæ, & ſanctorum ſuffragia poſcit: *Et vt efficax*,inquit,*hæc mea ſit deprecatio,beatæ Mariæ Virginis ſuffragia peto, quam tanti meriti eſſe feciſti,vt prima inter mulieres nouum munus offerret,& nulla præter ipſam tam nouum acciperet, nouum ſcilicet munus prima offerret, vt puerpera Virgo perſeueraret,nulla præter ipſam tam nouum acciperet,vt Deum virgo pareret,& poſt partum Virgo permaneret.* ſic Ambroſius. *Ambroſius.*

10 Gulielmus Pariſienſis in lib.Rethoricæ diuinæ ad Deiparam ſermonem dirigens: *An falſo*,inquit,*& inaniter vocat te omnis Eccleſia ſanctorum Aduocatam ſuam, & miſerorum refugium? Abſit à matre Dei,quę fontem pietatis toti mundo peperit,vt cuiquam miſerorum ſuæ miſericordiæ ſubuentionem vnquam deneget.* & infra: *Nulla creatura tot,& tanta,& talia impetrare poſſet apud benedictum filium tuum miſeris,quantum tu apud ipſum impetras eiſdem,in quo proculdubio non tanquam Ancillam,quæ indubitanter,ſed tanquam matrem veriſſimam te honorat.* *Gulielm. Pariſ.*

Georgius Nicomedienſis oratione de oblatione Deiparæ in fine, cum multa de laudibus Virginis præclarè dixiſſet, ſubijcit, de eius patrocinio ad eandem in hæc verba: *Per te nos Regnum cœlorum ſperamus aſſecuturos,Te noſtræ ſalutis habemus adiutorem; te noſtri auxilij habemus defenſorem; te proponimus, cuius ore noſtra dicatur excuſatio, te noſtræ fiduciæ circumferimus gloriationem*. & infra: *Da petitioni conuenientem (potes enim) euentum,habes vt mater in filium,quæ recuſari non poteſt, fiduciam; Habes vires inſuperabiles,robur inexpugnabile, ne immenſam tuam clementiam ſuperet multitudo peccatorum: Nihil tuæ reſiſtit potentiæ, nihil repugnat tuis viribus, omnia cedunt tuo iuſſui, omnia tuo obediunt imperio, omnia tuæ poteſtati ſeruiunt: te omnibus ſuis operibus reddit excelſiorem, qui eſt ex te natus*. & infra: *Tuam enim gloriam creator exiſtimat eſſe propriam,& tanquam filius ea exultans,quaſi exoluens debitum,implet petitiones*.hæc Georgius Nicomedienſis. *Georg.Nicom.*

Anſelmus de excell.Virg.cap.12. *Rogamus*,inquit,*te Domina per ipſam gratiam,quæ te pius,& omnipotens Deus ſic exaltauit,& omnia tibi ſecum poſſibilia eſſe donauit,quatenus id apud ipſum nobis impetres,& obtineas*. & infra: *Idem benigniſſimus filius tuus Dominus* *Anſelmus.* *B. Virgo potentiſſima ad impetrandum.*

minus noſter Ieſus Chriſtus erit ad concedendum quicquid voles promptiſſimus, & exaudibilis: tantummodo itaque velis ſalutem noſtram, & verè nequaquam ſalui eſſe non poterimus: certè Deus noſter, teſte Propheta, miſericordia noſtra eſt, & tu eiuſdem Domini noſtri abſque dubio vera mater es. ita Anſelmus.

Pſal. 58.

Bonauentura

Bonauentura in ſpeculo B.Virg.cap.8. *Quia*, inquit, *Dominus potentiſſimus potentiſſimè tecum eſt; ideò & tu es potentiſſima ſecum; potentiſſima es per ipſum, potentiſſima apud ipſum, ita vt verè dicere poſſis illud Eccleſ.24. In Ieruſalem poteſtas mea: nam in Ieruſalem, ideſt Eccleſia triumphante, & militante, poteſtatem habet mater potentiſſima creatoris.* & infra ſuper illud *(Dominus tecum) Dominum ipſum eſſe ſapientiſsimum, opulentiſsimum, & indeficientiſsimum in æternum probat, & inde infert Virginem eſſe ſapientiſſimam, opulentiſsimam, & in æternum non defecturam.* Ita Bonauentura.

Eccleſ. 24.

Luc. 1.

Carthuſianus

Carthuſianus lib.2.de laud.Virg.art.23.eam appellat *ſingulare perditorum refugium, miſerorum ſpem, Aduocatam omnium iniquorum ad ipſam confugientium, & per ipſius preces, & merita apud Chriſtum, Mundi vocat ſaluatricem.*

II Meritò igitur Deipara tanta apud Chriſtum valet auctoritate: cùm enim hominum ſalus in Chriſti ſanguine fuſo, quem ex Virgine ſuſcepit, contineatur, quid filius negare poterit matri oſtendenti pectus, & vbera? & pro quibuſcumque, ſed præſertim pro ſibi peculiari ſtudio deuotis petenti pretium vnius guttæ ſanguinis, quæ infinito valore omnibus peccatorum ſceleribus præponderat. Cuius rei illuſtre exemplum legimus in promptuario diſcipuli in miraculis B.Virg. nu. 50. Quidam enim fuiſſe dicitur ſolo nomine religioſus, ad omnia enim, quę ad religionem ſpectabant, durus, ac negligens: quotidie tamen B. Virgini ſalutationem Angelicam centies offerebat. Is ad extrema deductus, mente exceſſit, ſeq; à dæmonibus Chriſto ſummo iudici præſentari vidit, qui eum ſibi adiudicari petebant, Iudex autem cognitis eius ſceleribus damnandum eum cenſebat: cæterùm affuit Virgo Deipara ſchedulasq; quibus ſingulæ angelicæ ſalutationes, quas ille recitauerat, continebantur, protulit; impetrat à filio illius iudicium iterum agi: at dæmones libros peccatorum à reo admiſſorum afferunt. Poſitis igitur in libra vtriuſque partis tabulis, flagitia lancem ſuo pondere deprimebant: id Virgo conſpicata, ſupplex filium orat, vt memor ex eius virgineo vtero corpus ſuum aſſumptum, vnam ſanguinis guttam pro peccatoribus in paſſione fuſam ſibi dare velit: & ille, impoſſibile eſt, inquit, aliquid tibi denegari, ſimulq; teſtatur vnicam ſui ſanguinis guttam omnibus totius mundi peccatis præualere. Quare addita ad lancem ſalutationum angelicarum prętioſiſſimi ſanguinis ſtilla, illius rei peccatis quaſi leuiſſimæ fauillæ præponderauit: confuſi dæmones abſceſſere à Virgine ſe victos fatentes: ille porrò ad ſe rediens conualuit, Virginis clementiam prædicauit, vitamq; deinceps religioſo homine dignam inſtituit.

Exemplum. Maria deuotum ſibi religioſum ex inferorum faucibus eripit.

Ex quo rectè colligitur illud ſupra citatum Ildefonſi ſermone 8. de Aſſumpt. *Non eſſe dubium*, inquit, *illam, quæ meruit pro liberandis afferre precium, poſſe impartiri ſuffragia liberatis*: vnius porrò guttæ precium inæſtimabile eleganter ſic cecinit S.Thomas in Rhythmo ad ſanctiſſimam Euchariſtiam.

Ildefonſus.

S. Thomas.

,, *Pie Pellicane Ieſu Domine*
,, *Me immundum munda tuo ſanguine*
,, *Cuius vna ſtilla ſaluum facere*
,, *Totum mundum poſſet omni ſcelere*.

B. Virgo figuratur in mulieribus, quæ efficaciter procurarunt pro aliis.
Iudith 5.
Eſther 7.
Iudith 13.
S. Antoninus
Gen. 27.
Figuratur in Rebecca.
In Berſabea.

Hinc eſt, quod Virgo Deipara in nonnullis mulieribus, quæ efficaciter procurarunt cauſam eorum, quos iuuandos ſuſceperunt, figuratur; & vt omittam Debboram, Iudith, & Eſther, quæ gloriosè de Iudęorum hoſtibus triumpharunt, & typum Deiparæ geſſerunt, vt dixi cap.24. profectò, vt ait S.Antoninus 4.par. tit.15. cap.2. figurata fuit in Rebecca, quæ filium ſuum, qui vocatus eſt Iacob, ſimul etiam Iſrael (quorum vnum idem eſt quod ſupplantator ſcilicet vitiorum, alterum idem, quod videns Deum) docuit, & iuuit Patri Iſaac offerre cum veſtibus odore bono fragrantibus, cibum illi gratum; ſicq; Iacob benedictionem patris obtinuit. Item in Berſabeæ, cuius nomen idem eſt, quod puteus ſeptimus, propter ſeptiformem gratiam aquæ, ideſt donorum Spiritus ſancti, vel propter gratiarum omnium plenitudinem ſeptimi putei numero expreſſam, quæ in Virgine continentur: quæ ſuis precibus obtinuit à Dauid regnum filio ſuo Salomoni

moni 3.Reg.1. & quamuis vulgata legat, Bethſabee, quod latinè ſonat, domum iuramenti: huius tamen nominis etymologia Virgini congruit, quæ eſt domus fœderis Domini. In muliere etiam illa Thecuite ſapiente figuratur, vt ſupra diximus, quę 2 Reg.14. Abſolonem exulem Dauid patri ſuo reconciliauit. In muliere quoque vidua Luc.7. quę ſuis lacrymis vnici filij reſurrectionem à Chriſto impetrauit: quæ omnia facili negotio quiuis Virgini ſanctiſſimæ, cuius apud Deum patrocinio tot bona in nos deriuata ſunt, accommodare poteſt. 3.Reg.1. *In muliere Thecuite.* 2.Reg.14.

12 Anſelmus de excellent.Virg. cap.6. tantam precibus Virginis efficaciam tribuit, vt dicat velociorem nonnunquam eſſe ſalutem memorato nomine Virginis, quàm inuocato nomine Domini Ieſu vnici filij ſui: *Et id non fit*, inquit, *quòd ipſa maior, & potentior eo ſit, nec enim ipſe magnus, & potens eſt per eam; ſed illa per ipſum:* ſed rationem affert: *Quia*, inquit, *filius eius Dominus eſt, & Iudex omnium, diſcernens merita ſingulorum: dum igitur ipſe à quouis ſuo nomine inuocatus non ſtatim exaudit, profectò id iuſtè facit; inuocato autem nomine Matris, & ſi merita inuocantis non merentur vt exaudiatur; merita tamen matris intercedunt vt exaudiatur. Hoc denique vſus humanus quotidie probat cum quis propoſito dominico nomine efficaciter ab alio aliquid impetrat, quod ſimpliciter ſua prece nequaquam impetrare poteſt.* hæc Anſelmus. *Anſelmus. Velocius exaudimur inuocata Virgine, quàm Chriſto.*

Ideò Bernardus ſermone Signum magnum: *Fidelis*, inquit, *& potens mediator Dei, & hominum Chriſtus, ſed diuinam in eo reuerentur homines maieſtatem: Abſorta videtur in Deitatem humanitas, non quod mutata ſit ſubſtantia, ſed affectio deificata: non ſola illi cantatur miſericordia, cantatur pariter & iudicium. Denique Deus noſter ignis conſumens eſt, quidni vereatur peccator accedere, ne quemadmodum fluit cera à facie ignis, ſic pereat ipſe à facie Dei: opus eſt enim mediatore ad mediatorem iſtum, nec alter nobis vtilior quam Maria.* *Bernardus. Fiducialiter ad Virginem accedere poſſumus.* *Deuth.4.*

Germanus orat.de Zona: *Omnia*, inquit, *tua admirabilia ſunt ò Deipara, omnia ingentia, & aliorum vires ſuperantia, propterea & patrocinium tuum maius eſt, quàm intelligentia apprehendi poſsit.* *Germanus.*

Et Hugo de ſancto Victore in ſententijs: *Si pertimeſcis*, inquit, *ſupplicaturus ad Deum accedere, reſpice ad Mariam, non illic inuenis quod timeas, genus tuum vides.* hæc Hugo. *Hugo.*

S.Brigitta in reuelationibus lib.4.cap.74.in quadam viſione dicit: *Sanctos apparuiſſe, & dixiſſe Virgini, ò Domina benedicta, tu portaſti Dominum in te, & tu Domina omnium es: Quid eſt quod non poteris? quod enim tu vis hoc factum eſt.* *S. Brigitta.*

Paratiſſimam autem Chriſti voluntatem, propenſionemq; facillimam ad exaudiendam Matrem confirmare poſſumus ex lib.Eſther, quæ fuit figura Virginis; cui ſemel, atque iterum dixit Aſſuerus: *Quid vis*, inquit, *Eſther Regina, quę eſt petitio tua; etiamſi dimidiam partem regni mei petieris dabitur tibi.* Sanè complacet ſibi Deus in precibus, quas ipſa fundit; quare Cantic.2. *Sonet*, inquit, *vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis.* *Chriſtus promptiſſimè exaudit matrem.* *Eſther 5. & 7.* *Cant. 2.*

13 Beata Mater Tereſia, mulier noſtra tempeſtate inſignis ſanctitatis, Carmelitarum diſcalceatorum Fundatrix, dicere ſolebat, Chriſtum in Cœlis facile exaudire ſancti Ioſeph preces, quod ipſa ſuo experimento didicerat, quoniam in terris illi ſubditus fuerat: quanto magis Virginem Matrem exaudiet, à qua tot obſequia tùm in ſua infantia, tùm etiam toto vitæ ſuæ tempore accepit, & cui in terris Luc.2. ſubditus eſſe voluit: *Nec tãtum*, inquit Bernardus homil.1. ſuper miſſus eſt, *ſubditus erat Mariæ, ſed etiam Ioſeph propter Mariam.* Et eam quidem honorat in Cœlis cum ad dexteram collocauit: honorat in terris quoniam pietatem erga Matrem in omnium chriſtianorum animis ita Chriſtus impreſſit, & innumerabilia per illam miracula vbiq; terrarum operatur, vt omnes ad illam accurant: ideoq; templa in eius honorem in omnibus locis excitari voluit, & vix eſt templum Chriſto, vel alijs ſanctis dicatum, in quo non ſacellum aliquod Virgini propriè attributum ſit, vt capite ſuperiori diximus. *B. Mater Thereſia.* *Chriſtus matrem præ cæteris honorat multiplicitèr. Luc.2. Bernardus.*

Et quemadmodum de Mardocheo per os Aman inimici proclamari voluit Aſſuerus: *Sic honorabitur quemcunque voluerit Rex honorare:* ita & ipſi dæmones Dei, ac Deiparæ noſtes ſæpe in obſeſſorum corporibus hoc idem de Deipara in eiuſdem honorem, *Eſther 6.*

vel

vel inuiti fateri coguntur, quod ex pluribus miraculis teſtatum habemus.

Bernardus.

Quare Bernardus ſermone de Aquæductu: *Cœleſti*, inquit, *rore aream rigaturus, totum vellus prius infudit; redempturus humanum genus, pretium vniuerſum prius contulit in Mariam.* & mox: *Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia ſic eſt voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam.* Meritò S. Antoninus 3. par. tit. 32. cap. 4. Deiparæ accommodat illud pſal. 47. *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui*, ideſt Virginis, quæ (vt dixi cap. 5.) templum Dei dicitur. & illud pſal. 17. *Exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam:* quibus verbis oſtenditur fructus precum, quas per Virginem Deus exaudire dignatur. quod etiam ex 3. Reg. 8. confirmare poſſumus, vbi pro cunctis neceſſitatibus, quas Salomon ibi pluribus ſingillatim enumerat, orauit vt Iudæi exaudirentur cum in templo preces funderent: quòd ſi captiui abducerentur, vt orationes ſuas, ſaltem verſus templum dirigentes miſericordiam inuenirent, quod feciſſe ſcribitur Daniel cap. 6. Imò, quod ad rem noſtram magis facere videtur, facta hac petitione à Salomone apparens ei Dominus nocte, inter alia hæc ei dixiſſe ſcribitur 2. Paralip. 7. *Oculi quoque mei*, inquit, *erunt aperti, & aures meæ intentæ ad orationem eius, qui in loco iſto orauerit; elegi enim, & ſanctificaui locum iſtum, vt ſit nomen meum ibi in ſempiternum, & permaneant oculi, & cor meum ibi cunctis diebus.* Ita per Virginem, & in Virgine tanquam in templo noſtras neceſſitates, noſtrasq; preces ad Deum fundamus, vt Deus per Virginis interceſſionem, tanquam ex ſolio ſuo, nos exaudiat. Atque hinc vſu receptum eſt, vt orationi Dominicæ cum eam recitamus, ſalutatio angelica frequentiſſimè ſubnecti ſoleat, quod ab Eccleſia initio horarum diuini officij, & ab alijs priuatim factitari cernimus, vt in hac ſalutatione effuſiſſimum erga nos Incarnationis Dominicæ beneficium grata memoria recolentes, Chriſtus Deiparæ filius per ſanctiſſimæ genitricis preces, quam in extrema ſalutationis parte inuocamus, exoratus, ea quæ in oratione Dominica petuntur, largiatur. pari etiam ratione officium diuinum, quod ab Eccleſiaſticis recitatur Antiphona aliqua flexis genibus (Dominicis, & tempore paſchali exceptis) ad Deiparæ auxilium implorandum reuerenter terminatur, ſiuè ea ſit Salue Regina, ſiuè alia pro temporis diuerſitate, vt tantæ apud Chriſtum Mediatricis clauſula, quę in officio eccleſiaſtico petimus efficaciter conſequamur.

Virgo aſſimilatur Templo, in quo preces exaudiuntur.

S. Antoninus.

Pſal. 47.

Pſal. 17.

3. Reg. 8.

Daniel 6.

2. Paralip. 7.

Cur ſalutatio angelica orationi Dominicæ ſubnecti ſoleat.

B. Virgo non tantùm poteſt, ſed etiam vult nos iuuare.

Cant. 2.

14 Et ſanè Virgo propter inſignem eius ad Deum dilectionem, qua ita abundè donata fuit, vt Cant. 2. introductam ſe dicat in cellaria Regis, & ordinatam in ſe charitatem; ideò veluti beneuolentiſſima mater vniuerſum humanum genus inſigni charitate ſemper complexa eſt. Et quia eorum neceſſitates, ac miſerias probè nouerat dum adhuc eſſet in terris, ad eas ſubleuandas ſua miſericordia mirificè mouebatur; ideò ſemper iam tunc pro humano genere ardentiſſimas ad Deum preces fundebat.

Richardus. B. Virgo dum eſſet in terris pro multis rogauit ad noſtram vtilitatem.

Luc. 1.

Quare Richardus cap. 26. ſuper Cant. *Talis*, inquit, *fuit in virtutibus, tantaq; fuit eius charitas, vt non ſolùm ad Iudæos, ſed ad omnes homines dilatata fuerit: pro his indeſinenter orauit, pro his ſollicita fuit, pro his orando exaudita fuit, dicente ad eam Angelo Gabriele, Inueniſti gratiam apud Deum, ſcilicet quem quærebas: omnium ſalutem deſiderauit, quæſiuit, & obtinuit.* ita Richardus. Deinde pro acceleratione Incarnationis orabant Patres antiqui; ſed Virginis preces circa hanc accelerationem ex ardentiori affectu, & charitate efficaciores fuerunt.

S. Bernard.

Gen. 45.

Pſal. 56.

Quocirca S. Bernardinus Senenſis tom. 2. ſentent. 51. art. 1. cap. 3. preces Virginis dicit fuiſſe Conum deſideriorũ antiquorum Patrum. Similiter in Chriſti reſurrectione ipſa tanquam Leæna excitare precibus ſatagebat catulum leonis de tribù Iuda illis vocibus: *Exurge gloria mea, exurge pſalterium, & cithara; exurgam* (reſpondit) *diluculo*; & in aduentu Spiritus ſancti, orantibus Apoſtolis preces etiam Virginis ardentiores, & efficaciores fuerunt. Poſtquam verò in cęlum aſſumpta eſt eximia charitate flagrãs, ad nos in hac lacrymarum valle gementes oculos ſuos miſericordes conuertere, & pro nobis obnixè orare non dedignatur. Nam ſi Bernardus ſermone in vigilia ſanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli agens de Sanctis ait: *Si dum*, inquit, *hic viueret Sanctus miſertus eſt peccatoribus, & orauit pro eis; nunc tanto amplius, quanto verius agnoſcit miſerias noſtras, orat pro nobis Patrem, quia beata illa patria charitatem eius non immutauit, ſed augmen-*

Bernardus. Sancti in cęlo magis orãt quã dum eſſent in terris: quãto magis nunc B. Vir-

tauit:

tauit: neque enim quia impassibilis omninò, ideo & incompassibilis factus est, sed nunc potius induit sibi viscera misericordiæ, cum ante fontem misericordiæ existit. Si hæc inquam Bernardus de quolibet Sanctorum, qui regnat in cœlis, quanto magis de Virgine sanctissima id existimare debemus, quæ cum Mater sit, & Aduocata omnium, si in terris tanto ardore salutem omnium desiderauit, & procurauit, quid facturam putamus in cœlis? nec enim filijs suis deerit; nec solùm iustos, verùm etiam peccatores, & magnis sceleribus constrictos eximia sua charitate fouet, atque complectitur. Id quod confirmatur ex visione quadam B. Gertrudis in lib. 4. suarum reuelationum cap. 49. quæ sic habet: *Post hæc,* inquit, *videbantur B. Gertrudis quasi sub pallium intemeratæ Virginis accurrere quædam diuersi generis bestiolæ, per quas notabantur omnes peccatores ad ipsam specialem deuotionem habentes; quas omnes Mater misericordiæ benignè suscipiens, & quasi pallio suo protegens delicata manu sua singulas contrectando, deliniendo, ipsis amicabiliter blandiebatur, quemadmodum quis blandiri solet catulo suo: per hoc manifestè insinuans quàm misericorditer suscipit omnes se inuocantes, & quàm materna pietate defendat, ac protegat homines adhuc peccatis deditos in se sperantes, donec eos filio suo reconciliet veraciter pœnitentes.* hæc ibi. Certè in psal. 86. qui incipit: *Fundamenta eius in montibus sanctis,* & Virgini accommodatur, ex persona Virginis dicitur: *Memor ero Raab, & Babylonis scientium me;* ideſt per deuotionem me agnoscentium: *Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Aethiopum, hi fuerunt illic:* quasi dicat; etiam ij, qui longè à salute videbantur peccatores confusi (id enim sonat Babylon) & denigrati, vt Aethiopes, in Virgine, si eam per deuotionem ad ipsam agnoscant, tanquam in ciuitate amplissima perfugium inueniunt, & per eam Deo reconciliantur. Quare Ecclesia ex eodem psalmo illud Deiparæ dicit: *Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te sancta Dei genitrix:* & sicuti enim ex psal. 33. *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum:* ita oculi B. Virginis super peccatores, & audit eorum preces, vt per eam ad Dominum conuertantur. quare Ecclesia ad eam, *succurre cadenti, surgere qui curat populo:* neque id mirum est, cum ipsa dicatur Cant. 6. *Pulchra vt luna,* quæ præest nocti, quoniam peccatoribus in nocte scelerum degentibus lucem præfert, & tenebrarum caliginem radijs sui fauoris, & clementiæ discutit, atque depellit.

go orat pro nobis in Cælo.

Ex visione B. Gertrudis quomodo Virgo peccatores benigne excipiat.

Psal 86.

Psal. 86.

Cant. 6.

At roget quispiam, si Deiparæ aduocatæ nostræ patrocinium est adeò efficax, quid causæ sit, quod tot calamitatibus, & priuatis, & publicis iactemur. Respondeo nonnullos quemadmodum cap. 16. ostendimus, peccatis peccata cumulantes: *Thesaurizare sibi iram in die iræ, & iusti iudicij Dei,* ac proinde suis sceleribus indignos se Deiparæ patrocinio reddere, & fructum impedire, quem ex Deiparæ precibus consecuturi fuissent: nam & sanguinis Christi, ac meritorum eiusdem, quæ infiniti valoris sunt, efficaciam aliqui minimè consequuntur propter sua scelera.

Cur interdum priuemur fructu precum Deiparæ.

Addit Suarez tom. 2. in 3. par. disput. 23. sect. 2. B. Virginem in hac precum efficacia, non solùm sanctos singulos, sed omnem etiam cœlestem curiam superare: *Itaque* (inquit ipse) *si cogitatione fingamus B. Virginem aliquid postulare, totamq; cœlestem curiam illi resistere (sicut apud Danielem vnus Angelus alteri resistebat) potentior esset, maiorisq; efficaciæ, & valoris apud Deum Virginis, quàm reliquorum omnium Sanctorum oratio, quod dignitati Matris est maximè consentaneum, & perfectissimæ gratiæ, & charitati B. Virginis quodammodo debitum, & ideò Ecclesia, & frequentius, & altiori quodam modo orat ad Virginem quàm ad reliquos Sanctos.* hæc Suarez. quod auctoritate Patrum confirmat, quorum complures supra citauimus.

Suarez.

B. Virginis intercessio efficacior quàm sit oratio totius reliquæ curiæ cœlestis.

Dan. 10.

Offic. Eccl.

15 Et vt intelligamus Virginis intercessionem digniorem, & præstantiorem esse, quàm sint aliorum Sanctorum orationes, Suarius loco citato sect. 3. ex eo probat: *Quia inter Sanctos non solemus vti vno tanquam intercessore ad alium, cum omnes sint eiusdem ordinis: ad Virginem autem tanquam ad Dominam, ac Reginam alij Sancti adhibentur intercessores, & ita salutationem angelicam alijs sanctis recitamus, vt eam pro nobis Virgini repræsentent.* ita Suarez. Quod confirmari potest ex reuelationibus S. Brigittæ lib. 4. cap. 103. vbi S. Dionysius visus est loqui ad Virginem sic: *Regina,* inquit, *misericordiæ, tu es cui data est omnis misericordia, & mater Dei facta es propter miserorum salutem, miserere igitur Regno Franciæ tuo, & meo: tuo quidem, quia habitatores eius pro modulo suo te honoro-*

Virginis oratio præstantior, quàm reliquorum sanctorum. Suarius.

Alij sancti vocant Virginem.

S. Brigitta. S. Dionysius orat Virginem, vt intercedat pro Regno Galliæ.

honorant;meo autem,quia patronus eorum ſum,& in me habent fiduciam;Tu vides quantæ animæ periclitantur omni hora,&c. & cap.104.B.Virgo cum S.Dionyſio,& alijs Sanctis Chriſtum Dominum pro eodem Franciæ Regno interpellat.

Exemplum. S. Meinulphus per Deiparam vitæ reſtituitur,mox moriturus.

S.Meinulphus Eccleſiæ Padebornenſis in Germania Diaconus, cum tempore Ludouici filij Caroli Magni ſanctimonialium cœnobium ex paternis bonis fundaſſet, iamq; obijſſet,à Deo per Deiparam ipſemet impetrauit, vt vitæ reſtitueretur: & quædam Epiſcopo ſuo nomine intimanda pronuntiaret. Sic enim in eius vita apud Surium die 5. Octobris legimus:Meinulphus plenus virtutibus,& iam maturus æui tertio nonas Octobris migrauit ad Dominum. Accidit tùm res admiratione digna: nam cum corpus eius exanime in feretro iaceret,reuixit; ſeq; erigens,apertis oculis ad circũſtantes ait:Quandoquidem ego vobis præſentibus vita functus, rurſus vitæ reſtituor, vos gratias agatis Deo,quorum ſalutis cauſa id fit,& ego,vt id fieret apud Dei genitricem, & virginem perpetuam,impetraui. Nec mihi facilè videtur denuò oppetere mortem,tametſi non ita acerbam,vt fuit nuperrimè: vos autem ite quæſo ad Epiſcopum,& quot ſudoribus mihi conſtiterit huius cœnobij ſtructura,ei indicantes,petite ab illo,vt quæcunque huius loci fuerit electa Abbatiſſa,etiam ſi ancilla ſit,non id interdicat:ſimulq; dicite ei,me corpore exutum didiciſſe,quid de illis fieri oporteat,qui Paſtores Eccleſiarum eſſe videntur.His dictis,clauſit oculos,ſeq; reclinans in feretrum, eo in loco compoſuit vnde prius ſe erexerat. hæc ibi.

Exemplum. Promp.exempl. S. Petrus Apoſt. cuiuſdam libertionem ab æterna morte obtinetur.

Pſal. 8.

In promptuario exemplorum diſcipuli de miraculis B. Virginis exempl. 58. ſanctus Petrus Apoſtolus cuiuſdam Religioſi ſalutem à Chriſto per Virginem impetrat. Cùm enim in quodam eiuſdem S.Petri Monaſterio Religioſus quidam malè vixiſſet,& ex hac luce abſque ſacramentis migraſſet,eiusq; anima à dæmonibus ad infcrna raperetur:ſanctus Petrus pro anima fratris,qui ex ſuo monaſterio fuerat,Chriſtum precatur,cui Chriſtus reſpondit,Cœli regnum patere iuxta Pſalmiſtam ei: *Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam,* quod in hoc religioſo maculis inquinato,quiq; non operatus erat iuſtitiam,minimè inueniebatur. Quare S.Petrus Virginem orat, vt ſecum pro illa anima intercedere dignaretur; At Virgo pijſſima ſanctis virginibus comitata Chriſtum pro anima illa interpellat,ad cuius preces indulget Chriſtus,vt anima corpori reſtituatur, ſicq; de malis ante actis, pœnitentia peracta, ſalutem conſequatur. quod vbi per Virginem Apoſtolo Petro innotuit, illicò magna claue,quam geſtabat,dæmones fugat, animamq; illam duobus Angelis ad corpus reducendam tradit; ille verò ad vitam reuocatus, ſe à dæmonum poteſtate ereptum B.Virginis ac S. Petri precibus apertè teſtatur.

S. Cæſarius martyr per Virginẽ veniam, cuidã peccatori impetrat.

Exemplum. Surius tom. 6.

Sanctus quoque martyr Cæſarius cuiuſdam peccatoris ſalutem beatiſſimæ Virginis præcipuè precibus à Chriſto exorauit. quod S.Anno Archiepiſcopus Colonienſis anno 1070.in ſermone ad populum ſuum,cum ex vrbe eiuſdem ſancti Cæſarij brachium detuliſſet,narrauit,vt videre eſt in vita eiuſdem S.Annonis lib. 1. cap. 35. apud Surium tom. 6. Res autem his ferè verbis geſta refertur; Andreas quidam Romæ voluptatibus deditus,nihil chriſtianæ religionis habere videbatur,niſi quod B.Cæſario deuotus, Eccleſiam eius cum cereis frequentare ſolebat. cumq; fero ſui pœnitens obijſſet, nocte media in feretro reſidens,cunctis mirantibus retulit ſe ad pauendum Chriſti tribunal eſſe deductum: vnde flens à teterrimis dæmonibus ſibiq; inſultantibus, ad æternæ damnationis loca abſque miſericordia trahebatur: Sanctum verò Cæſarium eius calamitatibus piè cõmotum cum fauore ſanctæ Dei Genitricis,ſanctorumq; Apoſtolorum,& martyrum ante Chriſtum procidiſſe,& pro eo enixè precatum: ſancto igitur Cæſario coram Domino iacente, pijſſima Dei Genitrix cum reliquis ſanctis ſe adiungens filium, & Dominum ſuum ad voluntatem martyris flexit,ſicq; Andreas à dæmonibus ereptus,veniam eſt conſecutus.

Pſal. 44.

16 Et certè *vultum eius,* pſal.44 *deprecantur omnes diuites plebis,* ideſt etiam ſancti inſignes, vt ſequenti capite dicemus. Adhæc, vt rectè animaduertit Idiota in libro de contemplatione Mariæ in prologo: *Cæteri,* inquit, *Sancti iure quodam patrocinij pro ſibi ſpecialiter commiſsis plus poſſunt prodeſſe in Curia Altiſsimi,quam pro alienis: Beatiſsima verò Virgo Maria ſicut eſt omnium Regina,ſic & omnium patrona,& Aduocata, & cura illi eſt de omnibus.* ſic Idiota. Adde ſanctos eſſe veluti ſtellas; ſtella autem differt à ſtel-

Idiota.

B.Virgo eſt vniuerſalis omniũ Aduocata.

la

la magnitudine,claritate,& influxu: ita Sancti inter ſe differunt merito,præmio, & efficacia,quidam n.Sancti alijs in gloria præcellunt,hoc.n.exemplo ſtellarum ad oſtendendam ſanctorum in meritis diuerſitatem,vtitur Apoſtolus 1.Cor.15.At B.Virgo non tãtum eſt *Stella maris*.vt cap.18.dixi:verùm etiam eſt *electa vt ſol*,meritorum magnitudine,& ſplendore,atque ſuæ interceſſionis influxu longo interuallo alijs Sanctis præſtans, ita vt nemo ſit,*qui ſe abſcondat à calore eius:* & ſicuti ſol in his omnibus incomparabiliter cunctis præeminet aſtris, ita Virgo glorioſa reliquos ſanctos antecellit. Quòd ſi ſolẽ ea ratione accipere velimus,non tantum,vt in ſe maximè ſplendet, & in hæc inferiora vniuersè influit (quod Virgini meritò accõmodauimus) verùm etiam vt reliquis aſtris lumen impertitur,dicimus quidem ChriſtumDominum eſſe Solem iuſtitię,de cuius plenitudine omnes Sancti ſplendorem ſuum conſequuntur:Deiparam verò ſiuè eam maris Stellam in ſupremo poli vertice locatam,ſiuè pulchram vt Lunam dixeris, in hoc etiam longè alijs Sanctis præcellere:neque.n.tantum ab hoc ſole, vt reliqui Sãcti,illuminatur; verùm etiam ipſo ſole eſt amicta Apoc.12.quare effectus Solis iuſtitię in hæc inferiora, in eos ſcilicet,qui in hac valle lacrymarum verſantur,ſuis meritis,& precibus vniuerſaliter præ alijs Sanctis deriuat.

1.Cor.15. Cant.6. *B. Virgo tanquã ſol præcellit ſanctis.* Apoc.12.

Certè ex vſu ipſo fidelium,& indicat S.Auguſtinus epiſt.137.quoſdã Sanctos ad hęc, vel illa beneficia obtinenda habemus patronos, exempli cauſa pro dentibus S.Apolloniam;pro oculis S.Luciam;pro gutture S.Blaſium:ita etiam ex Sanctis,quidam in vna ciuitate,alius in alia peculiariter patrocinium ſuum demõſtrant:Sanctus.n.Ianuarius patronus eſt Vrbis Neapolitanæ. S.Felix, & S.Paulinus Nolanæ. S.Agatha Catanenſis. S. Lucia Syracuſanæ. Artifices quoque, & aliquod munus exercentes ſuos etiam habent patronos,vt Aduocati S.Iuonem.Sutores calceorum,SS.Criſpinum,&Criſpinianum Romanos genere nobiles,ſed martyrio nobiliores. Sarcinatores veſtium.S.Homobonum Cremonenſem. Alij etiam Sancti quodam tempore pluribus coruſcant miraculis quàm alijs temporibus.At Virgo ſanctiſſima,quia in omnibus magis valet, quàm alij Sancti,in omnibus neceſſitatibus,locis,rebus,ac temporibus vniuerſalis eſt omnium Aduocata. quod Idiota in contempl.Virg.cap.2.eleganter expreſſit his verbis: *Cateri Sancti iure quodam patrocinij pro ſibi ſpecialiter cõmiſſis plus poſſunt prodeſſe in curia altiſſimi, quam pro alienis:Beatiſſima vero Virgo Maria ſicut eſt omnium Regina,ſic omnium Patrona, & Aduocata;& cura eſt illi de omnibus.* ſic ille. *Auguſtinus.*

Hinc eſt, quòd Eccleſia præſtãtioribus titulis illam inuocat;vocatur.n. *Vita,Dulcedo, & Spes noſtra,Refugium noſtrum,Portus naufragantium,Miſerorum ſolatiũ*,& ſimilia: & illam ſępè in officio orat,nec ſolum quotidie per ſignum ad ſalutationem angelicam tribus diei temporibus repetitã,ſed in officio etiam, miſſa, & alijs precibus id facit crebrò, & magno cum affectu,plurima templa,ac baſilicas in eius honorẽ erigit,vt cap.ſuperiori vberius ſcripſimus;diem ſabbati,& plures dies feſtos,nõnullos etiam cum octaua,vt eodem cap.fusè diximus,illi dicauit; quoniam Virginis interceſſionem prę alijs ſanctis ſibi in primis vtilem,ac neceſſariam exiſtimat.quare Rupertus lib.7.in Cant.*O beata*,inquit, *Maria Mons montium,Virgo virginum,Sancta ſanctorum,ad omnes quidem cõuertimur, ſed ad te præcipuè præ cæteris oculos noſtros leuamus,tuum præ omnibus auxilium ſuſpiramus.Tolle*,inquit Bern.ſerm.de Aquæd.*corpus ſolare,vbi dies?Tolle Mariam hanc maris magni,& ſpatioſi ſtellam,quid niſi caligo inuoluens,& vmbra mortis,ac denſiſſimę tenebrę relinquuntur.* Ipſa mundi neceſſitatibus viſa eſt pro mundo orare, vt dixi c.16. & c.20. eosq; qui religiones inſtituerunt miſit,SS.Dominicum,& Franciſcum,& noſtrũ B.Ignatium de Loyola,& alios,vt ibi ex S.Antonino,Cæſario, & alijs retulimus. *Eccleſia peculiariter,& crebrius, ac præſtantiſſimo modo Deiparam inuocat.* *Rupertus.* *Bernardus.* *S.Antoninus.* *Cæſarius.*

17 Quòd ſi ſancti in cęlo noſtras orationes Deo repreſentant,dum eas à Deo exaudiri petunt,vt dicit S.Thom.in 4.diſt.45.q.3.art.2.ad 4.ex doctr.Auguſtini epiſt.120. Itẽ ſi Angeli orationes noſtras Deo deferunt, ipſum pro nobis orantes, vt habet idem S. Thom.in 2.diſt.11.q.1.art.1.ad 3.ex c.10.actuum,ſi viginti quatuor ſeniores Apoc.4. phialas habent aureas plenas odoramentorum,quæ ſunt orationes Sanctorum; & Septẽ principes Angelorum Tob. 12. noſtras orationes Deo offerunt, quod etiam plenius ex textu græco,& Patribus probaui in 1.lib.de ſeptem Angelorum principibus c.7. Quidni B.Virgo maiori charitate flagrans,& maiori poteſtate pollens, noſtras neceſſitates, & *B. Virgo noſtras preces Deo offert & illas iuuat.* *S. Thomas.* *Auguſtinus.* *Apoc.4.* *Tob.12.*

preces Deo offerat, & vt maiorem illis efficaciam conferat etiam ſuas adiungat,atq; ita munere vniuerſalis Aduocatę non tantum generatim,ſed ēt nominatim pro nobis intercedat. quo argumento vtitur Beda in ſerm.de B.Virgine, cuius verba ſupra attulimus.

Beda.

Per Virginem Deo preces offeramus.

Nos igitur, vt quæ fideliter petimus efficaciter conſequamur, per Virginem noſtras Chriſto offerre orationes ſtudeamus: vt.n ſapienter monet Bernardus ſerm.de Aquæd. *Quicquid*,inquit,*illud eſt,quod offerre Deo paras,Mariæ commendare memēto, vt eodem alueo ad largitorem gratiæ gratia redeat,quo influxit:neque.n.impotens erat Deus,& ſine hoc aquæductu infundere gratiam, prout vellet; ſed tibi vehiculum voluit prouidere: fortè enim manus tuæ,aut ſanguine plenæ,aut infectæ muneribus,quòd non eas ab omni munere excuſſiſti,ideoq; modicum illud,quod offerre deſideras, gratioſiſſimis illis omni acceptione dignißimis Mariæ manibus offerendum tradere cura, ſi non vis ſuſtinere repulſam.* Idem hom.2.ſuper miſſus eſt:*Ne auertas*,inquit, *oculos à fulgore huius ſyderis, ſi non vis obrui procellis;ſi inſurgant venti tentationum;ſi incurras ſcopulos tribulationum,reſpice ſtellam, voca Mariam.*& infra:*Ipſam ſequens non deuias;ipſam rogans non deſperas;ipſam cogitās non erras;ipſam tenens non corruis;ipſa protegente non metuis;ipſa duce non fatigaris;ipſa propitia peruenis.*Idem ſerm.2.de Adu.eam vocat viā, per quam Saluator venit ad nos, vt nos ad ipſum per eam aſcendere ſtudeamus:*Vt per te*,inquit,*nos ſuſcipiat,qui per te datus eſt nobis.*hæc Bernardus.Ideò ab Ephræm,& Georgio Nicom.ſup.cit. Deipara appellatur *Thuribulum aureum*,vt per ipſam noſtrarum orationum incenſa ad Deum optimum offeramus.Germanus orat.de Zona ad Deip.*Nemo*,inquit,*eſt, cui donum concedatur,niſi per te;* Ipſa.n.dicitur Collum,vt dixi cap.16.non ſolum, quia per ipſam à capite Chriſto diſtribuuntur præſtantiſſima dona,vt dixi cap.28.ſed etiam, vt per ipſam noſtra tranſmittamus ad Deum: & quoniam *ipſa eſt porta Orientalis* Ezech 24. vt dixi cap.2. per quam Chriſtus ingreſſus eſt;ad has fores pręſtolemur,vt miſericordiam inueniamus: *Beatus enim vir,qui audit me,& vigilat ad fores meas quotidie :* Deuotio enim Deiparæ,vt dicam cap.34.ſignum eſt prædeſtinationis.

B. Virgo eſt thuribulum aureū. Germanus.

Ezech.24.

Prou. 8.

Ex dictis igitur manifeſtum relinquitur,quare Angelus ſanctorum orationes Deo offerre dicatur ſuper altare aureum,quod eſt ante Dei THRONVM; ſub cuius typo Deipara adumbratur; vt intelligamus Deiparam ad harum precum exauditionem ſua apud Deum interceſſione tanquam omnium Aduocatam plurimum conferre.

E GLORIOSISSIMAE VIRGINIS DEIPARAE IN COElo præſentia magnum beatis,qui eam vident,gaudium accedere.Cap.XXXI.

Apoc. 12.

IDecimum circa Dei thronum cōſideratione dignum eſt illud Apoc.12.de filio illius mulieris amictæ ſole,qui raptus eſt ad Deum,& ad thronum eius;rem totam S.Ioannes narrat in hac verba: *Et ſignum magnum apparuit in cęlo, Mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarū 12.& in vtero habens,& clamabat parturiens,& cruciatur vt pariat:& viſum eſt aliud ſignum in cęlo,& ecce draco magnus rufus,habens capita ſeptem,& cornua decem,& in capitibus eius diademata ſeptē,& cauda eius trahebat tertiā partem ſtellarum cœli,& miſit eos in terram:& draco ſtetit ante mulierem, quæ erat paritura, vt cum peperiſſet, filium eius deuoraret,& peperit filium maſculum, qui recturus erat oēs gētes in virga ferrea,& raptus eſt filius eius ad Deum,& ad THRONVM eius.* hactenus S.Ioannes. qui alia plura,quæ ad hanc viſionem faciunt,perſequitur. Verùm, quia extra noſtrum inſtitutum ſunt,conſultò præterimus;nunc vt qua ratione hoc etiam in loco thronus Dei Virgini aptiſsimè accommodari poſſit, oſtendamus, breuiter nonnulla,quæ ad explicationem eiuſdem viſionis faciunt,præmittamus.

Exponitur viſio mulieris amictæ ſole Apoc.12.

Auctores, qui mulierem ſole, amictam Virginem intelligūt. Epiphanius.

S. Auguſtinus.

Et vero in hac viſione mulierem ſole amictam nonnulli Virginem Deiparā exiſtimarunt:nam Epiphanius hær.78. contra Antidicomarianitas Mariæ virginitatē negantes, Virgini conuenire dicit viſionem huius mulieris,cui datæ ſunt alæ aquilæ, vt fugeret in deſertum,& ſerm.de laud.Deip.agens de ea:*Stupendum*,inquit,*miraculū mulier amicta ſole.* S.Auguſt.lib.4.de ſymb.ad cathec.c.1.hunc locum Apocal.tractans:*Nullus*,inquit, *veſtrum ignorat,mulierē illam virginem Mariam ſignificaſſe,quæ caput noſtrum integrū,*

integrum

integra peperit: quæ etiam ipſa figuram in ſe ſanctæ Eccleſiæ demonſtrauit. hęc Auguſtin. Similiter Carthuſianus lib. 3. de laudib. Virg. art 29. & S. Bernardinus Senenſis tom. 1. conc. 61. art. 2. cap. 1. & tom. 3. ſerm. 1. de nom. glor. Mariæ art. 1. cap. 3. Ambroſius in Apoc. 12. S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 20. initio, & nonnulli alij Interpretes in Apoc. 12. de Virgine id exponunt. Verùm quamuis in ſenſu myſtico pleraq; omnia, quę de muliere illa ibi ſcribuntur in ſanctiſſimam Deiparam, paucis exceptis, conueniant, ita vt ad viuum ibi expreſſa videatur: nihilominus tamen prima io, & hiſtorico, ſeu litterali ſenſu ex omnium ferè Interpretum ſententia, ſancta Eccleſia, præſertim extremis temporibus Antichriſti, vel Antichriſto proximis, per hãc mulierem deſcribitur. ita Methodius apud Andream Cæſarienſem in cap. 1. Apoc. Auguſtinus in pſal. 142. Gregorius lib. 34. moral. cap. 7. Bernardus ſermone Signum magnum, Andreas Cæſarienſis, Ambroſius, Primaſius, Beda, Gloſſa, Haymo, Rupertus, Richardus, Abbas Ioachim, Lyranus, Hugo, Carthuſianus, Cęlius Panno. Ribera, Blaſius Viegas, & alij in hunc locum Apocalypſis. Quorum tamen aliqui etiamſi in ſenſu litterali de Eccleſia locutum fuiſſe S. Ioannem affirment; in ſenſu tamen allegorico virgini quoque huius viſionis ſeriem aptare conantur: & hoc ſibi volebat Epiphanius, Auguſtinus, & alij ſupra citati, & Ambroſius, quod Bernardus ſerm. in hæc verba Apoc. ſignificauit: *Eſto*, inquit, *de præſenti Eccleſia intelligendum, prophetięq viſionis ſeries ipſa demonſtret, ſed id planè non inconuenienter MARIAE videtur attribuendum.* quod piè, & grauiter toto eo ſerm. Bernardus præſtitit.

Carthuſianus.
S. Bernardinus.
Ambroſius.
S. Antoninus.
Auctores, qui mulierem ſole amictam Eccleſiam intelligi volunt.
Methodius.
Andreas Cæſ.
Auguſtinus.
Gregorius.
Bernardus.
Ambroſius.
Primaſius.
Beda.
Gloſſa.
Haymo.
Rupertus.
Richardus.
Bernardus.
Abbas Ioachim
Lyranus.
Hugo.
Carthuſianus.
Celius Panno.
Ribera.
Viegas.
Epiphanius.
Mulier cur ſe ipſa amicta ſole.
Philip. 3.
Auguſtinus.

2 His præmiſſis, communi Interpretum explicationi inhærentes dicimus, S. Eccleſiam extremis temporibus propter magnas perſecutorũ oppugnationes, & propter falſos Doctores, qui fallacibus, & mendacibus prodigijs fidem Chriſti omni conatu conuellere conabuntur, non ſine magna difficultate, & dolore Chriſto filios parituram. Cæterũ hęc mulier apparet in cęlo propter doctrinæ eius puritatem, & ſublimitatem, & propter vitæ ſanctitatem, quæ in præſtantioribus eius membris, quorum *conuerſatio* Philip. 3. *in cœlis eſt* inuenitur. apparet etiam ſole amicta, Chriſto nimirum ſole iuſtitiæ ex Auguſtino loc. cit. *Etenim quicumque in Chriſto baptizati eſtis* Gal. 3. *Chriſtum induiſtis*, ei. n. tanquam veſti adhærent, & eo non ſecus, ac veſte defenduntur, proteguntur, & ornantur, eius virtute bonis operibus fulgẽt. Lunam autem ſub pedibus tenet, quoniam ex Auguſtino loc. cit. mortalitatem creſcentis, & decreſcentis carnis virtute calcat: ſeu quoniam temporalia, & mutationi obnoxia, licet illis ſuſtentetur, vt dixit Gloſſa; ea tamen ex Gregorio loc. cit. ſancta Eccleſia deſpicit, & quaſi pedibus calcat. In capite verò corona ſtellarum 12. redimitur, quoniam 12. Apoſtolorum doctrina, quaſi 12. aſtris in ſui exordio, quod caput dici ſolet, fuit illuſtrata, & eorum protectione, ac precibus etiam nũc decoratur. Diabolus porrò propter verſutias, ferocitatem, & fæuitiam, viresq; nocendi ingentes, meritò Draco magnus ex Auguſtino loc cit. appellatur, & propter cædes cruentas, Rufus: *Erat enim* Io. 8. *homicida ab initio:* Eſt etiam ſepticeps inter alia propter ſeptem vitia capitalia, quibus mordere, & deuorare ſtudet omnes: Decem verò cornua, decem ſunt Reges ipſius temporis, vt ex Dan. cap. 7. colligitur. Draco etiam ſuis artibus tertiam partem ſtellarum cœli, eorum ſcilicet, qui tanta ſanctitate fulgebant, vt ſtellæ dici poſſent, traxit in terram, quia eductos à cęleſti vita, ad voluptuoſam, & terreſtrem deducet per caudã, ideſt in fine temporum, vt ait Ambroſius, vel vt dicit Gregorius lib. 34. moral. cap. 14. *Per Antichriſtum, qui eſt extrema pars draconis diaboli*, cui etiam accommodat illud Iob 40. *De Behemoth ſtringit caudam ſuam quaſi cedrum.*

Luna ſub pedibus.
Gloſſa.
Gregorius.
Auguſtinus.
Draco magnus, & Rufus quare diabolum ſignificet.
Apoc. 12.
Ioan. 8.
Daniel 7.
Ambroſius.
Gregorius.
Iob 40.

Draco porrò iſte partum illius mulieris ſole amictæ expectabat, vt deuoraret eum: at verò mulier in cruciatu propter acerbitatem perſecutionis clamans ex Ambroſio per prædicationem, filium maſculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea, peperit; in tot enim perſecutionibus edet prolem fortitudine, ac animi conſtantia maſculinã, quæ Dei auxilio immanitati perſecutorum reſiſtet, & huic filio communicabitur poteſtas illa regendi gentes in virga ferrea: hoc enim non tantùm ad Chriſtum, vt putat Aretas, de quo hoc prædicitur in pſal. 2. ſed ad electa etiam eius membra referunt Ambroſius, Haymo, & Ansbertus. Nam Apoc. 2. pollicetur Chriſtus ei, qui vicerit, & vſque in finem ſua opera cuſtodierit, daturum ſe poteſtatem ſuper gentes: *Et reget*, inquit, *eas in virga ferrea;* huiuſmodi enim Sancti cum Chriſto in die iudicij: *Iudicabunt* Sap. 3. *na-*

Filius mulieris, quis intelligatur, & quomodo reget gentes in virga ferrea.
Ambroſius.
Pſal. 2.
Aretas.
Pſal. 2.
Ambroſius.
Haymo.
Ansbertus.
Apoc. 2.
Sap. 3.

tiones, dominabuntur populis, eosq; qui Christo non paruerunt, virga ferrea, grauissimo nimirum supplicio mulctandos iudicabunt.

Filius mulieris rapitur ad Deu, & thronum eius quia sub eius protectione est. Carthusianus. Lyranus.

3 Raptus verò dicitur filius huius mulieris ad Deum, & ad Thronum eius; quod quidem dupliciter potest intelligi: primùm, vt dum est in hac vita sub peculiaris protectionis Dei vmbra quiescat, & mente ad Deum erigatur, vt exponit Carthusianus, & cõsentit Lyranus. cum enim tot insidijs dæmonum, & tyrannorum vrgeatur Ecclesia, singulari Dei protectione fideles egebunt, tum vt in persecutionibus immaculatam degant vitam, tum vt coram tyrannis Christum fortiter confiteantur, & pro eo vitam ponant. & propterea hic filius dicitur rapi ad Deum: & additur (*ad thronum Dei*) propter Virginis peculiarem protectionem, cuius patrocinio, & præsentissimis apud Deum precibus à dæmonum truculentia, & alijs tentationibus, atque periculis Dei serui in præsenti vita se tuentur: sicuti enim serpens insidiatur calcaneo mundi, extremis scilicet temporibus, quando Apocal. 12. solutus de carcere maiori conatu contra Ecclesiam insurget: *Sciens quia modicum tempus habet:* Ita hæc benedicta mulier, iuxta illud Genes. 3. maiori studio caput eius conteret, eius impetum frenando, furorem, atque rabiem coercendo, vt cap. 24. dixi. quare meritò etiam ad Dei Thronum, ideſt ad Virginis protectionem filij Ecclesiæ rapi dicuntur. Quòd autem Virgo sanctissima sit Ecclesiæ, eiusq; fidelium Aduocata, superiori capite copiosè diximus. Hic vnum tantum afferam ex S. Bonauentura in Hymno: *Te matrem Dei laudamus*, vt intelligamus quid contra dæmones, quid pro fidelibus Virgo sanctissima efficiat; loquens enim cum Virgine dicit: *Tu superatrix, ac terror dæmonum. & infra: Tu salus te inuocantium, Portus naufragantium, Miserorum solatium, Pereuntium refugium, Tu fortitudo Martyrum, Exemplar Confessorum; Honor, & festiuitas virginum.* hæc Bonauentura. Et in reuelationibus S. Brigittæ sermone angelico cap. 19. Virgo sanctissima *Confortatrix martyrum* appellatur, quorum multi eo tempore pro Christo vitam fortiter ponent. Secundo rapi dicitur filius mulieris sole amictæ ad Deum, & ad Thronum eius per mortem, quæ est interpretatio multorum. Et sanè significatur his verbis Filios Ecclesiæ diuino beneficio propter tentationes multiplices, & varia illius temporis pericula, ne draconis faucibus deglutiantur, ab hac vita breui subtrahendos, & quasi rapiendos ad Deum, & ad Thronum eius. Quod probant, quia ad mortem significandam eadem voce vtitur Sapiens in lib. Sap. cap. 4. *Raptus est*, inquit, *ne malitia immutaret intellectum eius, aut ne fictio decipiat animam illius*. & infra: *Placita erat Deo anima illius, propter hoc properauit educere illum de medio inimicorum*; & in hoc sensu rapiuntur iusti ad Deum, & ad thronum eius.

S. Bonauentura.

S. Brigitta.

Filius mulieris rapi ad Deum dicitur per mortem.

Ribera, & Viegas.

Sap. 4.

Apoc. 3.

4 Et quidem intelligi potest eos rapiendos ad gloriæ thronum; nam Apocal. 3. pollicetur Christus vincentibus confessum in throno suo, videlicet vt secum regnent, sic enim sunt *hæredes Dei, cohæredes autem Christi*, iuxta illud Roman. 8. Et quamuis hęc expositio vera sit; nos tamen cap. 27. Throni Dei nomine Virginem intelligentes exposuimus promitti iustis, vt filij spirituales sint eiusdem Virginis, quæ Christi est mater naturalis: eadem quoque ratione in his verbis, si per Thronum Dei Virginem allegoricè significatam velimus, rectè etiam dicimus, filios Ecclesiæ in tot pro Christo præsuris rapiendos per mortem ad Deum; rapi etiam ad Thronum eius, beatam scilicet Virginẽ, cuius præstantissimam opem toties in hac lacrymarum valle implorarũt, & experti sunt.

Rom. 8.

Apoc. 12.

At quærat quispiam, quamobrem huiusmodi Sancti per mortem in cœlesti gloria non tantum ad Deum optimum, verùm etiam ad Deiparam assumi dicantur? Respondemus eius rei causam esse, quoniam & si Sanctorum beatitudo, quam Theologi essentialem appellant, in Dei clara visione, ac fruitione sit posita: ijdem tamen Beati post sacratissimæ humanitatis Christi contuitum Virginis conspectu, atque præsentia potissimum lætantur, ac gaudent. Quòd tum ratione, tum auctoritate in præsenti capite perspicuum fiet: & vt omittam ea, quæ cap. 17. de vigintiquatuor senioribus, & reliqua beatarum animarum multitudine virgini immortales gratias de suis victorijs agentibus, & quæ capit. 26. de Angelis magna cum voluptate Virgini obsequentibus, diximus; quæ omnia etiam hæc confirmant. Cum Virgo in corpore, & in anima præ omnibus filiabus Ierusalem facta sit, vt canit Ecclesia: *Speciosa in delicijs suis, cuius pulchritudinem sol, & luna mirantur*, vt ait Petrus Damianus sermone de Natiuitate Virginis,

Sancti in coelo magnum gaudium accidentale ex B. Virgine capiunt.

Apoc. 16.

Offic. Eccles. Petr. Dam.

ita

ita vt diuina attributa,præsertim potentiæ,sapientiæ, & bonitatis in nulla pura creatura ita reluceant,sicuti in Virgine,vt cap.15.vberius demonstrauimus.

Hinc enim verba illa Bonauenturæ in speculo cap.7. *Præter assumptam*,inquit,*à verbo naturam,nullum est opus,nulla creatura, in qua tanta diuinæ gloriæ materia reluceat, sicut in Maria:* ijdē Angeli,& Sancti ex virginis visione maximo gaudio perfunduntur. Quare idem in speculo B.Virginis cap.16. *Gloriosum*,inquit, *gloriæ Mariæ priuilegium est,quòd quicquid post Deum pulchrius,quicquid dulcius,quicquid iucundius in gloria est, hoc Maria,hoc in Maria,hoc per Mariam est: Gloriosum omninò gloriæ Mariæ priuilegium est,quod post Deum maior gloria nostra, maius nostrum gaudium de Maria est.* ita S.Bonauentura. Qui in Litanijs B.Virginis his verbis eam inuocat: *Sancta Maria vera salus, & beatitudo.* & in Cantico: *Te matrem Dei laudamus*, ad Virginem: *Tu*,inquit, *Mater omnium Beatorum, gaudium plenum post Deum, omnium supernorum ciuium solatium.* *Bonauentura.*

Andreas Cretensis orat.2.de dormit.ad ipsam Deiparam conuersus: *Tu*,inquit,*es res illa magna venerandæ œconomiæ,quam cupiunt inspicere Angeli.* *Andreas Cret.*

Petrus Damianus sermone de Natiu.Virg.initio: *Felices*,inquit,*Angelici spiritus,qui B. Virginis habent præsentiam, & illi quidem abundantiori rore diuinitatis infusi Genitum, & Genitricem visione mirabili contuentur,Regis & Reginæ gloria cumulati.* Idem sermone de Assumptione agens de Virginis in cœlo Assumptione: *Hæc est*,inquit, *illa dies,quæ cœlorum officinas sublimiori gaudio cumulauit,Annua mundo,Angelis continua, homines Angelis,& Angelos hominibus felici fœdere coniungens.* Idem in sermone de Natiuitate in fine: *Reuertere*,inquit, *Sunamitis, vt intuamur te,quia summa gloria est post Deum te videre, adhærere tibi, & in tuæ protectionis munimine demorari.* ita Petrus Damianus. *Petrus Dam.*

5 Hinc factum est, vt Patres eam epithetis hoc indicantibus vocent.Methodius in hypapantē eam appellat, *Gaudium nostrum ineffabile.* Gregorius Nazianzenus in Tragœdia de Christo patiente, *Gaudium mortalium.* Ephræm orat. de laud. Virg. *Lætitiam Sanctorum, & præclarissimum cœlestis hierarchiæ ornamentum.* Andreas Cretensis in salutatione Angelica,*Lætitiæ instrumentum.* Ildefonsus cap.12.de virginitate:*Præmium gloriæ nostræ magnum,cuius vultum*, psal.44. *deprecantur omnes diuites plebis*, nimirum præcipui Sancti,vt cap. 17. ex Athanasio, & Damasceno diximus. Idem Ildefonsus sermone 2. de Assumptione: *Hæc*, inquit,*festiuitas Assumptionis Virginis præcipua, & venerabilis nobis; sed venerabilior in cœlo est Angelis,& Sanctis omnibus; quorum lætitia, & gaudium proculdubio ex huius adimpletur diei exultatione, quando beata Dei Genitrix clarior sole refulsit in throno claritatis:nam Christus, sicut legimus, in sole posuit tabernaculum suum,de quo tabernaculo ipse,vt ita loquar, processit tanquam sponsus de thalamo suo.* ita Ildefonsus. *Epitheta Virginis, quibus significatur gaudiū, quod ex ea habent Sancti. Methodius. Greg.Nazianz. Ephræm. Andreas Cret. Ildefonsus. Psal. 44. Athanasius. Damascenus. Ildefonsus.*

Anselmus de excellentia Virginis cap.8. *Dies*,inquit,*Assumptionis non solùm te Domina ineffabiliter sublimauit, sed cœlum ipsum, quod penetrasti, necnon cuncta, quæ in ea sunt,noua, & ineffabili gloria decorauit. Noua quidem cœlum gloria decorauit, quia priorem gloriam eius ex præsentia tui, vltra quam dici possit,aut cogitari,magnificauit: nam cum tu Domina illuc ascendis,noua illud, & præcellenti virtutum tuarum dignitate irradias,immensaq; miserationum tuarum,& gratiarum luce perlustras.* & cap. 9. *Aduertat quæ gloria,vel quod gaudium,vel quæ iubilatio erit omnibus illis,qui in Regnum Beatitudinis assumpti cum ipsam Dominam, per quam tanta bona eis prouenere,præ oculis habuerint iuxta Deum,quem de suo vtero virgo filium peperit residentem, & iure materno cœlo,terræq; cum eodem filio suo præsidentem consideremus, qua exultatione exultabunt pro tanta gloria eius,quo honore subleuabuntur in tanta potentia eius.* hæc Anselmus. *Anselmus.*

Sophronius sermone de Assumpt.Virg.vbi multa dixisset de obsequijs Angelorum, quibus B.Virgo ad thronum est deducta,subijcit: *Nulli*, inquit,*dubium omnem illam cœlestem Ierusalem tunc exultasse ineffabili lætitia, tuncq; cum omni gratulatione iubilasse, quoniam festiuitas hæc,quæ nobis hodie reuoluitur annua,illis omnibus facta est continua.* sic ille. *Sophronius.*

Bernardus sermone 1.de Assumptione: *Virgo*, inquit,*hodie glorioſa cœlos ascendens su-* *Bernardus.*

pernorum gaudia ciuium copioſis ſine dubio cumulauit augmentis: hæc eſt enim, cuius ſalutationis vox, & ipſos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viſcera claudunt; quòd ſi Paruuli nec dum nati anima liquefacta eſt, vt Maria locuta eſt: quid putamus, quæ nam illa fuerit cœleſtium exultatio cum & vocem audire, & videre faciem, & beata eius frui præſentia meruerunt? & mox: *Mariæ præſentia totus illuſtratur orbis, adeò, vt & ipſa cœleſtis patria clarius rutilet virgineæ lampadis irradiata fulgore.*

Cæſarius. Cæſarius lib. 7. exemplorum cap. 1. *Sicut*, inquit, *in creaturis vniuerſis matre Creatoris nil eſt ſanctius, nil dignius, nil præcellentius, ita eius viſione nulla ſanctorum viſio dignior, nulla iucundior, nulla eminentior.* ſic ille.

Franc. Mayro. B. Virgo eſt ſtella matutina, quæ Beatis promittitur. Apoc. 2. Franciſcus Mayro Doctor cognomento Illuminatus in ſermone de creatione animæ Virginis, docens Virginem, quę dirigit nos in periculis huius mundi, meritò Stellam maris appellari, ſubiungit hæc verba: *Iſta eſt illa Stella, quæ vnicuique promittitur Apoc. 2. Vincenti (inquit) dabo Stellam matutinam, quia omnes Sancti in patria de plenitudine felicitatis Virginis participant, vt patet.* hæc Mayro. qui etiam eodem loco docet Virginem illuminare inferiores hierarchias omnium Angelorum, & hominum; quod plenius dicemus cap. 33.

Cap. 33.

S Bernardin. S. Bernardinus Senenſis tom. 1. ſerm. 61. art. 3. cap. 3. loquens de Virgine ſuper omnes in gloria euecta: *Vt plus*, inquit, *hæc Virgo beatiſſimæ Trinitatis diligat gloriam, cupiat, ſentiat, & fruatur, quàm omnis alia pura creatura ſimul ſumpta, de cuius gloria poſt filium participant vniuerſi.* & eodem ſermone art. 2. cap. 3. *Tantum*, inquit, *differt gloria Virginis à gloria aliorum Beatorum, quantum ſol à cæteris luminaribus cœli; & quodammodo ſicut cætera lumina irradiantur à ſole, ſic tota cœleſtis curia à glorioſa Virgine lætificatur, & decoratur: vnde Bernardus, Itaq; glorioſa Virgo dum cœlos aſcendit, etiam ſupernorum gaudia ciuium cop ioſis augmentis cumulauit.* ita S. Bernardinus. Nam & ſancta Brigitta in reuelationibus ſuis in ſermone angelico cap. 16. de Virgine adhuc in carne mortali agente loquens: *Deus ipſe*, inquit, *& Angeli ex B. Virginis virtuoſa conſtantia iucundabantur in cœlo, & etiam in mundo homines lætabantur ex eius præſentia, & prudentia.* Hinc colligere licet quanto magis, cum per gloriã eſt ad cęlum euecta, Sancti in cęlo de eius pręſentia gaudent, quod expreſsè habetur in ijſdẽ reuelationibus lib. 4. cap. 238. vbi narrat ſibi in oratione vigilanti à B. Virgine dictum eſſe in hunc modum: *Ego*, inquit, *ſum mater omnium, qui ſunt in ſuperiori gaudio, quamuis infantes habeant ſuam neceſſitatem ſecundùm ſuam voluntatem, tamen in augmento ſuæ lætitiæ cumulatur eis gaudium ex eo, quòd videant faciem matris ſuæ blandam; ſic placet Deo dare omnibus in cœleſti curia gaudium, & exultationem de meæ virginitatis puritate, & mearum virtutum pulchritudine, quamuis habeant incomprehenſibiliter ex eiuſdem diuinitatis potentia totum bonum.* hæc ibi.

S. Brigitta.

Angeli de Virgine etiam dum eßet in terris gaudebant.

Sophronius. Luc. 15. 6 Huc ſpectat id, quod Sophronius in ſermone de Aſſumptione habet de feſto in cœlis facto in Virginis Aſſumptione: *Quod ſi gaudium*, inquit, *fit in cœlo de quolibet peccatore conuerſo, multo magis putandum pro tantæ Virginis exaltatione, & gloria, quòd exultatio fiat in ſupernis: cuius nimirum feſtiuitas omnium ſupernorum ciuium eſt gratulatio, præſertim, quia eius celebritas, laus & fauor eſt Saluatoris: vnde credimus (vt ſupra dictum eſt) quod non hunc tantùm diem ſolemnem ducunt pro eius honore annuum; verùm etiam continuum, & æternum iucunditatis, & lætitiæ, ac venerationis obſequio cum omni colunt tripudio amoris, & gaudij.* hæc Sophronius. Hoc idem argumentum de gaudio Angelorum ſuper vno pectore pœnitentiam agente affert ad hoc idem probandum Ildefonſus ſerm. 1. de Aſſumptione.

Ildefonſus.

Ildefonſus. Idem Ildefonſus in eandem ſententiam ſerm. 2. de Aſſumptione agens de celebritate Aſſumptionis: *Hæc eſt*, inquit, *ſacra, & venerabilis ſolemnitas, fratres, ante mundi conſtitutionem præſcita, & præordinata, ſed hodierna die exultanter eſt impleta. Nobis quidem dilectiſſimi hodierna dies eſt annua, ſed Angelis in Cœlo, & ſupernis Ciuibus eſt continua, & perpetua.* ſic ille.

Viſio B. Gertrudis. Quibus conſonant ea, quæ B. Gertrudis lib. 4. Reuelation. cap. 49. habet, vbi inter alia dum cantarentur primæ veſperæ feſti Aſſumptionis Deiparę, hęc ſibi diuinitus oſtẽſa ſcribit: Et dum intonaretur, inquit, Antiphona *Tota pulchra es*, irruens B. Virgo in ample-

amplexus Domini per cordis eius organum ſingula verba illa intonare videbatur in memoriam ſuauiſſimarum blanditatum illarum, quibus per eadem, vel ſimilia verba blanditus eſſe creditur Filius Altiſſimi ſuæ beatiſſimæ Matri:& ecce ex tali deuotione illius diuini cordis impetus efficacius ſuperfluentes tam magnificè in animam Virginis inundauerunt,quod ex nimia impetuoſitate influxus videbantur exilire,quaſi ſtellę materiales mira claritate præfulgentes,quæ vndiq; Reginam Cœli circumdantes ineffabili decore perornando lætificabant: quædam verò quaſi præ multitudine in pauimẽtum cadere videbantur, quas omnes Sancti recolligentes, & coram Domino cum gaudio præſentantes in admiratione illarum inexplicabili modo delectabantur:per quod figurabatur, quod omnes Sancti de ſuperabundantia dignitatum, & meritorum beatiſſimæ Virginis copiosè hauriunt gaudium,gloriam,& beatitudinem indeficientem. ſicq; in tali exultationis iubilo adiungentes ſe omnes Angeli deuotioni congregationis conſona voce inſimul cum ea dulciter reſonabant reſponſorium, *Quæ eſt iſta*, quo finito filius Dei altiſonè inchoauit verſum, *Iſta eſt ſpecioſa*, cuius diuini cordis plectrum Spiritus Sanctus mouere videbatur ad laudandum, & glorificandum benedictam Virginem Matrem ſupra omnem creaturam. *Cant. 6.*

In eodem libro reuelationum,eodemq; capite B.Gertrudis in alio quodam feſto Aſſumptionis B. Virginis cœleſtis curiæ iubilum de Deipara conceptum vidiſſe ſe narrat his verbis:Deinde in iubilo laudem reſonante tota cœleſti curia cum reſponſorio,*Salue nobilis*,B.Virgo in throno gloriæ à dextris filij cum decenti reuerentia collocatur,& poſtea omnes cœli ciues ante ſolium Regni ipſius decenter coadunati ex abundantia benigniſſimi fauoris extollentes laudabilem conuerſationem vitæ eius cum ineffabili iubilo decantabant reſponſorium,*Beata es Virgo Maria*,cui Verſum ſcilicet, *Aue Maria*, tota Trinitas ſubiunxit renouans ei ſuauitatem angelicæ illius ſalutationis, quæ totius ſalutis ſaluberrimum extitit exordium,cui ſanctorum chorus annectebat, *Ecce exaltata es*,commendans ei,vt pro Eccleſia militanti intercederet. *Alia viſio. S. Gertrudis.*

7 Sanè illud Eccleſ.43.Virgini aptare poſſimus, *A luna ſignum diei feſti*,quia in Virgine per lunam ſignificata magnum feſtum eſt in Cœlo, vt exponit Pelbartus de Temeſuar in Stellario B.Virg.lib.12.par.1.art.2.cap.4. & alij. Quare meritò Eccleſia pronunciat illud: *Aſſumpta eſt Maria in cœlum, gaudent Angeli, collaudantes benedicunt Dominum*.Et illud pariter Eccl.43.eidem accõmodatur:*Vide arcum,& benedic eũ,qui fecit illum,valde ſpecioſus eſt in ſplendore ſuo,gyrauit cœlum in circuitu gloriæ ſuæ*.Nam ex S. Bernardini ſententia per arcum cœleſtem, qui Iris dicitur, Virginem ſignificari diximus c.16.Meritò ergo Methodius in hypapantem ad Virginem: *Tu*,inquit,*Feſti noſtri principium,tu medium,tu finis pretioſiſſima Regni margarita*. *Eccleſ 43. A luna ſignum diei feſti, ideſt à Virgine. Pelbartus. Offic. Eccl. Eccleſ. 43. S.Bernardinus. Methodius.*

Cùm ergo Sancti ex Virginis in Cœlo præſentia magno gaudio exultent,qui ad cœlum ex hac lacrymarum valle ſubtrahuntur, non ſolùm ad Deum, ſed etiam ad Dei thronum, Virginem ſcilicet glorioſam, vt initio dicebamus, meritò Apocalyp.12. capi dicuntur. *Apoc. 12.*

VIRGINEM DEIPARAM, QVAE INTEmeratæ virginitatis ſuæ exemplo in terris virginibus omnibus ſingulari ratione præluxit, ſingulari pariter ratione in coelis virginum omnium principem eſſe, atque Reginam. Cap. XXXII.

SVMMARIVM.

Virginitatis encomia,& præmium ex ſacris litteris,alijſq; auctoribus nu.5.
Virgines Angelis aſſimilantur nu.9.
Deipara virgo puritate omnes,tùm homines,tùm Angelos ſuperat nu.11.
Figuræ,& Prophetiæ de virginitate Deiparæ nu.13.
Virginitas Deiparæ aliquibus Gentilibus præoſtenſa nu.20.

Exem-

Exempla animalium,quæ abſque concubitu procreantur nu.21.
Virginitas Deiparæ Deo gratiſſima,& voto ei conſecrata,& à quo tempore nu.23.
In lege Euangelica innumeros vtriuſque ſexus homines Deiparæ Virginis exemplo, ac patrocinio illibatam virginitatem,complures alios perpetuam continentiam coluiſſe num.27.
Deiparæ in virginitate primatus varijs titulis exprimitur nu.30.

Apoc. 14. INDECIMVM, quòd de Dei ſede,ſiuè throno in Apocalypſi cap.14.ſcriptum habetur,eſt quòd illa centum quadraginta quatuor millia virginum Agnum ſequentium ante Dei *Sedem* cantabant Canticum,qui etiam ſine macula ante Dei thronum eſſe perhibentur: & licet hic ſedis nomine ipſe Deus ſedens intelligi poſſit; tamen ſi eo nomine Virginem, quæ crebrò in ſacris litteris,& ſanctis Patribus per Dei thronum,vt in præcedentibus diximus, accipitur, ſignificatam velimus; id mirum in modum toti illi viſioni congruere ex ijs,quæ in præſentia dicemus,liquido apparebit. Igitur ſanctus Ioannes cap.14. Apocalypſi: *Et vidi,* inquit, *& ecce Agnus ſtabat ſupra montem Sion,& cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen eius,& nomen patris eius ſcriptum in frontibus ſuis: & audiui vocem de cœlo tanquam vocem aquarum multarum,& tanquam vocem tonitrui magni,& vocem quam audiui ſicut citharædorum citharizantium in citharis ſuis,& cantabant quaſi canticum nouum ante SEDEM, & ante quatuor animalia,& ſeniores, & nemo poterat dicere canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra. Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati,virgines enim ſunt. Hi ſequuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo,& Agno,& in ore eorum non eſt inuentum mendacium,ſine macula enim ſunt ante THRONVM Dei.* hactenus S.Ioannes: quæ breuiter prius exponenda duxi,vt ſic ad id, quod præcipuè oſtendendum propoſui, accedamus.

Explicatur contextus Apoc.14. de centum quadraginta quatuor millibus virginibus Agnum ſequentibus.

Et verò S. Ioannes in hac narratione horum centum quadraginta quatuor millium virginum laudes, & vitam innocenter traductam, ſimul etiam eorum gloriam accuratè deſcribit: & licet virginum,qui cum mulieribus non ſunt coinquinati meminerit; in his tamen,vt animaduertit S.Cyprianus lib.de diſcipl. & habit.Virgin. & fœminæ virgines continentur: *Mulier enim,*inquit,*viri portio eſt,ex eoq; ſumpta fuit.*

Apoc. 14. nomine virginum viri, & fœmina intelliguntur.
S. Cyprianus

Siuè autem hi virgines ſint illa centum quadraginta quatuor millia ſignati ex omni tribu filiorum Iſrael,de quibus Apoc.7.vt placet Hieronymo lib.1.contra Iouinianum, ſiuè ex Areta, ſint virgines ex gentilibus ad Chriſti fidem ex vniuerſo terrarum orbe conuerſis: ſiuè ſint ij ex gentibus,& Iudæis,qui extremis temporibus ſub Antichriſto in magna viuendi licentia,& peccandi occaſione virginitatem impollutam ſeruarunt,& hi, vel hoc definito numero accipiendi ſint,vt ait Ribera: vel vt ſit numerus determinatus pro indeterminato propter duodecies replicatum duodenarium, qui interdum, vt cap. 17.dixi,vniuerſitatem ſignificat,quod Bedæ,& Viegas magis probatur (videntur enim plures in vniuerſo mũdo etiam eo tempore virgines futuri) quicumque tandem illi ſint, neque enim noſtri inſtituti eſt diligentius horum ſententias expendere, profectò virgines ſunt,& præclaris virtutum donis egregiè ornati deſcribuntur. Hos S.Ioannes narrat ſe vidiſſe ſupra montem Sion,in cœleſti nimirum patria(cuius typum gerit Sion,iuxta illud pſal.83. *Ibunt de virtute in virtutem,videbitur Deus Deorum in Sion*) ſupra montem autem virgines peculiariter conſpiciuntur tùm propter difficultatem ſeruandæ virginitatis ſuperatam,tùm propter ſublimen,& cœleſtem hanc virtutem,quæ Angelis cognata dicitur:tùm denique propter eximiam prærogatiuam,qua (vt ait Gregorius lib.5. in cap.3.Reg.) Virgines in Eccleſia alijs præſtant à carnalibus, & terrenis delectationibus diuiſi,& in ſempiterna Redemptoris gloria ſublimantur.

Ribera.
Beda.
Viegas.
Sunt in monte Sion.
Pſal. 83.
Gregorius.

Erant porrò cum Agno,ſub cuius typo Chriſtus Dominus à S.Ioanne, & in Euangelio,& in ſacra præſertim Apocalypſi ſæpè exprimi ſolet (quòd veluti Agnus innocentiſſimus pro nobis in ara crucis oblatus mundi peccatum ſuſtulerit.) Is porrò Agnus ſicut

Sunt cum Agno.
Agnus eſt Chriſtus.

pro

pro ſe in terris dimicantes è Cœlo iuuat, ita eoſdem poſt labores in Cœlo coronat, & cum illis familiariter conuerſatur. Habent in frontibus ſcriptum nomen Agni, quem non erubuerunt in hac vita,& nomen Patris eius,quod quidem Agni,& Patris eius in ipſis peculiare dominium indicat,quaſi in veram libertatem vindicati à ſolo Deo poſſidendi; ideò mox dicitur de eis: *Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo, & Agno:* & ſi enim omnes Chriſti pretioſo ſanguine empti ſint, virgines tamen peculiariter empti dicuntur, quoniam in illis non tantum in anima,ſed in corporis etiam integritate,& impolluta carne fructus redemptionis elucet, & veluti primitiæ,ſeu primitiui fructus (qui ſolent eſſe gratiſſimi) Deo,& Agno offeruntur: tales fuere Sancti illi innocentes, prima Chriſti victima,Herodiana rabie ſublati.tales cenſentur & hi virgines, qui vt hic dicitur à mendacio abhorruerunt,& à fallacibus carnis,& mundi illecebris ſeduci non potuere. Quare Apoſtolus 1.Cor.7.vt indicet plenam hanc virginum omnibus poſtpoſitis cum Deo adhæſionem: *Qui,* inquit, *ſine vxore eſt, ſollicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo: Qui autem cum vxore eſt ſollicitus eſt quæ ſunt mundi,quomodo placeat vxori,& diuiſus eſt. & mulier innupta,& virgo cogitat quæ Domini ſunt,vt ſit ſancta corpore,& ſpiritu: Felices,* inquit Bernardus tract. de Paſs.Domini cap.30. *Virgines illæ,quæ ſponſum ſuum Chriſtum accipientes,illi ſe ſoli ſubiecerunt, cuius iugum ſuaue eſt, & onus leue,eiq; ſoli tota,& integra mente placere deſiderant,qui ſanè eſt ſpecioſus forma præ filijs hominum,non diuidentes mentem ſuam,ita vt nec ex parte cupiant, & ſollicitæ ſint placere Deo; nec ex parte placere viro: ſed ſe totas integras reddunt illi,à quo acceperunt vt eſſent, & receperunt vt bene eſſent; ipſum munere prætereà ſponſum ſuum gratuito acceperunt.* hæc Bernardus. Hinc eſt, quòd Agnus ad familiarem quendam ſecum conuictum hos virgines peculiari quodam priuilegio admittit,& ideò ſequi dicuntur Agnum quocunque ierit. & ita Honorius in illud Cant. 7. *Venter tuus ſicut aceruus tritici vallatus lilijs;* ait, *in ventre Virginis iacuiſſe vnigenitum Dei incarnatum, qui eſt triticum, de quo conficitur panis fidelium, ipſe eſt aceruus; quia in eo cumulatur fidelium populus;Vallatus lilijs,quia Chriſtus ſtipatus eſt virginum choris.* ita Honorius. Hoc autem Eccleſia canit in hymno de virginibus.

Quocunque pergis Virgines
Sequuntur,atque laudibus
Poſt te canentes curſitant
Hymnosq; dulces perſonant.

Et Auguſtinus lib.de ſancta virginitate cap.27. hos virgines alloquens: *Ipſe,* inquit, *præ cæteris dilectus Agno in Apocalypſi vos vidit duodecies duodena millia Sanctorum cytharædorum,illibatæ virginitatis in corpore, inuiolatæ veritatis in corde, & quia ſequimini Agnum quocunque ierit,ſcripſit ille de vobis. Quo ire putamus hunc Agnum;quo nemo eum ſequi, vel audeat, vel valeat niſi vos? Quò putamus eum ire, in quos ſaltus, & prata? vbi credo ſunt grandia gaudia,non gaudia huius ſeculi vanæ inſaniæ mendaces,nec gaudia qualia in ipſo Regno Dei cæteris non virginibus erunt: ſed à cæterorum omnium gaudiorum ſorte diſtincta. Gaudium virginum Chriſti de Chriſto,in Chriſto,cum Chriſto, poſt Chriſtum,per Chriſtum, propter Chriſtum: gaudia propria virginum Chriſti non ſunt eadem non virginum,quamuis Chriſti: nam ſunt alijs alia, ſed nullis talia. Ite in hæc, ſequimini Agnum,quia & Agni caro vtique Virgo. hoc enim in ſe retinuit auctus,quod matri non abſtulit conceptus, & natus, meritò eum ſequimini virginitate cordis, & carnis quocumque ierit. Quid eſt eum ſequi, niſi imitari?* & mox: *Multa in illo ad imitandum omnibus proponuntur; Virginitas autem carnis non omnibus: non enim habent, quid faciant,vt virgines ſint, in quibus iam factum eſt, vt virgines non ſint: ſequantur itaq; Agnum cæteri fideles, qui virginitatem corporis amiſerunt, non quocumque ille ierit, ſed quocumque ipſi potuerint; poſſunt autem vbiq; præter cum in decore virginitatis incedit.* hæc Auguſtinus.

3 Cæterùm horum virginum vox,quia aduerſarijs formidabilis aliquando fuit, acriter enim omnibus eos tentantibus,ac tentationibus reſtiterunt, vt videre eſt in D. Bernardo,D.Franciſco,D.Vincentio Ferrerio,in ſanctis Agatha,Agnete,Cæcilia,alijsq; vtriuſque ſexus virginibus,qui virginitatem ſuam à petulantibus perſonis fortiter tutati ſunt;

ideò

Matth 10.
Habent viſuntibus nomen Dei, & Agni.
Apoc 14.
Empti ſunt ex hominibus primitiæ.
Matth.2.
1.Cor. 7.
Bernardus.
Matth. 11.
Honor. Cant. 7.
Offic. Eccleſ.
Auguſtinus.
Apoc. 14.
Quo modo virgines ſequuntur Agnum quocumque ierit.
Vox illorum ſicut tonitrui magni.

ideò voci tonitrui magni comparatur: quia tamen Deo,& ſanctis Angelis grata,ac ſuauis, ideò voci etiam cytharædorum cytharizantium in cytharis ſuis aſſimilatur, tum propter concentum ex virginitatis puritate gratiſſimum, tum propter chordarum diſtẽſionem,ac pulſum,quæ mortificationem carnis,quam cum vitijs, & concupiſcentijs virgines peculiari quadam ratione crucifixerunt,& abnegarunt tuendæ caſtitati perneceſſariam dicant:ſic enim cytharam explicat Gregorius lib.20.moral.cap.31.Beda in hunc locum, Andreas Cęſarienſis,& alij.

Aſſimilantur cytharædis.

Cythera mortificationem ſignificat.

Gregorius. Beda. Andr. Cæſar.

Et cantabant quaſi canticum nouum,&c. Ideò Auguſtinus lib.de ſancta Virginit.cap. 27. cum Virginibus loquens: *Vos*, inquit, *afferetis ad nuptias Agni canticum nouum, quod cantabitis cytharis veſtris, non vtiq; tale, quale cantat vniuerſa terra, cui dicitur: Cantate Domino canticum nouum, cantate Domino vniuerſa terra: ſed tale,quale nemo poterit dicere niſi vos.* hæc Auguſtinus. Quale autem ſit hoc canticum nouum,quod cãtant,Gregorius in 3.par.paſtoral.admon.23.pulchrè explicat:quia ſcilicet Virgines cum Agno præ cunctis fidelibus etiam de incorruptione carnis gaudent, quod tamen canticum cæteri electi audire, non tamen dicere poſſunt: quoniam per charitatem illis congaudent, quamuis ad eorum præmia non aſſurgant. ita ex Gregorio. Quod enim in Apocalypſi habetur,alios canticum hoc dicere non poſſe,oſtendit quidem alios ſanctos cernentes carnis integritatem ita Chriſto gratam, gauiſuros vt ait Ribera: *Si virgines fuiſſent,quo Chriſto ea in re ſimiliores,& gratiores eſſent: ſed nec tamen ijs, qui eam habent inuident,nec ipſi quòd non habeant triſtantur.*

Pſal. 95.

Gregorius.

Apoc. 14.

Ribera.

Quo modo cantent ante ſedem & quatuor animalia,& ſeniores.

4 His præmiſſis præcipuè inueſtigandum remanet,quid ſibi velit illud, quod canticum hoc cantant ante SEDEM,nimirum ante Deiparam,iuxta noſtram explicationẽ,& ante quatuor animalia, & ſeniores: ex quo facillimè intelligetur etiam illud: *Sine macula.n. ſunt ante THRONVM Dei*. Enim verò hi centum quadraginta quatuor millia virginũ tot Dei donis prædiți,totq; gloriæ inſignibus clari, Canticum illud nouum in gratiarum actionem de ſeruata virginitate cantant ante quatuor animalia, & ſeniores, nimirum Euangeliſtas, & viros Apoſtolicos, ac Prophetas, quoniam eorum doctrina,ſcriptis, ac prædicatione virginitatem ſeruarunt, aliaq; quibus in hac vita claruerunt pietatis opera coluerunt:id verò maiori voluntate ante SEDEM Dei,beatiſſimam ſcilicet Virginem Deiparam facere ſunt cenſendi: quippe quæ Virgo virginum iure appellatur, quæ alios ad virginitatem colendam,eandemq; Deo per votum conſeruandam ſuo exemplo excitauit,& inuitauit,quę ſuo patrocinio,meritis,ac precibus ad eandem ſeruandam eos adiuuit; quæ Agni,quem illi ſequuntur,Mater eſt dilectiſſima,eiq; maximè vicina, de quo ſupra cap.12. quam Agnus tanti fecit in terris; & nunc maximè honorari vult in cœlis, vt Bernardus hom. 1. ſuper miſſus eſt, expendens ex hoc loco Apocalypſis illud de Chriſto Luc.2. *Et erat ſubditus illis: Quis*, inquit, *quibus? Deus hominibus. Deus (inquam) cui Angeli ſubditi ſunt,cui Principatus,& Poteſtates obediunt ſubditus erat Mariæ: nec tantum Mariæ, ſed etiam Ioſeph propter Mariam: mirare ergo vtrumlibet, & elige quod amplius mireris, ſiuè filij benigniſſimam dignationem, ſiuè matris excellentiſſimam dignitatem,vtrinque ſtupor,vtrinque miraculum;& quod Deus fœminæ obtemperet humilitas ſine exemplo: & quòd Deo fœmina principetur, ſublimitas, ſine ſocio: In laudibus virginum ſingulariter canitur, quod ſequuntur Agnum quocumque ierit: quibus ergo laudibus iudicas dignam, quæ etiam præit.* hæc Bernardus. Quo circa, quod cap. 17. de lectiſſimis ſanctis, & de reliqua animarum ſanctarum multitudine ſub typo viginti quatuor ſeniorum, & maris vitrei Deiparam ſingulari reuerentia colentibus, cui tantum ſe debere omnes cognoſcunt;& quod ſuperiori capite de ſanctorum lætitia,quam ex Deiparæ conſpectu capiunt, dictum eſt; idipſum peculiari quadam ratione de virginibus, meritò in præſenti capite affirmamus, & idcirco hoc in loco Apocalypſis non ſolum ante SEDEM Dei.i.Deiparam, vt ex dictis patet,ſuum canticum nouum canere, ſed etiam ſine macula ante THRONVM Dei,ideſt ante Deiparam eſſe memorantur,cuius ope,ac patrocinio tot tantaq; dona à Chriſto ſunt conſequuti.

Cantant ante Deiparam, & quare.

Bernardus.

Luc. 2.

Apoc. 14.

Apoc.4.

Quænam in hoc capite agenda. De virginitate Deiparæ, quæ

Verùm vt hoc ipſum adhuc magis perſpicuum fiat, oſtendam illibatam Deiparę virginitatem in ſacris litteris magnificè adumbrari, atque deſcribi, eamq; voto virginitatem ſuam præpotenti Deo primam obtuliſſe, multisq; nominibus virginum omnium

eſſe

esse Reginam,& ab eisdem singulariter coli,ac proinde Canticum illud nouum,eos (vt diximus) ante ipsam etiam cantare. *virginum est primiceria.*

VIRGINITATIS ENCOMIA, AC PRAEmium ex sacris litteris, aliisq; Auctoribus.

5 QVòd vt melius demonstremus suppono virginitatem Deo esse in primis gratam, quam Christus Dominus in sua, & Genitricis suæ persona dicauit, eamq; inter præcipua legis euangelicæ consilia à Christo tradita connumerari testatur Apostolus 1. Cor.7.& habetur Matth.19. illis verbis: *Sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter Regnum cœlorum:* remq; hanc esse altissimam indicant verba illa, quæ sequuntur: *Qui potest capere, capiat,*& illa: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est:* Virginibus porrò præter gloriam essentialem, etiam Aureola propter perfectam victoriam, quam de carne sua reportarunt,debetur: & propterea in hoc loco Apoc. 14. Canticum nouum, quod nemo alius dicere poterat, ipsi cantare,& ad familiarem quandam Agni sequelam recipi dicuntur. Hinc Isa.56.Virginibus sub nomine Eunuchorum,quia videlicet propter Christum se ipsos spiritualiter castrauerunt, promittitur à Domino in domo sua locus,& nomen melius à filijs, & filiabus nomen sempiternum, quod non peribit, scilicet excellens quædam gloria: si enim Elcana 1. Reg. 1. consolabatur Annam vxorem sterilem,& ex hoc afflictam illis verbis: *Nunquid non ego melior tibi sum, quàm decem filij:* quanto magis Deus ipse virginibus longè præclariora præstabit, quàm si filios habuissent. De virginibus autem hunc Isaiæ locum intelligendum luculenter ostendit Augustinus lib.de sancta virginitate cap.24.& 25. Ambrosius de Instit.Virg.cap.6. Basilius lib.de uera virginitate. Hieronymus lib.1.contra Iouinianum,& in Isa.56.Gregorius 3.par.pastor.admon.29. Cyrillus lib.5.in Isa. *Virginitas Deo gratissima.* *1. Cor. 7. Matth. 19.* *Aureola debetur virginibus. Apoc. 14.* *Isa. 56.* *1. Reg. 1.* *Augustinus. Ambrosius. Basilius. Hieronymus. Gregorius. Cyrillus.*

Adde Sap. 4. dicitur: *O quam pulchra est casta generatio cum claritate: Immortalis est enim memoria illius, quoniam & apud Deum nota est, & apud homines.* Vbi illud ex Ildefonso serm.1.de Assumpt.adnotare possumus,castitatem præclaram esse in virginibus præsertim cum CLARITATE,idest cum præconio bonæ famæ,& Eccl.26. *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ*, quæ de virginibus in castitatis virtute primas tenentibus multò magis dici possunt. *Sap 4. Virgines magni faciant bonam famam. Ildefonsus. Eccles. 26.*

Illud quoque virginitatis præstantiam ostendit, quòd Virgines à triplici maledictione,quam Euæ Deus optimus inflixit suo modo eximantur. quod Fulgentius sermone de laudibus Mariæ eleganter indicat: *Euæ,* inquit, *dictum est, in doloribus,& tristitia paries, & ad virum conuersio tua, & ipse dominabitur tui: Tribus ergo his malis se subiungant fœminæ, quæ Mariam non sequuntur,dolori,tristitiæ, & seruituti.* sic ille. *Fulgentius.*

His consonat præmium, quod nominatim vtriusque sexus virginibus promittitur his verbis Sap.3. *Felix est sterilis,& incoinquinata,quæ nesciuit thorum cum delicto,habebit fructũ in respectione, seu* (vt legit Hieronymus in Isa.56.) *in visitatione animarum sanctarum: & spado,qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitauit aduersus Deum nequissima, dabitur enim illi fidei donum electum, & sors in templo Dei acceptissima.* sic ibi: quibus verbis Sapiens Virgines circumloquitur, neque enim omnem sterilem vocat felicem,sed incoinquinatam,hoc est eã,quę ab omni inquinatione abstinendo voluntate sua sterilitatem eligit: similiter eum spadonem beatificat, qui opere, & cogitatione ab omni impudicitia est alienus, qui nimirum *se ipsum*, iuxta illud Matth. 19. *Castrauit propter regnum cœlorum?* & quamuis Deut. 23. dicatur: *Non intrabit Eunuchus Ecclesiam Domini:* nostris tamen Eunuchis, seu virginibus sors acceptissima in ipso templo Domini possidenda prænunciatur; quin etiam promittitur donum quoddam singulare respondens eorum fidei,qua propter Deum præsentes carnis illecebras,& delectationes omninò spreuerunt. Hunc autem locum Sap.3.Hieronymus in Isa.56. citat, ac de virginibus interpetratur. *Sap. 3.* *Hieronymus.* *Matth. 19.* *Deut. 23.* *Hieronymus.*

6 Sed quærat quispiam, quod nam erit virginitatis præmium peculiare, quod Isa. 56. Sap.3. & Apoc.14. verbis amplissimis, virginibus tribuendum promittitur? Respondeo in primis ex cap.14. Apoc. Virgines secuturos Agnum quocumque ierit,eosq; cantaturos *Isa 56.* *Sap. 3.* *Apoc. 14.* *Præmia virgi.*

nibus tribuenda.

S. Thomas.

ros canticum illud nouum, quòd soli virgines cantabunt: de quo initio huius capitis diſſeruimus: deinde ex S. Thoma in 4. diſt. 49. q. 5. art. 2. quæſtiunc. 1. ad 1. & art. 3. quæſtiunc. 1. & art. 5. Virgines tàm viri, quàm fœminæ, qui propoſitum habuerint virginitatem perpetuò ſeruandi, ſiuè ex voto, ſiuè abſque eo, quamuis hoc propoſitum aliquando fuerit interruptum; integritate tamen carnis manente, dummodò in fine vitæ inueniatur; huiuſmodi (inquam) virgines præter gloriam eſſentialem, quæ in clara Dei viſione conſiſtit, & operibus meritorijs ex gratia procedentibus debetur; quod, & virginitati ſecundum quod propter Deum ſeruatur imperio charitatis, tribuetur. donabuntur etiam peculiari Aureola virginitatis, quæ eſt priuilegiatum quoddam præmium reſpondens priuilegiatæ, ſeu excellenti victoriæ, quam de carne, contra quam continuè

Gal. 5.

Galat. 5. bellum gerimus, reportarunt: quin etiam præter aureolam virginitatis fructus quoque centeſimus virginibus reſpondebit: cum enim ex Chriſti Domini parabola,

Matth. 13.

quam de ſemine iacto propoſuit Matth. 13. triplex ſeminis in terram bonam decidentis fructus exiſtat: *Alia*, inquit, *ceciderunt in terram bonam, & dabant fructum, aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud trigeſimum*, ex Interpretum ſententia; Primus virginibus. Secundus viduis, & continentibus. Tertius coniugatis deputatur: ita enim docet Cyprianus lib. de habitu Virg. Athanaſius epiſtola ad Ammonium, Hieronymus in Matth. 13. & epiſt. 22. & in Apologia pro libris aduerſus Iouinianum, vbi ex arte numerandi per digitos hoc ipſum eleganter confirmat, quod Marianus Victorius in notis ad illum locum Hieronymi ex Beda eruditè explicat, Idem de fructu centeſimo virginibus attributo docent Beda, & S. Thomas in 4. diſt. 49. q. 5. art. 2. & S. Antoninus 3. par. tit. 3. cap. 8. §. 4. Eſt autē FRVCTVS quatenus ex ſemine conſurgit, vt docet S. Thomas loco citato quæſtiunc. 1. & 3. præmium quoddam accidentale, & ſpeciale commune tribus gradibus continentiæ: *Qui* (vt verbis vtar Hieronymi epiſtol. 22.) *de vno procedit ſemine caſtitatis*: & ſicuti Aurea, ſeu præmium eſſentiale Beatorum poſita eſt in gaudio, quod habent de Deo, eiusq; clara viſione, ſic Aureola, quæ eſt præminm accidentale conſiſtit in gaudio, quod habent Beati de operibus perfectionis, quibus maximè Chriſto fuere conformes ſecundum perfectam victoriam, ſiuè contra carnem omninò à venereis abſtinendo, ſiuè contra diabolum, quem non tantum à ſe, ſed ab aliorum cordibus expellunt per prædicationem, & doctrinam: ſiuè contra mundum, cuius perſecutiones pro Chriſto vſque ad mortem ſuſtinuerunt. & hinc triplex conſurgit aureola Virginum, Doctorum, & Martyrū: FRVCTVS denique conſiſtit in gaudio, quod habetur de ipſa diſpoſitione operantis ſecundum gradum ſpiritualem, in quem proficit ex ſemine, quod eſt Verbum Dei, quatenus homo in quandam ſpiritualitatem tranſit, à carnalitate recedens, quod præcipuè facit continentia, quæ delectationes ſpernit venereas: hinc triplex fructus conſurgit iuxta triplicem continentiam, coniugalem, vidualem, virginalem; hæc ex S. Thoma. Ex quibus omnibus conſtat virginibus in cœlo præter Auream omnibus Beatis communem, Aureolam propriam virginitatis, & inter continentes Fructum centeſimum retribuendum.

Cyprianus. Athanaſius. Hieronymus. Marianus Victorius.

Beda. S. Thomas. S. Antoninus.

Fructus quid ſit.

Hieronymus.

Virginitas apud homines in magno pretio habetur. 7

Quoniam verò virginitas tot, tantisq; præmijs donatur in cœlis, hinc factum eſt, vt homines quoque magno honore virgines Deo conſecratas proſequantur, quod de Conſtantino teſtatur Athanaſius in Apologia ſua ad Conſtantium his verbis: *Virgines præ reliquis omnibus beatæ memoriæ pater tuus Conſtantinus Auguſtus in pretio habebat*. & Euſebius lib. 4. de vita Conſtantini cap. 28. de eodem Conſtantino loquens: *Maximis*, inquit, *eos honoribus proſequebatur, qui vitam ſuam cœleſti philoſophiæ dedicaſſent. Sanctiſſimum ergo perpetuarum virginum cetum conſtanter colebat, quod in earum mentibus Deum ipſum, cui ſe conſecrarant, inhabitare crederet.* hæc ille. Quòd ſatis declarauit Conſtantinus cum alimenta illis ex publico dari iuſſit, teſte Theodoreto lib. 1. hiſt. cap. 11. vbi cum narraſſet Epiſcopos Concilij Niceni epulo à Conſtantino exceptos, & muneribus donatos, hæc ſubijcit: *Quin etiam litteras ad prouinciarum præfectos dedit, mandauitq; vt certi frumenti numerus viduis, & ijs, qui perpetuam ſeruant virginitatem; quin etiam illis, qui diuinis myſterijs obeundis conſecrati ſunt in ſingulis ciuitatibus quotannis ſuppeditaretur, eumq; non tam egentium neceſſitate, quàm ſua ipſius munificentia menſus eſt. huius congiarij adhuc tertia pars ſuppeditatur, quippe impius tyrannus Iu-*

Constantinus Magnus quanti fecerit virgines Euſebius.

Virginibus alimenta ex publico tributa. Theodoretus.

lianus

lianus totum penitus abſtulerat ille quidem, ſed qui ei ſucceſſit in imperio, hoc quod iam ſuppeditatur conferri mandauit. ſic Theodoretus.

Virgines ſacræ à Perſis victoribus reuerenter habitæ. Ammianus.

Quin etiam Chriſti Virgines ab Ethnicis quoque reuerẽter tractatas ſcribit Ammianus lib. 18. cum enim Perſæ Remam, & Broſam Romanorum propugnacula tempore Conſtantij Imperatoris expugnaſſent: *Rex Perſarum*, inquit, *inuentas virgines chriſtiano ritu cultui diuino ſacratas cuſtodiri intactas, & religioni ſeruire ſolito more, nullo vetante præcepit.* hæc Ammianus.

Helena mintiſtrat virginibus. Ruffinus.

Helena verò Conſtantini mater ſanctiſſima, ac religioſiſſima quanti fecerit ſacras virgines facilè oſtendit illud, quod complures auctores de ea cum ſacroſanctum crucis lignum inueniſſet, ſcriptis prodiderunt. id nos ex Ruffino lib. 1. cap. 8. referemus: *Reliquit etiam Ieroſolymis*, inquit, *indicium hoc religioſi animi Regina venerabilis, virgines quas ibi reperit Deo ſacratas inuitaſſe ad prandium, & tanta eas deuotione curaſſe dicitur, vt indignum crederet ſi famularum vterentur officijs, ſed ipſa manibus ſuis famulæ habitu ſuccincta, cibum apponeret, poculum porrigeret, aquam manibus infunderet, & Regina Orbis, ac mater imperij famularum Chriſti ſe famulam deputaret.* hæc ille.

Sibyllæ virgines. Lactantius. S. Auguſtinus. Hieronymus. Varro.

Quòd ſi ad veteres Sibyllas animum conuertamus, quas de Chriſto Domino plurima vaticinatas eſſe teſtantur Lactantius in libris diuinarum inſtitutionum, S. Auguſtinus & alij, eas non tantum virgines, ſed ob virginitatem hoc munere donatas aſſerit Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum: *Quid referam*, inquit, *Sibyllas Erithræam, atque Cumanam, & octo reliquas? (nam Varro decem fuiſſe autumat) quarum inſigne virginitas eſt & virginitatis præmium diuinatio. Quod ſi Aeolici generis ſermonis Sibylla Θεοβόλη appellatur, rectè conſilium Dei ſola ſcribitur noſſe virginitas.* hæc Hieronymus.

Hieronymus.

8 Quin imò, vt hoc obiter dicamus, non tantum vbi veri Dei cultus viguit, verùm apud Ethnicos etiam vbiq; gentium virginitas eſt in pretio habita, vti ex Hieronymo lib. 1. contra Iouinianum cognoſcere accuratius licet, qui varijs exemplis ex omni antiquitate Græcorum, Latinorum, & Barbarorum petitis, docet virginitatem ſemper tenuiſſe pudicitiæ principatum. quamuis inter Gentiles valdè rarus huiuſmodi flos inueniretur, quo tamen poſt Deiparam Chriſti Eccleſia per vniuerſum orbem copioſè, cumulateq; abundat. Non me latet apud Romanos virgines fuiſſe Veſtales, ſed earum tamen virginitas, quod teſte Ambroſio lib. 1. de Virginibus, & lib. 2. epiſt. 12. in Symmachum, eſſet emptitia, temporaria, ac faſtu plena, & ad pauciſſimas ſpectaret; nulla ex parte cum chriſtianorum Virginitate eſt conferenda, quæ & perpetua, & ab omni pulchritudinis lenocinio, ac lucris aliena, multitudine innumeras cõplectitur, & humilitate, ac ieiunijs gaudet. Cæterum quoniam virginitas in ſacris litteris, vt diximus, adeò magnificatur, hinc præclara virginitatis præconia apud Patres reperiuntur. quorum aliqua in præſentia recenſeamus.

Ambroſius lib. 2. epiſt. 12.

Nazianzenus. Sanctiſſima Trinitas prima Virgo apud Nazianzenum.

In primis Nazianzenus carmine de virginitate, ſanctiſſimam Trinitatem propter ſummam, quæ in diuinis proceſſionibus inuenitur puritatem, Primam Virginem appellauit his verbis.

Prima Trias Virgo eſt, ſiquidem Patre natus Anarcho
Filius eſt, nec enim Pater ortum traxit ab vllo,
Vtpotè principium rerum, & vitalis origo
More nec humano generauit ſanguine natum, &c.

Atque ita virgines hanc Dei puritatem ſuo modo imitantur.

VIRGINES ANGELIS ASSIMILANTVR.

Virgines Angelis componũtur a Matth. 22.

9 AD hæc per virginitatem Patres ſæpè homines Angelis æquari probãt ex illo Matth. 22. *In reſurrectione neque nubẽt, neque nubentur, ſed erunt ſicuti Angeli Dei in cœlo.*

Nazianzenus

In primis Nazianzenus in carmine de virginitate.

Salue virginitas diuino tradita dono,
Mater inoffenſæ vitæ, bona maxima fundens
Chriſti pars, & SPIRITIBVS ſociata ſupernis
Ignaris thalami.

Idem Nazianzenus oratione in illud: *Non omnes capiunt verbum: Non ſecundum carnem viuere, angelicum eſt, & ſuperius natura.*

Cyrillus. Cyrillus Ieroſolymitanus cathec. 12. *Non ignoremus*, inquit, *caſtitatis gloriam, Angelica enim eſt corona, & ſupra hominem hæc perfectio.* hæc Cyrillus.

Athanaſius. Athanaſius in fine libri de virginitate: *O virginitas*, inquit, *opulentia indeficiens, corona immarceſcibilis, Templum Dei, Domicilium Spiritus ſancti, Margarita ſpecioſa, vulgo inconſpicua, Gaudium Prophetarum, Gloriatio Apoſtolorum, ANGELORVM vita, Sanctorum corona.* Idem Apologia ad Conſtantium: *Chriſtus*, inquit, *Dei filius, homo propter nos factus profligata morte, inter cætera dona ſua largitus eſt nobis in Virginitate exemplar Angelicæ ſanctitatis.*

Tertullianus. Tertullianus lib. 1. ad vxorem: *Puellæ*, inquit, *in terris non nubendo de familia Angelica deputantur.*

Cyprianus. Cyprianus lib. 2. de diſcipl. & habit. virgin. *Cùm caſtæ perſeueratis, & Virgines, Angelis Dei eſtis æquales.*

Hieronymus. Hieronymus epiſtol. 22. *Filius Dei, vt ingreſſus eſt ſuper terram, nouam ſibi familiam inſtituit, vt qui ab Angelis adorabatur in Cœlo, haberet Angelos (ideſt Virgines) & in terris.*

Ambroſius. Ambroſius lib. 1. de virginit. *Nemo*, inquit, *miretur, ſi Angelis comparentur, quæ Angelorum Domino copulantur.* & infra: *Caſtitas etiam Angelos facit, qui eam ſeruauit Angelus eſt, qui perdidit, diabolus.*

Caſſianus. Caſſianus lib. 6. cap. 6. *Nulla*, inquit, *virtute tam propriè carnales homines ſpiritalibus Angelis imitatione conuerſationis æquantur, quàm merito, & gratia caſtitatis, per quam adhuc in terra degentes, habent ſecundum Apoſtolum municipatum in cœlis, quod depoſita corruptela carnali habituros promittitur in futurum, hic iam in carne fragili poſſidentes.* ſic Caſſianus.

Philip. 3. Matth. 22.

Auguſtinus. Auguſtinus ſerm. 46. de verbis Domini, loquens cum ijs, qui caſtitatem vouerunt: *Mementote*, inquit, *in quocunque ſexu ſitis, ſiuè mares, ſiuè fœminæ, Angelorum vitam ducere vos in terra. Angeli n. non nubunt, neque vxores ducunt. Hoc erimus cum reſurrexerimus. Quanto vos meliores, qui id, quod erunt homines poſt reſurrectionem, hoc vos incipitis eſſe ante mortem.* Idem Auguſtinus lib. 1. de ſancta virginit. cap. 23. *Virginitas*, inquit, *Angelica portio eſt.*

Matth. 22.

Auguſtinus.

Chryſologus. Petrus Chryſol. ſerm. 143. eam præfert quodammodo Angelis: *Angelis*, inquit, *ſemper cognata virginitas, in carne præter carnem viuere, non terrena vita eſt, ſed cœleſtis: & ſi vultis ſcire, Angelicam gloriam acquirere maius eſt, quàm habere; eſſe Angelum felicitatis eſt, Virginem eſſe virtutis: Virginitas n. hoc obtinet viribus, quod habet Angelus ex natura Angelus ergo, & Virgo diuinum agunt officium, non humanum.* ita Chryſologus. Eadem antea dixerat Sophronius inter opera Hieronymi ſerm. de Aſſumpt. Idē indicat Bernardus epiſt. 42. *Caſtitas*, inquit, *Angelum de homine facit, & ſi Angeli caſtitas felicior, hominis tamen fortior eſſe cognoſcitur.* Idem habet Bernardus epiſt. 113. cuius rationem inſinuat: *Angelus*, inquit, *habet virginitatem, ſed non carnem.* Quare Auguſtinus ſerm. 250. ait: *Inter omnium chriſtianorum certamina, ſola clariora eſſe prælia caſtitatis, vbi quotidiana eſt pugna, & rara victoria.*

Sophronius.

Bernardus.

Auguſtinus.

Virgines ſunt præcipua Eccleſiæ membra.

10 Adhæc virgines inter præcipua Eccleſiæ membra adnumerantur. S. Ignatius Romã ad martyrium proficiſcens epiſt. 10. ad Heronem, cui Antiochenam Eccleſiam commẽdabat: *Virgines*, inquit, *ſerua, vt pretioſa Chriſti monilia.* & epiſt. 4. ad Tarſenſes: *Eas*, inquit, *quæ in virginitate degunt in pretio habete velut Chriſti ſacerdotes.*

Ignatius.

Athanaſius. Athanaſius in Apologia ad Conſtantium: *Certè puellas*, inquit, *virginitate præditas ſponſas Chriſti catholica Eccleſia appellare ſolita eſt, quas Ethnici conſpectas, vt templum Verbi admiratione proſequuntur. Has præ reliquis omnibus beatæ memoriæ pater tuus Conſtantinus Auguſtus in pretio habuit, & tua religioſitas ſæpè in ſuis ſcriptis pretioſas, & ſanctas nominauit.* ſic ille.

Tertullianus A Tertulliano lib. de pudicitia, virgines dicuntur: *Flos morum, Honor corporum.*

Cyprianus. A Cypriano loc. cit. *Flos eccleſiaſtici germinis, Decus, atq; Ornamentũ gratiæ ſpiritualis, tota indoles Laudis, & Honoris: opus integrum, atq; incorruptum, Dei imago reſpondens ad ſanctitatem Domini, illuſtrior Portio gregis Chriſti.* ita Cyprianus. Cuius verba refert ex eodem Auguſtinus lib. 4. de doctr. chriſt. cap. 21.

Hic-

Hieronymus ad Demetriadem de ſeruanda virginitate: *Habet*, inquit, *& pudicitia ſeruata martyrium ſuum.* Ambroſius lib.1. de Virgin. virginitatem vocat principalem virtutem: *Non enim*, inquit, *ideò laudabilis virginitas, quia in martyribus reperitur, ſed quia ipſa martyres faciat.* pleræq; enim propter ſeruandam virginitatem ea occaſione martyrium ſubiere, vt de S. Agnete, S. Agatha, & alijs, quas in tractatu de virginibus ſect.5. & 6. recenſebimus, memoriæ proditum eſt. pergit Ambroſius: *Quis*, inquit, *humano eam poſſit ingenio comprehendere, quam nec natura ſuis incluſit legibus? aut quis naturali voce complecti, quod ſupra vſum naturæ ſit? è cœlo accerſiuit, quod imitaretur in terris: nec immeritò viuendi ſibi vſum quæſiuit è cœlo, quæ ſponſum ſibi inuenit in cœlo. & quoniam Elias nullius corporei coitus fuiſſe permixtus cupiditatibus inuenitur, ideò raptus curru ad cœlum, ideò cum Domino apparet in gloria, ideò Dominici venturus eſt præcurſor aduentus.* hæc Ambroſius.

Hieronymus. Virginitatis præſtantia. Ambroſius. *Ambroſius.* *4.Reg.2.*

Et quod ad inſignem virginitatis commendationem facit, *Chriſtus Dominus* (vt verbis vtar Hieronymi epiſt.22. ad Euſtochium) *virginitatem in ſe, & in matre ſua dedicare voluit:* propterea Damaſcenus lib.4. de fide cap.25. *Chriſtus*, inquit, *virginitatis decus eſt, & ornamentum, vt qui non modo ex patre citra congreſſum ſit genitus, ſed etiam carnem ex Virgine ſine virili congreſſu aſſumpſerit, ipſeq; omnibus numeris abſolutam virginitatem in ſe ipſo oſtenderit.* ita Damaſcenus.

Hieronymus. *Damaſcenus.*

DEIPARA VIRGO PVRITATE OMNES tùm homines, tùm Angelos ſuperat.

CVm igitur ea ſit virginitatis præſtantia, & Deo ita grata, mirum non eſt ſi virginitatem, vt dicebamus ex Hieronymo, non tantum in ſe, ſed etiam in Maria dedicari voluerit: *Et conſiliorum*, inquit S.Thomas 3.par.q.28.art.4.ad 2. *obſeruatio, quæ per gratiam Dei fit, & ſi perfectè quidem incepit in Chriſto: aliquo tamen modo fuit inchoata in Virgine matre eius:* ex quo infert S.Thomas, Virginem ante Annunciationem ab Angelo votum virginitatis abſolutum emiſiſſe. Quare Bernardus homil.2. ſuper Miſſus eſt: *Voluit*, inquit, *matrem ſuam eſſe Virginem, de qua immaculata immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus.* & mox: *Vt igitur, quæ ſanctum ſanctorum conceptura erat pariter, & paritura ſancta eſſet corpore, accepit donum virginitatis, vt eſſet & mente; accipit & humilitatis.* Idem hom.1. *Et ſi placuit ex virginitate; tamen ex humilitate concepit.* & infra: *Felix Maria, cui nec humilitas defuit, nec virginitas.* & Ambroſius epiſt.82. ex Deipara virgine virginitatis excellentiam colligit: *Quid loquar*, inquit, *quanta ſit virginitatis gloria, quæ meruit à Chriſto eligi, vt eſſet etiam corporale Dei templum, in qua corporaliter, vt legimus, habitauit plenitudo diuinitatis? Virgo genuit mundi ſalutem, Virgo peperit vitam vniuerſorum.* S.Bernardus ſerm.4. de Aſſumpt. *Immobile*, inquit, *virginitatis propoſitum, quod nec Angelo filium promittente aliquatenus titubauit.* Idē repetit ſerm. Signum magnum. Quòd animaduerterat Nyſſenus hom.de Natiu.Dom. vbi expendens verba Virginis ad Angelum: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco: Angelus*, inquit, *partum nunciat, & illa virginitati inhæret, & integritatem angelicæ demonſtrationi anteponendam iudicat: nec Angelo fidem non habet, nec à propoſito recedit ſuo. Interdixi, inquam, mihi viri conſuetudinem.* ſic Nyſſenus. Quare Baſilius hom.de hum.Chr.gener. *Nulla*, inquit, *puritate par Mariæ virginitas inter homines ad effectum ſancti Spiritus excipiendum eſt reperta.*

Deipara homines, ac Angelos puritate antecellit. *Hieronymus. S. Thomas.* *Bernardus.* *Ambroſius.* *Virgo proprium Deiparæ epithetum.* *Bernardus.* *Nyſſenus. Luc.1.* *Baſilius.*

Quin etiam illud animaduerſione dignum videtur, Deiparam virginitatis puritate non homines tantum; verùm ipſos etiam Angelos longè ſuperaſſe. quemadmodum ex Alberto docet S.Antoninus 4.par.tit.15.c.17.§.4. cuius hęc ſunt verba: *In omnibus alijs viatoribus caſtitas eſt cum pugna contra fomitem, & cum caſu ad minus imprimente veniale, & cum poſſibilitate cadendi etiam in mortale, exceptis ſanctificatis in vtero, & Apoſtolis Spiritu ſancto repletis dicit Albertus: ſed in B. Maria fuit caſtitas ſine pugna fomitis, & ſine caſu, & poſſibilitate cadendi in mortale, vel veniale. Nec ſolum hominum viatorum, ſed etiam Angelorum caſtitatem exceſſit: eſt.n.primo multiplicior, quia Angeli; ſolum eam habent in ſpiritu, non in corpore, quod non habēt: ſed B. Maria in ſpiritu, & corpore eſt Virgo: eſt ſecundo nobilior, & vtilior, quia Angelis eſt naturalis, vnde nec meritoria: in B. Maria eſt gratuita, & meritoria. Eſt tertio glorioſior, quia in Angelis quaſi neceſſaria, &*

Virginitas Deiparæ hominum, & Angelorum caſtitatem quomodo antecellat S. Antoninus. *Albertus.*

sine pugna; in Maria voluntaria, & cum victoria. huc vsque S. Antoninus. Hinc rectè inferimus cum S. Thom. in 4. dist. 49. quæst. 5. art. 3. quæst. 1. ad 2. cum Auctore supplemẽti Gabrielis in 4. dist. 49. q. 4. art. 3. dub. 2. & cum Suario tom. 2. in 3. par. disp. 21. sect. 4. Deiparam tanto excellentiorem virginitatis Aureolam esse adeptam, quanto perfectius virginitatem præ cæteris seruauit. Quod. n. absque pugna fomitis eam custodierit, id nec præmium, nec eius coronam diminuit, vt fusè Auctor supplementi ostendit: nam ex D. Thoma loc. cit. quamuis Deipara pugnam non habuerit per tentationem, quæ est à carne propter eius perfectam sanctificationem: habuit tamen pugnam, quæ est ab hoste; qui nec etiam ipsum Christum est reueritus, vt patet Matth. 4. hæc S. Thomas.

D Thomas.
Auctor supplementi Gabriel.
Suarius.
B. Virgo habuit aureolam virginitatis.
Matth. 4.

Zacharias Sacerdos sui nece comprobatam Mariæ virginitatem reliquit. Matth. 23.

12 Et sanè Deus optimus virginitatem suæ Genitricis etiã postquàm filium peperit Iudæis per S. Zachariam Io. Baptistæ parentem contestatam voluit. Cum. n. in templo Ierosolymitano Virginibus ad orandum separatus locus ab alijs mulieribus esset assignatus, & in eodem Deipara post Christi natiuitatem ad preces fundendas consisteret; Zachariam, qui eam Virginem esse, ac propterea eo loco dignam constanter testabatur, ob id à Iudæis inter templum, & altare interfectum esse affirmant complures ex Patribus.

Origenes.

Origenes. n. cum ex quadam traditione meminisset loci peculiaris in templo, qui solis virginibus ad orandum patebat, hæc subijcit: *Maria autem postquam genuit Saluatorem, ingrediens adorare, stetit in illo virginum loco, prohibentibus autem eis, qui nouerant eam iam filium genuisse; Zacharias stetit, atq; dixit, prohibentibus eam, quoniam digna est virginum loco, cum sit adhuc Virgo. ergo quasi manifestissimè Zachariam aduersus legem agẽtem, & in loco virginum permittentem stare mulierem, occiderunt inter templum, & altare viri generationis illius.* hæc Origenes. qui pergit probare Zachariam, quem Christus affirmat interfectum à Scribis, & Pharisæis inter tẽplum, & altare, fuisse præcursoris patrem: nam exprobrat illis, tanquã qui ipsi hoc perpetrassent: *Nec mirum,* inquit, *est, si contingat eiusdem nominis esse, & vtrumque Zachariam, & patres eorum.* Et certè post Zachariam filium Ioiadæ, de quo Christum esse locutum existimat Hieronymus in Matth. 23. Ieremias, & Ezechiel (vt testatur Epiphanius de vitis Prophetarum) à Iudæis sunt interfecti. quod ipsum astruitur in Martyrol. Rom. de Ieremia quidẽ 1. Maij, & de Ezechiele 10. Apr. & post Zachariam, qui est ex 12. Prophetis vnus, Eleazarus, & septem fratres Machabei cum matre martyrio sunt affecti; & tamen Christus Dominus compleri vult martyres omnes ab Abel vsque ad vltimum eo tempore interfectum. quare hæc Hieronimi sententia de Zacharia filio Ioiadæ non probatur.

Matth. 23.
Hieronymus.
Martyr. Rom.
2. Machab.

Basilius.

Basilius de humana Christi generatione eãdem historiam ab Origene allatam refert, aitq; Zachariam patrem Ioan. Baptistę interfectum, quod rem inauditam, prodigiosamq; prædicaret, Virginem videlicet parientem citra virginitatis corruptionem.

Nyssenus.

Nyssenus hom. de Chr. Natiu. hæc eadem habet, additq; locum virginum fuisse quoddam spatium inter templum, & altare. Iudæos autem cum audissent à Zacharia rerum omnium regem in vitam humanam diuino ordine. i. ex Virgine prodijsse, metuentes ne Regi subderentur, Zachariam Sacerdotem, qui hæc de ipso partu testificabatur, ad ipsum altare sacrificãtem interfeciisse. Idem de Deipara in templo in loco virginum etiam post partum cõsistente, & de nece Zachariæ habẽt Cyrillus lib. aduersus Antropomorphitas cap. 27. & Metaphrastes in comm. de S. Io. Bapt. & Theophilactus, & Euthymius in cap. 23. Matth. Quin etiam præter citatos Auctores, alij quoque de Zacharia Io. Baptistæ parente, Christum intellexisse cum dixit Matth. 23. *Quem occidistis inter templum, & altare,* testantur Epiphanius in lib. de vitis Prophetarum in Zacharia. Andreas Cretensis in orat. de amputatione capitis Io. Baptistæ. Cedrenus in compendio histor.

Cyrillus.
Metaphrastes.
Theophilatus.
Euthymius.
Matth. 23.
Epiphanius.
Andr. Cret.
Cedrenus.

Et verò hoc VIRGINIS epithetum adeò proprium est Deiparæ, vt Epiphan. hær. 78. *Quis vnquam,* inquit, *aut quo seculo ausus est proferre nomen sanctæ Mariæ, & interrogatus non statim intulit virginis vocem? & Abrahamo impositum est epithetum Amicus Dei, & non dissoluetur, Iacob verò, vt Israel vocetur, & non alterabitur; & sanctæ Mariæ vox VIRGO, & non mutabitur, impolluta enim permansit.* hæc ex Epiphanio.

Epiphanius.
Iacob. 2.
Gen. 32.

Ildefonsus verò serm. 4. de Assumpt. eam dicit Virginem sanctam, Virginem prudentem, & vnam ex numero prudentum, Virginem pulcherrimam, Virginem pudicam.

Ildefonsus.

Verùm cũ de virginitate Deiparę Patres, & Theologi tam accuratè, tam copiosè egerint

rint contra Iudæos Ethnicos, & Hæreticos, præsertim noster Canisius toto lib. 2. de B. Virg. & noster Suarez tom. 2. in 3. par. disput. 5. & 6. non est cur pluribus in re clarissima immoremur: aliquas tamen ex sacris litteris, siuè figuras, siuè prophetias, quibus Deiparæ virginitas fœcunda significatur, afferemus, quæ adiunctis Patrum expositionibus ad hanc veritatem confirmandam, & illustrandam vim habent maximam. *Canisius. Suarez.*

FIGVRAE, ET PROPHETIAE DE virginitate Deiparæ.

13 PRima sit ex sacra Genesi: *Adam de terra virgine* (inquit Ambrosius sermone 37. de quadrag.) *natus est, & Christus matre virgine procreatus: illius maternum solum, nec dum scissum fuerat; istius maternum secretum nunquam concupiscentia violatum. Adam Dei manibus plasmatur è limo: Christus Dei Spiritu formatur in vtero.* sic Ambrosius. & Irenæus lib. 3. contra hæreses cap. 31. *Quemadmodum protoplastus de rudi terra, & adhuc Virgine* (nondum enim pluerat Deus, & homo non erat operatus terram) *ita recapitulans in se Adam ipse Verbum existens ex Maria, quæ adhuc erat Virgo rectè accipiebat generationem Adæ recapitulationis.* Andreas Cretensis oratione in Annunciatione: *Salue sancta virginalis tellus, ex qua nouus Adam ineffabili fictione formatus est, qui veterem saluti restitueret. Salue Dei ager amplissime, quem nullus alius locus, nisi tu sola, comprehendere potest.* *Gen. 1. Figuræ, & Prophetiæ de virginitate Deiparæ. Ambrosius. Irenæus. Andr. Cretens.*

Genes. 3. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem,* idest Virginem Deiparam, *& semen tuum, & semen illius:* semen mulieris est Christus Dominus, & ab ea denominatur, quia vt homo ab ea sola carnem suscepit. Quod rectè expendit Irenæus lib. 4. cap. 78. Tertullianus lib. 3. contra Marcionem cap. 20. Cyprianus lib. 2. testimon. cap. 9. Rupertus lib. 3. de Trinit. cap. 34. Epiphanius hæres. 78. *Impletur,* inquit, *hoc in semine sancto eximio solo, quod à Maria solum inuentum est, & non ex coniugio viri.* sic Epiphanius. *Genes. 3. Christus dicitur semen mulieris. Irenæus. Tertullianus. Cyprianus. Rupertus. Epiphanius.*

Exod. 3. *Rubus ardens incombustus,* vt canit Ecclesia Deiparæ virginitatem significat. quoniam Rubus ille ab igne, quo ardebat, virorem non amittebat: ita Deipara Deū, qui ignis dicitur Deut. 4. concipiens, virginitatis virorem retinuit. Et Proclus Episcopus Constantinopolitanus de Deipara: *Hæc,* inquit, *animatus naturæ Rubus, quem diuini partus ignis non consumpsit.* Et Bernardus hom. 2. super missus est: *Portendebat,* inquit, *Rubus ille Mariam parientem, & dolorem non sentientem.* eodem modo explicant Andreas Cretensis orat. 2. de dorm. Ephræm sermone de laudib. Virg. qui eam sic affatur: *O Rube ardens incombuste.* Hesychius hom. 2. de Deipara. Gregorius Nyssenus oratione de humana Christi natiuitate. Chrysostomus, Eucherius, Chrysippus hom. de Deipara: *Aue,* inquit, *Rubus ardens igne spirituali, nusquam tamen adureris.* Damascenus orat. 1. de dorm. Georgius Nicomediensis orat. de oblat. Virg. & alij. Origenes verò pulchre hom. 1. ex decem varijs tom. 3. *Sicut,* inquit, *Rubus quondam comburi videbatur, & ignis eum non tangebat: & sicut tres pueri in camino ignis inclusi habebantur, & tamen eos non lædebat incendium, nec odor fum erat in eis: vel quemadmodum Danieli intra lacum leonum incluso, claustris non apertis allatum est prandium ab Abacuch: ita & hæc Virgo sancta genuit Deum, sed intacta permansit: Mater effecta est, sed virginitatem non amisit.* & infra: *Huius vnigeniti Dei dicitur hæc mater virgo Maria, digna digni, immaculata sancti, Amica vnico; nec enim alter vnigenitus super terram venit, aut alia Virgo vnigenitum genuit.* hæc Origenes. In eandem quoque sententiam eleganter Rubum incombustum explicat Ildefonsus serm. 1. de Assumpt. *Bernardus. Andreas Cret. Ephræm. Hesychius. Gregorius Nyss. Chrysostomus. Eucherius. Chrysippus. Damascenus. Georg. Nicom. Origenes. Exod. 3. Dan. 3. Dan. 14. Ildefonsus.*

14 Exod. 31. *Ipsa lex sine graphio,* inquit Augustinus sermone 14. de Natali, *scripta in tabulis lapideis, hanc virginitatem indicabat.* Georgius Nicomediensis orat. de oblat. Virg. vocat eam Tabulas à Deo impressas. Idem Damascenus orat. de dorm. Ephræm serm. de laud. Virg. eam Tabulam appellat scriptam legem ferentem mortalibus. *Exod. 31. Georg. Nicom. Damascenus.*

Numer. 17. *Virga Aaron,* inquit Augustinus loco citato, *annis siccata plurimis, sine aqua reuixit in templo, floruit, nuces produxit.* Idem sermone 3. Aduent. *Virga Aaron,* inquit, *ecce protulit, quod ante non habuit, non radicata plantatione, non defossa sarculo, non animata succo, nec fœcundata seminario, & tamen cum illic deessent vniuersa iura natu-* *Per virgam Aaron significatur Deipara. Num. 17. Augustinus.*

ræ,protulit virga,quod nec ſemine ſuggeri potuit, nec radice : virga ergo potuit contra naturam nuces producere,Virgo non potuit contra naturæ iura Dei filium generare? hæc Auguſtinus. Et Cyrillus Ieroſolymitanus cath. 18. *Si illa floruit propter ſummum Sacerdotem,hæc vt pareret verum ſacerdotem.* Bernardus loco citato: *Quid* inquit,*roco virga Aaron florida,nec humectata ſignificat,niſi ipſam concipientem,quamuis virum non cognoſcentem,huius magni miraculi maius myſterium Iſaias ediſſerit dicens : Egredietur virga de radice Ieſſe,& flos de radice eius aſcendet: virga virginem;florem, Virginis partum intelligens.* & infra: *Nec virgæ virorem floris lædet emiſſio,nec Virginis pudorem ſacri partus editio.* ita Bernardus. qui illam addit ſimilitudinem: *Sicut,* inquit, *ſine ſui corruptione Sidus ſuum emittit radium : ſic abſque ſui læſione Virgo parturit filium: nec Sideri radius ſuam minuit claritatem,nec virgini filius ſuam integritatem.* hæc Bernardus. Heſychius ad virginitatem Deiparæ refert hanc virgam nullo modo vulnerari, aut incuruari potuiſſe. & Ephræm orat.de laudib.Virg.ad eam ſic ait: *O viridans Aaronis virga: virga enimuerò extitiſti, & flos filius tuus.* ſic ille. & Ildefonſus ſermone 6.de Aſſumptione: *Virga,* inquit, *Aaron ſacra eſt Virgo Maria,quæ neque ſata, neque radicata ſine vllo cultore tertio die,hoc eſt tertio ſeculi tempore ſancto Spiritu eſt fœcundata,nobisq; Deum genuit,& hominem Chriſtum,cuius vtraque ſubſtantia benè per Amygdalam eſt figurata. Amygdala namq; ex carne,oſſe,& nucleo conſtat,ſic Deus & homo in vna perſona eſt Ieſus Chriſtus: & in Amygdala quidem caro exterior amariſſima eſt, nucleus verò interior veſcentes grata dulcedine reficit. ſic & Chriſtus, per humanitatem paſſionis amaritudinem ſenſit : per diuinitatem impaſſibilis manſit. De hac virga Iſaias Propheta dixerat: Egredietur virga de radice Ieſſe,& flos de radice eius aſcendet.* huc vſque Ildefonſus.

Num.24. *Orietur ſtella ex Iacob.* quod Iuſtinus martyr Apolog.2. pro chriſtianis ad virginitatem Deiparæ accommodat. ſimiliter & Bernardus hom.2.ſuper Miſſus eſt:*Nec ſideri radius ſuam minuit claritatem: nec virgini filius ſuam integritatem : ipſa igitur eſt nobilis ſtella ex Iacob, cuius radius vniuerſum orbem illuminat :* dicitur verò ſtella Iacob,quia ex ſtirpe Iacob,& quia Iacob ſupplantatorem ſonat,dæmonum enim prudentiſſima fuit ſupplantatrix,& Chriſti aduentum veluti ſtella matutina prænunciauit.

15 Iudic.6. vellus Gedeonis rore perfuſum & madidum: *Quod,* inquit Bernardus loco citato,*de carne tonſum, ſed ſine vulnere carnis in area ponitur, & nunc quidem lana, nunc verò area rore perfunditur,carnem aſſumptam de carne Virginis abſque detrimento virginitatis oſtendit: & quemadmodum in Gedeonis vellus ros cœleſtis deſcendit,ita Virgini diſtillantibus cœlis tota ſe infudit plenitudo diuinitatis.* ita Bernardus. Ideò Methodius oratione in hypapante ad Deiparam: *Tu,* inquit, *incomprehenſibilis illius roris vellus.* & Proclus Epiſcopus Conſtantinopolitanus de Deipara: *Hæc,* inquit,*vellus mundiſſimum cœleſti pluuia madens,ex qua Paſtor ouem induit.* Ab Ephræm quoque Vellus dicitur Gedeonis, vide etiam ſupra cap.24.quæ de rore,qui ex Aurora procedit diximus. Sophronius ſermone de Aſſumptione,ſimiliter hoc Gedeonis vellus de virginitate Deiparæ interpretatur. Ambroſius ſermone 13. *Maria,* inquit, *rectè velleri comparatur, quæ ita concepit Dominum,vt toto eum corpore hauriret, nec eius diſciſſuram corporis pateretur, ſed eſſet mollis ad obſequium, ſolida ad ſanctimoniam.* hæc Ambroſius. Chriſtum verò per rorem purum, & album,quo æſtus noſter concupiſcentiæ temperatur, & cor noſtrum ad bona opera germinanda fœcundatur, ſignificari diximus cap. 24. quod ex alijs ſacrarum litterarum locis ibi oſtendimus.

Pſal.71. *Deſcendit ſicut pluuia in vellus.* Ambroſius ſermone 13. vt dicebam ad virginitatem Deiparæ accommodat,in quam Deus deſcendit ſine vlla virginitatis læſione: *Quid enim,* inquit,*tam ſilenter, & ſine ſtrepitu fit, quàm cum imber in lanæ vellus infunditur?* Chryſologus ſermone 143.explicans illud pſal.71. *Vellus,* inquit, *cum ſit de corpore,neſcit corporis paſſiones: ſic virginitas cum ſit in carne, vitia carnis ignorat: cœleſtis ergo imber virgineum in vellus placido ſe fudit illapſu,& tota diuinitatis vnda bibulo ſe noſtræ carnis celauit in vellere,donec per patibulum crucis expreſſum,terris omnibus in pluuiam ſalutis effunderet.* hæc Chryſologus. quæ ad verbum ex Sophronio ſermone de Aſſumptione accepit. Idem Damaſcenus orat.1. de dormit. Bernardus ſerm. 2. in Annunciatione : *Singulariter,* inquit, *fructus ventris tui eſt Chriſtus, ſed ad omnium*

quidem

Cyrill. Ieroſol.
Bernardus.
Iſa. 11.
Sydus Virgineæ Deiparam ſignificat.
Heſychius.
Ephræm.
Ildefonſus.
Numer.24.
Stella Iacob.
Iuſtin. mart.
Bernardus.
Iudic. 6.
Vellus Gedeonis.
Bernardus.
Methodius.
Proclus.
Ephræm.
Sophronius.
Ambroſius.
Chryſoſtomus
Pſal. 71.
Ambroſius.
Chryſologus.
Deſcendit ſicut pluuia in vellus
Pſal. 71.
Damaſcenus.
Bernardus.

quidem mentes te mediante peruenit. ſic nimirum, ſic olim Ros totus in vellere, totus in area, ſed in nulla parte areæ totus, ſicut in vellere fuit. ita Bernardus. Ex hoc autem vellere Chriſti corpus veluti indumentum quoddam contextum eſſe oſtendimus cap. 8.

Pſal. 131. *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Hoc autem Auguſtinus in eiuſdem pſalmi enarratione de Mariæ vtero ortæ ex ſtirpe Dauid intelligendum docet: *De fructu,* inquit, *ventris, quia de fœmina natus eſt Chriſtus, quo vir non acceſſit.* & Tertullianus lib. de carne Chriſti cap. 21. & lib. 3. contra Marcionem cap. 20. *Venter,* inquit, *iſte non eſt ipſius Dauid, qui pariturus non erat, ſed nec vxoris eius: dixiſſet enim potius: Ex fructu ventris vxoris tuæ; aliquem ergo de genere eius oſtendit, cuius ventris futurus eſſet fructus caro Chriſti, quæ ex vtero Mariæ floruit, ideoq; & fructum ventris tantum nominauit, vt propriè ventris quaſi ſolius ventris non etiam viri, & ipſum ventrem ad Dauid redegit ad principem generis, & familiæ Patrem.* hæc ille.

Pſal. 131. Auguſtinus.

Tertullianus.

Pſal. 138. *Imperfectum meum viderunt oculi tui,* pro quo S. Ambroſius lib. 3. de fide cap. 7. ex græca dictione ἀκατέργαστον legit inoperatum, idq; refert ad verbum Dei genitum, ſed inoperatum, & increatum. additq; ex aliquorum ſententia illud ad Chriſti ex virgine generationem referri: *Scio,* inquit, *aliquos dicere inoperatum eſſe etiam Incarnationis myſterium, quod non ſit virilis copulæ vſus operatus, quia partus eſt Virginis: ſi ergo pleriq; hoc loco nec Mariæ partum opus eſſe dixerunt, tu Ariane opus putas eſſe Dei Verbum?* ſic Ambroſius.

Pſal. 138. Ambroſius.

16 Cant. 2. *Ego flos campi,* quod virginitatem Deiparæ exprimere docet Bernardus ſermone 2. de Aduentu: *Chriſtus,* inquit, *Dominus flos eſt candidus, & rubicundus, electus ex millibus: flos in quem proſpicere deſiderant Angeli: flos ad cuius odorem reuiuiſcunt mortui, & ſicut ipſe teſtatur, flos campi eſt, non horti: campus enim ſine omni humano floret adminiculo, non ſeminatus ab aliquo, non defoſſus ſarculo, non impinguatus ſimo: ſic omnino, ſic Virginis aluus floruit, ſic inuiolata, integra, & caſta Mariæ viſcera tanquam paſcua æterni viroris florem protulere.* & in eodem ſermone dixerat: *Ad Ciuitatem Nazareth aduolaſſe Dominum, quod interpretatur flos, & ad ſuaueolentem perpetuæ virginitatis florem adueniſſe, illi inſediſſe, illi inhæſiſſe.* ita Bernardus. Rupertus in Cantica: *Chriſtus flos in tali campo exoriens, quia nec aratro ſciſſus, neque manu hominis ſatus; tamen florem tulit medicamentum animarum.* Propterea Ephræm ad virginitatem Deiparæ ſpectans in ſerm. de laudib. Virg. ad eam loquens, ſic ait: *O Rube ardens incombuſte, & prædium patens, viridansq; Aaronis virga.* ſic ille. Prædium enim patens vocauit, quia eſt campus, vbi ortus eſt flos iſte abſque coloni opera. quamuis etiam patens dici poſſit, quod omnes ad eam liberè confugere poſſint. Ildefonſus ſermone 6. de Aſſumptione: *Flos,* inquit, *ſacerrimus Chriſtus, qui de ſe ipſo in epithalamium Eccleſiæ loquitur: Ego flos campi, & lilium conuallium; flos enim campi, qui nec aratus, nec ſeritus fuit, quia de Virgine ſine virili miniſterio natus apparuit: lilium autem conuallium extitit ad inſinuãdum humilitatis exemplum dignatus pro nobis, & ipſe pauper fieri.* ſic Ildefonſus.

Cant. 2. Chriſtus flos campi. Bernardus.

Rupertus.

Ephræm.

Ildefonſus.

Cant. 2. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Ad virginitatem Deiparæ ſignificandam ſpectat: per lilium enim in ſpinis virginitas adumbratur. Quare Ambroſius lib. 1. de virgin. *Virginitas,* inquit, *ſpiritualium nequitiarum ſentibus obſidetur. ergo ſumat alas virgo, ſed ſpiritus vt ſuperuolet vitia, ſi contingere cupit Chriſtum.* ita Ambroſius. Deipara porrò propter puriſſimam virginitatem huic lilio puriſſimo aſſimilatur. Ephræm ſermone de laud. Virg. *Aue,* inquit, *lilium conuallium, & vallis fidelium.* dicitur autem lilium conuallium propter humilitatem eius profundiſſimam cum virginitatis præſtantia coniunctam, ac proinde maiori admiratione dignam. quarum virtutum permixtionem Bernardus hom. 1. ſuper miſſus eſt, adeò in Deipara extollit, ac nobis imitandas proponit. de qua nos cap. 21.

Cant. 2. Sicut lilium inter ſpinas. Ambroſius. Ephram. Bernardus.

17 Cant. 4. *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa. Hortus concluſus, fons ſignatus, emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum, &c.* Deipara enim hortus quidem, & fons eſt propter fœcunditatem, fuit enim Mater: ſed concluſus, & ſignatus propter virginitatem. atque de virginitate Deiparæ hoc intelligunt Nyſſenus de Natiuitate Domini. Epiphanius ſermo de laudib. Deiparæ, Ambroſius de Inſtitut. Virg. cap. 8. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, & lib. contra Heluidium. Petrus Chryſologus ſerm. 145. Georgius

Cant. 4. Hortus concluſus. fons ſignatus. Nyſſenus. Epiphanius. Ambroſius. Hieronymus. Petr. Chryſol.

Georg. Nicom. Rupertus. Honorius. Heſychius. gius Nicomediēnſis orat.de oblat.Virg. Rupertus lib.4.in Cant. Honorius in ſigillo. & propterea Heſychius hom.2.de Deipara,vocat eam Hortum non ſeminatum,fertilem, incultum,Vitem vuarum feracem,valde florentē,intactam: Turturem mundam, Columbam impollutam, Nauem mercibus refertam,nulloq; egentem gubernatore: & propter eandem virginitatem Lucernam vocat,quæ à ſe ipſa iugiter ardeat.Ambroſius de Inſtitut.Virg.cap.9. *Hortus*,inquit,*clauſus es Virgo, ſerua fructus tuos, non aſcendant in te ſpinæ, ſed vuæ tuæ floreant,nemo auferat ſepem tui pudoris,quia ſcriptum eſt, Et deſtruentem ſepem mordebit ſerpens. Fons ſignatus es Virgo, nemo aquam tuam polluat, nemo conturbet, vt imaginem tuam in fonte tuo ſemper attendas.* ita Ambroſius. & Hieronymus loco citato addit hunc fontem ſignatum fœcundum fuiſſe plurimarum virginum, quæ ex eo manarunt: *Hortus*,inquit,*concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus. Quod clauſum eſt, atque ſignatum ſimilitudinem habet matris Domini, matris & virginis: vnde & in ſepulchro Saluatoris nouo, quod in petra puriſſima fuerat exciſum, nec ante, nec poſtea quiſquam poſitus eſt; tamen hæc Virgo perpetua multarum eſt mater Virginum. ſequitur enim: Emiſſiones tuæ paradiſus malogranatorum cum fructu pomorum: In malogranatis, & pomis omnium virtutum ſignificatur in virginitate concentus.* Idem Hieronymus in Apologia ad Pammachium pro libris aduerſus Iouinianum, de B. Virgine: *Hortus*, inquit, *clauſus, fons ſignatus, de quo fonte ille fluuius manat iuxta Ioel, qui irrigat torrentem, vel ſunium, vel ſpinarum: ſunium peccatorum, quibus ante alligabamur; ſpinarum, quæ ſuffocant ſementem patris familias.* ſic Hieronymus.

Ecclſ.10. *Hieronymus.* *Cant. 4.* *Marc. 27.* *Ioel 3.*

Cant. 7. Venter vallatus liliis. Carthuſianus. Cant.7. *Venter tuus ſicut aceruus tritici vallatus lilijs*, de quo Carthuſianus de laudib.Virg.art.37.in tritici aceruo fœcunditatem,in lilijs virginitatem adumbrari docet. de hoc pluribus ſupra cap. 8.

Eccl. 24. Eccl.24.*Flores mei fructus honoris, & honeſtatis*, quibus verbis virginitatem, & fœcunditatem Deiparæ indicari oſtendimus ſupra cap.8.

Prouerb.30. 18 Prouerb.30. *Tria ſunt mihi difficilia, & quartum penitus ignoro, viam aquilæ in cœlo, viam colubri ſuper petram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adoleſcentia*: ita legit vulgata,& ſeptuaginta ita tranſtulerunt in græco: verùm ad quatuor præcipuæ vitæ Chriſti myſteria Aſcenſionem,Reſurrectionem,Paſſionem,& Incarnationem plerique referunt,& illud *in adoleſcentia*,nonnulli in alia verſione dicunt legi,*in adoleſcentula*,quoniam in hebræo eſt verbum Alma, quod Virginem ſignificat. & ita explicat Lyranus Prouerb.30. qui ad Chriſti incarnationem de Virgine hunc locum accommodat, cui Ianſenius conſentit. & Galatinus lib.7.de arcanis cap.18 hanc enim vocem, *Alma*, ipſi ſeptuaginta apud Iſaiam cap.7.verterunt παρθένος,& S.Matthæus cap.1.eodem modo accipiendum docet,cum ex Iſaia citat illud: *Ecce Virgo concipiet.*

Lyranus. *Ianſenius: Galatinus. Matth. 1.*

Iſa 7. Prophetiæ Iſaiæ de virginitate Deiparæ. *Caniſius. Viegas.* Eandem Deiparæ virginitatem multa quoque in Prophetis oſtendunt.Iſaias pluribus in locis:nam cap.7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium:* quibus verbis non tantum virginitatem Deiparæ in Chriſti conceptione, ſed etiam in ipſo partu præuaticinatur.hunc locum non minus eruditè,quàm copioſè contra Iudæos perſequitur Caniſius lib.2. de B.Virg.cap.6.& Blaſius Viegas in Apoc.12.comm.3. ſect.14.

Ephram. Iſaiæ quoque cap.11.habetur: *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* de quo Ephræm ſermone de laud.Virg. vbi eam virgam, & Chriſtum florem dicit. Idem Bernardus homil.2. ſuper miſſus eſt, & Hieronymus in Iſaiam, & epiſt. 22. Vbi *virga*,inquit, *mater eſt Domini ſimplex, pura, ſyncera, nullo extrinſecus germine cohærente, & ad ſimilitudinem Dei vnione fœcunda. Virgæ flos Chriſtus eſt, dicam ego flos campi, & lilium conuallium.*ita Hieronymus. meritò autem virgæ aſſimilatur Deipara, quod recta,tenera,& abſque peccati nodo ſit.

Bernardus. Hieronymus. Deipara cur dicatur virga.

Iſa 19. Et cap.19.*Aſcendet Dominus ſuper nubem leuem*,ideſt nullo humani ſeminis pondere prægrauatam,vt Ambroſius,& alij exponunt,de quo egi ſupra cap.3.

Iſa. 35. Et cap.35. *Lætabitur deſerta, & inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium*, quod pulchrè Bonauentura in ſpec.cap.10.de virginitate Deiparæ exponit.

Bonauentura

Iſa. 53. Et cap. 53. de Chriſto: *Et aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti.* quòd Hieronymus ad virginitatem Deiparæ applicat,& pluribus expendit Caniſius loco citato.

Hieronymus. Caniſius.

Et

Et cap. 66. *Antequam parturiret peperit, antequam veniret partus eius peperit maſculum. Quia*, vt exponit Damaſcenus lib. 4. cap. 15. *Virgo ſanctiſſima ſine dolore peperit quem ſine voluptate concepit.* hæc ex Iſaia. *Iſa. 66.* *Damaſcenus.*

19 Apud Ieremiam eſt locus ille celebris cap. 31. *Nouum creauit Dominus ſuper terram, fœmina circumdabit virum*, quia ſola Virgo ſine viro concepit Chriſtum, qui adhuc in vtero matris erat vir omni ſapientia perfectus, quod Auguſtinus egregiè explicat in hunc ſenſum ſermone 18. de ſanctis, & Bernardus pulchrè expendit hom. 2. ſuper miſſus eſt: *Vir*, inquit, *erat Ieſus, nec dum etiam natus, ſed ſapientia, non ætate; animi vigore, non viribus corporis; maturitate ſenſuum, non corpulentia membrorum.* *Ierem. 31.* *Fœmina circũdabit virum.* *Auguſtinus.* *Bernardus.*

Apud Ezechielem 44. *Porta Orientalis clauſa*, vt cap. 2. vberius dixi, hoc ipſum oſtendebat ex Ambroſio de Inſtitut. Virg. cap. 8. ſimiliter id explicant Hieronymus in Apologia ad Pammachium, & in Ezech. cap. 44. Auguſtinus ſermone 2. de Natiu. Chryſoſtomus orat. de Annunciatione. Damaſcenus lib. 4. de fide cap. 15. & orat. 1. de Natiu. Epiphanius ſermone de laud. Virg. Ildefonſus in ſermone de Aſſumptione ſæpè, & alij. Addam verba Origenes hom. 2. ex varijs tom. 3. vbi Deiparæ virginitatem ex hac Porta Orientali clauſa aſtruit: *Porta hæc*, inquit, *Orientalis, quæ reſpicit ad Orientem, ſemper clauſa erit, & nemo intrabit per eam, niſi ſolus Pontifex: & ſicut clauſo lapide exiuit Dominus de ſepulchro, ita clauſo vtero Virginis in hunc mundum intrauit.* ſic Origenes. Ildefonſus verò in ſermone de parturitione, & purgatione B. Virginis ex quodam hymno S. Ambroſij in honorem Virginis hæc habet. *Ezech. 44.* *Virgo Porta Orientalis clauſa.* *Ambroſius.* *Hieronymus.* *Auguſtinus.* *Chryſoſtomus.* *Damaſcenus.* *Epiphanius.* *Ildefonſus.* *Origenes.*

Sit porta Chriſti peruia,
Refecta plena gratia,
Tranſilijt Rex, & permanet
Clauſa, vt fuit per ſæcula.

Danielis 2. *Lapis abſciſſus de monte ſine manibus*, Chriſtum ſignificat lapidem pretioſum de monte (ideſt Virgine) ſine virili opera genitum, vt cap. 5. diximus ex complurium Patrum ſententia, & percuſſit ſtatuam Nabuchodonoſori per viſum oſtenſam. Nam ex Hieronymo in epiſt. 22. *Chriſtus lapis prædicatur abſciſſus de monte ſine manibus, ſignificante (inquit Propheta) Virginem naſciturum de virgine: manus quippe accipiuntur pro opere nuptiarum, vt ibi ſiniſtra eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* ita Hieronymus. *Daniel. 2.* *Lapis de monte ſine manibus.* *Hieronymus.*

VIRGINITAS DEIPARAE ALIQVIbus gentilibus præoſtenſa.

20 QVoniam autem virginitas fœcunda miraculum eſt longè maximum: *Siquidem minus*, inquit Ambroſius de Inſtitut. Virg. cap. 5. *erat hominem reſurrexiſſe, quàm Virginem parturire; etenim iam Eliæ precibus, Eliſei orationibus mortui reſurrexerant, nunquam autem ante, nunquam poſtea Virgo generauit.* ita Ambroſius, cui conſonat Theophilactus: *Maius eſt*, inquit, *Chriſtum à Virgine naſci, quàm à mortuis reſurgere.* Idcircò voluit Deus etiam inter gentiles hanc Deiparæ virginitatem à Sibyllis celebrari, quas omnes refert ad verbum Caniſius lib. 2. de B. Virg. cap. 7. Sanè Sibylla Cumæa apertè id vaticinatur, ex qua Virgilius, vt Auguſtinus animaduertit lib. 10. de Ciuit. cap. 27. & Cõſtantinus Magnus oratione ad ſanctum Cętum cap. 20. integram ferè eglogam, cuius initium eſt: *Sicelides muſæ*, deſumpſit: licet poetico more ad alium ſenſum detorſerit. Nec illud ſilentio inuoluam, adeò exploratum apud veteres fuiſſe vaticinium hoc in Virgilij egloga ex Sibylla Cumæa deſumptum, ad Chriſtum pertinere, vt Secundianus vir eloquentiſſimus præfecti aſſeſſor, qui prius multos chriſtianorum excrùciauerat, & Marcellianus Orator olim chriſtianorum hoſtis, & Verianus Pictor hunc Virgilij locum tractantes, & de Chriſto in eo agi apertè videntes, fidem chriſtianam non tantum amplexi ſint, verùm etiam pro eadem ſub Decio Imperatore illuſtre martyrium ſubierint. Rem geſtam narrat breuiter Petrus de Natalibus in Catalogo sãctorum lib. 7. cap. 41. & fuſius reperitur deſcripta apud Surium 9. Auguſti, quo die in Martyrologio memoria eorum recenſetur. Virgilij carmina, quæ virginitatem Deiparæ indicant, hæc ſunt. *Virginitas fœcunda miraculum maximum.* *Ambroſius.* *3. Reg. 17.* *4. Reg. 4.* *Theophilatus.* *Virgo beata à ſibyllis, & gentilibus celebrata.* *Caniſius.* *Virgilius.* *Auguſtinus.* *Conſt. Magnus.* *Petr. de Natal.* *Surius tom. 4.* *Martyr. Rom.*

Vltima

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas,
Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo:
Iam redit & Virgo, redeuns Saturnia regna:
Iam noua progenies cœlo demittitur alto.

Paul. Diaconus. Sigiberius. D. Thomas. Claruerunt ex Genebrardo circa annum 782.

Nec Sibyllis ſolum, ſed nonnullis etiam alijs gentilibus Deus optimus cognitam voluit Deiparæ virginitatem: habetur enim in hiſtorijs à Paulo Diacono Sigiberto, & alijs conſcriptis, & refert S. Thomas 2.2.q.2.art.7. ad 3. Conſtantini tempore, & Helenæ, vt ait S. Thomas, ſeu potius Irenes, inuentum fuiſſe ſepulchrum, in quo iacebat homo aueam laminam habens in pectore cum hac inſcriptione: *Chriſtus naſcetur ex Virgine, & ego credo in eum; ò ſol ſub Irene, & Conſtantini temporibus iterum me videbis.* Et

Druides Carn.

Carnuti in Gallia Druides ſapientiſſimi aram, vt cap. 5. diximus, dicarunt cum hac inſcriptione: *Virgini paritura.* Et quoniam Ieremias, vt refert S. Epiphanius in vitis Prophetarum Aegyptijs prædixerat ſuorum ſimulacrorum ruinam: *Vbi Aegyptum,* inquit, *aſcendet cum ſuo infante, Virgo enixa Deo ſimilis.* ita Epiphanius. Ex hoc vaticinio ferunt Aegyptios, vt teſtatur Caniſius libro 2. de B. Virgin. capit. 17. Virginem in lecto, & infantem in præſepi paſſim collocare, ſimulq; adorare ſolitos. & Rodericus Sanctius in hiſtoria hiſpanica par. 2. cap. 40. narrat à Iudæo librum vetuſtiſſimum repertum, dum vineam foderet, in quo triplici lingua ſcriptum erat: *Filius Dei naſcetur ex Virgine Maria, & pro ſalute hominum patietur.* quod fuſius cap. 4. deſcripſimus.

Epiphanius. Apud Aegyptios ex vaticinio Ieremiæ.

EXEMPLA ANIMALIVM, QVAE abſque concubitu producuntur.

21 QVin etiam exemplis naturalibus animalium, quæ abſque ſexus commixtione procreant, fœcundam Deiparæ virginitatem auctori naturæ neutiquam impoſſibilem aliqui Patres Ethnicis perſuadere conantur.

Ambroſius. Virginitas Deiparæ exemplis naturalibus probatur eſſe poſſibilis.

Et quamuis Ambroſius lib. 1. de Virginibus eas Apibus aſſimilet: *Digna,* inquit, *virginitas, quæ apibus comparetur ſic laborioſa, ſic pudica, ſic continens, Rore paſcitur apis, neſcit concubitus, mella componit.* qui pergit hæc omnia virginibus accommodare, ea tamen ratione, qua apes abſque concubitu multiplicantur, optima ſimilitudo duci poteſt ad Deiparæ fœcunditatem virgineam aliquo modo oſtendendam.

Ex Apibus: Virgilius.

De hac verò apum incorruptione Virgilius lib. 4. Georgic. eleganter ſic cecinit, vbi etiam earum procreationem indicat.

Illum adeò placuiſſe apibus mirabere morem,
Quod nec concubitu indulgent, nec corpora ſegnes
In Venerem ſoluunt, aut fetus nixibus edunt
Verum ipſæ folijs natos, & ſuauibus herbis
Ore legunt.

Ex Vulturibus. Ambroſius.

Ambroſius libro 5. Hexamer cap. 10. ex vulturibus, quos ſine maſculorum ſemine concipere, & generare teſtatur; argumentum ad Deiparę virginitatem Ethnicis ſuadendum, ſic ducit per admirationem: *Impoſſibile ne,* inquit, *putatur in Dei matre, quod in vulturibus poſſibile non negatur? Auis ſine maſculo parit, & nullus refellit, & quia deſponſata viro Maria peperit, pudoris eius faciunt quæſtionem.* ita Ambroſius. Id quod

Baſilius.

ante Ambroſium animaduertit Baſilius hom. 8. Examer. vbi ait: *Vultures magna ex parte parere ſine coitu, oua ſubuentanea fœcunda ferre, & eſſe longiſſimæ vitæ, quibus ad centenos vſque annos plerumq; vita protenditur;* ex quo gentibus oſtendit Dei virtute potuiſſe Virginem parere, virginitate illibata permanente.

Ruffinus: Ex Phœnice.

Ruffinus in ſymbolo Apoſtolorum ex aue illa, quam Phœnicem vocant ad idem oſtendendum exemplum ducit: *Quid,* inquit, *mirum videtur ſi Virgo conceperit? cum Orientis auem, quam Phœnicem vocant, in tantum ſine coniuge naſci, vel renaſci conſtet, vt ſemper & vna ſit, & ſemper ſibi ipſa naſcendo, vel renaſcendo ſuccedat?* hæc ille.

Aliud quoque exemplum fęcunditatis virgineæ, quę in Deipara inuenitur nobis ſuppeditant Equæ in Cappadocia, & in quadam parte Hiſpaniæ, quarum hoc loco nequaquam meminiſſem, niſi graues Auctores id ſcriptis prodidiſſent.

S. Au-

S. Augustinus lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 5. inter complura naturæ admirabilia, quæ recenset, & hoc inserit: *In Cappadocia*, inquit, *perhibent vento Equas concipere, eosdemq; fœtus non amplius triennio viuere*. sic ille. Quod ipsum testatur Solinus in descriptione Cappadociæ. Sed & complures astruunt, Equas vento fauonio, seu zephyro concipere. ita Virgilius lib. 3. Georgic. loquens de conceptu Equarum verno tempore. *Augustinus.* *Solinus.* *Virgilius.*

Illæ ore omnes versæ in zephyrum stant rupibus altis,
Exoptantq; leues auras: & sæpè sine vllis
Coniugijs vento grauidæ (mirabile dictu.)

Cui consentit Plinius lib. 8. cap. 42. *Constat*, inquit, *in Lusitania circa Olyssiponem oppidum, & Tagum amnem, Equas fauonio flanti obuersas animalem concipere spiritum, idq; partum fieri, & gigni pernicissimum, ita sed triennium non excedere.* Varro lib. 2. de re rustica cap. 1. *Infœtura*, inquit, *res incredibilis est in Hispania, sed est vera, quod in Lusitania, vbi est oppidum Olyssipo monte tagro quedam è vento concipiunt certo tempore Equę: harum pulli non plus triennium viuunt.* *Plinius.* *Varro.*

Columella lib. 6. cap. 27. asserit hoc esse notissimum, & accidere in sacro monte Hispanię, qui procurrit in Occidentem iuxta Oceanum. Quare his exemplis rectè ostenditur diuinæ potentiæ non repugnare Deiparam virginitate illibata permanente, de Spiritu sancto concepisse. *Columella.*

Augustinus quoque sermone 3. Aduent. ad virginitatem Deiparæ confirmandam, ex solis radio exemplum adducit: *Solis*, inquit, *radius specula penetrat, & soliditatem eius insensibili subtilitate pertransit, & talis videtur intrinsecus, qualis extra. Itaq; fratres nec cum ingreditur violat, nec cum egreditur dissipat, quia ad ingressum, & regressum eius speculum integrum perseuerat; speculum ergo non rumpit radius solis; integritatem Virginis ingressus, aut regressus nunquid vitiare potuit Deitatis?* sic Augustinus. *Augustinus.* *Ex radio solis in speculo.*

Hieronymus verò epist. 22. Margaritæ, quæ in concha gignitur, exemplo vtitur: *Lego de spinis rosam, de terra aurum, de concha margaritam: concha enim solo cœlesti rore perfusa margaritam gignit.* ita Hieronymus. *Hieronymus.* *Ex margarita in concha marina.*

Similiter & Damascenus orat. 1. de Natiu. eleganter conchæ proprietatem Deiparæ virginitati accommodat: *Lætentur*, inquit, *cœli, & exultet terra, commoueatur mundi mare, in ipso enim concha gignitur, quæ cœlitus ex diuinitatis fulgetra in vtero concipiet, & Christum ingentis pretij vnionem pariet, ex qua Rex gloriæ carnis purpura conuestitus, ad captiuos se conferens, remissionem, ac veniam prædicabit.* hæc ille. Spectans ad purpuram, quæ est ex concharum genere, ex qua regiæ dignitatis indumentum conficitur. *Damascenus.* *Psal. 95.*

Denique Ambrosius epist. 81. ad Siricium Papam hoc ipsum confirmat alijs exemplis ex sacris litteris petitis: *Non excedit*, inquit, *fidem, quod homo exiuit de Virgine quando petra fontem profluum scaturiuit, ferrum super aquas natauit, homo super aquas pedibus ambulauit. Ergo si hominem vnda portauit, non potuit hominem Virgo generare? atque hominem, de quo legimus; Emittet illis Dominus hominem, qui saluos faciet eos, & notus erit Dominus Aegyptijs.* hæc Ambrosius. *Ambrosius.* *Exod. 14.*

Idem S. Ambrosius in psal. 21. exponens illud eiusdem psal. *Ego autem vermis sum, & non homo*, aliud exemplum ex vermi, qui non ex semine gignitur, affert, cui propterea Dominus se comparat; quod etiam astruit Euthymius in eundem psalm. vt cap. 23. dixi. verba Ambrosij hæc sunt: *Cur totius Dominus creaturæ vermiculo se voluerit comparare possumus hoc quidem humilitati primitus assignare, quæ sanctorum virtus est maxima, sicut sanctus Moyses ante Deum inutum se animal profitetur: Dauid pulicem se sæpe commemorat; sed magis illud accipiendum puto, quoniam vermis nulla extrinsecus admixtione alieni corporis, sed de sola, & pura terra procreatur, ideò illum comparatum Domino, quoniam, & ipse Saluator de sola, & pura Maria generatur: legimus etiam in libris Moysi, de manna vermiculos procreatos, digna planè, & iusta comparatio, siquidem de manna vermiculus gignitur, & Dominus Christus de Virgine procreatur. Quin potius ipsam Mariam, Manna dixerim, quia est subtilis, & splendida, suauis, & Virgo, quæ velut cœlitus veneni, cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit Christum, quem qui edere, aut manducare neglexerit, vitam in semetipso habere non poterit.* sic Ambrosius. *S. Ambrosius, Psal 21.* *Euthymius.* *Exod. 4.* *1. Reg. 26.* *Exod. 16.* *Deipara Manna comparatur.*

Et

Bernardus. Virgo mater Deum decebat.

22 *Et quidem Deum*, inquit Bernardus homil. 2. super missus est *huiusmodi decebat natiuitas, qua non nisi de Virgine nasceretur. Talis congruebat & virgini partus, vt non pareret nisi Deum.* Idem serm. 4. de Assumpt. *Neque filius alius Virginem, nec Deum decuit partus alter.* sic Bernardus.

S. Ignatius.

S. Ignatius epist. ad Heronem: *Adę corpus*, inquit, *ex quatuor elementis confectum est, Euæ corpus ex ipsius Adæ latere, & insolens, admirandusq; partus ille Domini ex sola Virgine; non quod detestanda sit legitima commixtio, sed quod huiusmodi partus decebat Deum: decebat namq; creatorem non consueto, sed peregrino, & admirando vti partu, vtpote omnium opificem.* hæc S. Ignatius.

Augustinus.

Augustinus lib. de Assumpt. *Humilitatis*, inquit, *naturam sumens de sanctificato corpore, & immaculatam de immaculato; non enim talis conceptus, talisq; partus, nisi Deum decuerat, qui venerat redimere, quos voluit creare, creare profectò potestate, redimere humilitate.* ita Augustinus.

S. Antoninus Virginitati Mariæ tribuitur inter alia quod de congruo meruit esse matrem Dei Offic. Eccles. S. Thomas. Canisius. Ambrosius. Hieronymus Chrysologus. Ildefonsus. Chrysostomus Bernardus. Legitur in Breuiario 12. Septembris.

Et certè S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 20. §. 8. ait Virginem de congruo meruisse fieri matrem Dei, meritò suæ fidei, spei, charitatis, ac perfectissimæ humilitatis, & Ecclesia canit: *Quia quem meruisti portare resurrexit.* de quo S. Thomas 3. par. q. 2. art. 11. ad 3. verùm hoc meritum de congruo virginitati etiam eius adscribunt complures Patres, quos affert Canisius lib. 2. de B. Virg. cap. 16. & inter alios Ambrosius epistol. 82. *Quanta*, inquit, *sit virginitatis gloria, quæ meruit à Christo eligi, vt esset etiam corporale Dei Templum.* & Hieronymus epist. 22. ad Eustochium: *Tantæ*, inquit, *puritatis Maria extitit, vt mereretur effici mater filij Dei.* Hinc est, quod ex hac conceptione, & partu filij Dei Virgo purissima euasit. quare Chrysologus sermone 142. *In tuo*, inquit, *conceptu, in tuo partu creuit pudor, & aucta est castitas, integritas roborata est, & solidata virginitas; omnes perseuerauere virtutes.* ita Chrysologus. Idem habet Ildefonsus sermone 5. de Assumpt. quem infra citabimus, & Chrysostomus sermone de B. Virginine: *Cum enim*, inquit, *B. Maria supra omnem humanam naturam castitatem seruaret, propterea Christum Dominum in ventre concepit.* & Bernardus homil. 1. super missus est: *Nec mediocriter*, inquit, *placet Deo illa anima, in qua & humilitas commendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatem: sed quanta putas veneratione digna est, in qua humilitatem exaltat fœcunditas, & partus consecrat virginitatem.* Idem homil. 2. *Singularem*, inquit, *consecuta es benedictionem, vt nec sterilis maneas, nec cum dolore parturias*, quoniam ex eodem, *Nec sideri radius minuit suam claritatem, nec Virgini filius suam integritatem.*

VIRGINITAS DEIPARAE DEO GRATISSIMA, & voto ei consecrata, & à quo tempore.

S. Thomas. Virginitas Deiparæ fuit ex voto. Augustinus. Luc. 1. Nyssenus. Anselmus. Bernardus.

23 CVm autem perfectionis opera (inquit D. Thomas 3. par. q. 28. art. 4.) magis sint laudabilia si ex voto celebrentur: virginitas autem in matre Dei præcipuè debuit pollere, ideò conueniens fuit, vt virginitas eius ex voto esset Deo consecrata, & addit: Eam simul cum S. Iosepho sponso, virginitatis votum emisisse antequam annunciaretur ab Angelo. quod efficaci ratione probat Augustinus lib. de sancta virginitate cap. 4. *Quia annuncianti*, inquit, *Angelo Maria respondit. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? quod profectò non diceret, nisi prius se Virginem Deo vouisset.* Idem eadem ratione probat Nyssenus in orat. de Christi Natiu. & Anselmus de excell. Virg. cap. 4. & Bernardus hom. 4. super missus est.

An in lege veteri fuerint, qui virginitatē seruarint, & qui nam fuerint. Nyssenus. Ambrosius.

Sed rogabit quispiam, an Virgo sanctissima omnium prima & virginitatem seruarit, & virginitatis votum Deo nuncuparit, quando item illud emiserit? Ad quod breuiter dico, in lege veteri non defuisse aliquos, qui virginitatem seruarint, virginibus quoque in templo Ierosolymitano peculiarem ad orandum locum ab alijs mulieribus diuersum esse tributum, in quo Deipara etiam post partum orabat, vt ex Origene, Basilio, Nysseno, & alijs supra diximus: tamen de nullo ex sacris litteris habetur ante Deiparam virginitatem Deo vouisse: etenim Maria soror Moysis existimatur Virgo à Nysseno libro de virginitate cap. 9. & ab Ambrosio lib. 1. de virgin. & epist. 81. cuius hæc sunt verba:

In

In veteri, inquit, *testamento Virgo Hebræorum per mare duxit exercitum, in nouo testamento Virgo regis Aula cœlestis electa est ad salutem,* & Chrysologus serm. 146 indicat, eam Virginem & typum gessisse Deiparæ in cantico in egressu ex mari rubro: quamuis Ioseph lib. 3. antiqu. cap. 2. dicat: Mariam sororem Moysi vxorem fuisse Hur. S. Ignatius epist. ad Philaeldphienses inter virgines reponit Eliam, Ioſue, Melchisedech, Eliseum, & Ieremiam. & de Elia idem affirmat Ambrosius lib. 1. de Virginibus: de Ieremia autem Hieronymus prologo in Ieremiam, dicit eum virginitate sua euangelicum virum Christi Ecclesiæ dedicasse. Idem affirmat Damascenus lib. 4. de fide cap. 25. de tribus pueris, quorum corpora vult per virginitatem factum, vt igne confici nequiuerint. Idem de Daniele, cuius corpus virginitate, ait Damascenus, solidatum, ita vt leonum dentes illi infigi non potuerint. Verùm hi absq; voto, similiter & alij pauci ante Deiparam virginitatẽ coluerunt: nam vt rectè ait Ambrosius lib. 1. de Virginibus: *Virgines in veteri testamento in figura contingebant illis, vt essent indicia futurorum: figura. n. in paucis est, vita in plurimis.* ita Ambrosius: sed vt omittam Essenos, de quibus Ioseph lib. 13. antiqu. cap. 8. qui continentiam seruabant, & Sibyllas virgines, de quibus Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, Prima quę virginitatis votum legitur Deo consecrasse, fuit Deipara. & rationẽ indicat S. Thomas 3. p. q. 28. art. 4. ad 2. quia cum hoc votum ad statũ perfectionis pertineat, decuit, vt in lege gratiæ initium haberet à Christo, & à matre eius. Hoc affirmant pleriq; Doctores, Ildefonsus serm. 5. de Assumpt. *De ista,* inquit, *dicitur optimam partem elegit, quia prima omnium fœminarum Deo virginitatem obtulit, & idcirco promeruit, vt Dei filius ex ea corpus nostræ redemptionis susciperet.* Beda hom. de Annũc. *Verè,* inquit, *gratia plena, cui diuino munere collatum est, vt prima inter fœminas gloriosissimum Deo virginitatis munus offerret.* Idẽ Glossa ordinaria ex Gregorio in Luc. 1. Bernardus hom. 2. & 3. super missus est, & serm. Signum magnum. Albertus super missus est c. 82. Rupertus lib. 3. in Cant. S. Antoninus 4. p. tit. 15. c. 20. § 10. & alij Scholastici in 4. dist. 30. Deniq; S. Bartholomęus Apost. apud Abdiam lib. 8. hist. Apost. cum de filij Dei Incarnatione in vtero virginis differeret, subiungit: *Hæc autem Virgo cum execraretur omnem virum, & ipsa seruandæ virginitatis votum prima Deo omnipotenti vouit, cum à nullo homine, nec verbo didicisset, neq; exemplo ad imitationem fuisset inuitata: nulla. n. hoc votum antea obtulerat.* ita ibi. & hoc quidẽ adeò nouum fuit in veteri lege, vt Ioannes Patriarcha Ieroſolymitanus, qui vixit, ex Chrystophoro de Castro anno 795. in lib. de Institut. Monach. cap. 35. hæc verba habeat, agens. n. de eo, quod euenit quando Sacerdotes cognouerunt eam virginitatem Deo vouisse: *Vnde,* inquit, *cum cœtus professorum huius religionis audisset in Ierusalem iuuenculam vouisse Deo virginalem continentiam, confestim perpendit, quod aduentus filij Dei prope, & in ianuis erat.* hæc ille.

Chrysologus.
Ioseph. de antiquitate Iudaica.
S. Ignatius.
Ambrosius.
Hieronymus.
Damascenus.
Dan. 3.
Ambrosius.
Ioseph. de antiquitate.
Deipara prima votum virginitatis legitur emisisse
S. Thomas.
Ildefonsus.
Luc. 10.
Beda.
Luc. 1.
Glossa.
Bernardus.
Albertus.
Rupertus.
S. Antoninus.
S. Bartholom.
Ioan. Patriarc. Ieroſolymitan. Castro.

24 Cæterùm ab initio vsus rationis Deipara habuit propositum seruandi virginitatem voluntate absoluta, & efficaci, vt rectè probat Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 6. & D. Thom. loc. cit. idem affirmat cum ait, eam semper habuisse virginitatẽ in desiderio. & ratio est, quia vt ait S. Thom. 4. dist. 33. art. 2. ad 2. post sufficientem hominum propagationem virginitas non erat vetita, vt ex ijs, quos in lege veteri illam seruasse supra diximus, manifestum est: sed certissimum est ex multorum sententia Virginem donis Spiritus sancti abundè præditam, & sapientissimam cognouisse ab initio vsus rationis virginitatem sibi esse meliorem, & à Spiritu sancto adhoc peculiariter permotam, & reuelationem à Deo habuisse huius rei votum ab ea fore sibi gratum, & quando contraxit cum Ioseph, reuelatione didicit eum in idem propositum consensurum. quare coniugium illud nec proposito, nec voto Deiparæ repugnasse. Quocirca ex dictis sicuti proposirum virginitatis seruandæ habuit ab initio vsus rationis, ita statim de eodem votum Deo obtulisse existimanda est. quare Bernardus de hac reuelat. hom. 3. super missus est: *Tu,* inquit, *Virgo non dicam præceptum virginitatis, sed nec consilium, nec exemplum habebas, nisi quod vnctio docebat te de omnibus, ac sermo Dei viuus, & efficax ante tibi factus est magister, quàm filius, prius instruxit mentem, quàm induit carnem.* hæc Bernardus.

B Virgo ab initio vsus rationis proposuit virginitatem seruare & de ea votum emisit.
Suarez.
S. Thomas.
Vide Suarium loc. cit. & Barradam lib. 6. c. 3
Bernardus.

Et quod Ioseph sponsus, quem Virginem etiam fuisse probat Hieronymus cõtra Heluidium & Augustinus serm. 15. de Nat. Dom. & alij, & nos vberius in tract. de Virginib. sect. 2. magna reuerentia Virginis propositum custodierit, pulchrè August. lib. de sancta

Ioseph fuit virgo, & custodit virginitatem Deiparæ
Hieronymus.
Augustinus.

virginitate c.4.*Desponsata*,inquit, *est viro iusto non violenter ablaturo,sed potius contrà violentos custodituro,quod ipsa iam vouerat.* Idē Nyssenus orat.de Chr.Nat. Epiphanius hær.78.Gregorius hom.26.& Damascenus orat.1.de dorm. *Cum ad ætatis florem peruenuiret, atque intra Templi septa manere lege prohiberetur, sponso, hoc est virginitatis custodi Iosepho à Sacerdotum choro traditur.* & alludit ad historiam illam, quam Nyssenus loc.cit.tangit, Sacerdotes.s.cognito Virginis voto de seruanda virginitate,diuino indicio eam desponsasse Iosepho.historiam hanc vide apud Nyssenum,Simeonem Metaphrastem in orat.de vita,& dorm.Deip. Nicephorum lib.2. de hist.eccl.cap.7. Georgium Cedrenum in compend.histor. eam indicat, Germanus Patriarcha Constantinopolitanus orat.de Virg.oblat.& nos cap.8.eam attulimus.

Nyssenus. Epiphanius. Gregorius. Damascenus.

Metaphrast. Nicephorus. Georg. Cedr. Germ.Patr.

Virgo habuit vsum rationis ab instanti suæ Conceptionis.

25 Verùm difficultas esse posset, quo tempore Virgo beatissima vsum rationis habere cęperit,qua de re dico ex grauissimorū auctorum sententia,eam peculiariDei beneficio habuisse actualē rationis vsum in vtero matris, atq; adeò in ipso articulo,suę immaculatæ Concept.Ita S.Bernardinus Sen.tom.2.serm.51.art.1.c.2. *Beata*,inquit,*Virgo etiam dum erat in vtero matris habuit vsum liberi arbitrij,atque lumen perfectum in intellectu & ratione:proinde secundum quosdam fuit tunc in sublimiori contemplationis statu,quam vnquā fuerit aliqua creatura humana in perfecta ætate:& licet in vtero matris suæ,sicut & cæteri infantes dormiret:attamen somnus,qui abyssat,& sepelit in nobis rationis, & liberi arbitrij actus,& per consequens actum merendi,non credo quod talia fuerit in ipsa operatus: sed anima sua liberè, ac meritorio actu tunc tendebat in Deum,vnde illo tēpore erat perfectior contemplatrix,quàm vnquam fuerit aliquis alius dum vigilauit: vnde &* Cant.5.*ipsa ait,Ego dormio,& cor meum vigilat,si in cōtemplatione perfecta à nulla actione debilitata.* hactenus S.Bernardin.Idem to.1.ser.61.ad tantam vult contemplationem sublimatā esse,vt perfectius videret Deum, quam vnquam fuit contemplatus aliquis in perfecta ętate.hoc ēt de vsu rationis in matris vtero tenent plerią;Thomistæ,Caietanus in 3.p.q.27.art.3.Viguerius in Instit.c.5.§.3.vers.9. Suar.tom.2.in 3.p.disp.4.sect.7.& Barrada lib.6.c.3.& ratio S.Bernardini loc.cit.& aliorum, quia non est Virgini denegādum hoc priuilegium,quod concessum est S.Io.Baptistæ in sua sanctificatione ex cōmuni ferè Patrum sententia,vt videre est apud Ambrosium in Luc.1.*Habebat*,inquit,*Ioannes intelligendi sensum,qui exultandi habebat affectū.*Leo serm.10.de Nat.*Præcursor*,inquit,*spiritum prophetiæ intra viscera matris accepit.* Hieron.epist.7.*audiebat verba Dñi per os virginis personantis.* Origen.hom.7. in Luc. docet illud exultasse Ioannē in gaudio, significare actum vitæ, qui cognitionem supponit: *Quamuis.n.exultare simpliciter metaphoricè tribuatur aliquando rebus inanimatis,vt cum dicitur: Montes exultastis sicut arietes; exultare tamen in gaudio non sumi metaphoricè.* ita Origenes. & Ecclesia in hym.*Senseras Regem thalamo manentem*,& alij plures in eandem sententiam de S. Ioan. loquuntur.& quamuis S.Thom.3.p.q.27.art.3.neget de B.Virgine,& art.6.neget ēt de S.Io.Baptista,eos in matris vtero vsum rationis habuisse:*Quoniam hoc est*,inquit,*speciale priuilegium Christi:* veruntamen hoc de S.Ioan.docent citati DD. & Caietan.nō negat. Præterea hoc priuilegium Virgini factum non derogat Christo,quippe qui habuit vsum rationis cum clara Dei visione,quam non habuit Virgo.& sanè videtur hoc priuilegium consentaneum excellētię Virginis,& quia hęc cognitioVirginis eo tpe potissimum circa Deū,& res diuinas versabatur,potuit fieri per actum perfectum fidei,vel per scientiā supernaturalem infusam mysteriorum fidei: potuit ēt Deus cōferre Virgini aliquas species per se infusas,vt per lumen fidei,& per ipsas sine dependentia à phantasmatibus intelligeret,& operaretur,vel ēt confortare imaginatiuam,vt cooperaretur,de quo vide Suar. loc.cit.Huius rei figura præcessit in Esther,de qua Esth.2.*Placuit ei*,nimirum Assuero,*& inuenit gratiā in conspectu illius, & præcepit Eunucho, vt acceleraret mundum muliebrē, et traderet ei partes suas,& septem puellas speciosissimas de domo Regis,& tam ipsam,quā pedissequas eius ornaret,atq;excoleret.* ita Deus Virgini,quam in futuram matrē elegerat, mundū,seu ornatum muliebrem accelerauit in ipsa Conceptione conferens ei lumen, & speciosissimas pedissequas.i.virtutes actu ornatas,quibus. s. per vsum rationis posset vti.

Caietanus. Viguerius. Suarius. Barrada. S. Bernard.

Ambr.in Luc.1.

Leo. Hieronymus.

Origenes. Luc. 1.

Psal. 113.

Offic. Eccles.

S. Thomas.

Caietanus.

Quomodo Virgo in vtero matris vsum habuit rationis.

Suarez.

Esther 2.

Deipara votum virginitatis in instanti Conceptionis emisit.

26 Ex ijs,quæ diximus, infero Virginem sanctissimam in ipso exordio suæ immaculatæ Concept.virginitatis votū Deo obtulisse:cū.n.vsum haberet rationis,& à Deo optimo

per

per reuelationem hoc ſibi gratum eſſe ſignificatum eſſet, ipſa Spiritus ſancti gratiam, quæ neſcit tarda molimina, ſequens, per votum Deo ſe ipſam conſecrauit, iuxta illud Cant. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia*: quia cum iam tunc per vſum rationis acceleratum tota ferretur in Deum, quem lilijs virginitatis delectari ſciebat, & ipſa virginitatem illi obtulit. Hanc ſententiam ſequitur Suarez, qui eam hoc votum feciſſe ab initio vſus rationis docet, quem vſum loco citato in ipſa conceptione vult ei acceleratum: & S. Bernardini ſententiæ eſt valdè conforme, qui eam contemplatricem perfectam eo tempore fuiſſe affirmat. Idem aſtruit Iacobus Epiſcopus Chriſtopolitanus ſuper Magnificat, ad illa verba: *Fecit in me magna qui potens eſt*. & addit eſſe opinionem aliorum dicentium Deiparam illicò poſt ſanctificationem votum virginitatis feciſſe. hoc etiam expreſsè docet Barrada loc. cit. Quo circa meritò Deipara ſanctiſſima inter Virgines principatum tenet; tùm quia præ alijs vehementiori, efficaciorique actu, quo ex maiori gratia, & charitate procedebat ab initio ſui vſus rationis Deo virginitatem ſuam præclarè obtulit: tum quia illibata puritate illam ſeruauit, quippe quæ in ſe carnis rebellionem, & fomitis actum, quem in ea extinctum ſemper fuiſſe cap. 7. diximus, nullum ſenſit, quod maiorem arguit ſuper Aduerſarium poteſtatem, vt bellum ne mouere quidem poſſet, virtutesque omnes, quibus virginitas exornatur, humilitatem, ſilẽtium, pudorem, temperantiam, & reliquas maximopere coluit, eiusque virginitas fęcunda fuit, quod inter virgines ei ſoli conuenit. Quare Eccleſia ad eam: *Sancta, & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam neſcio, quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contuliſti*. Hoc inſinuare videtur Damaſcenus orat. 1. de Natiu. cum eam appellat ſolam Virginem, ac ſemper Virginem ſolam, & mente & anima virginitatem perpetuò coluiſſe, quibus verbis non negat complures fuiſſe, quæ ab exordio vſus rationis virginitatem ſeruare decreuerint. Verùm quia vſum rationis exactis aliquot annis accepere, in illis annis nihil de virginitate colenda cogitarunt. At Deipara ſola perpetuò virginitatem coluit, quia ab inſtanti ſuæ immaculatæ conceptionis vſu rationis prædita virginitatem Deo obtulit.

Cant. 2. Suarez. S. Bernardinus. Iacob Epiſcopus Chriſtopolitan. Luc. 1. Barrada. Deipara inter virgines principatum obtinet. Officium Eccle. Damaſcenus.

IN LEGE EVANGELICA INNVMEROS VTRIVSQVE ſexus homines Deiparæ virginis exemplo, ac patrocinio illibatam virginitatem, complures alios perpetuam continentiam coluiſſe.

27 ADhæc quamuis, vt diximus, nonnulli, ſed tamen pauci, vt ait Ambroſius de Inſtitu. Virg. cap. 7. & Nazianzenus carmine de virginitate in lege veteri virginitatem ſeruaſſe dicantur; Deipara tamen prima omnium virginitatis votum Deo conſecraſſe, atque huius virtutis primitias voto conſignatas cœleſti ſponſo obtuliſſe legitur, cuius exemplum poſtea innumera, tùm mulierum, tùm virorum multitudo in lege euangelica ſunt imitati. quod eleganter Nazianzenus in carmine de virginitate ſic cecinit.

Ante quidem vmbroſo in paucis ſplendore micabat,
Dum lex iura daret terris, & in orbe vigeret
Exiguis ſpectanda notis.
At poſtquam Chriſtus per caſtæ viſcera matris
Abſque patre, & tædis, vitæ progreſſus in auras
Luſtrauit muliebre genus, tùm denique noſtro
VIRGINITAS generi præclaro lumine fulſit.

Deipara prima virginitatis votum extulit. Ambroſius. Nazianzenus.

Quare Ambroſius de Inſtit. Virg. cap. 5. *Egregia*, inquit, *Maria, quæ ſignum ſacræ virginitatis extulit, & intemeratæ virginitatis pium Chriſto vexillum leuauit, & omnes ad cultum virginitatis S. Mariæ aduocantur exemplo: & tunc*, vt idem ait Ambroſius lib. de virginibus, *toto orbe diffuſus corporibus humanis vitæ cęleſtibus vſus* (ſic. n. virginitatem vocat) *inoleuit. Hæc eſt*, inquit, *illa cęleſtis militia, quam laudantium exercitus Angelorũ promittebat in terris.* & rurſum: *Virginitatem*, inquit, *non facilè inuenimus in terris, niſi poſteaquam Deus in hæc terreni corporis membra deſcendit. quis igitur neget hanc vitam fluxiſſe de cęlo, è cęlo accerſiuit, quod imitaretur in terris.* ſic ille. Et Hieronymus epiſt. 22. ad Euſtochium: *Mihi*, inquit, *virginitas in Maria dedicatur, & Chriſto.* & infra: *Mors per Euam, vita per Mariam, ideoq; & ditius virginitatis donum fluxit in fęminas, quia cępit*

Ambroſius. Hieronymus.

à fœmina ſtatim, vt filius Dei ingreſſus eſt ſuper terram: nouam ſibi familiam inſtituit, qui ab Angelis adorabatur in cœlo, haberet Angelos & in terris. Tunc Holofernis caput Iudith continens amputauit. & in Apologia ad Pammachium pro libris aduerſus Iouinianum: *Chriſtus*, inquit, *virgo; Virgo Maria vtriuſque ſexus virginitatem dedicauere.*

Iudith 13.

Hinc eſt, quòd ab Eccleſia in Litanijs Deipara ſacratiſſima, quemadmodum animaduertit S. Antoninus 4.p.tit.15.c.20.§.10. *Virgo virginum* conſalutatur, quæ geminatio eius ſupra reliquas virgines excellentiam oſtendit: ita.n. Chriſtus per excellentiam: *Rex regum, & Dominus dominãtium* Apoc. 19. appellatur: & in naturalibus Roſa flos florum; non ſolum.n. reliquorum hominum, vt diximus, verùm etiam Angelorum virginitatem ſua perfectione excedit. Angeli namq; eam à natura habent, eſtq; illis neceſſaria, & in natura impaſſibili: virginitas verò Deiparæ eſt à gratia, fuitq; volũtaria, & in natura fragili: ac proinde Deiparæ virginitas ex S. Antonino Angelorum puritate vtilior, nobilior, atque laudabilior cẽſetur. Deinde geminatio illa, vt docet Albertus Magnus ſuper Miſſus eſt cap. 82. apud S. Antoninum loc. cit. indicat Deiparam reliquorum virginum eſſe matrem. Beata.n. Virgo ex Alberto eſt mater omnium in virginitate, quia Prima ſine præcepto, ſine conſilio, ſine exemplo glorioſum virginitatis munus Deo obtulit, & per votum virginitatis ab ea emiſſum, opprobrium virginitatis abſtulit, quia maledicta in lege dicebatur ſterilis, & eam in ſe conſecrauit. & ſic omnes virgines per imitationem ſui genuit. ita apud S. Antoninum.

S. Antoninus Cur dicatur Virgo virginum. Apoc. 19.

Alber. Mag. S. Antoninus Alberti. Mag.

28 Quare Ambroſ. lib. de Inſtit. Virg. c. 6. *Mariæ*, inquit, *exẽplo cæteræ ad integritatis ſtudium prouocantur.* & Hieronymus lib. 1. contra Iouinianũ, vt ſupra diximus, illud Cant. 4. *Fons ſignatus*, explicat de virginitate Deiparæ; additq; fontem hunc ſignatum alias virgines emittere, quod ex eodem loco Canticorum confirmat: verba Hieronymi de hoc fonte ſignato hæc ſunt: *Quod*, inquit, *ſignatũ eſt, ſimilitudinem habet matris Domini, matris, & virginis.* & mox: *Et tamen hæc Virgo perpetua multarum eſt mater virginum: ſequitur.n. Emiſſiones tuæ paradiſus malogranatorum cum fructu pomorum: malogranatis & pomis omnium virtutum ſignificatur in virginitate concentus.* hæc Hieronymus.

Ambroſius. Hieronymus. Cant. 4.

Damaſcenus.

Et Damaſcenus orat. 1. de Nat. Virginem alloquens: *Tu*, inquit, *virginitatis feraciſſima planta: per te enim virginitatis pulchritudo latiſſimè ſeſe diffudit.* ſic Damaſcenus.

Epiphanius. Deipara olim virginitatem efferebat.

Imò Epiphanius hær. 78. probans virginitatem Deiparæ, affirmat ſuo tempore Virgines in honorem, & imitationem Deiparæ virginitatem ſeruare ſolitas: *Etiam nunc*, inquit, *in nomen ipſius Mariæ virgines degere contendunt, & caſtitatem ſeruare, & continere:* adeò verùm eſt illud Ambroſij lib. 2. de Virginibus, exemplis potius homines moueri, quàm præceptis. Memorat Glycas Pulcheriam Auguſtã Marciani Imperatoris coniugem, Deiparæ virginitatem conſecraſſe, eamq; illibatam cuſtodiſſe vſque ad finem.

Ambroſius.

Glycas. Pulcheria Auguſta.

Et de S. Edmundo, qui poſteà fuit Archiepiſcopus Cantuarienſis; memoriæ proditum eſt in eius vita apud Surium menſe Nouẽb. & apud Vincentium Bellac. lib. 31. ſpec. hiſt. c. 70. & 71. eum ex conſilio cuiuſdam Sacerdotis perpetuam virginitatem corã Virginis Imagine vouiſſe, & annulum, in quo inſculpi fecerat ſalutationẽ angelicam, in ipſius imaginis digito poſuiſſe: ex quo tempore, ſicut ipſe in obitu faſſus eſt, quoties eiuſdem Virginis præſidium inuocauit, ipſa in tentatione prouentum, in perſecutione ſolatium, in tribulatione remedium, in dolore gaudium ſibi celeriter impetrauit: in annulo quoque, quo poſt mortem more pontificali S. Edmundus fuit ſepultus, inuentum eſt inſculptum, & inſcriptum cunctis videntibus, atque mirantibus iſtud, *Aue* ſeu angelica ſalutatio.

S. Edmundus B. Virg. ope virginitatem ſeruat. Surius. Boluacenſis.

Porrò de ingenti Virginum vtriuſque ſexus multitudine, qui exemplum Deiparæ sũt imitati, in præſentia aliquid breuiter perſtringere decreueram: ſed cum ea tractatio in maiorem, quàm cogitaueram, magnitudinem euaſiſſet, peculiarem ea de re tractatum edidimus, vbi copiosè de ijs egimus, eumq; ad finem operis repoſuimus.

Deipara omnes ad virginitatem, & continentiam iuuat. Reginaldus Ordinis Prædicatorum, corporis valetudine, ac virginitatis munere donationis.

29 Nec tantum Deipara ſuo exemplo, verùm etiam peculiari patrocinio, atq; præſidio Virgines ad virginitatem, aliosq; ad continẽtiam ſeruandam iuuat. Nam & Reginaldo grauiter ægrotanti, teſte S. Antonino 3.p.hiſt.tit.23. c.4.§.4. qui poſteà in Ord. Prædicatorum à S. Dominico eſt cooptatus, cum vigilaret apparuit B. Virgo, eiusq; ſingulas corporis partes vnctione quadam perunxit, quo non ſolùm integrę ſoſpitati reſtituit, ſed etiam carnem eius ab ardore concupiſcentiæ temperauit, vt ne paruus quidem

libidinis

libidinis motus in eo pullularit; eadem Virgo ſanctiſſima cum puero Ieſu, vigilanti beato Ignatio Loyolæ, cum adhuc eſſet in ſeculari vita, ſeſe oſtendit, & turpium, ac obſcenarum rerum imagines ex eius animo deterſit, ita vt ex ea hora caſtitatem puriſſimè ad finem vſque ſeruarit, teſte Petro Ribadeneyra in eius vita lib. 1. cap. 2. *Ipſa enim*, inquit Damaſcen. orat. 2. de dorm. *Virgo eſt, & Virginum amans, Pura eſt, & Purorum amãs.* Quare S. Ambroſius de Inſtitut. Virg. cap. 7. tantam affirmat fuiſſe Deiparæ gratiam, vt his, quos viſeret, integritatis inſigne conferret. & exemplum affert de S. Ioanne Baptiſta, quem vult non immeritò integrum corpore manſiſſe, quem in tribus menſibus oleo quodam ſuæ præſentiæ, & integritatis vnguento, Domini mater exercuit. & ideò Alenſis 3. par. q. 9. memb. 2. art. 5. beatiſſimam Virginem motum concupiſcentiæ in alijs ſuo aſpectu extinxiſſe docet. & S. Thomas in 3. diſtin. 3. q. 1. art. 2. quæſtiuncula 1. ad 4. pulchritudinem Virginis intuentes ad caſtitatem excitaſſe memorat. Idipſum aſtruit S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 17. §. 4. Quod ipſum confirmat S. Bonauentura in 3. diſtin. 3. art. 2. q. 3.

B. *Ignat. Loyola* — *Ribadeneyra.* — *Damaſcenus.* — *Ambroſius.* — *Deipara ſuo aſpectu continentiam conferebat S. Io. Baptiſtæ.* — *Alenſis.* — *S. Thomas.* — *S. Antoninus.*

Nazianzenus verò orat. de ſanctis Cypriano, & Iuſtina memoriæ prodidit Iuſtinam Virginem ſanctiſſimam à ſpiritu fornicationis acriter impugnatam, ad Deiparæ præſidium tanquam ad ſacram Ancoram confugiſſe, ſicq; illum ſuperaſſe, quod plenius cap. 24. narrauimus. & de S. Maria Aegyptiaca iam cap. 20. diximus, eam in acerbiſſimis, quibus in deſerto impetebatur carnis tentationibus, ſupplici Deiparæ inuocatione victricem extitiſſe. & de alijs pleriſq; virginibus, quas ad integritatem ſeruandam iuuit, paſſim in Eccleſiaſticis hiſtorijs legimus. quare Ambroſius lib. 2. de virginibus: *O quantis*, inquit, *illa virginibus occurret, quãtas complexa ad Dominum trahet. Hæc thorum filij mei, hæc thalamos nuptiales immaculato ſeruauit pudore.* ita Ambroſius. Chryſoſtomus ſermone de B. Virgine: *Quicumque*, inquit, *eſtis virgines ad matrem Domini confugite: illa enim pulcherrimam, pretioſiſſimam, & incorruptibilem poſſeſſionem patrocinio ſuo vobis conſeruabit.* hæc Chryſoſtomus. Idcirco Eccleſia in hymno, *Aue maris Stella*, illam ſic precatur.

Nazianzenus. — *Cyprianus.* — *Iuſtinæ virginitas per Deiparam ſeruata.* — *S. Maria Aegyptiaca Deiparæ inuocatione tentationes pellit.* — *Ambroſius.* — *Chryſoſtomus.* — *Legitur in Breuiario 12. Septembr. Offic. Eccleſ.*

Virgo ſingularis
Inter omnes mitis
Nos culpis ſolutos
Mites fac & CASTOS.

DEIPARAE IN VIRGINITATA PRIMATUS varijs titulis exprimitur.

30 AD hunc primatum, quem inter virgines habet Deipara exprimendum varijs epithetis, & nominibus appoſitiſſimis Patres vtuntur: nam præter illud, quo *Virgo virginum*, ab Eccleſia appellatur à S. Iacobo nominatur in Liturgia virginum GLORIA, ex qua Deus carnem aſſumpſit.

Varijs nominibus Deipara inter virginet primatus ſignificatur. — *S. Iacobus.*

Ab Ambroſio de Inſtit. Virg. cap. 6. MAGISTRA virginitatis nuncupatur. & lib. 2. de virginibus IMAGO virginitatis, & SPECVLVM caſtitatis. — *Ambroſius.*

A Nazianzeno in Tragœdia Chriſtus patiens. — *Nazianzenus.*

Mater, & Virgo ſupra
Omnes decora virgines, & MAXIMA.

Ab Epiphanio hæreſ. 78. *PRINCEPS virginitatis.* — *Epiphanius.*

A Cyrillo Alexandrino homil. 6. contra Neſtorium: *Virginitatis CORONA.* — *Cyrillus.*

A Damaſceno orat. 1. de Natiuit. *Virginitatis THESAVRVS.* — *Damaſcenus.*

Ab Ildefonſo in ſermonibus de Aſſumpt. ſerm. 1. *FASTIGIVM omnium virginum*, & ſermone 4. *CAPVT virginum*, & ſermone 3. de Aſſumptione: *EXEMPLAR perfectæ virginitatis*, ex quo elogium illud vſurpatum eſt, quo Deipara ſingulare virginitatis exemplar prædicatur. — *Ildefonſus.*

Chryſologus ſermone 143. eam dicit REGINAM extitiſſe totius caſtitatis, quia virginitatis DECVS, & Matris pertulit dignitatem. — *Chryſologus.*

Ab Ephræm CORONA virginum, ſanctorumq; omnium. — *Ephræm.*

Idiota. Ab Idiota cap.6.contemplationum Mariæ,Virginitatis PRIMIPILA.

Anſelmus. Ab Anſelmo de excell.Virg. cap. vlt. MATER virginitatis.

Bernardus. A Bernardo homil.2. ſuper miſſus eſt, & epiſt.174. *REGINA virginum*, & in ſermone Signum magnum: *virginitatis PRIMICERIA*, & in tractatu de Paſſione Domini cap. 31. *Virginum PRIMICERIA.*

Alber. Mag. Ab Alberto Magno ſuper miſſus eſt cap. 82. *Virginum MATER.*

Bonauentura A Bonauentura in Litanijs B.Virginis virginum SIGNIFERA. Item FLOS, & DECVS virginalis,& in Spec. cap.2. PRIMITIVA virginum.

Alanus. Ab Alano in Cant.1. *SIGILLVM virginitatis.*

Bernardus. Pſal. 44. Quare vt rectè Bernardus ſermone Signum magnum: *Offerentur*, inquit, *ſeu adducentur Regi virgines, ſed poſt eam, nam primatum ſola vendicat ſibi.* ſic ille, & meritò, quia poſt magiſtram diſcipulæ, poſt principem, & reginam ſeruæ, poſt matrem filiæ; ideoq; eam in cœleſti gloria virgineis ſtipatam choris incedere Patres affirmant. Ambroſius lib.2. de virginibus: *Tunc*, inquit, *Maria tympanum ſumens choros virginales excitabit canentes Domino, quod per mare ſeculi ſine ſecularibus fluctibus tranſierunt.* & Hieronymus epiſt.22. ad Euſtochium: *Qualis*, inquit, *erit illa dies, cum tibi Maria mater Domini choris occurret comitata virgineis? cum poſt mare rubrum ſubmerſo cum ſuo exercitu Pharaone, tympanum tenens præcinet reſponſuris: Cantemus Domino, glorioſe enim honorificatus eſt, equum, & aſcenſorem proiecit in mare.* S. Gregorius lib.4. dialog. cap. 17. narrat, Dei genitricem Muſæ puellæ apparuiſſe, eiq; coæuas in albis veſtibus oſtendiſſe, atque dixiſſe, num vellet in eius obſequio cum puellis illis viuere? cui Muſa cum reuerenter annuiſſet, iuſſa à riſu, & leuitatibus abſtinere, die trigeſimo, conſpecta Dei genitrice cum puellis illis, vocata reſpondit: Ecce venio. atque cum ſanctis virginibus habitatura deceſſit. ita ex Gregorio, huius rei typus præceſſit in Maria ſorore Moyſi, vt animaduertit Chryſologus ſermone 146. *Quæ*, inquit Ambroſius lib.1. de virginibus, *pudore virgineo choros duxit, quando nimirum demerſo Pharaone in mari rubro cæteris omnibus mulieribus hæbreis Exod.15. egreſſis poſt eam cum tympanis, & choris præcinebat dicens: Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus eſt, equum, & aſcenſorem deiecit in mare:* ita multò magis in Cœlis virgines omnes Deiparam virginum Reginam Tympaniſtriam noſtram (ſic enim eam vocat Auguſtinus ſermone 18. de Sanctis) in Dei laudibus celebrandis ſequentur. Quod Hieronymus quoque epiſt.22. cuius verba paulò ante citauimus, diſertè docet.

Gregorius. *Chryſologus.* *Ambroſius. Exod. 15.* *Auguſtinus.*

Bernardus. Deipara canticum virgini cãtabit. 31 Ideò Bernardus hom.2. ſuper miſſus eſt initio: *Nouum*, inquit, *canticum illud, quod ſolis dabitur in regno Dei cantare virginibus, ipſam Virginum Reginam cum cæteris, imò primam inter cæteras eſſe canituram nemo eſt, qui ambigat; puto autem illam præter illud, quod ſolis, licet cum omnibus, tamen virginibus, ei (vt dixi) commune erit, dulciori quodam, atque elegantiori carmine lætificaturam eſſe ciuitatem Dei, cuius vtique dulciſonos depromere, vel exprimere modulos, ne ipſarum quidem virginum vlla, digna inuenietur: quia ſoli meritò decantandum ſeruabitur, quæ ſola de partu, & partu diuino gloriatur.* Idem Bernardus tractatu de Paſſione Domini cap. 31. affirmat, & Deiparam,& ipſum Chriſtum cum virginibus caniturum: *Iam*, inquit, *ſi omnes virgines canticum illud cantabunt, nunquid illa Virgo virginum Primiceria non cantabit? cantabit vtique, & tanto iucundius, quanto caſtior præ cæteris, præbebitq; toti choro in cantando exemplum, quas ad virginitatis amorem ſuo incitauit exemplo.* & infra: *Nunquid & ipſe Agnus ſponſus virginum Virgo, Virgo optimus non etiam cantabit? imò verè & ipſe cantabit, & iucundiſſima illa vox Verbi Patris æterni cum omnibus, præ omnibus, & in omnibus audietur. O feliciſſimum canticum, ò feſtiuitatem iucundiſſimam comparatione, & fine carituram; Quis ad illud non anhelet?* ſic Bernardus.& Ildefonſus ſermone 1.de Aſſumptione, agens de ſolenni celebritate cœleſtis curiæ, quando Deipara fuit in ſuperiorem Ieruſalem euecta, ſic ait: *Nec dubium quin illa centum quadraginta quatuor millia, quæ in conſpectu Throni, & Seniorum ſunt, tenentes cytharas ſuas cecinere cum omni fragore cœli canticum nouum, quod nemo poteſt dicere; niſi ipſi, qui hodie in Aſſumptione Virginis feſtiui veniunt obuiam cum citharis ſuis, ac læti in ſuo beatam Choro excipiunt Virginem, non qualemcumque, ſed vnam ex numero prudentum, & PRIMAM omnium inter primos,*

Bernardus. Chriſtus canticum virginum cantabit. *Ildefonſus.* *Apoc 14.* *Matth. 25.*

mos, quæ vadit post Agnum proximior, quocumque ierit: canit autem & ipsa cum eisdem cãticum Dramatis nouum, quod nemo, nisi eo in choro dicere valet. hæc Ildefonsus.

Quæ cum ita sint, mirum non est, si dicamus illa centum quadraginta quatuor millia virginum, qui sequuntur Agnum, canticum illud nouum, quod nemo alius dicere potest, canere ante SEDEM Dei, ideſt ante B. Virginem, quæ tot nominibus inter virgines primatum obtinet, quod erat nobis in hoc capite probandum. Neque his, quæ dicimus refragatur, quòd Virginem ipsam canituram esse astruimus. nam & S. Ioannes Apostolus, & Euangelista, & Virgo fuit, & significatur per vnum ex quatuor animalibus. & S. Iacobus frater Domini Virgo affirmatur ab Epiphanio hæres. 30. & quia est Apostolus, vnus est ex senioribus, quare vt Virgines cantabunt canticum istud nouum, quod tamen cantari dicitur non solum ante SEDEM, sed etiã ante quatuor animalia, & seniores, propter ea, quæ initio huius capitis diximus. Reliquos etiam Apostolos, si vnum excipias S. Petrum Apostolorum Principem, (qui vxorem habuisse legitur,) Virgines fuisse existimat Tertullianus lib. de Monogamia cap. 8. & Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, de quo in tract. de Virg. sect. 2. quare & ipsi hoc canticum nouum canent ante quatuor animalia, & seniores, sicut & reliqui.

Apoc. 14.

Epiphanius.

Tertullianus. Hieronymus.

E VIRGINE DEIPARA TANquam è Dei throno vocem prodire, qua omnes Dei serui ad diuinas laudes inuitantur. Cap. XXXIII.

DVODECIMVM, quod de throno legimus Apoc. 19. illud est. *Et vox de THRONO exiuit dicens: Laudem dicite Deo nostro oẽs serui eius, & qui timetis eum, pusilli, & magni.* & c. 21. *Et audiui vocem magnam de THRONO dicentẽ: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, &c.* Petrus Damianus serm. de Natiu. Virg. ad probãdum sanctissimam Deiparam esse veri Salomonis Christi THRONVM, inter alia sacrarum litterarum testimonia, quibus ipsa dicitur *Thronus*, istud Apoc. 19. B. Virgini eleganter accommodat; verba Petri Damiani hæc sunt: *Ait Ille alter filius Virginis* (sanctus nimirum Ioannes in Apocalypsi) *& vox de throno exiuit dicens: Laudem dicite Deo nostro oẽs sancti eius: & ex hoc THRONO* (sanctissima scilicet Deipara) *laus Angelorum prorumpit, & hominum; quia dum hic restituitur, ille resarcitur, vtrique gratiarum debent deuotionem. Nosti quidnam dicit, qui sedet in throno: Ecce, inquit, noua facio oĩa, felix THRONVS, in quo sedet dominator Dominus; in quo, & per quem non solum omnes, sed omnia renouantur.* hactenus Damianus. Cæterùm ex ipso etiam contextu sacræ Apocal. non obscurè hoc loco per THRONVM subindicari videtur sanctissima Virgo: quod vt manifestum fiat, tria ex ipsis verbis Apocalypsi præsuppono. Primùm per THRONVM hoc loco significari rem intelligentia prẽditam, cum inducatur loqui, & voces edere. Neque id nouum alicui videri debet, si rebus apud nos vita carentibus, cuiusmodi sunt Thronus, & similia, in cœlestibus, vbi allegoricè aliquid aliud significant, ne dum vita, sed & membra quoque, ac munera animantibus propria tribuantur; nam & ipse tertius ordo angelicorum spirituum primæ hierarchiæ ab Apostolo Colos. 1. & à Theologis Throni dicũtur, ideſt sedes, & Ezech. 10. de Rotis illis sic legimus: *Et omne corpus earum, & colla, & manus, & pennæ, & circuli plena erant oculis in circuitu quatuor Rotarum.* & paulò inferius: *Stantibus animalibus, stabant & Rotæ, & cum eleuatis eleuabantur.* cuius rei rationem reddit: *Spiritus enim vitæ erat in eis.* & Apocal. 10. septem Tonitrua dicuntur loquuta voces suas: quare ne cui mirum videri posset, vocem è Throno exire, cap. 4. præmiserat de THRONO fulgura, voces, & tonitrua procedere, quod supra cap. 20. explicauimus.

Secundùm, vocem hanc de throno procedentẽ non esse ipsius Dei in THRONO sedentis per metonymiam, vt scilicet accipiatur continens pro contento, quicquid videatur

Apoc. 19.

B. Virgo sanctos ad Dei laudem inuitat.

Apoc. 21.

Apoc. 19.

Thronus Dei Apoc. 19. Intellectu est præditus.

Colos. 1.

Ezech. 10.

Apoc. 10.

Apoc. 4.

Vox de Throno Apoc 19. non est ab ipso Deo.

Ribera. Apoc. 21.

tur indicare Ribera Apoc. 19. Etsi enim ita interdum alijs in locis sumi possit, hic neutiquam hoc modo accipiendum esse illud argumento est, quod Apoc. 21. post vocem de Throno dicentem: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, &c.* statim subijcitur vox ipsius sedentis in throno: *Et dixit,* inquit, *qui sedebat in Throno, Ecce noua facio omnia;* ergo thronus allegoricè aliquid à sedēte in throno diuersum, atque adeò aliquid à Deo distinctum indicat. & Apocal. 19. *Vox de Throno exiuit dicens: Laudem,* inquit, *dicite Deo nostro omnes serui eius;* ergo thronus, qui loquitur, seu vnde vox prodijt, dum Deum appellat nostrum, agnoscit illum, non tantum eorum, quos ad Dei laudem inuitat, sed etiam suum pariter esse Deum, ac proinde se à Deo distinctum aperte significat.

Apoc. 19.

Aretas. Thronus Apoc. 19. non sunt Angeli, neque Sancti.

2 Tertium, quamuis Aretas Thronum hunc putet esse Seraphin, quoniam Isa. 6. *Throno Dei vicinissimi sunt.* & Andreas Cæsarienſis, esse Seraphim, & Cherubim, à quibus magni, ideſt virtutibus præclari, & parui, Deum laudare iubentur; verisimilius tamen existimo non esse neque Angelos, neque reliquos sanctos. In hac enim visione cap. 19. refert S. Ioannes audisse se vocem turbarum multarum, omnium scilicet (vt Interpretes exponunt) in cœlo degentium, tum Angelorum, tum Sanctorum Deum collaudantium, & Alleluia idētidem repetentium, de meretricis purpuratæ, seu Babylonis damnatione. idem quoque statim factum fuisse S. Ioannes narrat à vigintiquatuor Senioribus, & quatuor Animalibus, à præcipuis videlicet Sanctis, & à quatuor Euangelistis, iuxta illud Apoc. 18. *Exulta super eam cœlum, & sancti Apostoli, & Prophetæ, quoniam iudicauit Deus iudicium vestrum de illa,* quoniam scilicet præstantissimi sancti Apostoli, & Euangelistæ doctrina, verbo, vel scripto tradita, vitæ suæ exemplis, laborum tolerantia, persecutionum perpessione, sæpè etiam proprij sanguinis profusione prę cęteris in diuino cultu propagando desudarunt, & in eadem Babylone expugnanda fortiter decertarunt.

Ita Andr. Cæsar. Ribera, & Viegas.

Apoc. 18.

Thronus Apoc. 19. est Virgo sanctissima.

Post hæc statim subijcit, Vocē de THRONO exisse, & omnes Dei seruos, pusillos, & magnos ad eius laudē inuitasse. Ergo THRONI nomine creatura aliqua intelligenda videtur ratione prædita, singulariter præ cæteris Deo coniunctissima, à reliquis omnibus cęlitibus etiam præcipuis, ideſt quatuor animalibus, & vigintiquatuor senioribus, quos cōmemorat diuersa, quæ omnes Dei seruos tum magnos, tum pusillos, nullo planè excepto, quasi illis omnibus in gloria superior, ad laudem Deo dicendam inuitare, & excitare potest; & hæc alia fuisse non videtur, nisi Virgo sanctissima; quod alijs argumentis mox confirmabimus. Nomine porrò seruorum Dei, qui laudem Deo dicere hoc loco iubentur, Ribera existimat intelligi sanctos in terra adhuc viuentes; melius tamen hoc nomine tanquam honorificentissimo, cœlicolæ omnes, tùm Angeli, tùm homines censentur, quod ex ipso textu apertè probatur: siquidem ij, qui statim post inuitantis vocē, laudem Deo dedisse narrantur, cœlites fuerunt, vt Andreas Cæsarienſis, & ipse Ribera fatetur, subijcitur enim ibi sic: *Et audiui quasi vocem turbæ magnæ, & sicut vocem aquarum multarum, & sicut vocem tonitruorum magnorum dicentium, Alleluia:* qui omnes ideò gratulabantur, quod dies iudicij, & nuptiæ Agni breui adfuturæ essent: quæ omnia similitudine rerum valde sonantium adhibita, cuiusmodi est vox turbæ magnæ, aquarum, & tonitruorum, non hominibus mortali carne circumdatis, sed in cœlo degentibus tribui sunt solita, vt patet Apoc. 1. 6. 14. & 19. & maximam indicant cœlicolarum multitudinem intima lætitia exultantium.

Qui nam sint serui Dei ad laudem Deo dicendam inuitati.

Ribera. Andr. Cæsar. Ribera.

Apoc. 1. 6. 14 & 19.

Ribera. Petr. Dam.

3 Cæterū hanc vocem de THRONO prodeūtem, quæ sanctos mortali carne circumdatos, vt ait Ribera, vel cœlicolas, vt ego censeo, ad Dei laudem inuitat, meritò à Petro Damiano loco citato sanctissimæ Virgini tribuitur; & præter ea, quæ diximus de vtrisque, id probatur. Nam si de seruis Dei in hac vita adhuc existentibus accipiamus, experientia constat Virginis exemplo potissimum, & intercessione omnes in terris ad Dei laudes excitari, vt fusius supra cap. 20. & 21. ostendimus cum de hoc throno fulgura, voces, & tonitrua procedere diximus: inter alias verò voces hæc est, de qua Apoc. 19. & illa, de qua Apoc. 21. quoniam, vt dixi, indicatur THRONVS tāquam aliquid à Deo sedente diuersum, & Virgini maximè consentaneum. quibus si quis adiungere vellet cum septimus Angelus effudit phialam suam in aerem, vocem illam magnam Apoc. 16. de

Virgo homines in terra degentes ad Dei laudes inuitat.

Apoc. 19. & 21.

Apoc. 16.

tem-

templo à THRONO exeuntem,& dicentem : *Factum eſt* : & ſtatim ſubijcitur: *& Facta ſunt*, inquit, *fulgura, voces, & tonitrua* ; quaſi hæc etiam vox à Virgine prodierit, nihil abſurdi diceret : quamuis enim hæc vox poſſit tribui Deo ſedenti in Throno, & pronuncianti finem omnium adeſſe, quoniam nihil in hac narratione inuoluitur, quo oſtendatur vox hæc non à Deo prodijſſe ; nihilominus tamen poteſt tribui Virgini,quę in fine mundi cum Satanas quaſi calcaneo mundi inſidiaturus, rabiem ſuam efferatius contra Eccleſiam effundet, ipſa omnium Aduocata mortales finis omnium inſtantis, & venturi iudicij expectatione permouere curabit ad pœnitentiam ; ideoquè iterum narrantur fulgura, voces, & tonitrua, quæ Apocalypſ. 4. è Throno procedere dicebantur, quod nos cap. 20. explicuimus de miraculis, & ad pœnitentiam admonitionibus ſuauibus, & terrificis Virginis ope factis ; quæ eadem in nouiſſimis temporibus cum abundabit iniquitas, & refrigeſcet charitas, multorum eius opera, & interceſſione ad draconis antiqui calcaneo inſidiantis caput conterendum ſedulò præſtabuntur. & quo neceſſitas auxilij maior ingruerit : eò magis Virginis præſidium, ac patrocinium electis (*propter quos*,vt dixit Chriſtus Dominus Matth. 24. *breuiabuntur dies illi*) eluceſcet, ac præſto erit.

Goneſ.3.

Virgo in fine mundi homines ad pœnitentiam excitabit.

Apoc.4.

Matth. 24.

4 Si verò de ſeruis Dei cœleſti gloria fruentibus illud intelligatur, certè Virginem ſanctiſſimam, Angelos, & reliquos ſanctos ad Dei laudem inuitare, mirum eſſe non debet : ipſa enim ſupra illos Deo maximè eſt vicina, cum chorum faciat ſeparatum, vt cap. 6. ex ſancto Bernardino Senenſi, Gerſone, & alijs diximus : ideoq; etiam illos illuminare dicitur, atque adeò ad Dei laudes excitare poteſt. Quod autem eos illuminet,præter rationem dictam, quia ſcilicet Deo eſt maximè præ omnibus vicina, & eiusq; nominis interpretatio, quæ eſt *Stella maris*, vel *illuminatrix* ex Hieronymo in nominibus hebraicis in Exod. hoc ſignificat ; Complures etiam auctores id teſtantur, Franciſcus Mayro in ſermone de creatione animæ Virginis ait Dei genitrici conuenire illud Pſalmi : *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis* : quia Deipara ſuam vim illuminatiuam immediatè ſumit à Perſonis Altiſſimæ Trinitatis ; & iuxta ſui nominis etymologiam, quæ ex Hieronymo eſt *Illuminatrix*, illuminat quatuor hierarchias ſibi ſubiectas,ordinatè incipiendo ab Ordine Seraphico : illuminat enim tres hierarchias Angelorum; & quartam, quæ eſt Eccleſiaſtica. hæc ex Mayrone,in quo illud animaduertendum eſt, Mayronem expreſsè in eodem ſermone dicere Virginem illuminari ab anima Chriſti ſanctiſſima ; quia tamen hæc eſt vnita Verbo, ideò Mayro eam à tribus Perſonis diuinis immediatè illuminari dicit. Petrus Damianus ſermone de Aſſumptione explicans quomodo Virgo dicatur *Electa vt ſol* : *Nihil*, inquit, *habuit ſpiritus in viſibilibus creaturis excellentius, cui excellentiam Virginis compararet ; ideò Soli aſſimilat.* & infra: *Electa vt Sol, quia ſicut Sol ſolus orbem illuminat, ſic hæc ſola ſolidiori lumine, & Angelos, & homines illuſtrat.* Sanctus Bernardinus Senenſis tom. 3. ſermone 3. de nomine glorioſo Virginis cap. 3. dicit Virginem dominari Angelis : *Reſpectu quorum*, inquit, *eſt electa vt Sol ad irradiandam totam multitudinem ſpirituum Beatorum*. Bonauentura in ſpeculo B. Virg. cap. 3. exponit quomodo Virgo iuxta ſui nominis interpretationem non tantum ſit illuminatrix per exempla ſuarum virtutum, & per beneficia ſuæ miſericordiæ ; verùm etiam per lucidiſſimam gloriam ſuam illuminat Cœlum, ſicut ſol mundum, & affert illud Eccleſiaſtici, *Sol illuminans per omnia reſpexit* : *Sic ergo*, inquit, *illuminans Maria in gloria ſua rutilans, per omnia reſpicit. quia per omnes Angelos, & per omnes Sanctos gloriæ ſuæ illuminationem extendit*, & citat hæc verba Bernardi, quæ in ſermone 1. de Aſſumpt. habentur : *Mariæ præſentia totus illuſtratur orbis, adeò vt & ipſa iam cœleſtis Patria clarius rutilet virgineæ lampadis irradiata fulgore*. ſic Bonauentura.

Virgo Sanctos in cœlo ad laudes Dei inuitat.

S. Bernardinus. Gerſon.

Virgo ſanctiſſima Angelos illuminat.

Hieronymus.

Franc. Mayro.

Pſal. 75.

Hieronymus.

Mayro.

Petrus Dam.

Cant. 6.

S. Bernardinus.

Bonauentura.

Eccleſ. 42.

Bernardus.

5 Ad extremum illud ad confirmationem eorum, quæ initio capitis dicebamus, animaduertendum videtur;non eſſe nouum Virginem ſanctiſſimam alios ad Dei laudem inuitare : ipſius enim typum ex Chryſologo ſermone 146.geſſit Maria prophetiſſa ſoror Aaron,& Moyſis,quæ Virgo erat,& ſapientia inſignis fuit ex Clemente Alexandrino 4.Stromatũ,& Exod.15. demerſo cum ſuo exercitu Pharaone in mari rubro,ſumpto tympano,reliquis omnibus mulieribus cum tympanis,& choris poſt eam egreſſis,præci-

Virgo initio Incarnationis omnes ad Dei laudes inuitauit,et figuratur in Maria ſorore Moyſi Chryſologus. Clem. Alexan. Exod. 15.

nebat

nebat dicens: *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est; Equum, & ascensorem*
Basilius. *eius deiecit in mare.* Ita Deipara sanctissima prophetissa ex Basilio in cap. 8. Isaiæ non
solum affectu soror, sed etiam naturaliter vera mater Christi summi Sacerdotis Legisla-
Augustinus. toris, ac Ducis populi Dei tympanistria nostra (sic enim vocat eam Augustinus sermo-
ne 18. de Sanctis) facta in eius vtero ad dæmonis potentiam euertendam, diuini Ver-
Luc. 1. bi Incarnatione prima omnium in lege euangelica, etiam ante Ioannem, vt notat Au-
gustinus 17. de Ciuitate cap. vltimo Deo gratias agens præcinuit canticum illud suauissimum, *Magnificat*, quo alios etiam suo exemplo, & diuinorum tum beneficiorum, tùm etiam iudiciorum commemoratione ad Deum laudandum excitauit, illudq; nobis omnibus decãtandum reliquit. & nunc in cęlis de ipsa Virgine tanquam de THRONO Dei eiusdem cantici vocem emitti, Deumq; magnificare, nosq; ad idem inuitare piè cogitare possumus. Ex ijs igitur, quæ hucusque differuimus, maneat id, quod huius disputationis initio probandum suscepimus, sanctissimam Virginem singulari quadam prærogatiua meritò *Dei*
Apoc. 4. *THRONVM* appellari, atque adeò Apoc. 4. inter typos illius Aulæ cęlęstis per SEDEM, seu THRONVM Dei adumbrari. Reliquum est, vt de modo tantam Virginem venerandi, atque adeò de pietate, ac deuotione erga ipsam exhibenda, vt fructum ex ea vberem reportemus, nonulla sequentibus capitibus perstringamus.

Finis Primæ Partis.



SECVNDA PARS
DE PIETATE, AC DEVOTIONE,
QVA BEATISSIMA VIRGO DEIPARA MARIA
A NOBIS COLENDA EST.

QVIBVS CAPITIBVS, SEV RATIONIBVS ad pietatem, ac deuotionem erga Virginem Deiparam excitari debeamus. Cap. XXXIIII.

SVMMARIVM.

Deipara quatenus Christi Mater quantopere sit diligenda nu.5.
Deiparæ in nos beneficia num.7.
A Deipara beneficia expectamus num.9.
Deipara, vt mater viuentium diligenda num.11.
Deiparæ deuotio est bonum honestum, vtile, ac delectabile nu.12.
Religiosorum familiæ Deiparæ protectione gloriantur nu.13.
Deiparæ deuotio signum est prædestinationis nu.17.
Deiparæ miracula quædam admirabilia ex Pelbarto nu.24.

1 EX ijs, quæ in superioribus vberius disseruimus, satis probatum remanet, Deiparam Virginem sanctissimam per Dei Thronum in Apocalypsi cap. 4. subintelligi; cuius disputationis occasione, vt initio huius operis dicebamus, pleraque de Virginis dignitate, atque præstantia, deq; amplissimis, quibus ipsa vniuersum hominum genus prosequitur, beneficijs complexi sumus: reliquum est, vt ad nos sermonem conuertentes, de Pietate, seu Deuotione, qua eam colere debemus, paucis agamus; quo tot, tantisq; eius in nos collatis beneficijs, aliqua saltem ex parte respondeamus; sicq; vtilitatem etiam ex ea vberiorem hauriamus, atque ad plura beneficia ab ea percipienda magis in dies, ac magis disponamur. *Apoc. 4.*

Duo porrò hac in re tractanda mihi constitui: primum quibus rationibus ad hanc erga Virginem deuotionem in nobis omni studio excitandam, atque procurandam permoueri debeamus: Alterum quibus erga Virginem animi affectibus, quibusq; pietatis actibus, seu officijs deuotio hæc contineatur, atque exerceatur. *Duo agenda circa Virginis deuotionem.*

2 Et verò Deipara mater pijssima pro sua benignitate, vt ingentibus nos donis repleat ad suam deuotionem omnes inuitat illis verbis Eccl. 24. *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini; Spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel, & fauum:* quæ ex Carthusiano in illum locum art. 25. de B. Virgine paraphrasticos sic reddere possumus, O vos omnes, qui peculiariter me concupiscitis, *Virgo Deipara ad suam deuotionem omnes inuitat. Eccl. 24. Carthusianus.*

piſcitis,& mihi placere,meis virtutibus conformari,meq; in cœlo videre concupiſcitis: accedite ad me per mearum virtutum conſiderationem,& imitationem,per amorem,& meam inuocationem:& à generationibus meis, hoc eſt à filio meo, quem genui, implemini. Chriſtus enim in ſinu matris per eius preces facilius inuenitur;ſpiritus enim meus dulcis, & hæreditas mea, quam ego poſſideo, & quam meis deuotis procuro, eſt ſuper mel,& fauum. hæc ex Carthuſiano. & infra eodem cap.24.Eccl. *Sicut Aquæductus exiui de paradiſo, Dixi rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum:* Deipara enim ſuos deuotos tanquam peculiarem hortum irrigat, atq; ſpiritualibus bonis inebriat: caue ergo ne tua culpa obſtruatur, vel præcidatur hic Aquæductus; quod dæmon ſub typo Holofernis,vt cap.24.dixi,facere nititur:ſed viriliter ei obſiſte: nam etiam ſi ad peccata delabaris,per Virginis preces,ſi eius deuotionem retinueris, iterum Dei miſericordiam facilè impetrare poteris: ideò Virginis deuotio tanquam hæreditas locuples,vnde affatim ditari poſſumus,ab omnibus eſt magnifacienda;quod præclare indicauit Nazianzenus in Tragœdia de Chriſto patiente his verbis ad Deiparam ſermonem conuertens.

Eccl. 24.

Iudith 7.

Nazianzen.

„ *Vt tantum habens te præſidem ſemper velut*
„ *Ingentem opum vim,te tuum erga filium*
„ *Mihi patronam ſentiam acceptiſſimam*.

Gregor. VII.

3 Hanc erga Deiparæ pietatem Gregorius VII. cuius memoria in Martyrologio die 25. Maij recolitur Pontifex ſanctiſſimus, & libertatis eccleſiaſticæ propugnator acerrimus ponit inter præcipua monita tradita Mathildi filiæ Beatricis Tuſciæ Duciſſæ, mulieri integerrimæ,& de Romana Eccleſia optimè meritæ; Is enim lib. 1. epiſt. 47. *Inter cætera*, inquit, *quæ tibi contra principem mundi arma Deo fauente contuli, quod potiſſimum eſt,vt corpus Dominicum frequenter acciperes indicaui, & vt certæ fiduciæ Matris Domini te omninò committeres præcepi.* & cum multa ex Ambroſio, Gregorio, & Chryſoſtomo de frequenti Euchariſtiæ ſuſceptione diſſeruiſſet, hæc de cultu erga Dei genitricem ſubijcit: *De matre verò Domini,cui te principaliter commiſi,& committo,& nunquam committere,quouſque illam videamus, vt cupimus,omittam:quid tibi dicam?quam Cœlum, & terra laudare, licet vt meretur nequeant, non ceſſant. Hoc tamen proculdubio teneas,quia quanto altior,& melior,ac ſanctior eſt omni matre:tanto Clementior, & dulcior circa conuerſos peccatores,& peccatrices. Pone itaq; finem in voluntate peccandi, & proſtrata coram illa ex corde contrito, & humiliato lacrymas effunde: Inuenies illam indubitanter, promitto promptiorem carnali matre, ac mitiorem in tui dilectione.* hęc Gregorius VII. & S.Bonauentura tom.2.opuſc.2.in libello,in remedium defectuum religioſorum cap.10.hæc monet: *Matri etiam Chriſti omnem,quam poteſt,exhibeat reuerentiam,& dicat: Dulciſſime Ieſu dignare donare mihi miſero peccatori matri tuæ dignè ſeruire.*ſic Bonauentura. Idem Bonauentura in Epiſtola, quæ inſcribitur vigintiquinque memorialium, vbi quædam ad piè viuendum monita tradit, in XIII. memoriali hæc habet: *Vt glorioſam*, inquit, *Reginam Domini noſtri matrem benedictam in ſummo habeas omni tempore venerationis affectu, & in cunctis ad eam neceſſitatibus, periculis, & preſſuris tanquam ad refugium tutiſſimum te conuertas, ipſius tutelæ præſidium flagitando,eamq; in tuam ſuſcipiens Aduocatam,deuotiſſimè,ac ſecurè tuam ei cauſam committas, quia mater eſt miſericordiæ,quotidie ſtudens ei ſpecialem, & ſingularem reuerentiam exhibere.* hæc Bonauentura. qui etiam adijcit,vt omni conatu puritatem, & munditiam caſtitatis cum humilitate,& manſuetudine Virginis imitari ſtudeamus; ſic enim noſtra deuotio erit ei grata.

Duo monita Mathildi data. Primum frequēs Euchariſtiæ ſanctiſſimæ vſurpatio.

Secundum, pietas erga Virginem.

S.Bonauentura.

Media quibus ad pietatem Virginis inflammamur.

4 Et qnod ſpectat ad primum,quod mihi tractandum propoſui,multa ſunt,quæ ad Virginis deuotionem nos inflammare,ne dum excitare poſſunt, quorum ſingula ſi attentè per ſe perpendantur id præſtare poterunt: quanto magis id efficient cum in eandem Virginem vniuerſa cumulatiſſimè cadant?ea verò ad ſeptem capita reuocare poſſumus.

Primum,quia ipſa mater eſt Chriſti Domini,cui noſtra omnia debemus,quamque Chriſtus honorauit ipſe,& ab omnibus vult honorari.

Secundum,propter innumera,eaq; ingentia à Deipara in nos hactenus collata beneficia,tum generalia,quæ ad vniuerſum hominum genus pertinent,præſertim quia Chriſtum,

ſtum,à quo redempti ſumus,& quo in ſanctiſſima Euchariſtia paſcimur ex ſuis caſtis viſceribus genuit:tùm etiam particularia, quę quilibet ſe à Virgine accepiſſe agnoſcit, & occulta,quæ nos ipſi ignoramus.

Tertium,propter ea, quæ ab ipſa nos omnium bonorum egeni in poſterum expectamus,vt ad patriam perueniamus;cum ſit Mater miſericordiæ, & Aduocata noſtra apud Chriſtum ſummum Iudicem.

Quartum, quia mater eſt viuentium, & mater noſtra, cui à Chriſto de cruce in filios traditi ſumus in Ioanne illis verbis: *Ecce filius tuus*: cumq; ipſa Matris munera in nos egregiè præſtet, nos quibus Chriſtus in Ioanne dixit: *Ecce mater tua*,omni affectu eam colere,atque vt filij venerari debemus.

Quintum,quoniam Virginis deuotio triplicem illam boni rationem complectitur; eſt enim bonum honeſtum,vtile,atque delectabile.

Sextum, Deiparæ deuotio inter præcipua prædeſtinationis ſigna connumeratur, vt propterea ſit valdè expetenda.

Septimum,exemplum Sanctorum,qui ab initio naſcentis Eccleſiæ omnes B. Virginis ſtudioſiſſimi, ac deuotiſſimi fuere; nunc de vnoquoque horum capitum nonnulla breuiter perſtringamus.

DEIPARA QVATENVS CHRISTI MAter quantopere ſit diligenda.

5 AC primum quidem ad eius nos deuotionem illud plurimum permouebit, ſi animo reputemus,quod Chriſti Dei noſtri,cui omnia noſtra debemus,vera ſit Mater,quę ſola ſine viri opera de Spiritu ſancto concepit,vt propterea tanquam Deipara ab omnibus Chriſti fidelibus ſummo affectu, ac ſtudio proſequenda, atque colenda ſit,quam Chriſtus tantopere honorauit ipſe, & ab omnibus vult honorari: *Si.n.*inquit Damaſcenus orat.1.de dorm.Virg.loquens cum ea: *honor is,qui conſeruis habetur,beneuolentiam erga communem Dominum declarat,quo tandem modo ſtudium te honorandi, quæ Dominum peperiſti, negligendum erit? An non illud vel neceſſario ſpiritui præferemus? ac vel etiam ipſi vitæ anteponemus? Hac.n.ratione noſtram erga Dominum beneuolentiam luculentius oſtendemus.*hæc ille. Quòd ſi Deum pſal.150.in ſanctis eius laudare,& Eccl.43. benedicere,& exaltare illum quantum poſſumus iubemur; profectò cum Virgo beatiſſima non tantum præ omnibus puris creaturis ſanctitate præfulſerit,vt in ſuperioribus oſtendimus;verùm ēt ſit vera Dei genitrix,in qua Dei magnificētia, atque maieſtas præcipuè elucet,in ipſa quoque peculiari quadam ratione,quantum poſſumus,Deū laudare debemus.Quòd ſi S.Leo ſerm.1.de S.Laurentio,gloriādum nobis dicit eſſe in Domino, qui eſt mirabilis in ſanctis ſuis:quanto magis, quia mirabiliorem ſe oſtendit in ſua Genitrice,peculiariter propter illam in Domino gloriari,ac viciſſim propter Dominum eam ſingulari dilectione proſequi debemus? *Sicut.n.dubium non eſt*, inquit Bernardus hom. 4.ſuper miſſus eſt,*quicquid in laudibus Matris proferimus,ad filium pertinere.*& rurſum: *Cum filium honoramus,à gloria matris nos non recedere.*ita etiam cum erga Virginē ſingulari pietatis ſenſu colendam ſtudium noſtrum impēdimus,id totum peculiari ratione in Chriſti eius filij honorem, à quo ipſa omnia accepit,terminari: imò hæc eſt voluntas Chriſti,vt ſuæ Genitrici hunc cultum exhibeamus.Quare Bernardus ſerm.de Aquæductu:*Totis*,inquit,*medullis cordium,totis præcordiorum affectibus,& votis omnibus Mariā hanc veneremur;quia ſic eſt voluntas eius,qui totum nos habere voluit per Mariam,in omnibus ſiquidem,& per omnia prouidens miſeris,trepidationem noſtram ſolatur,fidē excitat,ſpem roborat,diffidentiam abijcit;erigit puſillanimitatem.*hæc Bernardus. Quod mirum non eſt,ſi.n.iuxta verbum Domini 1.Reg.2.*Quicumque glorificauerit me,glorificabo eum:* & Io.12.*Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum pater meus:*quanta gloria, & honore Deus optimus Virginem Deiparam non ſolum in cęlis,ſed etiam in terris cumulauit,quæ ita Deum in ſe glorificauit,vt Bernardus ſer.2. de Pent. de Virgine ſic loquatur:*Tota Trinitas de plenitudine eius accepit gloriam.* & Cyrillus hom.6.in Neſtoriū: *Per te*, inquit, *Trinitas ſanctificatur; per te Crux glorioſa celebratur.* & alij Patres quos cap.17.citaui fusè in eandem ſententiam multa proferant.Quàm ſedulo autem Chriſto miniſtrauerit,diximus cap.9.& 12.Ex quo facilè inferre poſſumus honorem, quē Chri-

Primum caput, quia Mater eſt Chriſti.

Damaſcenus.

Pſal. 150. Eccleſ.43.

S.Leo.

Bernardus.

Virginis honor in Chriſtum redundat.

Bernardus.

Chriſtus vult matrem honorari.

1.Reg.2. Ioan.12.

Bernardus.

Cyrillus.

ſtus ei vult ab hominibus exhiberi; ideò.n.Chriſtus per ipſam tot beneficia eam inuocantibus confert,vt omnes ad eius benignitatis aſylum confugiant,eã pro viribus venerentur,ideoq; eius reuerẽtiam,ac deuotionem in cordibus oĩum fidelium altius impreſſit,vt ex ijs,quibus totum hoc opus inſperſimus perſpicuè conſtat.Quocirca de Virgine Deipara Eccleſia in officio eiuſdem Virginis profert illud Cant. 6. *Viderunt eam filiæ Sion*, hoc eſt animæ fideles, *& beatiſſimam prædicauerunt:Reginæ*.i. præſtantiſſimorum Sanctorum, *& concubinæ*, hoc eſt aliorum etiam ſanctorum animæ *laudauerunt eam*, & Prou.vlt.de muliere illa forti,quæ vt cap. 24.dixi, Virginem ſanctiſſimam ſignificat, verè dicitur:*Surrexerunt filij eius,& beatiſsimam prædicauerunt;vir eius, & laudauit eã*; non ſolum.n.fideles,qui ſunt filij Virginis, ſed ipſe quoque Chriſtus,vir filius eius, de quo dicitur Ierem. 31. *Fœmina circumdabit virum*, laudauit eam: & Virgo ipſa Spiritu ſancto afflata hoc ipſum agnouit cum dixit: *Ecce. n. ex hoc beatam me dicent omnes generationes*.Hinc eſt,quòd SS.Patres tanquam Dei optimi matrem præclaris encomijs,& epithetis,atque attributis illam omni reuerentiæ ſignificatione ſuppliciter inuocant:&vt omittam precandi formulam in ſacrificio ipſo,qua vti ſolet Eccleſia latina,in qua omnibus conſtat quàm crebrò,quàm reuerenter non tantum in Miſſis, quæ de Virgine celebrantur:ſed etiam in qualibet Miſſa,in precibus,quæ ſubmiſſa, & alta voce à Sacerdote recitantur,inuocetur:dicam ſolum de alijs liturgijs,ſiuè ſacrificandi formis, quas ſancti Patres recitandas in Eccleſia præſcripſerunt, in quibus ex perſona Eccleſiæ humiliter, ac reuerenter inuocatur: nam de Sanctorum erga Virginem veneratione cap. ſeq. diligenter nobis agendum erit.

Cant. 6.

Prouer. 31.

Ierem. 31.

Luc. 1.

Sancti in Liturgijs quàm honorifice de Virgine loquuntur.

S.Iacobus. 6 S.Iacobus in ſua Liturgia:*Cõmemorationem*,inquit, *agamus ſanctiſsimæ,immaculatæ, glorioſiſsimæ, benedictæ Dominæ noſtræ Matris Dei, & ſemper Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum,& iuſtorum,vt precibus, atque interceſsionibus eorum omnes miſericordiam conſequamur*.& iterum in perſona chori dicitur in eandẽ Liturgia:*Dignum eſt,vt te verè beatam dicamus Deiparam ſemper beatam, & omnibus modis irreprehenſam, & matrem Dei noſtri honorabiliorem,quàm Cherubim,& glorioſiorem,quàm Seraphim, quæ ſine corruptione Deum Verbum peperiſti.te re vera Deiparã magnificamus*.& rurſus:*Tibi ò plena gratiæ,vniuerſa creatura gratulatur,Angelorum cœtus, & hominum genus,quæ es Templum ſanctificatum, Paradiſus ſpiritualis,Virginum gloria,ex qua Deus carnem aſſumpſit,& puer factus eſt Deus noſter,qui eſt ante ſecula*.hæc in Liturgia S.Iacobi.

S. Baſilius Cæſarienſis. S.Baſilius Cæſar.in ſua Liturgia,S.Iacobũ imitatus ſic habet:*Sanctiſsimæ,& intemeratæ dominatricis noſtræ Dei genitricis, & ſemper Virginis Mariæ cum omnibus ſanctis memorantes,nos ipſos,& ad inuicem,atque omnem vitam noſtram Chriſto Deo commendemus*;quod quinquies in eadem Liturgia repetit.

S. Ioannes Chryſoſtomus. S.Ioan.Chryſoſtomus in ſua Liturgia: *Precibus*,inquit,*ſanctiſsimæ Deiparæ Virginis Seruator ſerua nos*;& ſæpius ibi eam implorat,præſertim hac precatione,quam identidẽ repetit:*Sanctiſsimæ,intemeratæ, & ſuper oẽs benedictæ glorioſæ Dñæ noſtræ Deiparæ,& ſemper Virginis Mariæ cum omnibus ſanctis memoriã agamus*.& iterum eam *honoratiorẽ Cherubim, & glorioſiorem incomparabiliter Seraphim; ſemperq; beatiſsimam, & penitus incontaminatã Dei noſtri Matrem* nominat. Et cum ſacra Euchariſtia eſt ſumenda hæc verba à duobus dicenda præſcribuntur: *Ex interceſsione immaculatæ Dominæ noſtræ Deiparæ, & ſemper Virginis Mariæ dignum me fac,vt ſine condemnatione accipiam immaculatum tuum donum in remiſsionem peccatorum,in vitam æternam*.& infra:*Dirige noſtram viam, confirma nos in timore tuo omnes, cuſtodi vitam noſtram, ſtabili noſtros greſſus, precibus, & ſupplicationibus ſanctæ Deiparæ, & ſemper Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum*. hæc ex Liturgia S.Ioannis Chryſoſtomi.

Biblioth. SS.Patrum. Suarez. In miſſa,qua vtuntur Aethiopes,eſtq; perantiqua,quam canonem vniuerſalẽ vocant, & habetur to.6. Bibliot.Sanct.Patr. cuius auctor fuiſſe dicitur S.Matthæus teſte Suarez tom.3 in 3.par.diſp.60.ſect.1.preces funduntur in hæc verba: *Lætare immaculata verè Regina,lætare gloria noſtrorum parentum;quia peperiſti nobis Emanuelem,ò verè mediatrix ante Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum,te ſupplices exoramus,vt memor ſis noſtri. ora pro nobis, vt deleantur iniquitates noſtræ*. hæc ibi. Ex quibus ſatis apparet quantò ſtudio Virginem ſanctiſſimam hoc nomine,quòd Dei genitrix ſit,colere debeamus.

DEIPARAE IN NOS BENEFICIA.

Secundum cap. Propter accepta à Virgine beneficia.

7 SEcundò ad Virginis deuotionem præcipuè nos vrget animi gratitudo, propter innumera,eaq; præstantissima ab ea,tum in vnumquemque nostrum peculiarirer: tùm etiam generatim in vniuersum hominum genus collata beneficia, quæ non minoris ab vnoquoque facienda sunt,quàm si solus ipse accepisses & quidem beneficia ea,quæ dicuntur occulta omittam,quæ licet nos lateant; ipsa tamen pro sua in nos benignitate in dies procurare non cessat,siuè cum nos à certissimis,quæ impendent,periculis seruat immunes:siuè cum multa bona confert.quę beneficia nunc occulta,in futura,vt speramus, vita nobis aperientur vniuersa:vt eo saltem tempore tantæ benefactrici gratias agere pro virili parte possimus.De his beneficijs,quæ occulta appellare licet, & à Deipara accepimus,& expectamus Nazianzenus in tragedia de Christo patiente,ad Deiparam sermonem dirigens,seq; ei plurimum debere testatus, eleganter sic cecinit.

Nazianzenus.

,, *Vt quæ gratia*
,, *Modum supra omnem me tua, semper leuans;*
,, *Me genere quouis casuum eruis omnium*,
,, *Hostes apertas, quodq; longè maius est,*
,, *Illos latente machina, qui me petunt*
,, *Auertis.*

Maximum Virginis beneficiũ, quia gignendo Christum ad salutem nostram est cooperata.

8 Cæterum,his occultis beneficijs omissis,venio ad ea,quę ad omnes pertinent beneficia,quorum illud est præstantissimum;quoniam ad salutem nostram singulariter cooperata est:id quod locupletissimè agnoscunt Sancti,quos fusè citauimus cap.17.22.& 27. suo.n.modo ad Christi Domini Incarnationem,à quo nobis bonum omne dimanat,cooperata est,eamq; meruit de congruo,& ex suis visceribus in Incarnatione Christo subministrauit corpus,quo in cruce oblato à dæmonis tyramnide sumus redempti:quo item in sanctissima Eucharistia pascimur,atque reficimur,vt meritò Augustinus. exclamet in hæc verba:*O B.Maria,quis tibi dignè valeat iura gratiarum,ac laudum præconia rependere,quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? quas tibi laudes fragilitas humani generis persoluet,quæ solo tuo commercio recuperandi aditum inuenit.Accipe itaq; quascumque exiles, quascumque meritis tuis impares gratiarum actiones, & cum susceperis vota,culpas nostras orando excusa.* hæc ille. Multa etiam precibus,ac meritis suis nobis de congruo meruit,& impetrauit.

Augustinus.

Adhæc Christum Dominum propter nos homines, & propter nostram salutẽ in Castellum huius mundi intrantem,Mulier hæc non tantum in domum vteri sui excepit cuius typum posteà gessit Martha, (de qua legitur Luc.10. quòd cum intrasset Iesus in quoddam castellum excepit illum in domum suam:) sed etiam Christo nomine omnium hominum,quorum causa venerat,solicitè ministrauit,eumq; lactauit,atque educauit, vt cap.9.& 12. diximus, ita vt Christus dignissimo in terris loco,(vt rectè dixit Bernardus serm.1.de Assumpt.) *Vteri scilicet virginalis templo à Virgine sit exceptus:* quo nomine ipsa vniuersum genus humanũ sibi deuinxit:similiter & in Christi Passione,vt fusius cap. 11.dixi ex Bonauentura in 1.sent.dist.39.art.2.q.2.licet Christo patienti maximè compateretur; tamen vt conformaretur diuinæ voluntati placuit ei vnigenitum filium suum pro salute humani generis offerri, ac propterea hoc nomine mirificè eam commendandam,& ab omnibus hominibus vnicè diligendam affirmat Bonauentura. Pertinet & ad hoc caput, quòd sit misericordiæ mater, quodq; per eam diuina in homines misericordia abundè effundatur, de quo egi cap. 16. & hæc pauca de beneficijs generalibus à Deipara in omnes collatis attigisse sufficiat.

Luc. 10.

Bernardus.

Bonauentura.

Peculiaria verò quæ singuli ab ea acceperunt beneficia, quisq; reputare secum potest:illud certum est,neminem esse,qui se abscondat à calore eius;omnesq; illius misericordiam in multis expertos esse.

A DEIPARA BENEFICIA EXPECTAMVS.

Plurima per Deiparam beneficia expectamus.

9 TErtiò ad Virginis pietatem nos excitare debent non tantum beneficia ab ea accepta,de quibus iam diximus : verùm etiam quæ per ipsam,& ab ipsa in posterũ speramus : cùm.n.simus miseri, omnium rerum egentes, multis erratis obnoxij, viribus ad omne bonum imbecilles, omniq; humano auxilio destituti à dæmone vaferrimo, atque

immaniſſimo hoſte, qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuorer, acerrimè oppugnati, idcircò diuino præſidio, auxilioq; maximè indigemus: tùm vt peccata nobis admiſſa remittantur: tùm etiam, vt ab inſidijs hoſtium viſibilium, atque inuiſibilium, interius, exteriusq; diuina virtute muniamur, ac tandem ad extremum vſque ſpiritum in bono perſeueremus. At verò apud Chriſtum nulla nobis vtilior Aduocata ad ea dona impetranda, quàm Virgo Deipara, quæ apud eum plurimũ poteſt, eiq; maximè gratioſa eſt: nec vllam, ſi quicquã petierit, repulſam patitur, & pro ſua in nos miſericordia, noſtras neceſſitates materno cõplectitur affectu. Quare Aduocata eſt noſtra, vt c. 30. dixi, ſuisq; precibus efficaciſſimis præſentiſſimam Dei opem nobis implorat. Et quidem Bernardus

Bernardus. ſerm. Signum magnum: *Sufficere*, inquit, *poterat Chriſtus, ſiquidem & nunc omnis noſtra*

2. Cor. 3. *ſufficientia ex Deo eſt: ſed nobis bonum non erat eſſe hominem ſolum; congruum magis, vt adeſſet noſtræ reparationi ſexus vterque.* & infra: *Chriſtus miſericors eſt, habet tamen iu-*

Deut. 4. *diciariam poteſtatem: denique Deus noſter ignis conſumens eſt, Quidni vereatur peccator*

Pſal. 67. *accedere? ne quemadmodum fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei: opus eſt. n. mediatore ad mediatorem iſtum, nec alter nobis vtilior quàm Maria.* & rurſum: *Denique Maria omnibus omnia facta eſt, ſapientibus, & inſipientibus copioſiſſima charitate debitricem ſe fecit, omnibus miſericordiæ ſinum aperit, vt de plenitudine eius accipiãt vniuerſi, Aeger curationem, Triſtis conſolationem, Peccator veniam, Iuſtus gratiam, Angelus lętitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filij perſona carnis humanæ ſubſtantiam, vt non ſit qui ſe abſcondat à calore eius: & quemadmodum Sol ſuper malos, & bonos indifferenter oritur: ſic ipſa Sole amicta præterita non diſcutit merita, ſed omnibus ſeſe exorabilem, omnibus clementiſſimam præbet, omnium denique neceſſitates ampliſſimo quodam miſeratur affectu.* hæc ex Bernardo.

S. Antoninus IO Certè, vt dixi cap. 30. ex S. Antonino 4. p. tit. 15. c. 9. §. 2. Sapiẽtia, & auctoritas Deiparæ in munere Aduocatæ elucet, quòd cauſam noſtram euincit contra Aduerſarium ſagacem, qui eſt dæmon in cauſa deſperatiſſima, qualis eſt peccatoris, & apud Deũ Iu-

Auguſtinus. dicem ſapientiſſimum, & pariter iuſtum, quem placat. Meritò igitur Auguſtinus ſerm. 18. de Sanctis ad Virginem: *Sit*, inquit, *per te excuſabile, quod per te ingerimus: fiat impetrabile, quod fida mente poſcimus: accipe quod offerimus: redona quod rogamus: excuſa quod timemus: quia tu es ſpes vnica peccatorum: per te ſperamus delictorum veniam, & in te beatiſſima noſtrorum eſt expectatio præmiorum.* hæc Auguſtinus. Et verò cum Virgo ſanctiſſima, vt c. 16. dicebamus, ſit Aquæductus cęleſtium gratiarum, & in corpore myſtico Eccleſiæ ſit collum, ſit radix, necnon Feneſtra, Scala, & Porta cęli, & Stella maris; ſit etiã mediatrix noſtra, vt cap. 30. oſtendimus: qui voluerit cœleſtibus donis repleri, ad hunc Aquæductum accedat: qui Chriſti capitis influxus vberes deſiderat, huic collo coniungatur, huic radici vniatur: ſimiliter per hanc feneſtram, per hanc ſcalam, per hãc portam in cęlum conſcendere, ac intrare nitatur: hanc apud Chriſtum mediatricẽ ad ea exorãda, quæ ſaluti ſunt neceſſaria, adhibeat: per hanc maris ſtellam in medijs huius vitæ procellis curſum ſuum ad cęleſtem dirigat portum. etenim quoad ſtellæ huius aſpectũ non

Bonauentura amiſerit, ſpem habet ex procellis hiſce euadendi maximam: *Tale*, inquit Bonauentura in ſpec. cap. 3. *eſt officium Stellæ noſtræ Mariæ, quæ nauigantes per mare mundi in naui In-*

Innocentius. *nocentiæ, vel pœnitentiæ dirigit ad littus cęleſtis Patriæ: Propter hoc bene Innocentius ait ſic: Quibus auxilijs poſſunt naues inter tot pericula pertrãſire vſque ad littus patriæ? Certè, inquit, per duo. ſ. per lignum, & ſtellam. i. per fidem crucis, & per virtutem lucis, quàm peperit nobis Maria maris ſtella.* hæc Bonauentura ex Innocentio; cui cõſonat explicatio

Petr. Dam. illa Petri Damiani pſal. 22. *Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt:* ait. n. in ſer-

Pſal. 22. mo. de Aſſumpt. *In Virgine virga, & baculo cruce, miſerorum, ſpes, & conſolatio continetur.* Quis aũt enumerare valeat eos, qui per Virginẽ Chriſto conciliati ſunt: vel qui Virginis ope a moleſtiſſimis tentationibus, & perplexitatibus ſunt liberati? vel, quod maius eſt, vires huiuſmodi tentationibus reſiſtendi ad conſequendam victoriæ coronam ſunt

Iac. 13. adepti? Quot per Virginẽ à cęno peccatorum ad Chriſti gratiam emerſerũt? Quot tepidi mox à Dño euomendi, non ſtatim velut arbores infructuoſæ ſunt ſucciſi, ne terrã fruſtra occuparẽt, ſed per Virginem expectati, vt fructus facerent? Quot à ſeculi, & ambitionum fluctibus ad tutiſſimum ſacræ Religionis portum Virginis auxilio commigrarunt?

Cæſa-

Cæsarius lib.7.miracul.c.1.de Virgine agens,paucis multa complectitur: *Ipsa*,inquit, *est orbis conseruatrix,& tribulatorũ consolatrix,fida sibi famulantium defensateix:per ipsã peccatores illuminantur,desperati ad confessionẽ reparantur,Apostatæ à Deo per ipsam Deo mirabiliter conciliantur, iusti reuelationibus consolantur,nomen eius,& memoriale eius morbos sanat, dæmones fugat,vincula soluit, timores pellit, tentationes compescit: per ipsam pusillanimes confortantur, torpentes excitantur, electi misericorditer reuocantur, diligentes se diligit; imò diligendo præuenit & honorat;& contemnentes se, quia iusta est, punit,& humiliat: apud ipsam electuaria sunt confortatiua,vnguenta sanatiua,Nomen eius super mel dulce,& hæreditas eius super mel,& fauum:morientibus assistit,& mortuorum animas ad vitam perducit æternam.* hæc Cæsarius: quæ omnia toto illo lib.7.multis miraculis,& exemplis comprobat,atque confirmat. *Cæsarius.* *Eccl. 24.*

DEIPARA VT MATER VIVENTIVM DILIGENDA.

11 QVartò ad Virginis deuotionem illud quoque nos inflammare debet, quoniam Deipara,vt cap.27. vberius dixi, Mater est viuentium,mater etiam nostra, cui à Christo,dum esset in cruce,in Ioanne in filios traditi sumus illis verbis: *Mulier ecce filius tuus*: cumq; ipsa egregiè matris munera in nos exerceat (amat enim nos;curam nostri gerit,à malis animæ,& corporis liberat)Deum iustè contra nos iratum placat: quæ omnia plenius cap.27.28.& 29.ostendimus:diuinam quoque nobis misericordiam exorat, de quo cap.16.egimus. debemus & nos tantæ Matri,cuius auxilio, atque præsidio in primis egemus, officijs,atque obsequijs respondere,eiq; omnem deuotionis cultum impendere: hoc enim & nobis Christus in cruce illis verbis ad S.Ioannem: *Ecce mater tua*, significasse videtur, vt scilicet eam tanquam matrem agnoscamus, eiq; debitam obseruantiam exhibeamus. Quid autem ei tanquam matri præstare debeamus, deinceps sequentibus capitibus aperiemus. in hoc autem Christi in nos benignitatem, atque misericordiam agnoscamus,qui non sua solum dona nobis conferre voluit, sed talem etiam matrem,talemq; Aduocatam, quæ diuinarum gratiarum dispensatrix esset,humano generi prouidit, quæ suis precibus iram eius in nos iustè propter nostra peccata concitatam mitigare posset.Qua in re feciſſe perinde videtur,ac pater aliquis, qui cum filium corripere, ac cædere iusta de causa vult, aliquem tamen exoptat,qui filij plagas ab eo deprecetur,vt iure apud Ezechielem cap.13.& 22.conqueratur,quòd non sit,qui se opponat pro terra,ne dissipet eam. hoc tamen Mater misericordiæ præstare solet: precibus enim pro terra crebrò se opposuit,quemadmodum cap.30.diximus.Animaduertendum tamen est Christum Dominum prius matri dixisse: *Mulier ecce filius tuus.* Virgo enim ad nos iuuandos ex sua charitate permouetur, nosq; suo materno affectu præuenire solet: cui tamen à nobis sedulò pro nostra tenuitate est respondendum, ideoq; subiungitur: *Ecce mater tua*,sicut autem S.Ioannes absque mora *ex illa hora accepit eam in sua*. ita & nos statim in cordis nostri intima per singularem in Virginem pietatem, atque deuotionem reuerenter eam accipere debemus: ipsa verò iuxta illud Eccl.15.Non se difficilem prębebit:*sed obuiabit nobis quasi mater honorificata*:Matrem enim honorificatam eam appellat Ildefonsus serm.1.de Assumpt. *Quartum cap. quia Virgo mater est viuentium, & mater nostra.* *Ioan.19.* *Ezech.18.& 22.* *Ioan.19.* *Ioan.19.* *Ex hac hora statim Virgini dandum cor.* *Eccl.15.* *Ildefonsus.*

DEIPARAE DEVOTIO EST BONVM, honestum, vtile, ac delectabile.

12 QVintò,Virginis Deiparę deuotio triplicem illam rationem boni,honesti videlicet, vtilis,atque delectabilis (de quo agit S.Thomas 1.par.q.5. art.6. ex Ambrosio lib.1. de officijs cap.9.) in se vna complectitur; quare in eorum animis, qui Virginis sunt studiosi non decus tantum, atque ornamentum,sed vtilitatem etiam, atque dulcedinem parit maximam; vt ex hoc etiam capite pietas in Virginem omni ratione à nobis sit procuranda. Huic porrò triplici bono, quòd in deuotione erga Deiparam inuenitur, aptantur,quæ Eccl. 24. de eadem Virgine dicuntur; ad bonum enim honestum spectat illud: *Ego quasi terebinthus extendi ramos meos,& rami mei honoris,& gratiæ, ego quasi* *Virginis deuotio decus, vtilitatem,& suauitatem parit in anima. S.Thomas.* *Eccl. 24.*

vitis fructificaui ſuauitatem odoris, & flores mei fructus honoris, & honeſtatis. De bono verò vtili mox ſubiungitur: *In me gratia omnis viæ, & veritatis: in me omnis ſpes vitæ, & virtutis:* denique de dulcedine, ac ſuauitate: *Spiritus*, inquit, *meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel, & fauum.* Cæterùm ratione quoque hoc ipſum oſtendamus. Et quod ad bonum honeſtum attinet, non eſt nobis valdè laborandum, vt illud in pietate erga Virginem cumulatiſſimè reperiri probemus; cùm ex ſuperioribus perſpicuum ſit, hanc pietatem maximè omnes decere; quid enim ſecundum Deum honeſtius, vel quid magis creaturas omnes decet, quàm erga eam reuerenter affici, eam ſingulariter venerari, quę Dei omnium creatoris vera Mater eſt: quæ in nos tot contulit beneficia, quàm Angeli in cœlis, vt cap. 26. dixi, officioſiſſimè colunt: quæ vt cap. 17. oſtendi, Patriarcharum decus dicitur, quòd ex illorum nobiliſſimo ſanguine procreata, maius illis ornamentum attulerit, quàm ab eis acceperit; cuius vultum omnes diuites plebis, nimirum Sanctorum præcipui venerantur; cui, vt cap. citato vidimus ex perſona humani generis dicitur illud Iudith 15. *Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri.* Quo circa S. Stephanus Rex Hungariæ maximo ſibi, ſuoq́, Regno vniuerſo duxit ornamento, cum Hungariam Virginis familiam voluerit appellari, vt videre eſt in vita S. Gerardi Epiſcopi, & martyris apud Surium 24. Septembris: necnon Hungari ex inſtitutione eiuſdem S. Gerardi Epiſcopi, & S. Stephani Regis, Virginis ſanctiſſimæ nomen ex reuerentia minimè pronunciant, ſed Dominam eam abſolutè vocant. Religioſi quoque ordines Deiparæ patrocinio vſque adeò gloriantur, vt ſuam erga eam obſeruantiam ipſo nomine, vel habitu, vel alia quapiam ratione teſtatam velint. Nam & Seruitarum ordo, propterea quod Deiparæ ſeruos ſe profitentur, nomen hoc verè glorioſum (quod illis decus affert ſingulare) non ſine diuino nutu inuenerunt: Cùm & ipſi lactentes, atque infantes eos, qui huic ordini initium dabant, aſpicientes ſeruos MARIAE vocarint, (inter hos lactentes recenſetur B. Philippus vulgo dictus à Tuderto, vbi quieſcit, (patria enim erat Florentinus,) vix integrum à ſua natiuitate annum explens, qui poſtea eundem ordinem complexus, illius fuit propagator egregius.) quin etiam ijdem Seruitę ſanctiſſimę Virginis iuſſu in memoriam doloris, ac meſtitiæ, quam in Chriſti Paſſione ipſa Deipara pertulit, atrum habitum accepere. Nec deſunt alij Religioſorum ordines, qui à Deipara honorificam ſibi appellationem deſumpſere, atque hoc etiam nomine apud fideles magna in veneratione habentur, & candenti habitu, ſaltem aliqua ex parte in honorem puritatis Deiparæ vtuntur. Eiuſmodi eſt Ordo Carmelitarum, qui à B. Virgine à Carmelo: eorum, qui à B. Maria montis Virginis dicuntur; quorum ordinem S. Gulielmus circa annum 1120. inſtituit: eorum quoque, qui à B. Virgine à Mercede nomen acceperunt, qui ante trecẽtos annos in Hiſpania primum ordinem inchoarunt, poſtea in alias Prouincias penetrarunt; necnon eorum, qui Religionem in honorem immaculatæ Conceptionis inſtituerunt, quorum regulam probarunt Alexander VI. Iulius II. Leo X. eis priuilegia concedendo, vt videre eſt in compendio Minorum, verbo Communicatio §. 18. & verbo Conceptio §. 10. & 12.

Pietas in Virgine rationem habet boni honeſti.

Pſal. 44.

Iudith 15.

S. Stephanus Rex Hungariæ Virginem miri ſicè coluit.

Varij Religioſorum ordines à Virgine nomen accepere Seruita.

B. Philippus à Turdeto.

Carmelita Montis Virginis.

B. Virginis à Mercede.

Religio in honorem Conceptionis immaculatæ.

Inter hos connumerantur & Oliuetani, qui in Virginis puriſſimæ honorem albo, atque candenti habitu vtuntur: cum enim à Ioanne XXII. ad Epiſcopum Aretinum eſſent remiſſi; ab eo circa annum Domini 1319. iuſſu Virginis beatiſſimæ, quæ Epiſcopo apparuerat, albam veſtem cum Regula S. Benedicti ſub B. Mariæ protectione acceperunt, quemadmodum refert Paulus Morigia de origine Religionum cap. 37.

Ordo Montis Oliueti.

Paulus Morigia

RELIGIOSORVM FAMILIAE DEIPARÆ *protectione gloriantur.*

13 QVin etiam aliæ Religioſorum familiæ, quamuis alio nomine nuncupentur; pari tamen animi ſenſu ſe eiuſdem Deiparæ famulos profitentur, ſeq́; ſub eiuſdem patrocinio peculiariter degere gaudent, quemadmodum de Carthuſianis, de Ciſtercienſibus, de Ordine Prædicatorum, qui præter alia, habitum etiam, quo vtuntur à Virgine ſe accepiſſe gloriantur ex lib. 2. vitæ S. Dominici cap. 12. de Ordine Minorum. & de noſtra Societate diximus cap. 20. & dicemus capite ſequenti. omitto dicere hic de varijs

Apud Surium tom 4. Confraternita-

Con-

Confraternitatibus,ac Sodalitatibus ſecularium in Eccleſia inſtitutis,præſertim illa Roſarij toto Orbe diffuſa,& ijs Congregationibus,quæ in domicilijs Societatis noſtræ habentur,quæ Virginis nomine,& patrocinio gloriantur. Sed quid dico de Religioſis, & Sodalibus,alijsq; fidelibus,qui præclarè ſecum agi exiſtimant, ſi aliqua ratione Deiparæ ſtudioſos ſe profiteantur,cum ipſe Deus eam ita cohoneſtare dignatus ſit, vt ab ea denominari,& per eam,inter puras creaturas omnium longè præſtãtiſſimam,veluti quadam periphraſi aliquando nobis innoteſcere voluerit,quemadmodum toto cap.15.vberius probauimus. Addam & illud,quod refert Cæſarius lib.7. exempl cap. 38.de Bertramo Ordinis Ciſtercienſis in Longobardia: is aliquando in oratione beatam Dei genitricem conſpexit è regione cuius fons aurei coloris erumpens, verſus eius pedes fluebat,lapilli eius fontis lapides erant pretioſi,ſmaragdi videlicet,carbunculi, topazij, ſaphiri, hyacinthi. huius porrò interpretationem à B.Virgine accepit, fontem enim illum aurei coloris ordinem dixit eſſe Ciſtercienſem qui velut aurum dignitate,& ſanctitate præcellebat,& ſpeciali quadam prærogatiua dilectionis non ceſſabat fluere ad eam; lapillos verò pretioſos eſſe ſpeciales ſuos amicos in ordine,& in ſuo obſequio cęteris feruentiores. hæc ibi. Ex quo decus,ac precium deuotorum B.Virginis facilè cognoſci poteſt,cùm auro,& lapidibus pretioſis comparentur.

tes,ac Sodalitates ſub appellatione B.Virgin.

Cæſarius. Deuotos ſtos Deipara quibus typis figuraret.

14 In cœleſti quoque patria eos, qui in præſenti vita Deiparæ peculiari ratione ſerui, atque deuoti exiſtunt,ſingulari etiam fauore hoc nomine donandos docet, & pulchra ſimilitudine explicat Pelbartus de Temeſuar in Stellario Virg.lib.12. par.1. art.3. *Sicuti,* inquit, *ſerui Regis, & Reginæ in Curia Regia certis notabilibus clenodijs deaurati procedunt,per quæ agnoſcuntur eſſe ſerui Regis,vel Reginæ,& ſpeciali purpura veſtiti ambulant:ita in Curia cœleſti ſerui Virginis ſpeciali ornatu,& gloria,qua præ alijs diſcernuntur,quod ſerui ſunt Mariæ, fulgebunt, iuxta illud Prou.vlt. Omnes domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus.* ita Pelbartus.

Virginis deuoti ſpeciali ornatu in cœlo fulgent. Pelbartus.

Prouerb.vlt.

15 Quòd verò ſpectat ad vtilitatem eximiam, quam hominum animis pietas in Virginem affert,ex ijs,quæ ſupra diximus,& infra dicemus liquidò apparet. Illud tantum de Arca Dei ex 2. Reg. 6. in præſenti commemorabo: quemadmodum enim propter Arcam illam in domum Obededon illatam trium menſium ſpatio,Dominus eum, omnemquè domum eius ſic benedixit,vt Dauid,qui ex reuerentia timuerat eam ad ſe diuertere,hoc exemplo excitatus cum gaudio in Ciuitatem ſuam ſolemni pompa eam adduxerit: ita felix anima,in quam erga Deiparam per Dei Arcam,vt cap.5. dixi adumbratam,pietas,atque deuotio ingreditur, quoniam bonorum omnium vbertate cœlitus affluet,iuxta illud, quod ei accommodatur, & in feſto Præſentationis legitur Prouerb. 8. *In vijs iuſtitiæ ambulo,& in medio ſemitarum iudicij,vt ditem diligentes me,& theſauros eorum repleam.* Et quoniam tot Sanctos legimus Virginis ope, atque præſidio ad magnum perfectionis culmen peruenisſe, quorum aliquos cap. ſequenti referemus, ne nos pigeat in animam noſtram ad eius benedictionem, cœleſtiumq; gratiarum copiam percipiendam omni pietatis ſenſu hanc deuotionem introducere.

Pietas erga Virginem omnibus vtiliſſima. 2. Reg. 6.

Prouerb. 8.

16 De ſuauitate verò,& dulcedine, quam in pietate erga Virginem abundè omnes experiuntur,locupletiſſimi teſtes ſunt ij,qui in hac pietate ſtrenuè ſe exercent:quare meritò illud ei congruit, quòd ab vniuerſo populo eſt acclamatum Iudith, quæ figuram Deiparæ gerebat: *Tu gloria Ieruſalem,tu lætitia Iſrael:* non ſolùm enim decus,atque ornamentum humano generi attulit,ſed lætitiam etiam,atque iucunditatem. Quare in Litanijs B.Virginis,quæ Laureti decantantur:*Cauſa noſtræ lætitiæ dicitur.* & Ambroſius in pſal.21.in fine: *Quin potius,* inquit,*ipſam Mariam Manna dixerim,quia eſt ſubtilis, & ſplendida, ſuauis, & Virgo; quæ velut cœlitus veniens cunctis eccleſiarum populis cibum dulciorem melle defluxit,quem qui edere,aut manducare neglexerit,vitam in ſemetipſo habere non poterit, ſicut ipſe Dominus ait,niſi quis manducauerit carnem meam,&c.* ita Ambroſius.

Pietas erga Virginem dulcis.

Iudith 15.

Maria eſt Manna Exod. 16. Iſa. 6.

Bernardus verò apud Bonauenturam in ſpec.c.8. Cuius ſententiam mox referemus, de eiuſdem B.Virginis dulcedine abundè teſtatur,ac prędicat.Illud verò ſedulo cauendũ,ne Deiparæ dulcedine deguſtata,eam reijciamus: huc.n.ſpectat illud ex reuel.S.Brigittæ lib.1.cap.58.cùm enim Deipara Chriſto dixiſſet: *Rogo te fili mi; vt,quia tu fuiſti mihi*

Bernardus.

mihi dulciſſimus, alij participes fiant meæ dulcedinis; cui reſpondiſſe ſcribitur Chriſtus in hunc modum: Benedicta ſis tu chariſſima mater: verba tua ſunt dulcia, & charitate plena: ideò quicumque de dulcedine tua in os ſuum receperit, & perfectè tenuerit, proficiet ei; qui autem receperit, & reiecerit, tanto maius ſupplicium habebit. hæc ibi. Adhæc Cantic. 4. de Deipara dicitur: *Fauus diſtillans labia tua ſponſa; mel, & lac ſub lingua tua;* eiq; accommodatur à Petro Damiano ſermone de Annunciatione illud Eccl. 24. *Spiritus enim meus dulcis, & hæreditas mea ſuper mel, & fauum: Hæc eſt,* inquit Damianus loco citato, *quæ veſtris affectibus ſuauiter indulceſcit, in qua dulcis Dominus cum omni ſua dulcedine ſuperuenit.* ſic Damianus. *Ipſa enim,* vt dicebat Auguſtinus ſermone 100. de tempore, *eſt Terra promiſſionis, cum toties per Prophetas promiſſa fuerit: de qua terra duo illi pendentem vuam detulerunt in ligno ſuſpenſam; vua enim illa Chriſtum Deum figurauit.* hæc Auguſtinus.

Cant. 4.

Petr. Dam. Eccl. 24. Damianus.

Auguſtinus. Numer 13. Pſal. 31.

Terra verò promiſſionis diuino teſtimonio Exod. 3. & alibi ſæpè in ſacris litteris lacte, & melle manare dicitur, id quod manantem ex Virgine dulcedinem adumbraſſe exiſtimandum eſt: & ita Bernardus ſermone 3. ſuper Salue Regina: *Ipſa,* inquit, *eſt Terra promiſſionis lacte, & melle manans.* & ab Eccleſia in precatione, cuius initium eſt *Salue Regina,* eidem dicitur: *Vita, dulcedo, & ſpes noſtra ſalue.* & irerum: *O clemens, ò pia, ò dulcis Virgo Maria.* In vita enim ſpirituali ſicut & in pharmacis, ac rebus, quæ ad valetudinem conferunt, quædam vtilia ſunt, & amara, ſeu minimè iucunda, cuiuſmodi eſt ieiunium, corporis caſtigatio, & ſimilia: quædam verò vtilia ſimul, & dulcia, nimirum & ſpe, & re ipſa ſuauia, & huiuſmodi eſt erga Virginem deuotio.

Exod. 3.

Bernardus.

Et ſanè experientia ſatis eſt exploratum illud Bernardi apud Bonauenturam in ſpeculo cap. 8. *O magna,* inquit, *ò pia, ò multum laudabilis Virgo Maria: tu nec nominari potes, quin accendas, nec cogitari quidem, quin recrees affectus diligentium te: tu nunquam ſine dulcedine diuinitus tibi inſita piæ memoriæ portas ingrederis.* ſic Bernardus. Quod longè ante Bernardum obſeruauit Damaſcenus, qui ex ſola Virginis memoria magnam concipi animo voluptatem teſtatur, vt videre eſt oratione 1. de dormit. Virg. *Sufficit,* inquit, *ijs, qui tui memoriam piè vſurpant pretioſiſſimum memoriæ tuæ donum, quippe quæ eiuſmodi lætitiam pariat, quam nullus eripere poſſit, qua nam enim voluptate, quibus bonis non impletur, qui mentem ſuam ſanctiſſimæ memoriæ promptuarium effecerit?* & oratione 2. de dorm. hortatur omnes, vt mentem, memoriamq; ſuam Dei genitricis promptuarium efficiant.

Bonauentura Bernardus.

Damaſcenus.

Petr. Dam.

17 Quare Petrus Damianus ſermone 1. de Natiu. Virg. ex dulcedine, quæ ex recordatione Virginis percipitur, dulcedinem ex eiuſdem præſentia inferebat: *Felices,* inquit, *angelici ſpiritus, qui B. Virginis habent præſentiam; nos interim memoriam abundantiæ ſuauitatis eius eructamus, ſi ſic dulcis eſt memoria, quid eſt præſentia?* ita Damianus. vt Virgini illud, quod Eccl. 49. de Ioſia dicitur, congruere videatur: *Memoria,* inquit, *Ioſiæ in compoſitione odoris facta opus pigmentarij in omni ore quaſi mel indulcabitur eius memoria, & vt muſica in conuiuio vini:* Etenim Virginis recordatio omnium virtutum ſuaueolentiam mittit aduerſus vitiorum fætorem vtiliſſimam; mellifluum etiam, ac dulce eſt de ea cogitare, de ea loqui: & quemadmodum muſica, ſeu concentus ſuauiſſimus in vini conuiuio præſentes vehementer oblectat, ſic ſermo de Virgine non ſolum eum, à quo profertur, ſed eos etiam, qui eum audiunt, maximopere ſolatur, ac recreat; imò (vt nonnulli animaduertunt) hymni ipſi, atque Antiphonæ Virginis ſingularem in mentibus, auribusq; fidelium ſuauitatem inſtillant, ac voluptatem efficiunt: ideò Bernardus ſermone Signum magnum, agens de Virginis laudibus ex conſideratione eorum, quæ Deus Virgini conceſſit, non tantum pios erga Virginem affectus, ſed & conſolationem excitari docet: *Ex quibus,* inquit, *nos ſi ea fideliter intuemur, ſine dubio admirationem concipimus, ſed venerationem, ſed deuotionem, ſed conſolationem: cætera quæ reſtant adhuc & imitationem requirunt.* hæc Bernardus.

Eccleſ. 49.

Bernardus.

Cæſarius. *Angelicam ſalutationem pronunciantes aliqui, ſenſibili oris dulcedine recreabantur.*

Denique in huius rei confirmationem afferam illud, quod Cæſarius lib. 7. miracul. cap. 50. de corporea etiam, & ſenſibili, quæ ex Virgine beatiſſima proficiſcitur dulcedine commemorat; ſcribit enim Coloniæ fuiſſe quondam incluſum nomine Marſilium propè templum S. Seuerini, cui matrona quædam affirmabat ſe Dominæ noſtræ nomen

abſque

abſque mira quadam dulcedine pronunciare non poſſe,cuius cauſam rogata, reſpondit ſe in Deiparæ honorem quinquaginta ſalutationes angelicas cum totidem venijs quotidie dicere ſolitam eſſe,ex quo tantam dulcedinem ſe conſecutam, vt omnis oris eius ſaliua, orationis tempore in mel videretur conuerſa:quod audiens Marſilius huius Matronæ exemplo vix ſex hebdomadarum ſpatio, eundem ſalutationum angelicarum numerum cum ijſdem venijs recitauit:cum tantam in ore,& gutture,dum eam dulciſſimam ſalutationem proferret,dulcedinem ſentire cæpit, vt mellis ſuauitatem longè tranſcenderet:quam eandem dulcedinem quidam ex ordine Ciſtercienſi illius exemplum imitatus obtinuit;quæ omnia ab eodem incluſo ſe accepiſſe teſtatur Cæſarius.

DEIPARAE DEVOTIO SIGNVM EST PRAEDESTINATIONIS.

18 Extò,quamquam ſine ſpeciali reuelatione nemo, vt habet Sacrum Concilium Tridentinum ſeſſ.6.cap.12. ſcire poteſt, quos Deus ſibi elegerit; multa tamen à Doctoribus diuinæ prædeſtinationis ſigna enumerantur:& quidem inter præcipua collocatur intima erga Virginem Deiparam,quæ Mater eſt Electorum,atque viuentium, deuotio. Quod eleganter probat Pelbartus in Stellario Virginis lib.12.par.2. cap.1. vt propterea omni ſtudio in nobis hanc deuotionem diuina gratia excitare,& augere, illamq; enixè à Deo petere debeamus. Virginis porrò deuotionem ſignum eſſe prædeſtinationis probatur. *Sextum cap. Virginis deuotio ſignum eſt prædeſtinationis. Conc. Trid. Pelbartus.*

Primò, quilibet prædeſtinatus viuam quandam Chriſti Domini imaginem ſuis moribus,humilitate, patientia, caſtitate, mortificatione, charitate, alijsq; rebus,quo ad eius fieri poterit,in ſe exprimere debet,iuxta illud ad Rom.8. *Nam quos præſciuit,& prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui.* & 2. Cor.3. *Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu.* Hinc eſt,quòd quemadmodum Chriſtus eſt filius Dei naturalis,ita prædeſtinati debent ſaltem eſſe filij Dei adoptiui,& propterea *miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda noſtra,in quo clamamus Abba pater:*& Chriſtus Dominus *dedit eis poteſtatem filios Dei fieri,vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus, quos non confunditur fratres vocare:* eadem ratione prædeſtinati in hoc quoque imaginem Chriſti in ſe exprimere ſolent,vt per peculiarem erga Deiparam pietatem,& deuotionem;illam,quæ Mater eſt Chriſti naturalis,ſuam agnoſcant matrem ſpiritualem: ideoq; vt dixi cap.27. Patres omnes matrem cunctorum viuentium, qui ſcilicet vita gratiæ viuunt, eam prædicant; cui Chriſtus in cruce in Ioanne diſcipulo,quem diligebat,omnes electos, qui ſui pariter diſcipuli ſunt, & dilecti,commendaſſe animaduertunt. & hoc dicebat Origenes tom.1.in Ioan.in præfat.tractans quomodo Ioannes in filium traditus Virgini quodammodo Chriſtus dici poterat: *Quiſquis,* inquit, *perfectus eſt non amplius viuit ipſe, ſed in ipſo viuit Chriſtus, cumq; in ipſo viuat Chriſtus, dicitur de eo Mariæ, Ecce filius tuus Chriſtus.* *Rom. 8. 2. Cor. 3. Galat. 4. Ioan. 1. Rom. 8. Ioan. 19. Origenes.*

19 Secundò, deuotionem erga Deiparam ſignum eſſe prædeſtinationis ex hoc etiam inferimus,quòd omnes Sancti virginis deuotiſſimi fuerint;quod capite ſequenti quamplurimis exemplis planum fiet; vt propterea Cant.7.dicatur Deiparæ: *Venter tuus ſicut aceruus tritici vallatus lilijs;* quoniam ex Epiphanio ſermone de laud.Virg. & ex Ambroſio de Inſtit. Virg. cap. 13. Chriſtus granum frumenti in cruce mortuum multum fructum attulit, & ſic electi omnes veluti aceruus tritici ex Chriſti paſſione multiplicati in vtero Virginis beatiſſimæ,tanquam eius filij ſpirituales continebantur, eo modo,quo in vtero Rebeccæ in duobus geminis Iacob, & Eſau duos populos fuiſſe dictum eſt Geneſ.25.de quo cap.29.vberius diximus. Quocirca ſicuti Deus auctor naturæ Agniculo inſtinctum dedit,quo ex balatu matrem inter mille oues agnoſcat, & ad eius vbera accurrat,ita Deus gratiam iuſtis infundens tribuit, vt Deiparam diuinæ miſericordiæ matrem reuereantur,& ad eam inclinentur,eius vbera miſericordię appetant.quare mirum non eſt,ſi illam inter mortales degentem fideles omnes videre cuperent, quod ex Epiſtola S.Ignatij ad S.Ioannem Apoſtolum apertè colligitur, vbi eam etiam *Cæleſte prodigium,& ſacratiſſimum ſpectaculum* appellat. ſimiliter neque mirum erit, ſi omnes interter- *Cant. 7. Epiphanius. Ambroſius. Geneſ.25. S. Ignatius.*

Exod. 3. terris ad eam in cœlo regnantem tanta propenſione afficiantur. & ſicut Exod. 3. Moyſes videns rubum, qui ardebat, & non comburebatur: (quo vt canit Eccleſia virginitas Deiparæ conſeruata ſignificabatur) deſiderio accenſus: *Vadam*, inquit, *& videbo viſionem hanc magnam*; quare non comburatur rubus: ita & nos in præſenti vita oculo fidei ad eam contemplandam accedamus, memores vberum ipſius, & omni cordis affectu eius pedes teneamus, atque beneficia nobis opportuna ab ea petamus, nosq; mutuo ad eius amorem adhortemur illis verbis Iſa. 2. & Micheæ 4. *Venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas:* Deipara enim, & mons Domini, & Domus Dei, ex ijs, quæ cap. 5. diximus, appellatur, vt tandem aliquando in futura vita eius beata præſentia perfrui mereamur.

Officium Eccl. Iſa. 2. Mich. 4.

20 Tertiò, hoc ipſum probari poteſt ex illo Eccleſ. 24. quod Virgini accommodatur: *Qui creauit me requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi. In Iacob inhabita, in Iſrael hæreditare, & in electis meis mitte radices;* In Iacob quidem inhabita, ideſt in ſupplantatore vitiorum. (Iacob enim ſupplantatorem ſonat) in Iacob quoque electi, ſicuti in Eſau reprobi intelliguntur, iuxta ea, quæ Apoſtolus fusè differit in Epiſtola ad Romanos, vbi cap. 9. ex Malachia cap. 1. citat illud: *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* ſubdit: *In Iſrael hæreditare*, ideſt in contemplatiuo (Iſrael enim idem eſt, qui Iacob prædeſtinatorum typus, & vt multis placet idem eſt, quod videns Deum:) verùm quod magis eſt, *in electis meis*, ideſt in ijs, quos elegi, *mitte radices:* ideò Germanus Patriarcha in ſermone de Zona Virginis: *Quomodo*, inquit, *corpus noſtrum vitalis ſignum operationis habet reſpirationem; ita & ſanctiſſimum tuum nomen Virgo beatiſſima, quod in ore ſeruorum tuorum verſatur aſſiduè in omni tempore, loco, & modo, vitæ, lætitiæ, & auxilij non ſolum eſt ſignum, ſed ea etiam procurat, & conciliat.* ita Germanus. & Prouerb. 8. dicitur: *Beatus homo, qui audit me, & vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei*, quod Eccleſia Virgini accommodat in Epiſtola miſſæ, quæ legitur die conceptæ Virginis ſacro, quaſi dicat: Beatus homo, qui meis conſilijs obedit, & peculiari deuotione me veneratur. cuius rationem ibidem reddit. Quoniam *qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino:* etenim Virgini congruit illud Prou. 18. *Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonum, & hauriet iucunditatem à Domino.*

Ecel. 24. Deipara in prædeſtinatis mittit radices ſuas. Rom. 9. Malach. 1. Germ. Patr. Prou. 8. Miſſale. Prou. 18.

21 Quartò, adhoc confirmandum facit & illud, quod Deus Leuit. 26. populo ſuo pollicebatur: *Ponam*, inquit, *tabernaculum meum in medio veſtri, & non abijciet vos anima mea;* quod ſpiritualiter impletur in ijs, in quibus quaſi in medio cordis à Deo optimo deuotio erga Deiparam infunditur, quam per tabernaculum Dei figuratam ex Sanctorum doctrina cap. 5. docuimus, vbi de hoc myſtico tabernaculo illud Iſa. 4. intelligi poſſe diximus: *Et tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æſtu, & in ſecuritatem, & abſconſionem à turbine, & à pluuia*, hæc enim omnia ſpiritualiter à Deipara ſanctiſſima ſuis deuotis præſtari cernimus. Quin etiam compluribus, qui in ſceleribus inſorduerant, Chriſtus Dominus meritò dicere poſſet id, quod Salomon 3. Reg. 2. Abiathar dixiſſe ſcribitur: *Equidem vir mortis es* (adiuuerat enim partes Adoniæ) *ſed hodie te non interficiam, quia portaſti Arcam Dei coram Dauid patre meo:* Chriſtus enim plerosq; à peccatorum cæno, propter quæ morti ſecundæ in gehenna addicendi erant, ad meliorem viuendi rationem reuocat, illisq; ignoſcit propter Arcam Dei, hoc eſt propter deuotionem erga Deiparam, quam in corde geſtarunt.

Leuit. 26. Deipara veluti Dei tabernaculum in corde electorum ponitur. Iſa. 4. 3. Reg. 2.

Et ſanè experientia compertum eſt, quando in Virginem deuotio in alicuius pectore intepeſcit, ſimul & reliqua in vita ſpirituali intepeſcere; cum autē feruet, reliqua etiam omnia feruere, & maiora capere incrementa.

S. Antoninus. Salue Regin. Anſelmus.

S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 14. §. 7. quandam Anſelmi ſententiam, quæ hoc ipſum confirmat, ſic affert: *In Antiphona*, inquit, *Salue Regina, ei dicimus: Eia ergo aduocata noſtra illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte, vt enim dicit Anſelmus: Impoſſibile eſt, quod illi, à quibus Virgo Maria oculos miſericordiæ ſuæ auertit, ſaluentur, ita neceſſarium, quòd hi, ad quos conuertit oculos ſuos pro eis aduocans iuſtificentur, & glorificentur.* hæc Anſelmus apud S. Antoninum. Eandem vt Anſelmi ſententiam citat Pelbartus de Temeſuar in Stellario Virginis lib. 12. par. 2. art. 1. & docet eſſe in lib. miraculorum ab Anſelmo edito.

Pelbartus.

Adhæc

22 Adhæc nomen ipſum Mariæ ſignificat, vt cap. 10. dixi, *Maris Stellam*, quæ nauigantibus in mundi huius procellis lucem præfert, virtutumq; ſuarum exemplo, ac opis ſuæ patrocinio eorum curſum dirigit, atque ad optatum dirigit portum ſalutis. Et Epiphanius ſermone de laud. Virg. explicans nominis Mariæ etymologiam, inter alia vult nomen illud ſonare *Myrrham maris: Quia paritura, inquit, erat gemmam à corruptione præſeruandam;* hoc eſt Chriſtum reſurrecturum, ab omni corruptione in morte ſua alienum: Mare verò dicit eſſe vniuerſum mundum, cui Virgo ſerenitatem, & tranquillitatem attulit. Adde quæ diximus cap. 16. & 30. Virginem matrem eſſe miſericordiæ, & peccatorum Aduocatam, quæ à Deo, apud quem maxima gratia pollet, repulſam neutiquam patitur, vt rectè docet Bernardus ſermone de Aquæductu. Quo fit, vt qui erga Virginem peculiari deuotione afficiuntur, ij magnam ex eo ſalutis ſuæ ſpem concipere poſſint. Satagendum tamen illis eſt, vt à peccatis quantocius per pœnitentiæ ſacramentum emergant, & per bona opera, vt monet S. Petrus in 2. epiſt. cap. 1. certam ſuam vocationem, & electionem faciant: etenim priuilegia nonnullis inſignibus peccatoribus à Virgine facta, quorum aliqua mox referemus, ita ad pietatem erga Virginem inflammare nos debent, vt à peccatorum etiam ſordibus nos quàm maximè reuocent, ne Chriſti, & Virginis benignitate abutentes in peccatis ſordeſcamus, & peccata peccatis addentes in apertum ſalutis noſtræ diſcrimen nos ipſi temerè conijciamus, cum illud veriſſimè ſcriptum ſit Eccleſ. 3. *Cor durum habebit malè in nouiſſimo, & qui amat periculum, in illo peribit.*

Maria idem, quod maris ſtella. *Epiphanius.* *Bernardus.* *2. Petr. 1.* *Eccleſ. 3.*

23 Sicuti autem Virgo ſanctiſſima tanquam Aurora myſtica aduentus Chriſti in mundum, qui Sol Iuſtitię eſt, felix, & certa prænuncia fuit, ita & nunc eius deuotio in hominum cordibus proximæ Chriſti gratiæ per preces Virginis prænuncia eſſe ſolet.

Virginis deuotio prænuncia Chriſti gratiæ.

Quid quod Chriſtus Dominus, quos ſingulari aliqua ratione diligit, eos Deiparæ clientelæ, patrocinioq; committere legitur? quod facilè confirmari poſſet ex Ioanne, diſcipulo, quem diligebat Ieſus: huic Virgini ex cruce in filium tradito, in quo omnes, qui ſunt in gratia, quam Ioannis nomen ſonat, quiq; diliguntur à Chriſto, Deiparæ commendatos ſupra cap. 27. oſtendimus. Cæterùm hoc ipſum vno, aut altero exemplo demonſtremus. legimus in vita S. Elzearij Comitis Ariani cap. 14. Garſendam nobilem, & ſanctam matronam cum pro S. Elzeario, quem enutrierat feruenter oraret, corporeis auribus audiuiſſe Chriſtum ſibi dicentem, Iuueni huic, pro quo tam multum oras, noueris me matrem meam dediſſe magiſtram: nihil igitur de illo dubites. Et in reuelationibus B. Gertrudis lib. 3. cap. 1. *Ex ſpirituali*, inquit, *quadam reuelatione dum intellexiſſet ſancta Virgo Gertrudis ſibi in augmentum meriti aliquid aduerſitatis imminere, & inde ex humana fragilitate trepidaret; Pius Dominus ipſius fragilitati condeſcendens, miſericordem matrem ſuam inclytam Cœlorum Reginam, Imperatricem illi dedit in matrem, benignamq; diſpenſatricem, vt quantumcumque nimietate aduerſitatis ſupra vires grauaretur, ſemper ad ipſam matrem miſericordiæ ſecurum haberet recurſum, cuius interuentu ſe ſciret alleuiandam. Poſthæc breui interuallo temporis elapſo cum valdè grauaretur quadam in re recurrit ad deſolatorum conſolatricem cupiens ab ea doceri, quid in hac cauſa magis expediret, & ab ipſa reſponſum accipere meruit.* & cap. 4. cum eadem B. Gertrudis circa feſtum S. Bartholomæi ex inordinata quadam triſtitia, & impatientia tantas incurriſſet tenebras, quod magna ex parte iucunditatem diuinæ præſentiæ ſibi videretur amiſiſſe vſque in ſabbatum, quando has ſibi temperatas gauiſa eſt per interceſſionem Dei genitricis, cum in honorem ipſius cantaretur quædam Antiphona. & lib. 4. earundem reuelationum cap. 49. in vigilia Aſſumptionis, cùm cantanda eſſet miſſa, cum ex intimo cordis affectu B. Gertrudis lecto decumbens deprecaretur Dominum, vt ſibi apud dulciſſimam matrem ſuam dignaretur fauorem, & gratiam obtinere, cui ipſa, vt ſibi videbatur nũquam debitum obſequium exhibuiſſet; Dominus ſe ſumma cum blanditate in amplexus matris amiciſſimos declinans exhibuit ipſi omnem filialem dilectionem, qua vnquam erga eam affectus fuerat, dicens: *Recole Domina Mater amantiſſima quod peccatoribus ego propter te ſim propitiatus, & reſpice hanc electam meam eo affectu, ac ſi omnibus diebus vitæ ſuæ tibi placita, ſummaquè deuotione ſeruiſſet. Ad quod virginea Mater quaſi tota liquefacta, & in melleam dulcedi-*

Chriſtus ſuos dilectos Virgini commendat'. *Ioan. 19.*

Exemplum S. Elzearij apud Surium 27. Septembris. *Chriſtus S. Elzearium matri commendauit.* *B. Gertrudis.* *B. Gertrudis à Chriſto matri commendatur.*

nem

nem reſoluta ; ſe tota huic cum beatitudine ſua ob amorem filij videbatur impendere. hæc ibi.

DEIPARAE MIRACVLA QVAEDAM *admirabilia ex Pelbarto.*

Pelbartus.

24 QVanta porrò ex deuotione erga Virginem vtilitas dimanet, ex compluribus exemplis, ac miraculis, quæ ſparſim in hoc opere narrantur, ſatis conſtat : ſed minimè reticenda cenſeo tria illa, quæ Pelbartus de Temeſuar Ordinis Minorum, in libro quem Stellarium coronæ glorioſæ Virginis nuncupauit, & Sixto IIII. Pont. Max. qui ſedit anno 1471. olim dicauit, narrat lib. 12. par. 2. art. 1. quibus oſtendit Virginem ſanctiſſimam ſuis deuotis, vt non ſine confeſſione ſacramentali ex hac vita decedant, procurare conſueuiſſe. quæ ne quid adderem, aut detraherem, ijſdem ſuis verbis mihi referenda exiſtimaui, ex quibus duo poſteriora ſuo tempore accidiſſe, ſibiq; ſatis cognita eſſe teſtatur; cum enim vellet Virginis deuotionem ſignum eſſe prædeſtinationis, ſeu ſalutis probare; vbi auctoritatibus, & rationibus id demonſtraſſet, in eiuſdem veritatis confirmationem tria hæc miracula addidit, ait ergo in hunc modum ; Oſtenditur concluſio prætacta ex miraculis, & reuelationibus: nam refert Anſelmus libro miraculorum, & hoc idem narratur etiam in libro, qui intitulatur Scala Cœli, quòd quidam fuit princeps latronum, qui quodam ſabbato cum veniſſet ad domum cuiuſdam mulieris pauperis, vidit ieiunantes filias mulieris, & etiam ipſam mulierem, & requiſiuit, cur die ſabbati ieiunarent ; At illa reſpondit, quod didici (inquit) à quodam Sancto viro prædicante, quod quicumque ieiunat ob deuotionem B. Mariæ in ſabbatis, merebitur confeſſionem facere in articulo mortis, & non decedet ſine gratia veræ pœnitentiæ, atque damnationem euadet: tunc ille latro ait: Et ego voueo B. Virgini, quòd quamdiu vixero diem ſabbati ieiunabo, quod cum feciſſet continuè, accidit poſt multos annos, vt iſte latro caperetur in ſcelere, & ſine dilatione decapitatus eſt: ecce mirum, ipſum caput præciſum cæpit continuè clamare, & dicere, Confeſſionem, confeſſionem, confeſſionem: ſtupefacti homines, qui aderant, ad villam miſerunt pro Sacerdote, qui veniens capùt ipſum vniuit corpori, & tunc latro ait: Hoc bonum ad reuerentiam B. Virginis, inquit, feci in vita, vt ieiunarem ſabbatis; & dum facta decapitatione, diaboli vellent rapere animam meam ; affuit B. Virgo, quæ animam meam non permiſit exire de corpore meo quouſque contritus ſim plenè, & confeſſus, vt damnationem euadere valeam, & ſic confeſſis omnibus peccatis ſuis, ac poſtulatis deuotè ſuffragijs, mortuus eſt : porrò homines hoc videntes magnificauerunt Deum, & laudauerunt Chriſti clementiam in *B.* Virgine. ſic Pelbartus. hoc idem exemplum paucis mutatis in Normannia accidiſſe refert Thomas Cantipratenſis lib. 2. apum cap. 29. par. 18. pergit idem Pelbartus narrare alia duo.

Quidam capite abſciſſus Virginis fauore confitetur, quia ſabbato ieiunaret. Miraculum. Anſelmus.

Pelbartus. Morientis militis anima in cadauere ſeruatur, quouſque plurimos poſt annos peccatorum confeſſione exoptetur. Miraculum.

25 Plura, inquit, alia miracula ad ipſum atteſtantia referuntur à ſanctis Patribus priſtinis temporibus facta : ſed quoniam manus Domini non eſt abbreuiata, his etiam noſtris temporibus certa acciderunt miracula, ad id fidem facientia. nimirum fide dignis viris, qui affuerunt, & viderunt referentibus, didici, quòd cum ad partes Tranſalpinas Imperator Sigiſmundus (qui anno 1437. obijt) bellando acceſſiſſet, contigit inibi quẽdam militem cecidiſſe; poſt multos autem annos cum iterato idem Imperator partes ad illas cum exercitu acceſſiſſet; ecce omnibus audientibus vox quaſi fletus ſcilicet, ac lugubris ſibilationis cæpit inſonare. cumq; cuncti quid nam foret, mirarentur; de mandato Imperatoris cæperunt inquirere inter vepres, ſiluasq; & lucos circumadiacentes ; & ecce repererunt quoddam cadauer iacere in quodam rubo putrefactum adeò quod increſcentes iunci, & ſpinæ veprium, ipſum pertranſiendo penetrauerant, & ex illo cadauere ſonus ille flebilis audiebatur reſonare, vnde clara voce ait aſtantibus, & quid foret conquirentibus dicens: Habetis ne Presbyterum, cui confitear, afferte mihi Domini. Ego etenim iam ante annos plures in bello Sigiſmundi Imperatoris miles fui, & in hoc loco pugnæ corrui : ſed quoniam B. Mariæ in vita mea ſemper deuotè ſeruiui, ideò eius meritis fauentibus id mihi à Deo conceſſum eſt, & donatum miſericorditer, ne anima mea è corpore ipſo iam penè conſumpto, & tabefacto diſſolueretur, vt damnationem

æternam

æternam euaderem: vnde tota anima mea in me tenetur, nec mori possum, donec plenè confitear: quia habeo damnabilia crimina, quæ commiseram. & pro veritate huius confirmanda, mox vt confessus fuero à flebili sibilo hoc meum cadauer cessabit, anima dissoluta, quæ vsque modo miraculosè est per Virginem beatam retenta. tunc obtulerunt ei Sacerdotem, & facta confessione, ac absolutione, mox resoluta anima, vocis illius sonus cessauit: & tunc tam Imperator, quàm omnes, qui aderant Deum, & B. Mariam laudauerunt. ecce ergo miraculum.

Miraculum. Vir in fluuio demersus ne scelerum damnaretur post triduum incolumis euasit.

26 Item vidi quendam oculis virum, qui fide mediante asseruit se fuisse vna cum duobus socijs nauigantibus, & aquis subintrantibus in medio flumine Danubij submersum; alijsq; natando euadentibus, ipse solus in profundum descendit, eo quod natare ignorauit: & eidem in profundo facta est vox dicens, O homo, ecce mori deberes, & quia peccata habes damnabilia, deberes damnari: sed ex quo seruiuisti beatæ Mariæ matri Dei, en donatum est tibi, vt libereris, & peccata confitearis. Cumq; sui socij enatantes. in villa propè existente appreciatos piscatores adduxissent, qui hunc, quem credebant sutfocatum in flumine, requirerent: cum tribus illum diebus quęsiuissent, nec reperissent, & iam vellent abire, ecce illis videntibus de profundo fluminis, ad ripam homo conscēdit, & gesta narrauit, atque mox ad confessionem faciendam ad me deuenit. Patet ergo quoniam qui B. Mariæ seruit, saltem in morte ad pœnitentiam, & confessionem faciendam dabitur ei gratia, ac damnationem euadendo perueniet ad Regna cœlestia. hactenus ex Pelbarto ad verbum.

SANCTOS OMNES, PLEROSQ. ETIAM *Principes viros Virginis Deiparæ deuotissimos, ac studiosissimos fuisse, & nonnullorum exempla, quæ hanc deuotionem suadent. Cap. XXXV.*

SVMMARIVM.

Sancti aliquot, viri item nonnulli insignes Deiparæ studiosissimi nu. 1. & seq.
S. Nicolaus Miræ Episcopus nu. 3.
S. Martinus Episcopus ibidem.
S. Gerardus Episcopus in Hungaria, & martyr nu. 4.
S. Anno Archiepiscopus Colonienſis ibidem.
Carthusianorum Ordo ibidem.
S. Bernardus Abba nu. 5.
S. Dominicus, & Ordo Prædicatorum, & de Rosario nu. 6. & 7.
S. Franciscus, & Ordo Minorum, & de Corona nu. 8. & 9.
S. Antonius de Padua nu. 10.
S. Thomas Aquinas nu. 11.
S. Bonauentura nu. 12.
S. Albertus Carmelita nu. 13.
B. Maria de Oegnies ibidem.
B. Andreas Carmelita Episcopus Fesulanus num. 14.
S. Catharina Senensis nu. 15.
S. Vincentius Ferrerius nu. 16.
S. Bernardinus Senensis nu. 17.
B. Laurētius Iustinianus Patriarcha Venetus.
Dionysius Carthusianus nu. 18.
B. Ignatius Loyola, & Societas Iesu num. 19. & sequentibus.
B. Franciscus Xauerius nu. 29.
B. Consaluus Sylueria nu. 30.
B. Stanislaus Kostka nu. 31.
B. Aloysius Consaga nu. 32.
S. Carolus Borromeus Cardinalis Archiepiscopus Mediolanunsis nu. 33.
B. Philippus Nerius fundator Congregationis Oratorij nu. 34.

SECVLARES.

Constantinus Imperator, & Ciuitas Constantinopolitana nu. 35.
Nances Dux Iustiniani Imperatoris ibidem.
Ludouicus Pius Imperator nu. 36.
S. Henricus Imperator ibidem,
S. Stephanus Rex Hungariæ nu. 37.
Ioannes Commenus Imperator Constantinopolitanus ibidem.
Henricus infans Portugalliæ, & Indica nauigatio num. 38.

Sancti omnes Deipara ſtudioſiſſimi.

I SEptimo ad Virginis deuotionem cunctos magnopere permouere debet cũ Sanctorum omnium, tum cõplurium virorum inſignium, qui Deiparę ſtudioſiſſimi, deditiſſimiq; fuerunt, exemplum. De magnis.n. Sanctis Deiparã omni veneratione proſequentibus illud pſ.44. *Vultum tuum deprecabũtur omnes diuites plebis* meritò intelligunt Athanaſius ſerm.de Deip. Andreas Cret. orat.2.de dorm. Damaſcenus orat.1.de Nat. Gregorius Papa II. in Epiſt. ad Germanum, quæ habetur in 7.Synod.Act.4.& Eccleſia in miſſa Annunciationis B.Virg. hũc pſalmi verſiculum eidem accommodat. Et quidem veteris teſtamenti Patribus Deipara longè ante cęlitus eſt repromiſſa; myſticis etiã figurarum miraculis, varijs Prophetarum oraculis iam, tum ab ipſis naſcẽtis mundi, initijs minimè dubijs ſignificationibus à Deo optimo demonſtrata eſt, vt propterea Damaſcenus lib. 4. de fide cap. 15. *Deipara*, inquit, *ante ſecula præcognitiuo Dei conſilio prædefinita eſt, & diuerſis ſimilitudinibus, & oraculis Prophetarum per Spiritum ſanctum figurata, & prædicata prędefinito tempore ex Dauidica radice pullulauit.*

Pſal. 44.

Athanaſius. Andr. Cret. Damaſcenus Gregorius. Miſſale.

Damaſcenus.

Et primo quidem cum Gen.2. Deus ad ſerpentem dixit: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem*, id de Virgine Deipara prænuntiatum eſſe certum eſt, vt cap.22. oſtendimus: *Hanc etiam*, inquit Bernard.ſerm.Sign.magn. *Sacerdotalis virga dum ſine radice floruit; hanc Gedeonis vellus, dum in medio ſiccę areæ maduit; hanc in Ezechielis viſione Oriẽtalis Porta, quæ nulli vnquam patuit, præſignabat; hanc denique prę cęteris Iſaias nunc Virgam de radice Ieſſe orituram promittebat, nunc euidentius Virginẽ parituram.* ita Bernar. Hinc factũ eſt, vt ſic à Deo promiſſa, & Patriarchis, ac Prophetis pręcognita, retroactis ſeculis, ſummis votis ab eis fuerit deſiderata: vt non immeritò Virgini etiã accommodari poſſit illud ex Gen.49. *Deſiderium collium æternorum*: Nã præter Angelos, quibus, vt dixi c.5. manifeſtata fuit ab initio creationis eorum, ac proinde ab Angelis ſanctis, qui dicuntur Colles ęterni, ſeù immortales nunquam finem habituri, deſiderata fuit; ipſe quoq; Deus ex pſ.44. concupiuit ſpeciem eius, vt c.5. oſtendi, & Bernardus epiſt.174. eam deſideratam gentibus vocat, & hom.2. ſuper miſſus eſt: *Quam*, inquit, *aliam requirebat Salomon cum dicebat, Mulierem fortem quis inueniet?* & hom.4. *Expectatam à Iacob eam dicit.* & ſerm.Sign.magn. hanc mulierem Virginem parientem in Rubo ardente ſignificatam admiratur Moyſes, & curioſius deſiderat intueri: *Vadam*, inquit, *& videbo viſionem hanc magnã.* S.Bonauẽtura in Litan.B Virg. eam *Matrem mundo deſiderabilem.* & S.Ignatius in epiſt. ad Ioãnem: *Vniuerſis admirandam, & cunctis deſiderabilem* affirmant. Ideò Methodius in hypapãtẽ Virginẽ ſic alloquitur: *Benedicta tu celeberrima, & deſideratiſſima.* Verum hac de re nos ſupra c.5.& 17. nonnulla egimus. Nũc ad Sanctos noui teſtamenti veniamus, qui erga Deiparam ſingulari ſtudio ferebantur, eiusq; prędonia celebrarũt. Sanè de SS. Apoſtolis generatim Dionyſius c.3. de diu.nom. illud memoriæ prodidit, (quemadmod ũexponit Damaſcenus orat.2. de dorm.) eos conueniſſe ad videndũ corpus Deiparæ in eius dormitione, & vt quisq; idoneus erat, infinitam Dei bonitatem laudaſſe. Hierotheum quoq; diuino numine afflatum poſt Apoſtolos diuinum laudatorem exiſtimatum; affirmat etiam non ſolum ſe, & Timotheum: ſed multos etiam ex præcipuis Apoſtolorum diſcipulis ibi adfuiſſe, quos omnes ad Deum in Deipara laudandum conueniſſe teſtatur. hæc ex S.Dionyſio.

Gen.2.

Bernardus. Deipara multiplici ter prænuntiata.

Iſa. 11.

Maria à Patribus antiquis deſiderata.

Gen. 49.

Pſal 44. Bernardus. Prou. 31.

Exod. 3.

Bonauentura. Ignatius. Methodius.

Sancti noui teſtamenti Deiparam magno cultu iuſt veneratii. Damaſcenus. Apoſtoli Deiparam honorunt.

2 S.Iacobus dictus Maior, Cęſarauguſtę in Hiſpania Virgini adhuc ſuperſtiti ſacellum, quod a Virgine de Pilari.i. Columna, in qua Virgo illi apparuerat, nuncupatur, excitandum curauit, quod in hunc vſq; diem magna pietate, ac frequentia celebratur. S.Iacobus Apoſt. dictus frater Dñi, quid de ſanctiſſima Virgine ſenſerit, ex ijs, quę in ſua Liturgia pręſcripſit, de quo cap. ſuperiori diximus, ſatis apparet. De S.Ioãne Apoſtolo, cui ſingulare erga Virginem obſequium à Chriſto eſt commendatum, nihil attinet dicere. S. Ignatius mart. auditor Ioãnis Apoſt. magnum erga Virginem pietatis ſtudium indicat: nam in epiſtolis, quas ad S.Ioãnem dedit, Virginem vocat *cęleſte prodigium, & ſacratiſſimum ſpectaculum*, & in epiſt. ad Virginem ſic orat eam: *Neophyti*, inquit, *qui mecum ſunt ex te, & per te, & in te confortentur.* Harum epiſtolarum meminit S.Bernardus ſerm. 7. in pſ.90.& alij apud Sixtum Senenſem lib.2.Biblioth.ſanctæ in verbo Maria. S.Ireneus cõtra hæreſes lib.3.c.33. & lib.5.c.19. cuius verba citaui c.17.& 27. apertè oſtendit,

S. Iacobus Maior.

S. Iacobus frater Domini. S. Ioannes Apoſtolus.

S. Ignatius.

S. Irenæus.

quàm

quàm ſtudioſus fuerit Deiparæ. De Iuſtina virg. & mart. quomodo ſuam virginitatem Deiparæ commendans, dæmonem vicerit, quæ & Cyprianum Magũ conuertit, teſtatur Nazianzenus, vt dixi c. 20. qui ẽt plura in tragędia de Chriſ. patien. præclara de Virgine loquitur, quæ in hoc opere interdum retulimus. Tertullianus de præſcript. hæretic. *Beatiſſimã, ac glorioſiſſimam* eam vocat. S. Cyprian. mart. & Epiſc. Cartaginiẽſis prędarè de B. Virg. in ſer. de Chr. Nat. loquitur: *Nec ſuſtinuit*, inquit, *iuſtitia, vt illud vas electionis*, hoc eſt Virgo ſanctiſſima, *cõmunibus laſſaretur iniurijs, quoniã pluribus à cęteris differens natura cõmunicabat, non culpa*, & mox: *Vnde vt matri plenitudo gratiæ, vt Virgini abundantior gloria debebatur*. Non commemorabo verba, quibus ſuam erga Virginem pietatem declararunt Methodius Tyti Epiſcopus, & martyr in orat. in Dom. hypapantem, Gregorius Thaumaturgus, Athanaſius, Baſilius in ſua Liturgia, Nazianzenus, Nyſſenus, Ambroſius, Ephræm, Epiphanius, Hieronymus, Chryſoſtomus in ſua præſertim Liturgia, Auguſtinus, Petrus Chryſologus, Cyrillus Alexandrinus, Fulgentius, Sophronius, Andreas Cretenſis, Georgius Nicomedienſis, Chryſippus, Heſychius, S. Gregorius Magnus, Ildefonſus, qui ob Deiparæ virginitatem contra Hæreticos verbo, & libro luculentiſſimo edito defenſam, veſtem ad ſacrificandum, munus ab eadem Virgine accepit, teſte noſtro Ioanne Mariana lib. 6. de reb. hiſpan. cap. 10. venerabilis Beda, Auctor ille, qui ob humilitatem, Idiota appellari voluit, verùm nihil Idiotæ præter nomen habuit. Germanius Patriarcha Conſtantinopolitanus, Damaſcenus, Petrus Damianus, Anſelmus, Bernardus, Honorius Auguſtodunenſis, Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus, S. Bruno Carthuſianorum Inſtitutor, Rupertus Tuitienſis, qui teſte Tritemio precibus à Virgine ſcripturarum ſcientiam, quam ingenium negauerat, tantam eſt conſecutus, vt ſuo tempore (vixit autem annum à Chriſto Domino circiter 1130.) ſibi ſimilem habuerit neminem. Richardus à S. Victore, Cæſarius, Albertus Magnus, Alexander Alenſis, Vincentius Beluacenſis, S. Thomas Aquinas, S. Bonauentura, Scotus, Franciſcus Mayro Doctor illuminatus, Hugo Cardinalis, S. Vincentius Ferrerius, Ioannes Gerſon, S. Bernardinus Senenſis, B. Laurẽtius Iuſtinianus, Dionyſius Carthuſianus, S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, Gabriel Biel, & alij quamplurimi, quos ſtudio breuitatis omittimus. Hos autem, quos ſine ſuorum locorum, & exemplorum appoſitione nominauimus, non ſine cauſa vnum in locum compulimus, & tanquã in turbam coniecimus; Cùm. n. in hoc opere eorum teſtimonijs, ſeu vitę exemplis in Virginis laudibus explicandis non infrequenter vſi fuerimus, eadẽ ſæpius iterare non fuit operæ pretium. certè ex ijs facilè cõſtitui põt qua religione, & obſeruantia erga Virginem fuerint. ſatis erit ſi pauca dumtaxat, eaq; lectiſſima, tùm veterũ, tùm recentiorum erga Virginem exẽpla pietatis, ac deuotionis exponã.

Nazianzenus.

Tertullianus.

S. Cyprianus.

Sancti Auctores deuoti beatiſſimæ Virginis de ea præclare aliqua tradèderũt.

Ex Mariana.

S. NICOLAVS EPISCOPVS.

3 S. Nicolaus Myræ Epiſcopus non minus vitæ ſanctimonia, quàm miraculorum gloria celeberrimus, qua pietate erga Virginem fuerit intelligi facilè poteſt ex eo, quod illi Virgo ſanctiſſima ſingulari benignitate contuliſſe dicitur, & à Methodio Patriarcha Conſtantinopolitano in actis S. Nicolai manu ſcriptis, quorum meminit Ioannes Diaconus in vita eiuſdem S. Nicolai apud Lippomanum tom. 5. & Baronius in notis ad martyrologium die 6. Decembris narratur his verbis: Nocte quadam S. Nicolaus iuxta ſe vidit Saluatoris noſtri maieſtatem adſtare, librumq; ſibi euangeliorum auro, & gemmis decoratum porrigere: ab alio latere ſanctam aſpicit Dei genitricem Omophorium pontificale (pallium nimirum, quo Archiepiſcopi vti ſolent) ſuper humeros ſibi ponere. elapſis poſtmodum diebus paucis defuncto Ioanne Myræ Antiſtite, Nicolaus eiuſdem Ciuitatis Epiſcopus creatur. hæc ibi. Cùm verò poſtea pontificalia adempta illi fuiſſent, à Deipara reſtituta ferunt, quod multi Auctores græci, & inter Latinos Petrus de Natalibus in Catalogo ſanctorum lib. 1. cap. 33. ita teſtatur. Fertur B. Nicolaum iam ſenem Niceno Concilio interfuiſſe, & quendam Arianum zelo fidei in maxillam percuſſiſſe ob idq; à Concilio Mitra, & Pallio priuatum extitiſſe: propter quod vt plurimum ſine mitra depingitur. ſed dum aliquando miſſam B. Virginis, cuius erat deuotus, in pontificalibus celebraret, & priuationem mitræ, & pallij deflere quaſi zelo nimio fidei ablata; ecce cunctis videntibus duo Angeli aſtiterunt, quorum vnus mitram, alius pallium ſibi diuinitus reſtituerunt, & ex tunc inſignia reaſſumpſit ſibi cęlitus reſtituta. hæc Petrus de

S. Nicolai in Virginem pietas.

Lippomanus.

Baronius.

S. Nicolaus de Epiſcopali munere obeundo à Chriſto, ac Deipara præmonetur.

Petr. de Natal.

S. Nicolao ſacrũ B. Virg. celebrãti, pallium ac mitra ab Angelis reſtituitur.

Natalibus. Ioannes verò Studita Monachus, dictus Damaſcenus, diuerſus ab illo celebri Damaſceno, in ſermonibus, quos de ſanctis idiomate græco vulgari conſcripſit, teſtatur à Chriſto, & Deipara pontificalia ſancto Nicolao reſtituta: quare id quod Petrus de Natalibus geſtum narrat in miſſa Virginis hic aſſerit à Virgine ipſa factum ſubſequenti nocte, poſteaquam pontificalibus ſanctus Nicolaus priuatus erat. Sanè in Imagine ſancti Nicolai id ſignificatur, in qua ad eius dexteram Chriſtus Dominus Euangeliorum codicem, ad ſiniſtram verò Dei genitrix pallium eidem porrigere cernuntur, & inter præclara S. Nicolai facinora, quæ circa eius imaginem habentur, id quod in miſſa ei cõtigiſſe memorauimus, typis expreſſum cernitur, addito hoc dyſtico.

Damaſcenus.

Petr. de Natal.

,, *Ob colaphum hæretico impactum decora alta Tiaræ,*
,, *Dempta tibi à Patribus Cælica Virgo refert.*

Nec illud ſilebo: cum reuelatio de Virginis Conceptione die 8. Decembris celebranda cælitus facta eſt Elſino Abbati Remenſi in mari certiſſimum naufragium cum ſocijs timenti (quam reuelationem refert Iacobus de Voragine in feſto Conceptionis Virginis, illamq; citat Baronius in notis ad martyrologium ad diem 8. Decembris, eiusq; meminit ſuboſcurè Bernardus epiſt. 174. ad Lugdunenſes) legimus apud Petrum de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib. 1. cap. 42. & apud Arnoldum Vvyon lib. 5. Ligni vitæ cap. 103. S. Nicolaum Epiſcopum mira claritate fulgentem pontificali habitu decoratum à Dei genitrice ad hanc de feſto Conceptionis reuelationem faciendam, illosq; à naufragio liberandos eſſe tranſmiſſum. ex quo S. Nicolai dum viueret ſingularem erga Virginem pietatem colligere poſſumus, quippe qui ad hoc munus obeundum, quod ad Virginis gloriam ſpectabat, ab eadem ſit delectus: nec mirum pontificalibus, quæ ſibi Deipara primum dederat, & deinde ablata reſtituerat, indutum in eiuſdem obſequium naufragantibus apparuiſſe.

Elſinus Abbat. Remens.
Iacobus de Voragine.
Baronius.
Bernardus.
Petr. de Natal.
Arnol. Vvyr.
Celebranda Conceptionis Deiparæ reuelatio à S. Nicolao habita.

S. MARTINVS EPISCOPVS.

S. Martinus Turonenſis Epiſcopus in Deum religione, ac miraculis longè clariſſimus ob ſuam egregiam in Virginem pietatem dignus fuit, ad quem, teſte Seuero Sulpitio in dial. 2. vitæ eiuſdem, B. Virgo cum ſanctis Tecla, & Agnete veniret, quod non eo tantum die, quo Seuerus Sulpitius aliquid cælitus illi accidiſſe animaduertens, ſummis precibus ab eo id extorſit, ſed frequenter Martinus ſe ab eis confeſſus eſt viſitari.

S. Martinus Turonenſis Epiſcopus à B. Virgine, alijsq. SS. inueſtitur.
Seuerus Sulpitius.

S. GERARDVS EPISCOPVS IN *Hungaria, & martyr.*

4 S. Gerardus Epiſcopus Canadienſis in Pannonia & martyr, Deiparæ impenſe addictus Venetis parentibus ortus, puer monaſticum inſtitutum complexus, ad Chriſti Domini ſepulchrum inuiſendum proficiſcitur: cumq; in Pannoniam peruenisſet, à S. Stephano Hungariæ Rege peramanter exceptus eſt. Is poſt aliquot annos in Eremo apud Hungaros ſanctè traductos ſtudio S. Stephani Regis Epiſcopus cõſecratus in Eccleſia S. Georgij martyris, ad honorem Dei Genitricis aram erexit; ante quam thuribulum argenteum collocauit, duosq; prouectæ ætatis homines adhibuit, qui iugiter vigilarẽt, atq; operam darent, ne vlla vnquam hora thymiama ibi deeſſet: ſingulis quoq; ſabbatis cum nouem lectionibus, vt in feſto Aſſumptionis, magnisq; laudum præconijs, deuotionis ſuę officiũ illic explebat. Cæteris autem diebus matutinis, & veſpertinis precibus abſolutis, bis cum proceſſione eo venire ſolebat; Reis Deiparæ nomine veniam petentibus facilè ignoſcebat. eo auctore ab Hungaris nomen ipſum matris Dei non pronunciatur: ſed Domina vocatur. quod ſi pronuncietur illius nomen, ſtatim flexis genibus, & demiſſis in terram capitibus ſe ſe inclinant, atque adeò Pannonia à ſancto Rege ſuo Stephano Familia ſanctæ Mariæ eſt appellata. tandem martyrij palmam primus in Pannonia eſt conſecutus anno 1042. cuius feſtum in martyrologio aſcribitur die 24. Septembris. hæc ex eius vita apud Surium tom. 5.

S. Gerardi Epiſcopi Canadienſis, & mari. erga Deiparam pietas.
S. Sterhanus Hungariæ Rex.

S. ANNO ARCHIEPISCOPVS COLONIENSIS.

S. Anno Archiepiſcopus Colonienſis, cuius dies in Martyrol. 4. Decẽb. recolitur eccleſiaſticę libertatis propugnator ſtrenuus, migrauit ad Dñm anno ſalutis 1075. de quo

S. Anno Archiepiſcopus Colonienſis.

auctor

auctor eius vitæ lib.1.cap.16.apud Surium tom.6.Monaſterium,inquit,quod dicitur ad gradus,in honorem ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ,iactis fundamentis erexit, omniq; varij decoris elegantia pulchrè diſtinctum conſecrauit,prædijs ad triginta Canonicorum ſufficientiam copiosè delegatis; quos vndiq; ſcientia,vita, vel moribus exquiſitos illuc adunarat. Ipſe verò ſpeciali deuotione dilectæ ſibi Dominæ totus inhærens cum eius patrocinijs Animum credidiſſet, etiam ſepulchrum in eodem ſibi monaſterio adhuc futurorum neſcius extruxit. hæc in eius vita apud Surium. *Surium.*

CARTHVSIANORVM ORDO.

CVm Patres Carthuſiani Religioſiſſimi euocato Romam S. Brunone eorum fundatore ab Vrbano II. magna quadam perplexitate, & puſillanimitate propter ſuſceptæ vitæ auſteritatem,& loci horrorem,ac vaſtitatem, necnon propter quorundam obtrectatorum eos deterrentium linguas,exagitarentur;apparuit eis vir quidam venerabilis cano capite, criſpo capillo, qui Dei nomine illis pollicitus eſt Deiparam eos in loco illo deſerto conſeruaturam,ſi in eius honorem preces Virginis horarias quotidie recitarent: cumq; repente his dictis ab eorum oculis ſe ſubduxiſſet: Illi incredibili lætitia affecti Dei Genitricem patronam totius Carthuſiani inſtituti ſibi delegerunt, vna cum S.Ioane Baptiſta: hominem verò,qui illis apparuerat S.Petrum Apoſtolum fuiſſe exiſtimarunt. hæc ex vita S.Brunonis apud Surium menſe Octobri. *In vita S. Brunonis. Patres Carthuſiani moleſtia per Virginem liberati. Surium.*

S. EDMVNDVS CANTVARIENSIS ARCHIEPISCOPVS.

5 SAnctus Edmundus Cantuarienſis Archiepiſcopus,adoleſcens Dei Genitrici ſe commendans,coram eius imagine caſtitatis votum nuncupauit,eamq; ſibi in ſponſam delegit,atque annulum,in quo inſcripta erat ſalutatio Angelica,digito eius infixit: quo ex tempore in ſuis neceſſitatibus præſentiſſimam in ea expertus eſt opem. quin etiam annulo ſuo,cum quo poſt obitum, vt ſolent Pontifices, eſt ſepultus,inſculpta fuit ſalutatio Angelica. In Prato quodam Oxoniæ cum ſe à ſodalibus ſubduxiſſet,ne conſcientiæ puritatem nugis puerilibus, vel ocioſis ſermonibus contaminaret,pueri Ieſu viſione, ac colloquio eſt perfruitus, ex quo tempore in eius paſſione meditanda diu,noctuq; verſabatur:quotidie deuotè, ac reuerenter in honorem Deiparæ, & S. Ioannis Euangeliſtæ precem quandam, cuius initium eſt,O Intemerata, &c. recitabat cumq; propter ſtudiorum occupationem aliquando illius dicendæ oblitus eſſet,proxima nocte à S.Ioanne, qui ferula ictum immanem ei prius minitari videbatur; mox blande admonetur, ne vnquam precationem illam omitteret.Is cum artium magiſter publicè eas diſciplinas profiteretur,Miſſę ſacrum audire,& preces canonicas quotidie recitare ſolebat;diſcipulisq; ſuis perſuaſit,vt cum eo miſſæ ſacrificio intereſſent.in Paræcia,in qua degebat,ſacellum in Deiparæ honorem, quam ſingulari amore colebat,conſtruendum curauit; cumq; ſacræ Theologiæ operam daret,beatiſſimæ Virginis Imaginem eburneam coram ſe habebat,in cuius circuitu depictum erat noſtræ redemptionis myſterium, vt cum lectione preces ad Deiparam coniungeret: Sacerdotio initiatus quotidie cum horis canonicis horas ſancti Spiritus,& Deiparæ perſoluebat; quibus officium defunctorum adiungere conſueuit. tandem Cantuarienſis Epiſcopus à Gregorio IX.inuitus creatur,in quo multa moleſta à Rege,& Regni Proceribus pro eccleſiaſtica libertate tuenda perpeſſus, demum miraculis clarus exceſſit è vita,die 16.Nouembris anno ſalutis 1240. *S. Edmũdi Cantuarienſis Epiſcopus erga Deiparam deuotio. Pueri Ieſu colloquio perfruitur. A S. Ioan. Euangeliſta monetur ne aſſuetas erga Deiparam preces omittat.*

S. BERNARDVS.

SAnctus Bernardus ex Deiparæ vberibus, eius ſingulari amoris ſignificatione,ſacratiſſimum lac ſuxiſſe dicitur:vnde miram illam hauſiſſe creditur,quam in omnibus à ſe editis libris;ſed in ijs præſertim,in quibus de Virgine ſanctiſſima loquitur,manat cum pietate dulcedinem;cuius melliflua dicta crebrò in hoc opere allegauimus. Is eximiam, quam erga Virginem gerebat pietatem, in ſuis ſcriptis abunde omnibus teſtatam reli- *S.Bernardus, erga Virginem pietate ſingularis.*

quit,alijsq; eandem pietatem vehementer commendat. In sermone enim de Aquæductu: *Filioli hæc*,inquit, *peccatorum scala,hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ*.Nec pro se solum Bernardus,sed & pro alijs Deiparam inuocare solitus erat,vt videre est in sermone 2.Dom.1. post Epiphan. *Quoties mihi necesse est, fratres, post lacrymosas quærimonias vestras, exorare matrem misericordiæ,vt suggerat suo benignissimo filio,quoniam vinum non habeatis? & ipsa,dico vobis charissimi,si piè à nobis pulsata fuerit non deerit necessitati nostræ,quoniam misericors est,& mater misericordiæ*. Ad hanc pietatem suos sæpè ita hortatur in hom.2.super missus est: *In periculis, in angustijs, in rebus dubijs Mariam cogita,Mariam inuoca:Non recedat ab ore,non recedat à corde,& vt impetres eius orationis suffragium,non deseras conuersationis exemplum*.& sermone citato de Aquæductu in Natiu.Virg. *Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus, Mariam hanc veneremur,quia sic est voluntas eius,qui totum nos habere voluit per Mariam*. & in fine eiusdem sermonis: *Quicquid illud est, quod offerre paras, Mariæ commendare memento,vt eodem alueo ad largitorem gratiæ gratia redeat, quo influxit*. Hæc pauca de multis, quæ Bernardus hac de re pleno ore pronuntiare solet: nec mirum, cum in multis Deiparæ benignitatem in se expertus fuerit. Illud non prætermittam, quod Villelmus Abbas S. Theodorici B.Bernardo admodum familiaris in vita eiusdem, (quam eo viuente scribere cæpit) lib.1. cap.12. narrat his ferè verbis: *Cùm aliquando Bernardus ægrotaret ad mortem, & magnis doloribus vehementius vrgeretur,misit vnum ex fratribus ad orandum ad tria,quæ in Templo erant altaria, quorum vnum in honorem erat Dei Genitricis,alterum S.Laurentij, tertium S.Benedicti.Eadem horâ adfuit viro Dei,prædicta B.Virgo duobus istis stipata ministris, beato scilicet Laurentio,& B.Benedicto,aderant autem in ea suauitate,& serenitate,quæ eos decebant, & tam manifestè,vt ex ipso introitu cellulæ personas discerneret singulorum,imponentesq; ei manus,& loca doloris,attactu pijssimo lenientes,omnem protinus ægritudinem depulerunt, siccatus est enim illico phlegmatis riuus,& dolor omnis abscessit*. sic ille.

S.Bernardus à B. Virgine sanitati restituitur. Vita S.Bernar.

S. DOMINICVS ORDINIS PRAEDICATORVM INSTITVTOR, eiusdemq; Ordinis in Virginem pietas,& Rosarij institutio.

S.Dominicus erga Virginem singulari pietate accensus.

6 SAnctus Dominicus cultor fuit Deiparæ religiosissimus,vt videre est in eius vita piè, ac grauiter conscripta,quæ habetur apud Surium tom. 4. & in 1. par. Chronic. S. Dominici lib.1.cap.11.vnde quæ hic commemoramus accepta sunt; is enim in sanctissima Virgine secundum Deum omnem suam spem collocauerat,eidemq; se iugiter commendabat, atque ab ea vicissim multa, eaq; singularia beneficia est consecutus. nihil verò nisi sub Virginis præsidio aggredi solitus erat: salutatione angelica adeò delectabatur,vt eam ferè semper in ore haberet,idq; alijs omnibus,quibus cum versabatur,cõsuleret. In honorem quoque eiusdem Virginis instituit eam precandi formulam, quæ quindecim salutationum angelicarum decadibus constat, præmissa ad singulas decadas oratione dominica,in quibus præcipua vitæ,mortis,& glorię Christi Domini,eiusq; genitricis mysteria recoluntur: quod Psalterium, propter parem angelicarum salutationum cum psalmis Dauidicis numerum; & Rosarium propter spiritualem suaueolentiam Deo,ac Deiparæ gratissimam appellant.atque ad illud recitandum per se,& per suos in concionibus omnes hortabatur. Cuius Rosarij in christiana republica, vbiq; gentium cum ingenti animarum fructu mirificè est propagata pietas; hoc armorum spiritualium genere S.Dominicus catholicos homines contra spirituales nequitias,& præsertim contra Albigenses hæreticos armabat; in quibus ad fidem reuocandis magno cum suo labore,eximia eiusdem eluxit charitas.

Surius. Chronic. S. Dominici.

Salutationem Angelicam crebrò recitabat. Rosarium instituit.

7 Romæ deinde cum apud Innocentium III. ordinis sui confirmationem vrgeret, visus est sibi vna cum S. Francisco à Deipara Christo offerri, ac destinari ad verbum Dei annunciandum,& peccatores conuertendos; quod per se,& per sui ordinis Fratres strenuè efficere vterque studuit. Hinc est,quòd auctor vitæ eius lib.6.cap.6. Ordinem Prædicatorum vocat Florigerum Hortum manu Virginis plantatum,quem propter Virginis patrocinium tanta puritate enituisse scribit; vt,quodam egregio fratre referente, compertum

B.Virgo S. Dominicum, & S. Franciscum ad Orbis conuersionem mittit. Vita S. Domin. Ordo Prædicatorum erga Deiparam singulariter affectus.

tum ſit eum ipſum intra breue tempus centum fratrum generales audiniſſe confeſſiones, qui integra mente, & corpore inuiolato virginitatem conſeruaſſent. Ex quo facile de aliorum puritate, & caſtimonia Virginis ope ſeruata conijci poteſt. Idem etiam lib. 2. vitæ S. Dominici cap. 12. à Virgine habitum, quo Ordo Prædicatorum vtitur, illis tributum ſcribit, cum prius Canonicorum Regularium veſtibus vterentur. & cap. 13. narrat S. Dominicum vidiſſe aliquando ſui Ordinis fratrum innumeram multitudinem ſub Virginis ſanctiſſimæ (cui Chriſtus ordinem eius ſe commiſiſſe dicebat) pallio tantæ amplitudinis, vt totam cœleſtem Ieruſalem ſuauiter circumplecti videretur, vbi ſingularis cuiuſdam protectionis cura, & peculiaris amoris brachijs Virgo ſanctiſſima illos circumplectebatur. Hoc ipſum, teſte eodem auctore lib. 6. cap. 6. vidit mulier quædam in Gallia Ciſalpina, ſeu Longobardia, vt cap. 20. plenius diximus, quod cum ipſa ijſdem fratribus recitaſſet, ex ea die, inquit auctor vitæ S. Dominici loco citato, tanta extitit Fratrum omnium erga Virginem matrem deuotio, & reuerentia, tantum eius laudandę, & colendæ ſtudium; tam ſedulæ, ac feruentes ad eam preces, tam ingens amor, tanta eius patrocinij fiducia, tam auida, & inſatiabilis eius contemplatio, vt humano ſermone non poſſit explicari. Proinde habebant in cellulis ſuis imagines Virginis filium geſtantis in vlnis, itemq; Saluatoris à cruce pendentis, quarum intuitu memoria dormitans excitaretur, ſenſusq; exteriores in vanas res propenſi ſpiritali robore confirmarentur. hæc ille. Id ipſum confirmat S. Antoninus 3. par. hiſt. tit. 23. cap. 10. qui addit tantam fuiſſe fratrum Ordinis Prædicatorum erga Virginem deuotionem, vt poſt Matutinas, & Completorium, altare B. Virginis, quandoq; ordine triplici ambientes in gyro ſe, & ordinem ipſum deuotione mirabili ei commendarent. hæc S. Antoninus, qui etiam cap. 3. §. 1. teſtatur in principio fratres eius Ordinis dictos fratres Virginis Mariæ, ſed poſteà dictos Ordinis Prædicatorum.

Imagines Deiparæ in cellis.

Sanè ſingulare hoc Ordinis Prædicatorum erga Deiparam ſtudium gratum ſibi eſſe ipſa declarauit, cum B. Conſaluo ab Amaranta Luſitano de ſuſcipiendo vitæ inſtituto deliberanti, eundem Ordinem, ad quem eum miſit, hac periphraſi exprimere voluit: iuſſit enim, vt eum ordinem ingrederetur, vbi officium, quod in ſui honorem recitabatur, à ſalutatione angelica incipiebat, & in eandem ſalutationem deſinebat, quod in Prædicatorum religione fieri animaduertens, iterumq; à Virgine apertè in hoc confirmatus, habitum prædicatorum ſuſcepit, vbi virtutibus, & miraculis clarus ſub mortem à Deipara Angelorum multitudine ſtipata ad ſuorum laborum mercedem vocatus, in pace quieuit. quod plenius refertur in 1. par. Chron. S. Domin. lib. 2. cap. 60. Quamuis non deſint, qui exiſtiment eum S. Benedicti inſtitutum complexum fuiſſe; quod non eſt noſtrum in præſentia decernere. Virginis quoque ſanctiſſimæ maternam prouidentiam peculiariter experti ſunt ijdem Patres Dominicani, cum tempore Innocentij IIII. quadam tempeſtate ob priuilegia eorum impedita iactarentur, & ad eiuſdem Virginis præſidium indictis precibus, & quotidianis litanijs confugiſſent: quæ cum recitarentur, viſa eſt Deipara filium orare illis verbis: *Fili exaudi eos:* & breui Innocentio mortuo, omnis illa quaſſatio ceſſauit, vt habetur in ijſdem Chronicis par. 1. lib. 2. cap. 51. & 52. Ex hac Ordinis Prædicatorum in Virginem pietate factum eſt, vt in eodem Ordine tanta celebritate in fine Completorij Salue Regina in Deiparę honorem omnibus fratribus omninò ad templum conuenientibus decantetur; quo tempore viſa eſt aliquando Deipara ſingulari ratione pro illis orare, quemadmodum S. Antoninus 3. par. hiſt. tit. 23. cap. 3. §. 1. ſcribit.

B. Conſaluus ab Amaranta ad Ordinem Prædicatorum à B. Virgine peculiariter mittitur.

Chron. S. Dominici.

A moleſtijs plurimis Virginis præſidio, & Litanijs indictis liberatur, Ordo Prædicatorum.

S. Antoninus.

S. FRANCISCVS ORDINIS MINORVM INSTITVTOR, eiuſdemq; Ordinis erga Virginem deuotio; necnon Coronæ inſtitutio.

8 SAnctus Franciſcus, qui vna cum S. Dominico à Deipara, vt iam diximus, Chriſto Domino oblatus, & ad præclariſſimum animarum ad Deum reuocandarum munus eſt deſtinatus: *Indicibili,* inquit Bonauentura in eius vita cap. 9. *Matrem Domini complectebatur amore, eo quod Dominum maieſtatis Fratrem nobis effecerit, & per eam ſimus miſericordiam conſecuti: In ipſa poſt Chriſtum præcipuè fidens, eam ſui, ac ſuorum aduocatam conſtituit, & in eius honorem à feſto Apoſtolorum Petri, & Pauli, vſque ad feſtum Aſſum-*

S. Franciſcus Deiparæ deuotus. Bonauentura.

Ante Assumptionem quadragesimam iesunat. Canisius.

Assumptionis deuotissimè iciunabat. ita S.Bonauent. Ea deuotio effecit, vt S.Franciscus hac precatione Deiparam oraret ex Canisio lib.5.cap.27. *Sancta Maria Virgo, non est tibi similis nata in mundo in mulieribus: Filia, & Ancilla Altissimi Regis Patris cœlestis: Mater sanctissima Domini Nostri Iesu Christi: Sponsa Spiritus sancti ora pro nobis cum sancto Michaele Archangelo, & omnibus virtutibus cœlorum, & omnibus Sanctis, tuum sanctissimum filium, dilectissimum Dominum, & Magistrum. Amen.* Eadem

In S. Maria de Angelis libenter moratur.

quoque deuotio effecit, vt Assisij in Ecclesia beatissimæ Dei genitricis de Portiuncula olim deserta, sedem collocarit suam, eamq; Ecclesiam (quod eius fuit in Deiparam studium) plurimi semper æstimauerit, teste eodem Bonauentura cap. 2. vbi de ea Ecclesia agens, sic scribit: *Hanc cum vir Dei sic derelictam conspiceret, ob deuotionem feruentem, quam habebat ad Dominam mundi, cæpit illic assiduè pro ipsius reparatione morari: sentiens autem iuxta nomen ipsius Ecclesiæ, quo ab antiquo, sancta Maria de Angelis vocabatur, Angelicarum ibi visitationum frequentiam, pedem fixit ibidem, propter reuerentiam Angelorum, amoremq; præcipuum Matris Christi. Hunc locum vir Sanctus amauit præ cæteris mundi locis: Hic etenim humiliter cæpit, hic virtuosè profecit, hic feliciter consummauit, hunc in morte fratribus tanquam Virgini charissimum commendauit.* & cap. 14.cum de S.Francisco morti proximo ageret: *Ad sanctam Mariam de Portiuncula,* inquit, *se portari popposcit, quatenus vbi acceperat spiritum gratiæ, ibi redderet spiritum vitæ.* hæc omnia S.Bonauentura. Quin etiam in Chron.S.Francisci par.1.lib.2.cap.73. legimus eum optasse, vt post obitum in hoc eodem B.Virginis de Portiuncula Templo, ad quod viuens singulari ferebatur affectu, cor suum reconderetur, quod etiam existimatur Angelorum manibus eo delatum, in quodam eius Templi sacello ad hanc vsque diem asseruari. Sanè cum Indulgentiam plenariam ijs, qui peccata sua ritè confessi, Ecclesiam de Portiuncula visitauerint, à Christo Domino peteret, illicò Virginem, quæ ad filij dexteram assidebat, inuocauit; eaq; beneficij mediatrice ad filium adhibita, petitionis suæ fructum est consecutus; vt videre est in lib. conformitatum S.Francisci lib.2. confom.2. & in Chron.eiusdem loc.cit.cap.1.& 2.

Ibidem moritur

Chron. S. Francisci. Eius cor ibi reconditum.

Indulgentiam à Christo per Deiparam obtinet.

Chronica, & liber Conformitatum S. Francisci.

Ordo Minorum erga Virginem studiosus.

9 Ordo porrò Minorum tanti Patris monita, ac vestigia secutus pietatem erga Deiparam studiosissimè coluit: nam inter alia multa, vt dicemus, diligenter in concionibus propagauit eam precandi formulam, quam Coronam appellant, quæ 63.salutationibus Angelicis constat, interiecta ordine quodam septies oratione dominica, & pro sententia illa, quæ Virginem sanctissimam ab omni originali culpa immunem prædicat, acerrimè superioribus seculis, & deinceps propugnauit. Et quidem, quod spectat ad Coronam Virginis Pelbartus de Temesuar Ord. Minorum de Obseruantia in opere quodam, quod Stellarium Coronæ gloriosissimæ Virginis appellauit, & Sixto IIII. qui sedit anno 1471. vt cap.34.diximus, dicauit, lib.2.par.2.art.3.refert quoddam de ea miraculum, quod à B.Io.Capistrano viro grauissimo, & sanctissimo euulgatum asserit, à quo potuit illud accepisse Pelbartus, quippe qui eodem tempore cum eo vixit. Cùm Clericus quidam in

Pelbartus.

Corona B. Virginis quomodo inceperit.

B Ioan. Capistran obijt anno 1456. in Hungaria.

seculari habitu quotidie serto florum B.Virginis Imaginem coronare solitus, Ordinem Minorum suscepisset, & post aliquod tempus ad seculum redire vellet, quòd in Religione sertum illud ex floribus *B.*Virgini more suo offerre non posset, ei oranti Deipara apparuit, vetuitq; hominem è religione discedere, simulq; docuit sertum quoddam spirituale, ex salutationibus angelicis, & oratione Dominica in hunc modum conflatum sibi offerri, vt scilicet in memoriam septem gaudiorum, quorum ipsa sensu perfusa est, ad vnumquodq; illorum semel orationem Dominicam Deo gratias agendo pro illo beneficio Virgini collato recitaret, cui salutationem angelicam, decies subnecteret præter vltimum, in quo ter solum adijcienda erat salutatio angelica. Septem porrò Virginis gaudia in hoc serto recolenda, hæc sunt. Primum, quod habuit in Conceptione filij sui. Secundum, cum in vterum filium gestauit, & sanctam Elisabeth visitauit. Tertium in Christi Natiuitate. Quartum cum Christus à Magis agnitus, & adoratus est. Quintum cum filium in Templo inuenit, & inde cum ea simul descendens, erat illi subditus, ac dulcissimè cum ea est conuersatus. Sextum in Christi Resurrectione. Septimum cum assumpta est in Cœlum: & in hoc postremo post orationem Dominicam, ter subnectenda est salutatio Angelica, ita vt in vniuersum oratio Dominica septies, Angelica verò salutatio

Corona quomodo recitanda.

ter

ter & ſexagies repetatur,qui numerus congruit annis, quibus ex nonnullorum ſententia B. Virgo vixit in terris,de hoc tamen cap.6.diligenter tractauimus: adiecitq; B.Virgo ſertum hoc longè gratius ſibi futurum, quam ſertum illud compactum ex floribus, quod ſingulis ſibi diebus ſtudioſè ab eo olim offerebatur. Is verò poſt aliquod tempus cum iter ageret cum ſocio in ſilua quadam hanc Coronam Virgini perſoluebat: at qui in eadem ſilua deliteſcebant latrones, pulcherrimam oculis viderunt Virginem oranti fratri aſtantem, & ad ſingulas ſalutationes angelicas roſam colligentem, filoq; aureo, circulo cuidam alligantem; quòd ſerti, & coronæ ſpeciem præſeferebat: abſoluta oratione,latrones in fratres irruunt, importunè ſciſcitantur de Virgine illa; quam cum fratres non vidiſſent,negabant ſecum fuiſſe,& Deiparam,vt ab ijs liberarentur enixè rogabant: cum ecce Virgo ſanctiſſima cætu Angelorum ſtipata,& ſerto illo quaſi corona redimita apparens grauiter latrones illos increpuit; & ad Angelos conuerſa:*Ecce*,inquit, *quali me corona frater ille ornauit*: quæ cum dixiſſet ab eorum ſeſe oculis ſubduxit: mox latrones ſcelerum pœnitentia ducti, religionem ingrediuntur: fratres verò ex eo tempore ſingulis diebus eò diligentius coronam Virgini offerre non ceſſarunt, quo eidem acceptam eſſe experimento tam manifeſto didicerãt. Hoc ipſum refertur in Chronicis Minorum 3.par. lib.1. cap.35. vbi additur fratrem illum ſancte obijſſe, atque hoc miraculum ſub initium,quo cæpere Fratres Minores,quos vocant de Obſeruantia,contigiſſe:qui omnes propterea coronam hanc recitare ſolebant,& in concionibus ad hanc precandi formam ita omnes adhortati ſunt,vt in morem vniuerſi populi chriſtiani iam ſit inducta.hæc in Chronicis. Quod quidem ſatis cõſtat,cum nemo ferè ſit inter catholicos,qui ſertum hoc ex globulis precatorijs ſecum non ferat. Adijciuntur prætereà in Chronicis cap.36.& 37.quamplurima huius coronæ miracula,quibus Deipara hoc pietatis genus ſibi gratum eſſe apertè declarauit. Quin etiam S.Bernardinus Senenſis,teſte eodem Pelbarto,quotidie Coronam hanc recitabat, eaq; de cauſa à Deipara donum concionandi,& miracula edendi eſt conſecutus: quòd plenius infra in S.Bernardino dicemus Atq; hæc de ſtudio Ordinis Minorum in hac Virginis Corona recitanda, & apud alios propaganda ſint dicta.

Corona præſantia miraculo à Deipara confirmatur.

Chronic. Minorum

Fratres de Obſeruantia Minores Coronam recitare ſolebant.

De S.Bernardino.

Quòd verò pertinet ad ſententiam illam, quæ tuetur Virginem beatiſſimam in ſua Concept.ab omni originali culpa preſeruatam: ſcimus Ioannem Duns Scotum Doctorẽ cognomento Subtilem,de cuius ſanctitate egregium habes teſtimonium in Chron.Min. par.2. lib. 7. cap. 3. acerrimè hanc ſententiam tutatum eſſe:quam amplexati ſunt eius diſcipuli Franciſcus Mayro Doctor illuminatus,& vniuerſa ſchola Scotiſtarum. quin & reliqui omnes Ordinis Minorum,qui poſt Scoti ætatem fuerũt. Quamuis non me lateat aliquos ex eodem ordine Scoto antiquiores Virginis ſtudioſiſſimos, S.Bonauenturam,Ioannem, Alexandrum Alenſem, contrarium aliquando ſenſiſſe. Cæterùm Ambroſius Catherinus opuſc. pro immaculata Conceptione B. Virginis par.1. cap. de Scholaſticorum opinionibus, teſtatur ferri de S.Bonauentura, eum propè mortem retractaſſe quæ contra B. Virginis Conceptionem immaculatam ſcripſerat: idem quoque aſſerit de Alexandro Alenſi,quem ex eodem Catherino teſtatur Magiſter Gulielmus in 3.ſenten. ſimiliter recantaſſe, & eius hac de re libellum oſtenſum fuiſſe Toloſæ, dum eiuſmodi quæſtio ibi diſputaretur. Hanc ſententiam de immaculata Deiparæ Conceptione poſt Scoti tempora,plerique omnes ex alijs ſcholis amplectuntur,quemadmodum cap.7. plenius dixi. Hæc paucis attigiſſe volui,vt oſtenderem S. Franciſci ordinem erga Virginem Deiparam in hac ſententia, quæ ad eius gloriam facit, propaganda ſtudio fuiſſe maximè inflammatum.

Ordo Minorum pro Conceptione Virginis immaculata. Chron. Minor.

Mayro.

Ambroſius Catherinus.

Magiſter Gulielmus.

SANCTVS ANTONIVS DE PADVA Ordinis Minorum.

10 S. Antonius Patauinus vitæ ſanctimonia,& miraculorum gloria illuſtris, Virgini addictiſſimus fuit,quod inſtante eius exitu ab hac vita præſetulit; facta enim confeſſione,hymnum Virginis,cuius initium eſt: *O Glorioſa Domina*, canere cæpit; cuius hymni virtutem alias erat expertus: cùm enim Satanas fructui concionum eius inuidens, nocte

S.Antonius à Padua apud Iurium die 13.Iunij.

quadam

Idem hymnum, O Gloriosa Dominadepromens damonem fugauit. Surius.

quadam ſacræ quadrageſimæ beati viri guttur magna vi compreſſiſſet, vt eum præfocaret; ipſe beatiſſimæ Virginis Deiparæ nomen inuocans, & viuificæ crucis ſignum fronti imprimens, ſimulq; hunc hymnum: *O Glorioſa Domina* depromens; nequiſſimum ſpiritum effugauit. hæc ex vita eius apud Surium 13. Iunij tom. 3.

SANCTVS THOMAS AQVINAS
Ordinis Prædicatorum.

S. Thomas Aquinas ab infantia pietatem erga Virginem præſetulit.

11 S. Thomas de Aquino non Dominicanæ tantum familiæ, ſed Eccleſiæ etiam vniuerſæ ſidus fulgentiſſimum, qui eximia non minus ſanctitate, quàm doctrina præfulſit; iam inde in ipſis incunabulis præclarum futuræ, qua ſingularis eius erga Virginem pietatis, qua Virginis erga eum peculiaris tutelæ præſagium, accepit: cum enim adhuc infantulus à nutrice in balneo abluendus, cartulam è terra ſpontè ſua ſuſtuliſſet, eamq; compreſſa manu arctè retineret, nutrici eum lauare cupienti, illamq; è manu extrahere conanti, lacrymis acriter reſtitit. re cognita mater ex infantis manu abluti iam, & veſtibus induti egrè cartulam euulſit, in qua ſcripta viſebatur ſalutatio angelica: infans cartulam ploratu inſtanter repetens, eam redditam mox deglutiuit: id porrò nec miraculo, nec myſterio vacare plerisq; viſum eſt; quòd eximius olim Eccleſiæ Doctor futurus in eam cartulam primo incidiſſet, tantoq; ſtudio ſibi eam coniunxiſſet, quæ Virginis ſanctiſſimæ præconia, & nobiliſſimum Angeli à Deo nuntium, quo in Dei genitricis ampliſſimam dignitatem eſt euecta continebatur. vt & eximiam ſcientiam diuinitus potius, quàm labore ſuo poſteà comparatam (quemadmodum F. Reginaldo dicere ſolebat) & virginitatis florem integrè ſeruatum, virginis virginum Deiparę apud filium patrocinio eum aſſecuturum non obſcurè præſignificaretur.

Salutationem Angelicam in chartula deſcriptam, ne ſibi auferetur adhuc infans deglutiuit.

S. Thomas.

Et verò S. Thomas ſuam erga Virginem pietatem in libris à ſe editis, præſertim in ſumma Theologiæ, & in opuſculo 8. quod eſt de ſalutatione angelica, apertè declarat, in quibus illius præſtantiam ſingularem, & apud filium impetrandi præ alijs ſanctis efficacitatem luculenter demonſtrat, eiusq; dignitatem contra varia hæreſum monſtra acerrimè tutatur.

S. BONAVENTVRA ORDINIS MINORVM.

S. Bonauenturæ inſigni erga Virginem pietate.

12 S. Bonauentura Ordinis Minorum, Doctor verè Seraphicus, alios quoq; ad Dei amorem ſuis ſcriptis inflammans, eximia tum ſcientia, tùm in Deiparam pietate illuſtris; præter ea, quæ de Virgine in ſuis in Magiſtrum ſententiarum Commentarijs præclarè ſcripſit, pleraq; opuſcula, præſertim ſpeculum B. Virginis edidit; in quibus Virginis ſanctiſſimæ præconia non minus piè, quàm eruditè eſt perſecutus. ex quibus nonnulla in hoc opere ad confirmanda ea, quæ dicebantur deprompſimus. Libet tamen in præſentia aliqua hic aſcribere, ex quibus cognoſcere liceat, quid tantus vir de obſeruantia, quam erga Virginem æmulari debemus, quamq; in ſe ipſe exprimebat, ſenſerit; Is igitur in Epiſtola quàm vocant vigintiquinque memorialium tom. 2. opuſculorum, vbi quædam ad piè viuendum inſtructio traditur, in 13. memoriali ſic habet: *Vt glorioſam Reginam Domini noſtri matrem benedictam in ſummo habeas omni tempore venerationis affectu, & in cunctis ad eam neceſſitatibus, periculis, & preſſuris, tanquam ad Refugium tutiſſimum te conuertas, ipſius tutelæ præſidium flagitando, eamq; in tuam ſuſcipiens aduocatam, deuotiſsimè, ac ſecurè tuam ei cauſam committas: quia Mater eſt miſericordiæ, quotidie ſtudens ei ſpecialem, & ſingularem reuerentiam exhibere; & vt tua deuotio ſit ei accepta, & reuerentia grata, ipſius puritatem, & munditiam omni virtute, mente, & corpore illibatè in te ipſo ſeruando, toto conatu nitaris humilitate, & manſuetudine, eius veſtigia imitari.* hæc Bonauentura. Idem in 3. diſt. 3. art. 1. q. 1. ad 4. *Virgo*, inquit, *auxiliatrix, & amatrix eſt omnium fidelium ſuorum laudatorum; ſicut illi, qui tales ſunt, experimento multiplici cognouerunt.* Idem tom. 2. opuſculorum in Litanijs B. Virginis, ſic eam inuocat: *Virgo, quæ tuos ſeruos exaltas, Virgo ſuper omnes excellentius magnificanda; Virgo, quam omnia laudant, & venerantur.* Idem pijſſimus Dei genitricis cultor inſti-

Bonauentura.

S. Bonauentura monitus de Virginis deuotione.

S. Bonauentura

tuit,

tuit,vt ſui Ordinis fratres populum hortarentur ad eandem ſalutandum,ſigno campanę audito,quod poſt Completorium datur,quòd creditum ſit eam illa hora ab Angelo ſalutatam,quod in S.Bonauenturæ vita apud Surium tom.4.habetur. *adſalutationem angelicam veſperi hortabatur Surius.*

S. ALBERTVS CARMELITA.

13 S. Albertus Carmelitani Ordinis decus,Deiparæ ope in lucem editus,eandem præcipuo coluit ſtudio. is enim in Sicilia parentibus natus eſt,qui annos circiter viginti ſex in coniugio ſterilitate laborauerant,ac votum Deiparæ nuncuparant; prolem, quam ſuſcepiſſent maſculinam, eidem ordini ſe conſecraturos: Ordinem verò illum Deiparæ Virgini peculiariter conſecratum puer ingreſſus, precibus,ieiunijs,alijsq; pietatis operibus impense addictus ad magnam peruenit ſanctitatem: In miraculis, quæ edebat ad Chriſti nomen,ſanctiſſimæ Virginis merita piè inuocare ſolebat. morti deinde proximus cum ea dulciter colloquebatur,& bis ſalutatione angelica cum alijs precibus recitata, ſublatis in cœlum oculis,animam Deo,ac eius genitrici commendans,eorumq; opem implorans in illis verbis: *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum,* obdormiuit in Domino ſeptimo idus Auguſti anno Domini 1292. hæc ex vita eius apud Surium menſe Auguſto. *S. Albertus Carmelita erga Virginem ſtudioſus.* Luc.22.

B. MARIA DE OEGNIES.

BEata Maria de Oegnies Niuellæ Epiſcopatus Leodienſis orta, inter multas, easq; præclariſſimas,quibus claruit,virtutes Deiparę ſtudioſiſſima fuit,quod ex ſubiectis exemplis planum fiet. quotannis Eccleſiam Deiparæ Oegniacenſem ad duo milliaria diſſitam rigente hyeme nudis pedibus vna ancilla comite inuiſebat; & illo die, ac ſequenti nihil prorſus edebat; totamq; noctem in Eccleſia peruigil exigebat.qua in via flexuoſa,nec ſatis ipſi cognita lumine quodam præeunte,& Angelis eam dextra,leuaq; ſuſtentantibus,nunquam errabat, & inter imbres è cœlo interdum ruentes diuinitus intacta redibat. Aliquando intra diei,& noctis ſpatium millies,& centies flectens genua ſalutabat Deiparam;& hoc ſalutandi officium ad quadraginta dies continuabat in hunc modum. Primum enim ſexcenties flectebat genua ſine intermiſſione; deinde integrum pſalterium ſtans legebat, & ad ſingulos pſalmos Deiparæ flexis genibus ſalutationem angelicam offerebat.Tùm trecentis vicibus ad ſingulas genuflexiones virga ſe percutiebat,& tribus vltimis ictibus copioſum è ſuo corpore extrahebat ſanguinem. Tandem quinquagies flexis ſimpliciter genibus ſacrificium hoc conſummabat.Cumq; miro ſalutis animarum deſiderio teneretur,multis lacrymis,ieiunijs, ac precibus à Domino obtinuit, vt concionandi officium, quod ipſa per ſe exequi non poterat, alteri conferret; quare Dominus cuidam concionatori huius ſanctæ mulieris precibus exoratus cor præparauit,vires in labore ſuggeſſit,verbum miniſtrauit,& fructus in auditoribus excitauit: ipſa verò pro eodem cum concionaretur beatiſſimæ Virgini centies ſalutationem angelicam offerebat. Tandem multis miraculis clara migrauit è vita 23.Iunij anno 1213. de cuius caſtitate cum ſuo coniuge plura dicemus in tractatu de virginibus ſect. 8. hæc ex eius vita à Iacobo Vitriaco Cardinali,qui eodem tempore vixit, grauiter conſcripta apud Surium tom.3. *B. Maria de Oegnies erga Deiparam pietas.* *Cum Deiparæ Templum inuiſeret, angelorum cuſtodia è periculis ſeruabatur.* *Lib.2 vitæ eius cap.4.* *Surius.*

BEATVS ANDREAS CARMELITA *Epiſcopus Feſulanus.*

14 BEatus Andreas Epiſcopus Feſulanus ex nobili Florentiæ Corſinorum familia,Deiparæ perquam ſtudioſus fuit: cum enim eius parentes diu ſteriles primitias Deo offerendas eſſe iuxta illud Exod.22.audiſſent,vt Deo, eiusq; Genitrici gratam oblationem facerent;primogenitum,quem genuiſſent,Mariæ ſe daturos vouerunt. ac non ita multo poſt Virginis ope Andream filium ſuſceperunt: qui etſi in adoleſcentia viam quandam viuendi liberiorem eſſet ingreſſus,ac ſaniora parentum conſilia procaciter reſpueret; *B. Andreas Corſinus Fuſulanus erga Deiparam pietate fuit ſingulari.* *Exod 22. Eiuſdem mater in partu laborans implorata*

B. Virg. opem parat.

ſpueret; ad bonam tamen frugem reuocatus, in Carmelitarum Templo beatiſſimæ Virginis apud filium patrocinium multis lacrymis ad eius aram implorans, eorundem Patrum inſtitutum libentiſſimis parentibus decimoquinto ætatis ſuæ anno eſt amplexus: quàm verò charus Virgini fuerit illud declarat, quod cum in eo ordine magnis religioſæ humilitatis, obedientiæ, mortificationis, ſilentij, orationis, aliarumq; virtutum meritis floreret, & ſacerdotij ſui primitias oblaturus, in conuentum Siluarum extra Florentiam ſe recepiſſet; quo apparatum, quem cognati ad eam ſolemnitatem moliebantur, effugeret, ei primis ſacris deuotiſſimè operanti, beatiſſima Virgo Angelorum cætu ſtipata apparens dixit: *Seruus meus es tu, quia ego elegi te, & in te gloriabor:* quæ cum diceret ſenſim ſeſe in auras ſuſtulit: Ioannem Corſinum ex ſua cognatione morbo, quem Lupum vocant, laborantem hortatus eſt, vt luſoribus, quorum conſuetudine ad leuandum morbum vtebatur, excluſis, ieiunijs vacaret, & beatiſſimam Virginem ſummis precibus dies octo flectere niteretur; quod cum is mira deuotione perfeciſſet, priſtinæ valetudini eſt reſtitutus. Mox cum Feſularum creatus eſſet Epiſcopus, eam Eccleſiam ſtrenuè adminiſtrauit: cumq; ea, qua Chriſtus Dominus natus eſt, nocte rem diuinam ſolemniter faceret, Virgo beatiſſima ei apparuit obitusq; ſui diem in feſto Epiphaniæ proximi menſis Ianuarij prædixit. qui ingenti læti ia repletus eo die anno 1373. ætatis 71. miraculis in vita, & poſt mortem clarus, migrauit in Cœlum.

Eidem B. Virgo Angelis comitata apparuit.

49

SANCTA CATHERINA SENENSIS
Ordinis Dominicanorum.

S. Catherina Senenſis ex vita à Raymundo de Capua eius confeſſario conſcripta. & S. Antonin. 3. p. tit. 25. cap. 14.

Cum angelicam ſalutationẽ Angelorum recitaret miniſterio ferebatur.

Per Deiparam Chriſto eſt deſponſata.

15S. Catharina Senenſis præclariſſimis Dei donis ornata, ab infantia ſua Deiparam ſingulari pietate coluit: cum enim annum circiter quintum ageret, ſalutationem angelicam crebrò eidem Deiparæ offerebat, & diuinitus edocta per gradus paternæ domus aſcendendo, & deſcendendo, ad ſingulos flexis genibus eandem ſalutationem angelicam Virgini matri reuerenter pronunciabat, idq; Deiparæ gratum fuiſſe illud argumento eſt, quod per eoſdem gradus aſcendendo, & deſcendendo, Angelorum miniſterio, vt plurimum ferebatur, ita vt pedibus eos non attigeret. Atque his in Deiparæ pietate veluti fundamentis poſitis ad magnum ſanctitatis culmen euaſit. Septimum iam agens ætatis annum perpetuę virginitatis votum Deo, ac Deiparæ nuncupauit. Nec minus admirabile fuit illud, quod poſt aliquot annos tẽpore bacchanalium, cum alij gulæ, & ventri ſeruiunt, in ſuam ſe cellulam abdidit, Fidei perfectionem à Domino ardentiſſimè petens; tandem ei Chriſtus corporeis ſeſe oculis ſpectandum exhibuit cum ſanctiſſima ſua genitrice, & beatiſſimis Ioanne Euangeliſta, Paulo Apoſtolo, ac beato Dominico, ipſo Rege Dauid pſalterium ſuauiſſimè modulante. Hic beata Dei genitrix S. Catherinæ dexteram accipiens, & digitos extendens ad filium, poſtulabat, vt ipſam Catherinam dignaretur ſibi deſponſare in Fide: quod annuens Chriſtus, annulum protulit aureum quatuor gemmis, & adamante in ſummitate inſignem, quem annulari digito impoſuit dicens: *Ecce deſponſo te mihi Creatori, & Saluatori tuo in Fide; tu autem deinceps viriliter age:* & recedente Domino annulus in digito remanſit, qui tamen non niſi à S. Catherina videbatur. quam verò familiarem cum ipſa conſuetudinem Deipara haberet, illud facilè declarat; quod, vt dixi cap. 20. ob leuem culpam eam arguere dignata ſit; quodq; panes cum ea ex farina quadam corrupta egregios in pauperum vſus efficere voluerit.

Cap. 37.

S. VINCENTIVS FERRERIVS
Ordinis Prædicatorum.

S. Vincentius Ferrerius Virginis deuotus.

16S. Vincentius Ferrerius ex Ordine Prædicatorum ſanctitate inclytus, & Concionator verè apoſtolicus; qui non ſolum triginta tria millia tum Iudæorum, tum Saracenorum ad chriſtiana ſacra ſuſcipienda adduxit; ſed etiam ſupra centum millia flagitioſorum hominum ſuis concionibus ad ſalutarem peccatorum pœnitentiam permouit, Virgini beatiſſimæ cum primis addictus fuit, cui in ſuis à dæmone tentationibus enixè ſe

com-

commendabat. Verùm illud præclarum in primis, quòd ex Virginis ſanctiſſimæ apparitione, vt in lib. 2. eius vitæ cap. 11. apud Surium tom. 2. habetur, tanta ad eius pietatem facta eſt acceſſio, vt poſteà ad tam ſublime vitæ ſpiritualis culmen illius beneficio peruenerit. Cùm enim virginitatem ſuam, quam perpetuò coluit, nocte quadam Virginum Virgini impenſius commendaret, quo ipſa ſuo patrocinio eam tutari, ac cuſtodire dignaretur; huiuſmodi vocem audiuit: *Non omnes poſſumus eſſe Virgines: nam tametſi ad hanc vſque diem virginem te appellare potuiſti, non tamen patiar in poſterum, vt tam honorificanomine perfruaris*: quæ quidem verba cum vir Dei quid ſibi vellent tacitus ſecum ipſe reuolueret; adduci non poterat, vt ea à Deipara Virgine, quæ virginitatis cultores ſemper amauit, & continenter adiuuit, profecta eſſe ſibi perſuaderet. in genua igitur cum procubuiſſet, ab ipſa Virgine petijt, vt illa verborum terriculamenta declarare dignaretur: nec ita multò poſt Virgo beatiſſima multa luce coruſca ei apparens, ipſum confortauit, eiq; dixit, verba illa à diabolo fuiſſe prolata, qui bonorum operum difficultatem ei propoſuit, quo territus ab incæpta virtute deſiſteret; eundemq; admonuit, dæmonem eius virginitatem, aliasq; virtutes crebris inſidijs impetiturum: quare cautus eſſet, conſtantiq; animo perſeueraret; atque in Domino, in quo omnes demonis verſutias ſtrenuè ſuperaturus eſſet, ſperaret. tum Vincentius gratias Virgini glorioſæ egit: *Ex eoq; tempore*, inquit Auctor eius vitæ, *Chriſti militi tantum feruoris acceſſit, vt non terreſtris homo, ſed cœleſtis Angelus videretur eſſe.*

Sur tom. 2.

Eiuſdem virginitatem contra dæmonum inſidias Deipara tuetur.

S. BERNARDINVS SENENSIS ORDINIS MINORVM.

173. Bernardinus Senenſis ex Ordine Minorum diuini verbi concionator ætatis ſuæ celeberrimus, pietatisq; erga ſanctiſſimum nomen Ieſu apud populum excitandæ ſtudioſiſſimus, Matrem Ieſu ſingulari amore colebat: cum. n. vitam adhuc ageret in ſeculo, inter æquales ſuos omni pudicitia, & morum honeſtate (qualem decet eſſe Deiparæ alumnum) erat conſpicuus; imaginemq; Virginis ſupra Ciuitatis Senenſis portã, quam dicunt Camolliæ, elegantiſſimè depictam per multos annos quotidie inuiſebat, ac flexis, nudisq; genibus preces Virgini offerebat; quam vnicè ſe diligere, in qua ſpes ſuas collocaſſe, & per eam ſe Dei gratiam, & miſericordiam, quam præcipuè expetebat, ſperare profitebatur. Poſt ſuſceptum verò religioſæ vitæ habitum ad eandem imaginem non rarò accedebat. coronam B. Virginis quotidie mira cum animi pietate recitabat; eaq; de cauſa magnis à Deipara eſt donatus beneficijs; quod Pelbartus in Stellario lib. 2. par. 2. art. 3. agens de corona Virginis teſtatur his verbis: *Cùm iſta corona in vſum plurimorum veniſſet S. Bernardinus de Senis Ord. Min. de Obſeru. quotidie eam ob deuotionem Virginis perorabat: cui die quadam oranti ipſam Coronam, apparuit B. Virgo dicens: O mi deuote famule multum mihi complacui in tua deuotione; ecce quia me hac corona quotidie honoraſti, impetraui à filio meo tibi gratiam miracula faciendi, & prædicandi: & tandem ſcias te in cœlo mecum ſine fine lætaturum, participem meorum gaudiorum. & ſic ab illo tempore cepit Sanctus miraculis coruſcare, & magnis gratijs abundare.* ita Pelbartus. Idem quoq; Pelbartus art. 2. dixerat reſcitum fuiſſe à ſanctis Fratribus ſocijs S. Bernardini Senenſis ipſum dum viueret dicere ſolitum: *Omnem gratiam, quam haberet, vel habuiſſet, ſe acquiſiſſe, & obtinuiſſe per deuotam recordationem gaudiorum B. Virginis, in quorum memoriã quotidie Coronam recitabat.* hæc S. Bernardinus ex Pelbarto, qui ex temporum ſupputatione potuit optimè hæc accepiſſe à ſocijs S. Bernardini, qui obijt anno 1441. Quare mirum non eſt, ſi de eadem Virgine deuotiſſimè libenter, & feruenter cõciones ad populum habebat. quod non ſolum vitæ eius auctor, qui eum concionantem audiuit, teſtatur apud Surium tom. 3. verum etiam plurimæ eius conciones, quæ impreſſæ viſuntur, easq; ſæpè in hoc opere citauimus, apertè declarant; in quibus ſolidis ratiocinationibus, & ad rigorem theologicum elimatis ita piè, doctè, ac ſubtiliter de Virginis præſtantia loquitur, vt in illis neque pietas, neque eruditio vlla ex parte deſideretur.

S. Bernardinus Senenſis.

Pelbartus.

S. Bernardino Senenſi coronã recitanti Deipara apparet.

Plurima in eundem munera confert.

Surius.

B. LAVRENTIVS IVSTINIANVS PATRIARCHA VENETVS.

18B. Laurentius Iuſtinianus ſerm. de Natiu. Virg. *Deum*, inquit, *veneremur in Matre, & matrem honoremus in filio, quatenus filium Genitrice interpellante pro nobis, vinca-*

B. Laurentius Iuſtinianus.

mus mundum, diabolum superemus, venitamur tentationibus, consequamur gratiam, adipiscamur coronam, atque in Regnum introeamus æternum. hæc ille.

DIONYSIVS CARTHVSIANVS.

Dionysius Carthusianus.

Dionysius Carthusianus doctrina iuxta, ac pietate insignis quatuor libros de laudibus Virginis edidit, & in lib. 1. art. 3. ad Virginis deuotionem omnes hortatur his verbis: *Totis*, inquit, *viribus laudemus, ac veneremur, diligamus, ac vereamur præstantissimam Dei matrem. cumq; hoc ipsum egerimus, recognoscamus nos nihil egisse condignum, nec beneficijs eius posse idoneam rependere vicem.* hæc Dionysius. qui tum in Commentarijs in Cantica Canticorum: quorum singula capita peculiaribus enarrationibus, quas articulos vocat, de Christo, ac Deipara, quam singularem sponsam singulariter vnicam, atque ineffabiliter prædilectam sponsi cœlestis appellat; piè, ac doctè interpretatur: tum etiam in alijs compluribus suæ doctrinæ, quæ elaborauit monumentis, vbiq; præclaræ, qua in Deiparam flagrabat, pietatis vestigia reliquit: eius enim dignitatem, atque præstantiam aptissimis diuinorum oraculorum testimonijs, firmisq; rationibus mirificè extollit, ac prædicat, omnesq; ad eiusdem studium, & amorem excitat, atque inflammat.

B. IGNATIVS LOYOLA SOCIETATIS IESV FVNDATOR, eiusdemq; Societatis in Deiparam pietas.

Recentiorum exempla pietatis in Virgine.

19 SEd iam ad recentiorum, qui insigni erga Virginem pietate nostra ætate claruerunt, exempla transeamus; quæ vt non solum certissimis sunt explorata documentis: sed nostro etiam seculo maximè perspecta, ita alios ad hanc pietatem propius poterunt inflammare. Et quoniam nostra ēt Societas Iesu domestica exempla suppeditat eorum, qui addicti in primis sanctissimæ Virgini fuerunt, ea tacita præteriri vniuersa non patiar: sed omissis alijs in hac pietate præclaris, quinque tantum recensebo, beatum nimirum Ignatium Loyolam nostræ Societatis parentem, B. Franciscum Xauerium, B. Consaluum Sylueiram martyrem, B. Stanislaum Kostka, & B. Aloysium Gonsagam. De quibus hoc eodem ordine nonnulla, quibus eorum erga Virginem studium declaratur, aliquāto fortasse vberius narrare consilium est; id quod communis mihi cum illis eiusdem Religionis nexus iure quodam suo à me videtur expoſcere.

B. Ignatius Loyola Virginis studiosissimus.

Beatus igitur Ignatius Loyola Societatis Iesu Fundator, atq; Parens, cui anno 1609. ob insignem viri sanctitatē, & plurima quæ per eum Deus multis in locis efficere dignatur miracula Pauli V. Pont. Max. decreto est tributum flagitantibus omnibus pene Regibus, & Principibus catholicis, vt publicè Beatus appellaretur, & missa, diuinumq; officiū nostris in locis de eo tantisper celebretur, donec solemni ritu referatur in numerum Sāctorum, quorum ille quoad vixit cupidissimus, ac studiosissimus, & vt cultū per se, suosq; oratione defendit, sic imitatione dignitatem virtutis expressit. Is ergo in augustissimam cœli Reginam honoris, & amoris studio fuit in primis inflammato, vt testantur P. Iacobus Laynez consiliorum eius particeps in ijs, quæ de vita eius adhuc viuentis perscripsit. & & P. Ioannes Polancus in hist. Societ. & P. Petrus Ribadeneyra lib. 1. vitæ c. 1. qui etiam in vita B. Ignatij breuiori, anno 1600. edita, affirmat, B. Ignatium à prima sua in Deum conuersione Virginem in peculiarem sibi Aduocatā delegisse, ad quam in suis necessitatibus, ac difficultatibus confugiebat; cuius fauore multa est beneficia consecutus: quam Dñs, vt ait Laynez loc. cit. tanquam instrumentum ad iuuandum B. Ignatium elegerat. & sanè qui Societatem Iesu Virginis filij conditurus erat, in matris profusissima, & constantissima pietate tantæ molis fundamenta iecisse meritò existimandus est.

Missam de B. Ignatio à nostris celebrari concessum.

P. Laynez.

P. Ioannes Polancus.

P. Petrus Ribadeneyra.

P. Laynez.

P. Ribadeneyra lib. 1 vitæ B. Ignatij cap. 2. Instar ante Virginis imaginem orans per eam preces effert.

20 Verum ad singularia veniamus. cum in paterna domo Beatus Ignatius de mutanda vitæ ratione iam deliberasset, noctu (vt solebat) è strato surgens, ad imaginem Virginis feruentes per eam preces Christo obtulit, quibus mundi castris relictis, se eius signa fortiter, atq; perseueranter secuturum spopondit, quo tempore domus terræmotu cōtremuit, & cubiculum à fundamentis est concussum satis magno edito argumēto, vel preces eius per Virginē oblatas esse exauditas, vel exterminatū Virginis ope dęmonem erroris,

atque

atque furoris ſui reliquiſſe veſtigia. Alia nocte ipſa quoque Dei mater paruulum filium geſtans in vlnis in manifeſta luce ſuam vigilanti B. Ignatio præſentiam longo ſpatio declarauit: tanta eum ſpirituali lętitia permulcens, vt à cunctis huius vitæ voluptatibus magno is cæperit faſtidio abhorrere; caſtitatem ex eo rempore ſanctiſſimè ſeruarit, turpiumq; atque obſcenarum rerum imagines ex eius animo Virgo puriſſima obliterarit, atque deterſerit. Nouam deinde vitam inchoaturus dum ad Virginis templum, quod eſt in Monte ſerrato Religionis ergo pergeret, vt omnem fœdæ voluptatis licentiam, ac poteſtatem ſibi adimeret, in eodem itinere perpetuò caſtitatis voto ſe obſtrinxit, nominatimq; hoc votum B. Virginum Reginæ, in cuius patrocinio ſpes ſuas defixerat, nuncupauit: quamuis autem ex Theologorum ſententia votum vni Deo fiat; is tamen, qui aliquid vouet Sanctis, in ſanctis ipſi Deo vouere intelligendus eſt, vt rectè explicat Caietanus. Quare, teſte Glyca, Pulcheria Auguſta Deiparę virginitatem cõſecrauit. & Epiphanius hær. 78. *In nomine*, inquit, *Mariæ virgines degere contendunt, & caſtitatem ſeruare*, vt c. 32. dixi. Beatę autem Virgini acceptam fuiſſe hanc clientis ſui Ignatij ſponſionem ſatis probauit, cum in ſuum patrocinium illum ſuſceperit, caſtitatisq; donum non vtcumque (vt verbis vtar Polanci loc. cit.) ſed modo quodam altiſſimo, & vt putat Laynez perfectiſſimo ad extremum vſque ſpiritum illi conſeruarit: quibus verbis indicant eum quamuis natura præferuidum, omni ſenſu libidinis in poſterum caruiſſe. quod diſertis verbis affirmat Maffeus in eius vita lib. 1. cap. 3. & lib. 3. cap. 8. Ad Montem ſerratum vbi peruenit, Virginis ædem ingreditur, ibi confeſſione generali totius ante actæ vitæ diligenter peracta, quia legerat Nobiles olim equites cum nouæ militiæ initiarentur, totam noctem inſomnem in armis ducere ſolitos, quod in Hiſpania Peruigilium armorum vocant, ipſe vt exauctoratus à veteri, nouum ſuſciperet militiæ ſacramẽtum, ritu perſimili exuit arma, quibus ad eam diem ſeculo meruerat, & ante aram Virginis ſuſpendi iuſſit; ac depoſito ad intimam vſque ſubuculam ſeculari veſtitu, more pauperis peregrini Talarem tunicam è rudi ſacco indutus, noctem illã (quæ Virgini Annuntiatæ diem ſacram præcedit, quando Verbum caro factum eſt) anno 1522. ad ſacratiſſimæ Deiparæ aram coram eius imagine, totam venerabundus exegit, modò ſtans, modò in genua procumbens, ex intimis animi viſceribus ſę Virgini commendans; ſuperioris ætatis vitia deflens totum ſe toto pectore vni Deo, cui in poſterum militaret, deuouens, ſub Virginis protectione nouam vitam, atque militiam auſpicatus. Manreſæ vbi prima ſpiritualis vitæ fundamenta iecit, dum horarias B. Virginis preces recitat in ſcalarum gradibus templi Dominicanorum inſignem illam ſanctiſſimæ Trinitatis cognitionem magna cum cœleſtis conſolationis copia diuinitus accepit, de quo plenius apud Ribadeneyram lib. 1. cap. 7.

B. Virgo videndam ſe offert B. Ignatio.

P. Ribadeneyra loco citato. Ita P. Laynez, & in hiſt. P. Polanci de caſtitate puriſſima illi collata.

Votum caſtitatis B. Virg. nuncupat.

Maffeius in vita B. Ignatij lib. 1. cap. 3. & lib. 3. cap. 8. Nicolaus Orlãdi in hiſtoria Societ. Ribaden. lib. 1. vitæ cap. 3. D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 5. ad 3. Caietanus ibi. Glycas. Epiphanius. P. Layner. Maffeius. Ribaden. lib. 1. cap. 4 hiſtoriæ. Nicolaus Orl.

B. Ignatius in Serrato ad arã Virg. excubat.

21 Inter alia verò pietatis opera, quæ ſuſcepit, non ſilebo ſabbata in honorem B. Virginis ab eo obſeruata, quemadmodum Compluti ipſemet Epiſcopi Vicario affirmauit. Lutetiæ poſteà Pariſiorum cum aliquot ſocios ad perfectionis amorem, & animarum ſalutem procurandam permouiſſet, implorato (vt teſtis eſt Maffeus) Virginis patrocinio, votum paupertatis ſeruandæ, exacto Theologiæ ſtudio, & proximorum ſaluti vacãdi, ac Ieroſolymam proficiſcendi cum ijſdem ſocijs in ſanctiſſimæ Matris æde ſuburbana, quæ Mõs Martyrum dicitur, nũcupauit ipſo die Aſſumptioni Virginis ſacro anni 1534. Sacerdotio deinde initiatus anno 1537. antequam primum miſſæ ſacrificium perageret per totum ipſum annum, quo ad tantum ſacrificium offerendum ſe comparat, obnixè & continenter Dei matrem obſecrabat, vt aditum ſibi ad filium aperiret, & vt ipſum cum filio ſuo poneret: hac enim loquendi formula ipſemet B. Ignatius in ijs, quæ de vita ſua P. Ludouico Cõſalez hiſpanico ſermone dictauit, cum hæc ipſa narraret, ad verbum eſt vſus: qui modus loquendi Hiſpanis vulgaris, magnam vim habet ad B. Ignatij affectũ declarandum, quo Virginem orabat, vt pro ea, qua plurimum apud filium poteſt Mater auctoritate, omninò perficeret, vt in numerum ſeruorum filij, ſeu in filij familiam, ipſum aſcribendum curaret. Circumacto iam anno Romæ primis ſacris ad Domini Præſepe in æde ſancte Mariæ Maioris operatur. Idem Romæ ad diui Pauli Apoſtoli in ſacello beatæ Mariæ Virginis, atque adeò coram ipſa ex voti formula, in quam eius etiam nomen incluſit, profeſſionem cum ſocijs ſolemnem edidit, quam pariter in formulis etiam

Ribaden. inter recitandas B. Virg. horas SS. Trinitatis cognitionem peculiarem accepit.

B. Ignatius ſabbata in honorem B. Virginis obſeruabat.

Maffeus lib. 1. vitæ cap. 17. Ribaden. lib. 2. cap. 8. Maffeus lib. 1. cap. 21. Maffeus.

In Virginis templo die Aſſumptionis vota Pariſijs Deo offert.

Lib. 2. c. 11. cum ad miſſam ſe præparat Virginem orat, vt eũ filio ſuo ponat.

In ſancta Maria Maiore primum ſacrum offert.

Lib. 2. c. 12. B. Ignatij à Ioan.

ne Petro Maffeio cap. 4. Lib. 3. Ribadeneyra cap. 1. Par. 5 Conſtit. cap. 3. & 4. Vnum ex tribus colloquijs in oratione Virgini faciendum.

votorum ſimplicium nominatim exprimendam voluit, vt eandem votorum noſtrorum, & teſtem, & patronam haberemus. Quantum verò præſidij, fiduciæq; nobis ad implorandam, exorandamq;, diuinam miſericordiam in optimæ matris clementia, & fide ponendum exiſtimarit, perſpicuè apparet in exercitiorum ſpiritualium meditationibus; in quibus ad primum, atque alterum colloquium, quod ad Patrem, & ad Chriſtum habetur, præſcribit & tertium ad Deiparam: quo quidem facto non magis ille noſtram fiduciam excitauit, quam indicauit ſuam. Ex hoc enim optimè colligimus peculiarem eius erga Virginem affectum, & modum, quem in ſuis priuatis precibus ſeruare ſolebat: *Neque enim Sanctus vir* (vt de S. Benedicto dicebat S. Gregorius) *potuit aliter docere, quàm vixit.* Et ſanè ne coniectura tantum, quamuis ſatis clara ducti, id aſſerere videamur, hoc apertè cernitur in commentario illo eius manu deſcripto, cum ad quadraginta dies in ea deliberatione defixus, rationes in vtramque partem diſquireret, num expediret Domorum Profeſſarum templa redditus ad eorum ornatum, vel fabricam habere; in eum enim commentarium per ſingulos dies quænam ſpiritualium rerum ſenſa habuiſſet, quas illuſtrationes diuinitus accepiſſet, quo precationis modò vteretur, quos interceſſores adhiberet, plenè retulit. Ex ijs porrò liquidò conſtat aduocationem, inuocationemq; ſanctiſſimæ Dei genitricis ab eo accuratiſſimè tunc adhibitam: nam & eam tanquam mediatricem ad intercedēdum apud ſanctiſſimam Trinitatem ſemper implorabat, & per eam ſuas deliberationes Deo offerebat. ibiq; adnotatum præterea legimus eo tempore Virginem cogitatione interdum ita ſibi obiectam, vt ſpirituali deuotione illum ad ſuauiſſimas vſque lacrymas compleuerit. Neque hoc fuit illi nouum, nam interiori animi obtutu vidiſſe eum Chriſti Domini humanitatem Manreſæ, & alibi, & aliquando beatiſſimam etiam Virginem Mariam, affirmat Ribadeneyra lib. 1. vitæ eius cap. 7.

Greger. lib. 2. dialog cap. 36.

In deliberatione de paupertate Virginem inuocat. Lib. 4. vitæ cap. 2. Et ex commem. manuſcripto à B. Ignatio.

Ribadeneyra.

B. Ignatij preces à Deipara exaudiuntur.

22 Deiparæ verò opem B. Ignatius ſæpè expertus eſt: cuius exemplum auctore Ribadeneyra lib. 3. vitæ B. Ignatij cap. 6. in Collegij Patauini cauſa peculiariter apparet. Cum enim anno noſtræ ſalutis 1584. in Patauini Collegij erectione non parua eſſet oborta difficultas obtinendæ poſſeſſionis cuiuſdam Prioratus Andreæ Lipomani, resq; in Senatu Veneto diſceptaretur, quodam Priori Andreæ ſanguine propinquo, qui inter ſuos opibus, nobilitate, ac Senatoria dignitate præcelleret, acriter obnitente. Iacobus Laines, qui negotium Venetijs procurabat, per litteras B. Ignatium orauit, vt pro felici rei euentu miſſæ ſacrificium offerret: quod cum ipſo Dei genitricis Natali die, qui in 8. diem Septembris incidit, feciſſet, Iacobo reſcripſit, bono vt eſſet animo, ac rem confectam putaret: mox octauo poſt ſacrificium die, frequentiſſimo Senatu, omnium ferè ſuffragijs ea noſtris eſt adiudicata poſſeſſio. Et verò mirabile in primis viſum eſt omnibus illius Reipublicæ peritis, pro aduenis, ignotisq; hominibus aduerſus Ciuem, ac vehementer obſiſtentem Senatorem, frequentiſſimum Senatum tam vnanimi conſenſu conſpiraſſe, præſertim cum eo die probatiſſimi Senatores, qui noſtris potiſſimum ſtuderent partibus, à Senatu omnes abfuerint, vt hinc Deiparæ præſidium B. Ignatio illud imploranti, præſto fuiſſe in dubijs, ſeu deſperatis rebus non obſcurè intelligatur.

Dæmon ab obſeſſo egreditur, quia B. Ignatius Virginis fuerat deuotus.

Adijciam & illud, quod grauiſſimum videri debet, quia vel ab ipſis hoſtibus expreſſum eſt teſtimonium egregiæ voluntatis B. Ignatij in Virginem; Auctor eſt idem Ribadeneyra in vita illa B. Ignatij breuiori edita anno 1600. (vbi plurima per beatum Ignatium miracula effecta recenſet:) inter alia Mutinæ eodem anno 1600. in illa celebri complurium dæmonum per B. Ignatij merita, è corporibus quatuor ſororum, & alterius conſobrinę earum expulſione, fuiſſe peſſimum dæmonem, obſtinatiſſimum eundē, & confidentiſſimum plures ſacrorum machinas eludentem; tandem ingratis excedere coactum, ad B. Ignatij nomen, quamuis eum irriſiſſet, adieciſſeq; laudationem eius luculentiſſimam, cum ter illum appellaſſet ſanctum, diceretq; S. Ignatius, S. Ignatius, S. Ignatius me eijcit ob ſuam humilitatem, & potentiam, & ob eius ſingulare ſtudium, quo is viuus ardebat in ſanctiſſimam Virginem.

Societatem cir-

23 Cæterum non abs re erit, ſi vbi de B. Ignatij in Virginem pietate agimus, aliqua de eadem, quæ in Societate Ieſu ab Ignatio fundata viget deuotione, ſubnectamus. Et quidem Societas noſtra vniuerſa ſingulari Dei beneficio Virgini Deiparæ ſem-

per

per fuit addictiſſima, omnesq; Societatis noſtræ religioſi eam tanquam peculiarem Dominam, ac patronam intuentur, eamq; vnicè diligunt, colunt, ac venerantur. Et meritiſſimè quidem: æquiſſimum enim eſt eos, qui filij fui Ieſu, non tantum præſentiſſimo numine perfruuntur, ſed de nomine etiam diuiniſſimo peculiari quadam ratione gloriantur; eius matrem peculiari quoque affectu, ac reuerẽtia proſequi. Quòd ſi Societatis ipſius morem vniuersè intueamur, ſi diligenter intimos vniuſcuiuſque noſtrum ſenſus diſcutiamus, inueniemus profectò in omnibus hanc præcipuè pietatem in Virginem vigere, & omnes in votis habere, vt publicè quàm latiſſimè transfundant in alios, quam ipſi venerationem in eam priuatim hauſerunt: Virginem etenim agnoſcunt, & de Societate generatim, & de ſingulis optimè meritam. Nam & eius opem ſingulari beneficio Societas experta eſt (vt cętera nunc omittam) in caſtitate puriſſima Societatis hominibus perneceſſaria, propter tot miſſiones, & peragrationes, ad animarum ſalutem procurandam inter fideles, & infideles frequentiſſimas, & propter lectiſſimam iuuentutem in Gymnaſijs, Seminarijs, & Congregationibus Societati creditam. Qua in re quantum à Deo, Virginis puriſſimæ interceſſione, Societati ſit collatum, omnes norunt, & ipſi hæretici inimici noſtri (vt verbis vtar Moyſis) ſunt iudices, non abſque eorum ingenti admiratione. Vocationem quoque ſuam, qua ex mundi procellis ad Religionis tranquilliſſimum portum noſtri ſunt traducti, omnes ferè Deiparæ veræ Maris Stellæ acceptam ferunt, & de eadem ingentes ei gratias agunt.

ea verſum Virginis eſſe deuotiſſimam.

Per Virginem caſtitatis donum ſperatur in Societate.

Deut. 32.

Vocationem à Virgine agnoſcimus.

24 Nec inter Virginis beneficia poſtremum illud eſt, quod Societati tribuit, vt Congregationes externorum ſub eiuſdem Virginis præſidio, atque tutela (ex quibus, Virgine benè fauente, tantus in Rempublicam chriſtianam manat fructus) tum in Collegijs, vbi vigent ſtudia; tum in Domibus profeſſis Societas magno ſtudio excitaret, atque amplecteretur; quas longiſſimè gentium quotidie propagat, & per vniuerſum chriſtianum Orbem latiſſimè diſſeminat, & vbiq; locorum frequentiſſimas habet, quæ profectò apud nos numero plurimæ, dignitate lectiſſimæ, morum integritate præclaræ ſodales in chriſtianæ religionis officijs, & erga Virginem pietate, inſtituunt, atque educant. Quare lectiſſima iuuentus in noſtris Gymnaſijs ijs virtutum initijs, quæ in Virginem feruntur, imbuitur. Hanc vnam potiſſimum noſtra Seminaria, quæ Romæ diuerſarum nationum, & in toto Septentrione plurima in Societatis diſciplinam ſunt tradita, morum Magiſtram ſtudiorum ſuorum Patronam agnoſcunt.

Societas Congregationes Virginis beneficio eiuſdem inſtituit.

Neque illud ſilentio prætereundum, quod à Societatis IESV naſcentis exordio apud eiuſdem religioſos vſu receptum cernimus circa globulorum ſertum, vulgo B. Virginis Roſarium, vel precariam coronam appellatum, in quo certo quodam ſphęrularum numero ad Chriſti Domini, eiusq; Genitricis vitę myſteria recolenda, orationem Dominicam, & ſalutationem angelicam iteramus. Nam, vt de aliquorum interim ordinum hominibus taceam, apud quos in more eſt poſitum huiuſmodi ſertum conſpicuum geſtare; à primis certè nouem Societatis noſtræ Patribus cum è Gallia nondum conſtituta Societate, ad beatum Ignatium Venetias pedites ſe conferrent: *Mariæ corona*, inquit Turſellinus lib. 1. vitæ B. Xauerij cap. 4. *Catholicæ Religionis inter hæreticos index è collo ſuſpenſa portabatur*, reliqui etiam Societatis noſtræ homines è cingulo illam pendulam propalam deferunt, non equidem ad inanẽ oſtentationem, ſed vt hac precandi formula ſuum multis nominibus Virgini Deiparæ debitum obſequium, atque intimam, erga eandem pietatem, & cultũ omnibus teſtatum faciant. & verò noſtrorum exemplo, atque inſtitutione in Tranſalpinis Regionibus, ſodalibus pleriſque parthenijs mos quoque iſte ad hæreticorum deteſtationem ſolemnis eſſe cæpit, vt inter alia, hoc etiam ſigno quiuis eos ab hæreticis internoſcatur.

Pietatis cultus, quem erga Deiparam Societas exercet.

Turſellinus.

25 Illud quoque Societatis erga Deiparam ſtudium, ac pietatem non obſcurè declarat, quod cum eius Conſtitutiones à *B.* Ignatio editæ in Theologia doctrinam ſcholaſticam D. Thomæ legendam præſcribant. & Quinta eiuſdem Societatis Congregatio Generalis vnanimi conſenſu ſtatuerit in Theologia ſcholaſtica S. Thomæ doctrinam, tanquam ſolidiorem, ſecuriorem, magis approbatam, & conſentaneam noſtris Conſtitutionibus à Profeſſoribus noſtris ſequendam; excipit tamen quinta Congregatio illam S. Thomæ opinionem, quæ eſt de Deiparæ Conceptione, in qua noſtri Doctores ſententiam

Conſtitutiones Societatis Ieſu.

tiam hoc tempore magis communem, magisq; apud Theologos receptam; quæ vult, eam omnis originalis noxę expertem, sequi iubentur. Et sanè ante editas constitutiones, & ante hoc decretum ab ipsius Societatis primordio Nostri omnes tum Concionatores in suggestis, tum Professores in cathedris, tum scriptores in libris editis, Conceptionem Deiparæ Immaculatam rationibus; & scriptis pro virili parte semper defendere sunt conati. Quin etiam Iacobus Laynez, vnus ex nouem B. Ignatij in Societate fundanda socius, postea etiam eiusdem Societatis Præpositus Generalis, vir pijssimus iuxta, ac doctissimus, cum in sacro Tridentino Concilio Theologum Pauli III. summi Pontificis, vna cum Alphonso Salmerone ex ijsdem pariter nouem socijs ageret; & quæstio illa tractaretur de peccato originali, cuius Deipara immunis extitit, Rogatus suam sententiam, negat, auctore Ribadeneyra lib. 3. vitæ eiusdem cap. 17. se quòd quartana febri grauiter laboraret pro argumenti dignitate posse differere; conscendit tamen suggestum vtcumque suam sententiam pro Immaculata Conceptione dicturus; Verum præter spem, & opinionem tres integras horas Deiparæ beneficio firmis lateribus pro ea sententia plurimis allatis testimonijs, & exquisitis rationibus, admirabili qua pollebat eruditione, & omnium approbatione perorauit; in orationis verò fine se viribus valentiorem sensit, quàm cum dicendi initium fecerat. Et quidem sacrum Concilium Tridentinum multis adnitentibus, & præsertim Laynez in sess. 5. habita die 17. Iunij 1546. ad decretum de peccato originali declarationem expresè adiecit, non esse suæ intentionis in eo decreto, Beatam, & Immaculatam Dei genitricem comprehendere, sed obseruandas Constitutiones Sixti IIII.

P. Iacobi Laynez erga Deiparam pietas.

Ribadeneyra.

Concilium Tridentinum.

P. Alphonsus Salmeron Deiparæ Studiosissimus.

Ribadeneyra.

Et quoniam de Alphonso Salmerone mentio incidit, cuius eruditionem, ac doctrinam sexdecim, eaq; insignia, quæ in sacram præcipuè Euangeliorum historiam, & in reliquas noui testamenti partes exarauit volumina, satis testantur; adscribam quod idem Ribadeneyra in ipsius vita commemorat, cum esset Concionator insignis, & in suis ad populum sermonibus non verborum flosculos, nec vanos quosdam conceptus ad ostentationem ex profanis auctoribus petitos, sed solidos ex diuinis oraculis, & sanctis Patribus desumptos, ad Dei gloriam, & animarum fructum magna auditorum approbatione, & frequentia proponere solitus esset; scribit Ribadeneyra tanto eum erga Virginem studio flagrasse, vt in quadragesima singulis sabbatis de Deipara ad populum verba faceret, non absque auditorum admiratione, quos ad Deiparę pietatem mirificè inflammabat, cuius exemplum complures Concionatores magna erga Deiparam pietate etiam nunc sequuntur.

Pluribus è Societate concessum, vt de Virgine scriberent.

Illud quoque inter Virginis beneficia Societati concessa connumerandum videtur, quod & Societatis quoque obseruantiam erga eandem declarat; multos paucis hisce annis scriptores ingenij, doctrinæq; facultate præstantes ex nostro ordine extitisse, qui locupletissima condidere in honorem tãtæ Virginis ingenij, pietatisq; monumenta, partim vt impiam, impuramq; hæreticorum, præsertim recentiorum, qui contra Virginem os suum aperire ausi sunt, audaciam frangerent; partim vt Virginis præstantiam, atque dignitatem declararent, & in alijs eiusdem exemplo pium sanctitatis studium accenderent. Inter hos, vt omittam alios ex nostris, qui hoc idem argumentum egregie tractarunt, meritò recensèri possunt Petrus Canisius, Franciscus Suarez, Franciscus Arias, Sebastianus Barrada, Blasius Viegas, Martinus del Rio, Horatius Tursellinus; Chrystophorus à Castro, Franciscus Costerus, Vincentius Brunus, Laurentius Massellus, Ioannes Bonifacius, qui suæ non magis doctrinæ, quàm pietatis erga Virginem immortale ediderunt monumentum.

Aliqui de Societate, qui de Virgine scripsere.

Imago S. Mariæ Maioris à P. Francisco Borgio euulgata.

26 P. Franciscus Borgia Societatis nostræ Præpositus Generalis vir insigni sanctitate excellens, qua erat in Virginem pietate multis, magnisq; difficultatibus superatis. Primus B. Virginis Imaginem ad exemplum eius, quam S. Lucas depinxisse dicitur, & asseruatam in æde sanctæ Mariæ Maioris præcipuo cultu, sensuq; Roma veneratur, depingendam curauit; & quo priuatum vnius Vrbis beneficium, omnibus gentibus in commune conferret, plures ad huius exemplum depictas multis Principibus, & viris primarijs, ac nostrorum domicilijs communicauit, quæ vulgatę multis in locis amorem, ac pietatem in Virginem auxere. Hæc omnia testatur Ribadeneyra in vita P. Borgiæ lib. 4.

Ribadeneyra.

cap. 4.

cap.4.Huius Imaginis exemplum B.Ignatius Azebedius è Societate Ieſu inclytus Chriſti martyr,vir religioſiſſimus,& Virgini apprimè deditus,ex vrbe ſecum extulerat, cum anno 1570.die 15.Iulij ab Hæreticis Caluiniſtis Prædonibus in Indica nauigatione, qua Prouincialis in Braſiliam cum multis alijs ſocijs reuertebatur,eſt deprehenſus.quare hac Imagine ſumpta,prout res,& tempus poſtulabat,ad officium, & pietatem omnes hortabatur: deinde obuiam hoſtibus factus elata manibus ea,quam diximus,Imagine conteſtatus omnes,qui aderant,ſe pro fide catholica mori,vno in capite, tribusq; in pectore acceptis vulneribus ab hæreticis ſacram Imaginem fruſtra extorquere conãtibus, in mare eſt præcipitatus,vna cum ipſa Imagine,quæ de Ignatij manibus nunquam exciderat,octo & triginta eius ſocijs pro eadẽ fide catholica, vna cum ipſo interfectis. Corpus B.Ignatij in mare proiectum non ſubſidit,vt cætera:ſed brachijs ad inſtar crucis expanſis,quàm longiſſimè oculi ſequi potuere, ſuper aquas ferri non ſine admiratione viſum eſt,quod ſacri huic imagini,quam in manibus ferebat,meritò aſcribi poteſt.

Ribaden lib.3. vitæ P. Borgiæ, cap.10. & in Epiſtola Petri Diaz de martyrio B. Ignatij & ſociorum. & litteris manuſcriptis.

Imaginem B. Virg.ex B.Ignatij Azebedi manibus extrahere hæretici fruſtra conantur.

27 Virginem quoque ſanctiſſimam peculiarem Societatis noſtræ curam gerere apertè oſtendit viſio illa,quam cap.20.retulimus cum P.Martino Guttieres eiuſdem ſocietatis viro ſanctiſſimo,viſa eſt Virgo Deipara Societatem vniuerſam collectam,illiusque alumnos tanquã filios ſub ampliſſimo ſui pallij tegmine amantiſſimè circumplecti,eosq; materno fouere affectu:quam viſionem litteris mandauit P.Hieronymus Platus lib.1.de bono ſtatus religioſi cap. 34.

Virgo Societatem ſub pallio complecti viſa eſt.

Hieronym. Platus.

Inter ſigna porrò peculiaris protectionis,ac beneuolentiæ, quibus Deipara noſtram Societatem eſt dignata,& illud recenſere poſſumus; quòd primum,quod eadem Societas in ſui exordio ad propria munera obeunda habuerit templum, erat ipſi Virgini dicatum; ex quo poſteà, tamquam ex capite, Societas magno Reipublicæ chriſtianæ bono in vniuerſum terrarum orbem longè lateq; eadem munia propagauit.idq; templum eodem anno 1540. impetratum eſt,quo ſummi auctoritate Pontificis Pauli III. ipſa eſt confirmata Societas,vt protinus natam ſuſcepiſſe quaſi vlnis Virgo beatiſſima, ac tecto carentem benigniſſimè in domum ſuam recepiſſe videatur. Cùm enim B. Ignatius Societatis Parens,& reliqui Patres in Vrbe proprium templum ad confeſſiones audiẽdas, ad conciones habendas,& chriſtianæ fidei rudimenta pueris tradenda quærerent; Eccleſia eis B.Marię,quę à Strata dicebatur,opera Petri Codacij attributa eſt,ad Capitolij radices ſita,ſalubri iuxta,ac celebri,& opportuno ad proximorum ſalutem procurandam Vrbis loco,quam ipſemet B.Ignatius, vt teſtatur in ſuis de Societatis rebus Commentarijs Ioannes Polancus, ex tota Vrbe delegerat. Qua ex æde poſteà Deiparæ pietatem ſpirans Imago in pariete depicta in nouam Baſilicam Alexandri Cardinalis Farneſij liberalitate à fundamentis magnificè extructam,artificum diligentia,ita vt erat integra eſt tranſlata, & in primario eiuſdem Baſilicæ ſacello, ad dexteram aræ maximæ poſito,marmoreis columnis inſigni collocata, pia fidelium veneratione colitur. Et ſanè pijſſima mater filij ſui alumnos complexa, eorum labores mirificè in eo templo adiuuit, quemadmodum fructus in vrbe ex concionibus, alijsq; miniſterijs, in crebra ſacramentorum pœnitentiæ, & Euchariſtiæ vſurpatione; in abuſibus, qui in complures irrepſerant tollendis, in auita pietate, ac ſanctitate excitanda,apertè declarat: adeò vt Cardinalem Baronium pietate,ac doctrina clariſſimum in exhortatione, quam anno 1604. ad frequentiſſimum populum, qui ad ſupplicationem quadraginta horarum bacchanaliorum tempore confluxerat,in noſtro templo habuit, dicentem audiuerim, templum iſtud meritò ANASTASIAM appellari poſſe, quòd in eo frequens ſacræ Euchariſtiæ perceptio tot iam ſæculis apud laicos, qui perpaucis exceptis,ſemel tantum in anno eã ſumebant,intermiſſa, in priſtinum morem tandem reſtitui, ac,veluti reſurgere cæperit. qua in re ad illud Nazianzeni ſpectabat,qui Baſilicam, in qua eius opera fides catholica in Vrbe Conſtantinopolitana,Arianorum potiſſimum hæreſi miſerè compreſſa,atque extincta, reuiuiſcere, & caput attollere viſa eſt, Anaſtaſiam appellauit, teſte eodem Nazianzeno oratione ad centum quinquaginta Epiſcopos; quam eandem Baſilicam in memoriam Dei genitricis Mariæ fuiſſe dicatam,ſcribit Sozomenus lib.7.cap.5.

Petr Codacius. Ribadeneyra libr.3.cap.5.

Ioannes Polancus.

Alexand. Cardin. Farneſius.

Card Baronius Templum noſtrũ Romæ Anaſtaſiam appellat, & quare.

Nazianzenus.

Sozomenus.

28 His annectere poſſumus,& aliud Deiparæ erga noſtram Societatem nec obſcurum, nec vulgare maternæ benignitatis, ac ſingularis beneuolentiæ argumentum. Paucis enim

Collegium Societatis Ieſu in B.

Virginis Domo Lauretana.

enim poſt annis à fundata Societate, Deipara in Lauretano templo cunctarum nationum peregrinatione celeberrimo,& miraculorum multitudine, ac gloria longe clariſſimo,ad ſpiritualem tot peregrinorum eò confluentium vtilitatem procurandam, noſtrorum opera, ac laboribus vti, vineamq; illam peculiari quadam ratione ſuam, Societati noſtræ excolendam tradere dignata eſt. Cum enim eo in templo ædes illa auguſtiſſima ex Nazareth primum, deinde ex Dalmatia Angelorum miniſterio tranſlata colatur, in qua ipſa nata,& educata,in qua ab Archangelo Gabriele ſalutata Deum concepit;quã cum filio tot annos incoluit, quamq; ſibi cordi eſſe innumeris miraculis, ex quibus aliquot cap. 20. memorauimus,omnibus teſtatum eſſe voluit. Iulius III. Pontifex Maximus Cardinalis Carpenſis ſacræ ædis Protectoris admonitu anno reparatæ ſalutis 1554. teſte Ribadeneyra lib. 4. vitæ B. Ignatij cap. 10. Collegium Societatis IESV Laureti erexit, ſuprema ædium ſanctæ domus contignatione noſtris attributa, expenſasq; ad vitæ neceſſarias ipſa Domo Lauretana ſuppeditante,vt eſſent; qui aduenarum,& indigenarum confeſſionibus aſſiduam, ac diligentem operam darent, eosq; chriſtianæ vitæ officijs ſanctè inſtituerent, & ad pietatis ſtudium ſedulò inflammarent. Necnon conſtitutis ibi è noſtra Societate ſacerdotibus,exterarum linguarum peritis, Tranſalpinorum,aliorumq; diuerſarum nationum confeſſiones ſine interprete audire poſſent.quod deinde Collegium poſteà Paulo IIII. Pontifice approbante, maiori noſtrorum numero eſt auctum, Magno,inquit Turſellinus lib. 3. hiſtor. Lauret. cap. 12. & 21. & religionis peregrinorum incremento, & Lauretanæ Domus emolumento: ex eo enim tempore ſatis conſtat,& aduenarum frequentiam,qui cum ſuæ quiſque gentis ſacerdotibus de animæ ſuæ ſalute agere poſſunt,& donorum copiam ſolito longè fuiſſe maiorem.

Ribadeneyra.

P. Claudius Aquauiua Generalis ad pietatem erga Virginem noſtros hortatur.

Ad hanc vero erga Deiparam pietatem in noſtra Societate fouendam,atque augendam, plurimum conferunt mutuæ noſtrorum adhortationes: & vt alios taceam, Claudius Aquauiua eiuſdem Societatis Præpoſitus Generalis in Epiſtola, quam anno 1586. de ſtudio perfectionis, & charitatis fraternæ ad Societatis noſtræ Patres, fratresq; dedit; eos ad præcipuam quandam erga Virginem beatiſſimam pietatem;atque fiduciam, veluti rationem quandam efficaciſſimam,quę ipſos ad perfectionem etiam,atque etiam promouere poterit,quaſi nouis facibus inflammare ſtuduit,ad quod nonnullas affert rationes,illam præſertim, quia complures ſancti hac Deiparæ deuotione magnos in pietate progreſſus fecerunt, & quia B. Pater Ignatius Societatis noſtræ Parens plurimum ſibi præſidij in tanta rerum omnium Domina,atque Regina ſibi collocauerat.

B. Ignatius Deipare addictus.

Societas in difficultatibus ſuis per Virginem ab eis liberata.

Et certè Societas crebris neque ambiguis, aut vulgaribus ſignificationibus tanti nominis,ac patrocinij vim experta eſt. anno enim 1587. difficillimis iactabamur procellis potentium hominum ſtudio concitatis:cumq; P. noſter Generalis Claudius Aquauiua quotidianas B. Virginis litanias vniuerſæ Societati recitandas indixiſſet,auxilium ſenſimus; fœdiſſimi turbines conquierunt. Poſt aliquot annos ſimilis nos tempeſtatis æſtus excepit: emerſimusq; ſimul ac anno 1602. indicta poſt litanias quotidianas in ſingulis domicilijs ab omnibus recitari ſolitas ſtata,ſolemniq; prece Salue Regina, vel Aue maris ſtella huius auxilium Virginis ſuppliciter implorare cæpimus.

Deprecatio ad Virginem pro Societate.

Euge Mater ſanctiſſima; ſic nos,vt cæpiſti, complectere, ſic tibi penitus deditos, ac ſemper addictos tuere; è laboribus, ſtudijsq; noſtris vberes pietatis tuæ fructus, cuius ſemen in B. Ignatio poſuiſti,ſic perpetuò repoſce, ſic collige, ſic terram hanc noſtram nunquam effætam velis, quam opis tuæ perpetuis officijs tanquam imbribus irrigaſti; Tui ſumus,quod è filio tuo multa bona ſuſcepimus; quod multa plura ſperamus; tuum eſt,tuum erit. Auge Mater pijſſima,tuum beneficium;tuere Virgo mater ſanctiſſima.

B. FRANCISCVS XAVERIVS SOCIETATIS IESV.

B. Franciſcus Xauerius Virginis ſtudioſiſſimus.

29 BEatus Franciſcus Xauerius, vnus ex nouem B. Ignatij Loyolæ ſocijs ſanctitate, & miraculorum gloria inclytus, qui primus è Societate Ieſu Euangelij lumen in remotiorem Indiam, & in Iaponiam intulit, B. Virgini Dei genitrici ſecundum Chriſtum,teſte noſtro Horatio Turſellino in eius vita lib. 6. cap. 5. maximè fuit addictus; cuius opem,& viuus,& moriens in omnibus ſuis rebus implorare ſolebat. & vt omittam

P. Horatius Turſellinus.

vota

vota bonis omnibus renunciandi,ſaluti animarum vacandi, & Ieroſolymam proficiſcēdi,quæ cum alijs primis Societatis noſtræ Patribus,eiuſdem conſilij ſocijs Pariſijs anno 1534. in B.Virginis templo,quod mons Martyrum dicitur; nuncupauit ipſo die Aſſumptioni Virginis ſacro,quo eandem promiſſorum ſuorum,& teſtem,& præſidem haberet; complura, quæ eius erga Virginem pietatem declarant,teſtantur. In tradendis ſymboli articulis,& decalogi præceptis illa ferè ratione vtebatur, quemadmodum in quadam Epiſtola ipſe ſcribit,vt primo præcepto decantato,primum Chriſti opem inuocaret, recitata oratione Dominica;deinde cum reliquis caneret: *Sancta Maria mater Ieſu Chriſti impetra nobis à filio tuo, vt primum eius præceptum ſeruemus ſedulò*, inde ſalutationem angelicam adijciebat,eademq; ratio in reliquis nouem præceptis ſeruabatur.Inſtitutionis verò, qua doctrinam chriſtianam tradebat, clauſula erat: *Salue Regina*, qua B. Virginis opem,& auxilium omnes implorabant.

Vota coram Virgine lutetijs nũcupat.

Virginem nuncupat in docendadoctrina chriſtiana.

Lib. 1. epiſt. B. Xauerij epiſt. 5.

Cùm Meliapore noctu ante aram Virginis ſupplicaret, & à dæmonibus acriter verberaretur,Deiparam ſui certaminis ſpectatricem implorabat, illis verbis identidem repetitis: *Domina opitulare, Domina mihi non opitulaberis?* In dubijs rebus Deum conſulebat,adhibita beatiſſima Virgine deprecatrice,quod & feciſſe ſcribitur Meliapore, cum anceps animo eſſet,pergeret ne ad Mazacares, an in Indiam rediret. Obſeſſum à dæmone adoleſcentem, qui linguæ vſum amiſerat,& periculoſo morbo laborabat facto Virginis ſacro,excuſſo dæmone,integræ ſoſpitati reſtituit. In Iaponiam vbi tot præclara facinora ad Dei gloriam edidit, ipſo Aſſumptæ Virginis die, multis difficultatibus, quibus eam nauigationem Satanas impedire conatus eſt,Virginis ope ſuperatis, peruenit. In reditu ex Iaponia cum ſcapha,in qua quindecim erant viri, præter duos Saracenos, ab oneraria,in qua ipſe vehebatur,retinaculo rupto vi tempeſtatis eſſet abrepta, & momento pene temporis omnium conſpectum effugiſſet, omniumq; opinione deſperatum de ea iam eſſet,fuſis à Xauerio precibus ad Deum,& Deiparam Malacenſem,cui tria ſacrificia vouit; poſt triduum è certiſſimo naufragio incolumis ad onerariam, Dei Deiparæq; beneficio redijt.

Hier. Turſell. Lib. 2. vitæ cap. 15.

Contra dæmonẽ Virginis opem implorat.

Lib. 2 cap. 16.

Energumenum, ac mutum adoleſcentem Virginis ſacro celebrato ſanat.

In Iaponiam die Aſſumptionis peruenit.

In ſuprema ſua ægritudine moribundus biduum voces illas ſubinde iterabat: *IESV fili Dauid miſerere mei:* Et *Mater Dei memento mei;* tandem IESVM,& MARIAM ſæpè inclamans,in Sanciano Inſula apud ſinas,dum in illorum conuerſionem,non ſine maximo capitis ſui,vel perpetuæ ſeruitutis diſcrimine,ſe totum tradere meditatur, atque ardenter exoptat die 2. Decembris anno Domini 1552. ætatis ſuæ 55. Indicę verò ſuæ peregrinationis vndecimo ſancte obdormiuit in Domino.

In morte Virginem inuocabat.

B. CONSALVVS SYLVERIA MARTYR Societatis IESV.

30 BEatus Conſaluus Sylueria Societatis Ieſu Sacerdos,martyrij palma illuſtris; cuius vitam Nicolaus Godignus eiuſdem Societatis eleganti ſtylo nuper in lucem edidit,egregia in Deiparam pietate, & obſeruantia fuit. Is Patre Sorteliæ Comite,clariſſimo genere in Luſitania ortus,adoleſcens Societatem ingreſſus,in religioſam perfectionem adipiſcendam alta ſui deſpicientia,rerum humanarum contemptu, ſeuera corporis ſui caſtigatione, proximisq; iuxta Societatis inſtitutum omni opera ad Chriſtum adducendis ſtrenuè incubuit.In Indiam ad Chriſti fidem inter Barbaros diſſeminandã traiecit,ibiq; Prouincialis munere ſumma fide,nec minore exemplo perfunctus in Monomotapam Africæ regionem profectus,Regem Deiparę aſpectu ſecundum quietem permotũ,quod tract.de Mirac. fuſius ſcripſimus,cum matre, & trecentis proceribus baptiſmo luſtrauit,ab eodem deinde Rege mendacijs Mimguamis Mahumetani, aliorumq; trium mori iuſſus eſt, cædem ſuam cum adhuc in Luſitania eſſet,diuinitus edoctus, ad eamq; iam imminentem, amicisq; prædictam ardentiſſimis precibus ſe comparauit. demum à barbaris ſtrangulatus die 15.Martij anno redemptionis noſtræ 1561. in Moſengeſſem præterfluentem proiectus eſt,cum eodem die quinquaginta feciſſet chriſtianos,quorum ſingulos Deiparæ Roſarijs donauerat. hæc ex Maffeo lib. 2. epiſtol. Surio in hiſtoria anno 1540.& ex Godigno. De eius verò in Deiparam pietate ex Godigno hæc accipe.

Beat. Conſaluus Sylueria e Soc. Ieſu.

A Monomotapæ Rege martyrio inſignitus.

Maffeius.

Godignus.

In

Summa Conſalui Sylueriæ erga Deiparam pietas.

In lib. 2. eius vitæ cap. 2. agens de ipſius in Monomotapam nauigatione, Chiaulo, inquit, feliciter ſoluit Idibus Ianuarij, anno Chriſti nati 1560. toto nauigationis tempore pietatis, & religionis operibus ſeſe exercuit. In beatiſſimam Virginem Deiparam, quam viæ ducem, ac præmonſtratricem delegit, eius ſtudium præcipuè enituit: meditandis enim illius virtutibus, & ornamentis integram diebus ſingulis horam à prandio decreuit, quandiu duraret nauigatio. Primos tredecim dies, coactis ex mandato Nauarchi ad horam certam, atque ad certum nauis locum quotquot in ea ex militum, & nautarum genere vehebantur, non minori omnium voluptate, quàm fructu, de Magnæ Matris laudibus ſumma animi contentione dixit; inſtituitq; eodem Nauarcho aſſentiente, primum vt vnoquoque Sabbato, deinde vt diebus ſingulis eiuſdem ſanctiſſimæ Virginis Litaniæ ſolemniter decantarentur. Nec verò beatiſſima Virgo pietati deſtit ſuorum; ipſo enim Purificationis die nauigantibus monſtrauit terram, cuius aſpectu plures dies caruerant. ſed repentinus caſus gaudium turbauit; tanta enim de repente, tamq; inſolens, ea anni tempeſtate exorta procella eſt, vt integram noctem mari toto errarint, incerti de via. Cumq; ventorum vi nauim retro agi crederent nautæ; ecce tibi illuceſcente die iterum Mozambici terra, & in ea eminens templum Deiparæ Virginis, cui à propugnaculo cognomen, religioſe dicatum, ſumma omnium lætitia, & acclamatione cominus monſtratur; vt nemini dubium fuerit, quin Virgo ſanctiſſima medijs in vndis nauim rexerit, tutamq; ad portum adduxerit; & ſingulari beneficio gratam ſe ſuorum laudum prædicatori ſimul, & auditoribus exhibere voluerit. Obſeruatum eſt, quo primum tempore apparere terram nauicularius clamauit, Conſaluum recitandis horarijs precibus intētum, tunc illum pſal. 104. verſiculum dicere: *Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem vt luceret eis per noctem*, quæ ille omnia præſenti Deiparæ patrocinio accommodabat. Vtq; igitur ad portum appulſa nauis, & facta deſcenſio eſt, Conſaluus ſubito ad illud ipſum Virginis templum, quod apparuerat, nudis pedibus ſe confert, aliquot ibi dies permanet, aſſiduæ intentus orationi, nec ſummis Pantaleonis Salæ viri primarij Conſalui propinqui precibus moueri poteſt, eius vt domum diuertat. hæc Godignus; qui & alibi lib. nimirum 3. cap. 2. vbi eiuſdem Conſalui affectus in res ſacras recenſet, hæc de eodem habet. quanto ſtudio, inquit, Deiparam Virginem proſecutus ſit, cum multa alia: tum frequentiſſimi de ipſa publicè, & priuatim habiti ſermones argumento ſunt. De ſanctiſſima enim Virgine, vbi ſe occaſio dabat, libens gaudensq; loquebatur. Interno autem animi in illam affectui externus cultus ex æquo reſpondebat. vbicumque enim aliquam eius imaginem intuebatur, demiſſis modeſte oculis, & magna capitis, & totius corporis inflexione, flexis etiam nonnunquam genibus, illam venerabatur. Erat in ambulacro Goani Collegij Virginis effigies, venerationis ergo vulgo expoſita: in eius conſpectum quoties Conſaluus ſe dabat, nocturno præſertim tempore, quo minus poſſet obſeruari, ſubſiſtebat pauliſper, & ſupremam rerum Reginam, ac Dominam agnoſcens, venerabundus ante illam procumbebat. Idem ſæpe animaduerſum, cum in eiuſdem Collegij horto precarios globulos deambulando percurreret; quoties enim angelicam ſalutationem inchoabat, toties ante ſacram effigiem genua flectens, pium erga B. Virginem animum oſtendebat. hactenus de Conſaluo Godignus.

Pſal. 104.

B. STANISLAVS KOSTKA SOCIETATIS IESV.

B. Stanislaus Koſtka Virginis ſtudioſiſſimus.

31 BEatus Staniſlaus Koſtka Polonus è Societate Ieſu, ad quam Deiparæ voce (vt dicemus) miſſus eſt, incredibili erga eandem amore, atque obſeruantia ferebatur, quod ex ijs, quæ ex vita eius à noſtro Franciſco Sacchino pie, & grauiter conſcripta ad verbum ferè excerpſimus, & hic ſubijcimus, facilè intelligi poteſt: cum enim eſſet in Maſſouia Polonici Regni Prouincia catholicis parentibus, & ex peruetuſta, ac ſenatoria proſapia nobilibus ortus Viennam ad Seminarium in diſciplinam Patrum Societatis Ieſu ſtudiorum cauſa tredecim circiter annos natus mittitur, vbi mira eius erga Virginem pietas, atque deuotio eluxit: dum enim Viennæ puer litteris operam daret, ſemper in manibus Roſarium habebat, vel pios libellos: qui precationes, aut laudes Parentis ſanctiſſimæ continerent. In ſcholaſticis quoque exercitationibus eius laudes potiſſimum

P. Franciſcus Sacchinus in eius vita.

Quæ in ſcholis erga Virginem agebat.

tracta-

tractabat. Aegrotanti cum angelica manu singulari Dei beneficio, astante sancta Barbara virgine,& martyre; quam peculiari affectu colebat,sac. osancta Eucharistia præbita esset; non ita multo post apparuit ei beatissima Virgo paruulum filium in sinu gestãs, consolans clientem suum,& recreans:& quo vberiori eum suauitate perfunderet, puerum Iesum in eiusdem lectulo collocauit. Inde ægro non animi solum mirifica allata consolatio est, sed etiam corporis reddita valetudo, & cumulauit cœli Regina beneficium.In digressu enim nominatim eum admonuit, vt in Societatem Iesu ingrederetur: in quam,multis difficultatibus,& laboribus superatis,constantia admirabili, Romæ, quo eam ob causam pedes, quamuis tenellus,& delicatus Vienna per Dilingam se contulit milliaribus in eo itinere mille,& ducentis confectis,demum admissus est: vbi verò cum reliquis nouitijs viuere cepisset erga Virginem beatam ita studium,pietatemq; auxit,atque animum filij prorsus induit, vt suam Matrem appellare eam in omni sermone consueuerit,idq; tanto cum sensu,adeoq; simplici ingenuitate, vt audientibus partem suæ suauitatis aspergeret.Cùm frequentissimè de ea loqueretur noua semper,& magnificentissima quædam,quibus eam appellaret;excogitabat nomina,& gradus in quibus collocaret,altissimos: apparebatq; graue illi esse, quod adæquare sui iudicij præstantiam nequiret verbis,nec celsius quiddam,vbi illam reponeret,inueniret. Ad salutationem angelicam, sacrum Rosarium, precesq; aliàs cum psalmis in laudem Virginis consuetas suauissime afficiebatur: cumq; quam liceret creberrimè in ijs exequendis occuparetur, obseruabant Patres,id quoque eum præstare cum quadam venustate oris, & gratia extraordinaria,planè vt ei ab plena gratiæ Regina,cuius inseruiebat laudibus,præter morem indita videretur. Denique etiam exoptauit die,quo illa assumpta est in cœlum,solui vinculis corporis, idq; vt optabat, & prædixerat est consecutus nocte, quæ præcedit Assumptionis sacram diem anno 1568. Romæ in Domo Probationis S.Andreæ mense ab Societatis ingressu decimo, Matrem, ac Dominam suam secutus est ætatis suæ anno 19. tam leui prægresso morbo,vt omninò medicorum consilio præter naturam eo tempore,tamq; leui ex causa mors illi contigerit.suprema nocte,qua decessit, sacræ Crucifixi Imaginis plagas summo cum sensu exosculatus simili affectu oblatam, qua valēs vtebatur,Virginis Imaginem complexus,atque osculatus est, & altera manu Rosarium cum piacularibus granis,altera sacrum cereum sustinens inter sanctissima IESV, & MARIAE ingeminanda nomina,animam Deo reddidit. Apparuisse quoque moribundo B. Virginem aliqui prodidere:cuius sanctitatem pluribus eius intercessione editis miraculis,quę alijs referenda relinquimus,contestatam Deus voluit.

E manibus Angelorum communicat.

P. Virgo cum filio ei apparet.

B. Virgo monet eum, vt in Societatem ingrediatur.

B. Stanislaus B. Virginem matrem suam appellabat.

Mirificè de B. Virgine loquitur.

In obitu quem sibi prædixerat Deiparam videt.

Obijt in pernigio Assumptionis sanctissimæ Iesu, ac Mariæ nomina voce iterans.

B. ALOYSIVS CONSAGA SOCIETATIS IESV.

32 BEatus Aloysius Gonsaga è Societate Iesu Marchionis Castilionis Principis Imperij filius primogenitus,idemq; futurus hæres, sicuti peculiari B. Virginis ope in lucem est editus; ita quo ad vixit eãdem Virginem peculiari animi affectu coluit,eiusq; virtutes conatus est imitari: etenim cum eius mater partus difficultate ita laboraret, vt omnibus medicamentorum præsidijs,frustra adhibitis, ipsa cum fœtu in vtero ex medicorum sententia morti esset proxima, Marchione eius viro assensum præbente, se Lauretanam Virginis domum,vna cum puero,si superuiueret inuisuram vouit. Voto emisso B.Aloysium enixa est,quem tamen paulo post moriturum medici pronunciabant. Sed Virginis sanctissimæ ope,& mater periculo, & filius morti subtractus est. cum adhuc esset puerulus tantum in Virginem pietatis,ac deuotionis affectum concepit, vt cum de ea loqueretur,seu cogitaret; imò vel eius nomen audiret,spirituali quodam deuotionis sensu totus commoueri, & colliquescere videretur. vix decem annos natus Florentiæ, vt Deiparam aliqua in re ei gratissima imitaretur,perpetuæ virginitatis votum Deo in honorem eiusdem Deiparæ,coram celebri Imagine Virginis Annunciatæ, quæ summa omnium pietate in ea vrbe colitur, nuncupauit. quin imò Virginis præsidio, non solum virginitatem perpetuò integram,& illibatam seruauit, verum etiam nullis carnis stimulis vnquam commotus, nullis turpium rerum imaginibus est perturbatus; quemadmodum testati sunt ij,qui eius confessiones audierunt:singulis etiam diebus sabbati in honorem Virginis ieiunabat.

B. Aloysius Gonsaga Virginis deuotissimus. Ex vita ipsius à P. Virgilio Cepario par 1.c.2.

Virginis beneficio nascitur.

Miro deuotionis affectu de Virgine loquitur. Par. 1. cap. 2. & cap 6.

Par 1. cap. 2. Virginitatem Deo in honorem Virginis vouet.

Non sentit carnis stimulos. 1. par. cap 6.

Medio-

Par. 1. cap. 10. Dum Deipara se commendat, ad Societatem Iesu euocatur.

Mediolani dum esset adhuc in seculo, crebrò pietatis loca, præsertim verò templum Virginis ad S. Celsum eo tempore miraculis plurimis illustre, adire solebat. Madridij in Hispania cum decimum quintum ætatis annum ageret, Dei voluntatem circa vitæ suæ statum certius cognoscere cupiens, ad eam rem statuit die aliquo Virgini sacro per eandem Virginem id à Deo magna cum animi contentione quærere. instabat dies Assumptioni Virginis sacer anni 1583. quare multis precibus adhibitis, magna cum præparatione ad sanctissimam Eucharistiam eo die percipiendam se comparauit, qua sumpta, se totum in preces dedit; enixè rogat Deum optimum, vt per suæ Genitricis intercessionem ipsi significare dignetur, quam nam vitæ rationem inire debeat, quo gratum suæ maiestati obsequium præster. at ecce quasi clara, & manifesta vox ab eo exauditur, qua vt in Societatem Iesu ingrederetur ei dictum est: hac re lætus effectus post multas absorptas difficultates, quibus eius ardens desiderium est dilatum; tandem sit voti compos Romæ die 25. Nouembris 1585.

In Domo eius Madridij Domus Probationis erigitur.

Illud quoque hic obiter indicandum, in domo illa, quam B. Aloysius Madridij incoluit, post aliquot annos à pijssima, atque illustrissima fœmina Anna Felice de Guisman, Marchionissa Cantamassensi Domum Probationis Societatis nostræ institutam fuisse, cubiculumq; illud, in quo idem degebat in eius memoriam veneratione haberi.

Deiparæ imitanda studium.

Quo autem studio B. Aloysius Deiparam imitari niteretur, ex quibusdam præceptis calamo exaratis, quæ ad humilitatem comparandam sibi ipse constituerat, licet colligere: in quibus inter alia scriptum inuenitur ad humilitatem acquirendam plurimum habere momenti beatissimæ Virginis patrocinium, ad quam propterea peculiariter confugiendum dicebat; quippe quæ sicut præ omnibus puris creaturis in hac virtute enituit, ita præcipuè eos promouere studet, qui huius virtutis magno flagrant desiderio, eaq; de causa ad eius opem, patrocinium q; confugiunt. hæc ex eius scripto. Demum consumptus in breui expleuit tempora multa, pluribus enim meritis, atque virtutibus ornatus Romæ die 21. Iunij 1591. ætatis 24. excessit è vita; quem multis miraculis Deus clarum reddere est dignatus. hæc omnia in vita eiusdem religiosè, ac diligenter à nostro Virgilio Cepario edita plenius habentur.

Virgilius Caparius.

S. CAROLVS BORROMAEVS CARDINALIS
Archiepiscopus Mediolanensis.

S. Caroli Borromæi virtutes describuntur.

335. Carolus Borromæus S.R.E. Cardinalis tituli S. Praxedis Archiepiscopus Mediolanensis, Pij IIII. summi Pontificis ex sorore nepos, nobilissimo genere natus, nostra ætate quasi lucidissimum sidus toti præfulsit Ecclesiæ. enim verò Prælatorum omnium fuit exemplar absolutissimum, Cardinalitiæ dignitatis decus præclarissimum, instaurator vigilantissimus ecclesiasticæ disciplinæ, iurium Ecclesiæ propugnator acerrimus, pastorali cura in primis insignis, zelator in diuino cultu promouendo feruentissimus; cuius causa nec sumptibus, nec laboribus vllis vnquam parcebat, in difficultatibus exantlandis constans, ac strenuus, in periculis pro Dei gloria subeundis impauidus, atque inuictus, animæ suæ propter Christum, & gregem suæ fidei commissum planè prodigus, in Episcopalibus functionibus assiduè administrandis indefessus, vitæ sanctitate, atque innocentia eximius, orationis assiduitate præstans, sui corporis afflictatione admirabili, incredibili pene ciborum abstinentia, eximia in pauperes beneficentia, miraculorum gloria maximè illustris, omni denique virtutum genere cumulatissimus. Is anno nostræ salutis 1584. die 4. Nouembris migrauit in cœlum, postmodum anno 1609. miraculis toto terrarum orbe clarus à Paulo V. Pont. Max. in sanctorum numerum omnium ordinum consensione, ac gratulatione ascriptus est: & sanè populorum ad eius clientelam, fidemq; confugientium pietas, atque studium Romæ, Mediolani, Neapoli, alijs Europæ locis tanto studio fertur, vt non nisi peculiari Dei prouidentiæ, quæ sanctos suos in laboribus honestare consueuit, tribui possit. Et hæc quidem omnia, atque his plura, quæ ne longius digrediamur consulto prætermimus, ex eius vita à multis diligenter conscripta abundè cognoscere licet.

Is igitur talis, ac tantæ sanctimoniæ Vir, ne quid ad virtutum, quibus maximè claruit

cumu-

cumulum deeſſet,Virgini Deiparæ impensè addictus eſſe voluit; cuius rei argumento cum multa eſſe poſſint, nos ijs dumtaxat contenti erimus, quæ in vita S.Caroli Italico conſcripta idiomate à Ioanne Petro Giuſſano nobili Mediolanenſi ex religioſiſſima cõgregatione oblatorum S.Ambroſij ab eodem ſancto Carolo inſtituta pie,ac luculenter mandata ſunt litteris,quæ nos ad verbum ferè latinè reddita in hoc noſtrum opus coniecimus. Hic igitur Auctor cum de virtute religionis,quæ in S. Carolo potiſſimum enituit plura commemoraſſet,hæc de eius in Deiparam pietate lib.8.cap.2.ſubiecit. *Eximia S. Caroli erga Deiparam pietas.*

Fuit B.Carolus ſanctiſſimæ Deiparæ ſtudioſiſſimus, eam ſibi peculiarem patronam adoptauerat,eiusq;perfugio in cunctis ſuis anguſtijs magna animi fiducia vtebatur.Virginis etiam officium recognouit,& in optimam formam reſtituit, illudq; flexis quotidie genibus recitabat, addita etiam corona, quam ne in ipſo quidem itinere omittebat. ſi verò longius fuiſſet iter,quod iniuerat; conſueuerat dum eam recitaret Roſarij myſteria animo meditari.Omnibus Deiparæ peruigilijs pane,& aqua victitabat; & quoties ſalutationis angelicæ ſignum daretur,confeſtim vbicumque locorum, etiamſi in lutulenta eſſet via,genua flectebat,eamq; recitabat: de equo etiam,ſi in equo offenderetur,continuò deſiliebat, quo flexis genibus Virginem ſalutaret. pari pietatis officio ſi quem per triuia Sacerdotem,qui ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum ægroti domum deferret, offenderet,cæptum deſerebat iter;vt Chriſtum Dominum, donec ad templum rediret, proſequeretur:neque inde prius abſcedebat, quàm is in ſacram capſulam ritè reconderetur.In ſua quoque metropolitana Eccleſia (quod eius erat in Deiparam ſtudium, ac pietas) certam erexit aram ad titulum Roſarij,cuius ſodalitatem illic inſtituit; impetrauitq; à ſummo Pontifice indulgentias omnes,ac priuilegia,quæ eidem Roſarij ſodalitio in Romano B. Virginis ſupra Mineruam Templo iam pridem conceſſa fuerant. ſingulis menſibus primo quoque Dominico die haberi voluit,adhibita Virginis Imagine ſupplicationem,quæ quidem ad hanc vſque diem conſuetudo perdurat:ei arę largitus ipſe eſt pictam tabulam,vbi Florentinæ Annuntiatæ effigies ad viuum expreſſa, ſibi multo ante donatam à magno Etruriæ Duce Franciſco Medicæo. Inſuper curauit, vt in omnibus collegiatis,ac parochialibus Eccleſijs, coacto ad æris campani pulſum clero, ac populo, præcineretur Antiphona Virginis,quæ pro tempore occurreret,vt ad Mariæ nomen, & inter celebrandum Sacerdos,& inter miniſtrandũ clericus caput inclinarent,quo & Virgini honor,& populo exemplum eiuſdem rei faciendæ exhiberetur.vt deniq;ſupra Eccleſiarum parochialium fores Virginis effigies pennicillo exprimeretur. Populum hortabatur,vt præcipuis Deiparæ ſolemnitatibus cęleſti ſe pane reficeret.inſtituit,vt omnes etiã milites Virginis Imaginem ſecum ipſi continenter haberent,eiusq; officium quotidie recitarent. omnia denique, quæ ipſe condiderat collegia,ſodalitates,confraternitates, & loca pia ſub Virginis patrocinio,præſidioq; conſtituebat;eamq; ipſis in Aduocatam tribuebat;præcipiebatq; vt ſinguli ſodales,ac fratres ad ſtudium erga Deiparam declarandum,eius officum,ac Roſarium recitarent.

Idem auctor infra cum de eiuſdem S.Caroli pietate in peregrinationibus ſuſcipiẽdis ſcriberet,ſubiecit,eum itinera lõga illa quidem,ac maximè difficilia ſuſcepiſſe,vt B.Virgini dicata Templa ſuis pedibus inuiſeret. hæc ex vita S.Caroli excerpſimus.

B. PHILIPPVS NERIVS FVNDATOR Congregationis Oratorij.

341 INter recentiores quoque præcipuè commemorandus eſt B.Philippus Nerius Florẽtinus,qui plenus dierum 26.Maij anno Domini 1595. ætatis ſuæ 80. Romæ diem clauſit extremum,vir multi nominis,& virtutis, & cum paucis conferendus,clariſſimæq; Congregationis Romæ,quæ Oratorij dicitur,& ſapientiſſimus Fundator, & prudentiſſimus Rector eſt habitus,ad cuius exemplum alibi quoq; tum eius alumni, tum etiam alij magno cum fructu eam inſtituerunt,præſertim Neapoli; vbi,vt obiter hoc attingã, magno animarum emolumento præclaro à fundamentis Dei genitrici, & omnibus Sanctis templo excitato,inſigne domicilium compluribus illud vitæ inſtitutum complectentibus poſuerunt; fundatore in primis Franciſco Maria Tarugio è Monte politiano B.Philippi *De B. Philippo Nerio ex vita eius ab Antonio Gallonio conſcripta. Lib.2.vitæ B. Philippi Italici cap.24.* *Franciſcus Maria Tarugius Cardinalis.*

alũno vitæ ſanctimonia, & familiaribus in Templo ad populum ſermonibus inſigni, qui poſteà Clem. VIII. obedientia coactus Archiepiſcopatum Auenionenſem ſuſcepit:mox inter S.R.E.Card. allectus,non ita pridem ſanctè,vt vixerat,Romæ obijt in domo Patrũ Oratorij, quibuscum ſenio iam confectus degebat.Sed vt ad B.Philippum reuertamur, is qua erat in Deum,ac proximum egregia pietate,diuinæ gloriæ propagãdæ,atque hominum ſaluti procurãdæ fuit apprimè deditus;& quod præcipuè rem noſtram attingit, religione,ac pietate erga Dei beatiſſimam matrem eximia.Hic igitur vir tantus,ac talis, cum vti fit Congregationi Oratorij tutelæ præſidium,& notæ familiaris præcipuum aliquod inſigne quæreretur;huius ſanctiſſimæ Virginis nomen,& Imaginẽ radijs vndequaque coruſcantem, filiumq́; in ſinu fouentis inſcripſit: eandemq́; poſteà Imaginem in ſigillo,quo in obſignandis litteris Patres Oratorij vterentur,vſurpandam cenſuit:vt ordo ille verè clariſſimus,eius nomine,ac patrocinio glorietur, in cuius materna pietate fundatus innititur.Qua in re illud memoria dignum accidit,quòd eiuſdem Deiparæ Imago radijs ſimiliter circumfuſa ſupra ianuam Templi B.Mariæ in Vallicella,vulgo dictæ,non ſine illorum Patrum admiratione, poſteà ab eis eſt reperta . quod planè Dei prouidentia,& Virginis fauore factum exiſtimatur . Huiuſmodi enim Imago à B.Philippo pro inſigni Oratorij delecta,eademq́; ſupra Templi illius fores antea collocata Congregationem ipſam,quæ eò migratura,ſedesq́; ibi poſteà fixura erat,præſignificaſſe viſa eſt.quod rei euentus declarauit,cum ad templum illud haud multò poſt B.Philippus cum ſuis cõmigrauit, vbi nunc nobiliſſimo templo extructo Patres illi magno cum Vrbis fructu, & approbatione,familiaribus ad populum ſermonibus ex eiuſdem B.Philippi inſtituto habendis,& Sacramentorum adminiſtratione in proximorum ſalute procuranda,grauiter, ac ſtrenuè ſe exercent : in quo etiam Templo illud in Deiparæ honorem peculiare eſt, quod omnia etiam eius templi ſacella ipſi Deiparæ dicata cernuntur : ſi vnum excipias pretioſiſſimis lapidibus magnificentiſſimè exornatum, in quo B.Philippi corpus decenter aſſeruatur.Et verò B.Philippi egregium in Virginem ſtudium ac deuotionem,beneficia ſingulari benignitate à Deipara,vel per Deiparam in ipſum collata,abundè teſtantur; vt videre eſt in eius vita ab Antonio Gallonio eiuſdẽ Oratorij Sacerdote,viro pietate,ac eruditione inſigni,latino primum,deinde auctius Italico ſermone luculenter cõſcripta;vnde nonnulla,quę hic referimus,iiſdem ferè verbis tranſtulimus.Itaq́; vir Beatus non ipſe ſolum erga Virginem ſtudio ferebatur ſingulari,ſed ad hoc ſuos etiam aſſiduè hortabatur. In Deiparæ honorem precantiunculas aliquas iaculatorias ad opem eius implorandam recitari iubebat,cuiuſmodi eſt illa, quam ipſe frequenter vſurpabat. *Virgo Maria Dei genitrix Ieſum ora pro me.* & illa: *Virgo,& mater da mihi,vt ſemper tui ſim memor;*& aliæ ad varios animi affectus pios excitandos; quorum exẽpla ad calcem vitæ eiuſdem Italico ſermone editæ habentur;ex quibus corollas aliquas crebrò in Deiparæ honorem à ſuis recitari volebat in hunc modum, vt ad numerum globulorum coronæ B.Virginis loco orationis Dominicæ, & ſalutationis angelicæ , quæ recitari ſolent,aliqua ex his precantiunculis identidem repetenda ſubſtitueretur . In ſuo cubiculo (quod poſt eius obitum in oratorium,vbi ſacra fiunt,meritò eſt conuerſum) à Domino, & a B.Virgine ſæpius meruit viſitari: ſed peculiariter anno 1594. cum deſperata à Medicis eius ſalute penè moribundus , Beatiſſimam Virginem ad ſe in lecto iacentem venire conſpexit: mox integram ſanitatem recepit. ipſe verò toto corpore nullo fultus adminiculo ad vnius circiter cubiti altitudinem ſublimis mirandum in modum attollebatur, & Virgini clara voce vberrimis intermixta lacrymis dicebat audientibus , qui aderant,ipſumq́; ita à cubili ſublatum videntibus (inter quos aderat Antonius Gallonius, qui hæc litteris mandauit.) *O chariſſima mihi Virgo tu ad me veniſti, vt me his doloribus liberares? & quis ego ſum, qui tua præſentia ſim dignus?* & ſimilia verba humilitatis , & familiaritatis pleniſſima . Alias anno 1576.cum tignum,cui tectum ædiculæ ſuperponebatur , in qua ſacra à Patribus Oratorij fiebant , altera ex parte totum extra murum,fulciente nemine,ſtaret;vidit noctu Deiparam ſuis illud manibus ſuſtentantem. ex quo præſentiſſimam eius opem in tanto diſcrimine intellexit: ſtatimq́; à fabris tectũ illud , ne ſponte corruens aliquem opprimeret , demoliendum curauit. Cùm aliquid à Deo enixius conſequi vellet,Virginẽ deprecatricẽ adhibebat,quo in genere anno 1572

cum

Antonius Gallonius in vita B. Philippi Nerei.

In cap. vbi de virtute orationis eius.

B. Virgo in ſuo cubiculo ei ſæpè apparet. Lib. 3. cap. 10.

Admiranda Virginis apparitio.

B.Philippus Nerius diuinitus ſublimis è terra attollitur.

cum Cæſar Baronius eiuſdem Oratorij Sacerdos, vir non minus vitæ ſanctimonia, quàm eruditione clariſſimus, qui poſteà in S.R.E. Cardinalium numerum eſt cooptatus, & periculoſa febri ita laboraret, vt de eo iam conclamatum eſſet; B. Philippus ad orandum pro eius valetudine ſe dat, cuius orationis ſeries ipſi Baronio, qui eo tempore ſomno correptus erat, obiecta eſt. videbatur ſibi videre eundem beatum Philippum prope Chriſtum ſtantem; ad Chriſti dexteram ſanctiſſimam Virginem candenti amictu, & beatum Virum obnixè Dominum rogantem in hæc verba: Cæſarem priſtinæ reſtitue valetudini. id quod magna fiducia varijs modis identidem repetebat, nec tamen quicquam impetrabat: quare ad ſanctiſſimam Virginem conuerſus, cum ea ſuppliciter agebat, vt quod ex ſe conſequi non poterat, per eam omninò aſſequeretur, cumq; Virgo impensè oraret filium, tandem exorauit. Somno deinde æger expergefactus, breui omni penitus morbo liberatur. Anno 1576. cuidam aſſiduis capitis doloribus, & febribus vehementer afflicto, manibus ſuis capiti impoſitis, in has prorupit voces: Peccata fuge; ſanctiſſimam Dei matrem magno pietatis affectu venerare: & confeſtim melius habere cæpit, breuiq; incolumitati eſt redditus. Poſt eius obitum rogatus à nonnullis, vt à Virgine ſanctiſſima aliquid exoraret, illicò fructum precum eius ſunt experti. Cùm enim quædam mulier anno 1595. Octobri menſe fœtum mortuum effudiſſet, obſtetrix multis remedijs fruſtra adhibitis, ſanctiſſimæ Virgini pro puero votum fecit: ſed cum non exaudiretur, orauit beatum Philippum, vt beatiſſimam Virginem ipſe rogaret, vt puerum à mortuis excitaret; quo ſacro baptiſmo ablui poſſet: & aliquot beati viri capillis admotis, extemplo mortuus infans redijt ad vitam. mox ſalutari baptiſmatis vnda abluitur. Cuidam puellæ grauiſſimè ægrotanti Deipara cum B. Philippo, ad quem puella cum parentibus confugerant, per quietem viſa ei dixit ſe B. Philippi interceſſione morbum depulſuram, atque ita breui conualuit.

Per Virginem ſanitatem Baronio obtinet.

Ad pietatem Virginis hortatur.

Lib. 2. cap. 39. Dolore capitis ægrum ſanat.

Lib. 3. cap. 33. Per Virginem impetrat defuncto vitam, & cuidam ægrotæ ſanitatem.

Lib. 3. cap. 38. Additis ijs, quæ in vita latino ſermone edita habentur.

CONSTANTINVS IMPERATOR, & Ciuitas Conſtantinopolitana.

35 HAnc porrò erga Virginem pietatem non tantum viri Eccleſiaſtici coluerunt, verum etiam ſeculares Principes præclara eius rei exempla poſteris reliquerunt, quorum nonnulla, omiſſis plurimis, huic capiti inſerenda duxi.

Conſtantinus Magnus Imperator longè clariſſimus cum Conſtantinopolitanam Vrbē Bizantij fundaſſet, Epiſcopos, qui ad Nicenam Synodum conuenerant, euocauit, vt ſuis precibus noua ædificia confirmarent, quemadmodum teſtatur Zonaras lib. 3. Annalium, & Nicephorus lib. 8. Eccl. hiſt. c. 26. *Igitur*, inquit Nicephorus, *encænia, & conſecrationis feſtum diem celebrant; incruento ſacrificio operantur; precibus, votisq; vrbem abundè proſequuntur, & firmant; eandemq; Dei genitrici dedicant, nouam Romam, imperantemq; Conſtantinopolim, cognominantes, Alexandro tum Bizantij Eccleſiam regente.* hæc ille. Idem porrò Conſtantinus, teſte Gregorio Turonenſi in lib. de gloria martyrum cap. 9. Deiparæ Baſilicam admirabili opere erexit, in qua cum columnæ præ magnitudine (habebant enim ſexdecim pedum circuitum) leuari non poſſent; beatiſſima Virgo per viſum oſtendit artifici quasnam machinas adhiberet, quomodo trocleas ſuſpenderet, atque funes, iuſſitq; vt tres pueros è ſcholis ad tantum opus adhiberet: quæ omnia cum ille euigilans perfeciſſet, tres illi pueri columnas, quas multitudo virorum fortium mouere nequiuerat, ſumma velocitate ſubleuarunt. Quantum autem opis à Deipara Vrbs Conſtantinopolitana Virgini, vt dixi, dicata, eiusq; nomine Ciuitas Virginis appellata, conſecuta eſt, facilè declarant Græcorum hiſtoriæ, & Annales apud Theophanem; qui cum aliquod magnum à Deo conſecutum populum Conſtantinopolitanum tradit, id Deiparæ precibus conſecutū, affirmat. Inter alia verò Ciues Conſtantinopolitani à Saracenis, alijsq; Barbaris ſæpè obſeſſi, vel oppugnati cum complura, eaq; celeberrima in vrbe illa eſſent Deiparæ templa, eiusq; cultus apud ipſas imprimis vigeret, ad Deiparam confugientes, eamq; enixiùs inuocantes non ſine magna Barbarorum clade ſunt liberati. quod peculiariter conſecuti ſunt cum ingenti exercitu obſiderentur ab Auaribus Thracibus, qui Hunni dicuntur, anno noſtræ ſalutis 625. dum Heraclius Imperator in

Conſtantinopolis à ſui fundatione Deiparæ dicata. Zonaras. Nicephorus.

Gregorius Turonenſis. Tres pueri ingentes columnas B. Virg. ope attollunt.

Conſtantinopolitana Ciuitas à Virgine defenſa.

bello Persico occupatus ab ea Vrbe abesset, & iterum à Saracenis anno 672. sub Constantino Pogonato: & ab ijsdem anno 717. sub Leonis Isaurici initium cum nondum bellum contra sacras Imagines apertè suscepisset. quæ omnia fusius cap. 20. descripsimus. Et quemadmodum Ciuitas illa quamdiu Romani Pontificis Christi Vicarij, omniumq; christianorum Patris auctoritatem venerata est, Barbaris, atque Infidelibus inexpugnabilis extitit Dei Genetricis præsidio, de qua meritò dicitur Cantic. 8. *Ego murus, & vbera mea Turris:* ita vbi à communione sanctæ sedis Apostolicæ pertinaci animo se subduxit, Deiparæ patrocinio indignam se reddidit, de eaq; illud Thren. 2. dici potest: *Luxit antemurale, & murus pariter dissipatus est*; nam anno 1452. feria secunda Pentecostes infra octauam celebritatis aduentus Spiritus sancti, cuius processionem à filio pleriq; eorum impiè negant, à Mahometto Turcharum Tyranno est capta, & in durissimam Turcharum tyrannidem iusto Dei iudicio sunt traditi. vt vel sic aperiant oculos, & rectè de sancti Spiritus processione, cuius vltionem sunt experti, sentiant; & ad vnitatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ omnium Ecclesiarum matris, ac magistræ reuertantur; sicq; Deiparæ protectionem, ac præsidium iterum experiri mereantur.

Cap. 20.

Cant. 8.

Constantinopolitanorum schisma punitur. Thren. 2.

NARSES DVX EXERCITVS.

Narses Iustiniani Imperat. Dux.

NArses Iustiniani Imperatoris Dux militum inclytus, qui Gothos ferociſſimos diuturnis victorijs insolentes penitus profligauit: Italiamq; à periculo Arianismi, cui illi erant vehementer addicti, & ab eorum tyrannide in libertatem asseruit anno Domini 553. Deiparæ Virginis adeò studiosus fuit, vt eius intercessione, ac peculiari directione in prælijs instructus, ingentes de hostibus retulerit victorias, quod fusius cap. 20. exposuimus. vbi etiam ab infamia euocatorum in Italiam Longobardorum probamus eum fuisse immunem.

LVDOVICVS PIVS IMPERATOR.

Ludouici Pij in Deiparam religio.

36 LVdouicus Pius Caroli Magni filius Templa in Virginis honorem construxit, cui ita addictus fuit, vt ne venatum quidem proficiscereturr, nisi sacram Deiparæ Imaginem secum ferret, vt coram illa in media solitudine suas funderet preces, auctore Crantzio in metrop. lib. 1. cap. 10.

Crantzio.

S. HENRICVS IMPERATOR.

S. Henricus Imperator. S. Chunegunde Imperatrix. Martyrologium Romanum. Nauclerus.

S. Henricus Imperator, cuius memoria in Romano martyrol. die 14. Iunij recolitur cũ S. Chunegunde coniuge, de qua in eodem martyrol. die 3. Martij perpetuam virginitatem singulari Deiparæ ope illibatam seruauit. obijt autem anno Domini 1024. Is in eadem Deipara colenda adeò fuit studiosus, vt teste Ioanne Nauclero generatione 34. ingrediens in vrbem, primam noctem in Basilica S. Mariæ Maioris semper excubare soleret. semel autem visione quadam admirabili dignatus est, quam verbis Naucleri referam, quod ex ea S. Henrici religio, ac pietas in Virginem sanctissimã, eiusdemq; Virginis in eum benignitas perspicuè appareat: Fertur, inquit, de Henrico hoc, quod semper primam noctem ingrediens vrbem, solitus fuerit in Ecclesia S. Mariæ Maioris manere. cõtigit autem semel, quòd dum solitarius oraret, visus sit sibi Christus põtificalibus indutus procedere, missam celebraturus; quem sequebatur S. Laurentius, & loco subdiaconi Vincentius: post hos Virgo Dei genitrix cum multitudine virginum, & Angelorum: dehinc Ioãnes Baptista cũ Patriarchis, & Prophetis: post hos Petrus, & Ioãnes cum cęteris Apostolis, & Euangelistis; S. Stephanus cum martyribus, S. Martinus cũ confessoribus. Angeli inceperunt introitum: *Suscepimus Deus misericordiam tuam*, & dum cãtaretur, *Dextera tua plena est iustitia*, oẽs Christum, & B. Virginem imitantes, extenderunt digitos in Hẽricum: post euangelium indicibili iubilo Angelus librum deosculatũ à Christo, præsentauit B. Mariæ, & post eam omnibus per ordinem deosculandum: demum innuit B. Virgo Angelo, vt porrigeret librum etiam Henrico ad osculandum dicens: Præbe ei pacis

Visio Henrici Imperatoris.

osculum

oſculum,cuius mihi virginitas placet: & cum præ nimio gaudio raptus, neſciret ad plenum intendere,Angelus ipſum in neruo tangens, dicit: Hoc tibi erit ſignum dilectionis Dei propter tuam caſtitatem,& iuſtitiam. & exinde vſque ad mortem claudicabat: ex quo euentu vocatus eſt Henricus claudus. hactenus Nauclerus. Idem S. Henricus plurima erexit Templa, de quibus, ac de eius caſtimonia Gottifredus Viterbienſis in ſuo chronico ſic cecinit. *Eiuſdem virginitatem Deipara gratiſſimam ſibi eſſe indicauit.* *Gottifredus.*

„ *Coniuge virginea Virgo permanſit,& ille*
„ *Catholicas dedit Eccleſias numero quaſi mille*.

Inter alia porrò Templa Spiræ primarium templum in Deiparæ honorem regia magnificentia conſtruere cæpit,quod poſteà Conradus II.perfecit. ex quibus omnibus non tantum eius in Virginem ſtudium, verùm etiam quantum illud Virgini acceptum fuerit facilè cognoſci poteſt. *Conradus II. Imperator.*

S. STEPHANVS REX HVNGARIAE.

375. Stephanus Rex Hungariæ ſe ipſum,Regnumq; ſuum per votum,& oblationem in Deiparę tutelam aſſiduis precibus obtulit:Eccleſiam in honorem Virginis in Albaregia Vrbe magnificentiſſimam extruxit,& regia munificentia exornauit. Aſſumptionis feſtum Hungaris celeberrimum eſſe,& diem Dominæ ab ijſdem appellari voluit. quos Virgini deuotiſſimos ex inſtitutione S.Stephani, & S.Gerardi martyris Epiſcopi Canadienſis teſtatur Hungarorum capitis ſubmiſſa inclinatio ad nomen Virginis,vt ſupra diximus in S.Gerardo,& alia,quæ refert Caniſius lib.5.de B.Virgine cap.28. *S. Stephanus Rex Hungariæ Virgini Regnũ ſuum obtulit.* *S.Gerardus martyris.* *Caniſius.*

IOANNES COMNENVS IMPERATOR CONSTANTINOPOLITANVS.

IOannes Comnenus Imperator Conſtantinopolitanus poſt inſignes victorias,quas de Scythis,alijsq;hoſtibus Virginis ope,quemadmodũ tract.de Miracv.berius diximus, reportauit,Deo,ac Deiparæ vota perſoluit,inſtituto feſto,quod Pazzinacarum vocant, in rei geſtæ monumentum,& grati animi teſtimonium.quas victorias Deiparæ,vt vnicę victrici acceptas referens,eidem religioſum anno Domini 1123. parauit triumphum; qui à Niceta Choniate deſcribitur:*Currus gemmis pretioſiſſimis ornatus à quatuor equis candidiſſimis trahebatur,habenas viris potentiſſimis moderandas, & cognatis ſuis currum curandum dedit. In curru Dei genitricis imaginem collocauit,ipſe crucem manu geſtans, pedes anteceſſit, & ſanctæ Sophiæ Templum ingreſſus, atque in conſpectu omnis populi ob ſucceſſus gratijs Deo actis,in Palatium abijt.* hæc Nicetas. Idem ante eum fecerat Ioannes cognomento Zimiſces Imperator Conſtantinopolitanus anno Domini 971.propter ingentem victoriam de Barbaris Deiparæ præſidio partam,de qua in tract.de Mirac. *Ioannes Comnenus Imperator Conſtantinopolitanus Virgini triumphum de acceptavictoriæ exhibet.* *Nicetas Choniates.* *Ioannes Zimiſces Imper.*

HENRICVS INFANS PORTVGALLIAE, & Indica nauigatio.

38 HEnricus Ioannis Luſitaniæ Regis eo nomine primi filius non ſolum bellica virtute:verum etiam vitæ ſanctimonia illuſtris;& in Deum, cœlitesq; omnes, ac beatiſſimam præcipuè Dei genitricem obſeruantia fuit ſingulari;ac teſte noſtro Maffeo lib. 1. hiſtor. Indic. in ſumma corporis firmitate, ſummaq; licentia illibatum virginitatis florem ad extremum vſque ſpiritum retinuiſſe creditur. quod de eo conſtanter affirmat etiam Hieronymus Oſorius lib.1.de rebus geſtis Emmanuelis. is noua Orientis maria, & ignotas,ac longinquas rerras explorandi cupiditate,& cęleſti etiam monito per quietem ſibi facto incitatus anno à Chriſti natiuitate 1410. aliquot inſtructis, & adornatis nauibus aggredi cæpit, Cœli Reginam precatus, vti volens, ac propitia cœptis adeſſet. Itaq; eius iuſſu Nauarchi in ſingulos annos ad remotiora Africę littora nauigantes,oras illas,atque regiones antea ignotas legentes vſque ad Leænam promontorium ſingulari Dei beneficio peruenerunt ad annum vſque 1460.quo Henricus varias in nationes via Euangelio munita, Templisq; aliquot in locis extructis, & præſertim illo,quod Deipa- *Hẽricus infans Luſitaniæ Deiparæ cultus ſtudioſiſſimus.* *P. Maffeus.* *Hieronymus Oſorius.*

ræ dicauit,quatuor paſſuum millibus Oliſſipone ad fauces portus,vnde naues in Orientem ſoluunt,diem clauſit extremum.eius animi magnitudinem Luſitaniæ Reges imitati nouas terras exquirendi,& chriſtianæ fidei propagandæ ſtudio vlterius progreſſi,tãdem ſub Emmanuele Rege anno 1498.in Indiam, & Calecutium vſque peruenerunt. Quantum porrò præſidij in hac indica expeditione Luſitani in Deipara,quam huius nauigationis patronam agnoſcunt, ſibi ponendum exiſtimarint,ex eodem Maffeo lib.2. hiſtor. Indic. facilè cognoſci poteſt: cum enim egiſſet de India à Vaſco Gama tunc primum explorata initio 2.lib. ſic ait: *Patefacta iam India primum omnium Emmanuel toto Reguo ſupplicationes indixit:dein Mariæ Virgini eius nauigationis PRAESIDI extructam ab Henrico Principe ædiculam in ipſo aditu portus Oliſſiponenſis miram in amplitudinem extulit, auxitq; . Ad eius templi cuſtodiam,& ceremonias, & naualis præſertim turbæ, Ducumq; animos ritè expiandos eximia ſanctitate monachi acciti è Hieronymiana familia; locus deſumpto à Chriſti incunabilis nomine Bethlehem dictus,in primis totius Hiſpaniæ tum ſtructura,tum religione viſendus.* hæc Maffeus. Quæ quidem omnia aliquanto fuſius referre libuit,tum ad pietatem Henrici Principis, & Emmanuelis Luſitaniæ Regis erga Virginem ſanctiſſimam declarãdam;tum vt Luſitanicæ in Indiam expeditionis initia,& incrementa ferè ſupra humanas vires deuictis tot validis hoſtium claſſibus,tot ferociſſimorum barbarorum militum exercitibus profligatis, felices ſucceſſus habuiſſe ſub Tãtæ Præſidis patrocinio intelligamus; quo via ad lumen Euangelij,in barbaras illas,& efferatas nationes,à nobis lingua, & moribus diſiunctiſſimas inferendum, aperiretur, ac muniretur. vt ſicut per ipſam Chriſtus ad nos deſcendit,ita & per ipſam Chriſti cognitio,atque cultus,longè,lateq; ad plurimorum ſalutem in India diſſeminaretur.Qua in re multorum religioſorum ordinum labor,atque charitas in animabus illis ad Chriſtum perducendis enituit. quid etiam in hoc præſtiterit B.Franciſcus Xauerius B.Ignatij Societatis Ieſu Fundatoris ſocius,vir apoſtolico ſpiritu plenus, qui vndecim, quibus in India vixit,annos,in toto ferè Oriente multo ſuo labore,ac vitæ diſcrimine,Chriſti Euangelium diſſeminauit; & Primus omnium in Iaponia,ampliſſima Inſula,Chriſtum annuntiauit, ſupra ex parte diximus. quid verò Societas noſtra iam inde à ſui ortus initio, & conſequentium annorum ſpatio in India ſub Deiparæ præſidio præſtet, alijs dicendum relinquamus.

P. Maffeus.

B. Franciſcus Xauerius.

QVIBVS ANIMI AFFECTIBVS, PIETATISQ. operibus deuotio erga Virginem Deiparam ſit exercenda; & peculiariter de Amore, Reuerentia, Congratulatione, atque Fiducia erga eandem. Cap. XXXVI.

SVMMARIVM.

Formula offerendi ſe beatiſſimæ Virgini Deiparæ num. 3.
Ad Amorem erga Deiparam quæ nam permoueant num.5.
Ad reuerentiam erga Deiparam,quæ nam excitent num.8.
Congratulatio erga Deiparam exercenda num. 14.
Ad Fiduciam erga Deiparam quæ nam excitent num.19.
VARIA BENEFICIORVM EXEMPLA, QVIBVS DEIpara, ſuam erga nos benignitatem declarat, & noſtram in ijſdem,alijsq; rebus in ſe fiduciam excitat num.24.
De primo beneficiorum genere,quod eſt ſe inuocantibus opem impertire,ibidem.
S.Catherina Sueda ſingulas actiones,breui ad Deiparam precatiuncula auſpicabatur, ex vita eiuſdem, ibidem.
De ſecundo beneficiorum genere,quod eſt ab hoſtibus inuiſibilibus, & viſibilibus tutari num. 25.
Complures ab inuiſibilium, & viſibilium hoſtium impugnatione Deiparæ inuocatione liberati, ibidem.

De

De tertio beneficiorum genere, quod est peccatores ad pœnitentiæ sacramentum perducere num. 28.
Pœnitentiæ sacramentum complures Deiparæ ope sunt consecuti, ibidem.
De quarto beneficiorum genere, quod est à certo interitu seruare num. 30.
Mulier ab imminenti nece per Deiparam erepta ex Sigeberto, ibidem.
Miles Deiparæ beneficio à fornacis incendio præseruatur, ibidem.
De quinto beneficiorum genere, quod est à multiplici vitæ discrimine eximere nu. 31.
Complures Deiparæ ope vitæ discrimine exempti, ibidem.
De sexto beneficiorum genere, quod est in rei familiaris inopia subleuare nu. 33.
Deiparæ beneficio Annona egentibus Monachis subministrata ex Gregorio Turonensi, ibidem.
Mercator ad inopiam redactus sub Deiparæ fideiussione pecuniam à Iudæo accepit, quam ope Deiparæ præscripta die restituit ex Dionysio Carthusiano nu. 34.
De septimo beneficiorum genere, quod est sterilitate laborantes prole donare nu. 35.
Aliqui sterilitate laborantes filios, eosq; sanctitate præclaros Deiparæ munere susceperunt, ibidem.
De octauo beneficiorum genere, quod est à persequutionum molestijs eripere nu. 36.
Cistercienſium Ordo in sua immunitate ab Innocentio III. Deiparæ monitu conseruatur num. 38.
Cistercienses ab exilio per Imperatorem intentato liberantur nu. 39.
De nono beneficiorum genere, quod est in rebus etiam paruis benigne exaudire, num. 40.
Deipara in rebus etiam paruis suos clientes exaudire non dedignatur ex Gregorio, & ex Thoma Cantipratensi, ibidem.
De decimo beneficiorum genere, quod est ingenio rudibus scientiam conferre nu. 41.
Hermannus Contractus sacrarum scripturarum scientiam à Deipara consequitur, ibidem.
Rupertus Tuitiensis Deiparæ fauore doctissimus euadit num. 42.
Albertus Magnus Deiparæ beneficio ingenij acumen in scientia est adeptus nu. 43.
De vndecimo beneficiorum genere, quod est martyres confortare nu. 44.
Deipara confortatrix sanctorum martyrum Theodori, & Theophanis, ibidem.
Andreas Chius in suis pro Christi fide tormentis Deiparæ inuocatione victor euadit, num. 45.
De duodecimo beneficiorum genere, quod est in omnibus necessitatibus præsto esse. num. 46.
Deuoti beatissimæ Virginis à periculis liberantur, ibidem.

PROPOSITIS in superioribus capitibus ijs, quæ nos ad deuotionem erga Deiparam excitandam permouere possunt; reliquum est, vt de affectibus, quibus hæc deuotio continetur, quæ corde, ore, & opere est exhibenda, pertractemus. Deuotio igitur erga Deiparam Virginem similitudine quadam, & analogia ad ea, quæ de deuotione erga Deum tradunt Theologi; & præsertim D. Thomas 2.2.q.82.art.1. explicari potest: quare videtur esse actus voluntatis promptè ea faciendi, quæ ad Virginis obsequium spectant. Hæc porro deuotio sex actibus erga Virginem partim interioribus, partim exterioribus constare videtur, Amore, Reuerentia, Congratulatione, Fiducia, Virtutum eius imitatione, Obsequijs; atque hi sex illi gradus esse videntur, per quos ad Thronum Salomonis eburneum, hoc est ad Virginem per eiusmodi Thronum, vt cap. 2. dixi adumbratam, ascendebatur: his enim sex actibus quasi gradibus propius ad Virginem accedimus. videntur etiam esse quasi sex odoratæ herbæ, seu frutices, ex quorum succo, vel oleo hoc deuotionis erga Virginem veluti vnguentum conficitur, quo delibuta anima in Dei obsequio hilarior, ad excutiendum torporem promptior, & ad bona opera alacrior redditur. De his eodem ordine

S. Thom.

Deuotio erga Virginem quid sit, & quibus actibus constet.

3. Reg. 10.

ordine agendum:in ſingulis autem nonnulla,quæ ad ea comparanda,vel in praxim deducenda nos iuuare poterunt,tradenda curabimus.

Quoniam verò multa tractationi huic vtilia toti præſenti operi inſperſimus; ideo ea repetenda non duximus,rerum tamen capitibus indicatis,lectorem ad ea remittimus.

Pſal. 47. Dauid inuitat omnes ad Virginis deuotionem. Meditatio virtutum Virginis.

2 Sanè in pſal.47. cuius initium eſt: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis in Ciuitate Dei noſtri:* Dei potentia,ac bonitas in Deipara,vt dixi cap.5. ſub typo Ieruſalem Ciuitatis Dei prædicatur: & cum Dauid multa de Virginis laudibus pronunciaſſet; tãdem ad deuotionem erga Virginem omnes hortatur: & ex affectibus, quos commemorauimus,nonnullos attingit verbis illis: *Circumdate Sion,& complectimini eam, narrate in Turribus eius,Ponite corda veſtra in virtute eius, & diſtribuite domos eius, vt enarretis in progenie altera,quoniam hic eſt Deus,Deus noſter in æternum:* ac ſi diceret,circumdate hanc Dei myſticã Ciuitatem,eam obeundo,& ſingula quæq; illius accuratè contemplemini: eamq; amore,atque ex intimis præcordiorum affectibus complectiminiquin & cæteris hominibus de Turribus eius,nimirum de Virginis dotibus,atque heroicis donis,inſtar Turrium excelſis,atque munitis narrate,eamq; omnibus prædicate, vt eam omnes agnoſcant,diligant,venerentur: *Ponite corda veſtra in virtute eius*, hoc eſt magnam cordium veſtrorum fiduciam, atque ſpem in potentia, ac robore huius cœleſtis Ciuitatis ponite,& collocate: Radix porrò omnium Virginis magnalium indicatur in verbis illis,quæ ſubnectuntur: *Quoniam*,inquit,*hic eſt Deus,Deus noſter in æternum*: quoniam ſcilicet ipſe Chriſtus,qui ex ea carnem ſuſcepit,qui in ea habitauit,qui eam magnificare voluit,eſt Deus noſter in æternum. In eam Ciuitatem deduci optabat Dauid cum diceret pſal.59. *Quis deducet me in Ciuitatem munitam*; ad hanc properemus & nos eadem Virgine duce,caueamusq; ne ex ijs ſimus, qui propter ſummam in rebus ſpiritualibus deſidiam, atque torporem,perexiguam erga Deiparam pietatem habent, nec ei ſe commendare ſtudent:de quibus illud pſal.106. *Viam Ciuitatis Habitaculi non inuenerunt*, & illud pſal. 105. *Pro nihilo habuerunt Terram deſiderabilem*, dici poteſt: Deiparam enim Terram eſſe ſanctam,& Deſiderabilem,ex qua orta eſt veritas,& iuſtitia,teſtatur Georgius Nicomedienſis orat.de oblat.Deip.idq; meritò:ab omnibus enim fuit ab initio mirificè deſiderata,vt cap.ſuperiori dixi,cuius ſpeciem Deus ipſe pſal.44. concupiuit:caueamus ergo ne ex numero iſtorum inſipientum ſimus, qui theſaurum ab omnibus expetitum,& deſiderabilem pro nihilo habentes,ex eo fructum,quem poſſent, vberrimum capere negligunt.

Amor. Virginis excellentia alijs prædicanda.

Fiducia.

Radix præſtantia Virginis.

Pſal.59.

Pſal. 106.

Pſal.105.

Georgius Nicomedienſis.

Pſal. 44.

Deuotio Virginis initio ſe Virgini offerant, & quomodo id faciendum.

3 Verùm enim verò illud præmonendum in primis videtur; vt is,qui deuotionem erga Virginem amplecti cupit, ſemel quaſi ſolemniter in celebri aliquo Virginis Templo ſi commodè fieri poterit, coram eius Imagine ad pedes ipſius Virginis in cœlo exiſtentis cogitatione ſe ſtatuat,inuocatis quaſi teſtibus huius actionis, & per preces auxiliaribus ſanctis Angelis,præſertim ſanctis Michaele,Gabriele,Raphaele,Angelo item ſuo cuſtode, Sanctis prætereà illis,quibus peculiariter eſt aliqua ratione affectus,præſertim Sanctis Ioachimo, & Anna Virginis parentibus, ſancto Ioſepho ſponſo, ſancto Ioanne Baptiſta, ſanctis Petro,& Paulo, ac Ioanne Euangeliſta, ſancto ſui nominis, ſanctis item illius vrbis Patronis, ſibiq; omni affectu Virginem deligat in patronam peculiarem, ſemetipſum ei offerat, firmiterq; ſtatuat, ſe actus illos ſex, quibus deuotionem erga Deiparam contineri diximus, exercere: nimirum ſe eam vnicè in poſterum dilecturum, veneraturum, eidem de bonis eius gratulaturum,in ea ſecundum Chriſtum ſuam fiduciam collocaturum, eam pro viribus imitaturum, ei denique aliqua obſequia exhibiturum:& ad particularia veniendo,conſideret,in quibuſnam virtutibus eam imitabitur, & quænam obſequia ei deferet, ſimulq; eam enixè oret, adhibitis dictis Angelis, & Sanctis interceſſoribus, vt ſui patrocinium ſuſcipere dignetur vſque ad horam mortis, qua ſe filio ſuo ſiſtat: poterit autem recitare ſequentem,vel ſimilem oblationem,atque ex ea die Virginem ſanctiſſimam peculiari ratione, veluti ſuam ſingularem Dominam, & Aduocatam recipiat,& in ſuis neceſſitatibus confidenter ad eam confugiat: quam oblationem quotidie,vel ſaltem in diebus feſtis eiuſdem Virginis renouare poterit.

FOR-

FORMVLA OFFERENDI SE BEATISSIMAE Virgini Deiparæ.

SAnctiſſima Virgo Dei Genitrix MARIA, ego N. licet vndecumque indigniſſimus, qui in numerum ſeruorum tuorum recipiar: fretus tamen pietate tua admirabili, & impulſus tibi ſeruiendi deſiderio, eligo te hodie coram beatis Archangelis Michaele, Gabriele, & Raphaele, Angelo item meo cuſtode, & coram ſanctis Ioachimo, Anna, Ioſepho, Ioanne Baptiſta, Petro, Paulo, Ioanne Euangeliſta, & coram ſanctis N. N. & curia cœleſti vniuerſa, in meam peculiarem Dominam, Patronam, ac Matrem, firmiterq; ſtatuo, ac propono me tibi ex hoc tempore ſemper obtemperaturum, ac fideliter famulaturum, atque vt ab alijs quoque tibi ſeruiatur, pro viribus meis effecturum. A te ergo Mater pijſſima per ſacratiſſimum filij tui Ieſu Chriſti Domini noſtri, qui pro me effudit ſanguinem; peto ſuppliciter, vt me in numerum tuorum deuotorum aſcribere, & in ſeruum tuum perpetuum admittere digneris. adſis mihi in actionibus meis, gratiamq; mihi à filio tuo impetres, vt in cunctis meis cogitationibus, verbis, & operibus, ita me geram, nihil vt vnquam tuos, tuiq; filij oculos offendam: ac memor ſis mei, nec me deſeras in hora mortis meæ, O clemens, ò pia, ò dulcis Virgo Maria. Amen. *Oblatio Virginis facienda.*

4 Vt autem hanc oblationem, qua Virgini Deiparæ nos deuouemus, ante plures annos in ſodalitijs B. Virginis, quæ in domicilijs Societatis Ieſu habentur, vſurpatam, receptam aliquo veterum exemplo confirmemus: attexam hoc loco id, quod Cæſarius lib. 7. miracul. cap. 39. de Vvaltero de Birbach viro potenti, ac nobili, & Ducis Louanij conſanguineo, qui in ſeculari militia ſatis ſtrenuus, celebre nomen erat conſecutus, ſcribit his verbis: *Vualterus*, inquit, *ſanctam Dei genitricem ab ipſa pueritia cæpit inuocare, & ex intimo cordis affectu diligere, atque ieiunijs, eleemoſynis, & miſſarum celebrationibus honorare. licet enim corpore deditus eſſet torneamentis; corde tamen totus erat in obſequio B. Virginis.* Deinde cum nonnulla Deiparæ in eum beneficia narraſſet Cæſarius, ſubijcit: *Conſiderans*, inquit, *Vvalterus adhuc in ſeculo poſitus tanta circa ſe beatæ Dei Genitricis beneficia: intantum in illius amore accenſus eſt, vt in quadam paupere Eccleſia in eius honore dedicata, conſcio Sacerdote, Fune collo ſuo iniecto, Seruum glebæ ſe illi ſuper Altare, offerret, ſoluens ſingulis annis cenſum de capite ſuo, qualem ſerui originarij ſoluere conſueuerunt: & quia propter honorem Reginæ cœleſtis ſe tam valde humiliauit, ipſa ſuum dilectum valde glorificauit.* hæc Cæſarius. Quæ porrò beneuolentiæ ſigna Deipara huic Vualtero antea oſtenderit, colligere licet ex quadam re planè admirabili, quam Cæſarius eodem loco recenſet: *Cùm*, inquit, *quodam tempore inter multos Vualterus ſtans, miſſam audiret, Sacerdos vt in canone calicem leuauit, crucem auream ſub eius pede conſpexit, cui annexa fuit carthula hæc continens verba: Crucem hanc defer ex parte mea, (MARIAE ſcilicet matris Chriſti) amico meo Vualtero militi prope Birbach, quam cum Sacerdos legiſſet poſt completionem miſſæ, pulpitum aſcendit, & clamauit, eſt ne aliquis hic miles, qui vocetur Vualterus de Birbach? reſpondentibus quibuſdam, Ecce iſte eſt. Sacerdos eum ſeorſum duxit, crucem porrexit, & vbi illam inuenerit, vel quis miſerit intimauit: quam lætus ſuſcipiens, in cœnobio Hemmenrode poſtea conuerſus, eam Abbati reſignauit.* & infra: *cuius crucis aurum tanti eſt fulgoris, vt omne aurum in eius palleſcat comparatione.* hæc Cæſarius. Hic porrò Vualterus non ſolum Ciſtercienſem Ordinem in Monaſterio, quòd Hemmẽrode dicitur ingreſſus eſt, vbi Cæſarius eiuſdem cœnobij Monachus, qui hæc litteris mandauit, eum familiariter cognouit: ſed etiam ibi vitam duxit ſanctitate, & erga Virginem pietate conſpicuam. tandem Dei genitrice eum vocante tranſiuit ad patriam, miraculorum ſignis, quæ loco citato recenſentur poſt obitum clarus. *Exemplum Vualtheri de Birbach. Cæſarius.* *Idem à Deipara aurea Cruce donatur.*

AD AMOREM ERGA DEIPARAM, quæ nam permoueant.

5 IAm ad actus, quibus eius conſtat deuotio veniamus. Primum igitur omnium erga Virginem ſanctiſſimã ſinceriſſimus, ac feruentiſſimus excitandus eſt amor. Ad quod confer- *Amor erga Virginem quomodo excitandus.*

conferent pleraq; in ſuperiori capite adducta, ſed peculiariter, quæ ſequuntur nobiſcum ſerio reputemus. Primò eam matrem eſſe Chriſti Domini noſtri, à quo, & per quẽ omnia bona noſtra accepimus. quòd ſi Chriſtum, vt par eſt, ſummè diligimus, ſecundum ipſum eius Genitricem magno amore complecti debemus: nam & in humanis ſi quis vnicè aliquem diligat, ea quoque, quæ ad illum ſpectant diligere ſolet. & vt quidq; eſt dilecto coniunctiſſimum: ita maxima beneuolentia, complectitur. imò Virgo ſanctiſſima Chriſti mater eiuſmodi eſt, vt ſine viri conſortio ſola de Spiritu ſancto eum conceperit, & per eam Dei miſericordiam ſuſceperimus. & quia Chriſtus redemptio noſtra ex dæmonis tyrannide nos eripuit, Patri reconciliauit, ſuumq; corpus auguſtiſſimum in vtero Virginis formatum in cibum tradidit nobis in Euchariſtiæ ſacramento: ideò & Virginem per quam Chriſtum accepimus, hoc etiam nomine ſummo ſtudio diligere, complectiq; par eſt. ideò S. Bonauentura in Litanijs B. Virginis, ſic eam inuocat: *Sancta Maria ſuper omnes diligentius amanda.* & iterum: *Super omnes excellentius magnificanda.* Huc ſpectant, quæ cap. 8. vberius dixi de corpore Chriſti in vtero Virginis concepto, quod in Euchariſtiæ ſacramento nobis exhibetur, & quæ cap. 17. 27. & 28. diſſeruimus, qua ſcilicet ratione Virgo Chriſtum gignendo ad ſalutem noſtram ſit cooperata, & cap. 22. quo modo Deipara per Chriſtum filium ſuum tortuoſi dæmonis caput contriuerit. S. Ildefonſus ſermone 1. de Aſſumptione, cum recenſuiſſet admirabilem filij Dei in Virginis vtero incarnationem integra matris virginitate, ex figura Rubi, quem Moyſes vidit incombuſtum; omnes ad Deiparæ patrocinium implorandum, eiusq; laudes inuitat: *Sed quia*, inquit, *laudare digne nequimus beatam Virginem, quia inferior eſt ea noſtra laus, veneremur, & amemus quantum poſſumus.* ita Ildefonſus.

Primò, quia mater eſt Chriſti.

Luc. 1.

Bonauentura.

S. Ildefonſus.

Exod. 3.

Secundò, quia Mater eſt noſtra.

Secundò, Virgo Deipara ſummopere à nobis eſt diligenda, quia mater noſtra eſſe dignatur, & tanquam mater nos benignè complectitur, matrisq; erga nos munera egregiè præſtat, quòd cap. 27. 28. & 29. plenius probauimus, vbi triplici nomine matrem noſtrã dici, matrem etiam viuentium appellari oſtendimus, cuius deuotio, vt ſuperiori capite diximus, ſignum eſt prædeſtinationis.

Tertiò, quia amat nos.

Petrus Dam.

Prouerb. 8.

6 Tertiò, Virgo ſanctiſſima amat nos mirificè, vt cap. 29. vberius oſtendimus. qua de re Petrus Damianus ſermone 1. de Natiu. Virg. *Scio*, inquit, *Domina, quia benigniſſima es, & amas nos amore inuincibili, quos in te, & per te filius tuus, & Deus tuus ſumma dilectione dilexit: imò ipſa ſibi deuotos peculiariter diligit, iuxta illud Prouerb. 8. Ego diligentes me diligo. Et quoniam amor non niſi amore rependitur, ideò eam redamare pro virili ſtudeamus.*

Quartò, propter beneficia, quæ in nos confert.

Quartò, ad Virginem amandam nos impellunt plurima, eaq; maxima beneficia, quæ iugiter in nos confert tanquam Mater miſericordiæ, & totius humani generis Aduocata, vt toto hoc opere probauimus, præſertim cap. 16. vbi oſtenſum eſt eſſe Matrem miſericordiæ. & cap. 30. vbi pariter probauimus eſſe hominum Aduocatam; & cap. 20. vbi egi de multis ad peccatorum pœnitentiam, & Dei amicitiam Virginis beneficio reuocatis, & cap. 24. & 25. quòd nos contra dæmonem egregiè iuuet, ac tutetur; quæ omnia ne ingrati planè ſimus, amorem erga Virginem poſtulant maximum.

Quintò, propter inſignem ſuam ſanctitatem.

S. Thom.

Ex cap. 1. Cant.

Quintò, ſi obiectum amoris eſt bonum, vt S. Thomas 1. 2. q. 27. declarat, inſignis Virginis præ omnibus puris creaturis ſanctitas eam dignam facit, quæ ab omnibus ſummopere ametur. Quare Eccleſia in officio Virginem alloquens, illud ei accommodat: *In odorem vnguentorum tuorum currimus*, hoc eſt ad fragrantiſſimas tuas virtutes curſu pertrahimur: *Adoleſcentulæ*, hoc eſt animæ deuotæ, *dilexerunt te nimis.* Si enim alios Dei ſeruos propter eorum ſanctitatem amore proſequimur: quanto magis eã, quæ præ cæteris eſt ſanctiſſima, & præcipuis Dei donis prædita, vt cap. 4. 5. 6. & 12. copiosè diximus; à nobis omni affectu erit diligenda? imò ipſe Deus ex pſal. 44. *Concupiuit decorem eius*, & ita illam diligit, vt Cant. 4. ſuum amorem metaphora vulneris explicet: *Vulnerasti*, inquit, *cor meum ſoror mea ſponſa:* quo autem amore pleriq; erga Virginem flagrarunt, ex ſuperiori capite facilè colligi poteſt, aliqua tamen exempla hic attexere non grauabor.

Deus ſingulariter amat Virginem.

Pſal. 44.

Cant. 4.

Exempla eorũ, qui Virginem amarunt.

S. Gerar. Epiſc. in Hungaria.

7 De S. Gerardo Martyre, & Epiſcopo Canadienſi in Hungaria apud Surium 24. Septembris hæc legimus: *Si quis*, inquit, *reus ab ipſo veniam peteret per nomen Matris*

Chriſti,

Christi, mox eo audito lacrymis perfundebatur, & reum in gratiam humanissimè recipiebat. Alexander Alensis, vt scribit S. Antoninus 3. par. histor. tit. 24. cap. 8. §. 1. cum esset insignis Doctor Parisijs, & ex singulari ad Virginem deuotione, nihil se negaturum eius amore quidquam postulanti vouisset, à quodam Fratre ex Ordine Minorum, Virginis amore rogatus, vt illum ordinem ingrederetur, quamuis tanta, & tam inopinata petitione territus; à Deo tamen intus permotus, se id illico facturum statim respondit, idq; Virginis amore, & opere præstitit; & ordinem illum mirum in modum sua doctrina illustrauit. Quantum autem profuerit Carolo filio S. Brigittæ, in vita sua dilexisse Virginem, declarauit singulare beneficium, quod à Virgine in morte accepit, cum à dæmonis tentationibus eum protexit, ac liberauit, quod supra cap. 24. retulimus, & infra in hoc capite referemus.

Alensis. S. Antoninus. Alexan. Alensis nihil negabat p Virginis amore aliquid petentibus.

Carolus filius S. Brigittæ.

De quodam etiam Religioso B. Virginis studioso narratur in speculo exemplorum dist. 9. exempl. 84. cum in extremo vitæ suæ ex aspectu duorum terribilium dęmonum, qui ad eum rapiendum parati erant, præ timore ita extra se factus esset, vt horribiliter clamans, dixerit: *Maledicta hora, in qua religiosus factus fui:* mox adueniente Virgine beatissima, effugatis dæmonibus, ea visa, spem de sua salute concepit, & serena facie dixit: *Benedicta hora, qua intraui in ordinem, & benedicta Mater Christi, quam semper dilexi:* quæ cum narrasset fratribus, qui coram astabant, & cum lacrymis pro eo orabant, fœliciter quieuit in Domino. Hoc ipsum refert S. Antoninus 3. par. histor. tit. 23. cap. 10. §. 6. & addit religiosum hunc fuisse ex Ordine Prædicatorum in Anglia, vocatumq; Alanum.

Specu. Exempl. Deuotus B. Virginis, quidam à dæmonum molestijs in extremo vitæ tempore liberatus.

S. Antoninus.

S. Heduuigis Duciſſa Poloniæ, vt in fine eius vitæ apud Surium 15. Octobris habetur, crebrò Imaginem quandam Deiparæ apud se ferre vitens solebat, & cum ea tumulata est: quæ tribus digitis sinistræ manus moriens, ita eam strinxerat, vt commodè inde auelli non posset. sed anno 1268. post 25. ferè annos ab eius obitu, reserato sepulchro, cum ossa sacri corporis transferenda eleuarentur, consumptis carnibus, & membrorum compage soluta, tres illi digiti inuenti sunt prorsus integri, & incorrupti, & intra illos Imago Deiparæ: cerebrum quoque inuentum est recentissimum, & ex capite liquor instar olei suauissimi odoris erumpebat, quæ amorem, ac deuotionem eius erga Virginem Deo maximè gratam fuisse testabantur.

S. Heduuiges Duciſſa Poloniæ. Suarius.

Eiusdē cerebrū, ac digiti tres in Deiparæ honorem post obitum incorrupti seruantur.

AD REVERENTIAM ERGA DEIPARAM, quæ nam excitent.

8 SEcundum quod ad Virginis deuotionem spectare diximus, illud est, vt & Reuerentiam, & honorem tum corde, tum corpore ei exhibeamus quàm maximum: licet autem in rigore reuerentia ex S. Thoma 2. 2. q. 103. art. 1. ad 1. non sit idem, quod honor; tamen in nostro proposito in idem ferè recidunt. Reuerentia enim ex 2. 2. q. 81. art. 3. ad 2. & q. 104. art. 2. ad 4. directè respicit personam excellentem: Honor autem ex eodem 2. 2. q. 103. art. 1. est quoddam signum, & testificatio excellentiæ eius, qui honoratur. imò ex D. Thoma reuerentia est primo motiuum ad honorandum aliquem, vel ore pronunciando excellentiam eius, vel corporis inclinatione, muneribus, imaginibus, & huiusmodi alijs. Aristoteles verò in 1. Rhetor. cap. 15. vbi de honore agit, multa dicit, quæ ad hæc, de quibus agimus, explicanda faciunt; idcircò suis ea verbis referemus: *Honor*, inquit, *beneficæ existimationis est signum: honorantur autem meritò, & quidem in primis, qui beneficium dederunt, & qui beneficium dare possunt; beneficium verò est, quod pertinet ad salutem, & ad ea, quæ causa sunt, vt simus, aut ad diuitias, aut ad aliquod aliorum bonorum, quorum non est facilis comparatio, aut omninò, aut in eo loco, aut aliquando: multi enim ex rebus etiam, quæ paruæ videntur, honorem adipiscuntur. verùm loca, & occasiones causam afferunt. Partes autem honoris sunt sacrificia, monumenta, & versibus, & sine versibus præmia, luci, præsessiones, sepulchra, statuæ, victus publici, & quibus Barbari vtuntur, vt adorationes, conspectus euitationes, munera quæ apud singulas gentes pretiosa sunt.* hæc Aristoteles. quibus verbis docet rationes, quæ ad honorem alicui impendendum mouent, & quibusnam rebus honor exhibeatur, de quibus infra cap.

De Reuerentia erga Virginem.

S. Thomas.

Reuerentia, & honor quid sint.

S. Thomas.

Aristoteles quid de honore dicat.

Honor quibus rebus exhibetur.

cap. 37. vbi de obſequijs erga Virginem agemus.

Virgo præcipua reuerentia digna.

9 His poſitis perſpicuè apparet quantus honor, quantaq; reuerentia Deiparæ ſit exhibenda, quam Chriſtus ipſe in terris olim ſic honorauit, vt ei ſubditus eſſe voluerit; & nũc in cœlis honorat cum ad dexteram ſuam eam collocarit. quod longè ante figuratum

3. Reg. 2.

videmus 3. Reg. 2. in Bethſabea matre Salomonis, cui Salomon ad ſe venienti omni honoris ſignificatione occurrit, eamq; digniſſimo loco excepit. ſic enim de Bethſabea legimus: *Surrexit Rex in occurſum eius, adorauitq; eam, & ſedit ſuper thronum ſuum, poſitusq; eſt thronus matri Regis, quæ ſedit ad dexteram eius:* quæ omnia figuram fuiſſe

S. Bernardin.

honoris, quem Deiparæ defert Chriſtus, docet S. Bernardinus Senenſis tom. 3. ſerm. 11. art. 2. eaq; ſingillatim expendit. & cap. 2. peculiariter animaduertit verbis illis: *Adorauit eam,* ſignificari reuerentiam filialem, qua matrem digniſſimam Chriſtus honoret. ſcimus enim illud Eccleſ. 3. *Sicut qui theſaurizat, ita & qui honorat matrem ſuam.* quod à

Eccleſ. 3.

Chriſto Domino minimè eſt prætermiſſum in ſanctiſſima Matre ſua; quam, vt ait Damaſcenus orat. 1. de dorm. Chriſtus bonus legiſlator, etiamſi legi minus ſit ſubiectus; legem tamen, quam ipſe de parentibus honorandis ſanxit, explens honorat. & Hippolytus orat. de ſanctificatione: *Qui dixit,* inquit, *Honora patrem, & matrem, vt decretum à ſe promulgatum obſeruaret, omnem gratiam matri, & honorem impendit.* Idem habet Auguſtinus lib. de Aſſumpt. tom. 9. *Ad benignitatem,* inquit, *Domini pertinet, matris ſeruare honorem, qui legem non ſoluere venerat, ſed adimplere.* Bernardus ſermone 1. de Aſſumptione: *Quis non credat Dei filium honorare matrem?* ideoq; poteſt Deipara meritò appellari *Mater honorificata.* Adhæc in Eccleſia militante eam honorat, cum tot Tẽpla ei dicari, totq; per eam miracula, ac beneficia conferri voluerit: vt nemo ſit, qui ſe

Damaſcenus. Hippolytus. Auguſtinus. Bernardus. Eccl. 15.

abſcondat à calore eius. Quare Georgius Nicomedienſis orat. de oblat. Deip. *Quis honor,* inquit, *exhiberi poterit puritati Deiparæ ex æquo reſpondens, cuius amore captus opifex, ex ea ſolum conſtruxit tabernaculum, in quo minimè recuſauit habitare; in quo paterna voluntas eſt impleta? Quænam gloria ei poterit tribui pro meritis, cuius ſuperiorem gloriam præter ſe oſtendet creator? O donum, quod nullo poteſt honore, vt par eſt affici.* hæc Georgius.

Greg. Nicem.

10 Hanc reuerentiam, quam Deiparę deberi diximus, declaraſſe videtur Iacob Patriarcha Geneſ. 28. cum euigilans de ſomno, in quo ſcalam illam à terra ad cœlum vſque protenſam, Angelos item aſcendentes, & deſcendentes per eam, ipſumq; Dominum ſcalæ innixum viderat, pauens præ admiratione in hæc verba prorupit: *Quàm terribilis eſt locus iſte?* cuius rationem ſubijcit: *Verè non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cœli.* quaſi dicat iuxta Interpretum ſententiam, & præſertim Bernardi ſerm. 6. de Anniuerſ. Eccleſ. locus iſte eſt omni reuerentia dignus, quem Deus ipſe ſua quoque præſentia dignatur, cum ſit domus Dei, & porta Cœli. Quamuis autem locum hunc Rupertus lib. 7. Commentariorum in Geneſ. cap. 23. Eccleſiam Chriſti, quæ erat futura: Bernardus verò loco citato ſacra chriſtianorum templa prefignata velint: tamen & ipſam Deiparam per locum illum terribilem præcipuè quoque intellectam nemo inficiari poterit, qui attente perſpexerit, eam eſſe domum Dei, in qua Deus ſingulari modo præ alijs omnibus habitauit, vt patet ex ijs, quæ diximus cap. 5. eamq; per hanc ſcalam Iacob ex Andrea Cretenſi, & Damaſceno eſſe adumbratam, & ab alijs Patribus Scalam cœli: Portam item cœli appellatam, quæ omnia cap. 16. oſtendimus. Quare Andreas Cretenſis orat. 2. *Hæc eſt,* inquit, *porta Cœli, de qua Iacob dixit: Quàm terribilis eſt locus iſte? verè non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta Cœli.* Cùm ergo Deipara propter ſingularem Dei præſentiam in eius vtero, atque in eius anima præ omnibus alijs ſit locus ille à Patriarcha Iacob terribilis vocatus; idcircò magna religione, omniq; reuerentia, ac tremore colenda erit. Verùm, quæ peculiariter ad hanc erga Virginem reuerentiam nos excitare poſſunt, multa ſunt.

Gen. 28. Deipara eſt locus terribilis, ideſt omni reuerentia profequòdus. Bernardus. Rupertus. Bernardus. Andr. Cret. Damaſcenus. Andr. Cret.

Honoranda Virgo primò propter eius dignitatẽ, quia mater eſt Dei.

11 Et primum quidem reuerentiam Virgini debemus propter ſummam eius dignitatem, qua mater eſt Dei; ratione cuius habet quandam dignitatem infinitam ex D. Thoma 1. par. q. 25. art. vlt. ad 4. & ex alijs, vt dixi cap. 5. ita vt meritò ex Mayrone ſermone de creatione animæ Virg. ei accommodetur illud Sap. 8. *Generoſitatem eius glorificat contubernium habens Dei:* ideoq; etiam ex 2. 2. q. 103. art. 4. ad 2. maxima ei re-

S. Thomas. Mayro. Sap. 8.

uerentia

uerentia debetur ex affinitate, quam habet ad Deum: vt propterea hyperdulia, quæ eſt potiſſima ſpecies duliæ, ei conueniat. quod docent Theologi, vt videre eſt apud Bonauenturam in 3. diſt. 9. art. 1. q. 3. Gabriel. lect. 49. in canonem, & alios. ideoq; etiam ſedet à dextris filij, & ſupra omnes puras creaturas euecta, ſeparatam ab alijs facit hierarchiam, vt dixi cap. 6. Huc ſpectant illa, quæ Virgini tribuuntur epitheta, quibus tanquam aliquod ſacroſanctum omni veneratione digniſſimum appellatur. exempli cauſa, Templum Domini, Tabernaculum fœderis, Arca teſtimonij, de quibus plenius ſupra cap. 5. diximus. Quocirca Bonauentura in 1. ſentent. diſt. 44. in expoſit. text. *Tanta*, inquit, *fuit Deiparæ dignitas, vt ſi omnes creaturæ quantumcumque aſcenderent in gradibus nobilitatis, eſſent præſentes, omnes deberent reuerentiam Matri Dei.* Quòd ſi Apoſtolus 2. Corinth. 3. ex comparatione Moyſi Apoſtolorum dignitatem, legem Euangelicam, & Chriſtum prædicantium, & habentium ſpiritus primitias, ita commendat. *Quòd ſi*, inquit, *miniſtratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria: ita vt non poſſent intendere filij Iſrael in faciem Moyſi propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur; quo modo non magis miniſtratio ſpiritus erit in gloria.* quanto potiori iure ſupra omnes erit in gloria illa, quæ Chriſtum totius Euangelicæ gratiæ fontem de ſuis viſceribus cõcepit, & mundo eum edidit? quanta igitur erit illi reuerentia, quantus honor ab omnibus exhibendus?

Virgini debetur hyperdulia. *Bonauentura.* *Gabriel.* *Epitheta Virginis quæ eius dignitatem ſacratiſſimam indicant.* *3. Reg. 6.* *Exod. 26.* *Exod. 25.* *Bonauentura.* *2 Cor. 3.* *Rom. 8.* *Exod. 34.*

Secundò, reuerentiam Virgini debemus, quia mater noſtra eſſe dignatur pijſſima, & benigniſſima (vt cap. 27. & ſeq oſtendimus) matri autem, & tali, ac tantæ matri à filijs ſingularis honor, & reuerentia debetur, vt ſatis conſtat Exod. 20. *Honora patrem tuum, & matrem tuam*; quod apud Epheſ. 6. eſt mandatum primum in promiſſione: & ideò Malach. 1. dicebat Dominus, *Filius honorat patrem: Si ergo pater ego ſum, vbi eſt honor meus.*

Secundo, quia mater eſt noſtra. *Exod 20.* *Epheſ 6.* *Malach. 1.*

Tertiò, quia cum ſit Mater Dei verè eſt Regina noſtra, ac Domina omnium in cælo, & in terra, vt cap. 5. ratione, & Patrum teſtimonijs probauimus: Dominę autem, ac tali Dominæ à ſeruis reuerentiam deferendam, ratio ipſa ſuadet.

Tertio, quia eſt Regina, ac Domina noſtra.

12 Quartò, cum reuerentia, & honor excellentiæ, ac virtuti debeatur ex D. Thoma 1. 2. q. 2. art. 2. ad 2. etiam ſi Virgo ſanctiſſima non eſſet mater Dei; propter eximiam tamen eius excellentiam, ac ſanctitatem, & propter heroicas virtutes, ac inſignes, quibus eſt exornata, prærogatiuas (de quibus toto hoc opere diximus, & præſertim cap. 4. 5. 6. & cap. 15. & 21.) ſumma reuerentia, ſummo præ omnibus puris creaturis honore proſequenda eſſet. propterea appellatur Iudith 15. *Gloria Ieruſalem, lætitia Iſrael, honorificentia populi noſtri*, vt cap. 17. dixi, eiusq; virtutes præſtantiſſimis typis ſignificantur. Vt eius charitas per candelabrum aureum; eius oratio per Altare thymiamatis, idemq; de reliquis virtutibus quemadmodum cap. 21. dictum eſt.

Quarto, propter eius ſanctitatem. *S. Thomas.* *Iudith 15.* *Exod 25.* *Exod 30.*

Quintò, ſi ex Ariſtotele loco citato honorantur ij, qui beneficia dedere, vel qui dare poſſunt, ſeu beneficia ſint ad ſalutem, ſeu diuitias, ſeu aliquid aliud, quod tamen aliqua ratione facilè comparari nequeat: quanta reuerentia, quantoq; honore proſequenda eſt Virgo ſanctiſſima, à qua tot, tantaq; beneficia ad ſalutem, tum animæ, tum corporis retulimus; & per quam tam multa, quæ noſtris viribus comparari nequeunt, ſperamus; vt ſuperiori capite diximus? Quemadmodum autem Ioan. 5. *Pater omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium, ſicut honorificant Patrem*: ita filius, vt mater honoretur, gratiarum diſpenſatricem, & miraculorum effectricem, vt cap. 20. dixi, peculiari ratione eam conſtituit. Quòd etiam terrenis principibus vſu venit, qui cum honorari quampiam volunt, per eum omnia facilè concedunt, ac largiuntur. quem morem ſecutus eſt Pharao Gen. 41. cum ab ſe Aegyptij alimenta peterent: *Ite*, dicebat, *ad Ioſeph, & quicquid ipſe dixerit vobis, facite.* quare Anſelmus cap. 6. de excell. Virg. *Velocior*, inquit, *interdum eſt ſalus memorato nomine Virginis, quàm inuocato nomine filij; non quod ipſa maior, & potentior eo ſit; nec enim ipſe magnus, & potens eſt per eam, ſed illa per ipſum. Verùm quia & ſi merita inuocantis non merentur, vt exaudiatur; merita tamen matris intercedunt, vt exaudiatur.* ita ex Anſelmo, qui id quotidiano experimento inter homines confirmat, cum quis propoſito dominico nomine efficaciter ab alio conſequitur, quod ſimpliciter ſua prece nequaquam impetrare poſſet. Hinc eſt, quòd Sãcti omnes etiam præcipui eam

Ariſtoteles. *Quinto, propter accepta beneficia, & alia, quæ abea ſperamus.* *Ioan. 5.* *Chriſtus per matrem beneficia concedit.* *Gen. 41.* *Anſelmus.* *Velox ſalus inuocata Virgine.* *Omnes Sancti*

Virginem maximè reuerentur. Psal. 44.

omni reuerentia proſequuntur, iuxta illud pſal. 44. *Vultum tuum deprecabũtur omnes diuites plebis.* quod de Virgine intelligi probauimus cap. 17. & de veneratione, quam illi exhibent omnes Angeli, plenius diximus cap. 26. Imò Virgo ſanctiſſima: *Ab ipſo Deo*, vt verbis vtar Epiphanij ſerm. de Deipara, *eſt in honore habita, tanquam ancilla digna, & mater.* & Cyprianus ſerm de Chriſti Natiu. *Spiritus ſanctus*, inquit, *ſeruabat ſacrarium ſuum, hoc eſt Deiparam, & ſanctimoniæ thalamum honorabat.* Igitur, & nos omnem reuerentiam, & honorem Virgini impendamus; ad eius imagines, nomen, laudes, & ſimilia humiliter caput inclinemus; preces ad eam quàm deuotiſſimè flexis genibus effundamus.

Epiphanius.

Cyprianus.

Exempla de reuerentia erga Virginem.

Surius.

B. Margarita filia Regis Hungariæ.

13 De hac erga Virginem reuerentia plura in Sanctorum hiſtorijs relatu digna inueniuntur. De beata Margarita virgine, filia Regis Hungariæ apud Surium 28. Ianuarij, quæ fuit ſanctimonialis ex Ordine ſancti Dominici, & obijt anno 1270. ſic ſcribit Auctor eius vitæ; Beatam Virginem Dei matrem præcipuò venerabatur affectu & vbicumque eius videbat imaginem flexis genibus, ſalutationem angelicam proferebat. In vigilijs Natiuitatis Chriſti, & quatuor ſolemnitatum B. Virginis dum in loco capitulari pronunciabatur diei ſequentis ſolemnitas, deuotionem præſeferebat admirabilem, proſternebat ſeſe, & cum lacrymis orans gratias agebat Deo: in ijſdem vigilijs non niſi pane, & aqua veſcebatur: in ſingulis quoque feſtiuitatibus B. Virginis, ac intra octauas offerebat eidem ſanctiſſimæ Virgini mille ſalutationes angelicas, & ad ſingulas quasq; humi ſe proſternebat. hæc ibi.

S. Gerardus Epiſcopus in Hungaria. Surius 24. Septembris.

De S. Gerardo martyre Epiſcopo Canadienſi in Pannonia, apud eius vitæ ſcriptorem legimus in Surio hæc verba, Ipſo S. Gerardo auctore ab Hungarica gente non pronunciatur nomen ipſum matris Dei, ſed Dominam eam vocant: ſi ſit autem pronunciatum eius nomen, ſtatim flexis genibus, & demiſſis in terram capitibus ſeſe inclinant, atque adeò Pannonia, ſeu Hungaria à ſancto Rege ſuo Stephano familia S. Mariæ appellata eſt. hæc ibi.

Miſſale Rom.

Sanè Eccleſia in Rubricis Miſſalis, quamuis Sacerdotibus præſcribat, vt in miſſa caput inclinent ad nomen eorum Sanctorum, de quibus dicitur Miſſa, vel fit commemoratio; vbicumque tamen B. Mariæ nomen pronunciatur, ſemper caput inclinandum eſſe iubet; quamuis miſſa non dicatur de ea. quod ipſum meritò apud omnes fideles in more poſitum eſt, atque vſu receptum; vt ad tantæ Reginæ nomen quacumque occaſione prolatum omnes caput reuerenter inclinent.

CONGRATVLATIO ERGA DEIPARAM EXERCENDA.

De congratulatione de bonis Virginis.

14 TErtium, quod ad noſtram erga Virginem deuotionem declarandam facit, actus eſt intimæ ex animo congratulationis, qui ex amore proficiſcitur. Cùm enim ampliſſima Dei in eam collata dona cognoſcimus; & reliqua, quæ gloriæ magnitudinem, & præſtantiam Virginis maximam oſtendunt, ex quorum cognitione reuerentiæ affectum in nobis excitari diximus, accedente amore, quem illi debemus, conſequens eſt, vt ei ex intimis precordijs congaudeamus, ſeu gratulemur: ſi enim Apoſtolus Roman. 12. inter alia monita chriſtianis tradita ad indicandam mutuam dilectionem, hoc etiam poſuit: *Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus, id ipſum inuicem ſentientes*; vt ſcilicet de aliorum bono gaudeamus, & de aliorum malis doleamus, idq; ex animo non ſimulatè: hoc enim ſibi volunt verba illa: *Id ipſum inuicem ſentientes*, vt exponit Origenes. & ſancta Agnes, parentibus ad eius ſepulchrum aſſiduè vigilantibus, quadam nocte choro virginum comitata cum apparuiſſet, dixiſſe legitur apud Ambroſium lib. 4. Epiſtol. 34. edition. Rom. *Congaudete mecum, & congratulamini, quia cum his omnibus lucidas ſedes accepi, & illi ſum iuncta in Cœlis, quem in terris poſita tota intentione dilexi:* quæ verba in eius officio Eccleſia vſurpat: quanto magis Deiparæ, cui tot nominibus tantum debemus, de eius bonis nobis congaudendum, & gratulandum eſt: præſertim quia, vt animaduertit Pelbartus in Stellario par. 1. lib. 2. art. 2. agens de hac cum Virgine congratulatione, omnia Virginis gaudia ad noſtram pertinent maximam vtilitatem: certè S. Thomas 2. 2. q. 28. artic. 1. loquens de gaudio: *Gaudium*, inquit, *propter*

Rom 12. Congaudendum bonis aliorum ex animo.

Origenes.

Ambroſius.

Offic. Eccleſ.

Pelbartus.

S. Thomas. Gaudium de

hoc

hoc, quod ipsi bono amato proprium bonum inest, & conseruatur, ex amore causatur, & hoc maximè pertinet ad amorem beneuolentiæ, per quam aliquis gaudet de amico prospere se habente, etiam si sit absens. & in solut. 4. vult gaudium, quo de diuino bono secundum se considerato gaudemus, principaliter ex charitate procedere; & melius esse, quàm gaudium de bono diuino à nobis participato. & artic. 4. dicit esse actum, seu effectum charitatis. & opusc. 61. docet, In patria animam Deo congratulari in omnibus operibus suis. *bonis amici oritur ex amore.*

15 Ex his liquido apparet ex amore erga Virginem oriri actum hunc congratulationis cum eadem, quo intimè de eius gloria, & omnibus eius bonis, ac ineffabilibus priuilegijs, quæ à Deo accepit, gaudemus eodem affectu, animiq; studio, ac si nos ipsi accipissemus: Deumq; propterea laudamus, eiq; gratias ingentes agimus, quòd eam ad tam sublimem sanctitatis, & gloriæ apicem euexerit, eaq; in illam dona, atque ornamenta congesserit. Quare Catechismus ad Parochos ex decreto Concilij Tridentini editus in tractatu de oratione §. 6. cum docuisset ad alteram precationis partem spectare etiam gratiarum actionem Deo per victorijs, & triumphis Sanctorum; subijcit hæc verba, quæ ad rem nostram maximè faciunt: *Huc*, inquit, *pertinet prima illa pars Angelicæ salutationis, cum ea ad precandum vtimur, Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Nam Deum summis & habendis laudibus, & gratijs agendis celebramus, quod sanctissimam Virginem omni cœlestium donorum munere cumulauit; ipsiq; Virgini singularem istam gratulamur felicitatem.* hæc ibi. Idq; meritò, nam & ipse Archangelus Gabriel eadem voce *Aue*, Deiparæ est gratulatus. *Deus Optimus de beneficijs in Deiparam collatis laudandus.* *Catechismus ad Parochos.* *Luc. 1.*

Nam & sacrum Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 3. docet cum in honorem Sanctorum missæ interdum celebrantur, Deo quidem Sacerdotem sacrificium offerre; sed Deo de illorum victorijs gratias agere, eorumq; patrocinia implorare. quare de donis beatissimæ Virginis, ex quibus tanta in omnes vtilitas manauit, gratiæ Deo sunt agendæ quàm maximæ. Ideò Ecclesia ipsa suo ad id nos exemplo hortatur cum in præfatione missæ de Deipara his verbis Deum alloquitur: *Verè dignum & iustum est, æquum, & salutare nos tibi semper, & vbiq; gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & te in veneratione B. Mariæ semper Virginis collaudare, benedicere, & prædicare, quæ & vnigenitum tuum sancti Spiritus obumbratione concepit, & virginitatis gloria permanente, lumen æternum mundo effudit Iesum Christum Dominum nostrum.* Hoc ipsum satis præfiguratum cernimus in Iudith post præcisum ab ea Holofernis caput, quã cum vniuersi acclamantes collaudassent, Ozias princeps populi de hoc beneficio in Iudith collato, gratias Domino agens dixit cap. 13. *Benedictus Dominus, qui creauit cœlum, & terram; qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum nostrorum; quia hodie nomen tuum ita magnificauit, vt non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternum, pro quibus non pepercisti animæ tuæ propter angustias, & tribulationem generis tui: sed subuenisti ruinæ ante conspectum Dei nostri. & dixit omnis populus, Fiat, fiat:* quæ omnia longè melius in Deiparam per Iudith adumbratam, & in victoriam de dæmone ab ea reportatam, quadrant, propter quam Deum huiusmodi verbis benedicere debemus. *Concil. Trident.* *Missal. Rom.* *Iudith 13.*

16 Hinc Bernardus serm. 1. de Assumpt. de hac cum Virgine congratulatione agens: *Vt interim*, inquit, *fileam beneficia, quæ pro illius glorificatione consequimur, si eã diligimus, gaudebimus vtiq; quia vadit ad filium. Planè, inquam, cõgratulabimur ei: nisi forte (quod absit) inuentrici gratiæ omnimodis inueniamur ingrati.* & serm. 4. de Assumpt. *Nos quidẽ seruuli tui cæteris in virtutibus congaudemus tibi, sed in misericordia potius congaudemus nobis ipsis.* & Ecclesia ex persona Virginis in quodam responsorio in festo Visitationis: *Congratulamini*, inquit, *mihi, quia cum essem paruula placui Altissimo, & de meis visceribus genui Deum, & hominem.* quibus verbis non tantum nos, ad sibi gratulandum inuitat, sed etiam rationem tantæ gratulationis aperit. & hoc meritò, si enim Luc. 15. Homo, qui ouem perditam, & mulier, quæ dragmam inuenerunt, conuocatis amicis, illos, vt sibi congratulentur, inuitant: quia inuenerunt quod perdiderant; & inde infertur gaudium coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. quanto magis de Virgine ad matris Dei dignitatem euecta eidem gratulãdum. Ex hoc quoque gaudio in *Bernardus.* *Offic. Eccles.* *Luc. 15.*

Ildefonſus. cœlo ſuper vno peccatore conuerſo Ildefonſus ſerm. 1. de Aſſumpt. *Multo magis*, inquit, *gaudere credendum eſt in cœlo de aduentu, & gloria tantæ Virginis:* quod etiam dixerat *Sophronius.* Sophronius inter opera Hieronymi in ſerm. de Aſſumpt.

Congratulatio eum Deipara. 17 Cæterum quanta congratulatio exigatur ab amicis, ſeu deuotis Virginis pro tot bonis, & donis inenarrabilibus ei diuinitus collatis, facilè colligi poterit ex eo, quod Eccleſia in miſſa Aſſumptionis omnes ad iubilādum inuitans canit: *Gaudeamus*, inquit, *omnes in Domino diem feſtum celebrantes ſub honore B. Virginis, de cuius aſſumptione gaudent Angeli, & collaudant filium Dei.* & in Antiphona: *Hodie Maria Virgo cœlos aſcendit, gaudete quia cum Chriſto regnat in æternum.*

Bonauentura S. Iacobus. Quocirca S. Bonauentura in Litanijs B. Virginis, eam ſic inuocat: *Sancta Maria, cui ſancti, & ſanctæ congaudent, & gratulantur.* his conſonat S. Iacobus in Liturgia his verbis ad Deiparam: *Tibi ò plena gratiæ vniuerſa creatura gratulatur, Angelorum cœtus, &* *Anſelmus.* *hominum genus.* Anſelmus de excel. Virg. c. 9. *Cum ſancti*, inquit, *ipſam Dominam, per quã tanta bona eis prouenere, præ oculis habuerint iuxta Deum, quem de ſuo vtero Virgo filiũ peperit reſidentem, & iure materno cœlo, terræq; cum eodem filio præſidentem, conſideremus qua exultatione exultabunt pro tanta gloria eius, quo honore ſubleuabuntur in tanta potentia eius.* ita Anſelmus piè meditatur de Sanctorum gaudio, & exultatione, quam ex gloria Deiparæ capiunt.

Damaſcenus. Et Damaſcenus orat. 2. de dorm. *Iubilemus*, inquit, *in Arca Domini Dei toto animo, & muri cadunt Iericunthini, Contrariarum, inquam, poteſtatum infeſtæ munitiones cum Dauid exultemus ſpiritu, Arca enim Domini hodie requieuit.* hæc Damaſcenus, ſatis oſtendens gaudium, quo ex Virginis exaltatione in Aſſumptione exultare debemus, eidemq; gratulari.

Carolus filius S. Brigittæ in obitu à B. Virgine adiuto. 18 Quanti autem fecerit B. Virgo hunc affectum gratulationis ſecum de ſuis bonis, videre eſt in Carolo S. Brigittæ filio, cuius anima poſt mortem ante Chriſti tribunal iudicanda conſtitit. Dæmon autem apud Chriſtum ſummum Iudicem acriter de Deipara, quam ſuam Dominam, & Chriſti matrem ſuper Cœlum, & terram, & ſuper omnes ſpiritus inferni potentem fatebatur, conqueſtus eſt; quod cum ipſe dæmon animam illam poſt obitum accipere, & Chriſti iudicio ſiſtere debuerit; Virgo beata antequam exiret de corpore manibus ſuis apprehendens, in ſua forti tutela ad Chriſti iudicium pertulerit. At Deipara huius facti rationem reddens, hæc reſpondiſſe dæmoni ſcribitur *S. Brigitta.* lib. 7. Reuelationum eiuſdem ſanctæ Brigittæ cap. 13. *Dum*, inquit, *hæc anima in corpore erat magnam charitatem habuit ad me, reuoluens hoc ſæpius in corde ſuo, quod me Deus ſuam Matrem dignatus fuit facere, & quod ſuper omnia creata me ſublimiter voluit exaltare, & ex hoc tanta charitate cæpit Deum diligere, quòd in corde ſuo dicebat ſic; In tantum ego gaudeo, quod Deus Virginem Mariam matrem ſuam habet ſuper omnia chariſſimam, quòd nulla creatura, vel corporalis delectatio eſt in mundo, quam ego in permutationem illius gaudij reciperem: imò illud gaudium omnibus terrenis delectationibus præferrem. & ſi poſſibile eſſet, quod ipſa in vno puncto minimo à dignitate, in qua eſt, à Deo remotior fieri poſſet; ego magis mihi in permutationem eligerem in profundo inferni æternaliter cruciari. & idcirco ſit ipſi Deo pro benedicta gratia illa, & immenſa gloria, quam dedit ſuæ matri digniſſimæ, infinita gratiarum actio, & gloria ſempiterna. Ergo, ò diabole, vide modò cum quali voluntate iſte obijt. quid itaque tibi videtur, vtrum magis iuſtum erat, quòd anima eius in meam veniret defenſionem, ante iudicium Dei, an in tuas manus impiè crucianda. Reſpondit diabolus, Non eſt mei iuris, quod illa anima in meas manus veniret, quæ te diligit pluſquam ſe antequam iudicium factum ſit.* hæc ibi. Verùm cum dæmon contra eam animam adhuc multa, quibus ſui iuris eam eſſe debere contendebat, obijceret; ab Angelo, qui ſtrenuè pro anima reſpondebat, victus, & Chriſti ſummi Iudicis voce, qui benignè animam ad ſe vocauit, turpiter eſt iectus. & adiecit Angelus S. Brigittæ, Carolum hanc gratiam minimè habiturum fuiſſe, niſi ab infantia voluntatem habuiſſet diligendi Deum, eiusq; amicos, & in peccati caſibus libenter ſe emendandi.

AD FIDVCIAM ERGA DEIPARAM, quænam excitent.

19 QVartum, quod ad deuotionem erga Virginem requiritur, eſt fiducia ad eam, iuxta illud pſal. 47. quòd de Virgine explicari diximus: *Ponite corda veſtra in virtute eius;* quaſi dicat, poſt Deum omnem cordis veſtri fiduciam collocate in magna virtute, ſeu poteſtate eius, id quod fecerunt Sancti. Eccleſia certè eam in Salue Regina, *Spem noſtram* vocat; *Et ſpes noſtra ſalue.* & ita Bernardus ſermone de Aquæductu: *Filioli*, inquit, *hæc peccatorum ſcala, hæc mea maxima fiducia eſt, hæc tota ratio ſpei meæ.* De ſancto Franciſco S. Bonauentura in eius vita cap. 9. *In matre*, inquit, *Domini poſt Chriſtum præcipuè fidens, eam ſui, ac ſuorum Aduocatam conſtituit.* B. Ignatius Loyola fiduciam impetrandi à Chriſto, quæ petebat, in Virgine ponebat, vt ſuperiori capite diximus; quod tum alibi, tum in ſuis exercitijs ſpiritualibus oſtendit. ibi enim in meditationum fine, vnum peculiare colloquium, in quo poſtulatio continetur ad Virginem inſtituit, vt per eam petitionis noſtræ conſequeremur effectum. S. Ephræm in orat. de Virgine his verbis ad eam precatur: *Sub alis tuis cuſtodi me, & protege; miſerere mei, qui ſum luto inquinatus, ne aduerſus me glorietur Satanas exitioſiſſimus, ne in me exurgat execrandus inimicus meus: Non mihi alia fiducia ò Virgo ſyncera: tu enim meus PORTVS ò Virgo inuiolata, & præſens auxiliatrix. denique ſub tutela, & protectione tua totus ſum, crebris lacrymis te, ò celeberrima Mater imploro, & aduoluor tibi.* hæ ſunt S. Ephræm ad Virginem preces, qui multa in eandem ſententiam addit. S. Damaſcenus orat. 1. de dorm. *Tibi*, inquit, *nos quoque hodierna die aſſidemus, ò Domina, Domina, atque iterum dicam Domina Dei genitrix, & Virgo: animas noſtras ad Spem tuam non ſecus, atque ad firmiſſimam quandam Anchoram alligantes, mentem, animam, corpus, totos denique nos tibi dicantes, ac conſecrantes, pſalmis, & hymnis ſpiritualibus quantum poſſumus honorantes.* hæc Damaſcenus. qui etiam orat. 2. de dorm. teſtatur ſanctos Apoſtolos Virginis dormitioni adfuiſſe, non ſolum ei, vt debebant, miniſtraturos: ſed ab ea etiam, quæ fons eſt benedictionis, & benedictionum omnium ſcaturigo, tanquam præclaram, ac pretioſam hæreditatem hauſturos benedictionem. hæc ex Damaſceno. Tanti igitur Virginis benedictionem faciebant Apoſtoli. *Quòd ſi Deus* (inquit Leo in ſermone de S. Laurentio) *in Sanctis ſuis nobis præſidium conſtituit, & exemplum*; quantum præſidij nobis in Matre ſua poſuiſſe exiſtimandus eſt, quam Miraculorum Officinam effecit, vt ait Damaſcenus orat. 1. de Natiu. Ad hæc ipſe Chriſtus in ea confidere dicitur, quam peccatorum Aduocatam conſtituit, cuius interceſſione multi peccatores veluti ſpolia à dæmone erepta Chriſto reſtituuntur. & ita Prouerb. 31. *Confidit in ea cor viri ſui, & ſpolijs non indigebit:* Chriſtus enim Deiparæ filius, & ſponſus, ſeu Vir dicitur, qui plurima ſpolia, ſcilicet peccatores, propter Virginis ad eũdem Chriſtum preces acquirit, quod cap. 20. multis exemplis oſtendimus. Quòd ſi Chriſtus adeò confidit de eius in peccatoribus è dæmonis faucibus eripiendis diligentia: nos quoque, quorum cauſa agitur, plurimum fiduciæ in ea collocare poſſumus, & debemus.

Pſal. 47.
Fiducia erga Deiparam.
Offic. Eccleſ.
Bernardus.
Bonauentura.
S. Ephram.
Damaſcenus.
Leo.
Damaſcenus.
Prouerb. 31.

20 Cæterum hanc erga Virginem fiduciam illa excitare poſſunt. Primùm, ſi recogitemus ipſam eſſe Matrem Dei, atque adeò potentiſſimam ad nos iuuandum. quod fuſè probauimus cap. 30. & eleganter Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus orat. de oblat. Deiparæ in fine: *Certè*, inquit, *Domina Dei parens, certè meum refugium, vita & defenſio, arma, & gloriatio, Spes, & robur meum: concede mihi, vt & ego quoque cum ea fruar inenarrabilibus, & quæ comprehendi non poſſunt tuis bonis in cœleſti perſeuerantia. Habes enim, ſat ſcio, cum tua voluntate concurrentem potentiam, vt quæ ſis Mater Altiſſimi, & propterea audeo. Ne ergo priuer mea expectatione ò Domina intemerata, quæ vniuerſorum expectationem ſupra rationem peperit Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* hæc ille.

Quæ nos ad fiduciam erga Deiparam excitant
Germanus Patriarcha.

Secundùm, ipſam non ſolùm poſſe, ſed etiam velle nos iuuare, quod ſatis probatum conſtat ex cap. 16. vbi Matrem eſſe miſericordiæ. & ex cap. 30. vbi noſtram eſſe Aduocatam, & Mediatricem, & ex cap. 5. vbi Dominam noſtram eſſe, & ex cap. 27. 28. & 29. vbi matrem eſſe noſtram, & gratiarum diſpenſatricem oſtendimus: quæ omnia ſi atten-

Secundò, vult nos iuuare.

tè expendantur, facilè intelligemus illam velle nos iuuare: ac proinde magnam in nobis fiduciam erga Deiparam ginent. & ideò cap. 28. ſub ſymbolo pallij Eliæ, in quo ab Eliſeo Iordanis aquæ diuiſæ ſunt, à Chriſto nobis relictã diximus, vt eius virtute per aquas tribulationum mitigatas tuti pertranſire poſſimus. Quod etiam confirmatur ex dictis cap. 20. vbi per eam miracula plurima exiſtere probauimus.

4. Reg. 2. Ioan. 19.

21 Verùm non abre fuerit ad eximiam Deiparæ potentiam, eiusq; benignam ad nos iuuandos voluntatem, quibus à Deo eſt donata, declarandam, B. Gertrudis reuelationem, quæ lib. 4. earundem reuelationum cap. 12. habetur, hoc loco attexere: *Sub matutinis*, inquit, *in feſto Dominicæ Annuntiationis, dum in monaſterio monialium, in quo degebat Gertrudis, cantaretur AVE MARIA, vidit ipſa tres riuulos efficaciſſimos procedentes à Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, cor Virginis matris ſuauiſſimo impetu penetrare, & de corde ipſius rurſus efficaci impetu ſuauitatis ſuam originem repetere; & ex illo influxu ſanctæ Trinitatis hoc B. Virgini donatum fore, quod ipſa eſt potentiſſima poſt Patrem, ſapientiſſima poſt Filium, & benigniſſima poſt Spiritum ſanctum: cognouit etiã quòd quotieſcumque illa ſalutatio angelica, ſcilicet Aue Maria, cum deuotione à fidelibus recitatur in terris, prædicti riuuli efficaciori impetu ſuperabundantes circumfluunt beatiſſimam Virginem, & ex altero latere reinfluunt cor ipſius ſanctiſſimum, ſicq; cum mira delectatione repetunt fontem ſuum, & ex illa redundatione venæ quædam gaudij, delectationis, & æternæ ſalutis reſperguntur in omnes perſonas Sanctorum, & Angelorum, & inſuper illorum, qui in terris commemorant eandem ſalutationem; per quas renouatur omne bonum in ſingulis, quod vnquam per ſalutiferam Incarnationem filij Dei ſunt adepti.* hæc ibi.

Reuelatio B. Gertrudis de gloria Deiparæ.

Tertiò, quia caput ſerpentis cõtriuit. Carthuſianus. Sanctiſſimum Mariæ nomen inuocantes à Dæmonum moleſtijs liberati. P. Ioan. Auila.

Tertium, quòd fiduciam excitat, quia peculiariter per illam Deus caput venenati draconis, qui nos inexplebili auiditate deuorare nititur, conterendum pronunciauit, de quo fusè cap. 24. & 25. Quare Carthuſianus lib. 3. de laudib. Virg. art. vlt. experimento ſe didiciſſe affirmat, Mariæ ſalutationem, atque inuocationem ex corde profectam afflictis omnibus, & formidoloſis, qui nocturnis ſpectris, ac diabolicis terroribus commouentur, maiorem in modum opitulari. Et P. Ioannes Auila, vir noſtra tempeſtate inſignis ſanctitatis, & prudentiæ dicebat plures cum impudicitiæ vitio tenerentur captiui, à Deo propter pium affectum ad Virginis conceptionem, & annunciationem, caſtitatem obtinuiſſe.

Figuræ Virginis ad fiduciam in ea concipiendam. Numer. 35. Exod. 25. Gen. 6. 3. Reg. 6. Cap. 10. & 30. Bernardus.

22 Ad hanc fiduciam in nobis excitandam plurimum valet ſi meminerimus eam adũbrari per Ciuitatem Refugij, per Arcam ad euadendum diluuium à Noe conditam, per Propitiatorium, per templum Domini, in quo orationes exaudiri: & immunitas ad ipſum confugientibus eſſe ſolet; & per alios typos, de quibus ſæpè in hoc libro, ſed præſertim cap. 16. & 30. egimus. Ideò Bernardus hom. 2. ſuper miſſus eſt: *Si inſurgant*, inquit, *venti tentationum; ſi incurras ſcopulos tribulationum, reſpice Stellam, voca Mariam: ſi iactaris ſuperbiæ vndis, ſi ambitionis, ſi detractionis, ſi æmulationis; reſpice Stellam, voca Mariam.* & poſt aliqua in eandem ſententiam ſubijcit: *In periculis, in anguſtijs, in rebus dubijs, Mariam cogita, Mariam inuoca, non recedat ab ore, non recedat à corde:* etenim vt idem Bernardus ſermone 2. Domin. 1. poſt Epiphan. *Si piè*, inquit, *à nobis fuerit pulſata, non deerit neceſsitati noſtræ, quoniam miſericors, & mater miſericordiæ:* & certè quemadmodum Virgo ſanctiſſima dum in terris degeret, aſpectu ſuo tentationes in alijs ſedabat, vt ex Ambroſio, & Alenſi, & alijs diximus cap. 24. ita videtur hoc reliquiſſe nomini ſuo deuotè inuocato, vt ex reuelatione S. Brigittæ lib. 1. cap. 9. & lib. 6. cap. 21. diximus loco citato: imò & imaginibus ſuis deuotè pariter inſpectis, idem videtur conceſſum: quare ſicuti pueri cum aliquid terriculi ſibi obijcitur, collum matris lacrymabundi arctius amplectuntur: ita & nos in dæmonis tentationibus, ad Virginem per Collum ſignificatam, vt cap. 16. diximus, accurramus cum lacrymis, & deſiderio, ac precibus eius pedes amplectamur. Quin etiam non ſolum in dæmonum impugnatione; verùm etiam ſicuti Ruben Gen. 29. inuentas Mandragoras Liæ matri detulit: ita & nos bona noſtra deſideria, aliaq; pietatis opera Virgini deferamus; ab ea conſeruanda, & per ipſam Deo offerenda tranſmittamus, non ſecus ac ea, quæ à corpore per collum aſcendunt ad caput, iuxta illud, quod monet Bernardus ſerm. 3. de Aduentu: *Studeamus,*

Ambroſius. Alenſis. S. Brigitta.

Nomen Virginis, eiusq. imagines magnam vim habent contra tentationes. Bona deſideria Virgini deferenda. Gen. 30.

Bernardus.

mus, inquit, *& nos dilectiſſimi per ipſam ad eum aſcendere, qui per ipſam ad nos deſcendit; per eam venire in gratiam ipſius, qui per eam in noſtram miſeriam venit*. Idem ſermone de Aquæductu: *Quicquid*, inquit, *illud eſt, quod offerre Deo paras, Mariæ commendare memento, vt eodem alueo ad largitorem gratiæ gratia redeat, quo influxit*. & mox: *Modicum illud, quod offerre deſideras gratioſiſſimis illis, & omni acceptione digniſſimis MARIAE manibus offerendum tradere cura, ſi non vis ſuſtinere repulſam*. ita Bernardus: etenim vt cap. 5. diximus, ipſa eſt templum Dei, in quo & preces exaudiuntur, & oblationes fiunt. ideò Ambroſius in pſal. 118. ſermone 22. in illa verba: *Quære ſeruum tuum. Suſcipe*, inquit, *me non ex Sara, ſed ex Maria, vt incorrupta ſit Virgo; ſed Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati*. & Bernardus ſermone 2. de Aduentu, ad Virginem conuerſus: *Per te*, inquit, *acceſſum habeamus ad filium, ò benedicta inuentrix gratiæ, genitrix vitæ, Mater ſalutis, vt per te ſuſcipiat nos, qui per te datus eſt nobis*. ita Bernardus.

Ambroſius. *Bernardus.*

23 Cumq; Virgo ſanctiſſima Aduocata, & Refugium peccatorũ dicatur, & ab Ephrẽm in oratione de Virgine, & de laudibus Martyrum vocetur Spes deſperantium, peccantium Adiutrix, mundi Solatium, Porta cęlorum, Peccatores magna cum fiducia ad eam confugere debent: de ijs enim ipſa pſal. 86. dicit: *Memor ero Raab, & Babylonis ſcientium me*; nimirum peccatorum per peculiarem deuotionem me cognoſcentium: de quo dixi cap. 30. vbi retuli viſionem quandam B. Gertrudis, qua Virgo indicabat materna pietate omnes, vel ipſos etiam facinoroſos, ac perditos homines ad ſeſe accurrentes benignè excipere filio ſuo reconciliandos. quare in lib. 3. reuelationum S. Brigittæ cap. 32. magneti ferrum trahenti Deipara comparatur, propterea quod & ipſa ferrea facinoroſorum hominum corda trahat ad ſe. & lib. 4. reuelationum cap. 32. dicitur tanquam mater peccatoribus obuiare. Adde magnam nos fiduciam in Virgine concipere poſſe in omnibus neceſſitatibus: nam ſi mentem ad terrenorum Regum mores conuertamus pro minimis eos adire nos pudet: & tamen, & ſi velint nos iuuare, multa quibus egemus, eorum vires, & facultatem excedunt; neque enim poſſunt à morbis, à morte, ab interioribus anguſtijs, & tentationibus, neque ab alijs quamplurimis nos eripere. præterea niſi familiaris ad illos aditus pateat; neque ea, quæ in ipſorum poteſtate ſunt, ab ei; petere audemus. Ad Virginem verò glorioſam omnes confidenter, & pro paruis, & magnis pro ſua dignitate, & poteſtate adire poſſumus. Quare S. Thomas opuſc. 8. dicit B. Virginem plenam eſſe gratia quantum ad refuſionem in omnes homines: *Magnum*, inquit, *eſt in quolibet Sancto quando habet tantum de gratia, quod ſufficit ad ſalutem multorum: ſed quando haberet tantum, quod ſufficeret ad ſalutem omnium hominum de mundo, hoc eſſet maximum. & hoc eſt in Chriſto, & in B. Virgine: nam in omni periculo potes obtinere ſalutem ab ipſa Virgine glorioſa. vnde Cant. 4. Mille clypei, ideſt remedia contra pericula, pendent ex ea: item in omni opere virtutis potes eam habere in adiutorium, & ideò dicit ipſa Eccleſiaſt. 24. In me omnis ſpes vitæ, & virtutis*. hæc S. Thomas. Quare in rebus omnibus fiduciam noſtram in Deipara ſecundum Deum ponere poſſumus.

Peccatores ad Virginem confugiunt. *Pſal. 86.* *B. Gertrudis.* *S. Brigitta.* *B. Virgo magneti aſſimilatur, cum trahit peccatores.* *S. Thomas.* *Cant. 4.* *Eccl. 24.*

24 Quantum autem præſidij experti ſint, quotquot in Deipara fiduciam collocantes ſuam, ad eius opem, & clementię ſinum confugerunt, & voti compotes effecti ſunt, exẽpla declarant propemodum innumerabilia; quæ quidem non paucos plurima beneficia à ſanctiſſima Virginẽ conſecutos eſſe, eosq; minimè defraudatos à deſiderio ſuo, nos docent. Nos ex multis pauca, eaq; ex probatiſſimis hiſtorijs excepta ſelegimus, atque hoc loco ijſdem ferè auctorum verbis, reſecatis ijs, quæ ad rem noſtram non magnopere facere videntur, recenſebimus; Ea porrò non vnius ſunt generis, ſed multiplicis; & vt omittam eos, quos Deipara aliorum precibus à mortuis excitauit, quorum aliquos cap. 20. attulimus. Sanè nihil ſiuè magnum, ſiuè paruum aggreſſi, niſi breui prius precatiuncula, Deiparæ patrocinium implorarent. & certè præſens eius ſenſere præſidium.

Diuerſa beneficiorum genera, in quibus fidenter ad Deiparæ accurrimus.

I.

Alij à dæmonum impugnatione tum inuiſibili, tùm viſibili, & ab improborum hominum maleficio ſubducti, Deiparam inuocantes eorundem victores euaſerunt.

II.

Alij à peccati tyrannide libertati chriſtianæ redditi, ad pœnitentiæ ſacramentum ſuſcipiendum ſingulari Deiparæ patrocinio ſunt adiuti.

III.

Alij

IIII. Alij ab imminenti, & certo interitu beatiſſimæ Mariæ inuocato nomine mortis faucibus erepti.

V. Alij in vitæ diſcrimen adducti propter hoſtium furorem, vel propter imminens naufragium, vel propter grauem corporis ægritudinem, Deiparæ auxilio à periculo ſunt exempti.

VI. Alij in rei familiaris inopia Deiparæ beneficio ſubleuati.

VII. Alij ſterelitate laborantes, prolem per Deiparam ſunt conſecuti.

VIII. Alij moleſtiarum, ac perſecutionum, quibus vrgebantur, aculeis Deipara inuocata liberati ſunt.

IX. Alij non in magnis tantum, ſed in paruis, etiam rebus ad Cœli Reginam accurrentes benignè ſunt exauditi: vt ſicuti in arduis rebus maximam eius poteſtatem, ita in paruis inſignem eiuſdem benignitatem, atque dignationem, qua ad minima præſtanda deſcendit, prædicemus. & quamuis ea, quæ vires naturæ excedunt, quacumque in re ſanè parua eſſe non poſſunt; tamen, vt ſapienter monet Gregorius lib. 1. dialog. cap. 9. ex magna Conditoris noſtri diſpenſatione fit, vt per minima, quæ percipimus, ſperare maiora debeamus.

X. Alij rudi, vel hebeti ingenio eiuſdem Virginis dono ad ſummam ſcientiam, atque eruditionis apicem peruenere.

XI. Alij in atrociſſimis, quos Chriſti nomine ſubibant cruciatibus, cum Deiparę nomen imploraſſent, eximia animi fortitudine, atque conſtantia immoti perſtitere.

XII. Alij denique alijs, quæ percenſeri numerando non poſſunt, affecti ſunt beneficijs: quæ à prædictis diuerſa, multitudine plurima, magnitudine ſunt ingentia. Hæc verò, quæ recenſuimus ſua cuiq; generi exempla ſubijcientes eodem ordine confirmabimus.

Omnis generis beneficia.

VARIA BENEFICIORVM EXEMPLA, quibus Deipara ſuam erga nos benignitatem declarat, & noſtram in ijſdem, alijsq. rebus in ſe fiduciam excitat.

De primo beneficiorum genere, quòd eſt ſe inuocantibus opem impertire.

S. CATHERINA SVEDA SINGVLAS ACTIONES *breui ad Deiparam precatiuncula auſpicabatur ex vita eiuſdem.*

S. Catharina Sueda Deiparam inuocabat.

SAncta Catharina virgo ex Suecia S. Brigittæ filia maternæ pietatis hæres, atque imitatrix, magnam ſibi in Deipara fiduciam collocarat; ideoq; in ſuis rebus ad eam confugiebat. cum enim de rebus ſpiritualibus conſuleretur, opem Deiparæ implorabat, vt eſt in eius vita cap. 16. apud Surium tom. 2. ſalutationem namq; Angelicam tunc temporis tacitè ſecum ſemel recitare ſolita erat, idq; non ſine fructu, quod cernere licuit in quibuſdam mulieribus, quæ eiuſmodi conſilijs ab ea traditis obtemperantes, ab infeſtiſſimo dæmone ſunt liberatæ. Cùm verò ex vrbe patriam repeteret, domeſticorum quendam è curru lapſum, ac rotis incurrentibus in coſtis vſque adeò attritum, vt ægrè animam duceret, ſanctiſſima virgo Catherina ſalutatione Angelica ſuo more recitata, & quaſſato hominis latere leuiter contrectato, incolumitati adeò reſtituit, vt eodem die quolibet lętus diſcurreret. hæc in eius vita cap. 17.

Surius tom. 2. 22. Martij Mulieres quædam per ſalutationem angelicã à dæmone liberatæ.

Salutatione angelica ægrotus ſanatur.

De ſecundo beneficiorum genere, quod eſt ab hoſtibus inuiſibilibus, & viſibilibus tutari.

COMPLVRES AB INVISIBILIVM, ET VISIBILIVM hoſtium impugnatione Deiparæ inuocatione liberati.

Adoleſcens ſalutatione angelica à ſpiritu fornicationis liberatur.

25 ADoleſcens quidam ſpiritu fornicationis vehementer impugnatus, cum Eremitæ cuiuſdam conſilio in honorem Deiparæ, quotidie in templo ſalutationem angeli-

cam

cam centies recitaret,adiunctis totidem venijs, post aliquod tempus à Deipara ab ea tentatione liberatus,ad cœlestes nuptias euocatur. Cæsarius lib.7.cap.33. *Cæsarius.*

Quomodo etiam Deipara à sancta Iustina virgine,& martyre inuocata, eodem fornicationis spiritu acriter impugnatam liberarit,supra cap.24.ex Nazianzeno retulimus. *Cap. 24.*

B.Henricus Suso Ordinis Prædicatorum, qui annum Domini circiter 1350. claruit, cum Satanam nigro vultu, & igneis oculis arcum manu vibrantem acriter increpasset, quod quendam fratrem ignea sagitta contorta pene mutuum deiecisset:cumq; ipsum eadem sibi ferociter minantem,ac nouum in se parantem iaculum conspexisset,Deiparę opem inplorauit illis verbis: *Nos cum prole pia benedicat Virgo MARIA:* quibus pronunciatis hostis infestissimus protinus abscessit. hæc apud Ferdinandum Castillium par.2.Chron.S.Domin.lib.2.cap.18. *Matrem inuocans B. Henricus Suso à vi dæmonis liberatur.* *Chronic. S. Dominici*

B.Iacobus de Marchia ab importunis diabolis diu multumq;vexatus,Lauretum,certissimum malorum leuamentum accurrit; ante aram Virginis non sine animi angore sacris operatus,expertum eius auxilium expescit: finem tandem orat tam molesto, periculosoq; certamini. Auditæ preces;impensius oranti B.Maria se rursus ostendit:*Et bono animo esto fili,* inquit, *ac summo rerum Parenti grates agito:adest pugnæ finis, & te cœlestis corona victorem manet.* prædictionem comprobauit euentus. Haud ita multo post fractæ infestorum hostium vires,lata repente secuta pax:ipse deinde celesti præmio donandus,euocatus in cœlum. Turselinus lib.2.hist.Laur.cap.2. *A dæmonum molestijs B. Iacobus de Marchia Lauretanæ Virginis ope liberatur.* *Turselinus.*

Mulier quædam inclusa à dæmone sub specie Angeli lucis crebro visitabatur,quæ à suo edocta confessario,petijt ab eo ostendi sibi B.Virginem:cumq; Virgo miræ pulchritudinis se illi obiecisset,ipsa salutationem angelicam pronuncians,phantasmata illa omnino euanuere. Cæsarius lib.7.cap.27. *Dæmonis illusio per angelicam salutationem patefacta.* *Cæsarius.*

26 Matrona honesti militis,adulterium cum alio milite commiserat:sed postea facti pœnitens tantum flagitium est detestata. cum verò miles ille,absente viro, domum illius ingressus, vi eam renitentem opprimere conaretur; hæc autem viribus resistere nequiret,Deiparam totius castitatis Patronam illis verbis inuocauit: *Rogo te Domina sancta Maria per illud sanctum Aue Maria, quatenus in hac hora liberes me.* Mox virtus omnis in milite defecit, & emarcuit, & mulier ab eo se excutiens intacta euasit. Cæsarius lib.7.cap.28. *Mariam inurcãs matrona ab amittendæ castitatis discrimine eripitur.* *Cæsarius.*

S. Gulielmus ex Duce Aquitaniæ Eremita Ierosolymis in horrida spelunca cum in precibus pernoctaret, dæmones post varias tentationes ei illatas extra cellulæ ianuam ipsum trahentes verberibus grauiter cesum,conquassatis, & confractis vniuersis corporis membris semiuiuum relinquunt. adfuit beatissima Dei genitrix duabus comitata virginibus, quæ Christi militem sermone dulcissimo hortabatur; virgines verò illæ accenso igne, corpus eiusdem dulciter calefactum pretioso, quod detulerant vnguento suauiter vnxerunt,& pristinæ incolumitati illico restituerũt. hæc in vita eiusdem S.Gulielmi cap.19.& 20.apud Surium die 10.Februarij. *Apparet B Virgin. S. Gulielmo Eremitæ à dæmonibus cæso ac pristinæ incolumitati illũ reddit.* *Suius.*

Est quoddam municipium Aurelianensi Ciuitati proximum, quod Auenon nuncupatur, vbi Ecclesiam in honorem B. Virginis Mariæ ciues ædificauerant. Qui cum aliquando obsessi ab hostibus intra oppidum gemerent, magis in Dei Genitricis Mariæ, quàm in viribus proprijs confidentes cum paruulis, & mulieribus Ecclesiam petierunt, & imagini sanctæ Virginis deuotè assistentes, cordis, & oris clamore eius auxilium deposcunt. Completisq; precibus lacrymosis redeuntes imaginem secum deferunt, & ad tutelam sui,ac terrorem hostium in porta statuunt. Quidam autem ex ciuibus stans in portæ custodia post imaginem,mittens in aduersarios iacula, magnam stragem de hostibus faciebat. Hunc latentem quidam hostium aspiciens: *Nequissime,* inquit,*mortem non effugies,nec iam tibi subuenire poterit effigies,nisi portam deserens, vrbem aperire festines.* Cumq; vibrasset hostis iaculum in ciuem illum sagittarium, mirabile dictu, imago genu erexit,& iaculo se obijciens,illud excepit, sicq; hominem sibi deuotum ab imminenti periculo defendit. Qui gaudens per Virginem se mirabiliter liberatum statim sagittam in aduersarium dirigit, blasphemum deiecit, dispersus per ora populi rumor, facti miraculi ad hostes quoque peruenit. Tum clamatur ab omnibus, quod sancta Dei Genitrix pugnet pro ciuibus loci illius. Audientes hoc hostes stupore simul, & tremore *Deiparæ imago pro viro sibi deuoto se obijciens iaculum excepit.*

permo-

permoti,arma proijciunt, paci annuunt, Ecclesiam Dominæ nostræ adeunt, & magna donaria offerentes de cætero se nihil loco illi nocituros sub testificatione promittunt. Vsque in hodiernum diem imago illa permanet in eodem loco iaculum adhuc gerens in poplite erecto. hæc Vincentius in spec.hist.lib.7.cap.83.

Vincentius Bel uacensis.

Deuota B.Virg. mulier per eam ab insidijs,quas sibi dæmon parauerat eripitur.

27 Miles quidam opibus,ac diuitijs pollens,cui vxor erat in primis pudica, ac Deiparæ obsequijs impensè addicta;cum bona omnia sua prodegisset,eo redactus inopiæ est,vt egere cæperit. Cumq; solemnis quidam aduentaret dies, quo die multa dona elargiri consueuerat, nec iam haberet vnde alijs quicquam daret; quare præ pudore, ac verecundia nemorum recessus, ac latebras tantisper,dum dicta solemnitas præteriret,expetijt; quo suæ egestatis incommoda deploraret,& verecundiæ consuleret suæ. Cum ecce tibi teterrimi oris eques tetro pariter insidẽs equo sciscitatus tristitiæ causam ex homine,cum omnia ab eo didicisset, promittit, si imperata faciat, se diuitias multo plures ei daturum. accepit ille conditionem.tunc eques: *Abeas*,inquit,*domum tuam, & in tali loco* (certum autem quendam designabat locum) *exquiras,ibiq; tot auri,argentiq; pondera plurimum pretiosorum lapidum inuenies: tu verò facito,vt tali die coniugem ad me tuam huc adducas.* Domum miles repetit: quas perquirebat diuitias ex Satanæ præscripto inuenit. mox redimit fundos,emit domos, seruos comparat; & cum præstituta dies appropinquaret, coniugem accersit suam,monet vt equum conscendat secum, iter aliò facturam. illa quæ viri imperium detrectare non audebat, Deiparæ se deuotè commendauit,& post virum abire cæpit. iam longius processerat, cum quandam Ecclesiam offendens in via,ex equo repente desilit, templum ingreditur,viro ad fores præstolante. Dum verò Virgini beatissimæ se commendauit,somno ibidem subito corripitur.Interim Deipara Virgo specie, habitu, cæteris denique omnibus matronæ consopitæ consimilis,foras exit è templo; equum conscendit, dat in viam sese cum milite, qui suam ratus vxorem ad condictum cum ea locum peruenit. Hic ecce impostor diabolus,tametsi primo propere eò festinaret, mox tamen appropinquans infremuit, ac propius accedere præ tremore non ausus:Abstterre,militi dixit,Hominum infidelissime quid mihi sic illusisti? hæccine pro tantis in te collatis beneficijs mihi rependis? tu enim in coniugis,quam petieram,locum,Dei Genitricem substituisti, mihiq; adduxisti: à tua enim coniuge pro illatis mihi iniurijs pœnas repetere cupiebam; tu verò hanc adduxisti, vt me torqueat, & in infernum detrudat. Tunc Deipara sanctissima (neque enim præ timore,& admiratione loqui quicquam poterat miles) nequissimum spiritum obiurgauit,quòd Mulieri sibi deuotæ nocere præsumpsisset, eumq; in inferorum carcerem abire iussit, edixitq; pro potestate,ne quid in posterum nocumenti inferre audeat ijs, qui sui studeant obsequio, ac pietati. ille verò magno eiulatu recessit. mox Militem, qui cum magno sensu doloris ex equo desiliens ad eius sese pedes abiecerat, grauiter increpans ad suam iubet vxorem, (quæ adhuc in Ecclesia diuinitus consopita dormiebat) redire: cum ea domum repetere; omnesq; dæmonis diuitias confestim abijcere. Fecit is,quod est iussus. Coniugi,quam somno excitauit, ordine narrauit vniuersa, dæmonis diuitias abiecit, & quoad vixerunt ambo in sanctissimæ Virginis,à qua innumerabilibus postmodum diuitijs aucti sunt, patrocinio ac clientela perstiterunt. hæc Iacobus de Voragine in festo Assumptionis B.Mariæ. huius exempli meminit S.Antoninus 4.par. tit.15. cap.32. §.2. & Specul.Exempl.dist.8.nu.61.

Iacobus de Voragine. S. Antoninus. Spec.Exemplor.

De tertio beneficiorum genere, quòd est peccatores ad pœnitentiæ Sacramentum perducere.

POENITENTIAE SACRAMENTVM complures Deiparæ ope sunt consecuti.

Monachus, qui confessario peccata detexerat, morti proximus

28 MOnachus quidam Cistercienſis grauia quædam peccata ante conuersionem cõmissa propter erubescentiam neque in seculo, neque in Monasterio confessus erat. cumq; infirmatus ad mortem solus iaceret,vidit duos tetros spiritus in angulo domus

mus complosis manibus cachinnantes, atque ad inuicem dicentes: Cras hora tertia deducemus cum magno gaudio animam huius ad infernum. mox infirmus tremere cępit, atque pallescere maximè propter remorsum conscientiæ. Pauens ergo, & circumspiciẽs contemplatus est in angulo opposito Matronam pulcherrimã dæmonibus cachinnantibus sic respondentem: Nolite nimis gaudere, ego illi dabo consilium, qualiter dentes vestros euadat: visione disparente Monachus Priorem vocauit, cui omnia sua peccata meritis B. Mariæ Virginis adiutus plene, ac deuotè confitens, sacra Eucharistia munitus, & oleo sacro inunctus, hora à dæmonibus prædicta sub spe veniæ spiritum exhalauit. Cęsarius lib. 7. cap. 9.

per Deiparam ad poenitẽtiam reuocatur.

Cæsarius.

Cùm duo pauperes Parisijs collecti fuissent in hospitali, quod situm est ante Deiparæ oratorium in paradiso. Viro cuidam religioso eiusdem hospitalis ministro, ipsa Virgo benignissima, cui cura est de omnibus, apparuit dicens: *Bone pater vide, vt diligentia, ac custodia adhibeatur illis duobus pauperibus, quia in periculoso statu sunt, & dæmones cum multa sollicitudine circumeunt, quomodo eis noceant.* Quod cum indicasset Sacerdoti, & ille eos semel, ac secundo ad emundationem conscientiæ hortaretur, nec proficeret: tandem subiunxit; Miseri ego noui vos esse in peccatis grauissimis, citoq; moriemini, & nisi confessi fueritis, intrabitis gehennam, pœnis æternis cruciandi. Illi verò territi, & quod credibilius est, precibus beatæ Dei Genitricis Mariæ illuminati peccata sua confessi sunt, moreq; christiano decedentes, dæmonibus luctum, & sanctis Angelis gaudium fecerunt in cœlo. Cæsarius lib. 7. cap. 10.

Peccatores duo morti proximi Mariæ ope, criminum confessione expiantur.

Cæsarius.

29 Matrona quædam religiosæ valde conuersationis, licet maritali vinculo teneretur: tamen ieiunijs, orationibus, eleemosynis, cæterisq; religiosis actibus insistens, in habitu seculari, vitam regularem quodammodo ducere videbatur. Verùm piaculum quoddam in adolescentia commissum præ nimia erubescentia nemini confessa est; quoties autem confitebatur, ita confessionem claudebat: *De omnibus peccatis meis, quæ modo protuli, & quæ non protuli, culpabilem me fateor coram Deo, & vobis:* quæ verba cum in singulis confessionibus iteraret, trahebat ex imò cordis longa suspiria, & tota protinus in lacrymas soluebatur. quod cum per annos plurimos vniformiter ageret, Sacerdos vt erat prudens aduertit aliquid pestiferum latere in corde ipsius; quare multis argumentis id ab ea elicere curauit. sed cum nihil proficeret, monuit eam vicini Monasterij Cluniacensis (sic enim habet Vincentius Beluacensis) adire Priorem, eiq; tanquam viro sanctissimo suam conscientiam totam aperire. Cùm ergo mulier ipsum Priorem adijsset; nihil aliud ei dixit. Factum est autem, vt infirmata, & minimè confessa moreretur, & diutius mortua iacuit, donec filia de alio remoto vico, ad maternas exequias vocata adueniret. quæ cum tandem concito gradu magnis eiulatibus aduenisset, fœmina, quæ defuncta erat reuixit. & filiæ flenti ait: Noli timere filia, quoniam miserante Deo reuixi, eaq; iubente, Sacerdos propere accersitur, & secedentibus cunctis contagium venenosum per confessionem emittitur, atque diluitur. Postea confluentibus populis ad tantum miraculum, ipsa mulier inæstimabilis gratiæ Dei in se factæ, testis, & pronuntiatrix effecta; rei ordinem cunctis exposuit, qualiter per interuentionem pijssimæ Dei Genitricis liberata fuisset: Ego, inquit, miserabilis peccatrix coram oculis hominum propter religiosam conuersationem, quam prætendebam, stare videbar, sed coram Deo in ruina mortis iacebã: constituit enim Deus in Ecclesia homines per confessionem saluare. Ego verò licet de cæteris peccatis puram confessionem facerem, tamen quoddam graue peccatum nulli vnquam sum ausa confiteri. propterea opera bona, quæ faciebam infructuosa mihi reddebantur. verumtamen eundem lapsum meum singulis ferè diebus beatissimæ Dei genitrici coram ipsius altari, vel imagine, seu vbicumque poteram, pœnitendo, lugendo, ipsius misericordiam miserabili quærimonia implorabam, ne me pro hoc peccato meo pateretur æternæ damnationis sententiæ subiacere. Postquam autem mortis debitum solui, protinus à malignis spiritibus vndiq; vallata crudeliter rapiebar, impellebar, discutiebar, & cum amarissima exprobatione peccati mei, ad inferni supplicia trahebar. Itaq; omni auxilio, & consilio destituta recordata sum, quod hoc ipsum peccatum meum, pro quo iustam damnationis sententiam excipiebam, beatissimæ Dei Genitrici Mariæ eiulando frequenter confiteri solebam, & continuò modicum spei aliquid conci-

Peccati noxam post obitum redi uiua confitetur, matrona quædã quæ præ verecundia illud detegens dum viueret cum lacrymis se Deiparæ commendarat.

piens

piens,ipſam matrem miſericordiæ, & vnicam ſpem miſerorum,ne me miſeram in ſummo neceſſitatis articulo conſtitutam derelinqueret, votis magis, atque ſuſpirijs, quàm verbis orabam. Nec mora, eadem conſolatrix, & protectio omnium ad ſe confugientium,tanquam STELLA Matutina,& fulgor meridianus adueniens,terruit, & increpauit dæmones,qui mihi illudebant,quòd ſuam ancillam inuadere præſumpſiſſent,iuſſitq; quanto citius deponere prædam, ibiq; dimittere eam donec à Domino egrederetur ſententia, quid inde fieri deberet. Cumq; dicto citius paruiſſent nequam ſpiritus, ipſa Mater miſericordiæ accedens ad filium,enixè orauit pro me. cui Dominus Noſti dilecta Mater, quod ſine confeſſione ſaluari non poteſt quiſquam: ſed quia fas non eſt, vt pro quauis petitione repulſam à me patiaris,& extra carnem locus confitendi,& pœnitendi non eſt,placet,vt hæc anima proprio corpori reddita,quod malè deliquit, & peius apud ſe retinuit,humiliter pœnitendo confiteatur ſtatimq; reducta, debito tandem ordine miſericordiam conſequatur. Mox itaq; Domino imperante, & pijſſima Domina noſtra ſollicitè procurante,miſſus eſt ad me Angelus bonus, qui de omni expectatione malorum ſpirituum eripiens, proprio corpori ſicut cernitis reſtituit. Nunc ergo confeſſione peracta tempus eſt, vt abeam minimè iam reditura; ſed in æternum Dei miſericordiam cantatura, qui me licet indignam tremendo ſuo iudicio eadem miſericordia præueniente,& ſubſequente tam dignanter ſubtraxit. cum hoc illa dixiſſet, caput feretro reclinauit,& ſigno crucis ſe muniens, ſpiritum exhalauit. hæc ex libro de viris illuſtribus Ordinis Ciſtercienſis apud ſpeculum exemplorum diſt.3.nu.46.Idem exemplum refert Vincentius Beluacenſis in ſpec.hiſt.lib.7.cap.117. idq; in Territorio Lingonienſi accidiſſe, eaq; poſt confeſſionem ſacra Euchariſtia percepta obijſſe ſcribit.

Speculum Exemplorum. Vincentius Belluacenſis.

Alia quoque inſignia,quæ ad hoc genus ſpectant,exempla habes in fine cap.34.

De quarto beneficiorum genere, quòd eſt à certo interitu ſeruare.

MVLIER AB IMMINENTI NECE *per Deiparam erepta ex Sigeberto.*

Ad ignem damnata mulier per Deiparam incolumis ſeruatur.

30 MVlier quædam ex Sigeberto in Chronicis circa annum Domini 1094. non procul ab vrbe Laudunenſi propter ſui generis necem,quam à duobus viris eidem inferendam curauerat, ad ignem damnata, cum ad ſupplicium duceretur, forte per Deiparæ Templum tranſiens, in eo Virgini magna fiducia ſupplicauit; ſeq; totam eius patrocinio commendauit.mox in magnum,ac vehementem ignem ſemel, atque iterum coniecta;Dei,& Virginis beneficio,neque ipſa, neque eius veſtimenta ab eo quiquam læſa ſunt: quare ipſa vna cum populo ad idem Virginis templum non ſine ingenti hominum admiratione Deo,& Virgini gratias actura venit,tantumq; miraculum ad Virginis inuocationem geſtum communi lætitia eſt celebratum. de hoc etiam Vincentius in ſpec.hiſt.lib.25.cap.90.& Baronius tom.11.ad annum 1094.

Vincentius Belluacenſis. Baronius.

MILES DEIPARAE BENEFICIO *à fornacis incendio præſeruatur.*

Deuotus B. Virginis Miles ab inſtãti nece per eam liberatur.

MIles quidam Regi charus morti proximus,filio, quem vnicum habebat, inter alia impensè commendauit. Primum, Miſſam vt quotidie integram audiret. Secundum,vt Deiparæ pietati ſtuderet, ac virginitatem coleret, vel ſaltem à fornicatione caueret. Is ergo parentis demortui dignitatem apud Regem conſecutus patris monita fideliter,ac ſtudiosè ſeruabat. ideoq; omnibus charus erat. Verum cum ab æmulo quodam, apud Regem, ſuſpecti in Reginam amoris crimine, per inuidiam accuſatus eſſet. Rex leuiſſimo indicio nimis credulus,ijs,qui laterum,calcisuè fornacem curabant, præcepit vt primum quemq; à ſe ſequenti die ad eos miſſum, in fornacem ignis proijcerent. Rex ergo mane iuſſit innocentem militem ad fornacem pergere, & apud fornacis magi-

magiſtros Regis præceptum vrgere. Is digreſſus à Rege, audito campanulæ ſigno in Eccleſia,quæ in via occurrebat,ad eam diuertit;Miſſam de more auditurus, vel iuxta parentis conſilium oraturus. Cumq; preces ad Deiparam fudiſſet, eiq; animam cum corpore,ſuam item virginitatem commendaſſet.Mox etiam Dei nutu ad horam obdormiuit. interea æmulus ille à Rege impetrauit, vt eius nomine ad fornacem accederet, intelligeretq; num Regis Imperium executi forent.Quò cum contento curſu eques peruenisſet,quæſiuit ab eis num Regis edictum perfeciſſent.At ij non perfecimus,inquiunt, ſed abſque mora perficiemus;atque arreptum hominem fruſtra reclamantem,& eiulantem,ac negantem eſſe ſe hominem illum,qui ex Regis eſſet ſententia comburendus,in ignem coniecerunt.Haud ita multo poſt ſubſequitur innocens miles,cognouitq; à miniſtris præceptum Regis iam planè perfectum. Atque ea quidem omnia cum Rex ordine intellexiſſet,ſimul etiam didiciſſet,qua occaſione innocens ille diutius ſubſtitiſſet,æmulus verò igni abſumptus eſſet;Dei quidem prouidentiam, & militis innocentiam admiratus arctiore eum complexus eſt ſtudio. hic verò Deum laudibus effert;in Dei,ac Deiparæ obſequio deuotus perſtitit,& tandem migrauit ad Dominum.Hæc in ſpeculo exẽplorum diſt.9.num.133. Idem ferè habet Bernardinus de Buſto 2.par.Roſar. ſerm.13. par.3.lit.H,habetur etiam in ſerm.diſcipl.48.de Sanctis.Ludouicus Granatenſis 2.par. catech.cap.23. §.10. idem ferè refert contigiſſe in Luſitania in familia cuiuſdam Reginæ ſanctitate inclytæ.

Speculum Exemplorum Bernardinus de Buſto. Sermone Diſcipuli. Ludouicus Granatenſis.

De quinto beneficiorum genere, quod eſt à multiplici vitæ diſcrimine eximere.

COMPLVRES DEIPARAE OPE VITAE DISCRIMINE EXEMPTI.

31 IOannes Philippus Ambroſius Neapolitanus tenui re, ſed magna religione erga B. Virginem fuit.Is anno 1579.inermis inciderat in armatos inimicos, à quibus quàm tumultuoſiſſimè circumuentus,cædebatur ad necem.Iã vulneribus confoſſus haud procul exitio aberat:nec quiſquam opem miſero ferebat;& illi animis,armisq; infeſti non prius cædendi finem facturi erant,quàm penitus extinctum cernerent. Ambroſius ergo media iam in morte Lauretanam Virginem venerabundus inclamat. Nec fruſtra miſſæ preces. Extemplo è ſeuientium manibus diuina vi ereptus preſentem interitum euadit. Ipſemet (quod poſtea narrauit) ſublimen inde ſe diuinitus auferri ſentit ad teli iactum: vbi exceptus à notis exanguis,ac ſemianimis defertur domum:nec tamen vitæ diſcrimẽ euaſiſſet,niſi nouam in eodem periculo B.Mariæ ſenſiſſet opem.Duodecim numero acceperat plagas,plerasq;mortiferas,quibus inſpectis medici de eius ſalute penitus deſperarant.At ille cæleſtis opis modo expertæ memor, tantum miraculum haud fruſtra eſſe credidit.Itaq; vnde auxilium aduerſus tela inimicorum adfuerat, indidem medicinam vulneribus ſperare cæpit.Ecce nouum miraculum:B.Virgo impenſius ab illo implorata, cęleſtem plagis facit repente medicinam. Ergo ille omnium opinione mortuus,repente ſanus,vegetusq; ſurgit è lecto. Lauretumq; profectus vota perſoluit, illuſtre Lauretani auxilij documentum:bis quippe vno tempore à media morte reuocatus. Proinde à notis,ignotisq; non iam Ioannes Philippus appellabatur,ſed Lazarus rediuiuus. hæc Turſellinus lib.4.hiſt.Lauret.cap.28.

Vulneratus quidam ab inimicorum manibus Lauretanæ Virginis munere eripitur, ac ſanatur.

Turſellinus.

32 Paulus Genuenſis Nauarchus nobilis fuit.is è Gallia Narbonenſi Genuã repetebat, cum ſubito fęda exorta tempeſtas,naufragio intentato,iacturam omnium mercium facere eum ſubegit. Cęterùm procella nauim pertinacius vrgente,ingens omnium animis terror inceſſit.Itaq; vectoribus,nautisq; dilabentibus,vt ſalutem natatu peterent, ſolus ipſe manſit in naui,quam æque,ac ſe ipſum ſaluam vellet, fortunarum.ſ.ſuarum caput. Onerariam ergo illam ſuam plenã fluctibus cernens,effuſus in vota,& ſibi,& naui Lauretanam inuocat Virginem.haud fruſtra ea inuocatio,& vires illi, & animos addidit.incredibile dictu,ingenti vi moliens velum ſolus ipſe ſubſtollit:ac veluti ſuas preces auditas eſſe ſentiret, nauigium vndis exhaurire conatur. Inter hæc tempeſtate ſedata,nauis vento,ac B.Maria obſecundante Genuẽſem tenuit portum, haud minore ipſius admira-

E naufragio quidam Lauretanæ Virginis ope bis eripitur.

Vota oblata opportune non perſoluens Nauarchus dat pœnas.

tione,quàm aliorum, qui onerariam ingẽtem ſemiplenam fluctibus vno Nauarcho nautarum omnium munera exequẽte ad portum appulſam videbant. Attamen Paulus voti compos ſegnior,quam par erat, in voto reddẽdo fuit:ſiuè aptius ſubinde tempus expectans,ſiuè alia huic negotio præuertenda ratus.Nec mora diu impunita.Vertẽte anno eo ipſo die (vt tempus beneficij pariter, ac delicti eum admoneret) eadem vectus naui cum paruo filio fecit naufragium.Perculit repẽte ægrum animum memoria vitati nuper B.Virginis ope periculi,& voti peregrinationis omiſſæ.Igitur effuſe lacrymãs à Deo veniam exorat,expertamq́; Laureranę Virginis ſibi,ac filio expoſcit opem,veteris voti religionem voto ſanciens nouo.Nec fruſtratæ ſunt eum preces,filiolum inter vndas quæritans,ſaluum reperit,ſublatumq́; in humeros per ingentem agitati maris tractũ natans, ad terram tranſuexit incolumem,cæteris vectoribus,nautisq́; inter fluctus hæſitantibus, obrutisq́; vt aliorum clades cœleſte donum illuſtrius faceret. Ille igitur,vt attigit littus, ſua,& filij ex præſenti exitio recepti ſalute lætus, B.Mariæ ſecundum Deũ gratias agit, quæ votum fruſtrata non ſit hominis vota fruſtrantis . è veſtigio precario, mendicatoq́; cibo ſe,paruumq́; filium ſuſtentans,ad Lauretanam venit ædem. hæc Turſellinus lib.3. hiſt.Lauret.cap.26.

Turſellinus.

Infirmi duo per Lauretanã Virginem valetudini reſtituti.

Melido quidam fuit è Vaſto vrbe Samnitium,cuius vxor,& filia graui,diuturnaq́; febri pariter afflictatæ iacebant morti proximæ.Iamq́; ſacris candelis ad capita earum de more accenſis,ſimul ambæ agebant animam,cum Melido,qui vtramq́; vnicè diligebat, vltima experiri ſtatuit.Igitur dolore ardens procumbit in genua, & manantibus vbertim lacrymis,Lauretanæ Virginis opem implorat: ſupplicationi votum addit, plurimum in Deiparæ benignitate ſpei reponens.Et ſpes nequaquam eum fefellit:mira res,repente coniux,& filia periculo exemptæ, paucisq́; diebus perſanatæ . Inde à Melidone Lauretum adductæ,vota pro ipſarum ſalute ſuſcepta Deiparæ Virgini reddiderũt anno 1559. hæc Turſellinus lib.4.hiſtor.Lauret.cap.29.

De ſexto beneficiorum genere, quòd eſt in rei familiaris inopia ſubleuare.

DEIPARAE BENEFICIO ANNONA egentibus Monachis ſubminiſtrata ex Gregorio Turonenſi.

Egeſtate oppreſſis Monachis Deipara fert opem. Gregorius Turonenſis.

33 MOnaſterium Deiparæ eſt valde magnum in Ieruſalem, non modicam habens cõgregationem in quodam loco,deuotio populi ſæpè plurima confert:verum etiam Imperatoris iuſſu ibi non minima largiuntur. Accidit autem quodam tẽpore,vt præ penuria egeſtatis valde eis victus neceſſaria deficerent:cumq́; Monachorum Congregatio vna,atque alia die refectionis alimoniam non caperent,accurrunt ad Abbatem, quibus ait Abbas:Oremus fratres dilectiſſimi,& Dominus miniſtrabit nobis cibum:nec.n poteſt fieri,vt deficiat triticum in EIVS Monaſterio,quæ frugem vitæ ex VTERO pereunti intulit mundo. Quibus vigilantibus nocte tota, ac pſallentibus , mane orto ita reperiunt cuncta horreorum habitacula repleta tritico, vt vix vel reſerari oſtium poſſet . Accepto autem cibo gratias egerunt Deo . Poſt multos verò annos iterum deficiente cibo , clamauerunt Monachi ad Abbatem,qui ait:Vigilemus,ac deprecemur Dominum, & forſitan tranſmittere dignabitur alimenta. Denique proſternuntur ad pauimentum templi. Vigilantes itaq́; noctem in pſalmis, hymnisq́; & canticis ſpiritualibus, cum ſe poſt matutinas ſomno dediſſent,venit Angelus Domini , & poſuit ſuper altare multitudinem innumeram auri: erant enim oſtia ædis obſerata. Exurgente autem mane Abbate cum Monachis ad celebrandum curſum,viderunt multitudinem auri ſuper altare. Et ait Abbas cuſtodi ædituo. Quis perfectorum huc ingreſſus eſt,qui hæc detulit? reſpondit.Poſt egreſſum veſtrum nullus hic hominum acceſſum habuit, ſed oſtij clauem munitam retinui,& mecum habui, donec ſurgeres ad commouendum ſignum. Tunc ſtupens Abbas cum Monachis munus cęleſte intellexit;gratiasq́; Deo agens,collegit, comparatisq́; victui neceſſarijs, plebem creditam effluenter refecit. Nec mirum ſi B.VIRGO ſine labo-

re

re ſuis protulit victum, quæ ſine coitu viri concipiens, Virgo permanſit & poſt partum. hæc ex Gregorio Turonenſi lib. 1. de gloria martyrum cap. 11.

MERCATOR AD INOPIAM REDACTVS

ſub Deiparæ fideiuſſione pecuniam à Iudæo accepit, quam ope Deiparæ præſcripta die reſtituit. ex Dionyſio Carthuſiano.

Imago Deiparæ propecunia fideiuſſione à Mercatore quodam Iudæo data, illum ad debiti ſolutionem mirifice adiuuat.

34 CONſtantinopoli quidam Mercator diues, & iuſtus ad tantam deuenit inopiam, vt à quodam Iudæo ſibi poſtulauerit mutuari pecuniam dicens: Dabo tibi fideiuſſorem ſanctam Mariam, & eius Imaginem; quod die ſtatuto tibi perſoluam. Acquieuit Iudæus ſciens ſanctam Mariam eſſe poſt Deum primam ſpem chriſtianorum. Perrexit ergo mercator cum pecunia in Alexandriam, & infra annum multas valde ibi acquiſiuit pecunias: Cumq; die ſtatuto imminente non poſſet reuerti, poſuit pecuniam perſoluendam in repoſitorio ad hoc apto. ſcriptum quoque annulo ſuo ſignatum tale appoſuit. Suſcipe Abraham pecuniam, quam mihi accommodaſti. Et nocte diei, quo fuerat pecunia perſoluenda, poſuit repoſitorium illud ſupra mare, rogans Virginem piam, vt repoſitorium illud ad Conſtantinopolim, atque ad manus præfati Iudæi dirigeret. O magna fides viri, ſed maior gratia Virginis ſacræ: Nam ipſa dirigente repoſitorium illud per tanta maris ſpatia vna nocte peruenit vſque ad littus Conſtantinopolitanum. Porrò Iudæus pro pecunia ſua ſollicitus mane exiuit ad littus ſi forte aliquam videre poſſet Nauim de Alexandria venientem: & ecce vidit repoſitorium applicari ad littus: quod ſumens, ac titulum legens, accepit repente pecuniam. Et quoniam nullus affuit, eam abſcondit; redeunteq; mercatore nomine Theodorico, Iudæus petijt debitum ſibi ſolui. Reſpondit Mercator ſe illud ſibi miſiſſe; ſed Iudæus negauit ſe accepiſſe: Cauſa autem ad Iudicem deducta, Iudex dictauit, vt Iudæus coram fideiuſſore, videlicèt ſanctæ Virginis Imagine iuraret ſe non accepiſſe illam pecuniam. quod cum Iudæus coram cunctis iuraret, ſermo ab Imagine prodijt dicens: Mentiris, quoniam repoſitorium cum pecunia accepiſti, & abſcondiſti. Tunc confuſus Iudæus totam rei veritatem aperuit, ſeq; chriſtianum fieri poſtulauit. Quibus cognitis plures Iudæi facti ſunt chriſtiani. hæc Carthuſianus ſermone quarto in Aſſumptione B. Virginis Mariæ. Idem exemplum paucis mutatis habet Vincentius in ſpeculo hiſtor. lib. 7. cap. 82.

Dionyſius Carthuſianus. Beluacenſis.

De ſeptimo beneficiorum genere, quod eſt ſterilitate laborantes prole donare.

ALIQVI STERILITATE LABORANTES

filios, eosq; ſanctitate præclaros Deiparæ munere ſuſceperunt.

Mariana. Sterilis S. Ildefonſi mater, voto B. Virgini dicato concepit.

35 SAncti Ildefonſi Archiepiſcopi Toletani parentes poſt longam multorum annorum ſterilitatem Deiparæ beneficio filium ſunt adepti, quod Mariana lib. 6. de rebus Hiſpaniæ cap. 10. habet his verbis: Stephanus pater Ildefonſi filij ſuſceptam vitæ rationem, (quippe qui monaſticum habitum induerat) ægre ferens, probauit tandem hortatu potiſſimum vxoris poſt longam ſterilitatem aſſirmantis precibus à diuino numine impetratum, Virginis matris obſequijs deberi, qua ſe religione implicaſſet, ſi voti compos eſſet facta. ſic ille.

Apparet Mariæ matri S. Stephani Iunioris martyr. eiq; naſcituram, quem ſibi deuouerat filium promittit.

Sancti Stephani Iunioris præclariſſimi Chriſti martyris parentes cum duas filias genuiſſent, maſcula tamen prole carebant. quod moleſtè ferentes, eam à Deo aſſiduis precibus obnixè petebant, præſertim in Deiparæ Templo Blanchernis in Vrbe Conſtantinopoli ſito. quadam autem die eius Mater Anna coram Dei Genitricis Imagine, ſi maſculam prolem conſequeretur, Chriſto Domino eam conſecraturam promiſit: mox ſomno correpta, fœminam præſtantiſſima forma cernit, quæ ipſius pedem vellicans. Abi, inquit, in pace mulier: eſt enim tibi in vtero filius, quem poſtulaſti. poſtea au-

tem maturè in lucem edito filio, confestim velut præludium pactorum iniens, ad Blachernense templum vna cum marito proficiscitur; eumquè illi, cuius beneficio acceptum ferebat, dicat: qui posteà religiosum institutum complexus pro cultu sanctarum Imaginum dira passus, tandem inclyto martyrio est coronatus. hæc ex Damasceno, qui luculenter eius vitam descripsit, quam ponit Surius tom. 7. 28. Nouemb. quo die anniuersaria memoria recolitur in Martyrologio Romano.

Damascenus. Surius Martyrologium Romanum.

Sterilis Blanca Galliæ Regina, postquam Rosarij B. Virginis deuotioni est addicta, filium concepit.

36 Cum Blanca Galliæ Regina sanctissima multos iam annos cum viro vixisset, nec vllam ex eo (quod satis ægre ferebat) prolem suscepisset, rogauit sanctum Dominicum Ordinis Prædicatorum institutorem per id tempus in Gallia degentem, vt prolem sibi à Deo impetraret: at vir sanctus Reginæ suasit, si prolem expeteret, vt maximo animi ardore, & contentione Deiparæ Psalterium, seu Rosarium, & pronunciaret ipsa, & alijs quotquot posset distribuendum curaret; modum insuper, ac rationem eius recitandi traderet, sperarétq; præpotentem Deum Deiparæ patrocinio, ac eorum, qui Rosarium recitarent, precibus, omnibus eius votis satisfacturum. mox Regina Rosarij pronunciandi modum addiscit; docet; ac toto Galliæ Regno promulgandum diligenter curat. Cūq; piæ exercitationi insisteret, diuina benignitate facta voti compos Ludouicum peperit, qui deinde Galliæ Rex sanctitate p æclarus, pluribus illustris miraculis, Sanctorum catalogo est adscriptus. ita Ferdinandus de Castiglio in Chronicis Ordinis Prædicatorum par. 1. lib. 1. cap. 7.

Ferdinandus Castiglius.

De S. Alberto Carmelita.

Cap. 35.

Sanctus Albertus Carmelita ex parentibus, qui sex supra viginti annos in sterilitate vixerant, voto Deiparæ nuncupato, procreatus est; quemadmodum vberius diximus cap. 35.

Apparet Deipara matri Roberti Cisterciensis Abbatis sibiq; filium, quem illa in vtero gestabat desponsandum prædixit.

37 Ad hoc genus beneficiorum, quo parentes steriles Deiparæ fauore prolem sunt adepti, reuocare possumus illud, quod de Roberto Primo Cistercienſi Abbate, viro sanctitate clarissimo litteris proditum est, cuius matri cum adhuc eum gestaret in vtero, Deipara semel, atque iterum per quietem apparuit; aureum manu præferens annulum, dixitq; ei. O Ermgardis (hoc ei nomen erat) volo filium, quem gestas in vtero mihi hoc annulo desponsari: expletis igitur diebus Ermgardis filium enixa, Robertum vocauit. Is porrò quintodecimo suæ ætatis anno apud S. Petrum de Cella regulari suscepto habitu, totum se Dei, Deiparæq; mancipauit obsequijs; qui postea Primus Abbas Molismensis, primus item Abbas extitit Cistercienſis cœnobij, ex quo deinde Ordo ille sub Deiparæ patrocinio magno Ecclesiæ bono per S. Bernardum Virginis studiosissimum valde est propagatus: tandem S. Robertus anno ætatis 83. migrauit in cœlum. hæc in vita eiusdem apud Surium die 29. Aprilis.

Surius.

S. Brigitta in partu laborans à Deipara suatur.

Huc etiam spectare videtur, quod de sancta Brigitta fęmina diuinis Reuelationibus inclyta narratur, quam periculosè, quandoq; in partu laborantem, matrona quædam albo serico amictu induta ad eam ingrediebatur singula decumbentis membra palpans: cumq; rursus ex ea egrederetur, mox sine vlla difficultate fœtum edidit. Non dubium quin B. Maria fuerit, sicut ei postmodum per reuelationem indicauit. ex eius vita apud Surium die Iulij 23.

De octauo beneficiorum genere, quod est à persequutionum molestijs eripere.

CISTERCIENSIVM ORDO IN SVA IMMVNITATE *ab Innocentio III. Deiparæ monitu conseruatur.*

Religiosorum Cisterciensium immunitas per Dei Parám seruata.

38 MEmorabile est illud, quod de Cistercienſibus ab imminenti quadam tribulatione singulari Deiparæ beneuolętię significatione liberatis, Cęsarius lib. 7. cap. 6. narrat his verbis: Tępore illo, quo Baldeuccinus Comes Flandriæ cum cruce signatis Constantinopolim expugnauit, D. Papa Innocentius Ordini litteris suis mandauerat, vt quadragesimā partem oium rerum suarum mobiliū in succursum terrę sanctę transmitteret. Ordo verò priuilegijs sibi ab eius anteceſſoribus indultis innitens, ne libertatē concesā,

verte-

vertere videretur in ſeruitutem,tam grandi exactioni ſubiacere non acquieuit. Vnde Innocentius furens, in tantum Ordini indignabatur, vt dignitatibus ſecularibus indulgere proponeret,quatenus poſſeſſiones Ordinis ſibi vſurparẽt.In proximo generali Capitulo Abbates,qui confluxerant,ſpem ſuam in beata Dei genitrice Maria, quæ Ordinis Patrona eſt,& Aduocata,ponentes,ſcientes ſententiam malè conceptam, eius precibus, & meritis facilè poſſe reuocari, ſpeciales pro eadem neceſſitate vſque ad proximum Capitulum orationes iniunxerunt.Hoc etiam adijcientes,vt à capite quadrageſimæ nudis pedibus de capitulo exeuntes ſeptem pſalmos cum Litania cantarent: quod & fecimus. Interim beata Dei genitrix Virgo Maria,cuidam religioſo nomine Reinero, iam dicti Innocentij confeſſori apparens,in hæc verba eidem mandauit;Tu Ordinem Ciſtercienſem, cuius Aduocata ſum ego,deſtruere conaris, ſed non prævalebis; & niſi citius de tuo malo propoſito reſipiſcas;ego te,& omnem poteſtatem tuam conteram. Huiuſmodi nuntio Dominus Innocentius audito,ſciens Reinerum virum eſſe ſanctum, ac veracem,timuit. in tantum de concepto peccato pœnitens, vt Ordinis priuilegia roboraret.hoc adijciens,vt primo omnium negotia Ordinis in curia expedirentur:quam indulgentiam cum tam ſua bulla,quàm omnium Cardinalium ſubſcriptionibus confirmaret, & vnus tantum nigri Ordinis Cardinalis contradiceret, ita in illum exarſit, vt ſtatim eum amouere minaretur.Cumq; hæc in proximo Capitulo Patribus noſtris innotuiſſent, Chriſtum,eiusq;Genitricem Virginem Mariam de tam inopinata mutatione glorificantes,orationes iniunctas cum gratiarum actione dimiſerunt. hæc Cæſarius. *Cæſarius.*

CISTERCIENSES AB EXILIO PER Imperatorem intentato reuocantur.

39 ET ſanè idem Ciſtercienſis Ordo ſanctæ ſedis Apoſtolicæ communionem nulla Imperatorum eam proſequẽtium habita ratione fideliter retinebat. quod ex ſubiecto exemplo, auctore eodem Cæſario lib.2. exempl.cap.19. cognoſcere licet. Tempore,inquit,ſchiſmatis,quod fuit inter Alexandrum,& Calliſtum ſub Friderico Imperatore,qui eiuſdem ſchiſmatis auctor erat, & defenſor, compellebantur omnes Eccleſiæ per vniuerſum Orbem Romanum litteris Imperialibus iurare fidelitatem, & obediẽtiam Calliſto,quem ipſe Papam creauerat; reſiſtentes verò iuſſi ſunt exulare. cum huiuſmodi litteræ exhibitæ fuiſſent conuentui de Hemmenrode, & fratres vnanimi conſilio dicerent,ſe nequaquam velle recedere ab vnitate:præceptum eſt eis, vt celerius exirent de Romano Imperio. Viri illi virtutis,diuinum timorem minis Regijs anteponentes, cum iã res ſuas,& veſtimenta ſarcinaſſent,ordinatiq; fuiſſent in diuerſas domos Regni Francorum,dicebat vnus eorum venerabili Sacerdoti Dauid Monacho ibidem; Pater ignoras,quia omnes migrabimus de loco iſto? Ita enim intentus erat cœleſtibus, vt quid in exterioribus ageretur,prorſus ignoraret: cui cum miranti,& interroganti cauſam,ille negotium totum explicaret,maximam in Domino habens fiduciam, vir beatus reſpondit; Confortamini fratres non enim deſerit Dominus ſperantes in ſe; Antiphonam,quæ in nocte dicetur ſuper Magnificat fortiter,& cum lacrymis cantate, & Dominus conſolabitur vos. erat autem Dominica ante Aduentum,in qua Antiphona eſt ſuper Magnificat: *Qui cœlorum contines thronos, & abyſſos intueris, terram pugno concludis, exaudi nos in gemitibus noſtris*. Ipſe verò ſanctus intrans Oratorium, effudit animam ſuam in oratione cum multis lacrymis diuinam interpellans clementiam. Acquieſcentes eius conſilio fratres,eandem Antiphonam tanto intentius cantabant,quanto fortius cantantes anguſtia premebat, & ad cantandum incitabat. Flexus pius Dominus lacrymis ſeruorum ſuorum,Imperatoris cor mutauit,& miſſæ ſunt litteræ ſub feſtinatione, vt manerent,orentq; pro imperio.Ex his poteris colligere,quàm efficaces ſint in auribus Dei lacrymæ contritionis. hæc Cæſarius. *Ab exilio per Imperatorem intentato Ciſtercienſes Monachi reuocati cum Antiphonam ſuper Magnificat, deuotè canere, cepiſſent.*

Simile quid in Ordine Prædicatorum accidiſſe diximus cap 35. cum Innocentij IIII. tempore,ob eorum priuilegia impedita, iactarentur magno turbine.à quo Deiparam indictis precibus,& quotidianis Litanijs inuocantes, liberati ſunt. *Alia ſimilia exempla. Cap. 35.*

Idem in quadam contra Societatem noſtram excitata procella euenit, quæ implorata Deiparæ ope,& indictis eius Litanijs ſedata eſt. quemadmodum cap.35.diximus.

De nono beneficiorum genere, quod eſt in rebus etiam paruis benignè exaudire.

DEIPARA IN REBVS ETIAM PARVIS *ſuos clientes exaudire non dedignatur. ex Gregorio, & ex Thoma Cantipratenſi.*

S. Bonifacio Ferentinæ Ciuitatis Epiſcopo, duodecim nummos aureos, eleemoſynæ nomine erogatos B. Virgo ſuppeditat.

40 SAnctus Bonifacius Ferentinæ Ciuitatis Epiſcopus, cum duodecim aureos ſui nepotis, eo inſcio in eleemoſynam pauperibus erogaſſet, eosq; poſtea nepos ſibi reſtitui importunè flagitaret; B. Virginis Eccleſiam ingreſſus, eleuatis manibus, extenſo veſtimento orauit, vt ei redderet, vnde furentis nepotis inſania mitigaretur: tunc repente in veſte inuenit duodecim aureos, perinde fulgentes, quaſi ex igne producti eadem hora fuiſſent. hæc ex Gregorio lib. 1. dialog. cap. 9.

Pſalterium petenti puellæ à Deipara donatur. Cantipratenſis.

Puella quoque ſeptennis pſalterij libellum, (qui ante artis impreſſoriæ inuentionem caro emebatur,) à Deipara enixè petens, legendi peritiam cum pſalterio eſt conſecuta. Rem geſtam Thomas Cantipratenſis lib. 1. apum cap. 23. par. 2. & 3. in hunc modum narrat. Filia fuit viri pauperrimi, & cum puella nondum ſeptennis miro interius feruore ſpiritus traheretur, rogauit patrem cum lacrymis, vt ſibi pſalterium compararet. cui pater: Vnde, inquit, filia pſalterium comparabo, qui vix tibi quotidie panem lucrari ſufficio? Mox illa conuerſa ſuppliciter ad matrem Chriſti orauit, & dixit: O beata Maria mater Chriſti, da mihi pſalterium, quod pater dare non poteſt, & ero perpetuò ancilla tua. In hac igitur ſimplicitatis puerè perſeuerauit illa per annum, & ecce in ſomnis apparuit ei beata Virgo Maria ferens, vt ei videbatur, in manu duo pſalteria, & dicens ei: Accipe nunc filia mea ex duobus quodcumque elegeris. Nec mora, vbi cum maximo tripudio elegit vnum, diſparente B. Virgine, puella de ſomnis euigilans, nihil inuenit in manibus ſuis, & illuſam ſe conquerens à matre Chriſti, flere cœpit vberrime. Quod vt audiuit pater irriſit filiæ, & conſolans eam: Vade, inquit, tantum diebus Dominicis, & feſtiuis ad magiſtram, quæ filias diuinum pſalterium docet, & primo diſcas legere, & poſtea B. Maria tibi pſalterium forſitan procurabit. Mira res, quod vbi puella ſimpliciter accepit, & ad magiſtram, quæ diuitum filias docebat, venit; pſalterium inſpexit, & legit: & ſic B. Maria multo miraculoſius promiſſum ſuæ dignationis impleuit. Quod vt viderunt honeſtæ, & diuites matronæ parochiæ, emerunt puellæ pſalterium, & ſubſequenti tempore cum eam in Chriſti ſeruitio alacram cernerent, & deuotam; eidem iuxta Eccleſiam cellulam pro recluſorio locauerunt, in quo, vt idem auctor teſtatur, (qui eam familiariter nouit) incluſa manebat, & lorica ferrea ad carnem induta, aſperrimam vitam ducens orationibus vacabat. ſic ille.

De decimo beneficiorum genere, quod eſt ingenio rudibus ſcientiam conferre.

HERMANNVS CONTRACTVS SACRARVM *ſcripturarum ſcientiam à Deipara conſequitur.*

Hermannus Contractus ſcientiarum peritiam à Virgine conſequitur. Trithemius.

41 HErmannus Contractus ſic dictus, quòd omnibus corporis membris iam inde à iuuentute captus eſſet, ex Comite de Vveringen nobili genere in Sueuia ortus, Cœnobita Ordinis S. Benedicti, circa annum Domini 1066. claruit. ei cum teſte Trithemio lib. 2. de viris illuſtribus Ordinis S. Benedicti cap. 84. Dei genitricem pro valetudine conſequenda enixius precaretur; ab eadem per viſum optio datur, vtrum omnium ſcripturarum ſcientiam, an bonam corporis valetudinem conſequi mallet: cumq; illud huic prætuliſſet: ex eo tempore cum rudis eſſet, & idiota, rebus tamen ſpiritualibus, ac pietati deditus, & ſcripturarum ſtudio accenſus, vſque eo profecit, vt & in diuinis litteris, & in omnibus humanis diſciplinis, Philoſophia, Aſtronomia, Muſica, Poeſi ad ſummam eruditionem peruenerit, nulliq; ætate ſua ſecundus fuerit. trium quoque linguarum idioma-

ta,latinæ ſcilicet, græcæ, & arabicæ (cuius quidem vſus propter Philoſophos Arabes, qui eo tempore clarebãt,non parum vtilitatis afferebat) perinde callebat,ac ſi eas cum nutricis lacte ſuxiſſet.hæc omnia ex Trithemio. Ab eodem hoc Hermãno,teſte Trithemio,edita eſt inter alia Cantica, Antiphona illa in Eccleſiaſtico officio celebris, cuius initium eſt *Salue Regina*,vſque adeò Virgini grata,vt ab Angelis decantari audita ſit,& plurima circa eam miracula,quemadmodum cap.39. dicimus,contigiſſe narrentur.

Angeli Salue Regina canentes audiuntur. Cap. 39.

RVPERTVS TVITIENSIS DEIPARÆ fauore doctiſſimus euadit.

42 NEc verò prætereundus eſt Rupertus Abbas Tuitienſis,qui æquè vita,ac doctrina clariſſimus anno Domini 1020.floruit: nam cum Idiota eſſet(inquit Trithemius lib.cit.cap.109.) & parum de ſcripturis ſanctis poſſet intelligere; orationibus tamen, & deuotioni ſemper intentus,beatiſſimam Dei genitricem Mariam ſedulis precibus orabat,quatenus ſibi à filio ſuo Domino noſtro Ieſu Chriſto,qui fons eſt ſapientiæ,intellectum, & ſcientiam ſcripturarum impetraret. Apparens igitur ei beatiſſima Virgo in viſione dixit; Orationes tuas audiui,poſtulata impetraui; ecce omnium ſcripturarum tibi arcana pateſcunt, ita vt ſimilem hoc tempore habeas neminem, Tantum ne torpeſcas otio, ne gratiam tibi collatam prætereas. Alia inſuper ſecretiora ſibi dicta fuiſſe in quodam loco fatetur, quæ tamen non audet exprimere: ex eo igitur tempore,vſque ad diem mortis ſuæ,tanto amore,& deſiderio ſacras ſcripturas intellexit,& expoſuit, vt ab earum ſtudio nunquam ceſſaret:ſemper legit,orauit,aut ſcripſit, vt ne horis quidem, iuxta morem cæterorum,parceret nocturnis.quod vt liberius poſſet facere, curam temporalium rerum alijs commiſit idoneis, ipſe internis tantum ſtudijs inſiſtebat. hæc ad verbum ex Trithemio.

Rupertus Tuitienſis ſcientiarum eruditionẽ à B. Virgine accepit. Trithemius.

ALBERTVS MAGNVS DEIPARAE BENEFICIO ingenij acumen in ſcientijs eſt adeptus.

43 NEc abſimile eſt, quod de Alberto Magno legitur apud Ferdinandum à Caſtillo 1.par.Chronic. S.Dominici lib.3.cap.45. Is cum ab ineunte ætate Virginis colendæ ſtudioſus in primis eſſet; in eius honorem tanquam peculiaris Aduocatę,certum quendam precum numerum,veluti famulatus ſui penſum ſingulis diebus perſoluebat, eamq; obnixè orabat,vt actiones ſuas omnes ad diuinum obſequium,& animæ ſalutem dirigeret;ſeq; in eo vitæ ſtatu,qui huic fini conſequendo maximè congrueret,quaſi manu ſua collocaret. tandem B.Virgo ei apparuit,ac mirificè recreatum admonuit,vt terrenis rebus omnibus nuncium remitteret, ad Prædicatorum Ordinem ſeſe conferret. quod cum poſt aliquod tempus nonnullis difficultatibus exhauſtis perfeciſſet, ac litterarum ſtudijs operam daret,eſſetq; inter alios condiſcipulos ingenio rudis,& ad diſcendum planè ineptus, tanto animi dolore affectus eſt, vt de religioſæ vitæ inſtituto deſerendo,magnis tentationum fluctibus agitaretur.

Alberti Magni erga Virginem deuotio, per quã ſcientiarum eruditionem obtinet Ferdinandus à Caſtillo.

Cùm autem in eo cogitationum conflictu verſaretur, nocte quadam per quietem ſibi viſus eſt diſceſſum à religione conſtituiſſe, & iam per ſcalas ad oſtium eò conſilio properare;cum virgines quatuor ſpecie formoſiſſimæ tranſitum ei prohibuerunt,à quarum vna,cum cur abire vellet,interrogaretur,cauſatus eſt ingenij ſui tarditatem. Verùm illa blandè hominem conſolata monuit, vt à Deipara mox affutura, cuius ſe ancillas profitebantur, certam opem expectaret: & iam ab ijs ad Deiparam perductus, & benignè ab ea exceptus,cum interrogaretur quid potiſſimùm expeteret: reſpondit ipſe, cupere ſe in Philoſophia,cui eo tempore operam dabat,plurimum excellere. Deipara bono cum animo eſſe iubens,in ea facultate in inſigni eruditione eum euaſurum prædixit, additq;,Vt autem intelligas mea ope,non tuo ingenio id te aſſecuturum,extrema vita omnem doctrinam inter docendum ex tempore amittes. tradunt alij, quia naturalem ſcientiam potius,quam adoleſcens attigerat,& non diuinam ſibi dari popoſciſſet;idcirco hoc ei in extrema vita euenturum,Deiparam illi ſignificaſſe. quicquid fuerit,ex illa

hora

Albertus Magnus doctrina ac pietate præclariſſimus.

hora breui in litteris eos progreſſus fecit, vt præſtantiſſimus ſuæ ætatis Philoſophus ſit habitus,& Magni nomen conſecutus.quod tum docendo,tùm ſcribendo ſatis teſtatum poſteris reliquit.plurimos enim,eoſq;eximios habuit auditores:in ijs S.Thomam Aquinatem,Doctorem planè Angelicum,& Eccleſiæ lumen: plurimos etiam libros in Theologicis,& Philoſophicis eruditione, & doctrina refertiſſimos edidit: in ijs de B.Virgine ſua ſingulari patrona, librum prorſus admirabilem compoſuit. Nec tamen propterea tantus,ac talis Doctor ea,quæ ad ſpiritus profectum pertinent, negligebat: nam puritati cordis,regulari diſciplinæ, & orationi mirificè ſtudebat. quod conſtantiſſimè de Alberto teſtatur Thomas Cantipratenſis eius auditor,veluti teſtis oculatus,in lib. 2. apum cap.57. num.50. Tandem ſub vitæ finem,ſenio confectus dum è cathedra doceret,omnium,quæ ad litterarum ſcientiam pertinent,repentè oblitus, hæc quæ ſibi adoleſcenti acciderunt,narrauit;ſeq; ad vitæ terminum peruenisſe teſtatus eſt.itaq; diſceſſit,auditoribus cum lacrymis vbertim non ſecus,ac ſi iam obijſſet proſequentibus. reliquum deinde vitæ,in oratione,alijsq; pietatis officijs ad extremum vſque ſpiritum maxima vitæ ſanctitate traduxit.

Thomas Cantipratenſis.

Atque hæc de nonnullis,qui ſcientiarum cognitionem Deiparæ ope ſunt conſecuti. Conſultò verò in præſentia prætereundum exiſtimauimus Vdonem Epiſcopum Magdeburgenſem,qui licet à Deipara ſcientiam ſit adeptus, multis poſtea ſceleribus,Dei in ſe iudicium prouocauit: quare & miſerabili morte extinctus eſt; cuius hiſtoriam plenius in tract. de Exemplis Deiparæ executi ſumus.

De vndecimo beneficiorum genere, quòd eſt martyres confortare.

DEIPARA CONFORTATRIX SANCTORVM *Theodori, & Theophanis.*

44 INter alia Deiparæ beneficia,quibus ſuam, quam de fidelibus curam gerit, facile declarat,illud eſt; quod eos ad martyrium pro Chriſto fortiter ſubeundum roborat:quemadmodum apud S. Brigittam in ſermone angelico cap. 19. Angelus dixiſſe ſcribitur his verbis: Virgo Maria in hoc mundo ante Aſſumptionem ad bonorum confortationem, & errantium correctionem remanere permiſſa eſt. Erat enim magiſtra Apoſtolorum, CONSOLATRIX MARTYRVM,Doctrix Confeſſorum, clariſſimum ſpeculum virginum, Conſolatrix viduarum, in coniugio viuentium ſaluberrima monitrix, atque omnium in fide catholica perfectiſſima Roboratrix. & mox: Martyres quoque ad tribulationes gaudenter pro Chriſti nomine ſufferendas animabat,qui pro ipſorum,& omnium ſalute,quampluribus tribulationibus ſe ipſum ſponte expoſuerat, aſſerens ſe ipſam ante filij ſui mortem 33. annis tribulationem cordis indeſinenter in omni patientia pertuliſſe. hæc S. Brigitta. nos exemplis id confirmemus: ſi enim dum inter mortales degeret id efficiebat, quanto magis idem in cœlis regnans præſtabit, vt propterea à Bonauentura in Litanijs Deiparæ,ipſa iure optimo dicatur CONFORTATRIX Martyrum.

S. Brigitta Reuelatio de ſpirituali miſericordia Deiparæ.

SS. Theodorus, & Theophanes fratres in cruciatibus Deiparam inuocabāt.

SS. Theodorus,& Theophanes fratres à pueritia in Monaſterio S.Sabæ nutriti, cum poſtea pro ſanctarum Imaginum cultu aduerſus Leonem Armenum verberibus affecti, & exilio relegati ſtrenuè decertaſſent: rurſus Theophilo Imperatori Iconomacho conſtanter reſiſtentes multa tormenta perpeſſi,in ſuis cruciatibus Deiparæ opē implorabāt. quòd in Epiſtola ab eodem S.Theodoro ad Ioannem Cyzici Epiſcopum data,videre licet,vbi de hac ipſa re,& de tormentis ſibi,fratriq; pro eodem cultu ſanctarum Imaginum illatis agit. cuius verba hæc ſunt: Imperator iuſſit nos exui,cum ambo autem exuti eſſemus,verberabar ego,ſic aſſiduè clamante Imperatore,& eos,qui flagellabant, adiuuante:Sic te in me geris? da pulchrè. Verberabatur itaq; & tergum, & pectus abſque vlla clementia, & miſericordia. Ego verò cum diu flagris cæderer, vociferabar: Nihil peccauimus in tuum Imperium. & rurſus: Domine miſerere,& Sancta DEIPARA,veni

ad

ad noſtrum auxilium. Deinde etiam verberarunt fratrem ſimiliter clamantem, & dicentem: Sancta DEIPARA, ipſa quoque fugiſti in Aegyptum portans tuum filium, Reſpice ad me, qui propter ſimilem tibi fugam punior. Domine, Domine, qui liberas pauperem à manu eorum, qui ſunt eo fortiores, ne diu differas tuum nobis dare auxilium. Et cum ſic ambos concidiſſet quantum volebat, iuſſit nos exire.

Et hi tandem præclariſſimi Chriſti athletæ poſt alios cruciatus in exilium pulſi ſunt, vbi S. Theodorus in carcere expirauit: Theophanes verò, pace demum Eccleſiæ reddita, factus Nicænus Epiſcopus, quieuit in Domino. quorum anniuerſaria celebritas in Martyrologio recolitur die 27. Decembris. hæc ex eorundem martyrio, quod ex Metaphraſte recitat Surius tom. 6.

Martyrologium Romanum.
Metaphraſtes.
Surius.

ANDREAS CHIVS IN SVIS PRO CHRIſti fide tormentis Deiparæ inuocatione victor euadit.

45 IN his æterna memoria dignum videtur exemplum Andreę de Chio martyris clariſſimi natione Græci, qui Virginem in ſuis acerbiſſimis tormentis inuocabat, per quam tandem victor euaſit. Huius martyrium litteris conſignauit Georgius Trapezuntius Auctor grauis; qui, vt animaduertit Caniſius lib. 5. de B. Virg. cap. 19. Græcus ipſe de Græco martyre in vrbe Conſtantinopoli rem per magiſtratus publicè geſtam, Chriſtianis, ac Maumethanis notiſſimam deſcripſit: nos paucis huius martyrij hiſtoriam cõplectemur, quæ anno primo Pauli Papæ II. qui erat Dominicæ Incarnationis 1465. die 29. Maij contingit, quam fuſius refert Surius tom. 7. ad diem 29. Maij. Hic enim Andreas in Chio natus, & educatus caſtitatem Deiparæ vouerat, & moribus grauis etiam ab inanibus verbis ſibi cauere cupiebat. Is à Maumethanis Conſtantinopoli captus, & ad Chriſti fidem abnegandam ſollicitatus, cum conſtantiſſimè renueret, ſæuiſſimis tormentis nouies, antequam capite plecteretur, eſt excruciatus: nam 20. Maij flagellis, atque loris diriſſimè cœſus, ſed in principio flagellorum (vt verbis vtar Trapezuntij) contremuiſſe dicitur, & manibus ad pectus contractis, ac digitis in pugnum compreſſis, magna exclamaſſe voce, Virgo MARIA adiuua me. inde pedibus altero ad alterum adductis ſtetit rectus in ijſdem veſtigijs, mirabile dictu, vſque ad ſolis occaſum. Secunda die ferreis vngulis tergora pridie flagellata dilacerantur. ſed Chriſti miles idem fecit, & Virginem magna voce inuocauit. Tertia die ei membra è ſuis locis diuelluntur. Quarta humeri carnibus per gladios denudantur. Quinta clunes carnibus cum nouaculis lente ſpoliantur. Sexta, partes inter genua, & clunes carnibus denudantur. Septima, ſurę carnibus denudantur. Octaua, femur cum vicinis partibus excoriantur. Nona, totum corpus à capite ad pedes verberibus cæditur; & maxilla vna vno ictu carne denudatur: ſemel ſingulis quibuſq; congreſſibus magna voce initio inuocata Virgine victor receſſit. Tandem ſequenti die, quæ fuit 29. Maij viuax, & diuinitus ſanus effectus perducitur: & cum in crucem Domini, & in Virginem matrem ſuam conſtantiam acceptam referret, ſecuri percutitur, & à Chriſtianis, permittente Turcarum Rege, honorificè ſepelitur. cuius corpus integrum poſt aliquot menſes ab eius martyrio elapſos, vidit ipſe Trapezuntius in ſepulchro iacere eo corporis colore, tali vultus ſplendore, & habitu, vt non animum expiraſſe, ſed dormire videretur. hæc Trapezuntius.

B. Andreas de Chio cruciatus plurimos Mariæ inuocatione ſuperabat.
Georgius Trapezuntius.
Caniſius.
Surius.
Eiſdem corpus incorruptum poſt obitum ſeruatur.

De duodecimo beneficiorum genere, quod eſt in omnibus neceſſitatibus præſto eſſe.

DEVOTI BEATISSIMAE VIRGINIS à periculis liberantur.

46 CVm ad hoc genus reliqua Deiparæ in homines beneficia, quæ ſuperioribus beneficiorum generibus non comprehenduntur, generatim ſpectent; atque adeò propter eorum multitudinem, ac varietatem breui compendio concludi nequeant: idcircò

ne

Cap.20. Tractatu de Miraculis.

ne plus æquo in ijs recenſendis ita moremur, Lectorem remittimus ad cap. 20. & ad peculiarem tractatum de Exemplis, & Miraculis Deiparæ in calce operis collocatum, qui totus ferè in eiuſmodi beneficijs enarrandis verſatur. Cæterum, vt ex vno ſaltem de alijs coniecturam faciamus, libet in præſentia exemplum quoddam ſubijcere ex Abbatis Palladij narratione in Prato ſpirituali Sophronij cap. 75. in quo Deipara commendatam ſibi familiam inſigni miraculo eſt tutata. Erat (inquit Abbas Palladius) in Alexandria vir quidam fidelis, religioſus valdè, & miſericors, & hoſpitio ſuſcipiens Monachos. Habebat autem vxorem, & ipſam humilem valdè, & ieiunantem quotidie. Erat autem illis & filiola quaſi annorum ſex. Quadam verò die vir ille pius profectus eſt Conſtantinopolim. Erat enim negociator. Relictis ergo domi vxore, & puella, & vno ſeruo, abijt vt nauigaret. Cùm verò iret ad nauem, ait ad illum vxor: cui nos commendatos relinquis Domine. Reſpondit vir eius, Dominæ noſtræ ſanctæ Dei genitrici. Die verò quadam cum ſederet vxor, & operaretur, habens & puellam ſecum, ſeruus ille ex ſuggeſtione diabolica voluit necare dominam, & eius filiam, & diripere quidquid haberent, & fugere. ſumpto igitur ex coquina cultro porrexit in triclinium, vbi erant ambæ. Cùm verò veniſſet ante ianuam comprehenſus eſt cæcitate, ita vt neque triclinium ingredi, neque ad coquinam reuerti poſſet. Cùm autem vna ferme hora perſtitiſſet, fruſtraq; conaretur ingredi, cœpit vocare dominam ſuam dicens: Veni hucuſque. illa admirans quòd in medio ianuæ perſiſtens ad illam non ingrederetur, ſed clamaret, ait illi; Tu magis huc veni: ignorans quia cæcitate teneretur. Puer autem cæpit illam adiurare, vt iret propè illum: illa verò iurauit non ſe ituram. Tunc ait illi: Mitte vel puellam; quæ noluit, ſed ait, ſi quid vis, ipſe potius veni. Videns autem ſeruus quòd nihil potuiſſet agere, ſe ipſum gladio percuſſit, & corruit. Domina verò illius cum vidiſſet, quid egerat clamauit: continuoq; vicini accurrerunt. ingreſſi ſunt autem & ex officio Prætorij nonnulli, puerumq; reperientes adhuc viuum, didicerunt ab ipſo omnia, & glorificauerunt Dominum, qui oſtenderat miracula, & matrem ſaluauerat cum filia. hæc in Prato ſpirituali.

Sophronius.

Commendatæ B. Virgini duæ mulieres per eandem ab inſtanti necis periculo liberantur.

DE VIRGINIS DEIPARAE VIRTVTIbus imitandis. Cap. XXXVII.

SVMMARIVM.

Deipara imitanda Primò in exacta diuinæ legis obſeruatione nu. 4.
Secundò, Deipara imitanda in humilitate profundiſſima nu. 6.
Tertiò, Deipara imitanda in virginitate puriſſima nu. 7.
Quartò, Deipara imitanda in eximio erga Chriſtum amore nu. 8.
Quintò, Deipara imitanda, quod in ea religioſæ vitæ exempla reluceant nu. 10.
Virginum Collegium Ieroſolymis ſub inſtitutione Deiparæ nu. 18.

Solida Virginis deuotio imitari eius virtutes. Auguſtinus.



VINTVM, quod ad deuotionem erga Virginem ſuperiori capite conferre potiſſimùm diximus, eſt vitæ, ac præclariſſimarum eius virtutum imitatio: nam, vt rectè ait Auguſtinus: *Summa religio eſt imitari quod colimus.* ideò Eccleſia in collecta S. Stephani ſic Deum precatur: *Da nobis Domine imitari, quod colimus:* & in alia collecta petit, vt illius Sancti, *cuius natalitia colimus, etiam actiones imitemur.* Hæc enim eſt ſolida Virginis deuotio, quæ non tantum verbis, ſed operibus etiam continetur; ne de nobis ipſa Virgo ſanctiſſima dicere meritò poſſit, quod de Iudæis apud Iſaiam cap. 29. legimus: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* Virgini enim accommodatur illud Prou. 8. *Nunc ergo filij audite me, beati qui cuſtodiunt vias meas;* qui ſcilicet eadem via per imitationem gradiuntur, ijſdem veſtigijs inſiſtunt, ad Virginis vitæ exemplar mores ſuos componunt: nam benè Cyprianus de bono patientiæ ita monet,

Iſa. 29.

Prouer. 8.

Cyprianus.

monet,ſeruos oportet eſſe obſequentes,& filios non decet eſſe degeneres.quare Iſa.51. *Attendite ad Abraham patrem veſtrum,& ad Saram,quæ peperit vos;* quod ſic accommodari poteſt,vt iubeamur attendere ad Chriſtum patrem,& ad Virginem, quæ mater eſt omnium,vt eos imitemur. Ideò Ambroſius lib.2.de virgin.vbi fusè de Virginis virtutibus agit: *Talis fuit,* inquit, *Maria,vt eius vnius vita omnium ſit diſciplina. ſi igitur auctor non diſplicet,opus probemus;vt quicumque ſibi Virginis exoptat præmium,imitetur exemplum.* ſic Ambroſius. & Hieronymus epiſt.22.ad Euſtochium: *Nos,* inquit,*meliorum exempla ſectemur: propone tibi beatam Mariam,quæ tantæ extitit puritatis,vt mater Domini eſſe mereretur.* & mox: *Potes & tu mater eſſe Domini, nimirum ſpiritualiter.* ita Hieronymus. Quod fusè perſequitur S. Bernardus in ſermone ſuper Salue Regina: *Agnoſcit,* inquit, *Virgo,& diligit diligentes ſe,& propè eſt in veritate inuocantibus ſe;præſertim his,quos videt conformes ſibi factos in caſtitate,& humilitate;& totam ſpem ſuam, poſt filium ſuum, in ea poſuerint,& toto corde quæſierint: data eſt ei poteſtas in Cœlo,& in terra;& in manibus eius vita, & ſpiritus noſtri; & oculi omnium chriſtianorum in eam ſperant;& ipſa dat eis eſcam gratiæ,qua plena eſt; in tempore opportuno: origo fontium,& fluminum,mare virtutum ſanctarum auctrix Maria.* hæc ille. & Ildefonſus ſerm.1.de Aſſumpt.Deiparæ: *Imitamini,* inquit, *illam.* & infra: *Qui autem imitantur illam,erunt ex parte eius.*& rurſum: *Imitamini matrem Virginem,& Sanctos omnes, quos laudatis:quoniam non tantum illis prodeſt noſtra laudatio, quantum nobis eorum imitatio. Vnde ſponſo magis placet imitator deuotus,quàm laudator ocioſus;tamen vera laudatio cordis imitatio eſt operis.* ita Ildefonſus. Quod ipſum pulchrè S.Bonauentura in Stimulo diuini amoris cap.7.his verbis docet: *Ipſam matrem Dei,& peccatorum,tãquam bonus, & deuotus filius in omnibus pro poſſe ſtudeas imitari; tunc enim proculdubio te ſibi tanquam matri veraciter exhibebis,& ipſa te tanquam ſuum filium veraciter adiuuabit,& quæ dignè ab ea petieris tibi dabit: & in omnibus tibi neceſſarijs ad ſalutem ſimpliciter miniſtrabit,& tandem in cœleſti gloria te apud ſe fæliciter collocabit.* hæc Bonauentura. Idem (vt ſuperiori capite dixi) in epiſt. 25. memorialium, memoriali 13. cum Virginis deuotionem commendaſſet, hæc ſubijcit: *Et vt tua deuotio ſit ei accepta, & reuerentia grata,ipſius puritatem,& munditiam omni virtute,mente, & corpore, illibate in te ipſo ſeruando,toto conatu nitaris humilitate,& manſuetudine eius veſtigia imitari.* & in ſpeculo cap.3.dicit, Virginem ad Cœlum aſcendentem figuratam in Eſther, cui duæ famulæ obſequebantur:ſuper vnam innitebatur,altera verò ſequebatur defluētia in humum veſtimenta ſuſtentans.has autem famulas vult eſſe angelicam, & humanam naturam; ſuper Angelos enim innititur in Cœlo familiariſſimè cum illis agendo: at verò anima humana eſt famula,quę Dominam ſuam Mariam ſequitur in mundo colligens veſtimenta,ideſt virtutes,& exempla Mariæ. hæc ex Bonauentura. & Sophronius inter opera Hieronymi ſerm.de Aſſumpt. *Igitur,* inquit, *dilectiſſimi amate Mariam, quam colitis;colite quam amatis,quia tunc verè colitis, & amatis,ſi imitari velitis ex toto corde quam amatis.*

Iſa. 51.

Ambroſius.

Hieronymus.

Bernardus.

Ildefonſus.

Bonauentura.

Eſther 15.

Sophronius.

2 Quòd ſi Sanctos imitari par eſt,vt pro nobis orare velint, vt meritò Auguſtinus ſermo.30.de Sanctis dixerit: *Si ad conſortium ſanctorum martyrum peruenire volumus, de imitatione martyrum cogitemus: Debent enim in nobis aliquid de ſuis virtutibus recognoſcere, vt pro nobis dignentur Domino ſupplicare;* quanto maiori ſtudio imitanda nobis erit Deipara,vt eius orationibus adiuuemur. Propterea S.Bernardus hom. 2. ſuper miſſus eſt: *Vt impetres,* inquit, *eius orationis ſuffragium, non deſeras conuerſationis exemplum:* nam & Auguſtinus ſerm.47.de Sanctis: *Ab eis,* inquit,*Sanctorum martyrum feſtiua gaudia celebrantur,qui ipſorum martyrum exempla ſequuntur: ſolemnitates enim martyrum exhortationes martyriorum ſunt,vt imitari non pigeat,quos celebrare delectat.* ita Auguſtinus. quanto magis,qui Virginis deuotionem profitentur, Virginem ſibi imitandam ſtatuant.

Sancti imitandi. Auguſtinus.

Bernardus.

Auguſtinus.

Certè cum Sancti nobis à Deo imitandi proponantur,quia Chriſto ſimiles fuerunt, vt propterea Apoſtolus 1.Cor.11.dixerit: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* & S.Leo ſerm.in natali S.Laurentij: *Gloriemur,* inquit,*in Domino, qui eſt mirabilis in Sanctis ſuis,in quibus nobis præſidium conſtituit,& exemplum:* multò diligentius Deipara imitan-

1. Cor.11.

Leo.

imitanda erit,quæ in donis ſupernaturalibus Chriſto præ alijs quàm ſimillima fuit:de qua canit Eccleſia: *Cuius vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias*. vt propterea Cant. 4. meritò de eius etiam imitatione dici poſſit: *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium;* omnium enim virtutum exempla in ea relucent: id quod pulchrè ex Ambroſio lib. 2. de Virgin. & ex alijs ſupra cap. 21. indicauimus. quare cœleſtem, quam in terris duxit vitam, eiusq; virtutes attentè contemplemur; & imitari ſtudeamus, in odoremq; vnguentorum eius, hoc eſt virtutum eius boni odoris exemplo fragrantium per imitationem curramus: id enim ex Cant. 1. Deiparæ accommodat Eccleſia, & Damaſcenus orat. 1. de dorm. *Quàm pulchra*, inquit, *facta es, quàm ſuauis, Tu flos campi, vt lilium in medio ſpinarum: propterea adoleſcentulæ dilexerunt te; in odorem vnguenti tui curremus*. ita Damaſcenus.

Offic. Eccleſ. Cant. 4.

Ambroſius,

Damaſcenus.

3 Quòd ſi roges quanam in re illam imitabimur? Sanè noſter Franciſcus Arias non minus piè, quàm doctè, in libro, quem de profectu ſpirituali inſcripſit, tractatum peculiarem de virtutibus, quas in Virgine imitari debemus, luculenter conſcripſit; ad quem lectorem remittimus. hic tamen breuiter hac de re indicabo aliquid; ſi prius Damaſcenum orat. 2. de dorm. audiamus, vbi ea, quæ Virgo amat, quæq; auerſatur, recenſet; ex quibus, quæ in ea imitanda ſunt, ſaltē generatim perſpicere poterimus. Damaſceni verba hæc ſunt: *Curemus vt mentem, memoriamq; noſtram Genitricis Dei promptuarium efficiamus. quo autem modo id aſſequemur? & Virgo ipſa eſt, & virginum amans. Pura eſt, & purorum amans. quo circa ſi & corporis, & animi caſtitatem colamus, ipſius gratiam adipiſcemur: ſiquidem lutum omne fugit, ac cœnoſas affectiones auerſatur. Ingluuiem execratur, fœdiſsimæ fornicationis vitijs infeſta eſt: huius impuras, & ſceleſtas cogitationes non ſecus ac viperarum fœtus fugit: ſermones fœdos, ac ſcurriles propellit: cantusq; ac meretricia vnguenta ſubmouet: iræ tumorem odio habet: inhumanitatem, & inuidiam, ac ſimultates non admittit: inanem gloriam vanis laboribus ſe frangentem reijcit: ſuperbiæ faſtui animo hoſtili reſiſtit; Iniuriarum memoriam tanquam ſalutis hoſtem odio inſectatur; vitium denique omne tanquam lethale venenum execrationi habet; horum autem contrarijs delectatur; contraria enim contrariorum medicamenta ſunt. Ieiunio, & parſimonia, pſalmorumq; cantibus gaudet: cum puritate & virginitate, ac pudicitia pulchrè illi conuenit; ſempiternamq; cum illis pacem colit, easq; humane, & comiter exoſculatur; pacem, animiq; lenitatem complectitur, charitatem, & miſericordiam, atque humilitatem tāquam alumnas ſuas, vlnis fouet. Atque vt rem breuiter perſtringam quolibet vitio offenditur, ac diſcruciatur; qualibet autem virtute, vt peculiari ſua nota, lætatur & exultat. Quamobrem ſi vitia prompto, atque alacri animo vitemus; virtutes autem omni ſtudio, atque amore complectamur, easq; ſocias adhibeamus, frequens ipſa ad famulos ſuos veniet, ac ſecum bonorum omnium agmen trahet, Chriſtumq; filium ſuum, omniumq; regem, ac Dominum in cordibus noſtris habitantem aſſumet.* hactenus Damaſcenus.

Franc. Arias.

Damaſcenus. Qua auerſatur B. Virgo in ſuis deuotis.

Qua in ſuis deuotis B. Virgo requirit.

Imitanda B. Virgo.

Verùm ad nonnulla ſingularia deſcendamus, in quibus Virginem Deiparam nobis imitandam proponere poſſumus; ea verò quinque eſſe poſſunt 1. exacta diuinæ legis obſeruatio 2. eius demiſſa humilitas 3. illibata virginitas 4. eximius in Chriſtum amor. 5. denique religioſæ vitæ exemplum, cuius veſtigia nobis exhibuit præclariſſima.

DEIPARA IMITANDA PRIMO IN *exacta diuinæ legis obſeruatione*.

Primo in diuina lege ſeruanda.

4 PRimum igitur ſit integra, & accurata diuinæ legis obſeruatio, qua ab omni præſertim peccato mortali, diuina iuuante gratia, quæ nunquam ex Dei parte deeſt diligentiſſimè caueamus. Huius diuinæ legis ſeruandæ Virgo ſanctiſſima fuit ſtudioſiſſima: quod facilè oſtendi poteſt ex reuelationibus, & ex ijs, quæ in ſacra Euangeliorum hiſtoria habemus. S. Bonauentura in Meditationibus vitę Chriſti cap. 3. quandam Deiparæ reuelationem S. Eliſabethæ, vt ipſe exiſtimat factam affert, in qua Deipara teſtata eſt ſe in noctis medio ſemper ante templi altare, ea qua poterat voluntate, & affectu inter alia petiſſe à Deo gratiam; qua Deum toto corde diligeret, & proximum; atque ea omnia, quæ Deus odit, odio habere gratiam quoque obediendi mandatis, &

Bonauentura.

ordina-

ordinationibus Pontificis templi. hæc ibi. & in libro 1. Reuelationum ſanctæ Brigittæ cap. 10. *Ego* (inquit Deipara) *à principio cum audirem, & intelligerem Deum eſſe; ſemper ſollicita, & timorata fui de ſalute, & obſeruantia mea, & intime dilexi Deum, & omni hora timui, & cogitaui, ne eum verbo vel facto offenderem.* hæc in Reuelatione ſanctæ Brigittæ. Et ſanè quo ſtudio Dei legem ſeruarit, ex eo facilè intelligi poteſt: nam ea etiam legis onera, ad quæ minimè tenebatur, vt nobis humilitatis, & obedientiæ conſummatiſſimæ exemplum præberet, cumulatiſſime impleuit. quod S. Thomas 3. par. quæſt. 37. art. 4. animaduertit: nam die à ſuo ſacratiſſimo partu quadrageſimo legi purificationis Leuit. 12. cui nequaquam erat obnoxia, ſe ſpontè ſubiecit. Qua in re profundiſſimam humilitatem, quemadmodum plenius cap. 21. dixi præſetulit: cum enim ex Chriſti conceptu, atque partu virgineo, vel angelicam puritatem longè excederet; inſtar tamen reliquarum mulierum puerperarum, quæ ob immunditiam conceptus, & partus præſcriptis diebus à templo arcebantur, par turturum, aut duos pullos columbarum, & in holocauſtum, & pro peccato offerre iubebantur; hæc omnia exactè ipſa ſeruauit, & facto ipſo quaſi legali illa purificatione, & ſacrificio quodammodo ſe egere oſtendit, Chriſtum imitata, qui in Circumciſione, vt eleganter ait Bernardus ſermone primo de Circumciſione, ſine vllo vulneris veſtigio alligaturam non refugit vulneris, Circumciſionem nimirum peccati remedium verecundum pariter, & auſterum. Obedientiam verò legis abſolutiſſimam exhibuit, cum eam etiam legem, à qua erat libera, ſeruare voluit; vt pia opera, quæ dicuntur ſupererogationis, nobis commendaret. Neque verò lege Purificationis fuiſſe comprehenſam, (ſi excipias Abulenſem in cap. 12. Leuit. quæſt. 3.) docent omnes; in primis Origenes in Leuit. 12. Chryſoſtomus oratione de occurſu Domini. Bernardus ſermone 3. de Purificatione. S. Thomas loco citato, Theophilactus, Euthymius, Beda, Lyranus, Ianſenius in cap. 2. Lucæ. Tum quia lex illa ad eas tantum mulieres pertinebat, quæ ſuſcepto ſemine conceperant, quemadmodum habet editio vulgata, & Septuaginta Interpretes. At Deipara de Spiritu ſancto virginitate illibata permanente concepit. Tum etiam, quia ſine puerperij ſordibus, hoc eſt abſque fluxu ſanguinis, & abſque ſecundinis, ad quas immunditias remouendas Purificationis ritus erat inſtitutus, filium ediderat. Et quamuis Abulenſis in Leuit. 12. quæſt. 12. propter naturam partus in beata Virgine ſanguinis, & ſecundinarum effuſionem admittat: partum tamen illum huiuſmodi ſordibus ex diuina voluntate caruiſſe, cum hoc Chriſti, eiusq; Genitricis dignitati magis congruat; multorum Patrum teſtimonijs, & Canon. Trull. 79. egregiè probat Suarez tom. 2. in 3. par. diſput. 13. ſect. 2. & diſput. 16. ſect. 2, & Barrada lib. 8. cap. 15. & lib. 10. cap. 2. Et ſane hunc virgineum Deiparæ partum ab omni non ſolum dolore, in quo aliæ filios pariunt, ſed etiam immunditia alienum cecinit Iſaias cap. 35. cum Deiparam nomine Solitudinis, & Deſerti, quaſi nullo ſemine fœcundatam vocat; eamq; non tantum cum Exultatione, ideſt abſque dolore: verum etiam quaſi lilium, quod eximio ſuo candore puritatis eſt ſymbolum, germinaturam prædixit: *Lætabitur*, inquit, *Deſerta, & Inuia, & exultabit Solitudo, & florebit quaſi lilium, germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans.* & Bernardus loco citato pulchrè ait ex perſona Virginis: *Cur non ingrediar templum? quæ peperi Dominum Templi? nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum, nimirum cum proles iſta fons puritatis ſit, & purgationem venerit facere delictorum. Quid in me legalis purificet obſeruatio, quæ puriſſima facta ſum ipſo partu immaculata? Verè ò B. Virgo, verè non habes cauſam, nec tibi opus eſt Purificatione.* hæc Bernardus.

5 Ad hæc Deipara Luc. 2. per ſingulos annos à Nazareth cum filio in Ieruſalem ſolemni paſchatis die ſe conferre ſolebat: & quidem non ſine labore, cum ex Brocardo in deſcriptione Terræ ſanctæ Ieruſalem vigintiſeptem leucis diſtet à Nazareth. Atqui huic præcepto non mulieres, ſed viri tantum ſubiacebant: ſic enim docemur Exod. 23. & Deut. 16. *Tribus vicibus per annum apparebit omne maſculinum tuum in conſpectu Domini.* Sed quid de legis diuinæ obſeruatione dicimus? cum Cæſaris Auguſti edictum in vniuerſi orbis deſcriptione pregnans illa quidem, quamuis abſque vllo grauamine ſibi minimè negligendum exiſtimarit, quin potius non ſine longi itineris labore 29. ſcilicet

S. Brigitta.
S. Thomas.
Leuit. 12.
B. Virgo non tenebatur legi purificationis.
Luc. 2.
Bernardus.
Abulenſis.
Origenes.
Chryſoſtomus.
Bernardus.
S. Thomas
Theophilactus.
Euthymius.
Beda.
Lyranus.
Ianſenius.
Edit. vulg.
Septuag. Interp.
Abulenſis.
Partus Virginis fuit ſine ſordibus ſanguinis, & ſecundinarum.
Canon. Trull.
Iſa. 35.
Bernardus.
Luc. 2.
B. Virgo non tenebatur ex lege Templum adire.
Brocardo par. 1. in deſcript. Ieruſalem.
Exod. 23.
Deut 16.
Luc. 2.

licet Ieucarum ex Brocardo ascendit cum Ioseph sponso à Nazareth in Bethlehem, vt iuxta Augusti edictum profiteretur.

Hinc est, quòd Virgo beatissima licet apud filium pro nobis intercedendi partes strenuè obeat; ad diuinæ tamen legis accuratam custodiam, atque adeò vt ab omni præsertim lethali labe caueamus, suo exemplo magnopere nos prouocat. quin etiam ad hoc ipsum monitis, ne suarum precum fructus culpa nostra impediatur vehementer hortatur: cuius specimen in nuptijs Canæ Galileæ videre licet, in quibus deficiente vino, illud à filio procurauit. ministros tamen ne qua ratione eorum inobedientia perficiendo diuinitus miraculo impedimento esset, sedulo admonuit illis verbis: *Quodcumque dixerit vobis facite*. quod ipsum è Cœlo nobis, pro quibus orat, inclamare non desistit, quo scilicet diuinæ gratiæ, quam nobis impetrat, non desimus; id quod monebat Apostolus Hebræo. 12. Sic enim diuinam legem pro nostra virili parte exequi studentes, ea quæ pro nobis ipsa petit efficacius assequemur. Quo circa qui Virginis deuotionem in votis habent, summo studio enitantur ab omni peccato, præsertim mortali, se abstinere, illudquè diligenter cauere: & præter exempla Virginis sedulo imitanda, eiusdemquè monita, quibus ad hoc nos hortatur, plurimum subiectis rationibus ad id permouebimur. Primò, quia eius matris, cuius filium hostiliter aliquis odio persequitur, imò & vulnerauit, & quantum est ex se ad huc vulnerare non cessat, verè amicus dici non potest. At de peccatoribus illud pronunciat Apostolus Hebræo. 6. *Rursum crucifigentes sibimet ipsis filium Dei, & ostentui habentes*. Ergo qui Deiparæ studium, ac deuotionem profitetur, peccata diligenter caueat. Secundò, quia Virgo Dei honorem vehementer appetit, ac propterea peccatum omne, quod Deo est contrarium, ad quod delendum Christus mortuus est, auersatur. Tertiò, ipsa contritura prædicitur caput serpentis, qui suum virus per peccatum infundit: quo circa ab ipsis quoque venialibus, à quibus Virgo purissima tantopere abhorret, pro virili nobis parte cauendum est. Quartò, quia proportione quadam ipsa de ijs, qui se eius studiosos profitentur, effert illud psalm. 100. *Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat*.

Ioan. 2.

Hebr. 12.

Cur Virgo sanctissima in suis deuotis peccata detestetur.

Hebr. 6.

Genes. 3.

Psal. 100.

Quòd si quispiam obiecerit, nonnullos magnis sceleribus obstrictos Deiparæ deuotionem sectari, in eiusquè honorem ieiunia, aliaquè pietatis opera propenso animo præstare, quod multis exemplis, quæ capit. 20. & 35. attulimus, confirmari potest.

Respondeo id quidem propter insignem Virginis benigniratem, qua etiam peccatores non dedignatur, verùm esse: cæterùm ex hoc rectè inferri Deum optimum, qui omnes homines vult saluos fieri, hac ratione horum peccatorum misereri, eosquè per Virginis intercessionem ad salutarem pœnitentiam trahere velle: id quod in ijsdem exemplis cernere licet. At verò ne salus nostræ animæ in discrimen adducatur, studeamus quantocyus à peccatis per pœnitentiæ Sacramentum mundari, nosq; quales ipsa Virgo optat, exhibere, vt eius patrocinium, & propensissimam in nos voluntatem re ipsa experiamur.

SECVNDO, DEIPARA IMITANDA IN *humilitate profundissima*.

Secundò, imitanda humilitas Virginis. Luc. 1. Bernardus.

6 SEcundò, humilitas Virginis est sectanda, cuius ipsa in vniuersa vita, & in Cantico suo egregia nobis exempla imitanda reliquit, quamq; in suis deuotis præcipuè requirit. De hac porrò Virginis humilitate imitanda Bernardus hom. 1. super missus est: *Imitare*, inquit, *humilitatem Virginis; si non potes virginitatem humilis; Laudabilis virtus virginitas, sed magis necessaria humilitas: illa consulitur; ista præcipitur: & si placuit ex virginitate; tamen ex humilitate concepit: vnde constat, quia etiam vt placeret virginitas, humilitas proculdubio fecit*. & mox: *Si igitur virginitatem in Maria non potes nisi mirari, stude humilitatem imitari, & sufficit tibi*. Idem sermone Signum magnum, agens de Virginis humilitate: *Meritò*, inquit, *facta est omnium Domina, quæ se omnium exhibebat Ancillam: obsecro vos filioli æmulamini hanc virtutem,*

tutem, ſi Mariam diligitis, ſi contenditis ei placere, æmulamini modeſtiam eius. ita Bernardus. & Ambroſius lib. 2. in Lucam expendens illud: *Ecce Ancilla Domini:* *Ambroſius.* *Vide*, inquit, *humilitatem, vide deuotionem; Ancilam ſe dicit Domini, quæ Mater* Luc. 1. *eligitur: nec repentino exaltata promiſſo eſt.* & Auguſtinus ſermone 35. de Sanctis: *Auguſtinus.* *Quid prodeſt hanc interpellare vocibus, niſi etiam humilitatis eius exempla teneamus.* & Ildefonſus ſermone 3. de Aſſumptione: *Fundata erat*, inquit, *Dei genitrix profunda* *Ildefonſus.* *humilitate, & dilatata in charitate, propterea hodie eſt tam ſublimiter exaltata: ſed quia celſitudinem, & magnificentiam Throni perſcrutari non poſſumus, ſaltem theſauros eius humilitatis interdum perſcrutemur, vt deinceps eius interuenientibus meritis, ad gloriam donorum pertingere valeamus: nam humilitas cuſtos reliquarum virtutum eſt.* hactenus ille. Et hæc ſatis ſint de humilitate Virginis. reliqua enim, quæ ad hanc Deiparæ virtutem ſpectant, fuſius perſecuti ſumus cap. 12. & 21. vbi plures eiuſdem actus expenduntur.

Illud tamen minimè omittendum, quod S. Bonauentura in ſpeculo B. Virginis cap. 8. *Bonauentura.* contra eos, qui de bonorum operum fœcunditate ſuperbiunt, pulchrè in beatiſſima Virgine obſeruat: *Legitur*, inquit, *in Geneſi de ancilla Saræ, quod concepiſſe ſe videns,* Gen. 16. *deſpexit Dominam ſuam; Mala ergo ancilla Agar de fœcunditate inflatur, bona verò* De bonis operibus non ſuperbiendum. *ancilla Domini Maria de humilitate fœcundatur: Ancilla illa ſuperba Dominam deſpexit, Ancillam illam humilem Dominus reſpexit, ſicut ipſa humiliter recognoſcens dicit: Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. O anima chriſtiana, Domini ancilla, ſic cum Maria amplectere fœcunditatem, vt nequaquam deſeras humilitatem, vt ergo de boni operis fœcunditate non inſleris, ſed magis de humilitate fœcunderis, attende humilem ancillam, reſpice humilem MARIAM.* hæc Bonauentura.

Auguſtinus de ſymbolo ad Catechumenos lib. 4. cap. 5. cum ad virginitatem ſer- *Auguſtinus.* uandam fideles hortaretur: *Gaudete*, inquit, *virgines ſanctæ, vt propter Chriſtum non vos contriſtet ſterilitas, quarum fides magna eſt fœcunditas. Nec doleatis non vos eſſe matres, quæ ſpiritaliter generatis.* & mox: *Imitamini fideles MATREM Capitis veſtri. Quod tantæ matri contulit, & in ſua carne ſeruauit, hoc etiam nobis donauit. Virgo Mater ſancta, caro Chriſti ab omni contagione libera.* hæc Auguſtinus.

TERTIO, DEIPARA IMITANDA IN virginitate puriſſima.

7 TErtio, virginitas in Deipara maximè elucet; de cuius virginitate aliquid cap. 21. *Tertio, imitanda puritas Virginis.* & copioſius egimus cap. 32. Hæc virtus multis nominibus à Deipara exigitur ab ijs, qui eiuſdem colendæ ſtudio tenentur. Ideò Damaſcenus oratione 2. de dormitione: *Damaſcenus.* *Virgo ipſa eſt, & virginum amans: Pura eſt, & purorum amans.* & Sophronius ſermo- *Sophronius.* ne de Aſſumptione: *Chriſtus matrem virginem elegit, vt ipſa omnibus eſſet exemplum* *Ambroſius.* *caſtitatis.* Ambroſius lib. 2. de virginitate: *Sit nobis*, inquit, *tanquam in Imagine deſcripta virginitas, vitaq; B. Mariæ, de qua velut in ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis:* propterea Chryſoſtomus in ſermone de B. Virgine: *Quæcumque*, inquit, *Chryſoſtomus.* *eſtis virgines, ad matrem Domini confugite: illa enim pulcherrimam, prætioſiſſimam, & incorruptibilem poſſeſſionem patrocinio ſuo vobis conſeruabit.* Ideoq; qui eius deuotioni ſe dedunt, caſtitatem puriſſimam animæ, & corporis præcipuè colant: ſic enim & ipſi, & eorum obſequia Virgini grata erunt. Legitur enim in Speculo exemplorum diſtin. 9. num. 26. de Iuuene quodam impudico, cui cum Virginem frequentiſſime collaudaret in vaſta quadam ſolitudine eſurienti Virgo ſanctiſſima in vaſis turpibus, & immundis epulas obtulit delicatas: ſed cum Iuuenis propter vaſorum immunditiam comedere ſe poſſe negaret: Laudes (inquit Virgo) quas mihi offers, bonæ ſunt: ſed cor tuum immundum eſt; ideò tuis laudibus non delector. Qua viſione admonitus reſipuit, vitamq; meliorem inſtituit. *Speculum Exemplorum Laudes Virginis à corde mundo gratiores.*

QVARTO, DEIPARA IMITANDA in eximio erga Christum amore.

Amor Virginis erga Christum imitandus. Luc. 1. & 2.

8 QVartò, quòd in Virgine imitemur est amor eximius, quo Christum filium est complexa; eum enim non solum concepit, peperit, lactauit, educauit, & cum in templo amisisset, solicitè quæsitum inuenit: sed etiam in toto vitæ decursu nunquam deseruit, eiq; morienti in cruce cum suam ipsius animam doloris gladius pertransiuit, fortiter astitit, vt cap. 8. 9. 10. & 11. dictum est. Post filij verò Ascensionem apud loca illa Christi memoria clara assiduè versabatur, illaq; crebrò, & deuotè obibat. Nam & in monte Sion, vbi præclarissima nostræ salutis sunt celebrata mysteria, Virgo sanctissima hospitabatur, ibiq; animam filio reddidit: sic enim scribit Damascenus serm. 2. de dormit. Virg. *In diuina*, inquit, *& inclyta Ciuitate Dauidis, in qua lex quidem fuit impleta Prophetarum, pronunciata autem fuit lex Spiritus, in qua typicũ pascha peregit Christus legislator, & verum pascha, qui Deus est veteris, & noui testamenti tradidit, in qua cœnam mysticam suis discipulis Agnus Dei, qui mundi tollit peccatum, celebrauit, & eis se ipsum tanquam vitulum saginatum sacrificauit, & veræ vineæ botrum calcauit: in qua Christus aspicitur ab Apostolis surgens à mortuis, & fidem facit Thomæ, & per eum finibus terræ, quòd sit Deus, & Dominus, duas in se ferens naturas, etiam postquam surrexit à mortuis. Hæc est arx Ecclesiarum, Hæc est habitaculum Apostolorum: in Hac sanctissimi Spiritus in varijs sonis, & linguis, & in specie ignis effusus fuit aduenies Apostolis. In hoc cum ille Theologus accepisset, Deiparam subministrabat ei, ex quibus opus habebat. Hæc est mater Ecclesiarum, quæ sunt per vniuersum orbem terræ: in hac vitam egit Dei mater postquam filius surrexit à mortuis. In ea ergo beata Virgo iacebat super aliquem felicissimum lectum.* hactenus Damascenus agens de loco dormitionis Deiparæ. Eadem confirmat Andreas Cretensis oratione prima de dormitione. Beda de locis sanctis cap. 3. Metaphrastes oratione de vita, & dormitione. Cedrenus in Compendio, & Nicephorus lib. 2. histor. cap. 3. & cap. 21. licet ad aliquod tempus Deiparam cum Ioanne Euangelista Ephesum incoluisse affirment Patres Concilij Ephesini in Epistola Synodica ad Clerum Constantinopolitanum tom. 2. cap. 26. Cæterum alia sacra loca inuisebat, quemadmodum lib. 6. reuel. S. Brig. cap. 61. ipsamet eidem S. Brigittæ reuelauit. Quòd etiam testatur Ildefonsus serm. 5. de Assumpt. *Virgo*, inquit, *sine dubio loca Dominicæ Natiuitatis, Passionis, Sepulturæ, & Resurrectionis frequenter circumiens inuisere cupiebat, in ijsdem locis lacrymas fundebat, & oscula imprimebat: deinde ad Apostolicum contubernium post intuitum Dominicorum locorum cum gaudio remeabat.* hęc Ildefonsus. Eadem de Virgine meditatur Carthusianus lib. 4. de laudibus Virginis art. 1. Guarricus serm. 2. de Assumptione.

Frequenter loca Christi memoria clara inuisebat. Damascenus.

Andreas Cretensis. Beda. Metaphrastes. Cedrenus. Nicephorus. Patres Concilij Ephesini. Reuelat. S. Brigittæ. Ildefonsus.

Carthusianus Guarricus.

Sophronius.

9 Sophronius porrò sermone de Assumptione: *Puto*, inquit, *quòd quicquid cordis est, quicquid mentis, quicquid virtutis humanæ si totum adhibeas, non sufficiat, vt cogitare valeas quanto indesinenter cremabatur ardore pij amoris, quantis mouebatur repleta Spiritu sancto cœlestium secretorum incitamentis; quia & si diligebat Christum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute: nouis tamen quotidie inflammabatur præsentia absens desideriorum affectibus; tanto siquidem validius, quanto diuinis illustrabatur intus visitationibus, quam totam repleuerat Spiritus sancti gratia, quam totam incanduerat diuinus amor, ita vt in ea nihil esset, mundanus quod violaret affectus, sed ardor continuus, & ebrietas perfusi amoris: nam & Christus ab omnibus est amandus ex toto corde, & ex tota anima, atque ex tota virtute quærendus; maximè tamen ab ea ardentius, cuius & Dominus erat, & filius. Fortasis ergo præ nimio amore in loco, quo sepultus dicitur, interdum habitasse eam credimus, quatenus pijs pasceretur internus amor obtutibus. Sic namq; locus medius est hinc inde constitutus, vt adire posset ascensionis eius vestigia, & locum sepulturæ, ac resurrectionis, & omnia, in quibus passus est loca inuisere, non quòd iam viuentem quæreret cum mortuis, sed vt suis consolaretur aspectibus. Hoc quippe habet impatiens amor, vt quæ desiderat semper inuenire se credat.* & mox: *Denique amor Christi desiderium pariebat: desiderium verò glisçens quasi nouis reparabatur*

ardori-

ardoribus,in tãtum vt credam non nunquam quòd omnia etiam,& ſemetipſam tranſcenderet,quia omninò amor impatiens,quod amat non poteſt non videre. hucuſque Sophronius.

Sanctiſſimam præterea Euchariſtiam quotidie ſumebat: ſi enim hoc de reliquis chriſtianis iam inde ab ipſis naſcentis Eccleſiæ incunabulis teſtatur S. Lucas in Actis Apoſtolorum cap. 2. quãto magis de beatiſſima Virgine, quæ & diuinarum rerum cognitione longè maiori pollebat,& Chriſti amore flagrabat ampliori,id exiſtimandum eſt? Hunc igitur Deiparæ erga Chriſtum amorem pro noſtro modulo habere nitamur,ſingula Chriſti præſertim morientis myſteria memoriæ noſtræ meditatione repreſentemus; ſanctiſſimam Euchariſtiam crebrò, ac deuotè ſumamus,apud nos reputantes corpus illud eſſe ex puriſſimis Virginis ſanguinibus efformatum,qua de re cap.8. dixi. ſic enim Virginem imitantes,rem ipſi præſtabimus gratiſſimam, & verò nobis maximè ſalutarem. Reliquas Virginis virtutes vide apud Ambroſium lib. 2. de Virgin. & apud alios: nos breuitatis ſtudio has tantum innuere voluimus, ex ijs, quas cap. 21. recenſuimus.

Quotidie Virgo communicabat. Act.2.

Ambroſius.

QVINTO DEIPARA IMITANDA, QVOD *in ea religioſæ vitæ exempla reluceant.*

10 QVintum,quod in Deipara imitandum occurrit, eſt expreſſum quoddam, & abſolutiſſimum,quod in ea mirificè præfulſit,religioſæ vitæ exemplar,& ſpecimen: cum enim ordo quilibet religionis ad perfectionem conſequendam inſtitutus,tribus potiſſimum Chriſti conſilijs, Paupertate, Caſtitate, & Obedientia, ijſq; voto confirmatis contineatur: cumq; Religioſi viri è mundi illecebris auulſi in ſuis ſe domicilijs, clauſtriſq; contineant;eam ſanè viuendi viam Deo ductore Deipara iniuit,vt & præclariſſima poſteritati eorum omnium exempla reliquerit:nec deſit ijs,qui religioſæ vitæ ſtudio tenentur,quod in ſanctiſſima Virgine imitari abundè poſſint. Verùm,vt hoc magis perſpicuum fiat, Primùm oſtendamus oportet,hæc tria Chriſti conſilia, quæ ad perfectionem pertinent,in vniuerſum fuiſſe à Deipara perfectiſſime ſuſcepta,votoq; inſuper confirmata:deinde ad ſingula, præſertim ad eius paupertatem (nam de duobus alijs alibi fuſius) deſcendamus:tum quicquid religioſam vitam ornat,& inſtruit,in ea cumulatè fuiſſe breuiter perſtringamus.

Maria Paupertatis, Caſtitatis,& Obedientia votis Deo cõſecrata.

Et quod ſpectat ad primum,ſi Apoſtolos,quos ore ſuo ſacratiſſimo erudire,& doctrina ſua inſtituere dignatus eſt Chriſtus, tria religionis conſilia ſubſtantialia illa quidem complexos eſſe,eaq; voto nuncupato Deo obtuliſſe exploratiſſimum eſt; quanto magis de Deipara ſanctitatis omnis,ac perfectionis Magiſtra idem affirmare poſſumus, ac debemus. De Apoſtolis id colligere facile licet ex verbis S. Petri, qui quidem omnium nomine ſic ad Chriſtum locutus eſt Matth.19. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te:Omnia,*inquit,*perinde quaſi diceret,* vt aduertit Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum: *Non modo bona,verum etiam vxores propter te dimiſimus*; & adiecit *ſecuti ſumus te*; hoc eſt ad tuum præſcriptum, atque obedientiam vitæ noſtræ curſum dirigimus. Apoſtolos verò de his votum etiam nuncupaſſe auctor eſt Auguſtinus lib.17.de Ciuit. cap. 4. vbi docet Chriſtum pro nobis egenum factum, erectum fuiſſe ſupra omnes: *Vt ſedeat,*inquit,*cum potentibus populi,hoc eſt cum Apoſtolis,quibus ait: Sedebitis ſuper duodecim ſedes,& ſedem gloriæ hæreditatis dans eis: dixerant enim potentes illi: Ecce nos dimiſimus omnia,& ſecuti ſumus te. Hoc votum potentiſſimi VOVERANT.* ſic Auguſtinus. & S.Thomas 2.2.q.88.art.4.ad 3. *Apoſtoli,*inquit, *intelliguntur vouiſſe pertinentia ad perfectionis ſtatum,quando Chriſtum,relictis omnibus, ſunt ſecuti.* Id autem tum multis confirmat Aluarus Pelagius lib.2.de planctu Eccleſiæ cap.56. tum illa præſertim ratione,quod votum (vt ipſe dicebat) eſt conſilium conſiliorum, & forma, & perfectio eorum:quia quodcumque ſit conſilium,ſuper quod cadat, id eſſentialiter perfectius reddit,& Deo acceptius. quod etiam docet S.Thomas 2.2.q.88.art.6. vbi probat idem opus facere cum voto (vtar verbis S. Thomæ) melius eſſe, ac magis meritorium, quàm ſine voto: ſed Apoſtoli fuerunt in apice perfectionis,ergo in Chriſti conſilijs

Pertinentia ad ſtatum perfectionis Apoſtoli voluerunt.

Matth.19.

Hieronymus.

Auguſtinus.

S.Thomas.

Aluarus Pelagius.

Voti vinculum perfectius.

S.Thomas.

filijs ſeruandis hac voti perfectione minimè caruerunt.

Conſiliorum Chriſti obſeruanda in Virgine inchoata.

11 At ex his omnibus colligere facile poſſumus Deiparam, quam Spiritus ſancti vnctio interius perfectiſſimè de omnibus docuit, quam Chriſtus filius præ omnibus ſingulariter erudiuit, atque intima tot annorum conſuetudine ſanctiſſimis imbuit Religionis ſtudijs, eiuſmodi votorum perfectione cumulatam in primis fuiſſe. Et quidem de virginitatis voto, quod auctore S. Thoma cum omnibus Patribus, ac Theologis, Deipara ante Chriſti incarnationem emiſit, obijcit ſibi idem S. Thomas 3. par. q. 28. art. 4. arg. 2. Perfectionem conſiliorum Chriſti debuiſſe inchoari à Chriſto, qui eſt finis legis: At huic obiectioni ſic ipſe reſpondet ad 2. *Sicut*, inquit, *gratiæ plenitudo perfectè quidem fuit in Chriſto, & tamen aliqua eius inchoatio præceſſit in Matre: ita etiam obſeruatio conſiliorum, quæ per gratiam Dei fit, perfectè quidem incæpit in Chriſto, ſed aliquo modo fuit inchoata in Virgine matre eius.* hæc S. Thomas: quæ ſanè ratio non de virginitatis tãtum, ſed Paupertatis etiam, & Obedientiæ voto, quæ ad perfectionem quoque ſpectant, concludit. Et profectò ipſamet Deipara Paupertatis votum nuncupaſſe ſe reuelauit S. Brigittæ lib. 1. eiuſdem reuelationum cap. 10. *A principio*, inquit, *voui in corde meo, ſi eſſet Deo acceptabile, obſeruare virginitatem, NIHIL vnquam poſſidere in mundo.* ſic ibi.

S. Thomas. Obiectionis ſatisfit.

S. Brigitta.

De Obedientia. Cap. 21.

Quod verò ad eadem conſiliorum opera in particulari ſpectat, Deipara obedientiam perfectiſſimè coluit, quemadmodum cap. 21. vberius oſtendimus, præſertim cum ad imperium ſanctiſſimi Ioſeph ſponſi in Aegyptum diſceſſit, indeq; remigrauit; ex quo reliqua conijcias licet, quæ pertinent ad obedientiam, quam in Deipara eò maiori laude dignam prædicamus, quòd ipſa ſanctitate, ac ſapientia ſponſo ſuo longe, multumq; præcellebat. De Caſtitate verò, ac puriſſima virginitate, quam Deipara prima omnium voto edito obtulit Deo, fuſe egimus tum cap. 32. tum etiam ſupra in hoc eodem capite.

De Caſtitate. Cap 32.

Voluntaria Deiparæ paupertas.

12 Paupertatis denique, quam toto ſuæ vitæ tempore Deipara ſtudioſiſſimè eſt amplexata, ſpecimen nobis exhibuit præclariſſimum. Quod vt exemplis demonſtremus, pono primum, Deiparæ paupertatem non ex neceſſaria rerum inopia, ſed ex ſpontanea bonorum abdicatione profectam, vt Chriſto filio, qui cum diues eſſet, pro nobis egenus factus eſt, magis conformaretur, quippe quæ parentum ſuorum vnica hæres fuit, qui vt cap. 18. dicebamus, bona tribuebant in partes tres, vnam templo, alteram peregrinis, & pauperibus, tertiam ſibi reſeruabant. Deinde hoc ipſum in lib. 1. reuelat. S. Brig. cap. 10. habetur, vbi Deipara breui compendio vitam ſuam eidem S. Brigittæ commemorans, inter alia hæc ſubijcit: *Omnia, quæ habere potui, dedi indigentibus, nihilq; niſi tenuem victum, & veſtitum reſeruaui.* & mox illud, quod modo citauimus: *A principio voui in corde meo, nihil vnquam poſſidere in mundo*, & in lib. 7. earundem reuelationum cap. 25. Deipara ad S. Brigittam: *De diuitijs*, inquit, *ego, & Ioſeph nihil reſeruauimus nobis, niſi neceſſaria vitæ ad honorem Dei, reliqua dimiſimus propter honorem Dei.* ſic ibi.

2. Cor. 8.

Cap. 18.

S. Brigitta.

Maria aſſiduis manuum laboribus ſibi victum comparabat. Baſilius.

Ex hac Deiparæ voluntaria paupertate factum eſt, vt ſuis ipſa manibus laboraret. quod S. Baſilius in Conſtitutionibus monaſticis cap. 5. cum ageret de Chriſti virtutibus, quæ per corpus exercentur, in Deipara obſeruauit his verbis: *Chriſtus prima ſua ætate parentum ſuorum imperio ſubiectus fuit, & labores corporis omnes æquo vna cum ipſis animo illis obediens tolerauit. Veriſimile eſt enim cum homines illi eſſent, & iuſtitiæ, & pietatis cultores, tenues tamen, neque neceſſarijs ad viuendum copijs ſatis inſtructi (quod ex Præſepio intelligi poteſt, in quo venerabilis ille fotus eſt fœtus) ſolitos eos in aſſiduis corporis laboribus verſari, & hac ratione quotidianum ſibi victum quæritare. Porrò Ieſus cũ in his, vt diuinæ litteræ prædicant, eſſet ſubiectus ſine dubio in perferendis etiam vna cum ipſis laboribus morigeram declarabat ſuam obedientiam.* hæc Baſilius. Et certe Epiphanius Presbyter Conſtantinopolitanus in vita Deiparæ teſtatur, eam egregiè didiciſſe artem tractandi Lanam, Linum, Sericum: *Erat*, inquit, *docilis, & amans doctrinam, & non ſolum in ſacris litteris, ſed etiam cum Lana, Lino, Serico, & Byſſo laborabat: erat præterea in ſapientia, & intelligentia ſuper omnes illius ſeculi adoleſcentulas cunctis admirationi, quæ & verè conſuerit ea, quorum vſus in templo erat Sacerdotibus.* ſic ille. Idem habet Anſelmus in vita Virginis. Quare mirum non eſt, tunicam Chriſti inconſutilem deſuper contextam per totum opus fuiſſe Dei Genitricis manibus elaboratum ex ſancto Antonino 4. par. tit. 15. cap. 43. §. 1. quemadmodum etiam Euthymius in cap.

Luc. 2.

Epiphanius Presbyter Conſtantinopolitanus.

S. Anſelmus.

Euthymius.

27. Matth. ex traditione Patrum aſtruit, qua de re nos aliquid ſupra cap. 29. *Cap. 29.*

13 Ex hac eadem paupertate factum eſt, vt aſcendens cum ſponſo in Bethlehem, vnde originem trahebat: *Eo quod eſſet de domo, & familia Dauid*, filium enixa reclinaret in Præſepio, quòd ſibi tanquam pauperi non eſſet locus in diuerſorio. Vt in ſua item Purificatione quadrageſimo à partu die par Turturum, aut duos pullos Columbarum, pauperum nimirum oblationem daret: quamuis à Magis paucis ante diebus munera, Aurum, Thus, & Myrrham, eorumq́; non exiguam partem dono acceperit. quod inde colligitur, quia Magos ea nõ ex crumena, vel reſerata arcula, ſed apertis theſauris ſuis obtuliſſe refert Euangeliſta Matthæus. quæ tamen omnia Virgo ſanctiſſima propter myſteria, quæ in eis ſignificabantur, minimè reſpuit, ſed ea quantocyus pauperibus erogauit, quemadmodum S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 32. §. 2. obſeruat his verbis: *Aurum ſibi oblatum à Magis non modicum, prout decebat eorum Regiam maieſtatem, non ſibi reſeruauit in poſterum, ſed (vt dicebat deuotus Bernardus) pauperibus per Ioſeph diſperſit*. ſic ille. Quod ipſum complures etiam piè exiſtimant cum Bonauentura in Meditationibus vitæ Chriſti cap. 9. cum Carthuſiano, & Abulenſi in cap. 2. Matth. q. 47. qui hanc eſſe communiorem ſententiam teſtatur; quamuis & aliam addat expoſitionem, quæ voluntariam Virginis paupertatem magis confirmat; ait enim B. Virginem munera illa quantumuis copioſa à Magis oblata delibaſſe tantum, & ex ſingulis modicum quid accepiſſe.

Quanam ratione Maria paupertatem exercuerit. *Luc 2.* *Matth. 2.* *Oblata à Magis munera pauperibus diſtribuit Matthæus.* *S. Antoninus.* *Bernardus.* *Bonauentura.* *Carthuſianus.* *Abulenſis.*

14 Claudam hanc de Paupertate Deiparæ diſputationem ijs, quæ S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 24. nu. 1. in Virginis paupertate eleganter expendit; cum enim oſtenderet Deiparam actus illos virtutum, qui octo beatitudinibus continentur, perfectiſſime exercuiſſe: initium facit à paupertate, de qua Chriſtus Matth. 5. *Beati pauperes ſpiritu*, quod (vt eius ferè verbis vtar) ſic oſtendit. Hæc beatitudo importat abdicationem rerum, quæ fuit in ſummo in beata Maria, & quidem magna eſt paupertas per rerum ſubiectionem. Maior per rerum abiectionem: maxima autem, quæ ex vtriſque componitur, de qua Apoſtolus 2. Cor. 6. *Nihil habentes, & omnia poſſidentes*. Hoc autem non potuit eſſe niſi in beata Maria omnimode, & perfecte, & proprie. omnes alij ſi res abiecerunt non retinuerunt, & ſi retinuerunt non abiecerunt: quia tantum procuratores, & fructuarij, & non Domini fuerunt. Beata autem Mater Dei Virgo exiſtens, & Regina Cęli ius, & dominium, & vſumfructum poſſeſſionis habebat in rebus filij ſui. Vnde & bene potuit relinquere, & omnia poſſidere. Relinquere quantum ad vſumfructum; Poſſidere quantum ad proprietatem eius dominij. & ſic beatiſſima Virgo potuit habere altiſſimam paupertatem. Addit S. Antoninus ex Alberto, paupertatis perfectionem non attendi penes ſummum defectum rerum, ſed penes deuotionem, voluntatem, & perſonæ dignitatem: & ex eodem Alberto nouem numerat paupertatis gradus in rerum abiectione. *Primus eſt, dare ſuperflua perſonæ, prout perſona ſonat dignitatem aliquam. Secundus, dare ſuperflua non ſolum perſonæ, ſed etiam naturæ. Tertius, dare non ſolum ſuperflua, ſed etiam neceſſaria. Quartus, omnia neceſſaria, & ſuperflua ſimul dare, & ſemetipſum retinere, ideſt non propter Deum, quod & Philoſophi fecerunt, quemadmodum de Crate Philoſopho notat Hieronymus in Matth. 19. Quintus, omnia dare, & ſemetipſum addere ſecundum illud Matth. 19. Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me, ſcilicet TE DANDO. Sextus, omnia dare, ſemetipſum relinquere, & vltra hoc laborare manibus, vt tribuat neceſſitatem patienti, vt fecit Paulus, qui laborabat manibus ſuis, vt ipſe dicit, ad Corinthios; vt ſibi, & ſocijs ſubueniret. Septimus, dare etiam ſemetipſum; & ſpiritu, & corpore laborare, vt paſcat proximum ſpirituali cibo, qui gradus eſt melior priori: quia melius eſt reficere animam ſemper victuram (vt ait B. Gregorius) quàm corpus moriturum. Octauum autem paupertatis gradum ponit Albertus in beatiſſima Virgine perfectiorem cæteris, qui eſt relinquere omnia, & ſe ipſum, & de ſubſtantia corporis ſui accipere, & ad refectionem animarum proximis dare. Hoc enim fecit ſola beatiſſima Maria, quæ de puriſſimis carnibus, & ſanguinibus Viati eum nobis confecit panem viuum, qui de Cœlo deſcendit, qui eſt vere vita, quem qui religioſe manducauerit, mortem non guſtabit in æternum. Hunc toti mundo mendico ipſa dedit. Nonus gradus perfectiſſimus eſt filij ſui Ieſu, qui eſt omnia dare corpus, & animam propriam*

Maxima paupertatis Deiparæ perfectio. *S. Antoninus.* *Matth. 5.* *2. Cor. 6.* *S. Antoninus.* *Albertus.* *Paupertatis gradus nouem.* *Crates Philoſophus.* *Hieronymus.* *Matth. 19.* *1. Cor. 4.* *Gregorius.* *Albertus.* *Summi paupertatis gradus à Maria, ac Ieſu expleti.* *Ioan. 6.*

propriam,& diuinitatem habens vnitam, proximis dare in cibum animæ, ſub ſpecie tamen aliena,& hoc fuit opus ſummæ miſericordiæ, & ſummum paupertatis Domini Ieſu in via. hactenus ad verbum ex Alberto apud S.Antoninum loco citato.

B.Virgo cum in templo degeret in regularis vitæ diſciplina educata.

15 Quòd ſi regularis vitæ diſciplinam penitus inſpiciamus; cuius quidem profeſſores propria domo,ac parentibus relictis à ſeculi ſtrepitu, intra regularia ſe clauſtra ſub luxerunt,peculiares ibi Religioſorum virtutes ſtudioſe colunt,diuinarum rerum contemplationi vacant,domo non progrediuntur,neque cum alijs habent niſi pietatis, vel charitatis ratione commercium: luculentiſſimum profecto horum omnium ſpecimen ſingulariter reperiemus in Deipara. etenim adhuc Trimula à chariſſimis auulſa parentibus, ab ijs in templo præſentata Deo ſe ſe dicauit,ibiq;ex Euodio Antiocheno poſt ſanctum Petrum Epiſcopo in Epiſtola,quam inſcripſit Phos, ideſt lumen, apud Nicephorum lib. 2.cap.3. in ſanctis ſanctorum traduxit annos vndecim:nec inde diſceſſit, priuſquam diuino Sacerdotes explorato oraculo,illam Ioſeph eius virginitatis cuſtodi, quemadmodum cap.8.& 32. plenius diximus,in ſponſam tradidiſſent. Hic in templo tota erat in rebus diuinis,ac ſpiritualibus. nam S.Bonauentura in Meditationibus vitæ Chriſti cap. 3. illic eam pietatis ſtudia coluiſſe pro viribus, ſolitamq; media nocte ad orationem ſurgere, ex quadam, quam affert S.Eliſabethæ (vt ipſe putat) reuelatione confirmat. Idem quoque ex Hieronymo,Bonauentura ea de re ſic habet: *Deipara à mane ad horam tertiam orationibus inſiſtebat,à Tertia ad Nonam opere textrino ſe exercebat;à Nona iterum orabat,donec de manu Angeli cibum ſumeret.* ſic ille.

Euodius Antiochenus. Nicephorus.

Cap 8.& 32.

Bonauentura.

Hieronymus. Bonauentura.

Deiparæ virtutes.

16 Huc referri poſſunt Deiparæ virtutes propemodum innumerabiles, religioſis illæ quidem perneceſſariæ, quas in gradu heroico eam habuiſſe certum eſt. tales ſunt Humilitas,Pudor,Modeſtia,& præſertim Silentium;ſepties enim locuta legitur in Euangelio,atque ex his ſæpius cum Deo,vel Angelo. Huc & reliquæ reuocantur virtutes,quas dedita opera omittimus in præſenti,cum eas cap.21. vberius proſecuti ſimus. vbi verò è templo in S. Ioſephi ſponſi domum commigrauit, ibi ſe continens, non vanis nugis, vel aliorum confabulationibus tempus conterebat,ſed Deo,ac ſibi viuebat,vt iure Ambroſius lib.2.Comment.in Lucam expendens, eam ſolam Angelo Gabriele nuncium ferente repertam: *Diſcant,* inquit,*mulieres propoſitum pudoris imitari, ſola in penetralibus,quam nemo virorum videret, ſolus Angelus reperiret, ſola ſine comite, ſola ſine teſte.* ita Ambroſius. Neque verò extra domum vagabatur,niſi ſponſo comitata,cauſa pietatis,& officij,vt cum ad S.Ioannis Baptiſtæ ſanctificationem in montana Iudeę abijt cum feſtinatione,Eliſabeth cognatæ miniſtratura: aut gratia obtemperandi edicto Auguſti cum Bethlehem proficiſcitur:aut legis implendæ ſtudio,tum cum templum adiuit,& legi purificationis ſe ſponte ſubiecit: tum etiam cum ſingulis annis templum inuiſebat, aut declinãdæ Herodianæ perſecutionis cauſa cum in Aegyptum perrexit.Horum porrò complura egregiè obſeruauit Ambroſius lib.2.de virginib.vbi agens de Deipara: *Prodire,* inquit,*domo neſcia,niſi cum ad Eccleſiam conueniret, & hoc ipſum cum parentibus,& propinquis domeſtico operoſa ſecreto, forenſi ſtipata comitatu,nullo tamen meliore ſui cuſtode, quàm ſe ipſa.* & infra: *Nec templum Maria ſine pudoris ſui cuſtode proceſſit.* ſic ille.

Cap. 21.

Ambroſius.

Luc.1.
Luc.2.

Matth. 2.
Ambroſius.

Religioſæ vitæ profeſſores peculiari beneuolentia complectitur Deipara.
Cap.34 & 35.
Bernardus.
Ioan.2.

Quoniam verò religioſæ vitæ ſpecimen egregie reluxit in Deipara, ſimilitudo verò cauſa eſt amoris,hinc fit, vt ea religiones omnes ſingulari beneuolentia complectatur, ac peculiari protectione foueat,quemadmodum cap.34.& 35.oſtendimus. Quare Bernardus ſerm.de aqua in vinum mutata in Cana Galileę cum ſuis agens cœnobitis,oſtẽdit, Vinum gratiæ deuotionis, & feruoris charitatis à benigniſſima Dei Genitrice nobis impetrari: *Ipſa,* inquit,*ſi pulſata fuerit non deerit neceſſitati noſtræ, quoniam miſericors eſt, & MATER MISERICORDIAE. Placent illi nuptiæ noſtræ, (quibus ſcilicet anima Chriſto deſponſatur in religione) & pertinent ad illam multo amplius illis, nimirum de cuius vtero tanquam è thalamo ſuo cœleſtis ſponſus proceſsit.* ſic Bernardus.

Plurimi religioſæ vitæ inſtituta monetu Deiparæ ſunt complexi.

17 Huc etiam ſpectat celebre illud, de quo mox dicemus, centum viginti virginum Collegium,quæ Ieroſolymis Deipara ſuperſtite moderatrice vitam ducebant. Poſſem hic commemorare multos, qui in Deiparæ ſodalitijs nomen dederunt, & ad vitæ religioſæ inſtitutum capeſſendum ab ea excitati,atque adiuti fuere,quos interdum viſibili-

ter

ter ad religionem ſuſcipiendam eſt adhortata, ſubnotis ſi quæ erant impedimentis. Et vt de alijs ordinibus taceam P.Iacobum Ledeſmam virum omni doctrinarum genere excultum ad Societatem Ieſu ineundam ſua præſentia,qua ei ſe videndam obtulit, mirifice animauit, teſte Petro Ribadeneyra in vita P.Laynez lib.1. cap.9. B.Staniſlaum Koſtka, vt cap.35. diximus, ad Societatem noſtram miſit, P. Thomam Sancium; cuius præclariſſima de Sacramento Matrimonij extant ingenij, ac doctrinæ monumenta, auctore Petro Ribadeneyra in Catalog.illuſtr.ſcript.Societatis,cum impeditioris eſſet linguæ,ac propterea noſtræ Societatis ingreſſu prohiberetur,eo liberauit impedimento. Is enim cum Cordubæ in Templo Dei Genitricis, (cui à ſancto fonte eſt nomen) multis lacrymis à Deipara efflagitaret, vt amoto eiuſmodi impedimento in Societatem poſſet admitti; negaretq; domum ſe reuerſurum,niſi eam exoraſſet; tandem voti compos ad Societatem noſtram confeſtim aduolauit.

P.Iacobus Ledeſma.

Ribadeneyra.

B. Stanislaus Koſtka.

Cap. 35.

Thomæ Sancio, linguæ impedimentum à Deipara ablatum, vt ad Religionem Societatis Ieſu admitti poſſet.

Ex ijs ergo,quæ diximus, perſpicuum remanet eiuſmodi religioſæ vitæ exempla, ac veſtigia,quæ imitemur.non mediocria poſteris Deiparam reliquiſſe;eiq; religioſos omnes,quòd tale vitæ inſtitutum ſuſceperint,eſſe gratiſſimos: atque hoc nomine peculiaris protectionis præſidia,atque adiumenta ab ea polliceri ſibi potiſſimum poſſe, ac merito debere.

VIRGINVM COLLEGIVM IEROSOlymis ſub inſtitutione Deiparæ.

18 AD vitæ quoque religioſæ exempla,quæ Deipara nobis imitanda reliquit,ſpectare videtur & illud, quod Dionyſius Carthuſianus in 1.ſentent. diſtin.16. q.2. ſcriptum reliquit de Virginum Collegio,quæ Ieroſolymis ſub peculiari Deiparæ inſtitutione degebant. Is enim cum de ſapientia,& ſcientia Deiparæ ageret, quibus dum adhuc inter mortales degeret,plurimos inſtruxit, de eadem hæc ſubijcit: *Quotidie quoque, ſeu tempore opportuno edocuit feliciſſimum illud Collegium centum viginti virginum, eius obſequio,atque regimini deputatarum.* ſic ille. Sanè hoc,quod Carthuſianus abſque vlla hæſitatione profert,primo aſpectu mihi viſum eſt magis piè,quàm ſolidè dictum;cum verò rem ipſam attentius animo verſarē,rem admodum veriſimilem exiſtimaui: tria.n. illa conſilia Euangelica Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ,quibus religionis ſtatus conſtat,ſtatim ac Spiritus ſanctus in Apoſtolos,reliquosq; diſcipulos cœnaculo montis Sion congregatos deſcendit,in mores induci,atque exerceri cæperunt. quod perſpicuè apparet in Paupertate,ſeu ſpontanea bonorum abdicatione, quæ propter humanæ vitæ conuictum non exiguam ſecum affert difficultatem.& tamen, vt videre eſt in actis Apoſtolorum cap. 4. nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia.& infra: *Quotquot*,inquit,*poſſeſſores agrorum,aut domorum erant,vendentes afferebant pretia eorum,quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum*; quod magna cum laude feciſſe ibidem narratur S.Barnabas. hoc autem non ex præcepto,ſed ex conſilio factitatum docet Bellarminius controu.2. lib.2. cap.5. ſiquidem S.Petrus Ananiæ dixiſſe ſcribitur: *Anania*,inquit, *cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui ſancto,& fraudare de pretio agri? non ne manens tibi manebat,& venundatum in tua erat poteſtate?* Quare Hieronymus epiſt.8.de Anania,& Saphira:*Ideò*, inquit, *condemnati,quia poſt votum obtulerunt quaſi ſua, & non eius, cui ſemel ea vouerant, partemq; ſibi iam alienæ ſubſtantiæ reſeruauerunt*. ſic ille. Nam & Apoſtoli ipſi, qui primitias ſpiritus habuerant,religioſum vitæ inſtitutum eis, qui perfectius viuere volebant,non ſolum inſtituerunt;ſed etiam ipſi complexi ſunt, & voto ſe ad eam perfectionem obligarunt, vt docet Auguſtinus lib. 17. de Ciuitate Dei cap. 4. Id quod nos fuſius ſupra hoc eodem capite oſtendimus verba Auguſtini ſunt: *Dixerant Potentes iſti*. hoc eſt Apoſtoli: *Ecce nos dimiſimus omnia, & ſecuti ſumus te*. *Hoc votum potentiſſimi vouerant*. Et S. Thomas 2.2.quæſt. 88. art. 4. ad 3. *Apoſtoli*, inquit, *intelliguntur vouiſſe pertinentia ad perfectionis ſtatum,quando Chriſtum relictis omnibus ſunt ſecuti*. Idq; Bellarminus loco citato oſtendit,& Caſſianus collat. 18. cap.5. *Cœnobitarum*,inquit,*diſciplina à tempore Apoſtolicæ prædicationis ſumpſit exordium*. & lib.2. cap.5.

Carthuſianus.

Poſt Aduentum Spiritus ſancti cultus paupertatis caſtitatis, obedientiæ cæpit exerceri.

Act.4.

S.Barnabas Apoſtol.

Bellarminus.

Act 5.

Hieronymus.

Rom 8.

Apoſtoli religioſa vitæ inſtituta vouerunt, ac cæteros edocebant

Auguſtinus.

Luc.18.

S. Thomas.

Luc.5.

Bellarminus.

Caſſianus.

cap.5. *Pauci*, inquit, *in primordijs fidei, ſed probatiſſimi Monachorum nomina cenſebantur, qui Alexandriæ à B. Marco normam ſuſcepere viuendi*, &c. Dionyſius verò Areopagita cap.10. Eccleſ.hierarch. Monachos therapeutas, ideſt cultores ab Apoſtolis appellatos teſtatur. & Philo, vt ſupra ſect. 1. ex Euſebio, Epiphanio, & Hieronymo diximus, huiuſmodi virorum, & mulierum etiam Virginum religioſarum ſeparatim à viris viuentium habitacula, quæ vocat Monaſteria, memorat plurima fuiſſe per vniuerſum orbem, ſed præcipuè in Aegypto. & S. Hieronymus de viris illuſtribus in Philone ait: Talem primum Chriſto credentium fuiſſe Eccleſiam, quales nunc Monachi nituntur eſſe, & cupiunt. Rationem verò tanti in pietate feruoris, qui in primitiua Eccleſia cernebatur Hieronymus epiſt. 8. pulchrè refert in Chriſti ſanguinem, qui tunc recens fuſus erat. *In actis*, inquit, *Apoſtolorum, quando Domini noſtri adhuc calebat cruor, & feruebat recens in credentibus fides, vendebant omnes poſſeſſiones ſuas*, &c.

Dionyſius.

Monachi Therapentæ ideſt cultores.

Philo.

Euſebius.

Epiphanius.

Hieronymus.

Hieronymus.

19 Quæ cum ita ſint, conſequens etiam eſt, complures initio Eccleſiæ virginitatem Deo conſecrare cæpiſſe, elato præſertim à Deipara, (cuius virginitas fidelibus omnibus probe erat cognita) eiuſdem virginitatis vexillo, idq; Ieroſolymis præcipuè, vnde per vniuerſum orbem pietas per Apoſtolorum prædicationem propaganda erat, iuxta illud Iſaiæ 2. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.* Hinc eſt, quod Act.21. legimus Philippi Diaconi quatuor filias virgines, & Prophetiſſas: alias quoque plurimas continentiam arripuiſſe exiſtimare licet. quocirca Apoſtolus Paulus in 1.ad Cor.cap.7. Chriſti conſilium de caſtitate, & virginitate amplectenda promulgabat, & adeò efficaciter perſuadebat, vt nihil vereretur hac occaſione perſecutionē in Chriſtianos maiori Gentilium furore, ac rabie excitandam fore. quemadmodū in S.Thecla, de qua diximus tract.de Virg. cernere licet, quæ Iconij Thamiridi ſponſo nuncium remiſit, auctore ſancto Paulo, vt teſtatur Nyſſenus hom.4.in Cant. & Epiphanius hær.78.imò ipſe Fauſtus Manichæus apud Auguſtinum lib.30. contra Fauſtum cap.4.hoc S.Theclæ factum in Apoſtolum Paulum reijcit, eaq; de cauſa S.Thecla plurima ſubijt tormēta, in quibus Dei virtute victrix ſemper euaſit. & Chryſoſtomus lib. aduerſus vituperatores vitæ monaſticæ, cui conſonat Metaphraſtes 29.Iunij, refert S. Paulum à Nerone in vincula coniectum, ac tandem neci datum, quòd eius pellicem, quam deperibat, ad fidem chriſtianam conuertiſſet, eiq; pudicitiam perſuaſiſſet.

Virginitas poſt elatum à Deipara vexillum ſeruata.

Iſaiæ 1.

Act. 21.

1.Cor.7.

S. Thecla.

Ex Nyſſeno.

Epiphanius.

Auguſtinus.

Chryſoſtomus

Metaphraſtes S. Pauli Apoſt. martyrium.

Quidni ergo dicemus Euangelicæ prædicationis initio Ieroſolymis complures in vnum virgines, quæ Chriſti fidem ſuſceperant, conueniſſe; vt ſimul degerent; & Deiparam adhuc in terris ſuperſtitem, non tantum vt Dominam, & Domini ſui matrem, ſed vt morum etiam Magiſtram, quæ eas informaret, ac dirigeret agnouiſſe? nam & Apoſtolorum, & Euangeliſtarum, fideliumq; magiſtram eam fuiſſe cap. 19. diximus. Si enim cum adhuc puellula in templo educaretur, vt cap.37.oſtendimus, ſolicita erat, ne qua puellarum ex eo contubernio Deum offenderet: quanto magis poſt Chriſti Aſcenſionem eam alias inſtruxiſſe exiſtimare debemus, præſertim virgines, quas ſingulariter diligebat? quod ſatis præſetulit cum ex vita migratura (teſte Simeone Metaphraſte oratione de vita, & dormitione Deipatæ) duas tunicas, quas toto vitæ tempore habuerat ſui corporis tegumentum, dari iuſſit duabus virginibus, cui conſentit Nicephorus lib.15. cap.24.quicquid dixiſſet lib.2.cap.21.vbi viduas appellauerat, additq; lib.15. vnam ex his veſtibus à virginibus quaſi per manus traditam, ac cuſtoditam, tandem tempore Leonis Primi Imperatoris, annum Domini circiter 500.inuentam, & Conſtantinopolim tranſlatam, magnificentiſſimo extructo templo piè, ac religiosè aſſeruari.

Virgines plurimæ in pietate à Deipara inſtituta.

Metaphraſtes.

Nicephorus.

20 Quòd ſi in veteri lege complures mulieres ad templum excubabant, vt apertè habetur Exod.38. 1. Reg. 2. & Luc. 2. Virgines quoque in templo educabantur, quod ex 2.Machab. cap. 1. & ex Patribus cap. 8. oſtendimus. quid prohibet in lege gratiæ, quando virginitatis conſilium à Chriſto Matth.19. erat iam promulgatum, in vnum locum virgines conueniſſe ſub Deiparæ magiſterio? Quod non obſcurè olim Exod. 15. præfiguratum videtur cum Pharaone, & Aegyptijs in mari rubro demerſis Maria ſoror Moyſi Virgo, & Prophetiſſa tympanum in manu ſua ſumens mulieribus omnibus cum tympanis, & choris poſt eam egreſſis præcinebat dicens: *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus eſt*, &c. ita & nunc poſt Chriſti Aſcenſionem dæmonum viribus in

Exod. 38.

1.Reg.2.

Luc.2.

2. Mach.1.

Matth. 19.

Exod. 15.

mari

mari rubro Paſſionis Chriſti attritis,& extinctis virginibus in tympano,per quod Apoc. 14. corporis virginitatem adumbrari cap. 32. diximus,Deipara canticum nouum præcinat,& ſua inſtructione alijs viam veluti digito indicet. *Apoc. 14.*

Hinc eſt,quod S.Martha, quæ ſub Deipara Ieroſolymis vidit,ac didicit; poſtea, vt mox dicemus,inſtituit,& propagauit in Gallia. & S.Iphigenia,auctore S. Matthæo in Aethiopia in Monaſterio plurimarum virginum mater extitit. quin etiam, quod magis admiratione eſt dignum, cum perſecutionis æſtus ferueret,huiuſmodi Virginum Collegia extitiſſe,probatiſſimi Auctores teſtantur;vt videre eſt in ijs,quæ in tractatu de Virg. diſſeruimus, verbi gratia S. Baſiliſſa virgo coniux S. Iuliani martyris virgines plurimas congregauit, de qua ibi fuſius, & S. Ripſimis virgo, & martyr in Monaſterio ſub Præfecta Gaiana degebat:& S.Febronia virgo pariter,& martyr Sibapoli in Monaſterio ſub Præfecta Erienna.Quare S.Ignatius epiſt.5.ad Philipp. *Saluto*,inquit, *congregationem virginum*, quaſi in communi vitam ducentium: vt propterea Baronius tomo 1.Annal.ad annum Chriſti 52. huiuſmodi Virginum Collegia, ſeu Congregationes dicit fuiſſe eo modo, quo apud nos monaſteria. Idem quoque Ignatius indicat eas votum virginitatis nuncupaſſe:nam epiſt.9. ad Antiochenſes.Virgines agnoſcant,cui ſe ipſas conſecrarunt. *S. Martha virgine.* *S. Iphigenia plurimarum virginum mater.* *S. Baſiliſſa multarum virginum mater.* *S. Ripſime virg. & mart.* *S. Febronia virgin & mart.* *S. Ignatius.* *Baronius.*

Maneat igitur dictum illud Carthuſiani vero eſſe perquamſimile. *Carthuſianus.*

OBSEQVIA IN VIRGINIS DEIPARAE honorem exhibenda. Cap. XXXVIII.

SVMMARIVM.

Deipara precibus inuocanda,& quomodo nu.2.
Miſſæ de Deipara eidem gratæ nu.6.
Preces,quæ pro cuiusq; pietate recitari poſſunt nu.8.
Ratio commendandi ſe beatiſſimæ Dei genitrici tùm manè,tùm veſperi nu.9.
Deipara ſalutanda in ingreſſu,& egreſſu è domo nu.10.
Deiparæ templa adeunda,Imagines colendæ. feſta eius præparatione aliqua præuenienda,preces item in eius honorem fundendæ,præſertim ſalutatio Angelica nu. 11.
Quæ nam per priuatas preces præparatio ad Deiparæ feſta pie colenda fieri poſſit, num. 12.
Exempla eorum,qui peculiares preces Deiparæ offerre conſueuerunt,nu.16.
Exempla de ſalutatione Angelica nu.17.
Deipara militem quotidie ſalutationem Angelicam recitantem à dæmone quatuordecim annos ſeruat nu.22.



EXTVM, quòd ad deuotionem erga Virginem exercendam requiri diximus,ſunt obſequia,quæ in eius honorem præſtare debemus: vt enim deuotio noſtra non ſit ſterilis,ipſis operibus comprobanda erit,iuxta illud 1. Ioan. 3. *Filioli non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate*. & ipſe Ariſtoteles in 1. Rhet. cap. 15. cum perſonas recenſuiſſet, quibus honor eſt impendendus,ſtatim ſubijcit, quibus nam rebus honor exhibeatur his verbis: *Partes honoris ſunt ſacrificia,monumenta, & verſibus, & ſine verſibus;præmia,luci,præceſſiones, ſepulchra,ſtatuæ,victus publici, & quibus Barbari vtuntur, vt adorationes, conſpectus euitationes, munera,quæ apud ſingulas gentes pretioſa ſunt.* hæc ille. Ex quo infertur,vel apud Ethnicos honoris teſtificationem obſequijs declarari ſolitam. Obſequia porrò Virgini impendenda ad tria genera reuocari poſſunt. Primum eſt eius inuocatio per preces, quibus eam tum laudamus, tùm etiam vt noſtris neceſſitatibus ſubuenire dignetur,oramus. Secundum, quæ ad carnis caſtigationem,& mortificationem. Tertium,quæ ad charitatis erga proximum,& miſe- *B. Virgo obſequos colenda.* *1.Ioan. 3.* *Ariſtoteles.* *Ex Ariſtotele quibuſnam rebus honor exhibeatue.*

ricordię

ricordiæ tum ſpiritualis, tùm corporalis opera pertinent. Omitto in præſenti inter hæc pietatis opera vnum recenſere, quod hæc tria ferè complectitur, & virgini acceptiſſimũ, atque vnicuique vtiliſſimum eſſe, experientia docuit; alicui nimirum Congregationi, ſeu ſodalitio B. Virginis nomen dare; ad illius regularum præſcriptum vitam inſtituere; ſtatis diebus ad conuentus ſodalium conuenire: ſed ea de re plenius cap. 40.

Cæterum de tribus illis ſingillatim nonnulla dicamus, non quod omnia, quę hic proponimus à ſingulis præſtanda ſint, ſed vt quilibet ea, quæ Virgini magis grata, & animæ ſuæ ſaluti magis vtilia, quæq; ſibi ſuisq; viribus, & honeſtis occupationibus magis congruere videbuntur deligat.

DEIPARA PRECIBVS INVOCANDA, ET QVOMODO.

Ildefonſus. 2 ET quod ad Deiparæ laudes, & inuocationem attinet, S. Ildefonſus ſermone 1. de Aſſumpt. *Inuitat*, inquit, *nos ſanctorum Prophetarum chorus, imo & ſapientia Dei Patris, inuitat nos Spiritus ſanctus, Ante thorum*, inquiunt, *huius Virginis frequentate dulcia Cantica Dramatis. Dramaton enim genus eſt carminis, quo genere Cantica cant.corum edita leguntur; & iubemur, vt charitas amplius commendetur eo genere canendi, dulcia cantica in huius honorem Virginis frequentare, vbi interdum Angeli canentes celebrant laudes.* Idem Ildefonſus ſerm. 2. *Huius Virginis*, inquit, *animam Dominum magnificantem glorificemus. quoniam hæc eſt anima illa beata, per quam Auctor vitæ ingreſſus eſt mundum, per quam omnis maledictio ſoluta eſt primorum parentum, & cœleſtis benedictio venit in toto mundo.* ſic Ildefonſus. ipſa verò Eccleſia fideles omnes ad laudandam Deiparam magna cum cordis lætitia in feſtis B. Virginis his verbis in Eccleſiaſtico Officio inuitat: *Corde, & animo Chriſto canamus gloriam in hac ſacra ſolemnitate præcelſæ Genitricis Dei Mariæ.* & rurſum: *Cum iucunditate Conceptionem B. Mariæ celebremus, vt ipſa pro nobis intercedat ad Dominum Ieſum Chriſtum.* & beatus Laurentius Iuſtinianus ſermone de Natiu. Mar. *Nos igitur ad honorem huius Virginis præcinamus in confeſſione, Deoq; noſtro pſallamus in cithara, ipſum veneremur in Matre, & Matrem honoremus in Filio.*

Drama, quid.

Offic. Eccleſ.

Bernardus apud Bonauenturam.

Pſal. 67.

De patrocinio verò Virginis implorando pulchrè Bernardus apud Bonauenturam in ſpeculo B. Virg. cap. 3. *Non ſic*, inquit, *timent hoſtes viſibiles quaſi caſtrorum aciem copioſam, ſicut aereæ poteſtates Mariæ vocabulum, patrocinium, & exemplum: fluunt, & pereunt ſicut cera à facie ignis, vbicumque inueniunt crebram huius nominis recordationem, deuotam inuocationem, ſolicitam imitationem.* hæc Bernardus.

Meditatio vitæ Virginis vtiliſſimæ.

3 Cæterùm multa ſunt, quæ ad hoc de Virginis inuocatione referri poſſunt. Magnopere conducet in primis Deiparæ vitam, eiusq; actus, ac virtutes non tantum audire, & legere, verùm etiam attentè meditari, ac ſedulo expendere: vt ſic eius ſanctitatem, ac maieſtatem melius cognoſcamus, ac veneremur, eiusq; ſuffragia imploremus: & habita proprij ſtatus, talenti, & vocationis ratione, eam re ipſa magis imitari, ad eiusq; exemplum mores noſtros conformare, Deoq; perfectius ſeruire poſſimus. id quod Virgini gratiſſimum erit, vt ſcilicet eius exemplo ad filij ſui obſequium alij incitentur. Et quidem huiuſmodi meditatio, quæ eſt de vita Deiparæ conſulitur pſalm. 47. (in quo de Virgine agitur) illis verbis: *Circumdate Sion, & complectimini eam, narrate in turribus eius.* & iterum: *Diſtribuite domus eius, vt enarretis in progenie altera*; ac ſi diceret, ſingula quæq; Virginis vitæ myſteria, atque virtutes quaſi domos huius cœleſtis Ciuitatis diſtribuite, & per meditationem circumdate, diligenter luſtrate, atque expendite, & per affectum imitationis complectimini, vt enarretis in progenie altera, atque alijs imitanda prædicetis.

Pſal. 47.

Inuocanda B. Virgo. Chryſoſtomus in Officio Eccleſiaſtico 12. Septembris.

Bernardus. Bonauentura.

Præter meditationem vitæ eius, implorandum eſt etiam eius auxilium omni cordis affectu, & intimis animi deſiderijs. Quare Chryſoſtomus ſerm. de B. Virg. *Ad hanc*, inquit, *ſanctiſſimam Virginem, & Dei Matrem accurrentes, eius patrocinijs vtilitatem aſſequamur.* Nam vt pulchrè de B. Virgine Bernardus ſerm. 2. de Aſſumpt. *Adueniente*, inquit, *ſpiritu, plena ſibi eodem ſuperueniente nobis quoque ſuperplena, & ſupereffluens fiat: Quia ergo ſuperplena, & ſupereffluens eſt, moueatur*, inquit Bonauentura in ſpeculo

B. Vir-

B.Virg.cap.7.*vt effundat liquorem:nam ex Bernardo vas liquore plenum si moueatur, facilè subuertitur, & effundit liquorem*. ita Bonauentura. *Bernardus.*

Quocirca S.Brigitta in reuelat.in ferm.angel. cap.15. B.Virgo pro vita æterna, & vt effugetur diabolus precatur. eo autem enixius à nobis est eius patrocinium implorandum,quo nos pauperiores,& indigentiores sumus: & quo maius in ea,quàm in cæteris sanctis(vt cap.30.dictum est) Deus præsidium nobis cõstituit. Quin etiam per eam studeamus preces,& meditationes nostras,ac nos ipsos Deo offerre,ac consecrare,vt cap. 36.diximus;quo preces nostræ sint ad ea,quæ petimus consequenda efficaciores;& maiori cum animarum nostrarum fructu meditationis tempus transigamus.Qua in re illud in memoriam est reuocandum,quod de S.Elzeario Comite infra dicemus,qui suæ meditationi, quanta poterat animi pietate præmittebat salutationem Angelicam, qua dicta nunquam sibi defuisse nouam rerum diuinarum materiam affirmabat. *S. Brigitta.* *Per Virginem nostra Deo offeramus.* *S. Elzearius.*

4 Ad inuocationem porrò Virginis spectant preces, quæ in eius honorem funduntur, vel quibus eius auxilium petimus:huiusmodi sunt missæ,quę in honorem Virginis à Sacerdotibus celebrantur. Secundò, priuatæ quædam preces,quibus statis horis, vel alijs temporibus eam salutamus,& oramus. Tertiò,officium, seu preces horariæ B.Virginis. Quartò,Litaniæ eiusdem Virginis. Quintò,Rosarium. Sextò,Corona ex 63.vel 73.salutationibus angelicis constans.Septimò,Corolla,quæ salutatione angelica duodecies repetita,& oratione Dominica ter interiecta recitari solet. *Quæ ad Virginis inuocationẽ spectant.*

Verùm circa preces,quas ad Virginem inuocãdam fundimus,vt officiosiores,ac Virgini gratiores sint,hæc ferè obseruanda erunt. Primum, vt quo ad eius fieri poterit à corde mundo prodeant: quod satis patet exemplo superiori capite allato, vbi de puritate,seu virginitate Deiparæ imitanda egimus.quamuis autem Eccles. 15. *Non sit speciosa laus in ore peccatoris*; in quocumque tamen statu homo fuerit,à Virginis laude nõ est cessandum,vt monet Sophronius serm.de Assumpt. *Quia*, inquit, *inde tibi promittitur venia, vnde & omnibus, vt laudes; per ipsam enim veniam obtinere potes. Nam & sermo diuinus cum de peccatore ageret in Psalmis. Sacrificium, inquit, laudis honorificabit me:protinus addidit,& illic iter quo ostendam illi salutare Dei;ac si dicat, illic iter est laudis ad æternam salutem, propterea quia iter salutis nostræ in laudibus est Saluatoris. Hortor vos in hac sacra solemnitate Genitricis Dei Mariæ nolite cessare laudibus*. hæc ille. *Quæ in precibus seruanda.* *Primo cor mundum.* *Eccles. 15.* *Sophronius.* *Psal.49.*

Secundum,vt non oscitanter,& cum animi euagatione,sed animo attento,& magno cum affectu,ac deuotione eas persoluamus:præstat enim preces paucas cum deuotione, quàm sine ea multas effundere.legimus enim in Speculo exemplorum distin.9.nu.116. quãdam virginem religiosam 150.salutationes angelicas cum totidem venijs minus digna deuotione quotidiè Deiparæ offerentem, & ab eadem admonitam acceptius sibi fore si quinquaginta salutationes cum suis venijs cum animi affectu, & attentione, quàm si multas negligenter,& sine deuotione persolueret. *Secundo, attente, & cum affectu.* *Spec Exemplor.* *Exemplum cuiusdam minus deuotè preces offerentis.*

5 Tertium,quæ semel Virgini offerenda proponimus,non facilè, & quauis occasione sunt negligenda,sed constanter retinenda.ideò.n. Thomæ à Chempis religioso homini, & integerrimo cum esset Iuuenis solitas ad Virginem preces omittenti,per visum Virgo amplexum,quo alios dignata fuerat denegauit; quas postea quotidie diligentissime exsoluit.Quod exemplum habetur in spec.exempl. dist.10.nu.7. *Non facile omittendæ.* *Deipara Thomæ à Chempis consuetas preces omittenti amplexum denegat.*

S. Edmundus postea Cantuariensis Episcopus cum studijs operam daret, orationem illam,cuius initium est:*O Intemerata*,in honorem Dei genitricis,& S.Ioan.Euangelistæ quotidie reuerenter dicere solitus,aliquando studiorũ occupatione illius dicendæ oblitus est:proxima nocte B.Ioannes ei apparens, cum ferula immanem, & lethalem ictum minitari visus est:sed mox placatus,blande & familiariter eum admonuit,ne precationẽ illam vnquam omitteret. hæc ex vita eiusdem cap. 11. apud Surium 16.Nouembris, & apud Vincentium Beluacensem lib.31.cap.73. *Assuetas erga B. Virg. preces ne omitteret.* *S. Edmundus.* *S. Ioanne monitus.* *Vincentius in spec.histor. Surius.*

Quamuis etiam iustis de causis,obedientiæ præsertim,& charitatis,si omittamus preces,vel alia pietatis opera,quæ ex priuata deuotione præstamus; modò id quod in nobis est facientes alia ratione compensare studeamus,id Virgini non est ingratum:nam in spec.exempl.dist.3.nu.37.ex illustribus viris Ordinis Cistercienſis narratur de quodam *Cisterciẽsis,preces magna cum pietate Deiparæ obtulerat,diuino nutu à S.Bernardo cæteris præfertur.*

Fratre eiuſdem Ordinis in nocte Aſſumptionis extra Monaſterium in grangijs ad ouiũ cuſtodiam ex obedientia relicto, qui libentiſſimè in monaſterio diuinis laudibus, vna cum alijs eiuſdem monaſterij religioſis interfuiſſet: hic audito ad matutinum ſigno, ad plagam cœli, qua monaſterium ſitum erat conuerſus, omni affectu ſalutationem Angelicam (neque enim alias Virginis preces norat) ſæpius cum ſuis venijs repetens reliquam noctis, & diluculi partem ſine tædio in agro trãſegit: de quo S. Bernardus per reuelationem ſpiritus edoctus, mane illud in ſermone ad fratres dixit: *Scire*, inquit, *vos volo vnum ex Fratribus, quem obedientia hac nocte ſub dio in ſyluis ſanctæ feſtiuitatis gaudia celebrare coegit, tam deuotum, tam feſtiuum Dominæ noſtræ matutinarum exſoluiſſe ſeruitium, vt nullius quantacumque ſuſpenſa contemplatio, ſeu intenſa deuotio ipſius deuotioni, quam non alta contemplationis ſublimitas, ſed ſubmiſſa ſanctæ ſimplicitatis humilitas effecit, præferri potuerit.* hæc ibi.

Bernardus. Cæſarius. Quidam ex ſuperioris præſcripto occupatus, preces minimè ſoluiſſet à Deipara eſt excuſatus.

Narrat etiam Cæſarius lib. 7. cap. 52. in monaſterio Hemmenrode Ordinis Ciſterciẽſis conuerſum quendam nomine Hermannem, cum poſt Completorium in ſtrato ſuo quieſceret, & ſubito recordaretur ſe vnam horam, quam in honorem Virginis decantare ſolebat, propter diurnas occupationes diſtuliſſe, & ex obliuione neglexiſſe; è ſtrato exilijſſe, vt vel eo tempore illam recitaret, Mira dignatio, Dei genitrix repente ei aſtans, & labores eius miſerata, iuſſit vt quieſceret, voluitq; pro eo neglectam horam ſupplere. hæc ferè ad verbum ex Cæſario.

Aliud ſimile exemplum ex Chron. S. Franciſci.

Et in 3. par. Chron. S. Franciſci lib. 1. cap. 36. quidam Frater iuuenis, Virginis ſtudioſus quotidiè coronam eiuſdem deuotè recitare ſolitus, ſemel propter hoſpitum multitudinem, quibus excipiendis occupatus fuerat, valdè defatigatus cepit veſperi eãdem recitare: attamen vel inuitus ſomno oppreſſus fuit: verùm à benigniſſima Virgine, & ab Angelis, vt melius quieſceret, in ſtrato ita vt erat dormiẽs deponitur; qui expergefactus audiuit à Virgine ſibi gratum fuiſſe cum ſua deuotione charitatis opus, quod exercuerat. Ex eadem quoque 3. par. Chron. S. Franciſci lib. 6. cap. 31. Frater Thomas Caponus nobilis Florentinus ordinis Minorum cum propter occupationes, quibus miniſtrans fratribus diſtentus fuerat, ſolitas preces antequam cibum ſumeret recitare non potuiſſet, in templum ad Aram Virginis Annũciatæ eas recitaturus ſe contulit: verùm ex Deiparæ Imagine vox ad eum facta eſt, qua iubebatur ad menſam cum alijs accedere, & poſt cibum precum penſum perſoluere; cum bona eius voluntas ipſi accepta eſſet, quippe qui obedientia, & charitate impeditus fuerat.

F. Thomas Caponus. Aliud ſimile exemplum de Fratre Thoma Capono.

Cæterùm de ijs, quæ ad Virginis inuocationem ſpectare diximus, ſingillatim aliquid proferamus.

MISSAE DE DEIPARA, EIDEM GRATAE.

De miſſis in honorem Virginis. Concil. Trident.

6 PRimò igitur miſſæ, quæ de Virgine celebrantur eidem, Virgini gratæ in primis ſunt: licet enim, ex ſacro Concilio Tridentino ſeſſ. 22. cap. 3. cum in honorem Sanctorum miſſæ celebrantur, ſoli Deo Sacerdos ſacrificium offerat; tamen Deo de illorum victorijs gratias agens, eorum patrocinia implorat: & ideò apud Sanctos vim habent maximam. Deiparam verò miſſis, quæ de ea dicuntur, delectari his exemplis probatur. Legimus apud Cęſarium lib. 7. exempl. cap. 4. quendam Sacerdotem, nullam aliam, vt verbis eius vtar, ſcientem miſſam, niſi de B. Virgine, de ea quotidie celebrantem, à S. Thoma Cantuarienſi fuiſſe ſuſpenſum. cumq; propterea Sacerdos ille animi anguſtia præmeretur, & ſimul etiam egeret, iugiter eandem Virginem inuocabat; quæ eidem apparens, ad S. Thomam miſit, ſuoq; nomine, vt ei officium ſuum reſtitueret, dicere iuſſit. cuius rei ſignum dedit, quia tali hora, & loco eundem S. Thomam in cilicio reſarciendo ipſa Virgo adiuuerat. quo audito S. Thomas fidem Sacerdoti habuit, eiq; præcepit, vt in poſterum de B. Virgine tantum celebraret, atque pro ſe oraret. hoc exemplum refert etiam S. Antoninus 4. par. tit. 15. cap. 2. §. 2.

Cæſarius. Exemplum Sacerdotum quotidie de B. Virgine celebrantium

Vincent. Belua. Cæſarius. Sacerdotem, qui B. Virg. ſacrum

Simile Exemplum Vincentius Beluacenſis in ſpeculo hiſtoriali lib. 7. cap. 113. narrat. Nec diſſimile eſt illud, quod affert Cæſarius lib. 7. cap. 5. de Sacerdote quodam Idiota, qui cum eſſet Vicarius cuiuſdam Paſtoris, ſeu Parochi, & Miſſam de B. Virgi-

ne

ne in Dominica infra octauam Epiphaniæ celebrasset, quòd eius diei officium ignoraret, eaq; de causa à pastore eiectus propter suam paupertatem egeret: iussu B. Virginis, quæ pastori minaciter præcepit, vt Cappellanum suum restitueret, in eandem Ecclesiam iterum est admissus. *celebrans eadem in aduersis tuetur.*

7 Nec silentio præteribo insigne miraculum, quod de eadem Missa Deiparæ à Cæsario lib.7.cap.24.describitur his ferè verbis; quod quidem suo tempore euenerat, eratq; notissimum: *Ante hos*, inquit, *annos cum Catholici contra Albigenses Hæreticos fuissent signati, & non modicum ab ijsdem catholicis hæretici illi essent exacerbati; duo honesti Clerici per terram illorum transeuntes, cum Ecclesiam vidissent in via desolatam, ait vnus alteri, Sabbatum est intremus Ecclesiam hanc, dicamus missam in honorem Dominæ nostræ (portabant enim secum librum, calicem, & indumenta sacerdotalia.) Antequam esset missa completa hæreticis proditi sunt, qui armata manu intrantes, & Sacerdotem de Ecclesia trahentes, linguam eius radicitus abscinderunt, quem socius cum multo labore Cluniacum deduxit, ac monachis commendauit. Illi verò vtpote Catholici, & Religiosi Sacerdotem catholicum, & notum propter fidem Christi, & Genitricis eius honorem tam crudeliter mutilatum deuotè susciptentes, omnem ei humanitatem exhibuerunt. In nocte verò Epiphaniæ cum solennes decantarentur vigiliæ, baculo parietem pulsans ministros vocat, in Oratorium se deportari velle significat: deductus, & ante altare quodam consistens misericordiæ matrem tota mentis deuotione inuocat. At illa eidem apparuit carnem linguæ formam habentem in manu tenens, respondit oranti: Quia propter fidem filij mei, & honorem mihi exhibitum lingua tua priuatus es, ecce nouam tibi restituo; aperi ergo os tuum, & digitis ori eius immissis radici linguæ præcisæ eandem carnem coniunxit, sicq; disparuit. Qui mox in laudis vocem erumpens clara voce cum Angelo clamauit, Aue Maria gratia plena, vsque ad finem: quam salutationem crebrò repetebat. Stupentes accurrerunt ministri, & de choro Monachi de tanto miraculo Deum, eiusq; Genitricem glorificantes; ille accepti beneficij non immemor, in eodem cœnobio factus est Monachus: cum autem Ioannes Scholasticus Xantensis circa idem tempus in Prouincia Albigensium cum exercitu Catholicorum esset, audiens de tanto miraculo in reditu Cluniacum adijt, & dictum monachum conuenit, ac ab eodem rem gestam audiuit, viditq; linguam, quæ reliqua carne erat candidior, & in loco præcisionis seruabat cicatricem, cuius miraculi testis est vniuersus Cluniacensium conuentus vsque hodie.* hucusque Cæsarius, qui à Ioanne Xanthensi testi oculato hæc se accepisse narrat. *Cæsarius. Sacerdoti sacrũ Deiparæ celebranti abscissa ab hæreticis lingua per eam restituitur.* *Luc 1.* *Ioannes Scholasticus Xanthensis.*

Apud eundem Cæsarium lib.7.cap.39.Vualterius de Birbach Virginis deuotissimus, cuius mẽtionem feci cap.36.ieiunijs, eleemosynis, & missis, quas celebrari curabat, Deiparam honorare studebat. is cum miles esset strenuus, & aliquando cum alijs militibus ad torneamentum quoddam properaret, præteriens per quoddam templum, comites suos ad missam audiendam inuitauit, quod cum recusassent verentes ne tardius peruenirent, ipse alijs recedentibus, missam de B.Virgine cantari curauit; oblationemq; fecit, qua peracta suum iter est persecutus: audiensq; à pluribus ludum torneamenti inchoatum, & Vualterum de Birbach fortiter se gerere, omnibusq; præferri, & ab omnibus laudari: magno stupore captus est, intellexitq; B.Virginis pietate factum esse, vt eius absentia propter obsequium erga eandem exhibitum mira quadam virtute, & cum sua maxima apud Commilitones gloria suppleretur. *Cæsarius. Sacrum B. Virginis audiens Vualterius summum in torneamentis locum eodem tempore obtinere videbatur.*

PRECES, QVAE PRO CVIVSQ. PIEtate recitari possunt.

8 SEcundò, priuatæ preces, quę pro vniuscuiusque deuotione in Virginis honorem funduntur vtilissimæ sunt, præsertim si precibus voce prolatis aliquod mentis exercitiũ addatur, gratias Virgini pro acceptis ab ea beneficijs agendo, nosq; ipsos illi in seruos offerendo, & aliqua ab ea enixius petendo. quod exercitium quotidie mane cũ surgimus, & vesperi ante cubitum fieri deberet, vt pietas erga Virginem iugiter accendatur, eiusq; suffragium in quotidianis necessitatibus inuocetur; formulam huius exercitij, quam facilè quiuis ex se facere posset, ad maiorem lectorum facilitatem, mox subijcien- *De priuatis precibus in honorẽ Virginis persoluendis.* *Mane, & vesperi B. Virgo inuocanda.*

Albertus Magnus.

dam duximus. Sanè Albertus Magnus ab ineunte ætate(vt ex Chronicis Fratrum Prædicatorum diximus cap.36.) quotidie certas preces tanquam obsequij sui pensum Deiparæ persoluens, eius patrocinium inuocabat, suæq; pietatis fructum amplissimum reportauit.

Ad has porrò priuatas ad Deiparam preces multa reuocari possunt. Primum,vt mane statim ac surgimus, & vesperi antequam nos cubitum recipiamus illi nos, nostrasq; sedulo commendemus. Alterum,vt cum domo siue egredimur,siuè reuertimur,eius patrocinium enixè imploremus. Demùm,vt in eius templis coram eius Imaginibus illi preces fundamus,vel aliqua alia oblata occasione,salutatione Angelica,vel alia precatiuncula eam reuerenter inuocare studeamus,verùm de his omnibus aliquid subijciamus.

RATIO COMMENDANDI SE BEATISSIMÆ Dei genitrici, tum mane, tum vesperi.

9 MAne cum primum surgimus,Pater noster,& Aue Maria. Deinde aliqua ad B.Virginem precatio, eiusmodi est sequens, quæ ex Officio paruo B. Virginis est desumpta. ORATIO.

Officio Ecclesiastico.

O Domina mea sancta Maria,me in tuam benedictam fidem,ac singularem custodiam, & in sinum misericordiæ tuæ hodie,& quotidie,& in hora exitus mei, animam meam, & corpus meum tibi commendo,omnem spem meam,& consolationem meam,omnes angustias, & miserias meas,vitam,& finem vitę meæ tibi committo;vt per tuam sanctissimam intercessionem,& per tua merita omnia mea dirigantur,& disponantur opera secundum tuam, tuiq; filij voluntatem. Amen.

Sancta Maria succurre miseris, iuua pusillanimes, refoue flebiles, ora pro populo,interueni pro clero, intercede pro deuoto fęmineo sexu, sentiant omnes tuum iuuamen quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem.

℣. *Ora pro nobis sancta Dei genitrix.*

℟. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*

Officio Ecclesiastico.

MARIA mater gratiæ
Mater misericordiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et hora mortis suscipe.

Gloria tibi Domine,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre,& sancto Spiritu
In sempiterna secula. Amen.

Deinde Primò,gratias agam de cunctis beneficijs tùm generalibus,quæ cum alijs cõmunia sũt,quòd.s.Christum nostrum redemptorem genuerit,& similibus:tùm etiam de particularibus,& occultis,quæ illa mihi à Christo impetrauit,præcipuè verò de ijs, quæ peculiariter intelligo,me ipsius intercessione obtinuisse.

Secundò,totum illi me tradam,atque in seruum offeram,orans, vt mei patrocinium, tutelamq; suscipere,meq; suo præsidio munitum,ab omni tum animæ, tùm corporis periculo tueri dignetur.

Tertiò,aliquot beneficia pro me,cęterisq; proximis petã,pręsertim vt mihi à suo filio profundam Humilitatem,puriſſimam Castitatem,flagrantem erga Christum amorem,& in recto virtutis itinere profectum, ac perseuerantiam impetret, & vt ab omni peccato prętertim mortali efficaciter caueam: prętera aliquid illius mihi doloris impertiat, quẽ ex filij cruciatibus hausit,iuxta illud Bernardi de lament.Virg. *Mihi*, obsecro, *lacrymas illas infunde,quas ipsa habuisti in sua passione;* præparationis etiam,atque ardoris animi scintillam,qua sacram Eucharistiam post filij in cœlum Ascensionem sumebat. Denique augmentum deuotionis,& affectus erga eandem sanctissimam Virginem. Hęc autem beneficia per septem eius gaudia,doloresq; totidem petam,quibus est affecta dum in terris viueret.finem denique faciam ipsius benedictionem rogando illis verbis: *Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria. Amen.*

Bernardus.

VESPERI ANTE CVBITVM AD EANdem sanctissimam Virginem Dei genitricem.

Ratio commendandi se Virgini ante cubitum

PAter noster, Aue Maria. Deinde sequens,vel alia precatio. Hæc verò desumpta est ex Officio paruo B.Virginis.

O Ma-

O Maria Dei genitrix Virgo gratioſa omnium deſolatorum ad te clamantium conſolatrix vera, per illud magnum gaudium, quo conſolata es, quando cognouiſti Dominum Ieſum die tertia à mortuis impaſſibilem reſurrexiſſe, ſis conſolatrix animæ meæ, & apud eundem tuum, ac Dei natum vnigenitum in die nouiſſimo, quando cum anima, & corpore ero reſurrecturus, & de ſingulis meis factis rationem redditurus, me digneris iuuare, vt perpetuæ damnationis ſententiam per te pia Mater, & Virgo valeam euadere, & cum electis Dei omnibus ad æterna gaudia feliciter peruenire. Amen. Offic. Eccleſ.

Sub tuum præſidium confugimus ſancta Dei genitrix, noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus: ſed à periculis cunctis libera nos ſemper Virgo glorioſa, & benedicta.

Maria mater gratiæ
Mater miſericordiæ. vt ſupra. Offic. Eccleſ.

Deinde gratias agere, offerre, & petere debemus, vt ſupra.

DEIPARA SALVTANDA IN INGRESſu, & egreſſu è Domo.

10 AD alterum priuatarum precum caput facit, vt antequam Domo quis egrediatur Virgini beatiſſimæ veluti peculiari ſuæ Dominæ in cubiculo coram eius Imagine ſe, ſuaq; negotia peragenda commendet; ac ſub eius ampliſſimo pallio, hoc eſt peculiari patrocinio, tantiſper cogitatione ſe ſiſtat, eoq; munitus præſidio contra varias hoſtium tum viſibilium, tùm inuiſibiliũ inſidias, quę plurimę paſſim occurrunt, foras exeat; idcircò ſalutationem angelicam recitet, & ab eo, eiusq; filio veluti exeundi veniam, benedictionemq; petat illo verſiculo: *Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria.* *B. Virgo ſalutanda cum ingredimur, vel è domo egredimur.*

Idem quoque tibi præſtandum erit, vbi Domum reuerſus in cubiculum te receperis: & profecto ea ratione ſeruabimus, id quod Hieronymus epiſtol. 22. inter alia monita, Virgini Euſtochio, alijsq; religioſam vitam inſtituere volentibus tantopere commendat illis verbis: *Egredientes de hoſpitio armet oratio, regredientibus de platea oratio occurrat, antequam ſeſſio; nec prius corpuſculum requieſcat quàm anima paſcatur.* ſic ille. *Hieronymus.*

Ac de Deipara per eam occaſionem ſalutanda Lanſpergius in ordinario breui manuſcripto de ratione viuendi Carthuſianorum, egregiè ſic monet: *Perſoluto ſacro, & redditis debitis gratijs, rediens ad Cellam ad Imaginem B. Mariæ, (quæ cuſtos iuxta fores Cellæ tuæ vigilat) pauliſper ſubſiſte, aut ſi feſtinato intrandum eſt, dum claui reſeras oſtium, ora Matrem Dei, vt te adoptet, teneat, poſſideat in filium. Cellam ingreſſus, primum ſit, quod ante omnia facias, vt in Oratorio ad orationem procidas, beatam Mariam tuæ cellæ Patronam, ac Dominam ſalutaturus: dic ergo mente deuota vnum AVE MARIA.* hæc ille. *Lanſpergius.*

Et certè eiuſmodi erga Deiparam ſtudium miraculis interdum comprobatum legimus, quemadmodum ex Prato ſpirituali cap. 180. conſtat in Abbate Ioanne Anachoreta, qui cum peregrinatum exiret, candelam accenſam in Cella coram Deiparæ Imagine relinquere, eiq; ſub diſceſſum enixè ſe commendare conſueuerat, & cum poſt vnum, duos, ſexuè interdum menſes aliquando remigraret, candelam integram illam quidem, atque ardentem ſicut reliquerat non ſine miraculo inueniebat; quod cap. 29. plenius narrauimus. *Pratum ſpirituale. Deuotio cuiuſdam Clerici erga Deiparam imaginem miraculis confirmatur.* Cap. 29.

DEIPARAE TEMPLA ADEVNDA, IMAgines colendæ, feſta eius præparatione aliqua præuenienda, preces item in eius honorem fundendæ, præſertim ſalutatio Angelica.

11 AD priuatas, quæ Deiparæ funduntur, preces ſpectat quoque ſacra Virginis adire templa, celebresq; eius Imagines piè inuiſere, coram iiſdem cum aliquo pietatis ſenſu eandem inuocare. *Preces in honorem Deiparæ.*

Feſtis item Deiparæ dicatis diebus, non tantum ad ſacram Euchariſtiam accedere, conſuetas preces augere, vel ſaltem maiori eas animi ardore perſoluere; verum etiam peculiari aliqua pietatis exercitatione ad ea feſta deuotius celebranda ſe comparare,

de quo mox plenius differemus. Complures verò ſunt precationes, quæ pro opportunitate,& cuiuſq; deuotione in Deiparæ honorem recitari poſſunt; eiuſmodi inter alias cenſentur Hymni.

Offic. Eccleſ. *Aue maris ſtella,&c.*
O Glorioſa Domina,&c.
Canticum Magnificat,&c.

Hymnus ſancti Ambroſij,& Auguſtini. *Te Deum laudamus.* In laudem Deiparæ à Bonauentura tomo 2. opuſculorum concinnatus, cuius initium eſt. *Te Matrem Dei laudamus.*

Aliæ inſuper orationes,quæ in Officio paruo B.Virginis leguntur, nimirum.

Salue Regina,&c.
Obſecro te Domina,&c.
O Intemerata,&c.
Stabat Mater doloroſa, &c. Et ſimiles, de quibus nonnulla cap. 29. diximus. Cap. 29.

Porrò inter precationes,quæ ad Deiparam diriguntur,principem locum tenere videtur ſalutatio Angelica,cuius initium Gabriel vnus ex ſeptem Principibus Angelorum, qui ante Deum aſtant,ſanctiſſimæ Trinitatis nomine ad Virginem beatiſſimam, cum in matrem Dei delecta eſſet,pronunciauit; quod etiam nunc accidentale gaudium S. Gabrieli affert in cœlis. etenim lib.4.reuelationum S.Gertrudis cap.12. ſic legimus: *Sanctus quoque Gabriel toties nouo ſplendore diuini luminis viſus eſt irradiari, quoties recitabatur Annuntiatio facta per ipſum.* ſic ibi. Luc. 1. S. Gertrudis.

Indulgentia ſalutationem Angelicam recitantibus, conceſſa Vrbanus IIII. Pontif. Ioannes XXII. Pontifex.

Neque ſummorum Pontificum ſtudium defuit, qui fideles ad frequentem ſalutationis Angelicæ recitationem,Indulgentiarum largitione excitarent. Etenim Vrbanus IIII. omnibus,qui deuote ſalutationem Angelicam recitarint,Indulgentiam dierum triginta conceſſit,totidemq; ijs,qui IESV nomen itidem implorarint. Ioannes autem XXII. eaſdem Vrbani IIII. Indulgentias poſtea non confirmauit ſolum,verum etiam duplicauit.

Cæterùm non inutile erit ſubijcere in præſentia qua nam occaſione eandem ſalutationem Angelicam Deiparæ offerre poſſumus.

De ſalutationis Angelicæ vſu.

Et vt taceam de Deiparæ Roſario,Corona,& Corona paruula,quæ ex ſalutatione Angelica ad certum numerum repetita conſtant, de quibus vberius cap. ſequenti. In primis cum ad ſalutationem Angelicam Trino campanæ pulſu, veſperi, mane, & meridie ex præſcripta Eccleſiæ conſuetudine ſignum datur, reuerenter flexis genibus Deipara eſt ſalutanda, ea tunc temporis recolendo, quæ cap. 29. ſignificauimus.

Ad hæc Deiparę per ſalutationem Angelicam nos commendemus.

Cum horologium horas ſignificat,quod Arnoldus Hallandus factitaſſe legitur apud Thomam de Chempis lib. de illuſtribus Florentij diſcipulis. Thomas de Chempis.

Cum noctu expergiſceris.

Cum interdiu opus aliquod inchoandum,vel negotium tractandum occurrit.

Cum tentatione aliqua à Satana impugnaris.

Cum aliqua Deiparæ Imago conſpicitur,iuxta illud.

Virginis intactæ dum præteris ante figuram,
Prætereundo caue ne ſileatur AVE.

S. Brigittæ reuelatio de ſalutatione Angelica.

Nec illud reticendum,quod in reuelationibus S.Brigittæ, quæ dicuntur extrauagantes cap.65. legimus, vbi Chriſtus Dominus inter alia S. Brigittæ de modo viuendi pro ſe,& familia tradita monita adiecit,& illud: *Si aliquis ſubito motu,vel ira obloquitur alteri; ſtatim cum fieri poteſt, quæratis locum aptum legendo vnum Aue Maria,a Deo indulgentiam poſtulando.* ſic ibi.

Quotidie Virginem propter ea, quibus in terris perfuſa eſt gaudia, & propter dolores,quos dum viueret perpeſſa eſt,& propter eam,qua nunc in cœlis perfluitur gloriam, triplici ſalutatione Angelica veneremur.

QVAE-

QVAENAM PER PRIVATAS PRECES *præparatio ad Deiparæ feſta pie colenda fieri poſſit.*

12 VT vero erga Deiparam pietas nutriatur,ac magis in dies augeatur non parum proderit ieiunijs,operibus miſericordiæ, ac peculiaribus precibus ad eius feſta deuotius celebranda ſe comparare,vel etiam per eorum octauam aliquid eiuſmodi in Deiparæ honorem exhibere:qua de re,vt reliqua nunc taceam,aliquas preces,quæ in nonnullis Deiparæ feſtis recitari poſſunt ex B. Gertrude afferemus, vt ex ijs tale quippiam ad aliorum feſtorum præparationem nos ipſi ſtatuere poſſimus.

Alia preces in honorem Deiparæ.

In lib.4.Reuelationum *B.*Gertrudis cap. 49. de præparatione ad feſtum Aſſumptionis,ſic legimus: *In vigilia Aſſumptionis ſub miſſa (Vultum tuum) dum legeretur collecta (Deus, qui virginalem aulam) & cum B. Gertrudes deuotius intenderet verbis illis, ſcilicet (vt ſua nos defenſione munitos iucundos faciat eius intereſſe feſtiuitati) videbatur delicata mater benigne expandere pallium ſuum quaſi ad ſuſcipiendum omnes ad ſe confugientes in ſpeciale patrocinium.Tunc aduenientes ſancti Angeli adducebant coram ea omnes perſonas,quæ ſe ſpeciali deuotione, vel orationibus ad idem feſtum Aſſumptionis deuote præparauerant in ſpecie iuuencularum ſpecioſarum,quæ reuerenter ſedentes ante eam, ſicut filiæ coram matre,ſanctorum Angelorum miniſterio vndiq; fulciebantur,& ab inſidijs malignorum ſpirituum defendebantur, & ad quæq; bona promouebantur. intellexitq; talem protectionem Angelorum obtentam per antedicta verba collectæ, ſcilicet VT SVA NOS DEFENSIONE MVNITOS, quia ad imperium eius, multitudo Angelorum vndiq; defendendo protegit omnes glorioſam Virginem inuocantes.* hæc ibi.

Viſio B.Gertrudis. Deiparam inuocantes,& ad eã confugientes ſub eius pallio admittuntur.

In eodem lib. 4. Reuelationum cap. 12. cum ageretur de feſto Annuntiacionis,hæc habentur: *Deſiderans verò B. Gertrudis inueſtigare quid orationis B. Virgo acceptaret ſpecialius in hoc feſto Annunciationis,edocta eſt ab ea, quòd ſi quis per octauam quotidie legeret 45. Aue Maria cum deuotione in memoriam illorum dierum,quibus Dominus Ieſus creuit in vtero ſuo,ille tam acceptum famulatum ſibi exhiberet, ſicut ſi eo die,quo Dominum concepit,ſibi aſſuiſſet,& per ſingulos dies, vſque ad partum diligentiſſima ſibi obſequia impendiſſet,& quam inuite illi tunc pro ſeruitio ſuo Virgo denegaſſet,quicquid ab ea deſideraſſet,tam inuite vellet iſti denegare petitionem ſuam.* ſic ibi.

B Gertrudis reuelatio, de ijs, qui per octauam Annunciationis B. Virginis 45. ſalutationes Angelica pronunciant.

13 De feſto verò Natiuitatis Deiparæ ex eodem lib.4.Reuelationum cap. 53. ſic ſcriptum inuenimus:Natiuitatis Glorioſæ Virginis feſto præclaro dum iſta perſoluiſſet tot Aue Maria,quot diebus ipſa præclara maris ſtella creuit in vtero Matris (quod fieri facile poteſt ſi 35.Aue Maria quotidie recitentur per octo dies,) & hæc deuote offerret eidem,requiſiuit ab ea,quid erga benignitatem ipſius merentur, qui ſimili deuotione ad honorem eius eundem numerum perſoluerent cum ſalutatione Angelica: cui benigniſſima Virgo reſpondit: Hoc (inquit) merentur, quòd æternaliter in cœlis ſpeciali iucunditate participabunt mecum felicius omnia gaudia,quæ recepti, & adhuc ſine intermiſſione renouata recipio pro ſingulis virtutibus,ad quas Beata, & Glorioſa Trinitas animam meam ſingulis diebus ſecundum optimum beneplacitum ſuum decenter habilitauit. ſic ibi.

Altera eiuſdem reuelatio de gloria eorum, qui Natiuitatis Deiparæ commemorationem Angelicis ſalutationibus celebrant.

In eodem feſto Natiuitatis Deiparæ ad Completorium dum cantaretur Salue Regina,hæc legimus in eodem lib. 4. cap. 55. Tunc B.Gertrudis obtulit beatiſſimæ Virgini centum, & quinquaginta Aue Maria in honorem eius lecta, orans, vt in hora mortis materna ſibi pietate dignaretur adeſſe:& ecce omnia verba, quæ legerat,videbantur in ſpecie aureorum denariorum ante conſiſtorium præſentari, & ab ipſo matri ſuæ commendari. Quæ Mater pia ſuſcipiens quaſi diſpenſatrix fideliſſima ſingillatim diſponebat in profectum,& ſolatium animæ eius,diligentiſſima cura prouidens,vt egrederetur de hoc ſeculo;pro ſingulis ſibi oblatis ſpeciales conſolationes,& tuta ſubſidia apud diſtrictum Iudicem ipſi obtineret. intellexitq; quòd dum aliquis finem vitæ ſuæ cuiuſuis ſanctorum ſpecialibus orationibus commendat,ſtatim orationes illæ deferuntur ante tribunal Iudicis; & ille Sanctus, cui committuntur, conſtituitur,à Deo aduocatus ſuper eos,vt ex ipſis bona prouideat ſibi deuotis tempore opportuno. hæc ibi.

Altera eiuſdem reuelatio de ſalutationibus Angelicis, ac aliis precibus per horas mortis oblatis.

Qui-

Salutatio Angelica, quibus animi affectibus recitanda S. Geltrudis à Deipara edocetur.

14 Quibus verò animi affectibus ſalutatio Angelica ad maiorem ſpiritus vtilitatem recitari poſſit, B. Virgo beatam Gertrudem docuit lib. 4. cap. 12. vbi ſic legimus: Aue ſic intellexit legendum, quòd ſcilicet ad illud verbum AVE MARIA deſideraret alleuiari omnes grauatos.

Per illud, GRATIA PLENA, omnibus, quibus non ſapit gratia, præſtari ſaporem.

Per, DOMINVS TECVM, omnibus peccatoribus indulgentia.

Per, BENEDICTA TV IN MVLIERIBVS, omnibus incipientibus proficere bonam voluntatem.

Per, BENEDICTVS FRVCTVS VENTRIS TVI, omnibus electis perfectionem.

Per, IESVS SPLENDOR PATERNAE CLARITATIS, veram cognitionem.

Per, ET FIGVRA SVBSTANTIAE EIVS, diuinum amorem; ad quodlibet enim Aue Maria iſta verba ſcilicet, *Ieſus ſplendor paternæ claritatis, & figura ſubſtantię eius*, debent adiungi in fine. ſic ibi.

Eiuſdem praxis. Michael Conſtantienſis.

Cæterum horũ affectuum praxis quomodo ſalutationi Angelicę ſit inſerenda, tradidit Ioannes Michael Conſtantiẽſis è religioſiſſimo Carthuſianorum Ordine in ſuo Enchiridion in hunc modum: AVE MARIA, grauatos, alleuia, GRATIA PLENA, aridis gratiam impetra; DOMINVS TECVM, qui per te peccatoribus indulgeat; BEENDICTA TV IN MVLIERIBVS, eia imperfectos, & proficere volentes benedicas; ET BENEDICTVS FRVCTVS VENTRIS TVI, qui per te proficientes, & perfectos reficiat; & benedicat IESVS CHRISTVS, qui nos ſaluet, & ſanet; SPLENDOR PATERNAE GLORIAE, qui nos illuminet; ET FIGVRA SVBSTANTIAE EIVS, qui nos inflammet, & ſibi conformet. SANCTA MARIA MATER DEI, ET VIRGO, Angeli, Sancti huius diei, Patroni mei, & omnes beati, & electi Dei, orate pro nobis peccatoribus, NVNC ET IN HORA MORTIS, & magnificate, & exorate Dominum nobiſcum... ſic ille.

Salutationis Angelicæ quanta ſit præſtantia S. Mechtildis à Deipara edocetur.

15 Nec ſilentio prætereunda ſunt, quæ de ſalutationis Angelicæ præſtantia, atque vtilitate reuelaſſe ſcribitur Deipara B. Mechtildi in lib. gratiæ ſpiritualis, Reuelationum eiuſdem cap. 55. in hunc modum: Sabbato quodam dum *Salue ſancta Parens* cantaretur, dixit beatiſſimæ Virgini: Si te ò Cœli Regina dulciſſima ſalutatione, qua vnquam cor humanum excogitare potuit, ſalutare poſſem, libentiſſimè ſalutarem. Statim beata Virgo ei apparuit, habens in pectore ſcriptam aureis litteris Angelicam ſalutationem, & ait, ſupra hanc ſalutationem nunquam homo peruenit: nec aliquis dulcius me ſalutare poterit, quàm is qui ſalutat me in illa reuerentia, qua Deus pater me per hoc verbũ, AVE, ſalutauit, confirmans me omnipotentia ſua, vt eſſem immunis ab omni væ culpæ: Filius quoque Dei ſua diuina ſapientia ſic me perluſtrauit, vt ſim clarum ſydus, quo cœlum, & terra illuſtratur, quod per hoc nomen, MARIA, quod ſonat maris ſtella, notatur. Spiritus ſanctus etiam tota ſua diuina dulcedine me penetrando tam gratioſam effecit, vt omnis, qui per me gratiam quærit, ipſam inueniat: quod innuitur per hoc verbum, GRATIA PLENA. in hoc quoque verbo: *Dominus tecum*, admoneor ineffabilis vnionis, & operationis, quam tota Trinitas perfecit in me, cum carnis meæ ſubſtantiam diuinæ naturæ in vna perſona copulauit, ita vt Deus fieret homo, & homo Deus. Quid illa hora gaudij, & dulcedinis ſenſerim, nullus hominum ad plenum potuit experiri. Per *Benedicta tu in mulieribus*, omnis creatura mirando agnouit, & conteſtatur me benedictam, & exaltatam ſuper omnem creaturam tam cœleſtem, quàm terreſtrem. Per *Benedictus fructus ventris tui*, benedicitur, & extollitur excellentiſſimus, & perutilis fructus ventris mei, qui omnem creaturam viuificauit, ſanctificauit, & in æternum benedixit. Et cum gratioſiſſimam Virginem oraret, vt in hora mortis ſibi adeſſe dignaretur, reſpondit: Hoc vtiq; faciam, ſed & tu quotidie lege mihi ter Aue Maria.

Triplicis Angelicæ ſalutationis deuotionem S. Mechtildem Deipara edocet.

Ad primum ora, vt ſicut Deus Pater ſecundum omnipotentiæ ſuæ magnificentiam animam meam ſecum in throno digniſſimo ſublimauit honore, vt ſim poſt ipſum potentiſſima in cœlo, & in terra, ita adſim ſibi in hora mortis confortando, & expellendo à te omnem contrariam poteſtatem.

Ad ſecundum ora, vt ſicut filius Dei ſecundum ſuæ inſcrutabilis ſapientiæ prævalentiam, ſcientia, & intellectu me artificioſiſſimè decorauit, & totam repleuit, vt ſuper om-

nes

nes Sanctos maiori cognitione fruar beatiſſima Trinitate, & qui me tanta claritate perluſtrauit, vt velut Sol radians in virtute, totum cœlum illuminem: ita in hora mortis animam tuam lumine fidei, & cognitionis perfundam, ne fides tua ignorantia, aut aliquo errore tentetur.

Ad tertium ora, vt ſicut Spiritus ſanctus ſuauitatem ſui amoris plene mihi infudit, & tam ſuauiſſimam, & mitiſſimam effecit, vt poſt Deum benigniſſima, & dulciſſima ſim; ita adſim tibi in hora mortis infundendo animæ tuæ ſuauitatem diuini amoris, qui in tantum præualeat in te, vt omnis pœna, & mortis amaritudo ex amore tibi ſit præſuauis. hæc apud S. Mechtildem.

EXEMPLA EORVM, QVI PECVLIARES preces Deiparæ offerre conſueuerunt.

16 NVnc ſubijcienda ſunt exempla aliquot ijſdem ferè auctorum verbis, breuitatis tamen ſtudio interdum in pauca collatis, quorum indicio Deipara eiuſmodi precibus, ac præſertim ſalutatione Angelica miraculis editis maximopere ſe delectari oſtendit.

S. Bernardini Senenſis pietas aſſidua erga Deiparam.

S. Bernardinus Senenſis adhuc in ſeculari habitu degens ad Imaginem beatæ Virginis elegantiſſimam, depictam ſupra portam vrbis Senenſis, quę Camollia dicitur, quotidie multis annis nudis genibus pijſſimas offerebat preces, quemadmodum legimus in vita eiuſdem. quare mirum non eſt eum caſtitatem ab omni labe puram integramq; ſeruaſſe, & à Virgine conſecutum, vt cum iam Ordinem Minorum complexus celeberrimus eſſet Concionator: de ea deuotiſſimè, ac crebrò concionaretur. Eius rei teſtes ſunt ſanctiſſimi hominis de Virgine non minus pię, quàm doctæ conciones, quæ impreſſæ habentur, quasq; nos ſæpè in hoc opere citauimus.

S. Antoninus. Cæſarius. Salue Regina canens quidam à tonitruorum, ac fulminum timore liberatur.

De Antiphona *Salue Regina* quàm grata ſit Virgini, præter id, quod hac de re affert S. Antoninus 3. par. tit. 23. cap. 3. §. 1. narrat Cæſarius lib. 7. cap. 30. Sacerdotem quendam, qui eandem Antiphonam *Salue Regina* identidem dicebat à timore tonitruorum, ac fulminum, quibus nimis terrebatur, liberatum fuiſſe meritis Deiparæ, quæ ei ad altare oranti apparuit, ſicq; eum eſt allocuta, quia Antiphonam *Salue Regina* libenter, ac frequenter decantas, nunquam tonitrua, neque fulmina, quorum timore ſæpius affligeris, te lædent, & ex eo tempore liberatum ſe ſenſit.

Per orationem, ô Intemerata etc. quidam à dæmone liberatur.

Vir quidam nobilis quoniam bonis operibus ſtudioſè vacabat, & orationem illam, cuius initium eſt, *O Intemerata*, in honorem beatiſſimæ Virginis, & S. Ioannis Euangeliſtæ quotidie recitabat, ſeruatus eſt à dæmone, qui ſerui famulantis habitum, formamq; ſuſceperat, vt eum à via veritatis auerteret, & ſi poſſet etiam contrucidaret. Verum à ſancto quodam Epiſcopo deprehenſus eſt. mox tota re patefacta, fraudeq; fruſtratus ſua, euanuit. Vincentius lib. 7. ſpec. hiſt. cap. 101.

Beluacenſis.

EXEMPLA DE SALVTATIONE ANGELICA.

17 B. Albertus Monachus Criſpinienſis Monaſterij, qui circa annum Domini 1140. floruit, pręter Pſalterium Dauidicum, quod recitabat, centies per diẽ flectebat genua, & quinquagies, proſtrato quidem corpore, ſed articulis, & digitis ſubleuato, ad vnamquamque genuum curuationem dicebat ſalutationem Angelicam. Hęc ex vita eiuſdem apud Surium tom. 2. die 7. Aprilis.

B. Albertus.

Salutationis Angelicæ notis poſt obitum exornatus, quidam qui viuens illam ſæpius iterarat.

Ciuis quidam Colonienſis poſt mortem ſuæ nepti apparuiſſe ſcribitur in ſplendido habitu, in quo maximè in caligis, & in calceis ſcripta erat circumcirca ſalutatio Angelica, quam viuens ad Eccleſiam eundo, vel redeundo, vel in curia ſua deambulando frequentiſſimè ruminabat. Cæſarius lib. 12. cap. 50.

Salutatio Angelica in foliis arboris progreſſa ore Monachi illam ſæpe iterantis, poſt obitum reperitur.

Miles Veteranus Ciſtercienſem Ordinem ingreſſus, præ ingenij ruditate orationem Dominicam nulla ratione addiſcere poterat: multo tamen, & diuturno labore ſalutationis Angelicæ breuem verſiculum inter prandendum ad vnamquamque ferè buccellam illum ruminando memoriæ mandauit, & longo vſu tantam in ipſa ſalutatione mentis dulce-

dulcedinem concepit,vt cordi eius,& ori matris Christi memoria indelebiliter adhæreret. post cuius obitum in eius tumulo arbor ignoti generis visa est, cuius folia litteris aureis insignita AVE MARIA GRATIA PLENA, notabiliter singula continebant. venit Diocesanus Episcopus, & per effossionem inuenit radicem arboris ex ore veterani ortum habere. quod vbi compertum est, arbor illa in omnium oculis aruit, & defecit. Thomas Cantipratensis lib. 2. apum cap. 29. par. 9.

Cantipratensis.

B. F. Romæi Hispani deuotio erga salutationem Angelicam

B. F. Romeus Hispanus ex Catalaunia, Ordinis Prædicatorum, Virginis deuotissimus, iugiter eius sanctum nomen,& laudes canebat,& alijs narrabat: inter alia pietatis exercitia quotidie salutationem Angelicam certo numero millies deuotè recitabat: & ne quis error in numero salutationum ineundo contingeret, cordulam mille nodis distinctam habebat, quam in suprema sua ægritudine è manibus nunquam deponebat. obijt verò sanctè die primo Nouembris anni 1261. hæc ex 1. par. Chronic. S. Dominici libr. 2. cap. 65.

Chronica S. Dominici.

Consolationum cœlestium vbertatem in fundendis precibus S. Elzearius per Angelicam salutationem à Deipara impetrat.

18 S. Elzearius Comes Ariani, cuius memoria in martyrologio die 27. Septembris recolitur, interrogatus à quodam viro religioso, quem in precibus suis modum, formamquè sibi præfigeret, & quem è Sanctis sibi præcipuè patronum delegisset? Respondit ille: Equidem Virginem sanctissimam mihi patronam, & aduocatam elegi: cumq; ad orandum me præparare volo, indignitatem, & vilitatem meam prius considero: atque ita Matri gratiæ me commendans, eam precor humiliter, vt ea, quæ ipsi, & eius benedicto filio grata sint, ponat in corde, & ore meo: simulq; quanta possum animi pietate semel ei offero ANGELICAM SALVTATIONEM. ea dicta nunquam mihi deest noua rerum diuinarum materia. hæc in vita eiusdem apud Surium tom. 5.

Surius.

Ab insanabili morbo liberatur Cistercienſis, qui Angelicam salutationem pronũciare consueuerat.

Monachus quidam Cisterciensis nomine Adam in sua pueritia caput habebat ita scabiosum, vt præ fœtore putredinis scholares cum eo sedere recusarent. Is salutationem Angelicam didicerat, eamq; frequenter recitabat. cumq; apud Monasterium Vuestphaliæ eundo ad scholam, siuè ad matutinas quotidie per quandam Ecclesiam transiret, ante Oratorium in honorem Dei Genitricis cum tribus venijs totidem faciebat salutationes. Nocte quadam putans pulsatum esse ad matutinas, surrexit tremens, & inuenit Oratorium clausum: quare tribus vicibus de more genua flectendo Angelico versiculo Dominam nostram salutauit: surgens inuenit ostium apertum, & tanta erat in Ecclesia claritas, vt fulgori meridiano assimilaretur. viditq; ante maius altare septem matronas residentes, vnam in medio, quæ cæteris clarior erat, quæ etiam ei ad se vocato dixit: *B*one puer quare non adhibetur cura capiti tuo, respondit ille Domina iam circa me laborarunt, sed nihil proficiunt: adiecit illa, Ego sum Mater Christi, & Domina huius Oratorij, & quia mei memoriam habere solitus es, ego tibi curam adhibeo, accipe fructus ligni fusilis, & fac tibi hodie ex eo lauari caput tribus vicibus ante missam in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, statimq; curaberis. deinde eo genuflectente manum benedictam super eius caput posuit, dicens ab hac hora vsque ad diem mortis non dolebis caput. Mulier verò, quæ puerum nutriuit, his cognitis in proxima valle ostensos fructus collegit, & caput eius lauit, statimq; conualuit: nec vnquam postea capitis dolorem est passus. quod in Ordine Cistercienſi satis est miraculosum. Cæsarius lib. 7. cap. 25.

Cæsarius.

Deuotus B. Virginis quidam Clericus ab eadem in summa ægritudine Angelo custode deprecante sanatur.

19 Clericus quidam tametsi seculo deditus, Deiparam tamen adeò amabat, & reuerebatur, vt quotiescumque Ecclesiam intraret, vel per eam transiret, nulla vel occupatione, vel obliuione impediebatur, quin cum omni deuotione, & humilitate genuflexo Deiparam salutatione Angelica honoraret, rursum genuflexo dicebat: *Beatus venter, qui te portauit Christe, & beata vbera, quæ te lactauerunt Dominum Deum*. Is ægritudine correptus præ dolore linguam, & labia dentibus commanducauit: idem de cæteris membris facturus, si permitteretur. cumq; lingua, & labijs penitus consumptis misere iaceret, sensibus corporis exemptus; vidit iuxta lectuli caput personam reuerendo aspectu, qui eius Angelus esse videbatur, & Deiparam pro ægroto enixè interpellabat: apparuit autem Virgo sanctissima, extractaq; vbera visa est protinus immittere in os ægri, & sancti lactis sui rore infuso, subito suæ linguæ integritatem, & labijs antiquum decorem, in toto corpore pristinam restaurauit sanitatem: redditus igitur sensibus surrexit

sanus

ſanus,& incolumis;& factam circa ſe miſericordiam,etiam ſi lingua taceret,repentina vitæ, & morum mutatione omnibus cæpit prædicare. etenim ſe, & ſua diuino ſeruitio mancipans,de cætero duxit vitam religioſam. Vincentius lib.7. ſpec.hiſt. cap.84. *Vincentius Beluacenſis.*

Salutationis quoque Angelicæ vtilitas, & efficacitas præcipue elucet in Satanæ inſidijs, quibus nos impugnat,ſuperandis, eiusq; viribus retundendis: quod ex compluribus,quæ alibi in hoc opere congeſſimus, exemplis;& ex ijs, quæ iam ſubijciemus,liquidò apparet.quin etiam dæmon ſalutationem Angelicam tantopere perhorreſcit,vt cum teſte Cæſario lib.3.cap.6. Dæmon aliquando Deo permittente in loco, vbi quædam religioſa puella erat loqueretur, & hominum peccata detegeret, nec tamen ab aliquo niſi ab eadem puella videretur,poſtulatus dicere orationem Dominicam, & ſymbolum fidei,ea quidem rectè inchoabat,ſed tamen poſtea verba inuertebat:ſalutationem verò Angelicam, quàm ſe ſcire profitebatur, ne incipere quidem potuit propter honorem Dei Genitricis,& ſacramentum Dominicæ Incarnationis. *Salutationis Angelica verba dæmon ſummopere auerſatur. Cæſarius.*

20 Puella quædam in domo patris ſui viſibiliter à dæmone terrebatur; cumq; ſtatuiſſet ad Moniales Ordinis Ciſtercienſis ſe conferre,nec à dæmone diſſuaderi poſſet, ab eodem ad feneſtram ſolarij rapta eſt, indeq; eam præcipitare conabatur: ſed cum Angelicam ſalutationem diceret,dimiſſa eſt ab inimico ſibi dicente: Si in hac hora mulierem illam non inuocaſſes,occidiſſem te. & hoc dicto in canem maximum transformatus de feneſtra exiuit. Hæc puella ſanctimonialis effecta cum à dæmonibus viſibiliter vexaretur,Virginis ſanctiſſimæ inuocatione ab ijs ſe tuebatur. Cæſarius lib.5.cap.44. *Salutationem Angelicam pronuncians mulier infenſum ſibi dæmonem effugabat.*

Quædam mulier nomine Alheydes apud Bonnam Diœceſis Colonienſis cum aliquandiu cum quodam Sacerdote impudicè vixiſſet; illeq; ſuſpendio ſe ipſe in proprio cubiculo necaſſet, tanto terrore eſt correpta, vt in quodam ſanctimonialium cœnobio religionis habitum ſuſceperit: verùm à dæmone viſibili forma die, noctuq; vt ad ſecularem vitam rediret;importunè ſollicitabatur. quæ cum eum à ſe ſigno crucis, & aquæ benedictæ aſperſione abigere tentaret, & ille quidem ad modicum tempus recederet, ſed iterum rediret: tandem à quadam ex ſororibus edocta, ſalutationem Angelicam alta voce in eius faciem inclamauit, ex quo tempore dæmon dira imprecans ei, à quo hoc remedium acceperat,ac ſi ſagitta percuſſus, vel turbine impulſus eſſet,aufugit, nec vltra propius accedere præſumpſit.quin etiam ſanctimonialis illa tali iaculo munita, dæmonem in poſterum abſque terrore vidit, ad extremum cuiuſdam religioſi viri conſilio ſuorum peccatorum confeſſione generali Sacerdoti facta dæmon ex illa hora nunquam ab ea viſus,vel auditus eſt. hæc Cæſarius lib.3.cap.13. *Aliud ſimile exemplum. Cæſarius.*

21 Idem Cæſarius lib.7.cap.26.ſimile quid narrat euenisſe cuidam Conuerſo Ordinis Ciſtercienſis,cui dæmon viſibiliter ſe obijciens multis modis eum terrebat; adeoq; ei erat infeſtus,vt Conuerſus neque crucis ſigno, neque aliqua oratione illum effugare poſſet. ſed à quodam religioſo edoctus,Angelicam ſalutationem contra eum protulit, qua malignus ſpiritus velut turbine impulſus receſſit,malè imprecans ei,qui tale dederat conſilium,ſicq; ab eo eſt liberatus. *Simile exemplum de quodam Ciſtercienſi.*

Matrona quædam Dei Genitrici impensè addicta, filios inſtruebat, vt ipſam in ſuis neceſſitatibus inuocarent, recitando Aue Maria. Huius filia ſatis erat diſſoluta, vagabunda, & ſaltatrix, & fruſtra à matre ſæpius eſt correpta; nam pater eam diligebat præ cæteris filijs, quod pulchra eſſet, & mundana; emitq; ei veſtes pompoſas. cui, cum aliquando defeſſa ſub arbore quieſceret, dæmon apparuit,dixitq; Veni mecum,ego enim ſum diabolus, cuius propoſitum conaris implere;arma, & rete noſtrum ad animas capiendas.vnde modo recipies pœnam pro peccatis tuis, & omnium quos per ornamentum corporis tui ad malas concupiſcentias traduxiſti: & diabolus ſtatim violenter nitebatur eam rapere.& illa ex inſtitutione matris clamauit dicens:Virgo Maria adiuua me, & ſtatim clara voce dixit,Aue Maria gratia plena,&c. Reſpondit diabolus:Maledicta ſit,quæ hanc orationem te docuit; quam ſi non dixiſſes ad inferni incendium te traxiſſem,vbi cum tuis æqualibus pœnam condignam pro omnibus,quos ad peccandum traxiſti,inueniſſes.quæ poſtea nunquam amplius chorizauit,veſtes pompoſas depoſuit,vitam,& mores humiliter emendauit,& B.Virgini amplius vſque ad mortem ſeruiuit.hęc ex Doctore Iacobo de Paradiſo Carthuſiano apud Specul.Exempl.diſt.9.nu.107. *Aliud ſimile exemplum de quadam muliere,quam dæmon ad infernum rapiebat. Speculum exemplorum.*

DEI-

DEIPARA MILITEM QVOTIDIE SALVTATIONEM Angelicam recitantem à dæmone quatuordecim annis ſeruat.

Angelicam ſalutationem quotidie pronuncians miles; à dæmone qui quatuordecim annis ipsũ obſederat, liberatur.

22 CVm quidam miles Virginis ſtudioſiſſimus, quam ſingulis diebus ſalutare conſueuerat, nec ab ea conſuetudine vllo vnquam impedimento recedebat, caſtrum poſſideret in publica via ſitum, & viatores quoſcumque prædaretur, eosq; bonis ſpoliaret ſuis. Accidit aliquando, vt vir quidam religioſus, ac pius illac iter faceret, quem graſſatores illi ſpoliare volebant. Hic ille prædones impensè rogare, vt ſe ſe ad eorum Ducem tantiſper ſiſterent, velle cum eo quædam ſecreta communicare, à quo tandem petijt, vti ſibi ad vniuerſos, qui ex ſua familia, caſtroue eſſent cõuocatos, Verbum Domini habere liceret. accerſuntur, & accurrunt vniuerſi. Porrò vir ſanctus vnum è multis deſiderari pronuntiat: vniuerſi verò adeſſe omnes aſtruunt; exclamat vnus, ſolum cubicularium deeſſe. Mittitur, qui hominem in concionem producat, qui vbi virum ſanctum procul aſpexit, cæpit oculos inuertere, rotare caput more dementium, denique oblucta-ri, nec propius accedere audebat. Hic ſanctus adiuro te, inquit, per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt quis ſis nobis ediſſeras, & quam ob cauſam huc veneris palam pandas: ille Chriſti imperio coactus, profitetur ſe dæmonem eſſe ſub humana ſpecie quatuordecim annis cum milite hoc fuiſſe, atque ſe eo conſilio à Principe tenebrarum miſſum, vt diligenter obſeruaret, num aliquo die Miles piam illam ſalutandæ Virginis conſuetudinem intermitteret. quam ſi vel vno intermiſiſſet die, futurum fuiſſe aiebat, vt eius ſtragulandi, animæq; ad inferos pertrahendæ poteſtas ſibi permitteretur: ſe infamuli ſpeciem quatuordecim annis illum obſeruaſſe, nec vllum vnquam abijſſe diem, quo miles Deiparam de more non ſalutauerit. Atque hæc omnia cum plane cognouiſſet Graſſator Miles ad ſancti viri pedes proiectus, ſuorum ſcelerum veniam petijt, ac vitæ ſuæ rationem correxit, ſeq; ad pietatem reuocauit. Vir autem ſanctus Chriſti imperio dæmonem protinus abſcedere iuſſit in locum vnde ijs, qui Virginem Deiparam inuocant, nihil prorſus damni inferre audeat; quibus dictis dæmon euanuit. hæc Iacobus de Voragine in feſto Annuntiationis B. Virginis, & refertur in Speculo Exemplorum diſtin. 8. num. 60.

Iacobus de Voragine. Speculum Exemplorum.

PRECES ALIAE, ATQVE OBSEQVIA, quæ Virgini Deiparæ exhiberi poſſunt. Caput XXXIX.

SVMMARVM.

Officium beatæ Virginis num. 1.
Litaniæ beatæ Virginis num. 3.
Roſarium Deiparæ, & de eius Nomine, Auctore, precandi ratione, ac multiplici vtilitate num. 4.
Exempla, ſeu miracula in ijs, qui Roſarium recitarunt, Deiparæ ope peracta, num. 9.
Corona Deiparæ num. 12.
Miracula in ijs, qui Coronam recitabant, Deiparæ fauore exhibita nu. 13.
Corolla, in qua ter oratio, & duodecies ſalutatio Angelica repetitur nu. 15.
Mortificationes, & corporis afflictiones in honorem Deiparæ nu. 17.
Eorum exempla, qui ieiunium, vel aliud pietatis opus propter Deiparam exercebant, num. 18.
Imperatorum, & Regum in Deiparam pietas Sabbato, vel alijs eidem dicatis diebus, num. 19.
Deiparæ miracula, & beneficia in eos, qui ieiunium, vel aliam mortificationem in eius honorem ſuſcepere, num. 20.
Opera miſericordiæ tum ſpiritualia, tùm corporalia in honorem Deiparæ nu. 23.

OFFICIVM B. VIRGINIS.



1 INTER preces, quæ in Deiparæ honorem fundi poſſunt. Tertio loco recenſuimus Officium, quod vocant paruum B.Virginis, quod Vrbanus II. anno 1094. in Concilio Claremontenſi iuſſit in honorem Virginis in Eccleſia quotidie recitari; quemadmodum cap. 29. retulimus: vbi etiam diximus, qui nam ad illud perſoluendum teneantur, poſt Pij V. Pontificis Maximi tempora, cuius iuſſu anno 1571. idem B.Virginis officium, adiunctis precibus, reformatum prodijt, adiectis Indulgentijs, quas illud, vel alias Orationes eodem volumine inſertas recitantibus, idē Pius V. benigne eſt elargitus. Illud certè præclarum, quod in vita S.Brunonis apud Surium die 6. Octobris de hoc officio Deiparę ſcriptum inuenimus, & nos cap. 35. vberius narrauimus de Carthuſianis primis Patribus, abſente S.Brunone, magnis animi anguſtijs exagitatis, quibus S. Petrus Apoſtolus apparens Virginis præſidium promiſit, ſi in eiuſdem honorem preces horarias quotidie recitarent. quare animi lætitia mirificè perfuſi, Deiparam ſui Ordinis patronam delegerunt, & ab ijs moleſtijs Virginis ope ſunt liberati.

De Officio paruo B.Virginis. Concil. Claremontenſe.

Surius.

A moleſtijs plurimis Carthuſiani Officium B. Virginis recitantes liberati.

Petrus Damianus apud Baronium tom. 11. ad annum 1056. narrat in Monaſterio Gamugenſe ſtatutum fuiſſe, vt cum horis canonicis quotidie B. Virginis quoque Officium diceretur: quod tamen poſt triennium recitare omiſerunt. verum tot, tantisq; aduerſitatibus, depredationibus, & rapinis eiuſdem Monaſterij bona diripi cæpta ſunt, vt Monachos omnes vitæ tæderet ſuæ. At Petrus Damianus, idcircò hæc ijs accidiſſe exprobauit, quod de ſuo Monaſterio Matrem pietatis eiecerint. Quare humiliter proſtrati, ac ſalutari correpti pœnitentia ſolitum Virginis Officium nunquam ſe neglecturos vnanimiter polliciti ſunt; nec ita multo poſt ad mentis, animiq; ſerenitatem Virginis beneficio redierunt.

Simile Exemplum de Monaſterio Gammagenſi. Petr. Damian. Baronius.

2 Hoc porrò B. Virginis officium adeò in omnium tum virorum, tùm mulierum mores inductum cernitur; vt eorum, qui legere norunt, nemo ferè ſit, qui illud apud ſe habere, & interdum recitare non ſtudeat. Et ſanè benigniſſima Virgo eam pietatem miraculis aliquando comprobaſſe legimus, vt videre licet in fratre Regis Hungariæ, quem tempore Caroli Francorum Regis horas has dicentem clementer viſitauit; à carnalibus nuptijs, quas ſolum contraxerat, ad caſtitatem in religione ſeruandam traduxit; eiq; feſtum Conceptionis celebrandum edixit, quod fuſius in tractatu de feſtis Deiparę ex Iacobo de Voragine, & ex Epiſtola Anſelmi retulimus. Quare qui Virginis ſtudioſi cenſentur, eiuſmodi officium piè recitare conſueuerunt: cuius rei, omnibus ſatis quidem exploratæ, exemplum vnum, vel alterum proferamus.

Officij B. Virginis recitandi vſus frequentiſſimus. Exemplum de Fratre Regis Hungariæ.

Tract. de feſtis. Iacobus de Voragine.

S.Eliſabetha Luſitaniæ Regina ſanctitate inſignis (auctore noſtro Petro Ioāne Perpiniano oratione 1. laudationis in eandem) ſingulis diebus Officium diuinum, quod Sacerdotes perſoluunt, ſeptem Pſalmos, & defunctorum Officium recitabat, quibus mira quadam religione adijciebat officium paruum B.Virginis.

S. Eliſabetha Luſitaniæ Regina. Ex Petro Perpiniano.

Beatus Iacobus Venetus Ordinis Prædicatorum ab ineunte ætate Auiæ opera in Deiparæ pietate eſt educatus: puer verò Deiparæ Officium quotidie recitabat, ſtatuitq; reliquo vitæ ſuæ tempore illud non omittere. poſtea verò 17. ætatis anno Ordinem Prædicatorum complexus ſanctitate, & miraculis clarus, obijt anno 1314. ætatis 83. Auctore Ferdinando Caſtillo in Chronic. Ordinis Prædicatorum par. 2. lib. 1. cap. 26.

B. Iacobus Venetus Ordinis Prædicatorum.

Ex Chron. Ord. Prædicat.

Huc reuocari poteſt id, quod ſanctus Bonauentura Doctor verè Seraphicus, & ſtudio erga Deiparam mirificè incenſus, in Deiparæ honorem non minus piè, quàm eleganter excogitauit. Enim verò multa in Dei laudem edita, mutatis ſubinde verbis, Deiparæ accommodauit; atque ita integrum Dauidicum Pſalterium, Cantica, quæ ex ſacris litteris in Officio recitantur, ſymbolum ſancti Athanaſij: *Quicumque vult ſaluus eſſe*, & Hymnum ſanctorum Ambroſij, & Auguſtini, cuius initium eſt: *Te Deum*

Opuſcula S. Bonauenturæ in B. Mariæ Virginis honorem.

laudamus, in Deiparæ laudem concinnatis quibuſdam verbis feliciſſimè tranſtulit, vt videre eſt tom. 2. ſuorum Opuſculorum.

LITANIAE B. VIRGINIS.

Litaniarum B. Virginis præſtantia, & vtilitas.

3 QVarto Litaniæ, quæ peculiariter in Virginis honorem ſunt editæ, atque in Templo Lauretano, & alibi decantari ſolent, ſicuti magnam erga Virginem pietatem excitant: ita non ſine inſigni animarum, & corporum emolumento à fidelibus vſurpantur, ac piè recitantur. earum præſtantiſſimam quidem opem cum alij complures, tum noſtra potiſſimum, vt cap. 35. diximus, eſt experta Societas, cum magnis perſecutionum procellis agitaretur. Et ſanè fideles in rerum ſuarum anguſtijs, aduerſiſq; temporibus, ex Sanctorum Litanijs, quibus eorum interceſſionem inuocamus, magnum adiumentum experiuntur. Teſtes eius rei ſunt Litaniæ Maiores die 25. Aprilis, à ſancto Gregorio inſtitutæ, quarum formulam ex Bibliotheca Caſſinenſi litteris Longobardicis exaratam habet Arnoldus Vuion libro quinto ligni vitæ cap. 12. Teſtes triduanæ Litaniæ ante Domini Aſcenſionem ob imminentem cladem à ſancto Mamerto Viennenſi Epiſcopo reſtitutæ, & ab Eccleſia vniuerſali comprobatæ. Teſtes Litaniæ, quas beata Coletta Monialium ſancte Claræ reformatrix eximia, vt eſt apud Surium in eius vita cap. 26. & 27. cum ſiue in itinere, ſiuè etiam in Monaſterio à facinoroſis hominibus aliquid mali metueret, ad ſuam ſuorumq; incolumitatem, ac ſalutem non ſine fructu recitandas, ſuis edicebat. Quæ cum ita ſint ex Litanijs Deiparæ, cuius preces, vt cap. 30. dicebamus, præ cæteris Sanctis apud Chriſtum ſunt efficaciſſimæ; quantum opis, quantumq; præſidij ſperare poſſumus, ac debemus? Quocirca ſanctus Bonauentura doctrina, ac pietate inſignis, quaſdam Virginis Deiparæ Litanias ex varijs eiuſdem epithetis, atque elogijs concinnatas edidit, quæ quidem in 2. tom. opuſculorum impreſſæ reperiuntur.

S. Gregorius Pontifex.
Arnold Vuion.
S. Mamertus Viennenſis Epiſcopus.
Surius.
S. Bonauentura.

ROSARIVM DEIPARAE, ET DE EIVS NOMINE,
Auctore, Precandi ratione, ac multiplici vtilitate.

De Roſario B. Virginis.

4 QVinto, Roſarium, ſeu Pſalterium Deiparæ, quod ternis ſalutationis Angelicæ quinquagenis continetur, Oratione Dominica ad ſingulas decadas præmiſſa, S. Dominicus ad extinguendam Albigenſium hæreſim, Deiparæ monitu feliciter inſtituiſſe ſcribitur, vt mox dicemus; quæ orandi formula maximo animarum fructu propagata tot, tantisq; miraculis illuſtratur, vt nonnulla de eius Nomine, Inſtitutione, Recitandi ratione, vtilitate mihi dicenda exiſtimarim, adiectis nonnullis hac de re exemplis, ac miraculis.

Cur hac precandi ratio ſit à roſis nuncupata. Virg. 4. Georg.

Et vt à Nomine exordiamur, Roſarium locus eſt ROSIS conſitus, quemadmodum latinus Poeta dixit.

Biferiq; Roſaria Paeſti.

Ex hac verò metaphorica ſimilitudine ROSARIVM appellamus precandi quandam formulam myſticis contextam Roſis, hoc eſt Oratione Dominica, & ſalutatione Angelica ad certum numerum, & ordinem diſpoſitis.

Nec cuiquam mirum videri debet, ſi ex ROSIS potius, quàm ex alijs floribus ſertum hoc, ſeu Coronam, qua Deiparam myſticè redimire ſtudemus, contextam dicamus, ideoq; Roſarium appellemus: tùm quia Roſa omnibus coronis facilè aptatur, vt propterea Anacreon, teſte Iulio Polluce lib. 6. στέφανον ῥοδαῖον dixerit, hoc eſt Coronam Roſeam: tum etiam, quia Roſa ſuauitate, fragrantia, & coloris pulchritudine meritò diuinæ laudis typus appellari poteſt; qua laude Deus, Deiparaq; ſummopere delectantur. Quare Eccleſiaſtici 39. Spiritus ſanctus cum Sanctos viros ad Dei laudem lacrymarum vi roboratam excitaret, Roſæ metaphora ad aquas poſitæ eam exprimit: *Obaudite*, inquit, *diuini fructus, & quaſi ROSA plãtata ſuper riuos aquarum fructificate.* & mox: *Collaudate canticum, & benedicite Dominum in operibus eius.* Hinc factum exiſtimo, vt in cõpluribus miraculis, quæ recitantibus Roſarium, ſiue Coronam, ſiuè Corollã

Iulius Pollux.
Eccleſ. 39.

Deipa-

Deipara oſtendere dignata eſt, quæq; infra referemus, crebrò ſub Roſarum typo ſalutationes Angelicæ ſignificentur.

Neque nouum eſt precandi rationem ex his laudum orationibus, quaſi varijs floribus conflatam, Sertum, ſeu Coronam dici, cum Græci coronam laudum appellent, & Nazianzenus Tragædia Chriſtus patiens de Corona Deiparæ myſticis precationum floſculis conflatæ ceciniſſe videatur, cum Deiparam ſic alloquitur. *Nazianzenus.*

„ *Ego fretus his tibi me audentius,*
„ *In verba ſupplex offeram, & ſuauiſſimo*
„ *Contextam ab horto, qua tuum exornem caput,*
„ *CORONAM ò Domina proferam; vt quæ gratia.*

Eadem precandi ratio non tantum Roſarium, verum etiam PSALTERIVM dici ſolet, quod inſtar numeri Pſalmorum in Dauidico Pſalterio centies quinquagies ſalutatio Angelica repetitur: quare quindecim decades, quæ totidem Chriſti, ac Deiparæ myſterijs reſpondent, conficiuntur, & ad tres quinquagenas reuocantur, iuxta triplicem myſteriorum, quæ Gaudioſa, Doloroſa, & Glorioſa dicuntur, varietatem. *Roſarium, cur Pſalterium etiã dici ſoleat.*

5 Sed iam ad Roſarij Auctorem, & inſtitutorem veniamus, quem S. Dominicum Ordinis Prædicatorum Fundatorem fuiſſe teſtantur in ſuis Bullis Leo X. Pius V. & Gregorius XIII. idq; fusè tradit Ferdinandus Caſtilia in 1. par. Chron. S. Domin. lib. 1. cap. 11. 34. 35. & 43. & alij, qui hac de re ſcribunt. *Roſarium à S. Dominico inſtitutum. Ferdinandus Caſtiglia in Chron. S. Dominici.*

Illud tamen minimè reticendum Polydorum Virgilium lib. 5. de inuentione rerum cap. 9. referre Petrum Eremitam, qui annum Domini circiter 1093. de bello ſacro indicendo cum Vrbano II. egit, & Chriſtianos omnes ad illud ſuſcipiendum vehementer exhortatus eſt, cum nondum inuenta eſſet ars impreſſoria, & difficultas foret libros precum manuſcriptos habendi, ad faciliorem orandi rationem, inueniſſe modum, Deum, beatiſſimamq; Virginem per lapillos, ſeu globulos precandi. quod etiam teſtatur Ioannes de Pineda Ord. Min. lib. 20. Monarch. Eccleſ. cap. 2. §. 4. & Arnoldus Vuion lib. 5. ligni vitæ cap. 104. *Similis precandi ratio à Petro Eremita prius inuenta. Polydorus Virgilius. Ioannes de Pineda. Arnoldus Vuiõ.*

Quòd ſi altius id repetamus, inueniemus apud Palladium in Lauſiaca cap. 2. Abbatem Paulum 300. orationes, quas faciebat, calculis in ſinu numeraſſe; quod etiam legimus in hiſtoria Tripartita lib. 8. cap. 1. Hoc ipſum per cordulam nodis diſtinctam ab alijs factitatum legimus. Cæterum quicquid ſit de inſtitutione modi iterandi ſalutationem Angelicam per globulos: certè peculiaris hæc orandi formula, quæ Roſarium, ſiuè Pſalterium appellant, certo ac conſtituto numero, quo oratio Dominica quindecies, & ſalutatio Angelica inſtar Dauidici Pſalterij centies, & quinquagies repetitur, á S. Dominico inclyto Ordinis Prædicatorum Patriarcha, contra Albigenſes Hæreticos inſtituta eſt, atque in tres ſalutationum Angelicarum quinquagenas tributa; in qua ad excitandum erga Chriſtum, eiusq; Genitricem pietatem, quindecim ſacra eorundem myſteria meditanda proponuntur. *Alia ſimilis ab Abbate Paulo. Palladius. Hiſtoria Tripartita.*

6 Ratio porrò Roſarij recitandi ea eſt, vt cum quindecim ſint myſteria, quæ animo recolenda in eo præſcribuntur; in ipſorum ſingulis Oratio Dominica ſemel, decies verò Angelica ſalutatio ſit pronuncianda. Ac primis quidem quinque myſterijs totidem B. Virginis Gaudia proponuntur, quæ vulgo propterea Gaudioſa dicuntur. Quorum primum illud eſt, cum fuit à Gabriele Archangelo ſalutata, cumq; eſt ei Chriſti Incarnatio nunciata. Alterum ſequitur, quando eadem adijt S. Eliſabetham. Tertium cum filium ſuum peperit Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Quartum, cum eundem obtulit in Templo. Quintum denique cum eum reperit inter Doctores in Templo audientem illos, & interrogantem. *Modus roſarij recitandi.*

Alia quinque myſteria, quæ Doloroſa dicuntur, quinque itidem præcipuos dolores complectuntur. Primus dolor eſt, cum Dominus orans prolixius in horto Getſemani factus in agonia ſudauit ſanguine, decurrentibus ſanguinis guttis in terram. Alter quando diris flagellis cæſus eſt ad columnam. Tertius cum ſpinis eſt coronatus. Quartus, quando crucem geſtans Matrem habuit obuiam. Quintus demum, quando cruci affixus inter latrones duos Patri ſpiritum tradidit.

Poſtrema Glorioſa dicuntur. Primum quidem, quando idem Dominus noſter ad vi-

tam redijt immortalem. Alterum, quando in cœlum glorioſus aſcendit. Tertium, quando Spiritum ſanctum diſcipulis miſit. Quartum, cum B.Virgo primum anima, deinde poſt triduum recepto corpore in cœlum eſt aſſumpta. Poſtremum, quando eſt à filio coronata, & ſuper Angelorum beatorum omnium choros euecta. hic etiam conſideranda eſt ipſius beatiſſimæ Trinitatis,& omnium Sanctorum gloria.

Ad quid teneantur qui in Roſarij ſodalitatem ſunt aſcripti. Albertus Caſtellanus.

Verum vt eſt in regulis ſodalitatis Roſarij, quas refert Albertus Caſtellanus Venetus in pijſſimo illo Roſarij libro,quem Italico ſermone conſcripſit anno Domini 1521. etſi quicumque in Roſarij Societatem aſcriptus debet integrum Pſalterium centum quinquaginta ſalutationum Angelicarum ſemel in hebdomada recitare: ad faciliorem tamen eius recitandi rationem in tres æquales partes diſtribuere licet; ita vt vno die quinque primis myſterijs meditandis quinquies oratio Dominica pronuncietur, quinquagies ſalutatio Angelica:eademq; ratio altera die,ac tertio in alijs item myſterijs teneatur. Quòd ſi quis per obliuionem,ſiue etiam per negligentiam, aut Roſarium totum, aut eius aliquam partem omiſerit, nullam propterea culpam contrahet, ſed præmio dumtaxat illo carebit, quod eſſet adeptus ſi non omiſiſſet. Verumtamen quotieſcumque eius recitandi conſuetudinem reſumere libuerit,rurſus eius præmia, fructusq; conſequetur. Porrò qui aduerſa valetudine, aut alia legitima cauſa præpeditus, Roſarium explere non queat,modò ſit in eiuſdem Societatem aſcriptus,poterit alteri ſuo illud nomine tradere perſoluendum,eiq; plurimum proderit.Sciendum præterea magno cum fructu applicari poſſe ijs qui vita functi ſunt,& in Purgatorio degunt: præſertim ſi eorum nomina in librum ſodalitatis ſint relata. hæc,aliaq; multa in regulis illis ſodalitatis Roſarij.

7 Celebrem autem fuiſſe hanc Roſarij recitationem ætate S.Dominici eius inſtitutoris complura miracula confirmant, quæ Thomas Cantipratenſis Ordinis Prædicatorum, qui eodem ſeculo cum S. Dominico vixit, in libro apum connumerat, & nos mox referemus.

Thomas Cantipratenſis.

Verùm tempore procedente huius ſacri Roſarij inſtaurator fuit Alanus à Rupe Britanniæ Ordinis Prædicatorum, cui annum Domini circiter 1460. Virginem Deiparam apparuiſſe,munusq; Roſarium prædicandi demandaſſe,refert Albertus Caſtellanus Venetus loco citato; idemq; affirmat Leander Albertus. Et ſanè Alanus Virginis imperium ſtrenuè eſt executus: eius etiam hortatu Franciſcus, & Margarita Duces Britanniæ Indulgentias Roſarium recitantibus à Sixto IIII.Pontifice impetrarunt,auctore Alfonſo Ciaccone Ordinis Prædicatorum in ſua Bibliotheca. Fuit etiam alius Alanus Rupenſis Germanus ex Dominicana pariter familia,qui apud Colonienſes multas Roſarij Societates inſtituit,confirmationemq; à ſede Apoſtolica impetrauit,eius argumenti edito libro,qui quidem,vt dicitur,temporum iniuria perijt. moritur autē anno 1474. teſte Sixto Senenſi in Bibliotheca ſancta lib. 4. ſequenti verò anno irruentibus in Colonienſes bellis, maiori feruore ad Deiparam per Roſarium confugerunt: nam Leo X. Pontifex Maximus in quodam ampliſſimo diplomate anno 1520. Roſarij Confraternitatem, ritumq; ſeu modum per Roſarium orandi ante approbatum, rurſus approbat, & confirmat; plurimasq; indulgentias, ac facultates eidem largitur: initio verò eius diplomatis, qua occaſione Coloniæ huius Roſarij deuotio reſtituta fuerit,commemorat. eius diplomatis partem ad verbum in præſentia recenſendam duxi, quod multa ex ijs, quæ de Roſario diſſeruimus breuiter complectatur; diplomatis verba hæc ſunt.

Alanus à Rupe Britanniæ Ordinis Prædicatorū Roſarij pietatem iuſſu Deiparæ inſtaurat. Albertus Caſtellanus. Leander, Albertus. Alphonſus Ciacconus. Roſarium ab altero Alano Rupenſi Ordinis Prædicatorum apud Colonienſes promulgatū. Sixtus Senenſis.

Sanè pro parte dilectorum filiorum Priorum, & Fratrum domus Prædicatorum Colonienſium, nuper exhibita petitio continebat, quod olim, prout in hiſtorijs legitur à ſancto Dominico, quædam Confraternitas vtriuſque ſexus fidelium, de Roſario eiuſdem beatæ Mariæ Virginis nuncupata, ad honorem Angelicæ ſalutationis inſtituta, & in diuerſis mundi partibus prædicata fuit, & ſequentibus ſignis: ſed cum ipſa Confraternitas decurſu temporis, ferè neglecta fuiſſet, & in obliuionem tranſiſſet, ac anno 1475. Ciuitas,& Diœceſis Colonienſis grauibus bellis præmeretur;eadē Confraternitas ad laudem,& honorem præfatę Virginis,vt Ciuitas,& Diœceſis prædicta meritis,& interceſſionibus eiuſdē Virginis ab eis bellis liberaretur,in Eccleſia dictæ domus inuocata,

Diploma confirmationis Roſarij.

cata,& de nouo inſtituta fuit,cum certo modo orãdi; videlicet quod Confratres,& ſorores eiuſdem Confraternitaris tribus diebus cuiuſlibet hebdomadæ ad honorem Dei, & præfatæ Virginis,ac contra imminentia mundi pericula legerent coniunctim, vel diuiſim toties Angelicam ſalutationem, quot ſunt pſalmi in Pſalterio Dauidico, ſingulis decem ſalutationibus huiuſmodi orationem Dominicam ſemel præponendo,vt modum orandi huiuſmodi Pſalterium, ſiuè Roſarium eiuſdem B. Virginis vulgariter appellatum. Quam quidem Confraternitatem in dicta Eccleſia de nouo inſtitutam, poſtmodum bonæ memoriæ Alexander Epiſcopus Foroliuienſis, tunc Apoſtolicæ ſedis cum poteſtate Legati de latere per totam Germaniam Nuncius ſingulari deuotione permotus,& ſe in eadem Confraternitate recipi, atque conſcribi volens, & petens ad preces claræ memoriæ Federici III. Romani Imperatoris auctoritate Apoſtolica approbauit, confirmauit,& ratificauit. hæc ibi.

Indulgentiæ, ac ſpiritualia emolumenta, quæ Roſariũ B. Virginis recitantes conſequuntur. Ioſephus Stephanus Valentinus de Roſario.

In eodem diplomate Leo Pontifex fuſius perſequitur indulgentias ab Alexandro Epiſcopo Foroliuienſi Nuncio Apoſtolico anno 1576. & deinde à Sixto IIII. anno 1479. & ab Innocentio VIII. anno 1483. conceſſas, quas iterum approbat. Qui vero Leonem ſubſecuti ſunt Pontifices, certatim hanc ſodalitatem, eiuſq; ſodales ſpiritualibus gratijs, ac priuilegijs ſunt proſecuti, vt videre eſt in Roſarij diplomatis apud Ioſephum Stephanum Valentinum in libro eruditè,ac piè ab eo,anno 1584.edito,cuius inſcriptio eſt: *Sacri Roſarij Virginis Mariæ ab hæreticorum calumnijs defenſio*, & in libro Roſarij Italico ab Alberto Caſtellano Veneto piè conſcripto.

Albertus Caſtellanus.

8 Quòd ſi animum aduertamus ad eam,quæ ex Roſarij recitatione ab ijs præſertim, qui eiuſdem ſodalitati ſua nomina ritè dederunt percipitur,ſpiritualem vtilitatem, ea certè multiplex recenſetur. Prima eſt conſecutio Indulgentiarum,quas plurimas Roſarium recitantibus ſummi Pontifices conceſſerunt,præſertim Vrbis ſtationes, quas ſodales Roſarij conſequuntur, ſi ea die quinque templi altaria viſitauerint, & in ſingulis quinquies orationem Dominicam,ac ſalutationem Angelicam recitarint. Secunda,meritorum participatio inter Confratres eiuſdem ſodalitatis Roſarij ampliſſimæ per vniuerſum Orbem diffuſæ: qui quidem Confratres cum vtriuſque ſexus, & plurimi ſint, plurima etiam erit meritorum inter eos communicatio. Tertiò,præcipuorum vitę Chriſti,& B.Virginis myſteriorum ea occaſione commemoratio, quæ plurimum ſuauitatis, & vtilitatis animæ ea recogitanti afferunt. Denique præſtantiſſimarum, & dulciſſimarum precationum, Orationis nimirum Dominicæ,& ſalutationis Angelicæ iterata repetitio. Quare ad Roſarij ſaltem vnam quinquagenam quotidie deuotè recitandam,ne huiuſmodi vtilitatis,ac fructus ſimus expertes,omnes Virginis deuoti animum adijcere deberemus. Quoniam verò nonnulli hæreticorum more ſuo contra eiuſcemodi pietatis officia, quibus Deum, eiuſq; Genitricem piè veneramur,& præſertim contra Roſarium oblatrare ſunt auſi;idcircò noſter Franciſcus Coſterus non minus piè, quàm eruditè eorum inſaniam pluribus refellit, in opuſculo hac de re edito; quem qui volet, conſulat.

Franciſcus Coſterus.

Miſcellanea de Pſalterio, & Roſario B. Virg. ex Nauarro in Manuali.

Nec tacitus præteribo Miſcellanea centum de oratione, præſertim de Pſalterio, & Roſario B.Virginis,quæ doctiſſimus Nauarrus ad Manuale de Oratione, & horis Canonicis adiecit,in quibus quamplurima dubia circa Roſarium ſcitu digna pertractat.

EXEMPLA, SEV MIRACVLA IN IIS, qui Roſarium recitarunt Deiparæ ope peracta.

9 AD extremum exempla pauca de plurimis afferenda ſunt, quibus Roſarij recitationem Deiparæ gratam eſſe planè intelligamus; tanta enim miraculorum multitudine,atque præſtantia Deipara hanc Roſarij pietatem ſibi cordi eſſe declarauit,vt magno animarum emolumento vniuerſum orbem ſit peruagata, & innumerabiles vtriuſque ſexus,& omnium ordinum tum religioſi, tum ſeculares ſodalitati Roſarij nomen dederint. Sed vt ad particularia veniamus S. Dominicus, teſte Ferdinando Caſtiglio in Chronic.Ordin.Prædicat.par.1.lib.1.cap.11.& 34. hac Roſarij precatione, quam in Gallia Deiparæ monitu inchoauit,& Romæ mirificè propagauit, magnam hominum

Exempla, ac miracula Roſarij à S. Dominico promulgata. Ferdinandus Caſtiglia.

multitudinem ad Dei obſequium perduxit,multa miracula expertus eſt Toloſæ in bello contra Albigenſes hæreticos ; complures etiam inſignes peccatores profligatiſſimæ vitæ,è ſcelerum cæno,ad pietatem traduxit in Gallia,Romæ,& Cæſarauguſtæ; quorum conuerſiones copiosè perſequitur idem Ferdinandus cap.34.35.& 43.Eiuſdem etiam Roſarij pietatem S.Dominici conſilio Blanca Galliæ Regina ſterilis complexa S. Ludouicum filium ſuſcepit,quemadmodum cap.36.dixi.

Roſarium recitare conſuetus Alanus ab inimicorum obſeſſione à Deipara liberatur.

Eques quidam nomine Alanus à Valle Coloata in Britannia propè vrbem nomine Dircamium S.Dominici conſilio,Deiparæ Roſarium quotidie flexis genibus recitabat: is ſub Comite Simone Montefortio contra Albigenſes hæreticos in Toloſana regione militabat; cumq; aliquando paucis militibus comitatus,ab ingenti hæreticorum multitudine circumdatus, abſque ſpe euadendi vrgeretur, viſa eſt ab eo Deipara, centum quinquaginta lapides,quorum numerus ſalutationibus Angelicis Roſarij reſpondet, in hoſtes iacere, maxima cum eorum ſtrage, ficq; victor euaſit. Idem quoque Alanus aliquando Ieroſolymam nauigans, qua vehebatur naui, tempeſtatis vi effracta,cum in magno diſcrimine verſaretur;confeſtim in ipſo mari centum quinquaginta montes paruuli viſi ſunt, per quos incolumis in continentem euaſit. in patriam poſtea reuerſus, conſtructo ibi cœnobio Ordinis Prædicatorum, in eum ſuperſtite S. Dominico eſt ingreſſus.factus deinde inſignis concionator, per vniuerſam Galliam Roſarij pietatem magno cum auditorum fructu prædicauit. tandem ex hac vita in cœlum migrauit, ſepultusq; eſt in cœnobio Aurelianenſi ad altare Deiparæ, cuius os, & manus recitandi Roſarij inſtrumenta poſt obitum veluti chriſtallus collucebant. hæc ex Alberto Caſtellano Veneto in miraculis Roſarij,& ex Ferdinando Caſtiglia par.1.Chron.S.Dominici lib.1.cap.34.

Idem à naufragio,per Deiparam incolumis mirificè euadit.

Eiuſdem manus ac os poſt obitum collucere vita. Albertus Caſtellanus in miraculis Roſarij.

Ferdinandus Caſtiglia.

IO Iuuenis quidam in Germania clarus genere, &ſi corporis caſtitatem ſeruaret,hæreditatem tamen ſuam in teſſerarum ludo,ac tabernis omnem prodegerat: quare miſere vagabatur. is patrui conſilio integro anno quotidie Deiparam quinquaginta ſalutationibus Angelicis venerari cæpit; cumq; in Mundi vanitate remiſſius haberet,eiuſdem patrui conſilio inſequenti anno hoc Deiparæ obſequium duplicauit, in eoq; firmum bona faciendi propoſitum concepit. tertio tandem anno patrui monitu tertiam quotidie adiecit quinquagenam. euoluto anno Patrui opera cum honeſta ſponſa matrimonium inijt;inſtructoq; nuptiali conuiuio cum adeſſent vtriuſque partis cognati,& ſponſus,ac ſponſa ad menſam conſediſſent,ex inopinato ſurgit ſponſus, rogat patruum tantiſper differri iubeat fercula,quò ad ſolitas Deiparæ preces perſolueret, quas eo die alijs diſtentus negotijs omiſerat. Itaq; in cubiculum ſe recipit; magna animi pietate conſuetas preces Deiparæ, cuius beneficia agnoſcebat,obtulit: cumq; ſupremam ſalutationem tertiæ quinquagenæ iam compleret,ecce Glorioſa Virgo ſole clarior eidem apparuit,oſtenditq; iuueni in ſua tunica tres togas,anteriorem vnam, duas verò à latere: Ecce, inquit, ſalutationes tuæ aureis litteris ſcriptæ, quibus in tribus quinquagenis me ſedulò honoraſti, & quoniam vanus,& vagus virginitatem coluiſti, tertia die ad me ſine vlla carnis corruptione peruenies. ipſe verò egreſſus hortatur omnes epulari: peracto prandio ſponſæ,patruo,& amicis,quæ audierat à B.Virgine intimauit. febre igitur correptus tertia die obijt; ſponſa verò in ſancta virginitate permanſit. hæc Thomas Cantipratenſis lib.2.apum cap.29.par.6.adijcitq; id ſuo tempore contigiſſe, ſeq; certa relatione didiciſſe.

Cantipratenſis.

Roſarij preces quotidie obiens quidam,ad peccatorum confeſſionem,poſt obitum reuocatur.

Idem Thomas Cantipratenſis loco citato par. 8. aliud exemplum memorabile ſibi exploratum narrat his verbis: Vidi,& cognoui Iuuenem in Brabantiæ partibus generoſum,qui quamuis eſſet ſeculo præpeditus totaliter;beatæ tamẽ Virgini Mariæ deuotus, quotidie tres dictas quinquagenas in ſalutationibus exſoluebat. Infirmatus aurem ad extrema perductus eſt. cumq; per horas diei plurimas,mortuus iacuiſſet,reuixit ſubito, & ſorori moniali,quæ iuxta ſedebat,inclamauit,dicens: Soror ecce redij, cito aduocari facias Sacerdotem. Mirantibus omnibus Presbyter aduocatur, & in maxima cordis lætitia palam omnibus confitetur, dicens. Ad tribunal Chriſti Iudicis raptus, cum in tribus maximè à dæmonibus accuſarer; ferriq; deberet ſententia contra me,pijſſima Mater Chriſti rogauit filium,vt ad corpus reducerer,locum pœnitentiæ ſuſcepturus. Nec

mora,

mora,factum eſt,vt rogauit. vnum de peccatis,pro quo damnatus eram, erant decimæ, quas de bonis,& agris meis ſubtraxeram Sacerdoti. Secundum erat,quod cum ſodalibus meis piſces quorundam religioſorum furtiuè ſubtraxeram. Tertium erat,quod ſegetes,& fruges pauperum cum canibus venaticis vagabundus deſtruxeram. Hæc cum coram omnibus loqueretur,quidam ex manſionarijs dixit: Et cur, inquit, pro damno iſto extremo damnandus eras, cum nos illud vobis puro corde remiſerimus? Et ille: Mihi quidem veſtra remiſſio nequaquam ſuffecerat ad ſalutem, cum copioſior eſſem vobis in iniurijs refundendis, quàm vos mihi in iniurijs remittendis. Et hoc dicens reſtituenda damna protinus aſſignauit:ſicq; diſponens rebus,& domui,in ſpe,& pace mirabili ſpiritum exhalauit. hæc Thomas Cantipratenſis. *Cantipratenſis.*

11 Adijciam,& aliud exemplum ex Dionyſio Carthuſiano ſerm.1.de Aſſumpt.B.Virgin.ijſdem planè verbis. *Dionyſius Carthuſianus.*

Quidam Monachus Ordinis Ciſtercienſis in tantum beatiſſimam Virginem venerabatur, quod quotidie ante refectionem dixit genibus flexis quinquageſies Aue Maria. Cumq; viſitaſſet ſuos parentes, recordatus eſt ſe die illo non legiſſe ſalutationem Angelicam vicibus quinquaginta: repenteq; ſurgens ingreſſus eſt Cameram. cumq; ſalutationem Angelicam more ſolito legeret, apparuit ei Virgo pijſſima mantello pulchro induta, in quo per totum ſcriptæ erant aureis litteris ſalutationes Angelicæ. & cum Monachus ex humana fragilitate fuiſſet perterritus de huiuſmodi viſione,dixit ad eum dulciſſima Virgo Maria; En omnes Angelicæ ſalutationes,quas mihi dediſti in iſto mãtello ſunt ſcriptæ. Deinde oſtendit Virgo digniſſima quandam partem mantelli retrorſum,& dixit: Poſtquam hæc pars fuerit Angelicis ſalutationibus adimpleta, introducam te in regnum dilectiſſimi filij mei.quod & poſtmodum factum eſt ita. Ex quo patet quàm acceptum ſit Virgini ſacræ, vt Angelica ſalutatione frequenter, ac deuotè ſalutetur. Cum magna igitur attentione, & affectione dicamus ſæpiſſimè Aue Maria. hæc Carthuſianus. *Roſarij tertiam quotidie partem perſoluens Monachus, Deiparæ pallium exornare viſus.*

Complura alia ob recitatum Roſarium à Deipara collata beneficia legi poſſunt in libello illo Roſarij Italico idiomate edito ab Alberto Caſtellano Veneto Ordinis Prædicatorum, in quo ad ſingulas orationes Dominicas, & ſalutationes Angelicas peculiarem meditationem, & quæ illi reſpondet Imaginem,myſterium illud graphicè exprimentem excudendas curauit. *Albertus Caſtellanus.*

CORONA DEIPARAE.

12 SExto inter precandi formulas, quibus Deipara in Eccleſia colitur, meritò connumeratur CORONA ſexaginta trium ſalutationum Angelicarum,interiecta per ſingulas decades Oratione Dominica.eiuſmodi verò Coronæ ſerto globulis diſtincto, quemadmodum & Roſarium continetur, & omnium ferè catholicorum manibus teritur, à quibus penſo propemodum quotidiano alterutrum ex ijs recitari ſolet. quin etiam complures catholici in regionibus præſertim Tranſalpinis ad pietatem erga Deiparam contra hæreticos proteſtandam,Coronam, vel Roſarium propalam geſtare conſueuerunt. Huius Coronæ recitandæ vſus,vna cum Deiparæ myſterijs in ea recolendis, inſigni quodam miraculo,quod cap.35.retulimus,inuectus,& ab Ordine Minorum diligenter eſt propagatus. Et ſanè ad huius Coronæ præſtantiam, atque vtilitatem declarandam,pleraq;,quæ de Roſario diximus,referri poſſunt. *Corona vſus, ac præſtantia.*

Illud ſilentio minimè prætereundum,numerũ ſexaginta trium ſalutationum Angelicarum,quibus Corona communiter conſtat in honorem annorum, quibus Deipara interris vixit,vulgo referri:quoniam verò eam vltra ſeptuaginta annos inter mortales fuiſſe ſuperſtitem ex multorum ſententia cap. 6. diximus, ideò nonnulli adiecta alia decade,ſeptuaginta trium ſalutationum Angelicarum Coronam ſibi conficiunt. Cæterùm præter ea,quæ cap.35.in S.Bernardino de hac Corona commemorauimus; complura miracula, & beneficia ob recitatam Coronam à Virgine collata referuntur in Chronic. Minorum par.3.lib.1.cap.36.& 37.eorum aliquot hic libet afferre. *Corona ad annorum Deiparæ memoriam inſtituta.* *Chron. Ordinis Minorum.*

MI-

MIRACVLA IN IIS, QVI CORONAM recitabant, Deiparæ fauore peracta.

Coronam recitans quidam Frater ex Ordine Minorum rosas B. Virg. præbere videbatur.

13 QVidam ex Ordine Minorum inſtitutum illud arctè tenebat, vt ſingulis Coronam diebus prius, quàm cibi aliquid ſumeret, recitaret. cum verò aliquando pranſurus, vna cum alijs in triclinio diſcumberet, intermiſſæ conſuetudinis recordatus, impetrata à Superiori venia, in Eccleſiam ſe continuo recepit: vbi cum diutius ſubſiſteret, vt Coronam de more recitaret, iuſſus eſt à Superiore alius, eum euocare, qui offendit eum pie orantem, viditq; Deiparam duobus Angelis comitatam, qui roſas ſanè pulcherrimas orantis ab ore colligebant, easq; in capite ſuæ Reginæ reponebant. quotieſcumque verò inter recitandum auguſtiſſimum I E S V nomen repetebat, non ipſe tantum, ſed etiam Angeli, ac beatiſſima Virgo caput reuerenter inclinabant. abſoluta tandem Corona viſio confeſtim abſceſſit; eaq; re euulgata, reliqui maiori diligentia Coronam recitare inſtiterunt.

Coronam recitans quidam lilijs, ac roſis ab Angelo coronari viſus.

Aloyſius Albanenſis ex Ordine Minorum de Obſeruantia Nouitius à Gabriele Anconitano Monaſterij Guardiano ſingulis coronam diebus antequam quicquam ederet, recitare iuſſus, cum eius ante prandium de more recitandæ per occupationes ab obedientia ſibi impoſitas obliuione aliquando corriperetur, grauiter increpitus eſt à Superiore; qui etiam eum à menſa, in qua tunc diſcumbebat ſurgere, eamq; extemplo recitare iuſſit. Tunc Nouitius in Eccleſiam ſe ſe contulit, flexisq; ante aram maximam genibus, dum Coronam perſolueret, viſus eſt non ab alijs modo, qui ad eum obſeruandum à Superiore miſſi ſunt, ſed ab ipſo etiam Superiore habere ſuo capiti imminentem Angelum, qui in aureum filum roſas decem, & aureum item lilium inſerebat. mox etiam abſoluta Corona viſus eſt idem Angelus ex roſis, ac lilijs corollam nectere, Nouitij capiti imponere, ſtatimq; abſcedere. Atq; ad eius miraculi monumentum ex eo loco, vbi Nouitius orabat, perdiu afflatus eſt odor roſarum, ac liliorum ſanè ſuauiſſimus. Nouitius verò multis fauoribus à Deipara cumulatus, ad mortem vſque in ſua pietate perſeuerauit.

Coronæ B. Virg. pietati addictus quidam, in cœlũ poſt obitum ferri viſus eſt.

14 Frater Iacobus de Coronis, Deiparæ, cuius admodum ſtudioſus erat, multas quotidie coronas recitare, atque offerre, aliosq; omnes, quibus cum agebat, etiam Epiſcopos, & Cardinales ad coronam recitandam hortari conſueuerat, vt vel ex eo adeptus ſit cognomen de Coronis, poſt ſpiritum prophetiæ, quo claruit, & miraculorum virtutem ſibi à Deo, Deiparæq; deprecatione conceſſam, in coronæ recitandæ pietate perſiſtens, effæta iam ætate, perceptis Eccleſiæ ſacramentis in Burgo ſancti Sepulchri demoratus eſt: cumq; ad exequias (quæ eius erat ſanctitatis opinio) vniuerſus planè populus accurriſſet, quidam in oratione vidit in ſpiritu, eius animam è monaſterio prodeuntem, deducentibus Angelis, in ſublime ferri, cœliq; beatiſſima regna conſcendere.

Coronæ ſertum recitans quidã, coronam aureã, ac flores Deiparæ offerre viſus.

B. Bernardinus à Feltre pro ſuggeſtu publicè dicere ſolebat Fratrem quendam Veronæ in Oratorio Porcariæ ex Prouincia S. Antonij, cum ob Coronam Deiparæ recitandam poſt aram, remotis arbitris ſeceſſiſſet, deprehenſum tamen in ea deuotione ab altero fuiſſe; qui quidem obſeruauit, quoties is inter recitandam coronam, Aue Maria pronunciaret, Angelos, qui coram Virgine aſtabant, auream, quam manu gerebant Coronam, in Reginæ noſtræ caput imponere, mox de capite deponere, & ad ſingulas ſalutationes Angelicas rurſus apponere, alios verò Angelos ad ſingulas ſalutationes Angelicas eidem Deiparæ roſam, aut lilium offerre.

Coronæ ſertum ſuper caput geſtans Frater Antonius de Robes non madefit.

Narrabat idem B. Bernardinus in eadem Prouincia, F. Antonium de Robes, Deiparæ pietati addictiſſimum, cum vrbem Vicentiam abiret aliquando, repentina quidem, ac aſſidua pluuia fuiſſe deprehenſum: cumq; nullum quo ſe reciperet, inueniret locum, vt ſe ſe à pluuia defenderet, arreptam è globulis coronam in capite ponens ſuo: O Angelorum, inquit, Regina in neceſſitatibus amicorum patrocinia dignoſcuntur: oro te, vt recorderis Clientis tui. Res dictu mirabilis, ijs vix prolatis verbis, ad vrbem vſque progreſſus eſt, ne leui quidem pluuiæ gutta reſperſus. eius verò ſocius, qui Eques iter præuerterat ad pluuiam declinandam, alijq; tanto obſtupefacti miraculo, gratias Deiparæ egerunt, quæ ſui ſtudioſos ſemper tuetur, ac ſeruat.

Cum

Cum Matrona nobilis illa quidem ſuos aſſuefeciſſet filios ad Coronam flexis genibus,iunctisq; manibus ſingulis diebus,primo quoque mane antequam in ludum litterarium abirent,Deiparæ recitandã: accidit quodam die, vt dum iret in Gymnaſium quidam ex ijs,è ponte in ſubiectum caderet flumen: re cognita mater non iam ad fluminis aquam,ſed ad Deiparæ opem ſtatim accurrit, eiq; filiorum ſalutem impensè commendauit,ac ſalutatione Angelica recitata, præceps concedit ad fluuium. illic reperit multos,qui filium ex aquarum fundo extrahere moliebantur. Verùm vix ea peruenerat ad pontem, cum filius aquas ſupernatans exiſtit, matrem appellat incolumis. tunc omnes extrahunt puerum,& periculo eripiunt, ad matrem adducunt: ea lætabunda Deiparæ acceptum retulit filium,qui inſuper affirmauit ſe ſe ab ea Domina ante cuius Imaginem quotidie primo mane Coronam recitare ſolebat, à præſenti diſcrimine liberatum. Ex quo multi ad coronæ pietatem ſuſcipiendam ſunt excitati.hæc omnia ex cap.36.& 37. 3.par.Chron.S.Franciſci.

Coronam B.Virginis recitare aſſuetus puer,in flumen poſtea lapſus ab ea liberatur.

Chroni. Ordinis Minorum.

COROLLA, IN QVA TER ORATIO DOMINICA, & duodecies ſalutatio Angelica repetitur.

15 SEptimò, Corolla Virginis, ſeu paruula corona ob memoriam duodecim Virginis priuilegiorum, duodecim conſtat ſalutationibus angelicis,ter repetita Oratione Dominica in honorem trium diuinarum perſonarum, à quibus Virgo ſanctiſſima præ cæteris donata eſt duodecim illis priuilegijs; quæ per duodecim ſtellas, quibus redimitur caput mulieris amictæ ſole Apocal.12. ſignificantur. quæ etiam intelligi poſſunt in 12.panibus,qui reponebantur in menſa propoſitionis: ſic enim Bernardus ſerm.4. ſuper Salue Regina: *Et menſa*, inquit, *propoſitionis duodecim panum,qui duodecim ſunt prærogatiuæ gratiarum,in quibus gratia repleta es, & Dominus tecum, Panes certè admodum ſplendidi, & ſapidi.* hæc ille. Diſponuntur autem in hunc modum,vt ante quemlibet quaternarium ſalutationum angelicarum præmittatur Oratio Dominica,quarum prima in honorem Patris æterni. Secunda,in honorem Filij. Tertia, in honorem Spiritus ſancti recitetur. Duodecim porrò priuilegia,quæ in hac corolla recoli poſſunt,recenſentur in Appendice Speculi exemplorum nouiſſimè editi,quorum aliqua ex Bernardo ſermone Signum magnum deprompta ſunt. Nos ex Appendice illa hic ad ſenſum exſcripſimus,ſunt autem hæc,

De corolla B. Virginis.

Apoc.12.

Exod.25. Bernardus.

Speculi. Exempl. append. Bernardus.

Primò,copioſiſſima gratia in ſacratiſſima Conceptione Virgini collata.
II. Angelica ſalutatio.
III. Spiritus ſancti ſuperuentio.
IV. Filij Dei Conceptio.
V. Virgo fuit ſine macula,& virginitatis primiceria.
VI. Sine corruptione fœcunda.
VII. Sine grauamine grauida.
VIII. Sine dolore puerpera.
IX. Magnanimitas fidei in credendo.
X. Profunda humilitas in obediendo.
XI. Maxima Verbi diſcretio in loquendo.
XII. Summa perfectio,& perſeuerantia operis in agendo.

Duodecim Virginis priuilegia

16 De hac Corolla pulchrum exemplum narratur,ex Relatione cuiuſdam Abbatis in Appendice Speculi exemplorum. Cùm enim viri tres quandam peregrinationem inſtituiſſent;die quadam cupide iter ingreſſi,ex ijs duo à via aberrantes ſyluam ingreſſi in latrones inciderunt,à quibus ſpoliati,ac interfecti ſunt: tertius Corollam hanc quotidie magna animi pietate,& corporis reuerẽtia recitare ſolitus ſubſequebatur,periculi ignarus;ſed cùm eoſdem graſſatores offendiſſet,qui eum pariter necare cupiebant,impetrato tantillo temporis ſpatio, quo ſuam corollam deuotus Virgini offerret, mira res extemplo inter recitandum ei nec videnti,nec ſcienti,aſtitit vt ſol ſplendẽs in aureo throno,Virgo glorioſa,& cum ea SS.Catharina,& Lucia; quarum erat ille vnicè amans, ac ſtudioſus. hic ad ſingulas orationes Dominicas Rubicunda; ad ſingulas ſalutationes

Quidam corollam recitans ab imminente cæde ſeruatur.

Ange-

Angelicas Candida roſa, ex eius ore prodibat, easq; iuſſu Virginis legens S. Catharina S. Luciæ tradebat; quæ eas circulo aureo, filo argenteo colligabat. abſoluta corollæ recitatione, Deipara corona illa roſis nimium redolentibus diſtincta, hominem illum ſui peramantem, ac deuotum redimiuit, ac ſtatim abſceſſit. Latrones hæc omnia aſpicientes rogant hominem, quæ nam mulieres illæ eſſent? reſpondet is, neminem ſe vidiſſe: ſed Deiparæ penſum Corollæ exſoluiſſe. narrant illi, quæ viderant; coronam in eius capite veſtigium huius beneficij admirantur. intellexit tandem ille Virginis beneficium, & corona ex capite manibus reuerenter accepta, ingentes gratias egit Virgini. Ea re permoti latrones ſua ſcelera deteſtati in viros optimos euaſerunt. Ille verò ſeculo relicto, religionem ingreſſus, ſe ſe Virgini ſtudioſè, ſancteq; deuouit. hæc ibi.

Alia duodecim priuilegiorum, & myſteriorum vitæ B. Virginis ſeries.

Cæterum priuilegia Virginis, quæ ſupra in hac Corolla enumerauimus, alio modo diſtingui poſſunt: ita vt & alia eiuſdem Virginis priuilegia, imò & præcipua vitæ eiuſdem myſteria complectamur. ideò ſubijcienda duximus capita duodecim, quibus pro cuiusq; deuotione hæc eadem Virginis Corolla accommodari poſſet.

Primum, ſit Prædeſtinatio, qua in matrem Dei ab æterno fuit ſingulariter electa, ac deinde Patribus promiſſa, figuris, ac prophetijs mundo manifeſtata, ac deſiderata.

Secundum, Conceptio immaculata, qua ab originali labe fuit præſeruata.

Tertium, magna gratiæ plenitudo in Conceptione illi tributa, cum auxilijs ſpecialibus in tota ſua vita, ita vt fomitem extinctum ſemper habuerit, nullumq; peccatum, ne veniale quidem ex ſpeciali Dei priuilegio vnquam commiſerit.

Quartum, Virginis natiuitas, & præſentatio in Templo, quando trimula ſe ſe Deo cõſecrauit hoc actu exteriori: nam ſi de interiori loquamur, iam inde ab exordio ſuę Conceptionis, quando ei vſus rationis eſt acceleratus, vt ſupra dixi cap. 32. ſe totam Deo dicauit. In templo etiam alijs innoteſcere cæperunt præclariſſimæ, atque heroicæ eiuſdem virtutes, & in quolibet opere merebatur, vt dixi cap. 21.

Quintum, Annunciatio ab Angelo, quando in eam ſuperuenit Spiritus ſanctus, de quo filium Dei ex ſuis puriſſimis ſanguinibus concepit, factaq; eſt vera Dei Mater, ac deinde viſitauit S. Eliſabeth.

Sextum, partus eius virgineus, quo Chriſtum ſine dolore peperit, eumq; lactauit, educauit, & in templo præſentauit, ac duodennem quæſiuit, & inuenit in Templo, ac perpetuo eum eſt comitata.

Septimum, virginitas perpetua, ante partum, in partu, & poſt partum, virginumq; fuit Primiceria.

Octauum, martyrium cordis, quando doloris gladius in filij paſſione, cui morienti fortiter aſtitit, ipſius animam pertranſiuit.

Nonum, Gaudia Virginis, in Chriſti Reſurrectione, Aſcenſione, & Aduentu Spiritus ſancti.

Decimum, admirabilis Virginis in Cœlum Aſſumptio, vbi non tantum in anima: ſed etiam in corpore glorioſa reſidet ſuper omnes Angelorum, & Sanctorum choros incomparabiliter exaltata.

Vndecimum, Regina eſt Angelorum, & Sanctorum, ac omnium Domina.

Duodecimum, Aduocata eſt noſtra, Mater miſericordiæ, & cunctorum Mater viuentium.

Ad finem Corollæ recitari poterit *Salue Regina*, cum adiuncta Oratione, vel Antiphona: *Sancta Maria ſuccurre miſeris, iuua puſillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu, ſentiant omnes tuum iuuamen, quicumque celebrant tuam ſanctam commemorationem.*

Officium Eccleſiaſticum.

℣. *Ora pro nobis ſancta Dei genitrix.*

℟. *Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.* OREMVS.

Offic. Eccleſ.

Concede nos famulos tuos quæſumus Domine perpetua mentis, & corporis ſanitate gaudere, & glorioſa B. Mariæ ſemper Virginis interceſſione à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.

Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria.

Fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace. Amen.

MOR-

MORTIFICATIONES, ET CORPORIS afflictiones in honorem Deiparæ.

179 SEcundum caput eorum, quæ ad Virginis ſanctiſſimæ obſequium ſpectant, opera ſunt, quæ ad proprij corporis mortificationem faciunt; talia verò ſunt pœnitentiæ opera, nimirum. *De obſequijs ad mortificationem ſpectantibus.*

Primò, Ieiunium in peruigilijs feſtorum Virginis, & in die ſabbati; qui vt cap. 29. diximus, multis nominibus ab Eccleſia eſt Deiparæ dicatus. verum mox exempla multorum, qui ſabbato ieiunabant, & beneficia Deiparæ in eoſdem afferemus.

2. Ieiunium item, vel à carnibus abſtinentia eo die hebdomadæ, in quem ſingulis annis dies Annunciationis Virginis, quando vera Dei Mater eſt effecta, incidit. quod multis eſt ſolemne: vel feria tertia, quæ Virgini à Conſtantinopoli: vel feria quarta, quæ Virgini à Carmelo eſt dicata: vel alia die pro cuiuſq; deuotione. *Ieiunium, vel abſtinentia.*

3. Quadrageſimam, ciborum abſtinentia, vel etiam Ieiunio peragere ante Virginis Aſſumptionem. S. Franciſcus teſte S. Bonauentura in eius vita cap. 9. Quadrageſimam in honorem Virginis à feſto ſanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli ad feſtum Aſſumptionis ieiunabat deuotiſſimè: cuius pietatem per idem tempus imitari aliqua ratione poſſumus, vt ſi per aliquod impedimentum ieiunare non liceat, liceat ſaltem in eius honorem aliquam ciborum abſtinentiam facere. S. Eliſabetha Luſitaniæ Regina à feſto Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ ad feſtum Aſſumptionis Deiparæ pane tantum aqua contenta ieiunabat, auctore Petro Perpiniano orat. 1. laudationis in eandem. *Bonauentura*

4. Ad hæc cilicium, vel cingulum cilicinum ſubinde geſtare. *Cilicium.*

5. Diſciplinæ funiculis ſe ipſum cædere. *Diſciplina.*

6. Vigilijs, & lecto duro ſuum corpus caſtigare. *Vigilia.*

7. Peregrinationem Lauretanam, vel ad alium Virgini dicatum locum ſuſcipere, & ſimilia in honorem Virginis præſtare. *Peregrinatio.*

8. Nec minus grata erunt Virgini ea, quæ ad interiores animi paſſiones mortificandas faciunt, cuiuſmodi eſt iracundiæ, ſuperbiæ, ambitionis motus coercere, carnis illecebras fugere, alienos defectus patienter ferre, ſuos non excuſare; in veſtibus, & cibis humilitatem, ac paupertatem omni faſtu, & luxu remoto ſectari, in operibus vilibus, & abiectis ſe exercere. Cùm ordinarijs verò precibus coniungendas eſſe corporis afflictiones ad beneficia à Deo efficacius impetranda, nemini, qui ſpirituales res deguſtauit, dubium eſſe poteſt. Refert S. Bonauentura in cap. 3. meditatio. vitæ Chriſti, B. Virginem cuidam perſonæ ſibi deuotæ (quam ipſe putat fuiſſe S. Eliſabetham) hæc verba dixiſſe: Filia dico tibi, quod nullam gratiam, donum, vel virtutem habui à Deo ſine magno labore, continua oratione, ardenti deſiderio, profunda deuotione, multis lacrymis, & multa afflictione dicendo, cogitando ſemper placita ſibi, ſicut ſciebam, & poteram, excepta ſanctificationis gratia, qua ſanctificata fui in vtero matris. Et addidit: Pro firmo ſcias, quod nulla gratia deſcendit in animam, niſi per orationem, & corporis afflictionem. hæc ibi. *Animi paſſiones coercere.* *Cum precibus corporis afflictiones iungenda. Bonauentura.* *Quomodo Virgo in terris degens obtinebat, quæ petebat. Nota.*

EORVM EXEMPLA, QVI IEIVNIVM, vel aliud pietatis opus propter Deiparam exercebant.

180 OBſequium verò precum, ac ieiunij præſertim die ſabbati in Deiparæ honorem delatum, confirmari poteſt tum exemplis complurium ſeu vitæ ſanctimonia, ſeu regia dignitate præſtantium: tùm etiam miraculis, ac beneficijs in eorum vtilitatem à Deipara exhibitis. quorum aliquot ſubijcienda exiſtimaui, compluribus alijs omiſſis, quæ in hoc opere præſertim cap. 35. ea de re commemorauimus. *Sancti aliquot viri, qui in honorem Deiparæ ſabbato, aliisq. diebus pane, & aqua ieiunabāt, S. Nicolaus Tolentinus Surius.*

S. Nicolaus Tolentinus multis virtutibus, ſed abſtinentia in primis clariſſimus 2. 4. & 6. feria, & in honorem B. Virginis, ſabbato ſemel tantum cibum ſumebat, ſolo pane, & aqua contentus. Surius in eius vita tom. 5.

S. Eliſabetha Luſitaniæ Regina inter ieiunia, quæ plurima ſeruabat, & præter quadrageſi- *S. Eliſabetha*

Lusitania Regina.

Perpinianus.

dragesimam, quam in honorem Deiparæ ante eius Assumptionem, vt supra dixi, peragere consueuerat, in peruigilijs festorum B. Virginis, & singulis sextis ferijs, ac sabbato, ieiunio panis tantum, & aquæ vitam ægrè tolerabat, vt est apud nostrum Petrum Perpinianum orat. 1. laudationis in eandem.

Vualterus de Birbach.

Vualterus de Birbach Virginis studiosissimus, de quo plura cap. 36. cum adhuc in seculo degeret omnibus solemnitatum Deiparæ vigilijs ieiunabat, ac pane tãtum, & aqua vescebatur: sæpè etiam idem faciebat sextis ferijs ob reuerentiam sabbati, postea Cisterciensem Ordinem complexus sancto fine quieuit ex Cæsario lib. 7. cap. 39.

Cæsarius.

S. Didacus Complutensis Ordinis Minoram.

Chron. Ordinis Minorum.

S. Didacus Complutensis Ordinis Minorum de Obseruantia à Sixto V. in sanctorum Catalogum relatus, sabbatis, & festorum B. Virginis peruigilijs idem panis tantum, & aquæ ieiunium peragebat, quemadmodum habetur in Chronicis Minorum par. 3. lib. 5. cap. 3.

S. Carolus Borromæus.

S. Carolus Borromæus, quemadmodum cap. 35. memorauimus, in Deiparæ peruigilijs pane tantum, & aqua vescebatur, ac ieiunabat.

IMPERATORVM, ET REGVM IN DEIparam pietas sabbato, vel alijs eidem dicatis diebus.

Rogerius in Annales Angelorũ.

Surius.

19 HEnricus II. Anglorum Rex, qui vixit circa annum 1170. singulis sabbatis ab hora Nona in proximam feriam secundam singulis item Deiparæ peruigilijs iustitium Anglis imperauit, teste Rogerio in Annal. Anglorum. Et sanè huic pietati, qua in Deiparam ferebatur, ascribi debet, quod de nece à suis S. Thomæ Cantuariensi martyri præclarissimo illata, tot doloris, ac pœnitentiæ signa viuens, & moriens dederit, de quibus in vita S. Thomæ Cantuariensis apud Surium tom. 6. & vberius apud Baronium tom. 12. Annal. ad annum 1174. & 1189.

Henricus VII. Imperator non minus religione, quàm armis præclarissimus, noctes coram Crucifixi Imagine ieiunus peccata deflebat, eosq; in pietate progressus fecit, vt quotidie communicaret. Is festo Assumptionis Deiparæ die ab omnibus negotijs liber, cœlestium contemplationi vacabat, quo die postea anno 1313. mortuus est.

Fridericus III. Imperator.

Fridericus III. Imperator pridie Assumptionis cibo, & vino abstinebat.

Ludouicus II. Rex Gallorum Deiparam non vulgari deuotione prosequebatur, nam quemadmodum cap. 29. dixi, meridiano tempore per vniuersum Regnum campanam ad Deiparam salutandam pulsari imperat; Bononiensem Comitatum cum oppidis eidẽ consecrat; cumq; grauiter ægrotaret, dixit, sperare se non nisi die sabbati Virgini sacro moriturum. atque ita sabbato, qui in 30. diem Augusti incidit anno 1483. obijt, auctore Guagnino lib. 10. de rebus Francorum.

Guagninus de rebus Francorũ.

DEIPARAE MIRACVLA, AC BENEFICIA IN EOS, qui ieiunium, vel aliam mortificationem in eius honorem suscepere.

Corpus latronis ieiunantis die sabbati Deipara tumulari curat.

20 IN Tridentina Regione, quidam latronum Princeps in sceleribus valde famosus erat: is cum ob plurima perpetrata latrocinia, & hominum cædes salutis animæ spem omnem abiecisset, à monacho quodam Cisterciensi, qui ei forte occurrit, in spem æternæ salutis erectus, persuasus est vno die hebdomadæ in Deiparæ honorem ieiunare, & ab aliorum læsione abstinere: quod ille cupide excepit, vouitq; se die sabbati nihil gustaturum, ac neminem depredaturum; idq; sedulo seruare studuit. quin etiam cõplures è sociorum manibus, ne bonis spoliarentur, vel interficerentur, in Deiparę honorem seruauit. Cum verò Tridentum eo tempore ab hostibus per circuitum vastaretur, & satellites Ciuitatis die sabbati hostes insequerentur, hunc latronem propter diem sabbati inermem, seq; tametsi fortissimus esset, minimè defendentem cum cęteris cęperunt, mox verò in Ciuitate agnitus, patibulo est addictus, cui Deipara magnam in morte procurauit contritionem peccatorum, quæ coram omnibus fateri voluit, testatus se præter sabbati ieiunium, quod à Monacho didicerat, nihil boni vnquam egisse. tandem extra vrbem capite plexus, in eodem loco sepultus est. Insequenti nocte custodes portarum

tarum Ciuitatis,circa illius tumulum quinque matronas aſpexerunt, quæ corpus effoderunt,& caput corpori aptantes, in feretro purpura miræ texturæ inſtrato poſuerunt, quarum quatuor candelas accenſas in manibus habentes,feretrum geſtabant. Quinta omnium clariſſima cum ſua candela pone ſequebatur, & cuſtodibus metu perterritis: Dicito,inquit, Epiſcopo veſtro, vt Cappellanum meum à vobis decollatum in tali loco Eccleſiæ ſepeliat,& nominauit ſe;his itaq; mane Epiſcopo renunciatis,ad locum cum Clero,& populo acceſſit,purpuram depoſuit,caput corpori vnitum vidit,purpuram cuius textura humanum artificium excedebat,admiratur; hominemq; illum honorificè in loco deſignato ſepeliuit.quo miraculo adeò permoti ſunt omnes, vt in ea Prouincia, vix vllus adultus ſit,qui eius exemplo diem ſabbati in honorem Virginis nō ieiunet.hęc Cæſarius lib.7.cap.39.ex relatione cuiuſdam Abbatis. *Cæſarius.*

21 Huc referri poſſunt cōplura Deiparæ miracula,quæ de ſabbati ieiunio in hoc opere deſcribuntur,præſertim illud,quod ad finem cap.34.ex Pelbarto retulimus. *Pelbartus.*

Ieiunanti die ſabbati purgatorij pœnæ per Deiparam minuuntur. S. Brigitta.

Quantum verò eiuſmodi in honorem Deiparæ ieiunium conferat apud tremendum Chriſti tribunal,perſpicuè apparet apud S.Brigittam lib.6.reuel.cap.39.vbi vir quidam ante Chriſti Domini tribunal productus,cum à dæmone acriter accuſaretur, è cōtrario à Deipara ſtrenuè defenditur,quæ à filio propter ieiuniū,quod ille in vigilijs feſtiuitatū ipſius ſeruare ſolebat,& quia eius officium recitarat,& quia in eiuſdem Deiparę honorē proprio ore decantarat,obtinuit,vt tres purgatorij pęnæ eidē animę imminuerentur.

Aliud mortificationis genus in honorem Deiparæ.

Cæterum,quia non eam tantum mortificationem,quæ in ieiunijs,alijsq; eiuſcemodi carnis caſtigationibus;verùm etiam eam,quæ in ſceleribus,ac peccatis declinandis, vel in virtutum actibus exercendis poſita eſt, Deiparæ gratam eſſe diximus; ideò eius rei vnum,vel alterum exemplum ſubijciemus.

Moriens miles B. Virginis deuotus, contritionem peccatorum per eam promeretur.

Miles quidam diues cum ad Torneamentum in Nortmanniæ partibus celebrandum pergeret,& in oppido quodam hoſpitaretur à Virgine quadam violanda, quæ appellabatur Maria,& virginitatem Deiparæ vouerat, cuiusq; pudicitiam eius parens eidem militi ob paupertatem pecunia proſtituerat;abſtinuit,ob reuerētiam Deiparæ,tum quia nox ſabbati erat, tum quia Mariæ nomine vocabatur. quin etiam eandem Virginem in Monaſterio monialium,quo inter eas virginitatem ſeruaret,confeſtim collocauit.verùm cum poſt biduum in Torneamentis interemptus eſſet,Deiparæ ope in morte verè compunctus ſuorum ſcelerum contritionem diuino beneficio obtinuit,ſicq;ęternam meruit ſalutem,quod Virgine ipſa reuelante cognitum eſt.hæc ex Vincentio Beluacenſi in ſpecul.hiſt.lib.7.cap.102.& 103. *Vincentius Beluacenſis.*

Chronica Priorum domus Carthuſiæ.

22 Legitur in Chron.Priorum domus Carthuſiæ,(quod tēpore Guidonis V.Prioris dictæ domus creditur eueniſſe.)Conuerſus quidam Carthuſianus humilis genere,ætate iuuenis,moribus tamen generoſus, ac vitæ ſanctitate prouectus,toto ſtudio Obedientiæ, Humilitati,Mortificationi omnem, quam poterat operam adhibens,mundum ſibi, ſeq; mundo crucifixerat.Amori diuino,& memoriæ Matris Domini,ita ſe totum deuouerat, vt ab ijs,qui vitam eius noſſent,nihil ſcire iudicaretur niſi Ieſum Chriſtum Crucifixum, eiusq; Genitricem.Nocte quadam iacebat in cella, cum ecce multo iam proceſſu noctis eidem vigilanti,& cœleſtia meditanti,dæmonum turba in ſpecie porcorum agreſtrium apparuit,& per totam cellam diſcurſu inſano,rictu horrendo,dentibus longiſſimis,ac veluti in necem eius exacutis,pauefactum,& trementem hominem circumſtabant:ſudabat ille præ timore,& quaſi iam iamq; à beſtijs diſcerpendus,nil niſi mortem vltimam pręſtolabatur.Inter hæc quendam humana ſpecie enormis magnitudinis dæmonum principem cellam conſpicit intrantem, ac porcos, quod illum non diſcerpſiſſent deſidiæ arguentem.At,inquiunt porci,magno conatu id facere tentantes nihil potuimus: Ego, inquit ille,iam faciam,quod vos ſegnes minime facere potuiſtis, & vncum ferreum lōgis, ac recuruis vngulis terribilem, minaci manu prætendens ad virum Dei diſcerpendum adaptat,eumq; nimio timore pene mente excedere coegit. ſed Deus, cui vir ille bonus ſæpe dicebat:*Et ne nos inducas in tentationem,ſed libera nos à malo*,tētationem tam duram non eſt paſſus vltra procedere, ſed ſua infinita miſericordia liberauit eum à malo. mox.n. vt nequam ille vncum ferreum ad eum diſcerpendum extēdit,ſtatim beatiſſima Dei Genitrix miſericordiæ mater,in qua ille totam ſpem ſuam poſt Deum poſuerat,vi-

Douotus B. Virginis Carthuſianus,à dæmonum vi per eam liberatur.

ſibiliter affuit,& virga leui manu prætenſa:Quomodo,inquit,huc deteſtandi venire auſi fuiſtis?Non eſt hic veſter,nec iam in aliquo contra eum poteritis præualere. Dixit hoc: & dicto velocius totus ille nefandus cętus,vt fumus euanuit.poſt dęmonum fugam,hominem adhuc trementem,his conſolata eſt verbis.Placet quod facis, tuiq; animi deuotionem Deo,mihiq; gratam noueris,fac ergo,quod facis, & de his ad meliora perſeueranter proficere ſtude: & vt tibi aliquid ſingulare in mandatis tradam: *Stude vilibus eſcis:Operi manuum deuotus inſiſte:Amplectere abiectas veſtes.*His ergo B.Virgo animatum hominē relinquens cęlum repetijt.Ille autem,vt à B.Virgine iuſſus fuerat,mandata eius adimplere totis viribus vſque ad mortem nitebatur. hæc ferè ad verbum apud Petrum venerabilem Abbatem Cluniacenſem lib.2.miraculorum cap.29. quod idem extat apud Vincentium Beluacenſem lib.7. ſpec.hiſt.cap.112. & in Specul.Exemplorum diſtin.9. nu. 113.

Petrus Cluniac. Vincentius Beluacenſis. Specul. Exemplorum.

OPERA MISERICORDIAE TVM SPIRITVALIA, tum corporalia in honorem Deiparæ.

23 TErtium caput eorum, quæ in obſequium Virginis fieri poſſunt, opera ſunt miſericordiæ ſiuè ſpiritualis, ſiuè corporalis, quæ in proximos propter Deiparæ amorem conferuntur: & certè inter miſericordiæ corporalis opera recenſere poſſumus.

Opera miſericordiæ corporalis, in honorem B. Virginis exercenda.

Primò,Eleemoſynam pecuniæ, ſeu panis, & cibi, ſeu veſtium in egenos erogare, vel conferre,præſertim cum ab eis nomine Virginis petitur.

II. Miniſtrare infirmis,ac pauperibus,qui in Noſochomijs,vel alibi degunt.

III. Viſitare,& iuuare eos,qui in publicis cuſtodijs,vel triremibus detinentur.

IV. Dotem ſubminiſtrare puellis ſubſidio neceſſario deſtitutis, vel vt in matrimonium collocentur,vel quod longè præſtat,vt in cœnobio ſanctimonialium diuino obſequio mancipentur.

Eiuſdem Deipara exemplum ex Metaphraſte.

Sanè ipſa Virgo ſanctiſſima beneficentiæ in alios illuſtre exemplum nobis imitandum reliquit; cum enim hora dormitionis ſuæ ſacratiſſimæ inſtaret,auctore Metaphraſte in oratione de vita, & dormitione Deiparæ,ad Ioannem Apoſtolum ipſa aſpiciens, cum pauca cum Deo eſſet locuta, deinde duas tunicas,inquit, quas toto vitæ tempore habui tegumentum mei corporis, eas dari iubeo hiſce duabus mulieribus, quas Virgines fuiſſe in fine illius orationis teſtatur. hæc ille. Quomodo autem harum veſtium,vna poſt quadringentos circiter annos Leone I. Imperatore Conſtantinopolim delata, & magna cum reuerentia ibi ſit repoſita,ſupra cap.29.diximus.

Eleemoſyna nomine diſtribuendos panes, Deipara cum S. Catharina Senenſi confecit illosq. multiplicat. Vita S. Catharinæ Senenſis.

Alterum beneficentiæ exemplum nobis exhibere dignata eſt Deipara; quippe quæ vna cum ſancta Catharina Senenſi, panes ad pauperum inopiam ſubleuandam, ſuis manibus conficere voluit: rem geſtam ex eiuſdem ſanctæ Catherinæ vita huc aſcribemus. Sancta Catharina Senenſis,in magna tritici apud Senenſes inopia, ex modica, & putida farina ne abijceretur, neue pauperes eo ſubſidio fraudarentur,ſuis ipſa manibus celerrime longè plures confecit panes, quàm ex tantula farina fieri poſſe viderentur.in illis verò nullus ſentiebatur fetor:imò qui illis veſcebantur,dicebant ſe nunquam tam grati ſaporis panes guſtaſſe. & cum pauperibus,alijsq; permultis largiſſime diſtribuerentur: ſemper tamen in ciſta panaria multi ſupererant, vt multis hebdomadis conſumi non poſſent à tam multis. Cumq; hoc inſigni miraculo aliqui permoti eſſent, ipſa ſecreto P. Raymundo ſuo Confeſſario dixit, beatiſſimam Virginem Deiparam multis Sanctis,& Angelis comitatam ſibi apparuiſſe,ſuisq; manibus ſacratiſſimis, vna ſecum panes compoſuiſſe, atque inde ſic auctos fuiſſe. hæc in eius vita apud Surium tom. 2.

Surius.

24 Quare cum eiuſcemodi charitatis opera Deiparæ pergrata eſſe certum ſit; mirum non eſt,ſi omnes pecuniam larga manu in Noſocomia,Orphanotrophia, & huiuſmodi pauperum, & ægenorum domicilia, ſub Deiparæ nomine appellata, de quibus fuſe cap. 29. abundè conferant, in quibus innumerabilis ęgenorum multitudo educatur, & ſubleuatur.

Sed

Sed vt peculiare aliquod exemplum ea de re afferam, illud deſumam ex Prato ſpirituali cap. 61. vbi legimus in hunc modum: Dicebant quidam patrum de Abbate Leontio Cilice, quòd in obſequio Dominæ noſtræ ſanctæ Dei Genitricis fuerit feruentiſſimus, ac per vndecim annos nunquam de illius Templo receſſerit. Erat autem ſemper miræ grauitatis, & ſibi iugiter intendens. Dicebant & hoc de illo, quòd ſi vidiſſet pauperem venientem ad ſe, ſi quidem ille eſſet cæcus, per manum illi porrigebat eleemoſynam; ſi autem videns, ponebat ante illum, aut in columnæ baſi, aut in ſcamno, aut in ſanctuarij gradibus, atque inde illam tollebat pauper. Interrogatus autem à ſene: quare pater per manus non das eleemoſynas? Reſpondit: Ignoſce mihi pater, neque enim ego ſum, qui illam præbeo, ſed Domina mea ſancta Dei Genitrix, quæ & me, & illos nutrit.

Pratum ſpirituale. Exemplum de Abbate Leontio Cilice, qui in Deiparæ honorem eleemoſynas dabat.

Huc etiam pertinere videtur, id quod S. Gregorius 4. dialog. cap. 36. narrat de quodam, qui calceamenta operari ſolebat nomine, Deus dedit, de quo alter per reuelationem vidit, quod eius domus aureis laterculis ædificabatur: ſed in ea conſtructores in ſolo die ſabbati videbantur operari, quoniam ex ſuis laboribus, quicquid ex victu, & veſtitu ſupererat, die ſabbati ad B. Petri Eccleſiam deferebat, atque indigentibus erogabat. quod ſi ad antiquiſſimam in Deiparæ honorem ſabbati dedicationem, de qua cap. 29. egi, mentem conuertamus, profectò ipſum in eiuſdem Virginis reuerentiam eo die id feciſſe facilè exiſtimare poſſumus.

S. Gregorius. Aliud exemplũ de altero, qui aureis laterculis ſibi domum extruere viſus eſt.

Poſſunt hoc loco recenſeri & ij, qui eleemoſynam, vel aliquid aliud peculiariter propter Deiparæ nomẽ rogati, prompto animo illud tribuere ſolent. Talis erat S. Gerardus Epiſcopus Canadienſis, & martyr Virgini addictiſſimus, qui quemadmodũ cap. 35. vberius diximus, nihil non concedebat ex ijs, quæ nomine Deiparæ ab eo aliquis petiſſet.

Alia ſimilia exempla. S. Gerardus Epiſcopus Canadienſis.

Talis erat Alexander Alenſis ob doctrinæ tum eruditionem, tùm ſoliditatẽ, Doctoris irrefragabilis nomen conſecutus. Is in Vniuerſitate Pariſienſi, vt verbis vtar S. Antonini 3. par. hiſt. tit. 24. cap. 8. §. 1. Doctor inſignis, & famoſus per orbem: exemplo non minus ſingulari, quam illuſtri, rogatus ex inopinato, vt pro amore Deiparæ Minorum Religionem, vitæ aſperitate, & arctiſſima paupertate inſignem ingrederetur; id quemadmodum apud S. Anton. loc. cit. & in par. 2. Chron. Min. lib. 1. cap. 12. habetur, & nos cap. 36. fuſius retulimus; non minus piè, quàm fortiter præſtitit. quare non ſua modo, verum etiam ſeipſum propter Deiparam tradidit; adeò vt verba illa, quæ Apoſtolus cum Corinthijs 2. Cor. 12. verè cum Deipara vſurpare poſſet: *Ego* pro te Virgo beatiſſima *libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ipſe*.

Eximia Alexandri Alenſis erga B. Virginem deuotio. S. Antoninus. Chron. Ordinis Minorum. 2. Cor. 12.

25 Sed iam de operibus miſericordiæ ſpiritualis, quæ propter Deiparam exhibentur, nonnulla breuiter perſtringamus.

Opera miſericordiæ ſpiritualis.

In primis ad eiuſmodi opera pertinet peccatores ad pœnitentiam, & confeſſionem conſilio, & opera noſtra, diuina opitulante gratia reuocare.

Exhortari ad confeſſionem.

Secundò, omni ſtudio in alios pijs colloquijs, & adhortationibus pietatem, ac deuotionem erga Virginem inſtillare, ac propagare, vt omnes eam cognoſcant, ament, ac reuereantur. qua in re omni laude digna videtur pietas S. Eliſabethæ filiæ Regis Hungariæ, de qua in eius vita cap. 2. apud Surium tom. 6. legimus in hũc modum; Eliſabetha cum adhuc puellula eſſet decimamquãque portiunculam lucelli, quod ipſi ex luſu prouenirſet, pauperibus erogabat puellis, debito illas obſtringens, dominicam precationem, & Angelicam ſalutationem fundendi. hæc ibi.

Ad Virginis deuotionẽ alios excitare. Surius.

Tertiò, Eos, qui idonei ſunt, vt Congregationi Virgini nomina dent, & ad recitãdum Roſarium, vel huiuſmodi preces, ad ieiuniũ ſabbati, & ad ſimilia pietatis opera allicere.

Ad Congregationem, & alia ſimilia inducere.

Quartò, Si quando cum ſocijs ad colloquendum cõuenitur, præſertim die ſabbati, & peruigilijs, feſtisq; diebus B. Virginis, ſermones de eius dignitate præſtantia, atque miraculis miſcere, iuxta illud pſal. 47. *Circundate Sion, & complectimini eam, narrate in thuribus eius*, ideſt NARRATE de virtutibus eius, altiſſimis. ſ. inſtar turriũ, & munitiſſimis; & infra: *Diſtribuite domos eius, vt enarretis in progenie altera.*

De B. Virgine ſermonem habere. Pſal. 47.

Quintò, Concionatores quoque crebrò ad populum de ea, eiusq; deuotione, atque miraculis, quibus ad eius amorem, ac deuotionem homines permouentur, verba facere debent: nec verò fructu carebunt, iuxta illud Eccl. 24. *Qui me elucidant, vitam æternam*

Cõcionatores de Virgine agant. Eccl. 24.

In vitis Fratrũ Prædicatorum. Specul. Exempl. Exemplum Concionatoris, qui de Virgine concionabatur.

habebunt. Quare in libro qui dicitur Vitas Fratrum Prædicatorum in additione ad par. 5. eiuſdem libri,& refertur in Specul.Exempl.diſt.7. nu.56. legitur fuiſſe quidam Religioſus mortificationi deditus feruens Concionator,Virginis deuotus,qui in omni Concione de ea,eiusq; laudibus aliquid miſcebat, & in fine aliquod de ea miraculum narrabat ad faciendum (vt ipſe dicebat) bonum os. Is in ſuprema ſua ægritudine per aliquantulum temporis magna triſtitia,vt creditur, ex recordatione ſuorum peccatorum, quàm alta ſuſpiria,& gemitus indicabant,correptus eſt: ſed proximus morti à ſanctiſſima Virgine viſitatus, & incredibili lætitiæ voluptate perfuſus magno animi iubilo Virginis laudes concinebat,nec ita multo poſt ſanctè migrauit ad Chriſtum.

Alij adpietatem adducendi, præſertim in feſtis Virginis.

Et certè quiuis,qui erga Virginem eſt deuotus,præſertim qui Congregationi,ſeu ſodalitati Virginis nomen dedere;quibus cordi eſſe debet,non tantum ſalus propria, ſed etiam aliorum iuxta ſuam vocationem,in feſtis B.Virginis in conſpectu eius vacuus apparere minimè deberet, ſed prædicta obſequia diligentius inſtaurare, & augere, & aliquem ad ſacramenta pœnitentiæ,& ſanctiſſimæ Euchariſtiæ;& ſi poterit etiam ad Congregationem ſuo conſilio,& opera adducere ſtudeat:quod vt facilius ei ſuccedat,Virgini id prius commendet,& ante aliquot dies huic operi ſedulo,ac diligenter intẽdat.imò deberet vniuerſam familiam,parentes,fratres,ſorores,filios,famulos, & famulas ad pietatem erga Virginem,ad recitationem Roſarij,ad ſabbati ieiunium, ad ſacramenta crebrò vſurpanda adducere. ſimiliter & cognatos,amicos & vicinos; hoc enim & maximi apud Deum meriti, & Virgini gratiſſimum; & à quolibet,modo animum ad hoc applicet,& à Virgine opem imploret,facilè præſtari poterit.

Reliquum eſt,vt de Congregationum B.Virginis ſpirituali vtilitate,ac fructu, qui ad ſodales dimanat,nonnulla dicamus.

DE CONGREGATIONVM VIRGINIS DEIPARAE vtilitate, ac fructu multiplici. Cap. XXXX.

SVMMARIVM.

Origo Congregationum Deiparæ,quæ in noſtris domicilijs habentur nu.8.
Congregationum in vniuerſum antiquiſſima olim inſtitutio nu.10.
Congregationum,quæ Neapoli in Societatis domicilijs habentur numerus, earumq; fructus num.13.
Epilogus totius operis num.20.

B. Virgini eſt gratiſſimum in congregationem ſuam ingredi.

Congregationes B. Virginis ad quid inſtitutæ.

INTER ea, quę Virgini grata in primis ſunt,& hominibus, qui in ſeculo vitam degunt,apprimè ſalutaria, illud eſt, vt in aliquod ex ſodalitijs, ſeu Congregationibus B. Virginis ſe cooptari curent, propter multa, quæ in illis exercentur pietatis munia, de quorum vtilitate in præſentia mihi agendum exiſtimaui.Quę quidem ſodalitia piorum hominum in eundem locum ſtatis diebus, horisq;ad munera pietatis recolenda, conuenientium, in multis iam chriſtiani orbis partibus conſtituta,& Virginis patrocinio conſecreta ſunt; vnde & nomen Parthenium inuenere. Sunt autem quaſi quædam religionis, pietatisq; gymnaſia, in quibus exercitatio virtutis cum ipſa vitæ educatione cõiungitur,vt adoleſcentium quidem animos optima inſtitutio,ac pietas occupet prius, quàm prauitas, & intemperantia inuadat. Alij verò ætate maturiores ſi per deflexa vitiorum olim aberrarint,ad rectum virtutis callem reuocati, pietatis ineant viam, & in eadem progreſſus in dies faciant vberiores. Siquidem in huiuſmodi Congregationibus omnis vitæ ratio ad eam normam conformatur, quę optimam chriſtianę religionis obſeruationem tuetur,ac dirigit.Neque verò in ea tantum re opera datur, vt quod eſt diuina lege præceptum, id integrè inuiolateq; ſeruetur: ſed in eo etiam elaboratur, vt omnes quotidie magis in pietatis ſtudio excellant; ex quo fit, vt pleriq; ad eam chriſtianæ vitæ præſtantiam perueniant, à qua multi, qui huiuſmodi ſodalitatibus aſcripti non ſunt,quam longiſſimè abſunt. Harum Congregationum multiplex fructus in ſoda-

les

les deriuatur,quorum aliquot hic recenſere operę pretium duxi, vt omnes ad tam piũ inſtitutum complectendum inflammentur.

2 Ac primum quidem ſodales ſub peculiari Virginis preſidio, ac patrocinio degunt, quaſi ſub eius pallio, cuius colendæ, ac venerandę precipuo ſtudio ſunt addicti, ſuaq; bona opera vniuerſa per illam Deo offerunt. quod faciendum monebat S. Bernardus ſermone de Aquæductu.de quo diximus cap.36. *Sodales ſub B. Virginis tutela ſunt. Bernardus.*

Ex hac Virginis tutela qualis,quantaq; exiſtat vtilitas ex ijs, quæ toto hoc opere diximus, colligi facilè poteſt: vt ſodales quadam analogia de Virginis præſidio meritò vſurpare poſſint,quod Regius Propheta de diuina protectione dicebat: *Et in velamento alarum tuarum exultabo*. Quo enim in periculo verſari poteſt eorum ſalus, quibus ad omnem opem aſſiduè preſto eſt tutelaris illa maieſtas, & materna B. Virginis cuſtodia? Quæ ſi vniuerſum genus chriſtianorum, ampliſſimamq; totius Eccleſiæ Rempublicam clementiſſimo patrocinio tuetur, ac protegit, qua tandem beneuolentia complectetur eos, quos in ſecretiore familia, & in aulico, vt ita dicam, famulatu apud ſe habet in ſodalitijs ſuis? *Pſal. 62.*

Secundò,cum obſequiorum omnium,quæ ad Deiparę venerationem cap. 36. pertinere diximus,tria ſint genera,aſſiduitas videlicet piarum precum,eiuſdemq; Virginis inuocatio;tum corporis afflictatio,ſeu mortificatio; denique chriſtianæ miſericordiæ erga proximos officia,ſiuè ea ſint,quæ ſpiritualia,ſiuè quæ corporalia vocantur.Sanè eorum omnium obſeruatio, vel in primis vigere ſolet in Congregationibus, vt ſatis patet ijs, qui eas perſpectas habent,& ex ijs,quæ dicemus clarius apparebit: quare mirum nõ eſt ſi pię ſodalitatum exercitationes Virgini ita ſint cordi. *In Congregatione exercentur oratio mortificatio, & miſericordiæ.*

3 Tertiò,bonum ex Ambroſio lib.1.officiorum cap.9.& ex D.Thoma 1.par.q.5.art.6. in bonum honeſtum,delectabile, & vtile tribuitur; nec facilè tria hæc omnia in eandem rem conuenire ſolent, quemadmodum experientia ſatis eſt compertum. quod ſi quid triplicem hanc rationem boni in ſe vno contineat; id perrarum quidem eſt, ſed in illud omnes mirum in modum feruntur: hinc illud Poetę: *Ambroſius. Congregatio non ſolum bonum honeſtum, ſed etiã iucundum, & vtile continet. S. Thomas.*

Omne tulit punctum,qui miſcuit vtile dulci. *Hor. de arte poetica.*

Ex hoc ergo conſequens fit Congregationem eſſe in primis ab omnibus expetendã, cum in ſe vna triplicem illam rationem boni complectatur. quod ferè in pſal. 132. his verbis exprimitur: *Ecce quàm bonum,& quàm iucundum habitare fratres in vnum.*idq; oſtenditur tum exemplo vnguenti Aaron Sacerdotis, odore ſuo gratiſſimo circumſtantes reficientis:tùm etiam exemplo Roris montem Hermon,& montem Sion:tùm ad fructuum vbertatem,tum ad aſpectus iucunditatem fœcundantis. *Pſal. 132.*

Id ipſum ratione probatur,Congregationes enim bonum continent honeſtum,quippe quæ ad diuinum obſequium,quo nihil eſt honeſtius;& Deiparæ honorem,quæ ſecũdum Deum,principem in hac rerum vniuerſitate obtinet locum,ſunt inſtitutæ,& in hũc finem ſodales ad eas conueniunt.

Iucunditatem verò ipſi percipiunt maximam ex Societate tot ſodalium, qui ſelectiſſimi,& egregiarum ſunt partium,ac in virtutibus chriſtiano homine dignis exercentur. hinc fit,vt nonnulli cùm ad Congregationem accedunt,ſodalesq; conſpiciunt,ingẽti lętitia,& quodam ſpirituali deuotionis ſenſu perfundi, & quaſi tot facibus ad pietatẽ inflammari ſe ſentiat.Accedit quòd cum homo animal ſit natura ſua ſociabile, nec facilè ſolitudine delectetur,ſed conſociatione gaudeat aliorum,ideoq; quemlibet ferè ſocios habere iuuet:idcircò vnicuiq; danda opera eſt,vt eos deligat,quales in Congregationibus viuunt.ſic.n.ab improborum hominum conſuetudine,à colloquijs prauis, à morum contagione quàm longiſſimè aberit. Ex quo etiam fiet, vt ſi quando aliqui ſodalium inter ſe priuatim conueniant,de pijs rebus,de virtutibus,de Sanctorum exemplis, deq; ſimilibus rebus colloquantur;ad Dei,ac Deiparæ cultum ſe ipſi excitent,eosq; inuicem ſermones miſceant,qui B.Virgini clientes non dedeceant. *Iucunditas ex Congregatione.*

4 Vtilitas verò quæ ex Congregatione capitur eſt multiplex,nam Prou.18. *Frater qui adiuuatur à fratre quaſi Ciuitas firma;* mutuis.n.exemplis,conſilijs, officijs, & precibus ſe inuicem ad pietatem inflammant.Et quemadmodum didicimus ex Philoſophis mutua neceſſitas quam homines de ſe inuicem habent ad vrbes ædificandas humanum *Vtilitas ex Congregatione. Prouerb.18.*

genus coegit:ſimili quadam ratione multi in ſodalitium congregantur propter mutua, quæ ſibi inuicem præſtant charitatis officia,vt quod vni deeſt,ſufficiat alter. Præclarum porrò eſt,quod Matth.18.dicit Dominus:*Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram,de omni re quãcunque petierint,fiet illis à Patre meo,qui in cęlis eſt:vbi.n.ſunt duo,vel tres congregati in nomine meo,ibi ſum in medio eorum:* quibus verbis & vim orationis, quæ à multis pro eadem re funditur,declarat;& aſſiſtentiam ſuam in eis,qui in ſuo nomine cõgregantur,pollicetur: quæ omnia in *B.*Virginis congregationibus fieri ſatis conſtat. Adhæc ſummi Pontifices hoc pietatis ſtudium ita probarunt,vt ſodalibus Congregationũ, quę in domicilijs Societatis Ieſu eriguntur,& ritè Cõgregationi Romanæ primariæ aggregantur,ampliſſimas Indulgentias conceſſerint cum in Congregatione admittuntur, cum in eam conueniunt,cum aliquod peculiare opus ex ijs, quæ diplomate exprimuntur exercent, cum denique ex hac vita decedunt. quæ omnia vtilitatem, quæ ex Congregatione percipitur,declarant.

Matth.18.

In legibus Congregationis præcipua pietatis opera.

5 Quartò,cum pręcipua pietatis opera pręſcribantur in Congregationis regulis,ſeu legibus,quæ quandam viuendi rationem ſanctiorem quàm in communi aliorum vitę cõditione reperiatur,indicunt: propterea ex hoc capite omnes ad Congregationẽ amplectendam maximè permoueri debent.ſunt.n.eiuſmodi leges veluti ſepes,& propugnacula,quibus ab hoſtium,ac ferarum incurſionibus ſodales muniuntur: *Vbi.n.non eſt ſepes* Eccl.36.*diripietur poſſeſſio.*Quę autem in Congregationibus fiunt,hęc ferè ſunt.Conſtitutis diebus certum in locum conueniunt;& ne quis, niſi magnis de cauſis abſit,diligẽtiſſimè cauetur. Hic certo temporis ſpatio ſimul ſe cõtinent intentis certatim animis ad commune ſtudium pietatis.Præmittuntur preces aliquæ cum litanijs:deinde opportuna ſpiritualium librorum ſacra lectione,ac de ijs,quæ ex libris audierunt,facta inter ſe collatione,inſtruuntur,ſimulq; eorum animi reficiuntur. Datur & ſuum tempus canẽdis alternatim diuinis laudibus,officio,nimirum B.Virginis,vel officio defunctorum,& ſimilibus. Simul omnes eo die miſſæ ſacrificio interſunt,& præſcriptis diebus crebrò ad pęnitentiæ,ſeu confeſſionis ſacramentum,& vna ad ſanctiſſimam Euchariſtiã,quod eſt præſentiſſimum contra omnes tentationes præſidium,ac munimen,accedunt:quin etiã dulcedine,& vtilitate diuini huius cibi allecti,complures crebrius quàm ſodalitatis ſtatuãt leges,ſacræ Euchariſtiæ ſacramento reficiuntur.His accedunt ſtatis temporibus piæ religioſorum hominum cohortationes,quibus ſodales verbum Dei audiunt,& quibuſdam veluti ſtimulis ad virtutem incitantur. Vna præcipuè agitatur, & viget in toto cætu ad Deum oratio,& diuinarum rerum cõtemplatio,in eoq; potiſſimum ſtudio verſatur Partheniorum ſodaliũ induſtria,vt aliquid de Chriſti Domini cruciatibus,alijsuè fidei chriſtianæ myſterijs meditentur.Adhibetur & ſuo tempore voluntaria corporis diuerberatio,quam diſciplinam vocant,ſiuè in Congregationis loco,ſiuè etiam in propria domo. Multum etiam operæ impenditur ad animas, quæ in purgatorij pęnis detinentur,omni ope iuuandas, Indulgentias pro illarum expiatione conſequi ſtudent. Pro ijs etiam,qui peccato mortali irretiti exiſtunt,preces effundunt.Eos qui in Xenodochijs, & carcere detinentur interdum inuiſunt,ſuisq; colloquijs,& opera conſolantur,ac iuuant.Si quod incommodi alicui ſodalium obuenerit,huic ad auxilium præſto ſunt vniuerſi.Quamobrem cum ægrotant, viſunt inter ſe ſe, & fraternum in morem iuuant: deſtinantur, qui ægrotãtis neceſſitatem,& inopiam ſi quæ incidat,explorent:& pro virili parte quicquid opus eſt,benignè impertiant. Si diem obierint miſſarum ſacrificijs,& alijs pijs operibus illis opitulantur. ita ſe mutuæ charitatis vinculo arctius omninò,quàm alij cognationis neceſſitudine complectuntur.Illud quoque in more poſitum eſt,vt pro ſe inuicem orẽt. Parent certo moderatori,ab eoq; ſe admoneri,reprehendi,imò & mulctari ſi quid contra regulas abſeſe peccatum ſit,æquo animo ferunt. Quòd ſi qua cuiuſquam appareat in ſuſcepto inſtituto titubatio, vel offenſio; ſtatim ad eum confirmandum, & in officio retinendum,auxilio præſto ſunt,conſilijs, monitionibus, & quauis alia ope, vel officio charitatis.

Eccl.36.

Præcipua quæ in Congregationibus fiunt recenſentur.

Preces, ac Litaniæ.

Lectio librorum ſpiritualium,& collatio.

Officium decantatur.

Miſſæ vna interſunt.

Sacramentorum perceptio.

Meditatio.

Diſciplina.

Iuuant animas quæ ſunt in purgatorio.

Orant pro ijs, qui in peccato mortali exiſtit.

Ad Xenodochia & cuſtodias adeunt.

Se inuicem cum ægrotant inuiſunt, ac iuuant.

Se inuicem in bono inœpto exeitant.

Denique ijs,qui B.Virginis Congregationibus nomina dedere non tantum ſua, ſed proximorum etiam ſalus cordi eſt. quare quoſcumque poſſunt ad pietatis opera ſuo conſilio inuitant & pertrahunt.Et ſi quos Congregationi idoneos deprehenderint, ad

Proximos iuuant.

eam

eam adducere ſtudent. Quare vnaquęq; ſodalitas tum ſtudiorum ſimilitudine, tùm animorum conſenſione, nexuq; voluntatum, tum piorum operum communicatione quadam, etiam loci communitate ita efflorescit, vt religioſi cœtus imago quædam, & ſimulachrum videatur. *Imago quadam videtur Religionis.*

6 Quintò, *Bonum eſt viro* Thren. 3. *cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua*, quæ niſi diuinæ gratiæ freno coerceatur, prona eſt ad malum: quare ex hoc etiam capite Congregationum fructus ſpectatur vberrimus. ſiquidem in Congregationibus præſertim ſcholaſticorum, & iuniorum Adoleſcẽtia Deo per B. Virginem dicatur, & præſidijs, quæ ſupra attigimus communitur: ibiq; datur opera, vt ad bonum diuina gratia inflectatur. Qua in re huiuſmodi ſodales Chriſtum imitãtur, qui infans pro nobis circumciſus, quadrageſimo die in Templo præſentatus, & duodecimo anno in templo ad ea, quæ Patris ſui erant remanſit, Matre ſua minimè conſcia, à qua dubitare non poterat ſe ab ijs, quæ Patris ſui erant reuocatum iri: ſed vt nobis exemplum præberet in ijs, quæ ad Dei honorem, & animæ ſalutem ſpectant, etiam abſque parentum conſenſu, à turba nos ipſos ſubducere, & diuinis rebus à prima ætate conſecrare debere. Cuius etiam rei exemplum dedit nobis ſanctiſſima Virgo, quæ trimulà in templo, vt cap. 8. diximus, Deo ſe conſecrauit, ibiq; in Dei obſequio eſt educata. De pleriſq; quoque Sanctis idem eſt litteris proditum. Sanctus enim Ioannes Baptiſta legitur, *Antra deſerti teneris ſub annis*, *Ciuium turmas fugiens petiſſe*. Idem de S. Paulo primo Heremita, de S. Benedicto, de S. Thoma Aquinate, & de alijs legimus, quorum exempla proportione quadam imitantur adoleſcentes ij, qui B. Virginis Congregationi à tenera ætate dant nomen. *Thren. 3. Adoleſcentia in Congregatione Deo offertur. Gen. 8.* *Chriſti imitatio. Luc. 2.* *Exemplum Deiparæ, & aliorũ ſanctorum.*

7 Quòd ſi quis harum Congregationum fructum, atque animarum vtilitatem, quæ ex huiuſmodi ſodalitijs exiſtit, inſpicere velit: ſecum ipſe tantiſper reputet eorum, qui ad illa ventitant, conditionem, atque cum ijs, qui ijſdem aſcripti non ſunt, vel tenore vitæ, vel rerum ſpiritualium guſtu conferat. Enim verò in pleriſq; horum, qui in communi quadam viuendi ratione verſantur, nec vllis Congregationum legibus aſtringuntur, quæ ſalutis auxilia? quis diuinæ legis, vel amor obſeruandæ, vel violandæ metus? Primum enim in pleriſq; ex his magna eſt ignoratio rerum, quæ ad animæ ſalutem neceſſariæ, vel certè vtiles ſunt: deinde à ſummis tantum flagitijs ſi abſtineant, quamuis ad alia minimè leuia delabantur, multum ſibi profeciſſe videntur; dæmonis fraudes, atque aſtutias ignorant, ſeu non valde attendunt: quare nec ab illis ſibi valde cauent. ſempiterna impiorum ſupplicia, & piorum præmia, vitæ & paſſionis Chriſti Domini myſteria, diuina item beneficia ne vix quidem animo recogitant; ad ſalutarem peccatorum pœnitentiam in paſchalibus feſtis ægrè accedunt. *Eorum, qui in Congregationibus viuunt cum alijs comparatio.*

Contra verò qui parthenia ſodalitia adeunt, in ijs, quæ ad ſalutem conſequendam pertinent, diligenter inſtruuntur. Præſidiorum, quæ ad piè viuendum requiruntur, non mediocris illis copia ſuppeditatur. Chriſti Domini vitam, aliaq; fidei noſtræ capita per intimam contemplationem penetrare ſtudent. Corporis voluptates coercent, carnis illecebras fugiunt. Laboris moleſtiam, ſi quæ ſit in virtutum exercitatione, aliorum exemplum, & ipſe vſus diuturnus imminuit. Quo fit, vt ſtudioſiſſimus quiſque, atque probus ad maiorem in pietate progreſſum impellatur: inertes, ac deſides aliorum exemplo, conſilio, atque auxilio ad meliorem frugem reuocentur. Hinc tanta in Vrbibus, vbi hæ vigent ſodalitates, in melius facta mutatio: in ijs enim, qui litteris dant operam, quiq; aliquam complexi ſunt Virginis ſodalitatem, magnus in litterarum etiam ſtudijs extitit progreſſus. Hinc ijſdem ſodalibus ſuadentibus, eorundem etiam cognatorum, domeſticorum, amicorum, & aliorum in moribus eſt facta mutatio, & ad omnem pietatem acceſſio. Aliqui poſtea ſodales ad ciuilia negotia ſine animæ ſuæ periculo tractanda diſponuntur. Alij Chriſtum ad tutiſſimum Religionis portum eos vocantem alacriter, prompteq; ſequuntur. *Sodales etiam in litteris magis proficiunt, et alios ad pietatẽ excitarunt.*

Maneat igitur ex ijs, quæ diximus, has Congregationes diuinum fuiſſe inuentum, & cœleſte conſilium, Societatemq; noſtram, quæ omnem inſtituti ſui rationem ad proximorum ſalutem accommodat, in ſuis Collegijs, & Domibus, tum ad inſtituendam in pietate iuuentutem, tùm etiam ad alios quoque in rebus ſpiritualibus iuuandos, meritò huiuſmodi ſodalitia celebrare, ac propagare in dies magis, eaq; pro ratione ætatum, *Societas Ieſu quomodo Congregationes promouet.*

ac

ac ſtudiorum diſtinguere,& numetare,vt pueri à viris;litterarum ſtudioſi,ab ijs,qui alijs occupationibus deſtinentur; qui aliqua dignitate præſtant, à reliqua multitudine: Ruſtici, & agricolæ ab opificibus,& ijs, qui in Ciuitate negotia tractant: Sacerdotes etiam à laicis,vbi commode fieri poteſt,ſegregentur,ac ſuus cuiq; ordini,ætati, dignitati locus ſit, ſuæ leges, ſui præfecti, atque cuſtodes. Eo fit,vt & æqualium exemplo, adiuuentur infirmiores; & multitudinis æqualitate, omnes delectentur, alacriusq; conueniant.

ORIGO CONGREGATIONVM DEIPARÆ, quæ in noſtris domicilijs habentur.

Origo ſodalitatum partheniarum in Societatis Ieſu domicilijs. Franciſcus Sachinus in hiſtoria Societatis.

8 CAeterum nec inutile, nec iniucundum futurum arbitror harum Congregationum, quæ in domicilijs Societatis Ieſu ſub Virginis Deiparæ tutela exiſtere diximus, initia hoc loco paucis commemorare, quod ex Societatis Ieſu hiſtoria à noſtro Franciſco Sachino non minus piè quàm fideliter,& accuratè conſcripta, ſuis ferè verbis referendum duxi;vt omnes intelligant, Digitum Dei fuiſſe,qui huiuſmodi ſodalitijs ex tam debili principio ortum ducentibus,per matris ſuæ patrocinium, innumerabilium adoleſcentium, aliorumq; virorum ſaluti proſpicere voluit; hiſce præſertim calamitoſiſſimis temporibus,in quibus hæreſes in Septentrione impune; vbiq; verò ad omne ſcelus procliuitas adeò graſſabatur. In ea igitur hiſtoria cum agitur de ijs, quæ ad annum 1563. ſpectant,ſic habetur. Inchoata eſt pia quædam ſodalitas, auctore Ioanne Leonio Belga infimæ rudimentorum grammaticæ claſſis Magiſtro, inter inferiorum claſſium adoleſcentes ex his,qui præcipuo ſtudio ſociare cum litteris pietatem cuperent. cœpere diebus ſingulis, poſt miſſos cæteros,in vnam è ſcholis, in qua altare pulchrè ornauerant, congregari. ibi aliquandiu orabant vniuerſi: dein vnus è pio libello quidpiam legebat, audientibus cæteris. Diebus verò Dominicis, ac Feſtis etiam veſpertinas, de more Eccleſiæ,modico cum cantu peragebant preces. Ex his rudibus initijs ſodalitates,quę deinde B.Virgini præcipuo ſtudio dedicatæ tam inſigni cum iuuentutis,atq; aliorum bono certis formatæ inſtitutis,latè per omnes mundi oras fuſæ ſunt, emanarunt.Quamquam non Romæ primum hi ſimplices diſcentium cœtus exorti: nam ante hunc annum Genuę,ac Peruſię mentionem eorum reperi.hęc ibi. Deinde inter ea,quę anno 1564 ſunt geſta idem Sachinus de hac ipſa ſodalitate Romana narrare ſic pergit: Quę cœpta ſuperiore anno ſodalitas diſcentium erat, ea beatiſſimę Virginis ſubiecta hoc anno tutelæ eſt: ijſq; conſtituta legibus,quibus magnam partem,hodieq; regitur.finis propoſitus in pietate,litterisq; progreſſus.ſodales ad ſeptuaginta numerabantur.Quaq; hebdomada confiteri. Quoque menſe ſanctiſſimum Chriſti corpus ſumere, Singulis diebus ſacro intereſſe. Virginisq; vel Roſaria, vel Preces è libello iuſſi percurrere. Veſperi è ſchola dimiſſi congregati quartam horę partem meditationi; alteram autem partim excipiendis capitibus,quę die poſtero meditarentur,partim conferendo breuiter, quæ agitauerant conſumebant. Diebus feſtis à prandio poſt decantatas veſpertinas preces, alij ad viſendos in Noſocomijs ægrotos,alij ad ſalutandas Diuorum reliquias, alij ad alia pia munia mira ibant alacritate. Omnibus vnus è Societate præerat, qui cum cętera moderabatur; tum diebus Dominicis adhortationem habebat. Ex ſodalibus vnus,qui prę-eſſet cęteris,lectus eſt,cui Præfecti appellatio indita: duodecimq; præterea,inter quos cura reliquorum diſtributa,vt nullus negligeretur: quoque paucioribus quiſque intentus eſſet,hoc abſolutius cuncta procederent.In cęteris commoditatibus huiuſce ſodalitatis illa non fuit è poſtremis, quod inter ſe agentes pari animo, & pietate adoloſcentes,vitabant improborum conſuetudinem,qua molli,improuidęq; ętati exitium nullum eſt certius. hactenus ex hiſtoria Societatis.

Cum verò ſimiles Congregationes temporis proceſſu in præcipuis noſtrę Societatis Collegijs iam eſſent inſtitutæ,earumq; fructus longè,lateq; ad plurimos manaret,Gregorius XIII. Pontifex Maximus,qui huiuſmodi pietatis exercitationes, ſicut & reliqua omnia ad Dei honorem ſpectantia fouere ſolitus erat, Diplomate ſuo nonis Decembris anni 1584. primariam Congregationem in Eccleſia Collegij Romani Societatis

Ieſu,

Ieſu, externorum ſcholarium, & aliorum Chriſti fidelium ſub titulo Annunciationis B. Virginis, quæ per Præpoſitum Generalem Societatis Ieſu dirigeretur, auctoritate Apoſtolica erexit, atque inſtituit, Indulgentias ampliſſimas ſodalibus eſt elargitus, poteſtatemq; eidem Generali Præpoſito fecit, quaſuis alias Congregationes in noſtris extra vrbem Collegijs erectas, huic primariæ Romanæ aggregandi, illisq; eaſdem Indulgentias communicandi. Eandem poſtea facultatem Sixtus V. nonis Ianuarij anni 1586. extendit ad alias Congregationes, tum eas, quæ non conſtant ſcholaribus, tùm etiam eas, quæ in Societatis Domibus, non tantum in Collegijs eriguntur; idq; ſiue à Virgine Annunciata, ſiuè à quouis alio titulo, & inuocatione nomen acciperent. Clemens verò VIII. die 30. Auguſti anni 1602. ad Congregationes in reſidentijs Societatis conſtitutus eandem facultatem benigniſſimè extendit.

Quæ Congregationum inſtitutum commendant.

9 Multa porrò ſunt, quæ harum ſodalitatum in Societatis Ieſu domicilijs erectarum præter ea, quæ hactenus diſſeruimus, pium inſtitutum commendant, atque adiuuant. In primis tot ſummorum Pontificum, qui Chriſti vices in terris gerebant erga eas, vt vidimus inſtituendas, & Indulgentiarum largitione decorandas propenſum ſtudium, atque benignitas. Tùm plurimi inſignes viri, qui ex his ſodalitatibus prodiere, & vel religioſæ vitæ inſtitutum complexi, vel in ſeculo remanentes, Rempublicam chriſtianam ſua opera egregiè iuuerunt, & iuuant: neque tantum ex ijs ſodalitijs Epiſcopi, ſed & aliquot S.R.E. Cardinales, quorum aliqui etiã nunc viuunt extitere. Deinde complures Eccleſiarum Præſules ampliſſimi, & viri Principes Ciuitatum, vel honoris gradu, vel generis nobilitate alijs longè ſuperiores; Sodalitia tamen hæc amplectuntur, & in communem cætum, nomenq; fraternum ſodalium admitti ſe volunt, abſque vlla, vel loci, vel appellationis exceptione, quod multis in locis, ſed præſertim in ſodalitio Domus Profeſſæ Romanæ, ad quod multi conueniunt Prælati, cernere licet, in quo Cardinales ipſi ſua interdum præſentia, & ſuis ad ſodales ſermonibus, alios ad hoc pietatis ſtudium inuitant. Neque illud in poſtremis harum ſodalitatum inſtitutum celebrat; multitudo nimirum ſodalium, & quidem diuerſorum ordinum, vt omnes ferè Ciuitatis ſtatus hac ratione iuuentur, excludatur nullus: quare tum propter multitudinem, tum etiam propter ætatis, ac munerum, ſeu officiorum diuerſitatem, plura eodem in domicilio exigunt ſodalitia, vt videre eſt multis in Ciuitatibus; nobis ſufficiat exempli cauſa vnius Ciuitatis Neapolitanæ ſodalitates commemorare, in qua Societas noſtra in ſuis locis ad quindecim circiter, easq; maximè frequentes numerat, de quibus aliquid breuiter infra perſtringere non grauabor, vt ex his reliquas toto propemodum orbe ſparſas conijcere poſſimus. Sed quod caput eſt omnium, quodq; ad ſodalitatum commendationem in primis facit, illud eſt, quod in huiuſmodi ſodalitatibus illuſtribus argumentis declarat patrocinium ſuum Angelorum Regina, quæ huius generis alumnos multis in periculis præſenti ope defendere conſueuit, quod quamplurimi experti ſunt. & Congregationum ſub Virginis nomine, non tantum in noſtro orbe, ſed in Indijs etiam erectarum fœlix progreſſus ſatis oſtendit Virgini eas cordi eſſe.

Summi Pontifices.

Inſignes viri ex Congregationibus.

Prælati, & Principes, qui Congregationi dant nomina.

Multitudo ſodalium omnis generis.

Congregationes B. Virginis patrocinium experiuntur.

Quare, vt initio dicebamus inter obſequia Deiparæ acceptiſſima, quæ ei deferre poſſunt i, qui in ſeculo viuunt, hoc erit Virgini ſanctiſſimæ longè gratiſſimum, vt ſcilicet in eius Congregationem aſcribendos ſe curent, ſtatis diebus ad eam conueniant, regulas ſodalium exactè obſeruent; alios quibus cum agunt ad pietatem excitare ſtudeant, vt Virginis beatiſſimæ beneficijs, quæ innumera in nos contulit, aliqua ſaltem ex parte reſpondentes, ad maiora in poſterum ab ea accipienda magis, magisq; diſponamur.

Apud alios religioſos Congregationes habentur.

Neque ſolum in Societatis noſtræ domicilijs, ſed in alijs etiam religioſorum hominum familijs complures piorum ſecularium Congregationes, ſeu ſodalitates magno cum ſodalium fructu viſuntur.

CONGREGATIONVM IN VNIVERſum antiquiſſima olim inſtitutio.

10 AT ne quis has piorum hominum ſodalitates, ſeu Congregationes exiſtimet nouũ eſſe, ac recens inuentum, & idcircò eas non ita magnifaciat; oſtendam planè plurimis

mis ex antiquitate petitis exemplis, earundem vſum in chriſtiana Republica eſſe perantiquum,plurimasq; ex eis vtilitates ſuperioribus ſeculis in alios manaſſe: nam vt omittam eas quas vocant Confraternitates, ſeu Confratrias ad varia pietatis munera exercenda(de quibus multa egregiè differit Nauarrus in miſcellaneis de Pſalterio,ſeu Roſario)& vt taceam plerasq;alias ſodalitates diuerſis in Vrbibus inſtitutas,à quibus recenſendis ne nimium ab inſtituto digrediar,conſulto abſtineo; aliquas tamen mihi magis exploratas tacitus præterire non poſſum. Et in primis quid dicam de ſodalitate Roſarij à religioſiſſimo Prędicatorum Ordine propagata?cuius precandi formula,vt cap. 20. & 39.dictum eſt Virginis, iuſſu per S.Dominicũ eſt inſtituta.hæc enim Roſarij ſodalitas toto propemodum terrarum orbe ad hanc vſque diem, & numero ſodalium vtriuſque ſexus,& nominis celebritate, & pietatis progreſibus florentiſſima, verè Roſarij cœleſtis diuinum odorem,& ameniſſimam ſuauitatem,ac pulchritudinem refert.

Nauarrus.

De Confraternitate Roſarij.

Ex Virginis ſodalitate prodijt Ordo Seruitarum.

Florẽtiæ ſodalitas quædam piorum hominum fuit in Deiparæ honorẽ congregata,in qua anno 1233. die aſſumptæ Virgini ſacro cum eidem Virgini B.Bonfilius Monaldius Florentinus cum ſex alijs laudes,precesq; piè perſoluerent, cęleſti voce admoniti mundo nuncium ſtatim remiſere, ipſoq; natæ Virginis die initium dedere Ordini Seruitarum nuncupato;quòd B.Virgini,ex cuius ſodalitate prodierant,ſeruos ſe profitebantur: quos etiam per vrbem Florentiam tranſeuntes B. Virginis ſeruos á lactentibus appellatos memoriæ proditum eſt, ſeq; à ſeculi ſtrepitu ad montem Senarium, qui nouem Florentia miliaribus Mugellam verſus diſtat, recepere. elapſo deinde ſeptennio à Virgine magno Angelorum cætu comitata, manu altera atram veſtem, altera S.Auguſtini regulam præferente, ſingillatim per viſum ſunt iuſſi ea regula, & illo exinde habitu vti in memoriam eius,quam Virgo ſanctiſſima ex Chriſti paſſione perſenſit,afflictionis, atque triſtitiæ.

De Confraternitate Diſciplinatorum Senenſis.

II Senis præterea vrbe Hetruriæ celebri, quæ ob ſingulare ſtudium erga Dei parentem, & in eiuſdem fide clientelam nominari gaudet Ciuitas Virginis multis iam inde ſæculis fundatum eſt nobiliſſimum illud ſodalitium, ſeu vt vulgo vocant Confraternitas diſciplinatorum B.Mariæ Virginis,quæ eſt in Domo hoſpitali, quam dicunt de la Scála,vbi preces,corporis flagellationes,& alia pietatis exercitia ſunt in vſu. ex quo loco,vt teſtatur auctor vitæ S. Bernardini Senenſis, omnes ferè Italiæ diſciplinatorum laicorum piè exercitationes, vel deuotionis ſtudia dimanarunt. ex illo loco complures prodiere viri ſanctitate illuſtres, & religioſorum ordinum fundatores, vel in primis B. Ioannes Columbinus vir ſanctiſſimus,& Ieſuatorum Fundator,eiusq;Socius Franciſcus Vincentius. Itemq; Ordinis Montis Oliueti Fundatores B.Bernardus Ptolomæus,Patritius patritij,& Ambroſius Piccolomineus. Ex eodem cætu extitere B. Petronius de Petronijs, poſtea in Carthuſianorum familiam admiſſus,Andreas de Galleranis ſpeculum ſanctitatis,alijq; innumeri religioſæ vitæ profeſſores. inter quos recenſetur S.Bernardinus Senenſis celeberrimæ ſanctitatis vir Fratrum Minorum,qui de Obſeruantia vocantur,ſi non primus fundator,ſaltem propagator præcipuus,de cuius inſigni doctrina, & egregia in Virginem pietate nonnulla cap.35. diximus: quæ verò hoc in loco de ſodalitio Senenſi commemorauimus ex auctore vitæ S. Bernardini apud Surium tom.3. accepimus.

Vide auctorem vitæ S Bernardini Senenſis,apud Surium 20. Maij.

De Sodalitate Confalonis Romæ Matthæus Villanus.

Romæ in S.Maria Maiore præclariſſima ſodalitas,quæ dicitur Confalonis eſt erecta, quæ ad S.Bonauenturam Doctorem eximium,qui anno Domini 1273.ex hac vita migrauit,ſuam refert inſtitutionem. Matthæus quoque Villanus lib.2.hiſtor.cap.46.eiuſdem ſodalitatis meminiſſe videtur:ait enim Romæ in S.Maria Maiori occaſione Societatis eorum,qui vocabantur Commendati B.Virgini,complures eò conueniſſe,quorum induſtria vrbs,quorundam ſtudio diuexata,ſuo ſplendori eſt reſtituta tempore Clementis VI. anno Iubilæi 1350.

Romæ quoque quædam ſodalitas inter reliquas extitit in templo S. Dorotheæ, quæ à diuino amore cui ſodales præcipuè ſtudere ſatagebant,appellationem acceperat, ad quam complures tum Eccleſiaſtici,tùm Laici,& in his Prælati,alijq; viri nobiles conueniebant,ſpiritualibus operibus vacabant;in meditationibus,& exhortationibus exercebantur;ad ſacramenta percipienda crebrius quàm alij eo tempore facere conſueuerant,

accede-

accedere ſtudebant. Ex qua complures tum vitæ ſanctimonia, tum doctrina illuſtres prodiere, inter quos meritò numerantur quatuor illi, qui religioſiſſimi Ordinis Clericorum Regularium, quos Theatinos vulgo vocant auctores, & fundatores extitere anno Domini 1524. die 14. Septembris, omnes natione Itali, generis nobilitate, & vitæ ſanctitate præſtantes, qui omnium primi hac tempeſtate Clericorum Regularium Ordinem excitarunt, vt ſuo exemplo, atque opera clerum ſecularem ad ſanctiorem viuendi rationem iuxta ſacrorum Canonum normam excitarent. Hi fuere B. Caietanus Thieneus Vincentinus, Prothonotarius Apoſtolicus, qui vitæ meritò miraculis etiam claruit: Bonifacius à Colle ab Alexandria Galliæ Ciſalpinæ Vrbe: Paulus Conſiliarius Romanus, & Ioannes Petrus Carrafa Neapolitanus Epiſcopus Theatinus, qui Epiſcopatu relicto poſt exactos in ea Religione aliquot annos à Paulo III. in Cardinalium Ordinem allectus. & anno 1555. Pontifex Maximus renunciatus Paulus IIII. appellari voluit, catholicæ fidei contra Hæreticos acerrimus propugnator, & Eccleſiaſticæ Reformationis, in quam non exiguam operam contulit, ſtudioſiſſimus: quæ omnia plenius deſcribuntur cap. 1. & 9. hiſtoriæ eorundem Clericorum Regularium, quam piè, ac diligenter nuper edidit generis nobilitate, ac pietate conſpicuus, Ioannes Baptiſta de Tufo ex eodem Ordine ad Epiſcopatum Acerranum aſſumptus.

De ſodalitijs Neapolitanis.

12 Nec ſolum Senis ex ſodalitio Virgini conſecrato, & Romæ ex ſodalitate diuini amoris Religioſorum plurimi, & Religionum Fundatores prodierunt: ſed in Vrbe etiam Neapoli, vbi cum multæ habeantur varijs in locis piorum hominum ſodalitates; vna tamen anno ab hinc nonageſimo eſt inſtituta, cui nomen eſt S. Maria ſuccurre miſeris, quam vulgo vocant *de li bianchi*, à linea, & candenti veſte, qua induti procedunt, dum munia ſua per Vrbem obeunt: eius ſodales fuere ſemper è primarijs, & clariſſimis viris, ſiuè cum in ea laici permixti erant Clericis: ſiuè cũ ex ſolis (vt nunc habet) conſtat Clericis. Præcipuum eſt eorum inſtitutum ijs, qui extremo ſupplicio afficiuntur, opportuno ſolatio, monitiſq; ad id tempus idoneis, & conſilio, & auxilio præſto eſſe; eosq; ad ſupplicij locum ſolemniter proſequi, conſolari, ac eorum mœrorem pro virili parte leuare. quin etiam eorum familias (ſi res ita poſtulet) in fidem ſuſcipiunt, & vxores, filias, ſorores honeſta dote collocant, certos ad id habent reditus, ſuaq; induſtria conſtitutos, multos etiam qui propter æris alieni difficultatem in cuſtodia detinentur, pecunia creditoribus perſoluta liberant, ad auram popularem vitandam mirum in modum ſe ſe ipſi occultant.

De Societate quam vocant de li bianchi ſub inuocatione Virginis.

Iuuant eos, qui extremo ſupplicio afficiuntur.

Collocant honeſtè cognatas reorum.

Ex eorum numero extitit Hector Pignatellus Hipponij vulgo Montis Leonis Dux vir ſpectatæ integritatis, & in Neapolitano Regno inter primarios. is cum audiſſet à Hieronymo Vignes viro integerrimo eiuſdem Congregationis ſodali, qui noſtrorum conſuetudine Patauij vſus erat, inſtituti noſtri rationem ad chriſtianæ rei propagationem in primis vtilem, à B Ignatio Societatis noſtræ parente exorauit, vt aliquot è Societate Ieſu mitteret, qui Neapolitani Collegij fundamenta iacerent; egitq; cum Prorege Neapolitani Regni, qui eo tẽpore erat Petrus à Toleto, vt idem per litteras à B. Ignatio peteret, noſtrosq; cum P. Nicolao Bobadilla, vno ex nouẽ B. Ignatij ſocijs, mẽſe Ianuario anni 1552. ab eodem B. Ignatio Neapolim miſſos humaniſſimè excipiendos curauit.

Hector Pignatellus, vnus ex ſodalibus Societatem Ieſu Neapolim euocandam curat.

Petrus à Toleto.

P. Nicolaus Bobadilla.

Ex eodem piorum virorum ſodalitio anno 1588. nonnulli Sacerdotes viri, & genere nobiles, & in cultu pietatis egregij, Religioſiſſimum Ordinem inſtituerunt Clericorum Regularium Minorum à Sixto V. confirmatum, ij fuere Auguſtinus Adornus Genuenſis, Franciſcus Caracciolus, Auguſtinus item Caracciolus Neapolitani; qui Neapoli auita iam familia celebre domicilium habent in æde ſacra B. Mariæ Maioris, quorum ſpectata virtus eidem Ciuitati Neapolitanæ, alijsq; Vrbibus, ac Prouincijs, ad quas in dies propagatur, magno eſt tum exemplo, tùm ornamento. Nam præter alias pietatis exercitationes, in perpetuam diu, noctuq; orationem, ſuccedentibus ſibi inuicem eiuſdem Ordinis Religioſis, coram ſacroſancta Euchariſtia incumbunt; quotidie etiam ex præſcripto Religionis eorum vnus pane tantum, & aqua veſcitur; alius verò cilicium ad carnem geſtat. Alius diſciplina ſe ipſum diuerberat ſic, vt nullus prætereat dies: quin eorum aliqui eiuſcemodi corporis caſtigationes ſubeant. Atque hæc omnia Neapoli ex ſodalitate, quam vocant *de li bianchi* ortum habuere.

Ex hac prodijt Ordo Clericorum Regularium Minorum.

CON-

CONGREGATIONVM, QVAE NEAPOLI IN SOCIETAtis domicilijs habentur, numerus, earumq; fructus.

13 QVoniam verò præclaræ huius ſodalitatis in vrbe Neapoli mentionem fecimus, non ab re erit hoc loco id quod ſupra polliciti ſumus, paucis ſubijcere, quę, quotuè ſodalitia hac vna in vrbe Societas Ieſu ſuis in domicilijs inſtituerit. Et quidem biennio poſtquam Patres noſtri in eam vrbem aduenerant, cum pietatis ſemina ſpargere iam cæpiſſent, anno Domini 1554. die 14. Ianuarij à viris ætate prouectioribus inſtituta eſt in Collegio noſtro Congregatio quædam, quæ nomen à veneratione ſanctiſſimi Sacramenti deſumpſit, quod eius ſodales crebram ſacramentorum ſuſceptionem Neapoli inducendam ſtuderent: id quod Dei ope feliciter præſtiterunt. Hanc Congregationem ex vrbe B. Ignatius Societatis noſtræ parens per litteras laudauit, approbauit, ſuaq; benedictione eſt proſecutus, eamq; ſic appellari voluit; quare Congregationum quas ego ſciam, quæ in Societatis domicilijs ſiue Romæ, ſiuè alibi habentur, hæc videtur omnium antiquiſſima: ad eam tamen non multis patebat aditus, ſed pauci admodum, ijq; maximè probati admittebantur, quæ anno 1610. Sodalibus id efflagitantibus in Domum Profeſſam eſt tranſlata.

Congregatio venerationis ſanctiſſimi Sacramenti Neapoli omnium in Societate antiquiſſima.

Sodalitia Neapoli in Societatis Ieſu domicilijs.

Cæterum hac omiſſa, quæ à veneratione ſanctiſſimi Sacramenti, vt dixi, eſt appellata; habet Societas noſtra in vrbe Neapoli, tum in Domo Profeſſa, tùm in Collegio (prętер illam nautarum, ac piſcatorum, quæ eſt in Domo Probationis, vt mox dicemus) Congregationes B. Virgini dicatas omnis generis, & ætatis hominum non minori ſodalium emolumento, quàm Ciuitatis bono, ad qnindecim, easq; frequentiſſimas, quarum ſingulis vnus ſaltem ex patribus præeſt; in quibus ſodales numerantur bis mille, & trecenti, & eo amplius: ex quibus innumeri ex ſeculari ad religioſæ vitæ ſtatum, in varias religioſorum hominum familias ſe tranſtulere.

Congregatio B. Virginis conceptæ ſcholaſticorum maiorum.

14 In Collegio (quod in ea vrbe multis ante annis fuit, quam Profeſſorum Domus fundata eſſet) Congregatio illa, cui ab immaculata Virginis Conceptione nomen eſt inditum, omnium prima fuit, quippe quæ anno 1574. die 13. Decembris eſt erecta: hæc ſcholaſticis conſtat ætate grandioribus, quos vocant ſtudentes. & vt omittam eos, qui ad Patriam reuerterunt, quorum numerus non facilè iniri poſſet; qui ad eam frequentes conueniunt (conueniunt autem ducenti circiter) ij ex vniuerſo ferè Neapolitano Regno ſtudiorum cauſa Neapolim confluunt, & partim Theologiæ, vel Philoſophiæ; partim Iuris prudentiæ, vel Medicinæ dant operam; atque abſolutis ſtudijs, vbi ad Patriam remigrarunt, ſuis monitis, & probitatis exemplis populares omnes ad pietatem inflammant. Nonnulli etiam Congregationes inſtar huius Neapolitanæ apud ſuos excitandas curant.

In eodem Collegio duæ adhuc Scholaſticorum iuniorum Congregationes habentur, altera anno 1579. inſtituta, altera verò aucto nimis ſodalium numero ſequentibus annis erecta.

Alia ſodalitia in eodem Collegio Deiparæ dicata.

In hoc ipſo Collegio ſex præterea honeſtorum Ciuium, partim mercatorum, partim vrbis opificum numerantur ſodalitia, in quibus maiores natu à iunioribus, ij etiam, qui in pietate diutius ſe exercuere ab alijs tyronibus diuerſa conſtituunt ſodalitia, quorum omnium ſodales Dominicis, feſtisq; diebus hora meridiana ſimul in Templo lectioni, qua capita fidei explicantur interſunt: hac abſoluta ad ſua ſinguli ſe recipiunt ſodalitia, quæ anno 1582. magno huius Ciuitatis bono inchoata, breuiſſimo temporis ſpatio tanta ſodalium confluentium multitudine ſunt auctæ, vt peculiarem Dei benignitatem hominum animas ſub Deiparæ patrocinio, cui hæc ſodalitia ſunt dicata, ad ſe pertrahere volentis, omnes agnoſcerent pariter, ac laudarent: & niſi loci anguſtiæ, & ratio ipſa Collegij, quod litterarijs exercitationibus ex inſtituto pręcipuè vacat, vetuiſſent, in longè maiorem ſodalium, & ſodalitatum numerum excreuiſſent.

Ad hæc in eodem Collegio Dominicis, atque feſtis diebus in quandam Aulam quamplurimi pueri conueniunt, qui centum & quinquaginta circiter, & interdum eo amplius numerantur, quibus recitatis Litanijs doctrinæ capita, & præcepta benè viuendi ab vno è noſtris traduntur: qui etiam ſi ſodalitatis formam non habent, ſpontè tamen

ſua

ſua magna cum rerum ſpiritualium auiditate gregatim eo confluunt.

15 Præter has, quas recenſuimus ſodalitates, aliud in eodem Societatis Collegio, ſub titulo Purificationis Dei genitricis, piorum hominum eſt inſtitutum ſodalitium; qui chriſtianorum mancipijs Mauris, Turcis, Aethiopibus ex impura Mahometis ſecta ad chriſtianam fidem traducendis operam ſuam omnem ponunt. Hi enim huiuſmodi infideles diligenter inquirunt, ad noſtros pertrahunt. Hi per ſeſe, vno ex noſtris præſide, in certum Collegij locum conueniunt, vbi ſodalium munera obeunt. In aliam verò proximam aulam, quaſi ſub horum pia ſollicitudine, ventitant tum ij, qui ex mancipiorum genere, ſacro baptiſmate ſunt luſtrati; tum etiam Catechumeni: quibus omnibus chriſtianæ fidei capita ab vno è noſtris memoriter ediſcenda traduntur, & explicantur. ibi Neophyti inſtruuntur, vt in pietatis ſtudio radices profundiores agant: quædam etiam pietatis officia, quæ in Sodalitatibus fieri ſolent, ab illis magno cum feruore præſtantur. Et ſanè fructus, Dei, ac Deiparæ ope, non pœnitendus extitit: hoc enim proximo ſeptennio ad trecenta circiter capita noſtrorum opera ſacrum baptiſma ſuſcepere. Atque ex his complures pœnitentiæ, & ſacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramenta crebrò vſurpant. Nec in poſtremis hoc charitatis opus Neapoli reponendum videtur; ſiquidem in libro ſeptimo Reuelationum ſanctæ Brigittæ cap. 28. Beatiſſima Virgo inter peccata, quæ Neapoli fieri, & Chriſto valde diſplicere teſtatur, primum illud fuit, quod multi mancipia ſua ad Chriſti fidem traducere negligerent: vel ſi iam illam amplexati eſſent, in eadem inſtrui non curarent. Ex quo facile colligimus quanti ſit facienda pia hæc infideles ad Chriſti fidem conuertendi ſollicitudo: quam Paulus Quintus ſummus Pontifex ita probauit, vt ſuo diplomate anno 1605. menſe Nouembri, Cardinali Bellarminio hoc procurante, id magnopere commendarit; ad decennium ampliſſimas Indulgentias nominatim conceſſerit, tum ſodalibus Oratorij Purificationis Neapoli erecti, tum etiam Patribus Societatis, qui eius Oratorij curam habent, & Dominis etiam, qui ſua mancipia, vt inſtruantur, eo mittunt.

Sodalitas Purificationis, in qua Infideles fidei chriſtiana præceptis imbuuntur.

S. Brigittæ Reuelatio.

Paulus V. Pontifex.

Cardinales Bellarminus.

16 Biennio antequam hæc ederemus, ideſt anno 1611. menſe Iulio in eodem Neapolitano Societatis Collegio, principium factum eſt Congregationis Clericorum, ſub titulo beatiſſimæ Virginis Aſſumptæ, quæ breui in tantum ſodalium numerum excreuit, vt ſodales in præſenti anno numeret plures quadrigentis, in his Neapolitani Cleri Sacerdotes, quoſdam Primarios, & Epiſcopos omninò quatuordecim, qui in ſodalium album aſcribi voluere; & ad ſodalitatem, quantum eorum occupationes patiuntur, veniunt: eius Congregationis inſtitutum eſt, Sacerdotes in modo iuuandi proximos informare, quo maiori cum miniſtrorum, ac populorum profectu ea munera obeant, quæ propria ſunt Sacerdotum. Conueniunt bis ſingulis hebdomadis, vno die profeſto à prandio, quo traditur modus recitandi Horas Canonicas, faciendi ſacrum, meditandi, concionandi, docendi pueros, ac rudes doctrinam chriſtianam, audiendi confeſſiones; tradendi alijs, & præſertim Monialibus exercitia ſpiritualia: modus item inſtruendi Patres familias ad liberos, ac domeſticos chriſtianis moribus informandos, aliaq; his ſimilia peragendi, quæ ad Sacerdotis munus in animabus iuuandis pertinere poſſunt. Altero die, qui Dominicus dies eſſe ſolet à prandio, (hoc enim tempus Clericis ad conueniendum opportunum viſum eſt) frequentant ſodalitium ij tantum, qui aliquot ante admiſſionem diebus exercitijs ſpiritualibus exculti, formula quadam Propoſiti ſe totos beatæ Virgini ad iuuandos ad æternam ſalutem proximos deuouent, ſuiq; oblationem Deiparæ fecerunt, vt propterea Oblati vocentur. Itaquè in hac priuata Oblatorum Congregatione tria peragi ſolent: vnum eſt exerceri ſodales vmbratili quadam ſpecie, quæ præparet ad munus ſerium in concionibus, atque exhortationibus habendis, in docenda doctrina chriſtiana, in modo confeſſiones audiendi, & inſtruendi eos, qui peccata confitentur, in experiendo cætera munia, de quibus in Congregatione publica inſtructiones acceperunt. Alterum eſt per quartam horæ partem varia mortificationum genera obire, quæ valent ad humilitatem, ac pietatem chriſtianam inſerendam, ac conſeruandam. Tertium eſt quadrantis item ſpatio omnes ſimul aliquid pium meditari. Sexto autem quoque menſe pietatem, ac ſpiritus feruorem inſtaurare conantur: nam oblationem, qua ſe Virgini

Congregatio Clericorum Neapoli.

Pietatis munera, quæ in hac Congregatione exercentur.

Alia Oblatorum B. Virgini exercitationes.

deuinxere renouant; præmissa confessione generali, quam ex generali vltima inchoant. cuius testimonium à confessario scriptum exhibent. Credi vix potest quantus ex hac opera fructus cæperit existere. Plurimi sodalium, qui tum ex Episcoporum, tum è Sacerdotum exterorum numero Neapoli ad suas Diœceses rediere, accensi desiderio iuuandi suos populos, renouarunt in suis Vrbibus, & Oppidis perutile doctrinæ christianæ exercitium, inuexere frequentem Sacramentorum vsum, Congregationes erexere tum Laicorum, tùm etiam Clericorum. Neapoli autem à sodalibus, qui ad confessiones audiendas sunt approbati, inuisuntur vincti tum in custodijs, tum in triremibus, & excoluntur exhortationibus, erudiuntur christiana doctrina, expiantur pœnitentiæ Sacramento. Mulierum cœnobia, qua sermone, qua exercitijs spiritualibus, qua Religiosorum votorum crebra renouatione, præmissa confessione generali, ad strictiorem, perfectioremquè viuendi rationem à suis confessarijs, qui hoc sodalitium frequentant, excitantur. Et sanè in compluribus ex Clero magna apparet sanctitas, magna in celebrandis Missis, in recitandis Horis Canonicis pietas non absque magna populi ædificatione. Atque hæc quidem initia spem omnibus faciunt fructus multo vberioris.

Animarum fructus, qui ex Clericorum Congregatione proueniunt.

Congregatio Ludimagistrorum Neapoli.

17 Mense Octobri insequentis anni 1612. in eodem Collegio instituta est Congregatio Ludimagistrorum. Cum enim morum in Christiana Republica renouatio maxima ex parte pendeat ex bona puerorum institutione, Christianus autem populus suos pueros per Ludimagistros ferè instituere soleat; quis non videt quanti referat Ludimagistros pijs exercitijs excolere, eosquè erudire in modo informandi pueros bonis moribus, ac pietate christiana? Itaque in hoc sodalitio id potissimum agitur, vt Ludimagistri proficiant in spiritu, christianæ iuuentutis iuuandæ zelum concipiant, discant varios modos, quibus puerorum animis Dei cognitionem instillent, malos mores ex eisdem euellant, & imbuant ijs virtutibus, quibus cum robustioris ætatis fuerint, christianæ Reipublicæ & adiumento, & ornamento esse possint. Ad hunc finem impressa est instructio quædam pro Ludimagistris, ex qua ferè sumuntur exhortationes, quæ ad ipsos habentur in sodalitio, quæq; à sodalibus omnibus in suis scholis obseruari debet. Et certè si huiusmodi cœptis annuat Deus, quod speramus; non dubitamus fore, vt breui maxima futura sit morum renouatio, & aliæ Vrbes idem exemplum sint secuturæ.

Congregationes B. Virginis in Domo Professa Neapolitana.

18 In Domo verò Professa Congregatio, quæ cæteris in eadem Domo præstat, est illa, cui B. Virginis Natiuitas nomen dedit, nobilissimis, primarijsq; viris, atque ex ijs compluribus, qui Magistratum gerunt refertissima, anno 1586. mense Ianuario instituta. Hæc præter ea, quæ ad sodalium pietatem spectant, aliaq; cum cæteris Congregationibus communia, quibus apud alios Ciues magnam probitatis opinionem eius sodales sunt consecuti, illud habet peculiare, quòd ingenti pecuniæ summa à sodalibus vltrò corrogata, quæ ad duo circiter aureorum millia in singulos annos ascendit, pauperum hominum, & honestarum familiarum, quos à publicè mendicando pudor arcet, transmissa ad illarum vsque domos eleemosyna inopiam subleuant.

In hac ipsa Domo Sacerdotes, & Clerici ad suam peculiarem Congregationem, quæ mense Februario anni 1593. est instituta profesto hebdomadæ die (ne festis à Templo abesse cogantur) conueniunt. Ad hæc duæ aliæ Congregationes ad Domum Professam spectant honestorum Ciuium, tum eorum, qui aliquod munus in Curijs Magistratuum huius Regni exercent, & Curiales vulgus appellat, tum Mercatorum, vel etiam Vrbis opificum. Alia denique famulorum, qui quo tempore in Congregatione illa Virginis natæ sui Domini detinentur, ipsi quoque alio in loco ad pietatem instituuntur, & exercentur.

Nautarum, ac Piscatorum Congregatio in Probationis Domo Neapolitana.

19 Ad extremum non est silentio prætereunda Congregatio Nautarum, ac Piscatorũ, qui in eo suburbio Neapolitano degunt, quod à plaga maritima corrupto vocabulo *Chiaia* vulgus appellat, & ad proximã Societatis nostræ Probationis Domum, cui à Virgine Annuntiata est nomen in ea Ciuitatis regione sitam, quam Aeglam, vulgo *Echiam* dicũt, conueniunt. Hęc Congregatio mense Decẽb. anno 1609. instituta est cum eodem anno propter rei familiaris angustias, quibus Collegium Neapolitanum præmebatur,

Noui-

Nouitijs Maſſam ad tempus aliquod concedentibus ij ex noſtris, qui Theologiæ dant operam, ad eam Domum commigraſſent; & ex eo loco in illud ſuburbium, atque in alias Ciuitatis proximas regiones, Dominicis, Feſtisq; diebus, tum in plateis, tum in Templis doctrinam chriſtianam tradendo, homines ad peccatorum pœnitentiam inuitando, quod Nouitij non ita præſtare poterant, de more excurrerent. Qua in re quantum Dei ope profecerint, teſtatur magna hominum multitudo vtriuſque ſexus hoc tempore ad Templum illud Sacramentorum pœnitentiæ, & ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſuſcipiendorum cauſa adeuntium: proximo enim feſto Pentecoſtes octingenti circiter fuere; teſtatur & vitæ, ac morum in illis regionibus non ſine magna omnium admiratione in melius facta mutatio. In Congregatione verò Nautarum ſodales numerantur ducenti, qui in pietate adeò proficiunt, vt multos iam annos in ſancta viuendi ratione ſe exercuiſſe videantur.

Atque hæc de ſodalitijs, quæ in domicilijs Societatis Ieſu Neapoli ſunt inſtituta. Ex quibus quiuis coniecturam facere poterit de Congregationibus, quæ in vniuerſa Societate non tantum in Europa, ſed in Orientis, & Occidentis ſolis Indijs plurimæ, & frequentiſſimæ habentur.

EPILOGVS TOTIVS OPERIS.

Totius operis concluſio.

HIS igitur de ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ laudibus ſub diuini Throni typo adumbratæ; atque de pietate, qua eam venerari debemus, vtcumque pertractatis, vela contrahentes vniuerſæ huic diſputationi finem imponamus. Et ſi enim (vt rectè Bernardus ait) non eſt, quod magis nos delectet; ſed nec eſt, quod terreat magis quàm de gloria Virginis Mariæ habere ſermonem. Quòd ſi quid boni ipſa Magiſtra in hoc opere de eius laudibus dictum eſt, in eam (vt par eſt) referatur: ſi quid verò noſtra imperitia, ac ruditate minus dignum eius maieſtate locuti ſumus, veniam ab ipſa precamur. Interea illud ſuppliciter, atque obnixè te Virgo ſanctiſſima rogamus, & obſecramus, vt hoc qualecumque noſtrum munuſculum, & dignitati, ac promeritis tuis longè impar obſequium pro tua benignitate ſuſcipere non dedigneris. & quæ Thronus es Dei, multis ei nominibus proxima, atque auctoritate, & gratia apud eum polles maxima, quæ Matris, & Aduocatæ noſtræ nomen, ac munus ſuſtinere non dedignaris, erga me, cæteroſq; omnes famulos tuos monſtres te eſſe Matrem. Fac ò pijſſima Mater, vt re ipſa tantæ tuæ dignationis effectum in nobis experiamur. Quamuis enim non me lateat Virgo ſanctiſſima egregiè in nos obire te munera Matris, & vnicuique noſtrum meritò te dicere poſſe, Monſtra te eſſe filium: nec enim me fugit (quid enim me fugiat, cum in me ipſe quotidie experiar) nos pro auguſtiſſimæ Matris beneficentia, & amplitudine charitatis, pro noſtrarum virium imbecillitate filiorum partes minimè ſuſtinere, & propter noſtra demerita indignos planè eſſe, qui filij tui nominemur, ac ſimus; Vellem namq; Mater benigniſſima, vt tantum in noſtris meritis eſſet ponderis, quantum eſt in tua charitate momenti; memineris tamen Mater ſanctiſſima, quando æqua in lance non ſumus, dictum tibi prius fuiſſe: *Ecce filius tuus*, quam Ioanni, *Ecce mater tua*. Quo circa tu prius aberrantes nos, & à recto virtutis tramite per abrupta vitiorum longiſſimè digreſſos quærere, inuenire, & ad diuinorum mandatorum viam charitatis tuæ nutu efficaciter reuocare digneris; vt ea ſaltem ratione nos tibi filios exhibeamus. Compatere Domina, figmento noſtro, quod luteum, quod leue eſt, quod ad mala procliue. Conniue tantiſper in erratis noſtris, purga nos apud eum, quem ob noſtra demerita meritò timemus, filium tuum Dominum noſtrum. Tu enim es ſpes vnica peccatorum: per te ſperamus delictorum veniam, & in te beatiſſima noſtrorum eſt expectatio præmiorum. Nos verò omnes (vt verbis vtar ab Apoſtolo mutuatis; quæ & noſtrę huic de Throno Dei diſputationi congruunt.) Adeamus cum fiducia ad hunc Thronum gratiæ, Deiparam ſcilicet, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Ipſa enim, ex Iſaia, eſt *ſolium illud in miſericordia præparatum*

Bernardus ſermone 4. de Aſſumptione.

Precatio ad Virginem.

Apoc. 4.

Monſtra te eſſe Matrem.

Ioan. 19: B. Virgo nos ipſa prius quæritat quam nos illã.

Auguſtinus ſermone 18. de Sanctis.

Ad B. Virginem accurramus. Hebr. 4.

Iſa. 16.

Agno dominatori Terræ ; & ſedebit ſuper illud in veritate in Tabernaculo Dauid , iudicans & quærens iudicium , & velociter reddens , quod iuſtum eſt . ita apud Iſaiam. Qui ergo miſerijs premimur,ærumnis vrgemur,calamitatum fluctibus vndiq; iactamur, ad Matrem miſericordiæ , quæ ſolium eſt in miſericordia præparatum , in quo reſidet Deus pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, accurramus; Deiparæ Virgini diuina opitulante gratia ſeruos, ac filios obſequentes,minimeq; degeneres ipſi exhibeamus : illi nos noſtraq; liberaliſſimè offerentes , eius efficaciſſimum , ac ſimul præſentiſſimum apud Deum patrocinium imploremus , vt eius beneficio miſericordiam tandem conſecuti , in Cœleſti Patria Chriſtum Ieſum , eius filium laudare , benedicere, & glorificare mereamur;cui ſit cum Patre,& ſancto Spiritu omnis laus , honor , gloria in ſæcula ſæculorum . Amen .

∴

F I N I S.



PRAXIS EORVM,

QVAE IN SVPERIORIBVS CAPITIBVS de pietate, ac deuotione erga Virginem Deiparam fusius habentur, quæ seorsim ad piorum vsum excudi posset.

SVMMARIVM.

Septem capita, quibus ad deuotionem erga Virginem excitamur nu. 1.
De animi affectibus, pletatisq; operibus, quibus erga Virginem deuotio exercetur nu. 2.
De oblatione, quam vnusquisque Virgini sanctissimæ facere potest nu. 6.
Ratio commendandi se beatissimæ Virgini Dei Genitrici Mariæ tum mane, tum vesperi ibidem.
De Corolla B. Virginis duodecim salutationum Angelicarum nu. 7.
Litaniæ B. Virginis, quæ singulis diebus sabbatis, & festis eiusdem B. Mariæ cantantur in sancta æde Lauretana nu. 8.



IT quæ de deuotione erga Virginem pluribus egimus, cuilibet facilius ad manum esse possint, omissis Patrum auctoritatibus, alijsq; rationibus, & miraculis, quibus omnia confirmare studuimus; ad eam, quæ sequitur, methodum illa redigenda curauimus. & primum capita, seu rationes ponemus, quibus ad deuotionem erga Virginem inflammemur, quorum singula per se alijs seclusis, si magnum à nobis erga Deiparam deuotionis affectum exigunt; quanto ergo maiorem, cum omnia simul in Virgine cumulatissimè inueniantur? Deinde de ijs animi affectibus, & actibus, quibus hæc deuotio exercetur, agendum erit. *Praxis.*

SEPTEM CAPITA, QVIBVS AD DEuotionem erga Virginem excitamur.

PRimum, quia Mater est Christi Domini, cui omnia nostra debemus, quam Christus tantopere honorauit ipse, & ab omnibus vult honorari. *Deuotionis erga Deiparam excitandæ rationes.*

Secundum, propter innumera, eaq; ingentia, quæ in nos Virgo sanctissima contulit beneficia: tum generalia, quæ ad vniuersum hominum genus pertinent, præsertim quia Christum, à quo redempti sumus, & quo in sanctissima Eucharistia pascimur, nobis ex suis visceribus protulit: tùm etiam particularia, quæ quilibet se à Virgine accepisse cognoscit; & occulta, quæ ipsi ignoramus, siuè cum multa, quæ nos latent contulit bona, siuè cum à multis, quæ nobis impendent. periculis seruat.

Tertium, propter ea, quæ nos miseri, & egentes ad omne bonum imbecilles, & à dæmone acriter oppugnati à sanctissima Virgine eius apud Deum patrocinio, vt ad vitam tandem perueniamus æternam, in futurum speramus. ipsa enim Mater est misericordiæ, Aduocata nostra, & apud Christum Iudicem omni pollet auctoritate, estq; illi gratissima, nec patitur repulsam.

Quartum, quia mater eſt viuentium, & mater noſtra, cui à Chriſto in cruce in filios traditi ſumus in Ioanne illis verbis: *Ecce filius tuus.* Cumq; illa in nos matris munera egregiè præſtet; nos quibus Chriſtus in Ioanne dixit: *Ecce Mater tua*, illam magno affectu velut matrem colere, ac venerari debemus. & quemadmodum Ioannes ex illa hora accepit eam in ſua: ita & nos abſque mora in intima noſtri cordis penetralia per peculiarem deuotionem, ac reuerentiam accipiamus.

Ioan. 19.

Quintum, Virginis deuotio inter præcipua prædeſtinationis ſigna connumeratur, iuxta illud Eccleſiaſtici 24. *In electis meis mitte radices:* quare omni ſtudio procuranda.

Eccl. 24.

Sextum, propter ſpiritualem vtilitatem, atque dulcedinem, quam eius deuotio in noſtris animis gignit, quibus non ſecus, ac Dei Arca in domum Obededom (2. Reg. 6.) illata omnem Domini benedictionem affert.

2. Reg. 6.

Septimum, Exemplum ſanctorum, qui ab initio naſcentis Eccleſiæ omnes Virginis deuotiſſimi fuere: *Vultum enim tuum deprecabuntur omnes diuites plebis* Pſal. 44.

Pſal. 44.

DE ANIMIS AFFECTIBVS, PIETATISQ; operibus, quibus erga Virginem deuotio exercetur.

2 AD Virginis deuotionem ſex actus erga eam exercendi ſunt, ſcilicet.

1. Amor.
2. Reuerentia.
3. Congratulatio.
4. Fiducia.
5. Imitatio.
6. Obſequia.

Amor erga Deiparam.

Primus actus ſit amor ſinceriſſimus, & feruentiſſimus erga Virginem, qui excitandus eſt conſideratione dictorum capitum, quibus ad deuotionem Virginis inflammari diximus: ſed peculiariter, hæc, quæ ſequuntur, ad id conducent.

Luc. 1. & Matth. 1.

1. Quia Mater eſt Chriſti, quem ſola de Spiritu ſancto concepit. quod ſi Chriſtum, qui eſt noſtra redemptio, & cibus noſter in ſanctiſſima Euchariſtia, ſummè diligimus, poſt eum ipſius matrem, quæ tantum bonum nobis attulit, diligamus.

Matth. 26.

2. Quia Virgo ſanctiſſima mater noſtra eſſe dignatur, & munera matris erga nos exercet.

Prou. 8.

3. Quia amat nos, & peculiariter ſuos deuotos, iuxta illud Prou. 8. *Ego diligentes me diligo.* Amor autem non niſi amore compenſatur.

4. Propter ingentia beneficia, quæ in nos confert, cum ſit Mater miſericordiæ, & Aduocata mundi, nosq; contra dæmonem iuuet, atque tuetur.

5. Propter ſuam inſignem ſanctitatem, atque præſtantiam, qua ab ipſo Deo diligitur, quare & à nobis præcipuè eſt diligenda.

Reuerentia.

Secundus actus eſt reuerentia erga Virginem Corde, & corpore exhibenda, quam illi debemus.

1. Quia eſt vera Mater Dei, cui ideò hyperduliæ adoratio tribuitur, & ſuper omnes Angelos, ac ſanctos eſt ſublimata.

2. Quia Mater noſtra eſſe dignatur: tali autem matri ſingularis debetur Reuerentia.

3. Cùm ſit Mater Dei, eſt Regina, ac Domina omnium: ideoq; hoc etiam nomine reuerentiam exigit.

4. Reuerentia excellentiæ, & virtuti debetur: quare Virgo propter ſuas excellentes, ac heroicas virtutes præ omnibus puris creaturis eſt honoranda; & ideò Iudith 15. *Gloria Hieruſalem, lætitia Iſrael, honorificentia populi noſtri* dicitur.

Iudith 15.

Ariſtoteles.

5. Si ex Ariſtotele 1. Rhetor. cap. 15. honorandi ſunt ij, qui beneficia præſertim non vulgaria dedere, vel dare poſſunt; quantus honor exhibendus Deiparæ propter beneficia ad ſalutem animæ, & corporis ab ea accepta; & propter ea, quæ ab ipſa ſperamus? ideò ad eius Imagines, Nomen, Laudes, & ſimilia, humiliter caput inclinemus, preces ad eam flexis genibus fundamus.

Congratulatio.

Tertius actus eſt Congratulationis, quo intimè Virgini congaudemus de eius gloria, & de omnibus eius bonis, ac ineffabilibus priuilegijs à Deo ipſi collatis, Deumq;

propte-

propterea laudemus,eiq; ingentes gratias agamus, quòd eam ita euexerit, illiq; ea dona largitus fuerit ; qui actus congratulationis ex amore, quo Virginem prosequimur, oritur.

Quartus actus est Fiduciæ,qua post Deum in illa fiduciam nostram collocemus. & ita Bernardus sermone de Aquæductu: *Filioli hæc peccatorum scala,hæc mea maxima fiducia est,hæc tota ratio spei meæ.* Ad hanc fiduciam excitari possumus,si recogitemus, *Fiducia.* *Bernardus.*

1. Ipsam esse Matrem Dei,atque adeò potentissimam ad nos iuuandum.

2. Ipsam non solum posse: sed & velle nos iuuare,cum sit Mater misericordiæ, Aduocata, Mediatrix, & Domina nostra, Mater item nostra, & diuinarum gratiarum dispensatrix.quæ omnia si attentè expendantur, facilè intelligemus illam velle nos iuuare:ac proinde hæc omnia maximam in nobis fiduciam in Deiparam gignent.

3. Quia peculiariter Deus per eam caput serpentis venenati, qui circuit quærens, quem deuoret,conterendum pronuntiauit. *Genes. 3.*

3 Quintum, quod ad Virginis deuotionem facit, est præclarissimarum eius virtutum imitatio,quæ licet non possint omnes hoc scripto enarrari, de quibus Ambrosius lib. 2. de virginibus; tamen præcipuas indicabimus. *Imitatio.* *Ambrosius.*

1. Sit integra, & accurata mandatorum Dei obseruatio, cauendo ab omnibus peccatis mortalibus, & pro virili parte nostra etiam à venialibus : ipsa enim è cœlo idem nobis inclamat,quod olim ministris in nuptijs in Cana Galileæ, post preces ad filium pro defectu vini factas : *Quodcumque* scilicet *dixerit vobis facite*, ne precum suarum fructus culpa nostra impediatur. *Luc 2.*

2. Humilitas Virginis profunda; quam respexisse Deus ipsamet in cantico fatetur. *Luc. 1.*

3. Virgininitas,& castitas purissima corde, & corpore.

4. Amor erga Christum,quem perpetuò vsque ad crucem est comitata, & post Ascensionem loca Christi memoria clara obibat, sacramq; Eucharistiam quotidiè deuotissimè sumebat:quem Christi amorem,& Eucharistiæ sacrosanctæ deuotam,& crebram iuxta nostrum statum sumptionem imitari studeamus. *Ioan. 19.*

5. A teneris,cum esset trimula in Templo se Deo dicauit,vbi præcipuè orationi vacabat:in tota etiam vita paupertatis, castitatis, & obedientiæ, silentij,& aliarum virtutum exempla nobis reliquit. quare qui religiosæ vitæ desiderio tenentur, habent in Virgine,quod imitentur.

4 Sextum,quod ad Virginis deuotionem requiritur,sunt obsequia, quibus Virginem colere debemus. & quidem inter obsequia Virgini grata plurima connumerantur : ea verò sunt in sodalitem Rosarij cooptari. Habitum paruulum B.Virginis à Carmelo gestare: alicui Congregationi B. Virginis nomen dare, & statis diebus ad illam venire, eiusq; regulas exactè seruare.Sed ad particularia veniamus,hæc autem ad tria genera reuocantur. *Obsequia.*

1. Sunt preces,quibus eam laudamus, & vt nobis auxilietur,inuocamus.

2. Ea,quæ ad corporis mortificationem pertinent.

3. Quæ ad opera misericordiæ corporalis,& spiritualis spectant.

Et quod attinet ad preces, & inuocationem,animaduertendum est, vt preces nostræ Virgini sint gratiores,& ad impetrandum efficaciores,curandum Primo,vt è corde mundo procedant. Secundò,vt non oscitanter,& cum animi euagatione:sed attentè, & feruenter persoluantur : præstat enim paucas cum deuotione, quàm sine hac multas recitare. Tertiò, quæ semel in honorem Virginis facienda proponuntur, non facilè & quauis occasione negligenda.Multa verò sunt,quæ ad hoc caput de precibus reuocari possunt,præter illud,quod est legere,ac meditari eius vitam,actiones,& virtutes, quod nobis vtilissimum, Virginiq; est acceptissimum ; sic enim maiorem erga eam amorem, ac reuerentiam concipiemus,magisq; eam imitari poterimus. *Preces,quæ in Deiparæ honorem offerri possunt.*

Primum est,vt à Sacerdotibus missas de B.Virgine celebrari curemus.

Secundum, priuatæ preces, quas quiuis pro sua pietate facere poterit ; Nos aliquas commemorabimus,exempli causa.

1. Preces illæ,quibus mane,& vesperi nos ei commendemus;cuius exercitij formulam mox ponemus.

2. Ad

2. Ad pulſum ſalutationis Angelicæ, qui ter in die dari ſolet, reuerenter eam ſalutare, aliosq; ſi opus erit conſilio, & exemplo ad hoc idem faciendum permouere.

3. Ad Virginis nomen pronunciatum, reuerenter caput inclinare.

4. Cum è domo progrederis, vel reuerteris, per ſalutationem Angelicam te, tuaq; negotia Virgini commendes, benedictionemq; illo verſiculo: *Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria*, petas.

Officium Eccleſiaſticum.

5. Gaudia Virginis, quæ in terra habuit, quotidie cum ſalutatione Angelica recole; eademq; ratione eiuſdem dolores, & pariter gloriam, qua nunc perfruitur in cęlo.

6. Cum aliquam Virginis Imaginem conſpexeris. } B. Virgini per ſalutationem Angelicã te commendes.
Cum horologium horarum ſignum dat.
Cum noctu expergiſceris.
Cum aliquid inchoandum, vel negotium aliquod tractandum.

Officium Eccleſiaſticum.

7. Sunt etiam Hymni, *Aue maris ſtella. O Glorioſa Domina. Salue Regina. Magnificat.* & in Officio paruo B. Virginis. *Obſecro te Domina. O Intemerata. Stabat Mater doloroſa*, & alia, quæ pro opportunitate, & vniuſcuiuſque deuotione recitari poſſunt.

Tertium, Officium, quod vocant paruum B. Virginis.

Quartum, Litaniæ *B.* Virginis.

Quintum, Roſarium Virginis, quod tres quinquagenas ſalutationis Angelicæ, præmiſſæ ad ſingulas decadas oratione Dominica, continet, cuius Confraternitati aſcribẽdum te cura, & ſertum pariter benedicendum: huius Roſarij multiplex eſt vtilitas. Prima Indulgentiæ plurimæ illud recitantibus conceſſæ. Secunda, participatio meritorum huius tam amplæ Confraternitatis per vniuerſum orbem diffuſæ. Tertia, commemoratio præcipuorum vitæ Chriſti, & Virginis myſteriorum. Quarta, repetitio præcipuarum, & dulciſſimarum orationum, quæ ſunt oratio Dominica, & ſalutatio Angelica: quare quilibet Virginis deuotus Roſarij, vnam ſaltem quinquagenam quotidie recitare deberet.

Matth. 6. Luc. 1.

Sextum, Corona B. Virginis, in quam aliqua, quæ de Roſario diximus, conueniunt.

Septimum, Corolla Virginis duodecim conſtans ſalutationibus Angelicis, & tribus Orationibus Dominicis in memoriam duodecim priuilegiorum, quibus à tribus perſonis diuinis Virgo fuit donata, ea formula, quam infra ſubijciemus.

Corporis mortificationes in honorem Deiparæ.

Circa ſecundum de operibus ad corporis mortificationem ſpectantibus, quæ in honorem Deiparæ fieri poſſunt.

1. Ieiunium die ſabbati, & in vigilijs feſtorum B. Virginis.

2. Singulis hebdomadis die illo, in quem eo anno incidit feſtum Annunciationis ieiunare, vel abſtinere à carnibus, vel die Martis Virgini à Conſtantinopoli: vel die Mercurij Virgini à Carmelo dicato, idem quod de die Annuntiationis diximus, facere.

Bonauentura.

3. S. Franciſcus ex S. Bonauentura cap. 9. vitæ eius, à feſto Apoſtolorum Petri, & Pauli vſque ad diem Aſſumptionis, quadrageſimam in Virginis honorem faciebat, & deuotiſſimè ieiunabat: cuius pietatem imitari poſſemus, etiam ſi per valetudinem, vel aliud impedimentum ieiunare nobis non liceret, ſi per illud tempus aliquam ciborum abſtinentiam fecerimus.

4. Cilicium, vel cingulum cilicinum aliquando geſtare.

5. Diſciplina ſe diuerberare.

6. In lecto duro iacere, vel vigilare.

7. Peregrinatio ad Virginem Lauretanam, vel locum alium celebrem Virgini dicatum.

8. Huc ſpectant in honorem Virginis mortificationes internæ cupiditatum, & animi paſſionum, cuiuſmodi ſunt iracundiæ, ſuperbiæ, ambitionis, carnis illecebrarum, item alienos defectos æquanimiter tolerare, ſuos non excuſare. Humilitatẽ, paupertatem omni faſtu, & luxu remoto ſectari: in operibus vilibus, & abiectis ſtrenuè ſe exercere.

Opera miſericordiæ corporalis.

Circa tertium operum genus, quæ in Virginis honorem fieri poſſunt, opera ſunt miſericordiæ corporalis, & ſpiritualis.

1. Elee-

1. Eleemoſyna, præſertim cum Virginis nomine petitur, ſiuè fiat erogando pecuniam,ſiuè veſtes,ſiuè panem,vel alios cibos.

2. In Hoſpitalibus,& Xenodochijs ægrotis,& pauperibus miniſtrare.

3. Viſitare eos,qui in carcere detinentur.

4. Dotem pauperculis mulieribus aſſignare,vt in matrimonium collocẽtur,vel quod melius eſt, vt inter moniales cœnobium ingrediantur.

Opera miſericordiæ ſpiritualis.

1. Ad opera verò miſericordiæ ſpiritualis pertinet,eos,qui in peccatis ſunt,conſilio, & opera ſua ad confeſſionem ſacramentalem inducere.

2. In alijs pietatem erga Virginem inſtillare, vt omnes eam agnoſcant, ament, ac reuereantur.

3. Vt Congregationi B.Virginis nomen dent.

4. Ad Roſarij recitationem,ad ieiunium ſabbati,& ſimilia pietatis opera inducere.

5. De Virginis laudibus,& miraculis, vbi ſe offert occaſio libenter ſermones miſcere,præſertim ſabbato,& feſtis B.Virginis,eiuſq; peruigilijs.

6. Hoc ipſum Concionatores, qui Virginis deuotionem profitentur,in ſermonibus ad populum facere deberent.

7. In ſingulis feſtis B. Virginis, omnes Virginis deuoti, ſed præſertim, qui ſunt ex Congregatione *B.*Virginis,quibus cordi eſſe debet non tantum ſalus propria, ſed iuxta ſuam vocationem,etiam aliorum ſalus, dicta obſequia erga Virginem renouare, ſeu inſtaurare, & augere ſtudeant: & aliquem in honorem Virginis ad confeſſionem, & ſanctiſſimam Euchariſtiam,& ſi fieri poterit etiam ad Congregationem adducere.quod,vt facilius ex ſententia cedat, Virgini hoc prius commendent, & ante aliquot dies huic operi vacẽt; imò vniuerſam familiam,parentes,fratres,ſorores,filios,famulos,famulasq; ad pietatem erga Virginem, & dicta in eam obſequia, præſertim ad Sacramentorum frequentiam,ad recitationem Roſarij,& ſabbati ieiunium adducèt.quod idem cum cognatis,amicis, vicinis, omnibusq; quibuscum agunt: præſtare deberent, quod maximi apud Deum meriti,Virginiq; gratiſſimum; & ſi ad hoc ſerio animum applicent, vnicuique facillimum erit.

Deniq; in honorem Virginis quilibet eius Congregationi nomen dare, in eaq; ſemper aſſiduus eſſe curet;præſcriptis diebus ad ſacram Euchariſtiam accedat,aliasq; regulas exactè ſeruet: ſic enim occaſione Congregationis, & preces, & corporis mortificationes, & opera charitatis erga proximos tum corporalia,tùm ſpiritualia exercebit.

DE OBLATIONE QVAM VNVSQVISQVE *Virgini ſanctiſſimæ facere poteſt.*

Oblatio ſui ipſius Virginis facienda.

6 SEd illud lectorem monitum velim,vt is,qui Virginis deuotionem amplecti cupit,ſemel quaſi ſolemniter coram celebri aliqua Virginis Imagine,cogitatione ad pedes Virginis ſe ſtatuat,præſentibus Angelis ſanctis Michaele, Gabriele, Raphaele, atque Angelo Cuſtode, necnon Sanctis ſibi deuotis, præſertim ſanctis Ioachimo, & Anna Virginis parentibus,S.Ioſepho ſponſo,S.Ioanne Baptiſta,S.Ioanne Euangeliſta, SS.Petro,ac Paulo,& Sancto ſui nominis,ac Sanctis illius Vrbis, Patronis, ſibiq; omni affectu Virginem deligat in peculiarem patronam,ſemetipſum ei offerat;firmiterq; ſtatuat,eam in poſterum ſingulariter diligere, reuereri, ipſi de eius bonis gratulari,in ea poſt Chriſtum ſuam fiduciam collocare,eam imitari,& aliqua ei obſequia exhibere. videatq; in particulari in quibus virtutibus eam imitabitur, & quæ nam ei obſequia deferet; ſimulq; eam enixè deprecetur, adhibitis dictis Angelis, & Sanctis interceſſoribus, vt ſui patrocinium ſuſcipere dignetur vſque ad horam mortis, qua eum filio ſuo præſentet. Poteris autem hanc, vel ſimilem oblationis formulam recitare ex eaq; die Virginem peculiari ratione tanquam tuam ſingularem Dominam,& Aduocatam reſpicias,& in tuis neceſſitatibus confidenter ad eam confugias. Quam oblationem quotidie, vel ſaltem in feſtis eiuſdem Virginis renouare poteris.

OBLATIO SVI IPSIVS, BEATISSIMÆ Virgini à ſuis deuotis facienda.

Oblationis formula.

SAnctiſſima Virgo Mater Dei Maria, Ego N. licet vndecumque famulatu tuo indigniſſimus, fretus tamen benignitate tua admirabili, & impulſus tibi ſeruiendi deſiderio coram Cœleſti Curia vniuerſa, te hodie in Dominam, Aduocatam, ac Matrem peculiari ratione eligo, firmiterq; ſtatuo, ac propono me tibi ex hoc tempore ſemper obtemperaturum, ac fideliter famulaturum, atque vt ab alijs quoque tibi ſeruiatur, pro viribus meis effecturum: obſecro te igitur pijſſima Mater per Filij tui, quem pro me effudit, ſanguinem, vt me in numerum tuorum deuotorum aſcribas; in ſeruum perpetuum ſuſcipias; adſis mihi in actionibus meis, gratiamq; mihi impetres à filio tuo, vt ita in omnibus cogitationibus, verbis, & operibus me geram, nihil vt vnquam ſim tuos filijq; tui oculos offenſurus: ac memor ſis mei, nec me deſeras in hora mortis meæ. Amen.

RATIO COMMENDANDI SE BEATISSIMÆ Virgini Dei genitrici Mariæ, tum mane, tùm veſperi.

Ratio commendandi ſe Deipara mane. Ex Officio parui B. Virginis.

MAne ad beatiſſimam Virginem, Pater noſter, & Aue Maria. Deinde ſequens, vel alia precatio.

O Domina mea ſancta Maria, me in tuam benedictam fidem, ac ſingularem cuſtodiam, & in ſinum miſericordiæ tuæ hodie, & quotidie, & in hora exitus mei, animam meam, & corpus meum tibi commendo, omnem ſpem meam, & conſolationem meam, omnes anguſtias, & miſerias meas, vitam, & finem vitę meæ tibi committo; vt per tuam ſanctiſſimam interceſſionem, & per tua merita omnia mea dirigantur, & diſponantur opera ſecundum tuam, tuiq; filij voluntatem. Amen.

Sancta Maria ſuccurre miſeris, iuua puſillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fęmineo ſexu, ſentiant omnes tuum iuuamen quicumque celebrant tuam ſanctam commemorationem.

℣. *Ora pro nobis ſancta Dei genitrix.*

℟. *Vt digni efficiamur promiſsionibus Chriſti.*

Maria mater gratiæ,
Mater miſericordiæ,
Tu nos ab hoſte protege,
Et hora mortis ſuſcipe.

Gloria tibi Domine,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, & ſancto Spiritu,
In ſempiterna ſæcula. Amen.

Deinde gratias agam de cunctis beneficijs tum generalibus, quæ cum alijs communia ſunt, quòd ſcilicet Chriſtum noſtrum Redemptorem genuerit, & ſimilia: tum etiam de particularibus, & occultis, quæ illa mihi à Chriſto impetrauit, præcipuè verò de ijs, quæ peculiariter intelligo me ipſius interceſſione obtinuiſſe.

Secundò, totum illi me tradam, atque in ſeruum offeram, orans vt mei patrocinium, tutelamq; ſuſcipere, meq; ſuo præſidio munitum ab omni tum animæ, tùm corporis periculo tueri dignetur.

Tertiò, aliqua beneficia pro me, cæterisq; proximis petam; præſertim, vt mihi à ſuo filio profundam humilitatem, puriſſimam caſtitatem, erga Chriſtum ardentem amorem, & in recto virtutis itinere profectum, ac perſeuerantiam impetret, & vt ab omni peccato, præſertim mortali efficaciter caueam. Prętera, vt nõ nihil illius mihi doloris impertiat, quem ex filij cruciatibus cępit, præparationis etiam, atque ardoris animi ſcintillam, quo ſacram Euchariſtiam poſt Aſcenſionem Domini noſtri ſumebat. Denique augmentum deuotionis, & affectus erga eandem ſanctiſſimam Virginem. hæc autem beneficia per ſeptem eius gaudia, doloresq; totidem petam, quibus eſt affecta dum viueret. Finem faciam ipſius benedictionem rogando illis verbis: *Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria. Amen.*

Ratio commendãdi ſe veſperi, Ex officio parui B. Virginis.

Veſperi ad eandem ſanctiſſimam Virginem. Pater noſter. Aue Maria, &c.

O Maria Dei genitrix Virgo gratioſa omnium deſolatorum ad te clamantium conſolatrix vera, per illud magnum gaudium, quo conſolata es, quando cognouiſti Dominum Ieſum

ſum die tertia à mortuis impaſſibilem reſurrexiſſe, ſis conſolatrix animæ meæ, & apud eundem tuum, ac Dei natum vnigenitum in die nouiſſimo, quando cum anima, & corpore ero reſurrecturus, & de ſingulis meis factis rationem redditurus, me digneris iuuare, vt perpetuæ damnationis ſententiam per te pia Mater, & Virgo valeam euadere, & cum electis Dei omnibus ad æterna gaudia fœliciter peruenire. Amen.

Sub tuum præſidium confugimus ſancta Dei genitrix, noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus: ſed à periculis cunctis libera nos ſemper Virgo glorioſa, & benedicta.

Maria mater gratiæ, vt ſupra.

Deinde gratias agere, offerre, & petere debemus, vt ſupra.

DE COROLLA B. VIRGINIS 12. *ſalutationum Angelicarum*, &c.

7 COrolla Virginis, ſeu paruula corona in memoriam 12. Virginis priuilegiorum, duodecim conſtat ſalutationibus Angelicis, ter repetita oratione Dominica in honorem trium diuinarum Perſonarum, à quibus Virgo ſanctiſſima præ cæteris dotata fuit 12. priuilegijs, quæ per 12. ſtellas, quibus redimitur caput mulieris amictæ ſole Apocal. 12. ſignificantur. Diſponuntur autem hunc in modum, vt ante quemlibet quaternarium ſalutationum Angelicarum præmittatur Oratio Dominica: quarum prima in honorem Patris Aeterni. Secunda in honorem Filij. Tertia in honorem Spiritus ſancti, recitetur. Duodecim porrò priuilegia, quæ in hac Corolla recoli poſſunt, recenſentur in Appendice Speculi Exemplorum nouiſſimè editi, quorum aliqua ex Bernardo ſermone ſuper Signum magnum ſunt deſumpta. Nos ex Appendice illa his ad ſenſum paucis mutatis exſcripſimus, ſunt autem hæc. *Corolla B. Virg.* *Apoc. 12.* *Bernardus.*

Duodecim B. Virginis priuilegia.

1. Copioſiſſima gratia in immaculata Conceptione Virgini collata.
2. Angelica ſalutatio.
3. Spiritus ſancti ſuperuentio.
4. Filij Dei conceptio.
5. Virgo fuit ſine macula, & virginitatis primiceria.
6. Sine corruptione fœcunda.
7. Sine grauamine grauida.
8. Sine dolore puerpera.
9. Magnanimitas fidei in credendo.
10. Profunda humilitas in obediendo.
11. Maxima verbi diſcretio in loquendo.
12. Summa perfectio, & perſeuerantia operis in agendo.

Cæterum priuilegia, quæ ſupra in hac Corolla enumerauimus alio modo diſtingui poſſent, ita vt & alia eiuſdem Virginis priuilegia; imò & præcipua vitæ eiuſdem myſteria complectamur: ideò ſubijcienda duximus 12. capita, quæ ſequuntur, quibus pro cuiuſq; deuotione hæc eadem Virginis corolla accommodari poſſet.

Alia duodecim B. Virginis priuilegiorum ſeries.

1. Prædeſtinatio, qua ab æterno in Matrem Dei eſt præelecta.
2. Conceptio immaculata ab omni labe originalis peccati.
3. Sanctitas maxima in tota ſua vita, qua ex ſpeciali Dei priuilegio, ne veniale quidem vnquam commiſit.
4. Præſentatio in Templo, vbi ſe trimula Deo conſecrauit, atque in omni genere virtutum ſe exercuit.
5. Annunciatio ab Angelo, quando filium Dei concepit, & vera Dei Mater eſt effecta.
6. Partus ſine dolore, & perpetua cum Filio conuerſatio.
7. Virginitas perpetua, virginumq; omnium eſt primiceria.
8. Martyriũ cordis, quando doloris gladius in filij Paſſione eius animã pertranſijt.
9. Gaudia in Chriſti Reſurrectione, Aſcenſione, & Aduentu Spiritus ſancti.
10. Aſſumptio in Cœlum, vbi non tantum in anima, ſed etiam cum corpore ſuper omnes Angelorum, & Sanctorum choros eſt exaltata.
11. Regina eſt Angelorum, & hominum, ac omnium Domina.
12. Aduocata noſtra, Mater miſericordiæ, & cunctorum Mater viuentium.

In fine Corollæ recitetur *Salue Regina*, cum consueta Oratione, vel Antiphona.

Ex Officio paruo B. Virginis.

Sancta Maria succurre miseris, iuua pusillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro Clero, intercede pro deuoto fœmineo sexu, sentiant omnes tuum iuuamen, quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem.

℣. *Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.*

℟. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.* OREMVS.

CONcede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus perpetua mentis, & corporis sanitate gaudere, & gloriosa B. Mariæ semper Virginis intercessione, à præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

℣. *Nos cum prole pia.*

℟. *Benedicat Virgo Maria.*

Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.

LITANIAE B. VIRGINIS,

QVAE SINGVLIS DIEBVS SABBATIS, & Festis eiusdem Beatissimæ Mariæ cantantur in sancta Aede Lauretana.

8	*Kyrie eleison.*		
	Christe eleison.		
	Kyrie eleyson.		
	Christe audi nos.		
	Christe exaudi nos.		
	Pater de Cœlis Deus.	*miser. nob.*	
	Fili Redemptor mundi Deus.	*miser. nob.*	
	Spiritus sancte Deus.	*miser. nob.*	
	Sancta Trinitas vnus Deus.	*miser. nob.*	
	Sancta Maria.	*ora pro nob.*	
	Sancta Dei genitrix.	*ora.*	
	Sancta Virgo virginum.	*ora.*	
	Mater Christi.	*ora.*	
	Mater diuinæ gratiæ.	*ora.*	
	Mater purissima.	*ora.*	
	Mater castissima.	*ora.*	
	Mater inuiolata.	*ora.*	
	Mater intemerata.	*ora.*	
	Mater amabilis.	*ora.*	
	Mater admirabilis.	*ora.*	
	Mater Creatoris.	*ora.*	
	Mater Saluatoris.	*ora.*	
	Virgo prudentissima.	*ora.*	
	Virgo veneranda.	*ora.*	
	Virgo prædicanda.	*ora.*	
	Virgo potens.	*ora.*	
	Virgo clemens.	*ora.*	
	Virgo fidelis.	*ora.*	
	Speculum iustitiæ.	*ora.*	
	Sedes sapientiæ.	*ora.*	
	Causa nostræ lætitiæ.	*ora.*	
	Vas spirituale.	*ora.*	
	Vas honorabile.	*ora.*	
	Vas insigne deuotionis.	*ora.*	
	Rosa mystica.	*ora.*	
	Turris Dauidica,	*ora.*	
	Turris eburnea.	*ora.*	
	Domus aurea.	*ora.*	
	Fœderis arca.	*ora.*	
	Ianua Cœli.	*ora.*	
	Stella matutina.	*ora.*	
	Salus infirmorum.	*ora.*	
	Refugium peccatorum.	*ora.*	
	Consolatrix afflictorum.	*ora.*	
	Auxilium christianorum.	*ora.*	
	Regina Angelorum.	*ora.*	
	Regina Patriarcharum.	*ora.*	
	Regina Prophetarum.	*ora.*	
	Regina Apostolorum.	*ora.*	
	Regina Martyrum.	*ora.*	
	Regina Confessorum.	*ora.*	
	Regina Virginum.	*ora.*	
	Regina Sanctorum omnium.	*ora.*	
	Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Parce, nobis Domine.		
	Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Exaudi nos Domine.		
	Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Miserere nobis.		

℣. *Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.*

℟. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*

OREMVS.

GRatiam tuam, quæsumus Domine mẽtibus nostris infunde, vt qui Angelo nunciante Christi filij tui Incarnationem cognouimus, per passionem eius, & crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

FINIS PRAXIS.

AP-

APPENDIX
IN HVNC DE VIRGINIS SANCT.MÆ DEIPARAE MARIAE LAVDIBVS LIBRVM,

Qua illa continentur.

ELOGIA DEIPARAE EX SACRIS litteris, iuxta vitæ eius seriem digesta.

QVADRVPLEX ITEM TRACTATVS.

I. In salutationem Angelicam, ternis in singula verba adnotatiunculis distinctus. Ad Cap. huius Libri quintum.

II. De Exemplis, ac Miraculis DEIPARAE. De Peccatorum Conuersionibus. De Poenis eorum, qui in Deiparam iniurij fuere. Deq. Hostium Ecclesiæ internecione Deiparæ virtute factis. Ad Cap. 20.

III. De Festis Diebus Deiparæ dicatis. De Templis diuersis in locis, ac temporibus eidem erectis. Ad Cap. 29.

IV. De sacris vtriusque sexus Virginibus, qui virginitatis vexillum à Deipara erectum sunt secuti. Ad Cap. 32.

AVCTORE
PETRO ANTONIO SPINELLO
NEAPOLITANO E SOCIETATE IESV.



NEAPOLI,
Ex Typographia Tarquinij Longhi. MDCXIII.
SVPERIORVM PERMISSV.

PIO LECTORI.



BSOLVIMVS Deo, Deiparaquè bene iuuantibus Librum de laudibus eiusdem Deiparæ sanctissimæ, sub typo diuini Throni Apocalyp. 4. adumbratæ, cui ob tenuitatem nostram non modò vlla tribui absoluta laus, sed ne inchoari quidem quicquam pro dignitate potest. Verumtamen Imperatrici Angelorum non sunt seruorum eius conatus ingrati. Itaque huic Libro attexere visum est, eius veluti Appendicem, qua vniuersa eius vitæ Elogia ex sacris litteris, ac Patribus excerpta summatim recensentur, Aliquot item Tractatus, quos in Operis Præfatione polliciti sumus, quibus nonnulla pertractantur, quæ & si ad Deiparæ præconia pertinent, & ad quædam huius Libri capita reuocari possunt; quia tamen institutam in hoc Opere disputationem longius trahebant, maluimus ad finem Libri in separatos Tractatus ea vberius explicata reijcere, quàm pressius delibata in ipso Opere strictim attingere. Tu candide Lector si quid minus pro tantæ Virginis dignitate dictum; imbecillitati nostræ tribuas. si quid commendatione dignum, Deo bonorum omnium Auctori, eiusq. Genitrici, cuius precibus, ac patrocinio hoc qualecumque acceptum refero, quæq. se laudantium conatus, ac studia benignè promouet, ascribas.

ELOGIA
VIRGINIS DEIPARAE
EX SACRA SCRIPTVRA,
ET SANCTIS PATRIBVS DEPROMPTA,
ET IVXTA VITAE EIVS SERIEM DIGESTA,

Quæ in hoc Opere varijs in locis pertractantur: ex quibus ſermonum de ea ad populum argumenta facilè deſumi poſſunt.

Acceſſere Obſecrationes ad Deiparam per eius vitæ myſteria; & Preces, quibus eas concludere poſſumus.

HAEC Deiparæ Elogia, ex quibus olim Litaniæ quædam in eius honorem conflatæ erant, ex ſacris litteris ferè ſunt excerpta; pauciſſima tamen ex Patribus adiecimus, vt totius vitæ eiuſdem integra connexio conſtaret. nonnulla enim quamuis communi conſenſu Patrum ſatis ſint explorata, & ab Eccleſia recepta; ex diuinis tamen oraculis non habentur: vt quòd Deipara in Templo fuerit præſentata; & alia huiuſcemodi.

In his porrò Elogijs quamquam plures ſint loci, pluresq; Auctores, vnde ea ſunt deſumpta; nos certè vnico in margine adnotato contenti fuimus: reliqui enim Auctores in eo huius operis capite, quod ibi citatur facilè inueniri poterunt.

At verò Elogia hæc ad duodecim capita, quæ ſint inſtar coronæ ſtellarum duodecim, quibus Apocal. 12. Deiparæ caput ſanctiſſimum Apoſtolo Ioanni redimitum apparuit, reuocanda duximus: ad quæ ea, quæ illis capitibus ſubijciuntur, aliqua ratione ſpectant, indicatis etiam locis, vbi in hoc opere ea pertractantur. quod in vſum eorum, qui ea in ſermonibus ad populum exponenda ſuſceperint, fecimus: quamuis ex Indice locorum ſacræ ſcripturæ in hoc Opere explicatorum, & ex Indice rerum memorabilium magis in particulari cognoſcere liceat, vbi in ſingulis capitibus hæc omnia explicantur. *Apocal. 12.*

Qua autem ratione ex his ſermo parari poſſit, non erit difficilè ei, qui animum, vel mediocriter intendere voluerit. *Da* enim *occaſionem ſapienti*, quemadmodum monet Salamon Prouerbiorum 9. *& addetur ei Sapientia*: exempli cauſa explicandum occurrit illud, vbi Deipara Arca Teſtimonij ex cap. Exod. 25. appellatur à Patribus. *Prouerb. 9.*

In hoc tria præſtare poſſumus. Primum, vt maior ijs, quæ dicimus auctoritas concilietur, Patres afferamus, qui eo nomine Deiparam appellandam cenſent: vel de Deipara typum illum exponunt: in hunc enim finem in pleriſque huiuſmodi Elogijs Patrum teſtimonia in hoc opere congeſſimus.

Secundò exponamus, quid ſit Arca teſtimonij, ſeu fœderis, quis eius fuerit vſus, ex quibus conſtabat, & quomodo Exod. 25. à Deo conſtrui præſcribatur. & ex his ea proponamus, atque expendamus, propter quæ Deipara per Arcam illam ſignificetur. Ex

quibus conſtabit Virginem ſanctiſſimam ea myſticè continere, quæ in Arcæ conſtructione, vel vſu deprehenduntur. Atque ex his Virginis Laudes ampliſſimæ, prærogatiuæ ſingulares, eiusq; patrocinium apud filium efficaciſſimum, & virtutes eximiæ à nobis imitandæ elucebunt. quæ ſi ex alijs diuinorum oraculorum locis diligenter explicatis illuſtrentur, multo magis Auditorum animos ad id, quod volumus impellemus.

Tertiò, ad mores noſtros aliqua ex ijs, quæ diſſeruimus ſunt deriuanda, tum vt ex Deiparæ comparatione imperfectum noſtrum, noſtraq; peccata melius agnoſcentes ea redarguamus, & emendare ſtudeamus: tum vt in noſtris neceſſitatibus ad eius opem inuocandam fidenter accurramus: tum vt eius virtutes imitari pro noſtra virili parte conemur: denique exemplum aliquod, ſeu miraculum de Virgine ſanctiſſima proponendum erit, quod ex hoc opere, vbi pleraq; in hunc finem commemorauimus, vel ex alijs probatis Auctoribus petantur. Atque hoc idem in reliquis Deiparæ typis exponendis fieri poterit: quæ enim hiſtorico ſenſu efferuntur, quale eſt illud *Maria Virgo perpetua*, & ſimilia ex typis, & figuris, vel ex prophetijs, quæ ea de re in ſacris litteris habentur, vel alia ratione ex ijs, quæ hic diſputantur ſermonem in laudem Virginis contexere: tum etiam ad noſtram ſpiritualem vtilitatem deflectere (quæ duo præcipuè ſpectare debent, qui de Virgine verba faciunt) non erit difficile.

ELOGIORVM DEIPARAE.

Primum Caput, ſingularis prædeſtinatio, & reliqua ante Conceptionem.

Prouerb. 8. 2 MAria ab æterno ordinata capite 14.
Cant. 6. Maria inter omnes præelecta ibidem.
Gen. 3. Maria Patribus cœlitus promiſſa cap. 35.
Gen. 8. Maria myſticis præfigurata miraculis ibidem.
Iſa. 7. Maria oraculis prænuntiata propheticis ibidem, & cap. 17.
Gen. 43. Maria deſiderium collium æternorum ibidem.

II. Conceptio immaculata.

Cant. 4. MAria ſinè peccato concepta cap. 7. & cap. 4.
Gen. 3. Maria ſerpentis caput conterens ibidem.
Prou. 31. Maria lucerna inextincta cap. 7. 9. & 21.
Sap. 7. Maria ſpeculum ſine macula cap. 7.
Cant. 2. Maria lilium inter ſpinas cap. 7. & 32.
Gen. 47. Maria terra Sacerdotalis immunis cap. 7.

III. Natiuitas Deiparæ.

Matth. 1. MAria regali progenie exorta cap. 17.
Iſa. 11. Maria virga de radice Ieſſe cap. 32.
Num. 24. Maria ſtella Iacob cap. 24. & 32.
Eccl. 50. Maria ſtella matutina cap. 14. & 31.
Cant. 6. Maria aurora conſurgens cap. 24. & 26.

IV. Eius præſentatio in Templo, & virtutes heroicæ.

Nyſſen. hom. de human. Chriſti generatione. 3 MAria in Templo præſentata cap. 8.
Prou. 31. Maria vniuerſas filias ſupergreſſa cap. 5. & 6.
Geneſ. 27. Maria ſcala Iacob capit. 16. propter frequentem eius in Templo cum Angelis aſcen-

aſcendentibus,& ad eam deſcendentibus conuerſationem cap.26.

Maria Virgo prudentiſſima cap.21. } Quatuor virtutes Cardinales. i. Reg. 25. Prouerb. 8. Prouerb. 13.
Maria ſpeculum Iuſtitiæ ibidem.
Maria mulier fortis cap.4.24. & 29.
Maria ſingulare virginitatis exemplar cap. 32.
Maria nardus odorifera cap.21.& 37. Humilitas. Iſa.7. Cant.1.
Maria fide perſpicua cap.21. } Tres virtutes Theologicę. Luc. 1.
Maria Turris eburnea cap.7.& 21.
Maria candelabrum aureum cap.9. & 21. Cant. 7.
Maria altare thymiamatis cap.21. Oratio. Exod. 25. Exod. 30.
Maria balſamum aromatizans cap.7.& 21. Bonum exemplum. Eccleſ. 24.
Maria virgula fumi ex vniuerſis aromatibus c.4.6.& 21. Vniuerſitas virtutum. Cant.3.

V. Deſponſatio, Annunciatio, & Viſitatio.

MAria iuſto Ioſepho deſponſata cap.8. Matth. 1.
Maria mons Domino in vertice montium præparatus cap.4.5.& 7. Iſa. 2.
Maria ab Angelo humiliter ſalutata cap.5. & 8. Luc. 1.
Maria Gratia plena cap.4.5.13.28.& in peculiari tract.in ſalutatione Angelica. Ibidem.
Maria inter mulieres benedicta cap.5.6.& 8. & in tract. in ſalutationem Angelicam. Ibidem.
Maria ſponſa Dei cap.5. Cant.4.
Maria ſancto Spiritu obumbrata cap.5.& 8. Luc. 1.
Maria mulier circumdans virum cap.20. Ierem. 31.
Maria Paradiſus voluptatis cap.5.& 7. Geneſ. 2.
Maria Ciuitas Dei cap.5. Pſal. 47.
Maria Domus Sapientiæ cap.5.7.& 15. Prouerb.9.
Maria Solium gloriæ Dei cap.2. Ierem. 14.
Maria Thronus Salomonis cap.2. 3.Reg.10.
Maria Templum Domini cap.5. 3.Reg.8.
Maria Sacrarium Spiritus ſancti cap.5. Cyprianus:
Maria Sanctuarium Dei cap.5. Exod.28.
Maria Tabernaculum tui Creatoris cap.5. Eccl. 24.
Maria Tabernaculum fœderis cap.5. Exod. 31.
Maria Arca teſtimonij cap.5. Exod. 25.
Maria Vas aureum cœleſte manna continens cap.5. Exod.16.
Maria,quæ Eliſabeth cognatam viſitaſti cap.21.& 37. Luc.2.

VI. Partus virgineus.

4 MAria terra germinans Saluatorem cap.20. Iſa. 45.
Maria lignum vitæ cap.5. Geneſ. 2.
Maria Virga florens Aaron cap.32. Num.7.
Maria Nauis inſtitoris de longè portans panem cap.8. Prou. 31.
Maria Menſa panis propoſitionis cap.8. Exod.25.
Maria Botrus Cypri cap.8. Cant.1.
Maria Fons lucis cap.21. Eſther 10.
Maria Puteus aquarum viuentium cap.5. Cant.4.

VII. Virginitas ante, in, & poſt partum.

MAria Virgo perpetua cap.32. Matth. 1.
Maria Rubus ardens incombuſtus ibidem. Exod.3.
Maria Vellus Gedeonis ibidem. Iudic. 6.
Maria Mons,de quo ſine manibus abſciſſus eſt lapis ibidem,& cap.5. Dan. 2.

Ezech. 44. Maria Porta Orientalis clauſa cap. 3. 21. & 32.
Cant. 4. Maria Hortus concluſus cap. 7. & 32.
Ibidem. Maria Fons ſignatus cap. 7. & 32.

VIII. Conuerſatio cum Filio.

Luc. 2. & Matth. 2. MAria à Paſtoribus, & Magis cum Filio inuenta.
Maria legi purificationis ſponte ſubiecta cap. 21. & 37.
Luc. 2. Maria Nubes Domini leuis cap. 3.
Iſa. 19. Maria in Aegyptum cum filio ingreſſa cap. 23.
Matth. 2. Maria ex Eegypto in Nazareth reuerſa.
Ibidem. Maria cum filio dulciter conuerſata cap. 9.
Luc. 2. Maria, quæ filium triduo quæſiſti cap. 37.
Ibidem. Maria, quæ filium in Templo inueniſti ibidem.
Ibidem. Maria deficiente in nuptijs vino filium deprecata cap. 29.
Ioan. 2. Maria, quæ ſtabas iuxta crucem filij cap. 10. & 11.
Ioan. 19. Maria Virgini Ioanni commendata cap. 10. 28. & 34.
Ibidem. Maria doloris gladio transfixa cap. 10. & 11.
Luc. 2. Maria filij reſurrectione exhilarata cap. 11.
Nyſſenus. Maria in die Pentecoſtes ſancto Spiritu repleta cap. 6.
Eſther 2.

IX. Aſſumptio.

Cant. 8. 5 MAria ſpiritualibus delicijs affluens cap. 5. 17. & 21.
Ibidem. Maria ſuper dilectum tuum innixa cap. 6.
Offic Eccleſ. Maria ſuper choros Angelorum exaltata cap. 6. & 12.
Eccleſ. 15. Maria mater honorificata cap. 34.

X. Coronatio.

Apoc. 12. MAria mulier amicta ſole cap. 3. 12. 15. & 31.
Ibidem. Maria, ſub cuius pedibus luna cap. 2. 5. 7. 24. 30.
Ibidem. Maria duodecim ſtellis coronata cap. 5. 6. 31.
Auguſtinus. Maria Regina Cœlorum cap. 5.
Pſal. 44. Maria Regina à dextris filij aſtans cap. 5. 6. 7. & 12.
Ibidem. Maria inueſtitu deaurato varietate circumdata cap. 9. & 21.
Offic. Eccl. Maria, quam laudant aſtra matutina cap. 26.
Offic. Eccl. Maria, cuius pulchritudinem Sol, & Luna mirantur cap. 5. & 9.
Pſal. 44. Maria, cuius vultum deprecantur omnes diuites plebis cap. 6. 17. 26.

XI. Præconia.

Offic. Eccleſ. MAria ſuper omnes ſpecioſa cap. 5.
Cant. 6. Maria pulchra, vt luna cap. 5. & 16.
Ibidem. Maria electa, vt ſol cap. 14.
Iudith 13. Maria Gloria Ieruſalem cap. 17. 24.
Ibidem. Maria lætitia Iſrael. } ibidem.
Ibidem. Maria honorificentia populi noſtri. }
Cyrill. hom. cont. Neſtor. Maria Orbis terrarum margarita pretioſa cap. 17.
Eccl 24. Maria Cedrus in libano exaltata. }
Ibidem. Maria Cypreſſus in monte Sion. } cap. 6.
Ibidem. Maria palma in Cades, }
Ibidem. Maria plantatio roſæ in Iericho. }
Ibidem. Maria oliua ſpecioſa in Campis cap. 6. & 16.

Maria

Maria platanus iuxta aquas cap.6. *Ibidem.*
Maria Terebinthus ramos honoris,& gratiæ extendens cap. 21. *Ibidem.*
Maria cunctis generationibus beatissima prædicata cap. 17. *Luc. 1. & Cantic. 6.*

XII. Intercessio.

6 MAria Aduocata nostra cap.30. *Nazianz. in Trag. Christus patiens.*
Maria propitiatorium vniuersæ terræ cap.16.& 36. *Bern. serm. 1. de Assumpt.*
Maria,per quam post Deum totus viuit orbis terrarum. } cap. 30. *Exod 25.*
Maria Dei, & hominum mediatrix. *Epiphan. serm. de Deipara.*
Maria Aquæductus cœlestium gratiarum cap.34. *Oratio obsecro te Domina.*
Maria fons perennis curationum cap.20. *Eccl. 24.*
Maria fons vniuersam terram irrigans cap.16. *Damasc. orat.2. de dormit. Deipare.*
Maria,in qua omnis spes vitæ,& virtutis cap.5.16. & 28. *Genes 2.*
Maria,cuius spiritus super mel dulcis. } cap.34. *Eccles. 24.*
Maria fauus distillans. *Ibidem.*
Maria Arca Noe salutaris. } cap. 16. *Cant. 4.*
Maria Ciuitas refugij. *Genes 6.*
Maria Turris Dauid cum propugnaculis cap. 30. *Numer. 35.*
Maria Castrorum acies ordinata. } cap. 24. *Cant. 4.*
Maria cunctas hæreses sola interimens. *Cant. 6.*
Maria stella maris eap. 29. & 34. *Offic. Eccles. Bernardus.*
Maria porta Cæli cap. 7. & 16. *Gen. 18.*
Maria mater viuentium cap.27. & 28. *Gen. 3.*
Maria mater misericordiæ cap.16. *Anselmus.*
Maria mater diuinæ gratiæ cap. 28. *Ibidem.*
Maria mater timoris, & agnitionis. } cap. 21. *Eccl. 24.*
Maria mater sanctæ spei. *Ibidem.*
Maria mater pulchræ dilectionis cap.9. & 21. *Ibidem.*
Maria Domina Angelorum cap.5. & 26. *Offic. Eccles.*
Maria decus Patriarcharum. *Andr. Cret. Hieron. in cap. 6 Micheæ.*
Maria vaticinium Prophetarum. } cap. 17. *Cyrill. hom. contra Nestor.*
Maria præconium Apostolorum. *Bonauentura. Idem Nazianz. car. de virginit.*
Maria confortatrix martyrum cap. 36. *Anselmus.*
Maria exemplar Confessorum cap.21. *Nazian. carm. de virgin.*
Maria lumen virginum cap.32.
Maria Regina sanctorum omnium cap.5.

OBSECRATIONES AD DEIPARAM per eius vitæ mysteria.

7 POst Deiparæ Elogia iuxta eius vitæ ordinem dispositа,quæ iam descripsimus, operæ pretium existimaui obsecrationes olim in Litanijs eiusdem Deiparæ positas, & ex sacratissimis eius vitæ mysterijs depromptas subijcere, quibus ad aliquod malum à nobis auertendum: vel ad aliquod beneficium consequendum, ipsius apud Christum auxilium,ac patrocinium enixius inuocamus, exempli causa cum ei suppliciter dicimus.

A cunctis periculis.
Ab omni peccato.
A subitanea, & improuisa morte.
A spiritu fornicationis.
A morte perpetua.

Et cæteris malis, *Libera nos Virgo gloriosa.*
Aliquas ex his obsecrationibus in hunc modum adijcere possumus.

Per

Per immaculatam Conceptionem tuam,&c.

Similiter cum in eius ope inuocanda his verbis vtimur.

Vt veram pœnitentiam nobis impetrare digneris.
Vt mentis,& corporis integram puritatem nobis impetrare digneris.
Vt nos ab hoſte protegere, & hora mortis ſuſcipere digneris.
Vt Societates tibi peculiari obſequio deuotas conſeruare, & augere digneris.
Vt omnibus fidelibus defunctis requiem æternam impetrare digneris.

Eaſdem pariter obſecrationes adhibere licebit.

Per æternam prælectionem tuam,&c.

Obſecrationes ad Deiparam.

PEr æternam prælectionem tuam.
Per immaculatam conceptionem tuam.
Per ſanctam natiuitatem tuam.
Per melliſluum nomen tuum.
Per deuotam præſentationem tuam.
Per cœleſtem in terris conuerſationem tuam
Per puriſſimam deſponſationem tuam.
Per ſalutarem Annunciationem tuam.
Per ſuperuenientis in te Spiritus ſancti obumbrationem.
Per humilem viſitationem tuam.
Per virgineum partum tuum.
Per intemeratam virginitatem tuam.
Per mundiſsimam purificationem tuam.
Per dulciſsimam conuerſationem cum dilecto filio tuo.
Per gladium doloris,qui pertranſiit animam tuam.
Per gaudia reſurrectionis filij tui.
Per ſupereffluentem in die Pentecoſtes gratiæ plenitudinem.
Per admirabilem Aſſumptionem tuam.
Per glorioſam coronationem tuam.
Per viſcera miſericordiæ tuæ.

Preces, quibus quæcunque ad Deiparam petitiones terminari poſſunt.

8 *MAgnificat anima mea Dominum.*
Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.
Quia reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.
Quia fecit mihi magna,qui potens eſt,& ſanctum nomen eius.
Et miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.
Fecit potentiam in brachio ſuo,diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.
Depoſuit potentes de ſede,& exaltauit humiles.
Eſurientes impleuit bonis,& diuites dimiſit inanes.
Suſcepit Iſrael puerum ſuum,recordatus miſericordiæ ſuæ.
Sicut locutus eſt ad Patres noſtros: Abraham,& ſemini eius in ſæcula.
Gloria Patri,& Filio,& Spiritui ſancto. Sicut erat in principio, & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.
℣. *Aue Maria gratia plena Dominus tecum.*
℟. *Benedicta tu in mulieribus,& benedictus fructus ventris tui.*
℣. *Elegit eam Deus,& prælegit eam.*
℟. *In tabernaculo ſuo habitare facit eam.*

℣. *Ad-*

℣. *Adiuuabit eam Deus mane diluculo.*
℟. *Deus in medio eius non commouebitur.*
℣. *Specie tua, & pulchritudine tua.*
℟. *Intende prospere procede, & regna.*
℣. *Diffusa est gratia in labijs tuis.*
℟. *Propterea benedixit te Deus in æternum.*
℣. *Dignare me laudare te Virgo sacrata.*
℟. *Da mihi virtutem contra hostes tuos.*
℣. *Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.*
℟. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

OREMVS.

OMnipotens Domine Iesu Christe, verbum Patris, splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, qui ad reparandam abiectionis nostræ ruinam, in purissimis intemeratæ Virginis visceribus, frater & caro nostra fieri dignatus es, te supplices exoramus, vt ipsius precibus, & meritis, inueniamur apud te semper, & castitate nitidi, & charitate feruentes.

DEus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere.

DEfende quæsumus Domine B. Maria semper Virgine intercedente istam ab omni aduersitate familiam, & toto corde tibi prostratam ab hostium propitius tuere clementer insidijs.

DEus, qui miro ordine Angelorum ministeria, hominumq; dispensas; concede propitius, vt à quibus tibi ministrantibus in cœlo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur.

COncede quæsumus omnipotens Deus, vt intercessio sanctæ Dei Genitricis Mariæ, Sanctorumq; omnium Angelorum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, atque Virginum, & omnium electorum tuorum nos vbiq; lætificet: vt dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus.

FIdelium Deus omnium conditor, & Redemptor, animabus famulorum, famularumq; tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, vt indulgentiam, quam semper optauerunt pijs supplicationibus consequantur.

DEus, cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, vt nos, & omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absoluat. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

℣. *Nos cum prole pia.*
℟. *Benedicat Virgo Maria. Amen.*

FINIS.



TRA-

TRACTATVS IN SALVTATIONEM ANGELICAM.

Ternis in ſingula verba adnotatiunculis diſtinctus.

SERVATIS QVO AD EIVS FIERI POTVIT IISDEM DIVInorum Oraculorum,& ſanctorum Patrum verbis; adnotatis in margine vnde deprompta ſunt locis. Cæterum pleraq; , quæ hic breuiter perſtringuntur, copioſius in hoc Opere ſparſim pertractantur.

Acceſſit, quomodo ſingula ſalutationis Angelicæ verba ſingulis Deiparæ Feſtis, quæ ad duodecim reuocauimus, accommodari poſſint.

De hac vberius in cap. 5. huius operis.

IVM illud AVE in fronte ſalutationis Angelicæ ad Virginem Deiparam factæ,idem ſit, quod, Gaude, quemadmodum cap. 5. huius operis fuſius ex Patribus oſtendimus; nõnulli quoque diuino conſilio interpretem ea voce vſum meditẽtur,qua Eua inuerſis tamen litteris continetur,apto ſanè Anagrammate, vt ipſa litterarum inuerſio diſparem, imò oppoſitam vtriuſque Parentis conditionem exprimeret: ſiquidem per Virginem Deiparam,cui huiuſcemodi ſalutatio eſt facta, ſublata eſt maledictio illa ab Eua in Orbem terrarum inuecta, ad quod alludens Eccleſia de Virgine ſanctiſſima canit.

Officium Eccleſiaſticum.

Sumens illud AVE
Gabrielis ore
Funda nos in pace
Mutans EVAE nomen.

Bonauentura. S. Antoninus.

Nec deſunt alij cum S. Bonauentura in ſpeculo B.Virginis cap. 2. & S. Antonino 4. par. tit.15. cap.13. §.4. qui huiuſmodi AVE ab eo,quod eſt abſque væ,hoc eſt abſque miſeria deductum velint: de quo nos fusè in cap.5. huius Operis egimus. Cum enim Deipara ab omni væ quàm longiſſimè abſit, propterea ab Angelo initio ſalutationis voce illa Aue id ei ſignificatum exiſtimant. Propterea nos in ſingulas huiuſmodi acceptiones aliqua afferenda duximus: quicquid enim ſit de pia illa huius vocis accommodatione,qua eam ad Euam tranſpoſitis litteris,ſeu ad id,quod eſt ſine væ referunt; certum tamen eſt ea omnia, ſi rem ipſam ſpectemus, in beatiſſimam Virginem optime conuenire.

Et vt à prima ſignificatione ordiamur,qua Aue idem ſibi vult,quod Gaude; nos rationes, quibus Deiparæ Virgini gaudendum eſt, ex ijs potiſſimum in præſentia proponemus,quæ in ſacris litteris de ea pronunciata, vel in ea geſta eſſe in myſterio Incarnationis narrantur, eaq; ad tempus præſens referemus. Ergo Virginem Deiparam cum Gabriele Archangelo in hunc modum reuerenter ſalutemus.

AVE

AVE hoc eſt Gaude Virgo ſanctiſsima.

1. QVia es gratia plena.
2. Quia Dominus tecum.
3. Quia benedicta tu in mulieribus; ſiquidem GAVDIA Matris habens cum virginitatis honore, nec primam ſimilem viſa es, nec habere ſequentem. *Verba Eccleſiæ in Officio Natiuitatis Domini ex Sedulio.*

II. Gaude Virgo Beatiſsima.

1. QVia inueniſti gratiam apud Deum, quam & ipſa quærebas, nec ante te vllus inuenire vnquam potuerat. *Luc 1. Bernardus hom. 3. ſuper miſſus eſt.*
2. Quia Spiritus ſanctus ſuperuenit in te, & virtus Altiſſimi obumbrauit tibi: ecce concepiſti in vtero, & peperiſti Ieſum filium Altiſſimi. *Luc. 1.*
3. Quia fecit tibi magna, qui potẽs eſt, ideoq; in tuo Cantico ſpiritum tuum in Deo ſalutari tuo exultaſſe fatebaris. *Luc. 1.*

III. Gaude Virgo ſacratiſsima.

1. QVia gaudium annunciaſti vniuerſo mundo: ex te enim ortus eſt ſol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter, qui tanquam verus noſter Iſaac (Iſaac enim riſum ſonat) ex te omnium Domina per Saram (quæ Dominam ſignificat) figurata prodijt: qui ſoluens maledictionem dedit benedictionem, & confundens mortem donauit nobis vitam ſempiternam. *Eccleſia in feſto Cõceptionis Deiparæ. Gen. 21.*
2. Quia tartarei ſerpentis, eiusq; ſeminis à præpotenti Deo inimica iam inde à mũdi exordio conſtituta, illius truculentum caput contriuiſti. *Gen. 3.*
3. Gaude, quia cunctas hæreſes ſola interemiſti in vniuerſo mundo. *Eccleſia in Officio.*

AVE Virgo Glorioſa mutans Euæ nomen.

1. TV ſiquidem noua Eua ſecundi, ac cœleſtis Adæ, qui factus eſt in ſpiritum viuificantem, vera es Mater.
2. Tu reddis almo germine, Quod Eua triſtis abſtulit.
3. Tu cunctorum Mater es viuẽtium, qui nimirum in vitam ſpiritualẽ regenerantur.

AVE abſque væ hoc eſt ſine miſeria.

1. CVlpæ originalis.
2. Culpæ cuiuſcumque actualis, quamuis leuiſſimæ.
3. Abſque peccati fomite, qui in te perpetuò extinctus fuit.

MARIA.

2 QVæ iuxta huius ſacratiſſimi, ac melliflui nominis interpretationem ſtella es, ac myrrha maris, amarum item mare, & Domina. *Hieron. lib. de nomin. hebr. in Matth. & Exo. Mariæ etymologiam hæc omnia ſignificare docet.*

1. Stella es illuminatrix maris hominibus, qui in amaro, ac procelloſo præſentis vitę mari eius fluctibus iactantur.
2. Myrrha es maris, & amarum mare: & quidem myrrha maris fuiſti ratione compaſſionis amariſſimæ, qua veluti acutiſſimo gladio anima tua ſanctiſſima transfixa eſt, ac veluti inquieti maris fluctibus exercita, verba illa Domino dicere poteras: *Omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me: Magna* enim *velut mare fuit contritio tua.* Amarum verò mare es dæmonibus: *Per te* (vt verbis vtar Bonauenturæ) *oppreſſis, & ſubmerſis, non ſecus, ac Aegyptij in mari rubro, ideoq; illis amara facta es, atque timenda.* *Pſal 87. Thren. 2.* *Bonauentura in ſpec. cap. 3.*
3. Domina verò es Angelorum omnium, atque hominum.

GRA-

GRATIA PLENA.

1. PLena fuisti gratia, quam vocant iustificantem, ac virtutibus, quæ illam comitantur theologicis, cæterisq; infusis, vna cum sancti Spiritus donis, ac fructibus vniuersis, in eminentissimo quodam, atque heroico gradu: quæ omnia Deus optimus plena in te manu congessit.

2. Gratijs, quæ gratis datæ dicuntur instructa.

3. Singularibus priuilegijs, atque prærogatiuis præ cunctis egregiè exornata.

PLENA.

1. PLena quidem fuisti gratia in tua immaculata Conceptione.

Bernard. serm. 2. de Assumpt. Spiritu sancto superueniente in nobis quoque superplena, & supereffluens facta est.

2. Superplena in diuini Verbi ex tuis castis visceribus Incarnatione.

3. Supereffluens, seu redundans nobis omnibus in tua præsertim glorioſa Assumptione; quippe, quæ veluti vas pretioso liquore plenum cum precibus nostris moueris, gratias vberrimè effundis.

DOMINVS.

3 1. QVi est Pater tuus.
2. Filius tuus.
3. Sponsus tuus.

DOMINVS TECVM.

Bonauentura in speculo cap.

1. QVia in Te Domini omnipotentia, Sapientia, & Bonitas præ omnibus puris creaturis insigniter relucent.

Luc. 2.

2. Ex Te Dominus carnem assumens in sacratissimo vteri tui templo nouem menses est commoratus.

Vsitata dicendi formula, quèadmodum Psal. 49. ex persona Dei pulchritudo agri mecum est: hoc est in mea ditione, ac potestate. Luc. 2. Ioan 2.

3. TECVM non solum multis annis in terris conuersatus: verum etiam DOMINVS TECVM, hoc est TVVS, olim quidem sub iure quodãmodo tuo, dum tibi subditus, atq; obediens esse dignatus est: nunc etiam in Cœlo, dum tuis precibus prompta voluntate morem gerere studet. Quare deficiente in nostris spiritualibus nuptijs, quibus animæ eidem Christo desponsatur, consolationis vino pro ea, qua apud illum polles auctoritate fidenter ei suggeris, *Vinum non habent*: nec pateris repulsam cum ad preces tuas tribulationis aqua Christi virtute in vinum spiritualis gratię, atque lætitiæ conuertatur.

Anselmus apud Bonauenturam in spec. B. Virg. cap. 9.

Igitur (vt eadem vtar precatione tui Anselmi) *Pijssima Domina obsecro te per gratiam, qua sic Dominus esse tecum, & te voluit esse secum, fac propter ipsam secundum eandem ipsam gratiam, misericordiam tuam mecum, fac vt amor tui semper sit mecum, & cura mei semper sit tecum: fac vt timor necessitatis meæ, quandiu ipsa persistit sit tecum, & respectus pietatis tuæ, quandiu ego subsisto sit mecum: fac vt congratulatio beatitudinis tuæ semper sit mecum, & compassio miseriæ meæ semper quantum mihi expedit sit tecum:* Dominus *ergo tecum ô MARIA.*

1. BENEDICTA TV.

Gen. 3.

4 QVæ maledictionis cuiuscumquc expers, omni es cumulata benedictione; siquidem,

1. Benedicta tu inter coniugatas; quippe quæ Virgo, & fœcunda fuisti, nam & sterilitatis opprobrij, quæ apud Iudæos olim maledictionis instar erat immunis Genitricis dignitatem obtinuisti, & virginalem pudicitiam non amisisti.

Gen. 3. Isa. 66.

2. Benedicta tu, quæ filium tuum dulcissimum absque illa doloris in partu maledictione cæteris mulieribus propter Euæ peccatum irrogata, in lætitia peperisti.

Gen. 3.

3. Benedicta tu, cuius corpus sacratissimum in sepulchro communem illam maledictionem

ctionem,qua omnes filij Adæ in terram aliquando conuertuntur,diuino beneficio euasit: neque enim vidit corruptionem,ſed eo poſt tuam ſacram dormitionem ab anima mox reſumpto,glorioſa & corpore,& anima à dextris filij adſtas in Cœlis. *Eccleſia in die Aſſumptionis ex Damaſceno ora. 2. de dormit. Pſal. 44.*

2. BENEDICTA TV.

1. BEnedicta tu à Domino in virtute ſua, quia per te ad nihilum redegit inimicos noſtros. *Iudith 13.*

2. Benedicta tu,per cuius partum antiqua maledictio tollitur, protoplaſtorum mutatur natura,deletur & culpa. *Verba ſunt Auguſtini ſerm. 18. de Sanctis.*

3. Benedicta filia tu à Domino, quia per te fructum vitæ communicauimus, cuius guſtu ad æternæ vitæ delicias,& perennitatem enutrimur,ac reparamur. *Eccleſia in Officio.*

3. BENEDICTA TV.

1. BEnedicta tu à Domino Deo excelſo præ omnibus mulieribus ſuper terram, quia hodie nomen tuum ita magnificauit, vt non recedat laus tua de ore hominum,qui memores fuerint virtutis Domini. *Iudith 13.*

2. Benedicta tu inter mulieres ab Archangelo Gabriele, & S.Eliſabeth meritò pronunciaris. *Luc.1.*

3. Benedicta tu non ſolum à S.Simeone ſene,& ab Anna prophetiſſa in tuæ mundiſſimæ Purificationis die; verum etiam à muliere illa de turba,quæ typum gerens Eccleſiæ catholicæ, Iudæorum furorem filium tuum calumniantium nihil verita, non minus piè quàm fortiter extollens vocem dixit illi: *Beatus venter qui te portauit,& vbera quæ ſuxiſti.* Quin etiam à filiabus Sion,ab animabus ſcilicet religioſis,quæ te viderunt, hoc eſt mentis oculis eximiam tuam dignitatem attentè expenderunt, collaudaris:imò ab illis, & ab omnibus generationibus, quemadmodum tu ipſa teſtata es beatiſſima prædicaris: *Quoniam* (vt verbis vtar Bernardi) *omnibus generationibus vitam, & gloriam genuiſti: in te enim Angeli lætitiam, iuſti gratiam, peccatores veniam inuenerunt in æternum.* *Luc.2.* *Beda b.4. in Luc. p.49.* *Cant.6.* *Luc.1.* *Bernardus ſermone 2. Pentec.*

IN MVLIERIBVS.

1. TV es mulier illa fortis à Salomone ſapienter deſcripta cunctis ſeculis deſiderata,cuius pretium procul,& de vltimis finibus. *Prou.31.*

2. Tu es fœmina illa apud Ieremiam, quæ in vtero virum circumdediſti, ideſt Chriſtum iam tum virum ſapientia perfectiſſimum abſque viri conſortio concepiſti. *Ierem.31.*

3. Tu inter mulieres virginitatis vexillum voto conſignatum prima omnium ſine exemplo extuliſti: quin etiam norma, & regula coniugatis, pariter atque viduis extitiſti.

BENEDICTVS FRVCTVS VENTRIS TVI.

FIlius tuus ſacratiſſimus fructus ventris tui ab omnibus benedictus prædicatur.

1. A S.Simeone Sene,& Anna prophetiſſa in templo. *Luc.2.*

2. A pueris Hebræorum in ſolemni die Palmarum ei acclamantibus: *Benedictus qui venit in nomine Domini Hoſanna in excelſis.* *Matth. 21.*

3. Ab Angelis, & Sanctis in Cœlo: quin etiam teſte S. Ioanne in ſua Apocalypſi: *Omnis creatura, quæ in Cœlo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo,omnes pariter Agnum benedicebant.* *Apoc. 5.*

2. FRVCTVS VENTRIS TVI.

Gen. 3. Sap. 14. 1. FIlius tuus benedictus est fructus ligni vitæ suauissimus, qui ex Crucis sacratissimæ ligno benedicto, per quod fit iustitia, pependit; mortemq; nostram ex peccato Adæ inflictam moriendo destruxit, & gustatus vitam reparat sempiternam.

Gen. 22. 2. Filius tuus est semen illud Patriarchis promissum, in quo benedicendæ erant omnes gentes terræ.

Psal. 126. 3. Fructus ventris tui est hæreditas Domini, & merces Beatorum in Cœlo.

VENTRIS TVI.

Luc. 11. 1. BEatus venter tuus, qui Aeterni Patris filium portauit.

Cant 7. 2. Benedictus venter tuus, qui fuit ficut aceruus tritici vallatus lilijs. Vmbilicus etiam tuus sicut crater tornatilis nunquam indigens poculis: ex te enim prodijt Christus Dominus, cuius pretioso corpore, & sanguine in hac nostra peregrinatione sub speciebus panis, & vini pascimur, nutrimur, ac roboramur.

Ioan. 6.

3. Venter tuus fœcundus ille quidem, sed tamen vallatus lilijs, quia candidissimæ virginitatis perpetua integritate ante partum, in partu, & post partum, vndiq; septus est; atque munitus, & contra dæmonum venena non secus, ac lilium contra serpentis ictus antidotum es præsentissimum.

Plin lib. 21. capit. 19.

1. IESVS.

Eccles. 46. 6 1. IESVS hoc est Saluator, qui est Magnus secundum nomen suum; maximus in salutem electorum Dei: hæc enim verba Eccl. 46. in laudibus Iesu Naue, qui

Matth. 1. apertissima Christi figura extitit proferuntur, Iesus namq; nomen suum implens, saluum fecit populum suum à peccatis eorum.

Epiphanius hæres. 29. Cyrillus Ierosolym. cath. 10. Basilius in asceticis. Salmer. tom. 3. tract. 37.

2. Nomen hoc Iesu ex græca etiam etymologia auctore Epiphanio, & alijs tantundem sonat, quod Medicus: ipse etenim cunctis animarum nostrarum languoribus medicinam affert: de hac medicina, quam Altissimus de terra creauit Eccles. 38. hoc est de Christo, qui ex carne Virginis est formatus, vberius cap. 20. huius Operis.

Isa. 62. Prouerb. 18.

3. Hoc nomen nouum, *quod os Domini nominauit*, & à nobis ob eius dignitatem eximiam, & altissima, quæ continet sacramenta penitus comprehendi nequaquam potest, iuxta illud Prouerb. 18. *Quod est nomen eius, & quod nomen filij eius si nosti?* hoc (inquam) nomen diuinorum attributorum proprietates exprimit, aliorum Christi nominum, quæ Isa. 9. & in alijs diuinorum oraculorum locis ei tribuuntur, mysteria in se vno complectitur, quemadmodum Manna, quod omne delectamentum, omnemq; habebat saporem suauitatis.

Isa. 9. Sap. 16.

2. IESVS.

CVius nomen sacratissimum.

Dan. 3. Psal. 75. & 8. 1. Sanctum est, & laudabile in secula Angelis, & Beatis in Cœlo.

Psal. 110. 2. Magnum, & admirabile hominibus in vniuersa terra.

3. Tremendum, atque terribile, dæmonibus in inferno.

3. IESVS.

CVius nomen glorioſum.

Dan. 3. Prouerb. 18. 1. *Turris est fortissima*, quæ iustum quemlibet, qui ad ipsum currit: tutatur, & exaltat.

Psal. 24. 48. 4. 2. Est maximè salutare, propter hoc. n. nomen Dominus peccatis nostris, quãtumuis magnis propitiatur, iuxta illud: *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo multum est enim: nec. n. aliud nomen est sub Cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos*

vos fieri: itaq; ab omnibus meritò magnificandum est, & in idipsum exaltandum, atque inuocandum: *Omnis enim, qui inuocauerit nomen Domini*, teste Ioele, *saluus erit.* Psal. 33. Psal 74. Ioel 2.

3. Est virtutis mirificæ, & efficacitatis inuictæ, de quo ipse Dominus: *In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint non eis nocebit, super ægros manus imponent, & bene habebunt: In hoc* enim *nomine Spernemus insurgentes in nobis* psal. 43. Act 2. Rom 10. Marc vlt. Psal. 43.

4. IESVS.

HOc benedictum nomen maiestatis Domini est *super omne nomen* ita *vt in nomine Iesu omne genu flectatur.* Psal. 71. Phil.

1. *Cœlestium*.
2. *Terrestrium*, &
3. *Infernorum*.

5. IESVS.

1. IN hoc nomine preces nostræ Patri Aeterno, & ipsi Christo sunt porrigendæ, vt exaudiantur, iuxta illud psalmi: *In nomine tuo leuabo manus meas.* & Ioan. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, & Ioan. 14. *Si quid petieritis me in nomine meo hoc faciam*. Psal. 62. Ioan. 16. & 14.

2. In hoc nomine Dei nostri nos ipsi magnificabimur. Psal. 19.

3. In hoc nomine sancto Domini sperare debemus psal. 32. & sanè *beatus vir, cuius est NOMEN Domini spes eius, & non respexit in vanitates, & insanias falsas.* Psal. 32. Psal. 39.

6. IESVS.

CVius nomen admirabile à sponsa oleum effusum esse dicitur, quoniam instar olei. Psal. 8. Cant. 1.

1. Corda peccatorum dura emollit.

2. Deuotionis ignem, ac feruorem nutrit, & acuit.

3. Faciem conscientiæ exhilarat: vires quoque, ac membra spiritualium athletarum ad pugnam cum dæmone, ac tyrannis fidei persecutoribus roborat, atque confirmat; ideò enim *Apostoli ibant gaudentes à conspectu Concilij, quoniã digni habiti sunt pro NOMINE Iesu contumeliam* pati: quare S. Ignatius præclarissimus Christi martyr antequã leonibus obijceretur in suis atrocissimis tormentis, sanctissimum Iesu nomen identidem appellabat; cuius rei causam cum à carnificibus rogaretur, se nomen hoc in corde scriptum habere; ideoq; ab eius inuocatione cessare non posse respondit. quo per martyrium vita functo, cum eius cor in partes esset dissectum, IESV nomen aureis litteris exaratum in singulis partibus inuentum est: quemadmodum refert Vincentius Beluacensis in speculo historiali lib. 10. cap. 57. & S. Antoninus par. 1. histor. tit. 7. cap. 11. Hinc voces illæ Regij Prophetæ in suis persecutionibus psal. 53. *Deus in nomine tuo saluum me fac.* & psal. 128. *Adiutorium nostrum in nomine Domini* sibi conferri suppliciter expoſcit. Psal. 103. Act. 5. *Vincentius Beluacensis.* *S. Antoninus.* Psal. 53. Psal. 128.

7. IESVS.

7 HOc nomen mellifluum olim (vt verbis vtar Bernardi sermone 15. in Canticq) Angelis, quibus in cœlo innotuerat, infusum, meritò à Sponsa oleo in homines etiam effuso comparatur. quemadmodum enim oleum fouet ignem, nutrit carnem condiendo cibos, & lenit dolorem: ita nomen Iesu, vt eleganter Bernardus ostendit loco citato. *Bernardus sermone 15. in Cant.*

1. Lucet prædicatum, ideoq; Paulus *vas electionis* à Christo est missus, vt coram gentibus, & regibus, & filijs Israel hoc nomen portaret, cuius luce cœlum, terrasque compleret. Act. 9.

2. Pascit recogitatum; eius enim memoria mentem spirituali adipe impinguat; exercitatos reperat sensus, virtutes roborat, vegetat mores bonos, castas fouet affectiones, & aridus est omnis animæ cibus si non oleo isto infundatur, insipidus nisi hoc sale condiatur.

3. Lenit inuocatum, & vngit: si enim adsit animi tristitia, cordis duritia, ignauię torpor, rancor animi, languor acediæ, alijq; spirituales morbi, atque languores, ad huius sancti nominis inuocationem his omnibus medicina affertur. Iesus enim suo nos exemplo sanat, suo nos roborat adiutorio. hæc ferè ad verbum ex Bernardo.

8. IESVS.

HOc sanctissimum nomen in tribus potissimum mysterijs celebratũ inuenitur.

Luc. 1. 1. In Annunciatione sanctissimæ Virginis Deiparæ legimus illud vocatum ab Angelo priusquam in vtero Dominus conciperetur illis verbis ad Deiparam: *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius IESVM.*

Luc. 2. 2. In sacratissima Domini Circumcisione cum à sanctissima Virgine hoc est ei nomen impositum.

Ioan. 19. 3. In amarissima Domini crucifixione est exaltatum, cum in triumphali titulo super crucem posito Hebraicè, Græcè, & Latinè fuit inscriptum IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM.

9. IESVS.

Psal. 134. Bernardus in Iubilo, & sermone 15. in Cant.

NOmen hoc *suauissimum*.
1. *In aure est dulce canticum*.
2. *In ore mel mirificum*.
3. *In corde iubilus, & nectar cœlicum*.

10. IESVS.

Isa. 12. Psal. 44. 1. Cor. 15. Verba Ecclesiæ in Hymno sanctissimi Sacramenti.

CVius nomen excelsum grata semper memoria nobis est recolendum cum ipse totum nobis se exhibere dignatus sit, factus omnia in omnibus; quippe qui.

1. *Se nascens dedit socium, conuescens in edulium* viatoribus.
2. *Se moriens in precium* peccatoribus.
3. *Se regnans dat in præmium* comprehensoribus.

11. IESVS.

Bernardus. Psal. 39. Ioan. 14. Thren. 3.

QVi, vt eleganter canit Bernardus in suo Iubilo.
1. *Spes est pœnitentibus*.
2. *Pius eum petentibus.*
3. *Bonus eum quærentibus: sed quid inuenientibus?*

12. IESVS.

Bernardus loco citato. Apocal. 15. & Colos. 1. Sap. 16. Cant. 5. Augustinus.

1. *REx est admirabilis, ac triumphator nobilis.*
2. *Dulcedo ineffabilis.*
3. *Totus desiderabilis.*

Quilibet ergo toto cordis affectu suauissimis illis verbis apud Augustinum lib. de cõtritione cordis cap. 5. tom. 9. *Sacratissimum nomen IESV crebrò inuocare sic studeat: IESV propter nomen tuum dulce, fac mihi secundum nomen tuum. IESV obliuiscere superbũ te prouocantem, respice piè miserum te inuocantem. IESV nomen tuum dulce, nomẽ delectabile, nomen confortans peccatorem, & nomen beatæ spei, Quid est n. IESVS nisi Saluator? ergo propter temetipsum IESV, esto mihi IESVS, esto mihi Saluator benignus: noli Domine,*

noli

noli attendere, sic malum meum, vt obliuiscaris bonum tuum: O bone Domine IESV, & si ego admisi vnde me damnare possis; tu non amisisti vnde saluare soles.

SANCTA MARIA.

8 1. QVæ sancta fuisti in tua immaculata Conceptione dum *progrederis, quasi Aurora consurgens* veri solis prænuncia; dæmones, aues nocturnas, fugans: Angelos, aues diurnas, ad Deum collaudandum excitans: omnes lętitia afficiens, & peccati tenebras expellens. *Cant. 6.*

2. Sancta in omni vita purissima, præsertim in tua salutari Annunciatione; cum filium Dei concipiens, facta es *pulchra vt luna* ab eodem Christo sole iustitiæ singulariter vndiq; illuminata: & ijs, qui in peccatorum tenebris degunt, non secus, ac luna in nocte, exemplo, precibus, & meritis præluces.

3. Sancta in tua glorioſa assumptione, quando *electa vt sol* processisti; omnes etiam iustos, qui in diuinæ gratiæ splendore viuunt tua interceſſione illuminans, & ad diuinum amorem inflammans.

1. MATER DEI.

1. TV es illa terra nostra à Domino benedicta, quæ dante Domino benignitatem, dedisti fructum tuum, & germinasti SALVATOREM. *Psal. 84. Isa. 45.*

2. Tu es mulier illa fortis à Salomone summis Encomijs celebrata, quæ facta es *quasi nauis institoris de longè*, hoc est de cœlo, *portans PANEM tuum*, Christum scilicet, qui est panis vitæ: & hunc *panem viuum, qui de cœlo descendit* per tuum partum virgineum enixa, in Bethelem, quæ domum panis sonat, exposuisti. *Prou. 31. Ioan. 6.*

3. Tu es *fons* ille *paruus* à Mardochæo per somnium visus, *qui creuit in fluuium maximum, & in lucem, solemq; conuersus est, & in aquas plurimas redundauit*; vt propterea ab Epiphanio, Damasceno, & alijs, *Fons lucis æternæ, quæ illuminat omnem hominem* meritò appelleris; *ex te enim ortus est sol iustitiæ Christus Deus noster*, qui de se ipse dicebat: *Ego sum lux mundi*. *Esther 10. & 11. Epiphan. serm. de Deipara. Damascenus or. 1. de Nat. Ioan 8.*

2. MATER DEI.

1. QVæ cum sis Genetrix Dei, qui est omne bonum, cui vni quicquid boni habemus, acceptum referimus; à quo bona cuncta speramus; cui tot nominibus tantum debemus: ideò tu præ omnibus secundum Deum summa charitate, atque amore à nobis es diligenda. *Psal. 88.*

2. Quæ cum ex hâc Dei maternitate dignitatem quandam infinitam sis assecuta, singulari propterea reuerentia, & adoratione, quam vocant hyperduliam, præ cæteris Sanctis es colenda. *D. Thomas 1. p. q. 25. art. 6. ad 4. 2. 2. q. 103. art. 4. ad 2.*

3. Quæ propter hanc intimam cum filio coniunctionem, ea apud ipsum vales auctoritate, vt magna fiducia sub tuum præsidium confugere possimus, quo apud eum pro nobis intercedere, & quæ saluti nostræ sunt necessaria ab eo impetrare digneris: quid enim negabit matri ostendenti pectus, & vbera? *Ecclesia in Officio.*

3. MATER DEI.

ITaque cum tuo Bernardo precamur. *Bernardus sermone 2. de Aduentu.*

1. *O benedicta inuentrix gratiæ,*

2. *Genitrix vitæ.*

3. *Mater salutis. Per te accessum habeamus ad filium, vt per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis.*

1. ORA PRO NOBIS.

9 1. CVm sis vera Dei Genitrix,ac proinde Regina cœlorum; Domina item Angelorum,atque hominum:idcirco nos seruos, ac famulos tuos opem tuam humiliter implorantes,precibus,ac meritis tuis defendere,ac protegere dignare.

2. Cum mater nostra vocari non dedigneris; idcirco pro nobis filijs tuis, licet indignis,sub tuum præsidium confugientibus, apud sacratissimum filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum,quæsumus intercedere digneris.

3. Cum *Mater misericordiæ, Mediatrix, item & Aduocata nostra* meritò voceris,*ad nos gementes,& flentes in hac lacrymarum valle,illos tuos misericordes oculos conuerte*, & clientum tuorum piè te inuocantium patrocinium apud Iudicem filium tuum, vt suscipias,enixè rogamus.

2. ORA PRO NOBIS.

Bernardus loco citato.

CVm eodem Bernardo oramus.

1. *Domina nostra*,
2. *Mediatrix nostra*.
3. *Aduocata nostra*.
1. *Tuo filio nos commenda*.
2. *Tuo filio nos reconcilia*.
3. *Tuo nos filio repræsenta*.

PRO NOBIS PECCATORIBVS.

1. FAtemur nos multis sceleribus obstrictos; sæpè, ac grauiter nostris peccatis tuum filium Deum nostrum offendisse, eumq; ad iustam de nobis vltionem sumendam prouocasse.

2. Ideoq; omni pœna,ac supplicio dignos.

3. Verumtamen ad eius misericordiam supplices te Mediatrice confugimus.

NVNC.

10 1. HOc est in hac præsenti vita,quæ veluti nunc & instans indiuisibile velox est, breuis, ac momentanea.

2. Nunc, quia ex huius vitæ spatio nihil habemus præter hoc præsens NVNC fugax, & indiuisibile: præteritum enim præterijt; & ignoramus quantum nobis vitæ in futurum supersit.

Cant. 2. *Ioan. 9.*

3. Nunc dum in hoc exilio,& valle laerymarum sumus,*donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ*; quando adhuc tempus est misericordiæ *antequam veniat nox, quando nemo potest operari:* nunc igitur *ad te clamamus,ad te suspiramus gementes & flentes, vt Iesum benedictum fructum ventris tui,nobis post hoc exilium* ostendere digneris.

ET IN HORA MORTIS NOSTRAE.

Concil. Trident. sess. 14. Gen. 3. Ecclesia in hymno, O gloriosa Domina. Concil. Triden. sess. 6. can. 16. & 32.

1. NOs omnes tuum suppliciter imploramus auxilium; vt in extrema illa,& periculosa pugna, qua callidus serpens nostræ vitæ calcaneo insidiatur, Tu Dei Genitrix nos ab eodem hoste protegere,eiusq; caput conterere digneris.

2. Vt iustificationis gratiam, & in accepta iustitia magnum illud vsque in finem perseuerantiæ donum, quod sine speciali Dei auxilio haberi non potest, nobis efficaciter impetrare digneris.

3. Vt in hora mortis nos suscipere, filioq; tuo præsentare digneris.

AMEN.

AMEN.

ITa fiat.
1. *O clemens,*
2. *O pia.*
3. *O dulcis Virgo Maria.*
1. *Per latus,& vulnera ſacratiſſima filij tui,quæ pro nobis ſuſcipere eſt dignatus.*
2. *Per pectus,& vbera tua ſanctiſſima,quibus illum aluiſti,atque fouiſti.*
3. *Per viſcera miſericordiæ tuæ benigniſſima, quibus omnes ad te confugientes complecti non dedignaris.*
1. *Fac ò benedicta per gratiam,quam inueniſti.*
2. *Per prærogatiuam,quam meruiſti.*
3. *Per miſericordiam,quam peperiſti.*

Vt qui te mediante fieri dignatus eſt particeps humilitatis,& miſeriæ noſtræ,te quoque intercedente participes nos faciat beatitudinis, & gloriæ ſuæ IESVS Chriſtus filius tuus Dominus noſter, qui cum Patre, & Spiritu ſancto eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. Amen.

Bernardus ſermone 4. de Aduentu ad verbum.

SALVTATIONIS ANGELICAE SINGVLA verba, quo modo ſingulis Deiparæ Virginis Feſtis, præcipuisq. actionibus aptè reſpondeant; adnotatis locis huius Operis, in quibus de his vberius agitur.

Gulielmus Durandus in rationali diuinorum Officiorum lib. 7. cap. 7. Salutationem Angelicam aliæ ratione quatuor tantum feſtiuitatibus Virginis hoc ordine accõmodat, Annuntiationi, Aſſumptioni, Natiuitati, atque Purificationi.

Ea porrò ad duodecim,inſtar coronæ ſtellarum duodecim, quibus redimitam illam conſpexit S.Ioannes Apoc.12.reuocari poſſunt. Sunt autem.

1. Conceptio.
2. Natiuitas.
3. Præſentatio in Templo.
4. Annunciatio.
5. Viſitatio.
6. Partus.
7. Circũciſio Domini,in qua ipſa ei nomen impoſuit.
8. Purificatio.
9. Feſtum ad Niues,& alia huiuſcemodi feſta.
10. Aſſumptio.
11. Sabbatum ei dicatum.
12. Feſtum perenne eiuſdem Virginis in Cælo.

II 1. AVE. Conceptioni Immaculatæ; Aue enim,vt cap. 5. huius Libri diximus, idem eſt,quod Gaude:ſola aũt Virgo Deipara inter puros homines de ſua Conceptione gaudere, ac lætari meritò poteſt: quippe ſola in hanc vitam ſingulari Dei priuilegio originali labe (propter quam reliquis,qui eam contrahunt meritò lugendum eſt) immunis emerſit. Quòd ſi vulgarem illam notionem S.Bonauenturæ,S.Antonino, & alijs probatam ſequamur,vt Aue idem ſit,quod ſine væ.hoc eſt ſine miſeria, de qua tamen re plura cap.5 huius Operis. Id verò rem ipſam propius quàm vocis etymologiã attingit.Iure etiam optimo Deipara abſque vę in ſua Conceptione eſſe perhibetur,quæ labem illam,ſeu væ primigenium, miſeriarum omnium fontem Deo prohibente neutiquam contraxit.

Conceptio. *De Conceptione immaculata cap. 4. & 7.*

2. MARIA. Natiuitati ſanctiſſimæ, in qua hoc ei nomen mellifluum iuxta ac glorioſum inditum eſt,à nobis omni affectu, ac reuerentia contra dæmonum æſtus,ac ſæuitiam identidem vſurpandum,atque inuocandum.

Natiuitas. *De nomine Deiparæ cap 4.*

3. GRATIA PLENA. Præſentationi deuotiſſimæ,quando trimula in Templo à parentibus oblata ſeipſa Deo dicauit,ibiq; vniuerſas filias,quæ ſibi ſpirituales diuitias cõgregauerant longè ſupergreſſa,copioſiſſimæ,qua plena erat,gratiæ ſpecimen,ac preclariſſimarum,& heroicarum virtutum,quæ talem,tantamq; gratiam comitabantur,exemplum cunctis dedit abſolutiſſimum.

Præſentatio. *De Præſentatione in Templo cap. 8. De eiuſdem virtutibus cap. 19.*

4. DOMINVS TECVM. Annunciationi ſalutari, in qua præpotens Dominus ex eius puriſſimis ſanguinibus carne ſuſcepta, in eius virgineo vtero nouem menſibus habitauit,ac proinde ſingulari ratione cùm illa fuit.

Anounciatio. *De Annuatiatione cap. 5. & cap 8.*

5. BE-

Visitatio. Cap. 7.

5. BENEDICTA TV IN MVLIERIBVS. Visitationi humillimæ cum à S. Elisabeth Spiritu sancto repleta hoc elogio est exornata.

Partus. De virginitate Deiparæ cap. 32. De fructu ventris eius cap. 8.

6. ET BENEDICTVS FRVCTVS VENTRIS TVI. Partui virgineo, quo absque vllo dolore Christum Iesum benedictum ventris sui fructum, qui gustatus vitam confert sempiternam, nobis enixa est.

Circumcisio.

7. IESVS. Circumcisioni sacratissimæ dulcissimi eius filij, quãdo ipsa iuxta id, quod ab Angelo ei est præsignificatum, *& vocabis nomen eius Iesum*, diuinum hoc ei nomen imposuit, quod inuocatum omnem cordi suauitatem, ac pietatis sensum infundit, dæmonesq; hostes nobis infensissimòs quàm longissimè auertit.

Purificatio. De Purificatione Deiparæ cap. 37.

12 8. SANCTA MARIA. Purificationi mundissimæ, in qua cum ipsa, quæ & Virgo, & puritatis, & sanctitatis laude conspicua erat, nec purgatione egeret, nec vllis purificationis legibus teneretur, singulari humilitatis, & obedientiæ exemplo, ad templum accessit, filium suum dilectissimum Patri æterno obtulit, seq; sponte Purificationis legi subiecit.

Festum ad Niues, & reliquæ Virginis festiuitates. De his, & de Templis Deiparæ cap. 29.

9. MATER DEI. Festo admirabili, quod vocant ad Niues, alijsq; Deiparæ solemnitatibus, quibus aliquod eius siue præconium, siuè in genus humanum beneficium celebratur: etenim huiusce modi prærogatiuis, ac crebris, & admirabilibus miraculis, se Dei Matrem, ac rerum omnium Dominam declarat; idemq; nos Templis in eius honorem excitatis, Festis diebus ei dicatis, alijsq; obsequijs reuerenter fatemur, grataq; memoria recolimus.

Assumptio. De Assumptione cap. 6. & cap. 12. Hebr. 9. Gen. 9. Quod sit Aduocata cap. 30.

10. ORA PRO NOBIS PECCATORIBVS. Glorioſæ Assumptioni: quemadmodũ enim Christus Dominus teste Apostolo Hebr. 9. *In ipsum Cœlum introiuit, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis* ostendens Patri latus, & vulnera: sic Deipara in cœlum assumpta vultui filij apparet veluti arcus in nubibus (qui est diuinæ clementiæ signum) eiq; pectus ostendit, & vbera, quibus pro NOBIS PECCATORIBVS eius misericordiam inuocare non cessat. Quocirca in oratione, quam Secretam vocant, Missę vigilię Assumptionis eiusdem Virginis Ecclesia per Deiparæ preces exaudiri à Deo suppliciter orans, de eadem verba illa pronunciat: *Quam idcirco de præsenti seculo transtulisti, vt pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat.*

Sabbatum Deiparæ dicatum cap. 11.

11. NVNC. Dici sabbati Deiparæ peculiariter dicato, quo NVNC, hoc est in præsentis vitæ decursu, quæ instar NVNC est breuissima, Ecclesia Virginis Deiparæ perpetuam memoriam recurrentibus hebdomadis recolit ob gladium doloris, qui eius animam pertransiuit, idq; die potissimum sabbati, quo filij corpus exanime in sepulchro iacuit, eiusq; præsentia destituta erat; simul etiam ea, quæ filius ipsa inspectante atrocissima passus erat apud se reputans acutissimo animi dolore veluti gladio confodiebatur vsque ad illius resurrectionem die Dominico, quam firmissima fide præstolabatur.

Festum perenne in cœlis cap. 24.

12. ET IN HORA MORTIS NOSTRAE. Festo perenni in cœlis: cum enim Deipara iuxta crucem morienti filio, quem Aeterno Patri prompta voluntate offerebat, forti quidem animo, sed non absque ingenti cordis sui cruciatu astiterit; nosq; omnes eo tempore ab eodem Christo in Ioanne dilecto discipulo commendatos in filios susceperit: mirum non est si suis clientibus, atque deuotis mortis eorum tempore, vt vitæ huius peregrinationem sancto fine claudant, peculiari patrocinio assistere, tartareiq; draconis vitæ nostræ calcaneo insidiantis caput conterere ei diuinitus sit datum, quo illi in cœlum ad æternam felicitatem, & ad perenne festum, & gaudium, quod Beati ex Deiparæ præsentia capiunt feliciter aliquando perueniant.

De gaudio ex Virginis præsentia cap. 31.

AMEN. Sic fiat *Domina nostra, Mediatrix nostra, Aduocata nostra.*

Bernardus.

Per sacratissima vitæ tuæ mysteria.

Per gaudia septem, doloresq; totidem, quibus dum in terris degeres, potissimũ affecta es.

Per priuilegia tibi singulariter concessa.

Per gloriam, qua nunc in Cœlis regnas.

Per viscera misericordiæ tuæ, quibus omnes ad te confugientes materna pietate complecteris; vt qui te veram Dei genitricem veneramur in terris, tuis precibus, ac meritis adiuti, videre, & colere te mereamur in Cœlis, ò clemens, ò pia, ò dulcis Virgo Maria. Amen.

TRA-

TRACTATVS DE EXEMPLIS, AC MIRACVLIS DEIPARAE.

PIO LECTORI.



VLTA de diuino Throno diuinitus accepta nobis tradit S. Ioannes Apoſtolus in ſacra Apocalypſi; inter illa hoc quoque eſt, quod nos cap. 20. huius de laudibus Deiparæ Libri explicandum, ac quomodo Deiparæ aptari poſſit demonſtrandum ſuſcepimus. *Et de Throno*, inquit, *procedebant Fulgura, Voces, & Tonitrua.* At iam cap. 20. communi Doctorum ſententia *Fulgura*, miracula eſſe diximus; quippe quæ luce, & ſplendore ſuo coruſcant: *Voces* autem ſuaues prædicantium cohortationes, quibus deuij peccatores ad viam ſalutis reuocantur. *Tonitrua* denique, graues eorundem increpationes, quibus ſopiti in ſceleribus peccatores excitantur, ac terrore concutiuntur. Præter hæc autem per Tonitrua libet pœnas interpretari blaſphemorum in Deiparam, vel Hoſtium Eccleſiæ euerſiones, quæ ex Deipara ſæpe procedere, eiuſq; ope, atque præſidio fieri, ſatis capite illo exemplis oſtendimus. Iam verò, quia huius generis exempla, quæ diuerſis in locis, ac temporibus acciderunt multa ſunt, quæ ſi omnia in caput illud conferantur, iuſtam capitis magnitudinem longè excederent: ſi omittantur rebus fraudaretur Lector ſcitu, vt ipſe quidem arbitror, non iniucundis. Idcirco nonnulla in ipſo capite, quæ & cæterorum ſpecimen ſint, & propoſitum perſpicuè probent, ſelegi. Reliqua verò, quę ex probatis Auctoribus multo labore, ac ſtudio conquiſieram, in hunc ad finem Operis Tractatum reieci, qui ſit capitis vigeſimi APPENDIX. quo in tractatu eodem ordine, totidemq; ſectionibus exempla narrabimus quæ vel ſingularia in homines beneficia, ſiue ab ipſa DEIPARA, ſiue à viris Sanctis, Deiparæ tamen inuocatione, ſiue ab eadem Deipara certis in Templis præſtita: vel peccatorum conuerſiones tum blanda, tum ſeuera admonitione editas: vel blaſphemorum in Deiparam pœnas: vel denique Hoſtium Eccleſiæ interneciones Deiparæ vi, ac præſidio illuſtres palam faciunt. Quæ in ipſo tractatus veſtibulo te piè Lector monitum volui, vt prænoſceres, cur in has claſſes hæc exempla redegerim, nimirum vt dilucidius conſtet EX DEIPARA TANQVAM EX DIVINO THRONO PROCEDERE FVLGVRA, VOCES, ET TONITRVA.

Quomodo fulgura, voces, & tonitrua ex Deipara per thronum Apocalyp. 4. figurata procedant. Cap. 20.

SVMMARIVM.

Varia Deiparæ miracula ex diuerſis Auctoribus ſectione 1. num. 1.

Aliquot Deipaaæ miracula ex Vincentio Beluacenſi lib. 7. ſpeculi hiſtor. nu. 3.

Aliquot Deiparæ miracula recentiora ex hiſtoria Indica P. Petri Maffei Societatis Ieſu num. 7.

Ciuitas Imperialis in Chilenſi Regno apud Peruanam Regionem in India Occidentali ab Indis obſeſſa, Deiparæ præſidium in neceſſitatibus experta num. 9.

Mira-

Miracula aliquot à viris ſanctitate præclaris inuocatione Deiparæ alijs exhibita, quæuè in ſeipſis ſunt experti ſect.2. nu.10.
Miracula Deiparæ certis in Templis edita ſect.3. nu.14.
Miracula in æde Lauretana ibidem.
Miracula quædam in Deiparæ templo Sueſſionenſi in Gallia nu.19.
Miracula feretri B.Mariæ Laudunenſis nu.21.
Miracula Templorum B.Virginis in Germania ex Tritemio nu.22.
Miracula in Eccleſia B.Virginis de Vrticeto nu.24.
Admirabiles complurium peccatorum conuerſiones per Deiparam factæ ſect.4.nu.25.
Inſignes quidam peccatores Deiparæ Lauretanæ beneficio ad pietatem mirabiliter conuerſi num.26.
Regis Aragoniæ, & Comitis S. Aegidij diſcordia per Deiparæ Imaginem compoſita num.28.
Puella quædam Iudæa Deiparæ auxilio ad Chriſti fidem conuertitur nu.29.
Regis Monomontapæ per Deiparam ad Chriſti fidem conuerſio nu.30.
Aliqui à Deipara clementer puniti, ſeu alia ratione admoniti reſipiſcunt ſectione 5. num. 31.
Vdonis in ſceleribus obſtinati miſerabilis interitus nu.36.
Nonnulli in Deiparam impij membrorum priuatione, vel etiam morte mulctantur ſect. 6. num.37.
Hæretici, alijq; Eccleſiæ hoſtes Deipara eam protegente miſere perierunt ſect.7. nu.42.
Neſtorius ſuæ in Deiparam impietatis pœnas ſoluit nu.43.
Anatolium Impium Deipara auerſatur nu.97.
Italia à Gothis per Deiparam liberata anno 553. nu.45.
Conſtantinopolis per Deiparam ab obſidentibus Barbaris ſeruata nu.46.
Victoria de Barbaris Deiparæ præſidio à Theodoro Heraclij Fratre, & ab ipſo Heraclio parta nu.47.
Conſtantinopolis à Saracenis obſeſſa ſæpe Deiparæ præſidio ſeruata nu.48.
Inſignis victoria de Mauris in Hiſpania Deiparæ præſidio reportata anno 718. numer. 49.
Saraceni Tarſi commorantes Deiparæ interceſſione ingenti clade profligantur nu. 50.
Deipara ad recuperandam ab infidelibus Ieroſolymam inuocata nu.51.
Ingens Maurorum exercitus in Hiſpania anno 1212. ope Deiparæ ad internecionem deletur nu.52.
Deipara à Barbaris magna eorundem clade Carnutenſes tutatur nu.53.
Ioannes Zemiſces Deiparæ ope Barbaros profligat nu.54.
Ioannes Comnenus Deiparæ auxilio, Scytharum exercitum delet nu.55.
Conſtantini Copronymi, & Leonis Iſaurici Hæreticorum mors execranda nu.56.
Albigenſes Hæretici in Gallia per Deiparam extincti nu. 57.
Infideles Dienſem arcem oppugnantes Deiparæ patrocinio profligantur nu.58.
Ingens Angolæ de Barbaris Deiparæ auxilio parta victoria nu.59.
Victoria Naualis de Turcis anno 1571. Deiparæ precibus parta nu.60.
Conflagratio hoſpitij Montis Virginis, & quamplurimorum miſerãdus interitus. Quorundam item admirabilis ab incendio per Deiparam ſalus anno 1611. nu.62.

VARIA DEIPARAE MIRACVLA ex diuerſis Auctoribus, ſectio prima.

Iſaacius Imperator Conſtantinopolitanus, D.V. ope victoriam conſequitur.

ISaacius Angelus Imperaror Conſtantinopolitanus anno ſalutis 1187. cum à Brana Tyrãno exagitaretur, Dei Genitricis Imaginem ex Hodegio Monaſterio trãſtulit in Mœnia Vrbis, vbi bellum, & aggreſſus hoſtium timebatur, & Monachos quos credidit sãctiores introduxit in Regiam ad preces, Nudipedalia, Humi Cubationes, & alias ſanctas exercitationes frequentandas: atque ita ab imminenti exitio liberatur ope Conradi Lõgobardi Ducis è Monte ſerrato occiſo Tyranno. hæc Nicetas in Annalibus.

S. Adel-

S. Adelbertus Epiſcopus Pragenſis, qui Polonis, & Hungaris Euangelium prędicauit, & anno Domini 997. inclyto martyrio eſt coronatus; cuius dies in Martyrologio 23. Aprilis annotatur. cum adhuc infantulus lac ſugeret febri correptus proximã ſibi mortem inſtare præſeferebat. Territi ergo parentes à quibus vnice diligebatur voce tremula dixerunt: *Non nobis Domine, non nobis viuat puer iſte, ſed Clericus in Dei Matris honorem portet iugum tuum pulchra ceruice.* Sic dicunt, ponuntq́; ſub altare Virginis, & receſſit in ictu oculi vis doloris: infantulus ad ſe redit, ſoſpes in omnibus membris. Bona Angelorum Imperatrix Auguſta Virgo perpetua, ſic ſic ſe inuocantium ad Deum portat hominum vota, dum negare neſcit ex corde petentibus, dum de Cœlo fert opem ægris mortalibus. Splendida ſtella maris, ſignaſti iam ſeruum Virgo Maria tuum. hæc in eius vita apud Surium.

S. Adelbertus Epiſcopus Pragens. & mart. cum infans ægrotaret à Deipara valetudini eſt reſtitutus.

Surius.

Is factus deinde Epiſcopus, & Monaſtico etiam habitu ſuſcepto tanta vitæ ſanctimonia claruit, tanto animarum zelo flagrauit, vt ſe Dei Genitricis alumnum, cuius ope ſanitatem adeptus erat, egregiè comprobarit.

S. Petrus Cęleſtinorum Inſtitutor, ſummo Pontificatu depoſito clarus: cum eſſet trimulus, ligno acuto in dextero oculo percuſſus, excæcatur: deſperata à Medicis eius curatione, Mater de B. Virgine confidens, ad quandam eius Eccleſiam puerum deferens, ibi vna nocte vigilat, & orat: & dum maternus oculus inter deuota precum ſuffragia lacrymatur, oculus filij ipſo mane ſanus, & abſque macula reſtauratur. hæc Petrus de Aliaco Cardinalis in eius vita cap. 4. apud Surium 19. Maij.

S. Petro Celeſtino oculus à Deipara reſtituitur.

Petrus de Aliaco Cardinalis

2 De miraculis quoque Deiparæ editis in Templo extructo à Cyro, qui cum eſſet Ethnicus, præfecturam Conſtantinopolitanæ Vrbis geſſit ſub Theodoſio Iuniore circa annũ Domini 446. poſtea verò Chriſtianis ſacris ſuſceptis in Smyrnæorum Epiſcopum eſt promotus, hæc ſcribit Nicephorus lib. 4 hiſtor. cap. 46. agens de eo. Huius quoque eſt opus templum Dei Genitrici dicatum, quod Cyri dicitur, in quo fama eſt Romanum illum Cantorem eximium propter carmina decantata honorem, & præmium virtutis à Dei Genitrice recepiſſe. Templum autem id huiuſmodi occaſione iſthic eſt erectum. Cupreſſus in eo loco ingens, & procera fuit, in qua ſuperioribus temporibus neſcio quo modo, Imaginem Dei Genitricis quidam occultauit. Cum autem multum præterijſſet temporis, & Imago lateret, ipſa ſe ipſam indicauit. Cupreſſus enim immenſo coruſcans lumine perinde, atque fax vna ardere viſa eſt, & ingens etiam miraculorum vis ab obſcura, & latenti efficacia manauit. Vbi autem quidam curioſitate laudata arborem conſcendit, Imago ea, vnde miraculorum vis profluxit apparuit. Quapropter Cyrus loco ei honorem habens, pulcherrimum, & maximum Dei Genitrici conſtruxit templum. hæc Nicephorus.

Deiparæ miracula in templo Cyri Epiſcopi Smyrnæorum. Nicephorus.

Damaſci Deiparæ ſacra Imago oleo ex ea manante non tantum Chriſtianis, ſed & Saracenis, ac Iudæis ſubueniebat, teſte Arnoldo Abbate Lubecenſi, qui id vidit cum in Palæſtinam eſt peregrinatus, & habetur apud Cardinalem Baronium tom. 10. ad annum Domini 870. Item à Damaſco, inquit Arnoldus, ad tria millia eſt locus quidam in montibus ſitus, qui Saidanaida vocatur, & à chriſtianis inhabitatur. Et eſt ibi Eccleſia in rure ſita, & in honorem glorioſæ Virginis dedicata, in qua Moniales virgines duodecim, & Monachi octo aſſidue Deo ſeruiunt, & B. Virgini. In qua Eccleſia vidi tabulam ligneam ad menſuram vnius vlnæ longam, & latam ad modum dimidiæ vlnæ retro altare in muro ſanctuarij in feneſtra poſitam, & ferro laquealiter cancellatim firmatam. In qua tabula effigies B. Mariæ Virginis aliquando depicta fuit, ſed nunc (quod dictu mirabile eſt) pictura ſuper lignum eſt incarnata, & oleum odoriferum ſuper odorem balſami inceſſanter ex ea manat. De quo oleo multi Chriſtiani, Saraceni, & Iudæi de diuerſis languoribus ſæpe liberantur. & nota quod oleum illud nunquam imminuitur quantumcumque inde accipiatur. Nec prædicta tabula à quoquam tangi audetur, videri autem omnibus hominibus conceditur; oleum verò illud à Chriſtiano religioſe conſeruatur, augmentatur, & cum pro quocumque cum deuotione, & fide ſincera ſumptum fuerit, pro honore ſanctæ Virginis, commiſſiſq́; ſolemnitatibus indubitanter impetrabitur. Ad hunc locum in Aſſumptione, & die glorioſæ Natiuitatis ſuæ omnes Saraceni

Deipara Imago Damaſci ſaluberrimum cunctis oleum fundit. Arnoldus. Baronius. Arnoldus.

ceni illius Prouinciæ,vna cum Christianis causa orandi confluunt, & Saraceni cæremonialia illic sua offerunt cum maxima deuotione. Nota, quod hæc tabula primo Constantinopoli facta, & depicta fuit; tunc temporis quædam Abbatissa supradicti loci causa orationis Ierusalem descenderat, & impetrata tabula à Patriarcha Ierosolymitano eam secum ad Ecclesiam sibi commissam transportauit. Fuit autem hoc Incarnationis anno octingentesimo septuagesimo: sed postea per multa tempora cæpit oleum sacrum ex ea manare. hucusque Arnoldus.

ALIQVOT SELECTA DEIPARAE MIracula ex Vincentio Beluacensi lib. 7. speculi histor.

Aliqua Deiparæ miracula ex Vincentius Beluacensis.

3 VIncentius Episcopus Beluacensis ex sacro Ordine Prædicatorum Theologus fuit eruditissimus, qui anno 1244. suum Speculum historiale absoluit, quemadmodum ipsemet ad calcem illius Operis testatur. Is in libro septimo eiusdem speculi capit. 81. nonnulla Deiparæ miracula non absque delectu se conscribere affirmat [illegible] Nos quædam ex illis hoc loco inseremus adiecto capite, vnde sunt deprompta.

Maria opem implorans quidam in medijs fluctibus seruatur.

Quidam ex naui,quæ aquis per inferiorem hiatum irrumpentibus mergebatur, cum in cimbam,in quam Episcopus quidam cum nonnullis alijs ex ipsa naui propter eãdem causam se demiserat,descendere vellet, in mare decidit; atque ad ima pelagi demersus nusquam comparuit. Episcopus tandem cum cimba deuectus, terræ cum socijs applicuisset, ecce socium, quem inter duas cecidisse naues in mare diximus, de mari subito viuum,& incolumem vident exire. Quærunt stupentes,& de recepto socio exultantes, quid ei acciderit, quomodo à marinis fluctibus liberari sic potuit. Qui ait beatæ Dei Genitricis cum in aquam caderem nomen exclamaui, sicq; eius, & memoriam habendo, & nomen declamando ad ima pelagi deueni. At ipsa misericordiæ Mater Virgo Maria, quæ memorum suorum immemor nullatenus esse potest, mihi sub vndis astitit, pallioq; suo me clementer contexit, & contectum sub aquis vsque ad littus perduxit, hæc eo dicente,laudes Deo referuntur,& Mater misericordiæ ab omnibus prædicatur. Vincentius cap.88.

Tempestas maris sedatur.

4 Abbas quidam in medio maris Britannici nimia cum alijs multis oppressus est tempestate; adeò vt omnes de vita cogerentur desperare. Itaq; alij B. Nicolaum, alij sanctum Clarum,alij pium Andream,vel quemlibet alium inuocabant. Vnusquisque enim quem familiarem sanctum habuerat,eum in necessitate sua familiarius inuocabat. Aliqua etiam offerebant munuscula,vt moris est tempestate marina deprehensis. Cumq; Abbas videret omnes istos,vel illos sanctos inuocare,neminem autem Matrem misericordiæ, Sidus marinum, cæteris omnibus misereri potentiorem Mariam nominare. *Quid est,*inquit,*quod agitis fratres,quid cæteros,qui minus possunt tantum inuocatis; & ipsam,quæ plus omnibus potest relinquitis? bonum quidem est,quod facitis, sed multo melius esset, si omnes vna voce Matrem misericordiæ acclamaretis.* Quo illi præcepto omnes vna voce Matrem Dei nominant,omnes,vt sui misereatur proclamant. & ipse quoque Abbas, qui præter vnum pomum nihil comederat, quiq; per duos dies,ac noctes ita afflictus erat, quod vix respirare poterat; illud responsorium, *Felix namq;* cum suo versiculo: *Ora pro populo*, deuotissime cum Monachis suis cantare cæpit, vixq; finierat populus precem cum lamentatione,& Monachi cantum cum deuotione,& ecce in summitate mali lux magna,instar cerei apparuit,qui noctis tenebras fugans,omnes qui erãt in Naui sua claritate perfudit,totaq; pelagi cessauit tempestas,& cœli Regina iubente, facta est tranquillitas. Nec multum post,dies serenus illuxit,& terrę ad quam tendebat nauis applicuit. Vincentius cap.89.

Beluacensis.

Puella morbo insanabili percussa sanatur.

In suburbio Nouionensi quædam puella pauper,manu,& arte victum quærens, dum in die festo Annunciationis Dominicæ, prout nendo moris est mulieribus, filum saliua madefaceret, idem filum linguæ eius adhæsit, & labia vtraque quasi conuinculata distorsit,labioq; intumescente, pene lingua obmutuit præ nimio dolore, os eius deturpauerat

uerat ſaliua coagulata in ſpumam, & labia linguæ connexa vim naturaliter expuendi amiſerant: puella flebat, & quid ageret ignorabat, vicini eam ad impetrandam cœlitus indulgentiam ſancto præſentauerunt Eligio, ſed redierunt infecto negotio. Itur poſtmodum ad S. Mariæ Monaſterium principale, ideſt ad Pontificalem ſedem Nouionenſis Eccleſiæ. Ibiq; in conſpectu aſtantium, & pro ea rogantium gratia diuina labellulo vinculum excuſſit, & populum ad gratiarum actionem prouocauit. Vincentius loc. cit.

5 Quidam pauperculus homuncio in vicinia Aquinẽſi habitans cum quadam die per villam deambularet lapidis offenſione pedem, quem nudum habebat ſibi leſit, & vi doloris ſubſtomachans Diabolum nominauit, dicens lapidem illum in nomine diaboli ibi fuiſſe poſitum. & ecce vix adhuc ſermone finito, repente, quaſi violẽta iniectione aquæ feruentis faciem totam perfundi ſentiens, ſtatim ſubſtitit, & ſe de loco mouere non potuit. Ex oculis eius multa aquarum abundantia guttatim defluere cepit, ita quod nihil omninò videre potuit, ſed ad domum ſuam reductus cæcitate oculi dextri perdurante, lumẽ ſiniſtri recepit. Et ecce tota facies eius in tumorem conuerſa oculi, naſus, os, ita tumore excreſcente diſparuerunt, vt non niſi deforme monſtrum videretur. Quatuor autẽ diebus euolutis inflatio illa paululum exinaniri cepit, ſed tota facies eius ita ignitis puſtulis, & veſicis turgentibus oppleta eſt, vt ab omnibus elephantico morbo percuſſus diceretur. Poſt hoc morbus ad inferiora deſcendens à renibus, vſque ad ſummos pedum articulos tam miſerabiliter occupauit, vt curuatis poplitibus tali natibus adhærerent, adeo, vt horrenda cõtractione totus quodammodo in globum vnum redigeretur, ſicq; tota illa inferior corporis pars inſenſibilis manſit, vt ſi igne adureretur ardere quidem poſſet, ſed omnino ſentire non poſſet. Nunquam de lecto per ſe ſurgere, nunquam ſe ad ſedẽdum erigere, vel in quodlibet latus reclinare potuit, ſed ſemper reſupinatus iacuit. Per feneſtellam verò, quæ lecto eius contigua erat à tranſeuntibus ſibi eleemoſynam mitti miſerabiliter vociferando implorabat, vnde ſe, ſuosq; ſuſtentabat: quamuis autem eum, & paupertatis inopia, & infirmitatis anguſtia grauiter affligeret, ſtudebat tamen in doloribus ſuis Deo ſemper gratias agere, & pro benefactoribus ſuis aſſidue orare, ieiunijs quoq; operam dare, peccata ſua ſemper præ oculis habere, & pro eis humiliter Deo ſupplicare. Appropinquante autem tempore miſerendi eius, quo Deus eum liberandum prouiderat, quadam die Reſurrectionis Dominicæ cum longe fatigatus inedia peruigil iaceret, & apud Aquitinctum ad nocturnas laudes ſigna pulſare audiret, caput erigens, & verſus præfatum locum protenſis manibus reuerenter inclinans, Saluatoris clementiã exorabat. tunc ecce ſubito cernit ſibi quandam in ſpecie mulieris pulcherrimam, ac reuerendi aſpectus, & habitus perſonam aſſiſtere, quæ commemorans ei patientiam, quam in dolore habuerat, & bona, quæ fecerat addidit: *Noueris preces tuas eſſe exauditas à Domino, fac ergo quod moneo, & Aquitinctum te deferri facito, atque in Eccleſia B. Virginis, & matris Dei Mariæ coram imagine ipſius pro ſalute tua interueni, & virtutem diuini ſenties auxilij.* Quod cum ille feciſſet Dei auxilio, & eius matris piæ ſuffragio ad plenum curatus eſt. Vincentius cap. 98.

Quidam à plaga damonis liberatur.

Beluacenſis.

6 Quædam mulier Iudæa in partu laborans, & clamans pene vſque ad exitum animæ anguſtiabatur, obſtetricum quoque obſtupuerat ſolertia, ſolamq; mortem tanti doloris finem præſtolabatur. Interea dum inter anguſtias animæ, & corporis anhelaret, ſubito lux cælitus emiſſa ſuper eam emicuit, & vox cum luce pariter intonuit dicens: *Inuoca Matrem Ieſu, & liberaberis, inuoca nomen Mariæ, & ſalua eris.* Luce foris ſubtracta, ſed virtute verbi ſalutaris intus radicata, mulier toto corde fidelis, vel fidens in Domino Mariæ nomen inuocauit magna voce, & ſtatim fœlici partu filium edidit carens omni dolore. Audientes autem fœminæ, quæ aderant inuiſum ſibi nomen, turbabantur, & ſtridebant in eam, & niſi è cœlo oculus Dei reſpexiſſet, fortaſſis in eodem loco earum trucidata manibus animam exhalaſſet. Itaq; Maria ſuffragante ſœuientium etiam mulierum cruentas manus euaſit. Et poſt dies Purificationis ſuæ aſſumptis filijs ſuis ad Eccleſiam confugit, ac legalibus inſtitutis, & iuſtificationibus carnis abrenuncians, iugum ſuaue Chriſti ſuſcepit. Vincentius cap. 99.

Iudæa in partu ſubuenitur.

Beluacenſis.

Fur quidam Elbo vocatus frequenter res alienas rapiebat, quibus ſe, & ſuos alebat. Qui cum ſanctam Dei genitricem venerabatur ex corde, eamq; dum ad latrocinandum

Fur ſuſpenſus è laqueo viuus euadit.

iret exorabat,ac deuotiſſime ſalutabat.Quadam die in furto deprehenſus,ſine vlla miſeratione ad ſuſpendendum ductus eſt. Cumq; eo ſuſpenſo iam pedes eius penderent in aere,S.Maria Virgo mater in auxilium eius veniens per biduum, vt ſibi videbatur eum ſuis ſanctis manibus ſuſtentauit,nec aliquam leſionem pati permiſit. Illi verò, qui eum ſuſpenderant,cum ad locum illum redijſſent,videntes eum viuentem vultu hilari, quaſi nihil mali patientem,putauerunt eum non plene laqueo innexũ;& dum accedentes gutturi eius transfigere vellent,iterum S.Maria manus ſuas gutturi eius appoſuit,nec transfigi permiſit.Cognoſcentes ergo,eo referente,quod ſancta Virgo auxiliaretur ei, dimiſerunt eum abire. Qui factus monachus quandiu vixit Deo, & ſanctiſſimæ matri eius poſtea ſeruiuit. Vincentius cap.116.

Beluacenſis.

ALIQVOT DEIPARAE MIRACVLA RE-centiora ex Hiſtoria Indica Ioannis Petri Maffei Societatis Ieſu.

Proregis Indiæ filius inſignem victoriã B Virgi. ope conſequitur.

7 LAurentius Frãciſci Almeidę Indiæ Proregis filius cum anno ſal.1506.à Zamorino Rege Calecuti, quod eſt Indiæ Orientalis celeberrimum emporium ingenti Claſſe celſarum nauium amplius 60,lemborum,ac paronum biremiumq; ad 130. omni telorũ genere,& numero militum inſtructiſſima peteretur; Franciſci patris iuſſu naues non plus vndecim,admixtis triremibus paucis,raptim adornauit Luſitanis præter nautas impoſitis octingentis.Cumq; ad ictum bombardæ ventum eſſet conſpicatus Laurẽtius tãtam hoſtium multitudinem expiatis de more noxis primum omnium ædem Mariæ Virgini Victrici vouit,ſi ea pugna barbari fuſi,ac fugati eſſent.Itaq;pugna inita multis omnis generis hoſtium nauibus,aut depreſſis,aut in littus eiectis cæſis tribus circiter hoſtiũ millibus,ſex tantum è ſuorum numero deſideratis (quæ res diuinum auxilium,ſine vlla dubitatione monſtrauit) captiuas trahens onerarias nouem ingenti parta præda ſimul, & gloria Cananoris portum, cuius Vibis in conſpectu res erat geſta ſoſpes introiuit, ac primum omnium MARIAE Virgini Victrici,quam initio prælij vouerat,ędem faciendã curauit. Maffeius lib.3. hiſtoriarum Indicarum.

Maffeius.

Laurentius Britus ab hoſtium obſidione B Virgin. ope liberatur.

In eadem Vrbe Cananore inſequenti anno,qui fuit 1507.Cum Luſitanorũ arx Laurentio Britto eidem Prępoſito,à Rege Cananoris cum 50. millibus militum arctiſſima obſidione premeretur,& milites,qui erant in Arce penuria commeatus, (cuius maxima pars quodam incendio erat abſumpta) adeò laborarent,vt iam neque muribus, neque alijs fędis animalibus abſtinerent,illisq; neceſſe eſſet,aut deditionem facere,aut fame funditus interire; Luſitani deſperato omni humano auxilio ad tẽplum in extrema arce Virgini Deiparæ Victrici ab Almeida extructũ, de quo ſupra diximus, quotidie cõfluebant,opem cum à Deo,cęlitibusq; tum præſertim ab ipſa Deipara enixe petentes,Ne ſe in alieno,ac barbaro ſolo tot vndiq; cinctos anguſtijs,& fame enectos clementiſſima cęli Regina deſpiceret,ſuis peccatis veniã à Deo expoſceret, neq; iam de corporis modo,ſed ẽt de animarum ſalute periclitantibus in tẽpore ſubueniret.Haud incaſſum miſſę preces.Ipſomet feſto Aſſumptionis die, ne quid miraculo rem poſſet eximere,ſolito vehementius intumeſcens pelagus ingentem locuſtarum numerum ad ipſas tẽpli radices eiecit. (Oſorius verò lib.4. de rebus ab Emanuele geſtis de hoc agens multitudinem hanc locuſtarum,appellat magnã ingentium ſquillarum vim) quæ à Luſitanis gratulabundis auide collecta in multos dies abunde ſuffecit; nec validos tantũ ſæua fame,verũ ẽt (vt ſalubris eſt cibus) ęgros diuturno morbo leuauit.ſic autem factum eſt,teſte Oſorio,vt per totam hyemem obſidionem,quæ ad quatuor menſes fuit producta tolerarẽt, Pace cum hoſtibus facta conditionibus Britto,ſuisq; perhonorificis.hæc Maffeus lib.3.

Maffeius.

Conſaluus Rhoterigius Societ. Ieſu, maris fluctibus prope demerſus à Deipara liberatur.

8 Conſaluus Rhoterigius è Collegio Societat.Ieſu Goano Sacerdos,vna cum Iacobo Diaz viro ſeculari ab Indiæ Prætore ad Claudium Aethiopum Regẽ miſſus eſt, qui aduentum Patriarchæ,duorumq; Epiſcoporũ,quos ex Societ.Ieſu Paulus IV. ſummus Põtifex in Aethiopiam deſtinarat,& iam Goam appulerant nunciarent, eisq; aditum in ea loca munirent.eos igitur cum Goam repeterẽt circa Zeilanam oram ſubita coorta procella euerſo nauigio propè demerſit. ſaluti fuit ſuppliciter inuocatum B. Virginis auxilium,cuius præſenti ope deſperatis iam rebus nullo nautarum miniſterio ſuam in ſedem Carina redijt,ita fluctus exhauſti.Votiua dein caſus effigies Goę in eiuſdem Dei matris Templo ſuſpenſa. Maffeius lib.16. hiſt.Indicarum.

Alfon-

Alfonſus Albuquerquius Emanuelis Luſitaniæ Regis nomine in Oriẽtali India Prætor rerum geſtarum gloria inclytus B. Virgini Annunciatæ (cuius myſterij præcipua quadam religione tenebatur) templum ex hoſtium manubijs Malacæ poſuit. cum verò anno Domini 1513. in Arabiam contendiſſet, ex ea rediens dum Luianum inuehitur ſinum cum extremo ſalutis diſcrimine in Syrtes impactus eſt. Saluti fuit imploratum B. VIRGINIS auxilium; cui deinde ad perpetuam tanti beneficij memoriam in vrbe Goa templum extruxit, & inde S. Mariæ Vada Luianæ Syrti nomen impoſitum. Maffeus lib. 5. hiſtor. Indica.

Alfonſus Albuquerquius è Luianis ſyrtibus B. Virg. ope eripitur.

Nauis quædam ex India Orientali pueros aliquot vehebat, quos B. Franciſcus Xauerius ad Collegium Societatis Goanum inſtruendos mittebat: hęc Ceilanum pręteriens, hæſit in Syrtibus, iamq; ſpes ſalutis nulla erat, cum repente B. Marię ope ſimul ab omnibus implorata, diuina benignitate periculo eripitur, & Cocinum appellit incolumis. Turſellinus lib. 2. vitæ B. Franciſci Xauerij cap. 15.

Aliud ſimile exemplum.

Turſellinus.

CIVITAS IMPERIALIS IN CHILENSI REGNO, *apud Peruanam Regionem in India Occidentali ab Indis obſeſſa, Deiparæ præſidium in neceſſitatibus experta.*

9 OBierat plagæ Chilenſis Regius Prætor vir ſtrenuus, & illo dignus officio. Qua Indi occaſione, vſque adeò criſtas erexerunt, vt de perdendis, & prorſus extinguendis Hiſpanis ſedulò egerint. Itaq; Ciuitatem, quæ Imperialis dicitur, vnam ex 12. quas illa in Regione poſſidemus, arctiſſima obſidione preſſam, vnius anni ſpatio extrema quæq; perpeti coegerant. Et cum Chilenſes Indi bellicoſi natura omnes vrbis aditus occupaſſent; neque ſpes eſſet noſtris vlla ſubſidij, in cęlum ſuſpicientes Deiparæ Virgini ſeſe veriſſime commendarunt. Miſitq; Mater inuocata præſidium, & obſeſſis admirabili ratione prouidit. Nam quodam tempore minutarum auium vim ingentem, idoneo paſtui intra vallum miſit, quibus illaqueatis inediæ ſuccurrebant, hoc non contentâ miſericordię parens ficedulas dedit prædæ maioris, quarum aucupio vitam alebant, & cum Barbari omnia tentantes, & quaſi deditionem extorquentes vicinum fluuiũ auertiſſent, quo vno Ciues ſiti, cuius eſt patientia perdifficilis, ſuccurrebant; eadem diuina parẽs intra muros vnius putei, qui multos iam annos ſiccus erat, mirabili, & repentina aquarum affluentia ſuos Chriſticolas ſibi curæ eſſe mõſtrauit. Nam cum ſolliciti tantæ ſiti remedia perquirerent manantem puteum inuenerunt, cuius erat inanitas ignorata nemini. Ergo in illa Indorum ſæuitia, noſtrorumq; miſeria cũctis ciſterna ſuffecit. Miraculi tum veritas, tum granditas clarior fuit, cum hoſte auerſi fluuij irritum eſſe conſilium agnoſcente, Imperialibus ſine eius vſu, potuq; ſaluis, & in Vrbis defenſione perſtãtibus; ideoq; detortum flumen ſolito alueo ſinẽte recurrere, quo fluxerat; cum iam neceſſarius non erat exhauſtus eſt puteus, & ad ſolitam redijt ficcitatem: itaq; diuina parens, & fami, & ſiti exorata ſubuenit, cibiq; & potionis, quibus hominum vita continetur, peropportuna remedia comparauit. Non fuit, quod iam dicam beneficentiæ minoris: Erant finitimi Hiſpani de Imperialium hoc tanto periculo faciendi certiores, & ad auxilium appellandi. Vnaq; reperta via eſt in tanta hoſtium vrbem obſidentium, tum multitudine, tum vigilantia, ſi cymba fieret, vt in fluuium demiſſa vicinũ, qui in mare delabitur ſpatio non longo Valdiuiam, Conceptionisuè Ciuitatem attingens, diſcriminis admoneret. Itaq; Scapham ex diſſolutis arcis, arborumq; fragmentis efficiunt, deerat pix illa, quæ rimas, fiſſurasq; cõprimeret, & aquæ influẽtis, peruadentisq; aditus omnes obturaret. Nec aliud in prõptu erat, quã quod ex vini piceatis vtribus, quisq; radebat; quidã memor duos ſe vini vtres plenos iam diu ſub terram infodiſſe, curriculo adit ad latebram, videtq; vinum omne in illud bituminis genus eſſe conuerſum, ſine quo fatiſcentibus nauigijs, & aquam accipiẽtibus tuto nauigari non poteſt. Hac igitur bituminis, tum commoditate, tum copia linter illinitur, humerisq; portatus, in flumẽ iacitur ſex vectoribus, tribus Hiſpanis, tribusq; Indis Virgine ducente curſus incipitur, ſuperatisq; tempeſtatum mille periculis iam Valdiuiam, quæ propinqua erat, appulſuri vento arrepti beneficio verſus Conceptionis Vrbem prora dirigitur vitata Valdiuia, quæ hoſtili incendio illo ipſo tẽpore conflagrabat,

Ciuitas Imperialis in Chilenſi Regno ab Indis obſeſſa B. Virg. ope liberatur.

& incolæ hoſtili gladio corruebant:quamobrem admoniti,qui in vrbe erant Conceptæ Virginis decora nomine,ſuorum imminenti exitio metuentes,terreſtri itinere,quod mare clauſum eſſet,ipſo vrbis Rectore duce ad opem ferendam feſtinarunt. Decebat.n. vt quæ Virgini dicata eſſet Ciuitas ei vrbi foret auxilio,quæ ſe Virgini commendarat.hęc ex litteris P.Roderici Cabredi Prouincialis Societatis Ieſu in Regno Peruano.

P. Roderitus Cabredus.

MIRACVLA ALIQVOT A VIRIS SANCTITATE PRAECLARIS inuocatione Deiparæ alijs exhibita, quæuè in ſeipſis ſunt experti. SECTIO II.

Miracula aliquot à viris ſanctis Deiparæ inuocatione patrata.

IQVin & illud in Deiparę miraculis animaduerſione dignum videtur,complures tametſi ſãctitate præclaros cum in ſuis,ſiue animæ,ſiue corporis neceſſitatibus tum etiam in miraculis, quæ diuina virtute ipſi edebant,Deiparæ interceſſionẽ ſæpe imploraſſe,vel etiam alijs conſuluiſſe, vt hac etiam ratione Virgini ſanctiſſimæ recte dicere poſſimus illud pſ.44. *Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.*quod licet ex nõnullis,quæ cap.20. retulimus exemplis ſatis appareat(huc.n.ſpectat illud de peſtilentia ab vrbe depulſa tempore S.Gregorij,& de Baſiliſco Romæ tẽpore S. Leonis IV. ſublato,qui ſuo venenato afflatu homines interimebat,& illud quod SS.Coſmę,& Damiano Deipara iuſſit,vt quendam ęgrotum ſanarent,& huiuſcemodi alia,quæ Deiparæ ope facta hactenus commemorauimus) quo tamen hoc magis perſpicuum fiat quædam alia in hanc ſententiam recenſebimus.

Pſal. 44.

Vaſtes magna in vrbe Conſtantinopolitana S.Eutychij precibus à Deipara auferitur.

Conſtantinopoli aliquando magna,ac diuturna graſſata eſt peſtis, adeoq; ſæuiebat, vt omne genus hominum,atque omnis ætas interitura videretur; quare Eutychius Patriarcha ſanctiſſimus ab exilio reuocatus anno Domini 578. ſupplicationes cum fideli populo inſtituit à ſanctiſſima magna Eccleſia incipiens, vſque ad ædem Dei Genitricis in Balchernis,ſicq; Chriſtus,quem Virgo genuit,placeatus peſtem extinxit. hæc in vita S Eutychij apud Surium 6 Aprilis.

Surius.

Alia eiuſdem S. Eutychij miracula.

Idem S.Eutychius complura miracula edidit vnctione cuiuſdam olei, quod Euſthatius,qui cum eo verſabatur,eiusq; vitam ſcripſit,vocat oleum sãctum;dicitq; fuiſſe tum illud,quod è precioſa cruce,tum illud,quod ex ſanctę Dei Genitricis Imagine Sozopoli ſcaturire ſolet,de quo ſacro Deiparæ vnguẽto miraculis celebri ſupra ex Germano Patriarcha Conſtantinopolitano diximus,vbi quoddam inſigne miraculum ab eodẽ S.Eutychio per illud effectum retulimus. in præſentia quiamplurimis alijs omiſſis, vnum tantum ex eius vita iiſdem verbis referemus.Iuuenis quidam in arte pingendi peritus eam in Domo Chryſaphij piæ memoriæ in ipſa Ciuitate Amaſeorũ exercebat. Hic aliquando veterem ex pariete Veneris picturam delebat,vt hiſtorias pias reponeret.Volebat.n. vir ille ex domo ſua ſuperiore Archangeli Oratorium facere,ex inferiore autem Oratorium Sanctæ,Immaculatæq; Dominæ noſtræ Dei Genitricis & ſemper Virginis Mariæ. Cum igitur Pictor fędam impudicę Veneris hiſtoriam euertiſſet,dæmon,qui illi inhærebat,artificis manum ſic inuaſit,vt inflammata tumeſceret,& graui vlcere affecta, neceſſario amputanda videretur.Quare cum periculum adſpiceret,vtile capit conſilium,& ad virum ſanctũ confugit,vt per ipſum à Deo auxilium impetret.At ille cum pro ipſo Deũ oraſſet,vnxit oleo ſancto dexteram ipſius manum,quæ inflammatione,atque vlcere laborabat,idq; fecit tribus diebus,& manus eius diuino auxilio conualuit,atque alteri ſimilis reddita eſt. & quo in loco Pictor vulnus acceperat; in eo,memoriæ,& grati animi declarandi cauſa Sancti viri depinxit Imaginem:vt manus,quæ curationis beneficium acceperat,Medicum ſuum ſecundum Deum teſtaretur.hæc in vita S.Eutychij.

Infanabili morbo correptam adoleſcentis manus S. Eutychius valetudini reddidit.

S. Theodorus Siceota Epiſcopus à B. Virg. ſanatur.

S. Theodorus Siceota, vitæ aſperitate, ſanctitate, & miraculis clariſſimus ex Archimandrita Epiſcopus Anaſtaſiopolis ex hac vita migrauit anno Domini 613. cuius dies in Martyrologio recolitur 22.Aprilis.Is ſuam erga Deiparam pietatem declarauit.nam cum S.Michaelis Oratorium in vſum eorum,qui vt ab ęgritudine, vel à cacodæmone curarentur,vel ad precandum eo accedebant extruxiſſet. Aliud Oratorium Dei Genitrici dicauit,in quo Monachorum regulam,quos inſtituebat, ponere decreuit.cum verò aliquando veneno tentatus eſſet,in cellula ſua in Epiſcopio mutus,atque immobilis iacuit tribus diebus,adeò vt rumor de morte eius iam increbeſceret.Poſt tertiã autem diẽ apparuit ei Dei Genitrix,quæ ſceleratis hominibus exitium cõminata,& morbi cauſam

ape-

aperiens,& insidiatores patefaciens è manu sua tria illi colococca dedit. *Hæc*,inquiens, *comede,& nihil tibi erit mali.* Somno solutus vir sanctus Saluatori Christo gratias egit, & immaculatæ Matri eius Virgini Mariæ.& causam quidem morbi significauit, Auctores autem retinuit,& pro illis Deum precatus est. Deinde depositio Episcopatus munere Sozopolim ad Templum Deiparæ studio videndi oleum, quod diuino munere ex Deiparæ Imagine manat, profectus est: quo in templo Paralyticum, & alium Energumenum curauit, & manibus in crucis speciem extensis precans oculos in admirabili Imagine defigebat, cum oleum diuino nutu efferuescens in eius sanctitatis testimonium in oculos eius insilijt,eosq; conspersit,hæc in eius vita apud Surium.

Idem Sozopoli plurima miracula patrauit.

Surius:

II Virgo quædam Theopenti Episcopi Syri filia Romæ in Monialium Monasterio degens, cum à dæmone esset arrepta,ab eius parente ducta est (vt verbis vtar eius, qui rem litteris mandauit)ad mansionem sanctæ Dei Genitricis,vbi sanctus Paulus fuit decollatus ad Aquas Saluias,vbi reliquiæ S.Anastasij martyris requiescũt. & quia mulieri non licebat illud Monasterium ingredi, ducta est puella in proximam basilicam sancti Ioannis Baptistæ, in qua cum Kalendis Octobris allato capite S.Anastasij adiuraretur dæmon. Ille verò multas euomẽs blasphemias exire renueret; expletis viginti quinque diebus,in quibus Episcopus,vna cum Monachis die, noctuq; preces cum lacrymis ad Deum fundebat: tandem dæmon per os puellæ exclamare cæpit dicens: *Ecce dico vobis,quia MARIA,Paulus,& Andreas obtulerunt istius mali senis Episcopi, & Monachorum lacrymas ante Nazarenum,qui dedit potestatem Anastasio, vt veniat, & eijciat me de corpore isto in Kalendis Nouembris,quod & factum est.* Hoc totum ex actis publicis per Ecclesiæ Notarium fideliſſime conscriptis, plenius refert Baronius tom.7.Annalium ad annum Domini 713.quo hæc gesta esse scribuntur.

Energumena puella à Deiparæ, aliisq; sanctis sanatur.

Baronius.

Cum aliquando in Germania tam sæua pluuiæ fulminum, & ventorum tempestas orta esset,cunctiq; pauidi ad Ecclesiam confugientes, terribile Dei iudicium præstolarentur. Lioba Virgo sanctissima cuiusdam Monasterij Monialium Abbatissa populum ad orationem hortata, ante altare prosternitur: sed crescente procella, & populi pauore,rogata vt Dei Genitricem inuocaret, cuius intercessione ab eius tempestatis discrimine liberarentur,ad Ecclesiæ fores accurrens,signo sanctæ crucis edito,furenti tempestati nomen summæ Maiestatis opposuit; extensisq; manibus in Cœlum terno clamore Christi clementiam inuocauit,& per intercessionem, ac merita sanctæ MARIAE Virginis propitium populo suo velociter eum fieri precata est.confestim tonitrua quiescunt, nubes à ventis dissipantur,optata serenitas,atque securitas redijt. hæc ex cap. 17. vitæ S.Liobæ apud Surium 28.Septembris,quæ floruit tempore Caroli Magni: eius memoria in Martyrologio die 28.Septembris recensetur.

Tempestates, procellasque plurimas in Germania S. Liobæ virg. precibus Deiparæ sedauit.

S.Radbodus Traiectensis Episcopus à Radbodo Frisonum Duce, seu Rege maternum genus ducens,floruit Caroli Francorum Regis, ac Ludouici eius filij temporibus, spiritu prophetiæ,& vitæ sanctitate illustris, cuius vitam refert Surius ad diem 29. Nouembris,in qua cap.13. de eo sic habet. Cum aliquando Radbodus grauiter decumberet, ita vt viuendi spem omnem abijceret:beatissima Dei Genitrix, semperq; Virgo Maria,subsequẽtibus ipsam sanctis virginibus Thecla,& Agne,cum multa luce ei apparuit,totum habitaculum splendore perfundens. At ille tanta visione valde perterritus, loqui præ timore nihil potuit, & propemodum exanimatus est.Tùm verò Porta salutis, Domina mundi,consolationis medicinam ei adhibens, omnemq; non modo timorem: sed etiam languorem depellens: *Ne timeas,* inquit, *Radbode: certus eam te intueri, cui crebro supplices offers preces. Non ego te mea dedignor consolari præsentia, qui in tuis ad Deum precibus,mei semper memoriam vsurpas. Noueris autem, nihil ex hoc morbo tibi imminere periculi: sed curatum te iri,nec tamen diu postea in carne victurum. Securus esto tui,vigilare, & operari ne cesses, sed perge, vt cœpisti.* Sub his verbis repente splendor ille disparuit,sed permansit diu odor gratissimus: morbus omnis plane ablatus est. Hæc cum ille clam quibusdam è suis exposuisset (neque enim se viuente,voluit cuiquã ea innotescere) simul etiam formam,habitum, ornatum sanctissimæ matris Dei illis explicauit,addens pulchritudinem eius neminẽ satis posse admirari:sanctas autem virgines Theclam,& Agnem,tam ex vultu,quàm vestitu,potuisse dignosci. hæc ibi.

Infirmus S. Radbodus Traiectensis Episcopus à B. Virg sanatur Surius.

Maria S. Albertо Monacho eam inuocanti apparet, aiq. ferè opem.

12 S. Albertus alter à S. Alberto Carmelita Monachus Cœnobij Criſpinienſis, vitæ aſperitate ab ipſa pueritia, & ſanctimonia præſtans, cum vigintiquinque annos in Monaſterio exegiſſet, facultate à Lamberto Abbate impetrata in cellula apud Eremum, vt diuinis precibus liberius vacaret, & corpus ſeuerius edomaret alios vigintiquinque annos incluſus permanſit: è quibus duos, & viginti herbis, & radicibus victitans pane prorſus abſtinuit. ab omni verò potu annos viginti ſibi interdixit, idq; hac occaſione non ſine Deiparæ beneficio. Quadam hyeme eius cellula tanta aquarum inundatione, vndiq; obſidebatur, vt neque ad eum quiſquam accedere, neque ipſe inde egredi poſſet: quare & panis ei deerat, nec miſſam audire poterat (nec dum enim ſacerdotio initiatus erat) Itaq; nocte quadam cum multo dolore pijs querimonijs Dei Genitricem compellauit, orans, vt ipſius miſerias ſubleuaret. *Sancta*, inquit, *Virgo virginum Maria, quæ pariendo Dei filium mundo gaudia contuliſti, quæ es fons pietatis, & miſericordiæ copia ſubueni mihi miſero, corporali pane indigenti, & miſſarum ſolemnia non audienti.* Quibus dictis ſomno correptus obdormiuit, & ecce adeſt in viſu ſanctiſſima Virgo in forma matronæ pulcherrimæ, cum puellis plurimis inferioris ſtaturæ, quas vt vidit vir Dei ait: *Equidem ſi pridem in Monaſterio fœminas vidiſſem profecto illas expuliſſem, cur igitur vos huc intrare auſæ eſtis;* cui Deipara, *Tace frater ego ſum Virgo MARIA, quam tam dulciter inuocaſti: ſed quid à me vis præſtari tibi?* Tùm ille *ſuccurre*, inquit, *mihi peccatori in ijs, in quibus egeo, & quibus tu quoque non ignoras me carere.* Reſpondit Virgo Mater: *Putas ne omnipotentem Deum te etiam ſine pane poſſe ſuſtentare? Ego verò*, inquit ille, *credo Deum id poſſe*, & Virgo beata: *Cur autem*, ait, *conquereris te miſſas non auſcultare cum tota vita tua, & omnis actio tua quædam miſſarum ſint ſolemnia?* Deinde viſa eſt ſanctiſſima Virgo bucellam panis immittere in os ſancti viri. Qua quidem viſione ille adeò permotus fuit, vt deinceps, neque panem appetierit, neque panem edere curarit, contentus herbis radicibus, & vilibus illis cibis, quibus veſci conſueuerat. Deinde ſacerdotio initiatus ampliſſima abſoluendi à peccatis poteſtate à Paſchali II. & Innocentio II. ſibi facta, complures è diaboli laqueis per confeſſionem abſoluit; peractis verò quinquaginta annis in Monaſtico habitu omnibus Sacramẽtis munitus clarus miraculis migrauit ad Dominum. Vixit circa annum Domini 1140. hæc ex eius vita apud Surium die 7. Aprilis.

Surius.

S. Anſelmus Cãtuarienſis Archiepiſcopus in ciſternam delapſus à B. Virg. incolumis tuetur.

S. Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus doctrina, & ſanctitate clariſſimus cum ex Anglia Romam veniſſet, ad Rogerium Apuliæ Ducem, qui Capuam obſidebat, eius rogatu ſe contulit; atque à militari ſtrepitu remotus cum ſuis degebat in quadam Eccleſiola deſerta, iuxta cuius oſtium ciſterna deſuper dirupta magnæ profunditatis hiatum ſua diruptione prætendebat. is quadam nocte corporis neceſſitate ſilentio ſurgens lento pede exijt, & immemor foueæ per tenebras in partem diuertit, ac in profundum cecidit clamoſa voce cadendo dicens, SANCTA MARIA, ad quem ſonitum eius ſocij præ timore huius caſus fere exanimati accurrentes hominem vident in profundo; & quidam ex eis deſcendentes ex altera parte præcipitij, qua via erat deſcendendi eduxerunt eum à loco ſanum omninò, ac incolumem. hæc in lib. 2. eius vitæ ab vno, qui huic rei interfuit conſcripta apud Surium 21. Aprilis.

Surius.

Infirmus S. Frãciſcus ad Moricum eius Ordine Cruciferorum à Deipara ſanatur.

Bonauentura.

S. Franciſcus ad Moricum Cœnobitam ex Ordine Cruciferorum graui, ac diuturno morbo laborantem, qui deſperata à Medicis ſalute ſe eius precibus commendarat, oratione præmiſſa, & (vt verbis vtar S Bonauenturæ in eius vita cap. 4.) panis micas accepit, & cum oleo accepto de lampade, quæ coram VIRGINIS ardebat altari, commiſcens, quaſi quoddam electuarium per manum Fratrum infirmanti tranſmiſit dicens: *Medicinam hanc Fratri noſtro deferte Morico, qua ipſum Chriſti virtus non ſolum plenæ ſanitati reſtituet, verùm etiam robuſtum bellatorem effectum aciei noſtræ perſeueranter adiunget.* Statim autem, vt antidotum illud ſancti Spiritus adinuentione confectum æger homo guſtauit ſanus exurgens tantum mentis, & corporis à Deo vigorem obtinuit, vt paulo poſt viri ſancti religionem ingreſſus in magna corporis auſteritate inco-

Idem mulierem in partu laborantem B. Virg. ope liberauit.

lumis perſeuerarit. hæc S. Bonauentura.

Idem S. Franciſcus poſt obitum cum Chriſto regnans à muliere quadam partus doloribus laborante inuocatus; Deiparam ei implorare præcepit, quod S. Bonauentura in

fine

fine vitæ S.Franciſci de eius miraculis, vbi agat de liberatis à dolore partus, refert his verbis. Mulier quædã de partibus Aretinis cum per ſeptem dies partus diſcrimina ſuſtineret, & iam in nigredinẽ verſa deſperata eſſet ab omnibus, votũ fecit beato Franciſco, & eius cæpit moriens auxiliũ inuocare. Emiſſo autem voto celeriter obdormiuit, viditq; in ſomnis beatum Franciſcum ſe dulciter alloquentem, ac requirentem vtrum faciem ipſius agnoſceret, & an Antiphonam illam Virginis Glorioſæ, *Salue Regina miſericordiæ* ſciret ad honorem huius Virginis recitare. Qua reſpondente ſe habere notitiam de vtriſque: *Incipe*, ait ſanctus, *Antiphonam ſacram, & antequam compleas, paries cum ſalute.* Ad hanc vocem, & euigilauit mulier, & cum timore cæpit dicere: *Salue Regina miſericordiæ.* Cumq; illos miſericordes oculos precaretur, fructumq; commemoraret vteri virginalis, continuo cunctis liberata preſſuris, infantem peperit ſpecioſum, gratias agens Reginæ miſericordiæ, quæ per beati Franciſci merita, ipſius fuerat dignata miſereri. hactenus Bonauentura.

S. Petri martyr. conſtantia à Deipara roboratur.

13 S.Petrus ex Ordine Prædicatorum ſanctimonia, & martyrio inclytus, demandatum ſibi in ditione Mediolanenſi contra Hæreticos Inquiſitoris munus diligenter obibat, ac diſputationis certamen cum fidei hoſtibus, cum quadam ſpirituali fiducia ſuſcipiebat, quam ex ſubiecta reuelatione conceperat; cum enim aliquando ob futuros, eosq; incertos euentus non nihil paueret; atque ante altare ſanctiſſimæ Virginis agones ſuos Virgini commendaret, per beatiſſimam Virginem eidem dormienti reſponſum eſt: *Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua*, hac fiducia fretus nihil formidabat. hæc auctor vitæ eius apud Surium in Aprili die 29.

S. Thomas Aquinas a Deipara intuenda caſtitate roboratur.

S.Thomas Aquinas ex eodem Ordine Prædicatorum Doctor præclariſſimus cum à Fratribus in arce Caſtri S.Ioannis incluſus teneretur, & ab impudica muliere introducta ad flagitium ſollicitaretur, vt ſenſit caſtiſſimus adoleſcens ſe illius illecebris, & peſtiferis ſuggeſtionibus non nihil moueri: *Ne quæſo ſinas*, inquit, *Domine Ieſu, & ſanctiſſima Chriſti Mater, & Virgo MARIA, vt tam immani me ſcelere obſtringam*, cuius precationis fructum illico ſenſit: nam diuina virtute roboratus procacem illam fœminam titione è foco arrepto fugauit, mox flexis genibus ante ſignum crucis cum lacrymis à Domino perpetuæ integritatis donũ impetrauit: ibiq; ſomno correptus per quietem viſus eſt, ſibi à duobus Angelis conſtringi lumbos, quo ex tempore omni poſtea libidinis ſenſu caruit. hæc ex eius vita apud Surium die 7.Martij.

S. Albertus Carmelita annonã Meſſanæ vrbi obſeſſæ per Deiparam impetrat.

S.Albertus Carmelita ſanctitate, ac ſignorum gloria conſpicuus, in edendis miraculis crebrò B.Virginis Deiparæ, cuius beneficio è parentibus ſterilibus natus erat, opem implorabat. quare cum Vrbs Meſſana à Roberto Rege Neapolitano arcta obſidione premeretur, & extrema commeatus inopia obſeſſi laborarent; proceres cum Ciuibus ſanctum virum adeunt, obnixeq; orant, vt preces ad clementiſſimum Deum, eiusq; Virginem Matrem in tanta Vrbis neceſſitate funderet. quod vbi feciſſet tres triremes onuſtæ annonam importarunt, qua expoſita nuſquam viſæ ſunt; creditum eſt autem Angelorum ducatu appulſas.

Idem Monachũ grauiſſime egrotantem ſanat.

Monachum grauiſſimo apoſtemate in gutture deſperata à Medicis ſalute laborantem, & opem à S.Alberto implorantem vir ſanctus ſigno crucis conſignat; aitq; *confidis Frater in Domino Ieſu, & pÿiſſima eius Matre?* quo annuente, & ſe ei commendante, mox rupti apoſtematis ſaniem per os eiecit, ac priſtinæ valetudini eſt reſtitutus.

Idem mulierem in partu laborantem liberat.

Mulierem in partu diebus ſex magno cum periculo laborantem, ſenſuumq; vſu iam deſtitutam S.Albertus oleo vnxit in ventre dicens: *Sanet te Dominus noſter Ieſus Chriſtus ob merita ſanctiſſimæ Matris ſuæ, & ſicut illa abſque damno virginitatis concepit, & ſine dolore peperit; ſic tu abſque vllo mortis periculo edas hanc prolem Domino conſecrandam*, quo dicto fœmina ad ſe rediens puellam enixa eſt, quam poſtea Domino conſecrauit. hæc in vita S.Alberti apud Surium die 7.Auguſti.

Miracula Deiparę certis in Templis edita. ſect. 3.

MIRACVLA IN AEDE LAVRETANA
ex Horatio Turſellino Societatis Ieſu in hiſtoria ædis Lauretanæ.

cap. 20. 14 DEiparæ Lauretanę toto Orbe clariſſimę pręſentiſſimam opem innumerabiles homines ſunt experti,& horum quidem exempla aliquot ſelectiora cap. 20. huius Operis recenſuimus, aliqua verò alia hic deſcribenda duximus. Initium verò faciemus à beneficijs,quæ Virgo Lauretana graſſante, vel imminente peſtilentia contulit in integras Vrbes,quæ eius patrocinium voto nuncupato inuocarunt.

A lue Recineta Virginis ope liberatur. Recineti graſſante lue, quę plurimos contagione vulgata abſumebat indicta ad Lauretanam ædem ſupplicatione, votoq; publice nuncupato extemplo peſtilentia eſt abſterſa, & anno 1469. votiuum donum coronam auream gemmis diſtinctam Virgini Ciues deferunt. Hoc exemplo Piceni Vrbes,& Oppida quotannis inſigni ſupplicatione, ac pompa Coronam Lauretanæ Virgini afferunt. Horatius Turſellinus lib. 2. cap. 8.

Turſellinus.

Panhormi vrbs à lue Lauretana Virginis patrocinio liberatur. Panhormus vrbs Siciliæ celebris anno 1577. Lauretanæ Virginis patrocinijs à peſte ſe liberatam,teſtatur in Lamina Argentea librarum Ferme nouem eo tranſmiſſa, in qua Imago Lauretanæ Deiparæ, & Panhormitanæ vrbis expreſſa cernitur lib. 4. cap. 30.

Vrbs Anicij B. Virg. Lauretana ope à peſtilentia liberatur Anicium vrbs Galliæ anno 1579. à diutina vrgente peſtilentia Ciuibus pene exhauſtis communi conſilio ſolemni Lauretanæ Virginis voto nuncupato liberatur, & votiuum donum per certos homines cum publico teſtimonio miſit. Turſellinus loco citato.

Lugduni Vrbs pariter liberatur. Lugduni quoque fœda lue domos omnes populante publice voto pro Ciuitatis ſalute ſuſcepto, & Lauretanæ Virginis implorato auxilio,extemplo ægri ſanati,peſtilentia diſcuſſa; & anno 1581. votiuum donum B. Virgini ab ea Ciuitate mittitur. Turſellinus lib. 4. cap. 30.

Aliæ verò vrbes ab impendente peſtilentia Lauretanæ Virginis ope ſunt protectæ.

Vtina Vrbs à peſtilentia graſſante Lauretana Virginis ope euetur. 15 Vtina vrbs Carnorum cum atrox peſtilentia Venetiæ fines Carnosq; anno 1555. peruagaretur voto publice nuncupato Lauretanam Virginem inuocant,ergo biennio, quo graſſata eſt lues, cunctis circa oppidis morbo exhauſtis ſola Vtina communis mali immunis fuit; quare anno 1556. ſolemni ſupplicatione indicta trecenti viri nobiles omnes linteati, quibus Crucifixi effigies præferebatur cum donis, vel publicis,vel priuatis ad Lauretanam ædem pariter proceſſerunt limen ingreſſi collacrimantes ingentes Deo, ac Deiparæ gratias agunt; & apud eam munera deponunt. Turſellinus lib. 3. cap. 28.

Turſellinus.

Atque hæc de morborum curationé. Permulti quoque Lauretanæ Virginis ope à mortis diſcrimine,quod illis multipliciter impendebat ſunt exempti. Iulius II. Pontifex cum in obſidione Mirandulana belli conſilia cum Cardinalibus agitat ſub tentorio repente ferreus globus inſtar humani capitis ab hoſtibus æneo tormento excuſſus deiecto prætorio nihil omninò Pontificem,aut eos,qui Pontifici aderant læſit,quod Lauretanæ Virgini ſe debere Pontifex profeſſus eſt,ſiue quod ad bellum iturus ei vota fecerat, ſeu quod ad primum bombardæ fragorem Lauretanam Virginem inclamarat, quare globum illum in ſacro ſancto ſacello in monumentum ſuſpendi iuſſit. Turſellinus lib. 2. cap. 12.

Iulius II. à globo bombarde.

Turſellinus.

Alij à fulminibus liberantur. Aliqui à fulminibus Lauretanæ Virginis beneficio liberantur, apud Turſellinum lib. 4. cap. 7.

A præcipitis ruinæ periculis. Alij Deipara Lauretana inuocata in ipſo præcipitio ſeruati,vel à præcipitis ruinę periculo liberati,de quibus Turſellinus lib. 2. cap. 27. & lib. 4. cap. 5. & 27. & lib. 5. cap. 5.

A fluminum vorticibus eruuntur. Alij è fluminum vorticibus erepti lib. 3. cap. 8. & 16. quidam etiam ab inundatione fluminis,à quo abrepti erant liberati lib. 4. cap. 17.

In puteum bis collapſa puella liberatur. Quædam etiam puella Laureti è puteo,in quem ſemel,atque iterum cecidit illæſa, ſeruata lib. 3. cap. 17.

Com-

Co mplures naufragio,& maris fluctibus diuinitus exempti, de quibus lib.3. cap.26. lib.4. cap.6. & 17. & lib.5. cap.15. *E naufragij eruuntur.*

16 In hoc tamen genere illuſtre eſt beneficium à Deipara Lauretana in duos Patres ex ſacra Cappucinorum Familia collatum. Hi enim cum anno 1553. Lauretana Virgine ſalutata ex Ancona ſoluiſſent in Dalmatiam traiecturi, ſæua coorta tempeſtate nauarchus ad leuandam onere nauim vaſorum,ac mercium iacturam fecit. At inſtitores dãni dolore in rabiem acti, Cappucinos inſontes in mare deturbant: illi verò Lauretanam Virginem inclamantes inter exaſperati maris fluctus diuina quadam vi ſubleuati toto pectore extare,ac placide ferri cæperunt,& breui Deo bene iuuante Anconæ portum pariter tenuerunt. E veſtigio in madidis veſtibus,vt erant,Lauretum regreſſi Deo, ac Deiparæ gratias impenſe egerunt.apud Turſellinum lib.3.cap.15. *Duo Patres Cappucini in medio mari ſeruati.*

Quamplurimi quoque,quibus ab hominibus magna aliqua calamitas (eiuſmodi eſt bonorum direptio,perpetua ſeruitus, ipſa mors,& ſimilia)certiſſime imminebat,ſingulari Virginis Lauretanæ beneficio omni periculo ſunt erepti. *Quamplurima a multis calamitatibus per Virginem Lauretanam eruuntur.*

Nobilis quidam Belga octo Equitibus comitatus in octingentos hæreticorum milites improuide incidit circa annum 1590. ſed implorata Virgine Lauretana, quia fugiendi non erat ſpes.cum illis fortiter pugnarunt,donec Hiſpanorum copię ſubſidio venere; & in tam atroci pugna,quæ tenuit horas duas,nec ipſe,nec eius Comites,vel etiã Equi,Deipara protegente,vlla ex parte ſunt læſi. is inſigne donum Lauretum miſit, de quo Turſellinus lib.5. cap.18. *Nobilis Belga ab hoſtibus.*

Complures naues inſigni miraculo Virgine Lauretana implorata à Piratarum manibus mox capiendæ euaſere lib.4.cap.17. lib 5. cap.10. & cap.15. *Naues à Piratis liberatæ.*

Epiſcopus Hibernus Eliſabethæ Angliæ Reginæ hæreticæ furorem declinans bis in eadem nauigatione ab infeſtis perſecutoribus modo quodam admirabili ſeruatur.lib. 5. cap. 15. *Epiſcopus Hybernus ab hoſtibus ſeruatur.*

Quoſdam à Turcarum miſerabili ſeruitute eadem Virgo Lauretana non abſque diuinæ vĩrtutis indicio eripuit lib.4.cap.18.& 21. *E Turcarum ſeruitute liberat.*

Alios inſontes interdum,interdum etiam ſupplicium commeritos carcere non minus miſericorditer,quàm admirabiliter exemit,de quibus lib.3.cap.17.& 27. & in his. *E carceribus exempti.*

17 Iudæus à Turcis ob quoddam facinus æternis addictus vinculis Chriſti,Deiparæq; præſidium implorans anno 1560. ab ipſa Virgine ſecundum quietem ei oblata à vinculis abſoluitur,ac Lauretum,vbi chriſtiana ſacra ſuſciperet,petere iubetur,ſimulq; nauiculam ei præparauit,qua per maria ſua ſponte incredibili celeritate biduí ſpacio Anconam tenuit,& Laureti baptizatus eſt.lib.4. cap.12. *Iudæus vinculis exemptus baptizatur.*

Alios,quibus in carcere vltimum ſupplicium imminebat ipſa Virgo Lauretana, vel ſolutis vinculis è carcere eduxit, vel Iudicibus ad reſcindendam mortis ſententiam, quam tulerant,& reum liberandum permotis diſcrimine eripuit lib.4 cap.20. *E capitis ſupplicio liberati.*

Alios ab exitio, & ipſo ſuſpendio liberauit; quidam enim bis laqueo ſuſpenſus lib. 3. cap.27. Alter verò ſimiliter è patibulo quatuor horas ceruicibus laqueo inſertis pependerat,qui ſe Lauretanæ Virgini commendarant,& magno circunſtantium ſtupore morti eximuntur lib.4.cap.19. *Alij laqueo ſuſpenſi, & ab ipſo patibulo liberati.*

Illud quoque in hoc genere admirabile fuit. Anno enim 1530. Vaiuoda Tranſyluaniæ ab Abrahimo Turcarum Baſſa prælio victus,captusq; victoris irati inſſu,ex altiſſima rupe agendus erat præceps. At ille B.Maria Lauretana inuocata ſermonem de religione cum Baſsà forte ingreſſus, adeò efferatum eius animum diuina ope mitigauit, vt Barbarus odio in amorem verſo ipſum cum cæteris Tranſyluanis captiuis dimitteret gratis,extat hodie Laureti tabula ingens egregie depicta, auroq; exornata,vbi tota res non ſolum coloribus,ſed etiam litteris expreſſa viſitur. Turſellinus lib.2. cap.27. *Vaiuoda Tranſyluaniæ e capitis diſcrimine liberatur. Turſellinus.*

In Energumenis etiam liberandis admirabilem ſe oſtendit Virgo Lauretana, cuius rei inſigne miraculum narrat Turſellinus lib.2. cap.7. de muliere quadam nobili Grationopolitana nomine Antonia à ſeptem teterrimis ſpiritibus obſeſſa,cuius maritus nihil in Gallia ad vxorem liberandam inexpertum relinquens eam in Italiam adduxit, & Mediolani ad S.Iulij. Mutinæ ad S.Geminiani, denique Romæ ad ſacram columnam ſolemnes exorciſmi nequicquam ei ſunt adhibiti,Deo eius liberationem Deiparę Lau- *Energumeni liberati Mulier Grationopolitana à ſeptem ſpiritibus liberata.*

retanæ

ſetanæ reſeruante. Anno enim 1589. mulier ſumma vi obluctans à decem robuſtis viris in ſanctiſſimam cellam ante Deiparæ effigiem ſiſtitur, vbi exorciſmis vrgentibus, & compluribus inſignibus viris præſentibus omnes illi ſpiritus immundi tandem expulſi ſunt. De alijs pariter dæmoniacis liberatis habes lib.4.cap.8.

Expilatores pecuniæ ædis Lauretanæ diuinitus arcentur.

Nec defuere,qui donariorum,quæ in Lauretana æde aſſeruantur multitudine,atque pretio illecti ad eam expilãdam animum adiecere, & aliquando tam nefarium opus aggredi ſunt auſi:ſæpius tamen legimus,& noſtra etiam ætate compertum eſt,huiuſmodi homines diuinitus à ſacræ ædis iniuria prohibitos,interdum etiam ſęuere punitos.

Turcarum claſſis à Lauretana B.Virg. æde diuinitus arcetur.

18 Anno ſalutis circiter 1470. Mahomete Turcarum Imperatore expugnata Hydrũto in Salentinis, Turcæ claſſe ad Caſtrum Portus Recinetenſis (quod tribus ferme miliaribus ab æde Lauretana diſtat) delati, populabundi Lauretum iter intendebant: verum ad ſacræ domus conſpectum ingens repente terror,Turcarum peruaſit aciem, cunctoſq; è veſtigio inuitiſſimis animis referre coegit pedem,ſtupore attonitos, & Deũ profecto pro illa æde ſtare memorantes. Turſellinus lib.2.cap.8.

Alia Turcarum claſſes,alijq; piratæ à Lauretana domus inuaſione diuinitus pelluntur.

Simile prorſus multos poſt annos euenit Selymo dicti Mahometis nepote apud Turcas Imperante:ingens enim Piratarum manus in idem Caſtrum portus Recinetenſis appulſi,eoq; potiti,tecta cædibus,& incendio fœdant. Iam nemine contra eos arma ſerẽte Lauretum inflammatis ſtudijs contendebant; cum deſertam à mortalibus propugnatoribus ædem à cœleſtibus defendi, propugnariq; ſenſerunt. Quippe ipſe Lauretanæ ædis aſpectus tantum eis terrorem incuſſit, vt è veſtigio trepidi re infecta repeterent claſſem. Selymus porrò conandi ſceleris auctor paulo poſt haud dubia numinis ira perijt,cancro fœdiſſimo iuxta atrociſſimoq; morbo,miſere abſumptus. Cognitum etiam eſt ex Turcarum captiuis,qui fuga elapſi Lauretum ad vota B. Virgini reddenda venerunt,Archipiratas,in quorum ipſi fuerant poteſtate,ſæpius Lauretani Templi prædandi ſtudio Lauretum inſtructa claſſe petijſſe. Cæterum ſacra æde conſpecta repente pauore ingenti diuinitus iniecto regredi coactos:latens vtique numen ibi cõfitentes. Quare hac re cognita piratę oram Piceni legentes vix auſi ſunt quicquam hoſtile in conſpectu ædis Lauretanæ conari: ſemel dumtaxat biremes turcicæ duæ ex agro Lauretano prædas agere auſæ,mox Deiparam vindicem ſenſere: eadem ipſa die à Canaletto Venetæ claſſis Duce captæ prędatores ſuſpenſi, & pręda omnis recepta. Turſellinus lib. 2. cap. 19.

Turſellinus.

A Lauretanæ ædis depredatione militum exercitus diu.na ope arcetur.

Tempore quoque Leonis X. cum exercitus Franciſci Mariæ Ducis Vrbinatis multarum gentium colluuione mixtus Picenum agrum infeſta populatione percurreret,& inuito eodem Duce diripiendis Lauretanis theſauris inhiaret; ad ſacræ ędis prędam incenſis ſtudijs tendebant: pręmiſſi ab exercitu exploratores omnia tuta eſſe cernentes lętitia geſtiebant;cum ſubito acrium grex luporum è ſaltu proximo erumpunt,plerosq; exploratorum repentino terrore amentes iugulant,cęteri in fugam verſi monent ſocios ne progrediantur: illi tamen vanum exploratorum terrorem deridentes nihilominus properabant ad prædam: Verum, vt ſacra ædes in conſpectum ſe dedit,repente ingens exercitum pauor inuaſit, cunctiq; lymphatis ſimiles trepidare cęperunt; tunc excuſſa vaſania, & templi religione conterriti latrocinio deſiſtunt, verſaq; in religionem audacia Lauretanam ædem venerabundi intrant,cogitati ſceleris veniam expoſcunt, muneribus colunt, Vrbinatium Dux inſperato exitu facinoris mire lætus,detracta ſibi arma in primo Auguſtiſſimæ Cellæ aditu ſuſpendit tanti miraculi monumentum, ſimul ſe ex agro Piceno exercitum abducturum vovet,quod & præſtitit. hæc ex Turſellinus lib. 2. cap. 20.

Corcutus Baſſa Turcarum à Dei para Lauretana ſanatur.

Nec tamen Infideles Lauretanæ opis expertes fuere: Corcutus Turcarum Baſsà anno 1552. Conſtantinopoli ex pectoris apoſtemate ad extremum vitæ diſcrimen venerat. Is à ſeruo chriſtiano de Virginis Lauretanæ vi,in morbis cuiusq; generis depellendis edoctus eam inuocat,vouet ſi morbum depuliſſet ſe in eius gratiam illi ſeruo libertatem daturum. Protinus dirupto apoſtemate ſanatur,ſeruumq; extemplo cum litteris, ac muneribus Lauretum ad Virginem deſtinat,vna cum ſuo chirographo miraculi teſtimonio Arabica lingua conſcripto. Turſellinus lib.3.cap.19.

Turſellinus.

MIRACVLA QVAEDAM IN DEIPARAE Templo Sueſſionenſi in Gallia ex Vincentio in ſpeculo hiſtoriali lib. 27. cap. 2. & ſequentibus, quæ etiam refert S. Antoninus 2. par. hiſtor. tit. 16. cap. 14. §. 1. & 2.

19 ANno Domini 1128. multi de Pago Sueſſionico ſacro igne accenſi ad Eccleſiam B. Dei genitricis Mariæ in Ciuitate Sueſſionum ſitam conuenerunt, ibiq; diebus paucis miſericordiam Dei, & B. Virginis ſuccurſum præſtolantes, (ſicut plenius refert libellus eorundem miraculorum) ſalutem ipſius meritis, ac precibus conſecuti ſunt, ita vt intra quindecim dies centum & tres nominati ab hoc igne reſtinguerentur, & tres puellæ diſtortæ ſanitati redderentur. Hugo Farſitus, nam aduerſariæ poteſtati conceſſum erat percutere multos plaga inuiſibili diuerſæ ætatis & ſexus, ita vt ſemel ſuccenſa eorum corpora cum intolerabili cruciatu arderent. Eſt autem morbus hic tabificus ſub extenta liuenti cute, carnem ab oſſibus ſeparans, & conſumens, ex mora temporis, augmenta dolorum, & ardoris capiens per ſingula momenta, cogit miſeros mori; ſed deſiderantibus mortem illa non venit donec depaſtis artubus, ignis ille celer, & peſtifer inuadit membra vitalia, & quod valde mirum eſt, ignis hic ſine calore validus ad conſumendum tanto frigore velut glaciali perfundit miſerabiles, vt nullis remedijs poſſint calefieri. Item quod non minus eſt mirabile, ex quo diuina gratia reſtinctus fuerit, fugato mortali frigore, tantus calor in eiſdem partibus ægros peruadit, vt morbus cancri eidem feruori perſepe ſe ſociet, niſi medicamentis occurratur. Sex diebus menſe Septembri in Eccleſia *B.* Virginis fuerunt. Ad preces autem populi de alijs Eccleſijs, & de maiori Eccleſia in eandem Eccleſiam concurrentis affuit Beata Dei Genitrix trahens ſecum fortia agmina ſanctorum ſpirituum, ad cuius præſentiam formidaret infernus, & pauerent portæ mortis. Cuius aduentus præcurſor tam magnus tremor Eccleſiam repleuit, vt terræmotum eſſe factum, aut Eccleſiam à fundamentis concuſſam arbitrantes fugerent omnes: ſed vbi nihil periculi adeſſe ſenſerunt reuerſi, omnem ardorem languentium extinctum, & omnem dolorem eſſe conſopitum celerrima ſanitate collata inueniunt. Aiunt à quibuſdam ex languentibus pridie huius beneficij cœlitus dati viſas eſſe cœlitus copioſas claritates per feneſtras Eccleſiæ vitreas illapſas, quaſi quædam præconia largitionis ſubſequentis. Intra quindecim dies nominati annotati ſunt centũ, & tres ab hoc igne reſtincti. Sed plurimi aſſeuerant, ſtellas miræ magnitudinis tenebroſam noctis caliginem vltra Eccleſiam perſequendo effugaſſe.

Multi ſacro igne accenſi è Deipara valetudini ſunt reſtituti.

Alij eadem morbo laborantes in B. Virg. templo diuinitus valetudinem recipiunt.

Mulier quædam nominata Gundrada, virum habens nomine Theodoricum commanens in riparia vltra Axouam fluuium, qui præterlabitur Vrbem Sueſſionum de villa, quæ dicitur Audigutturis inter cæteros venerat ad Eccleſiam, cuius faciem ignis ille deturpauerat, & naſum, & labium ſuperius, quod naſo ſubiacet, vſq; ad maxillas, & gingiuas, & dentes molares, & extinctus eſt ignis à facie eius. ſed omni occurſanti iam moleſta, & odioſa fiebat, grauiſq; omnibus etiam ſuis ad videndum. Itaq; compulſa eſt totam faciem præter oculos madenti panniculo velare. Redit ad Eccleſiam B. Virginis, factaq; candela, quam offerret, iuit dormitum, eadem nocte maturius euigilans ſẽſit laxatum fluitare panniculum, quem dum reſtringere, ſurſumq; reducere nititur, & parum proficit, coacta eſt circumiacentium implorare auxilium, qui dum morantur, ſõno, vel frigore tardi, illa poſcit lucernam accendi, & ſibi auxilium ferri. Senſitq; interim carnem ſub digitis, & panniculo preſſam inoleſcere, & neſciebat, quia caro eſt naſi, & labij reformata. Demumq; ſæpius reducit pannum, ſæpiusq; perinde attrectat creaturam nouiter plaſmatam. Clamauit ter magna voce: *Deus, & ſancta Maria adiuua.* Ad quã vocem excitati, & turbati, qui aderant, maturius inferunt lumen, & vident naſum, & labium nouiter formatum.

Vinc. cap. 3. Gundrada mulier ab ægritudine eadem deformata Deiparæ ope ſanatur.

Quidam puer annorum vndecim pecorum cuſtos ardens pedibus à matre ſua aduectus eſt, remedioq; doloris intra paucos dies accepto, ad domum reductus eſt. Erat autem de Vallibus; ſed dum puer idem nutu diuino non immemor tanti beneficij deſiderio viſendæ domus B. Virginis flagraret, & ſuper hoc quotidie moleſtus matrem perurgeret, & illa penitus non acquieſceret. *Redeat*, inquit, *in me infirmitas, vt neceſſe habeam illuc*

Vinc cap 4. Puer eodem morbo laborans Deiparam per populo exorantem videt.

illuc referri, quòd, & factum eſt. Relatus igitur à matre illuc ad ingreſſum proceſſionis matris Eccleſiæ excuſſus à quiete in gratiarum actionibus rupit clamoribus æthera, narrauitq; omnibus raptum ſe fuiſſe ante Deum, & Dei Genitricem pro populo ſupplicantem vidiſſe, vt dignaretur Deus hunc morbum à populo auertere, & euertere. Et hãc ſcintillam, quæ acciderat auferre, hoc tamen reſponſum à filio ſuo benigne accepiſſe. *Mater tu es Maris Stella, fiat omnis voluntas tua.* Dumq; iterum eadem Virgo quæreretur ſuper domo ſua, quæ vilis, & abiecta præ cæteris erat audiuit à filio ſuo, quod de trans mare, & de trans renum faceret pecuniã afferri, de qua domus eius ædificaretur, & in omnium oculis intuentium claritate magna, & gloria illuſtraret eam. Populo etiã Sueſſionenſi mala euenire ex parte Dei prædixit, quia ſuæ Genitricis Eccleſiam non reficeret. & quidem multos ex eadem Vrbe ignis inuaſit. Quæ & qualia reſtent neſcimus. idem puer parum poſt ſe moriturum teſtatus eſt; & ſic euenit, non enim menſem ſuperuixit. Mirum autem valde de hoc puero erat, quod ab initio mundi omnem hiſtoriam retexens totam narrationem ſuam curſim rithmice digerebat. Textum Euangelij, & actus Domini ſic in ordine recenſebat, tanquam omnia in libro legeret, & dictata ab alijs pronunciaret. De Ioſeph quoque viro B. Virginis inter cætera ait: *Qui tenet ſceptrum florentis virgæ, cuſtos erat glorioſæ puellæ.* Hæc narrabat clauſis oculis tanquam lucem tranſitoriam exoſus, laicis, & illiteratis vix dignabatur facere verbum, tamquam ignorantiam eorum pertæſus. Eius mortui corpus tanta gratia perfudit, vt candore, & claritate vultus angelicum neſcio quid, & diuinum ſignaret.

Vinc. eod. cap. 4 Mulierem in partu laborantem Deipara liberat.

Apud Villam, quæ dicitur Cala in Territorio Sueſſionenſi, quæ poſſeſſio eſt Matris Eccleſiæ beatorum martyrum Geruaſij, & Prothaſij mulier ob partus difficultatem laborans continuis tribus hebdomadis periclitabatur, perſuaſaq; à conuicinis mulieribus ſe nudis pedibus ituram ad ſanctam Mariam Sueſſionis, venit, & liberata eſt, ſed ordine ſtupendo. Nam primum ex vtero ſuo emiſit tres lapides; Primus in magnitudine oui anſeris, ſecundus ferè in magnitudine oui gallinæ, & tertius non minor aliqua nuce erat. His lapidibus effuſis, ſtatim ſequitur partus infantis, qui & gratiam baptiſmi accepit, & paucos dies ſuperuixit. hæc Vincentius lib. 27. cap. 2. 3. & 4.

Beluacenſis.

A S. HIPPOLYTO DEIPARAE IVSSV CVIDAM MEMBRA deperdita reſtituuntur ex Vincentio Specul. hiſtor. lib. 27. cap. 9. 10. & 11.

A S. Hippolyto Deiparæ iuſſu exeſa ab igne membra æratori cuidam reſtituũtur.

QVidã nomine Petrus ex Grationopolitano Territorio in B. Mariæ Magdalenæ feſto, quo eo in loco inhibita erant ſeruilia opera iuſſu vitrici inuitus arabat, execratus opus, & animalia, & ecce ſubitaneo tonitru boues, & vtẽſilia flãma abſumuntur, qua eius pes correptus breui illum exedens tibiam, & crus peruaſit, atque oſſa retexerat. Ad templum igitur B. Mariæ Magdalenæ oblatus eius precibus ignis, ne vltra procederet, extinctus eſt, verum inutilis remanebat: ad quandam igitur Deiparæ Eccleſiam celebribus miraculis inſignem, quæ habebat etiam S. Hippolyti martyris memoriam delatus, cæpit ibi crebris obſecrationibus mundi Reginam interpellare, vt quod alijs valentioribus impendebat ſibi non negaret. Miles autem quidam ſæpè intuens eum baſilicam raptando ſubire, eleemoſynæ cauſa in domũm propriam declinare perſuaſit, vbi cum aliquandiù reſediſſet, pediſſeque neſcio quid acturæ à camera noctu in domũ exteriorem deueniunt, & Petrum crebris planctibus ingemiſcentem ſubaudiunt, quorum gemitum hæc cauſa fuerat. Virgo Maria cum beato Hippolyto in viſione ſtratui eius aſtiterat, quæ, vt iacenti videbatur, imperabat: *Reſtitue*, inquit, *eum antiquo vigori*. Martyr verò imperanti obſecundans humiliter crus, tibiam, pedemq; quaquauerſum olim ſparſa diuinitus ad inſtar futuræ reſurrectionis in puncto compacta, recolligens corpori eius quaſi ſurculum arbori cæpit ſubiungere. In qua inſertione tantis torquebatur ardoribus, vt non ſine clamoribus ſubſiſtendo, crebris quoque rictibus, & membrorum motibus quid pateretur indicaret. Irruunt igitur ancillæ, & illato ad iacentis cubile faro, dum hac illacq; diſpiciunt, duos habere pedes, & duo crura Petrum reperiunt; ex quo intuitu tantus eas ſtupor illico inuaſit, vt non ſe eas eſſe, quæ venerant, ſed mutari in alteras æſtimarent. Contrectabant tamen, & vera membra, quæ tetigerant ſentiebãt.

Tan-

Tandem difficillime excitatus,cum aperuiſſet oculos beatam cum martyre virginem adhuc æſtimabat aſtantes,quibus viſibiliter abſentatis,interrogatus à fœminis, quis ſibi reſtituiſſet amiſſa,rem retulit,multosq; in admirationem adduxit.

Hic idem Petrus,vt tanto Dei beneficio reſponderet,ſemetipſum incluſit, vt diuinæ contemplationi vacaret, quem diabolus ſub ſpecie mulieris multis noctibus primum blandicijs, deinde terrore,poſtea vi manuum ad flagitium allicere moliebatur: cui ille ſtrenue reſiſtebat.quadam verò nocte ſtola ſacerdotali collum diabolicæ pellicis implicuit, & ad terram proſtrauit, ac penitus ſuffocauit. Inuentum eſt autem mane ibi cadauer ingentiſſimæ anus fœtidiſſimum, quod induerat dæmon ad virum Dei vexandum, illudq; extra oppidum igni eſt crematum. hæc Vincentius lib. 27. capit. 9. 10. & 11.

MIRACVLA FERETRI B. MARIAE LAVDVNENSIS.

NEc prætereunda videntur quamplurima,eaq; inſignia Feretri B.Marię Laudunenſis inuocatione edita miracula, quæ Vincentius Beluacenſis lib.26. ſpec.hiſtor.à cap.11.per plura capita copioſe deſcripſit. Nos commemorata clade, quæ tot miraculis occaſionem dedit,ea breuiter attingemus. *Beluacenſis.*

21 Cum Lauduni in Gallia templum Dei Genitricis in deteſtationem necis inibi patratæ,Deo impij ſceleris vindice anno Domini 1110. conflagraſſet, innumerabilibus miraculis editis ad eiuſdem B.Virginis Laudunenſis Feretrum multas per Vrbes circũductum,tantum pecuniæ collectum eſt,vt priſtino fuerit ſplendori reſtitutum. Rem omnem Hugo Farſitus,qui eo tempore vixit in hiſtoria manu ſcripta miraculorum Feretri B.Mariæ Laudunenſis poſteris conſignauit,quam nos eius ferè verbis deſcribemus.Eccleſia Laudunenſis Dei Genitrici dicata, inter præcipuas Galliæ Eccleſias antiquitus numerabatur,cui S.Remigius Rhemenſis Archiepiſcopus, quod ibi nutritus, & educatus fuiſſet,reditus attribuit, & ſanctum Genebaldum Epiſcopum primum in ea conſecrauit: cumq; ab eo tempore ad noſtram vſque ætatem per quingentos ferè annos floruiſſet, ecce in diebus Ludouici Regis Francorum, qui fuit filius Philippi Regis, pater autem Ludouici iunioris duram iuſti Iudicis, Regis regum experta eſt animaduerſionem. quidam enim nobilis Princeps, & Caſtellanus Laudunenſis nomine Girardus de Ciriſiaco, dum in eadem Dei Genitricis Eccleſia flexis genibus ſuppliciter oraret, ab inimicis ſuis,qui eum alibi aggredi non audebant,doloſe circumuentus, & ab oratione ſurgens diuerſis gladiorum plagis ibidem eſt interfectus: cuius ſanguine pauimentum Eccleſiæ reſperſum, cum multoties aqua ſuperfuſa non poſſet ad plenum ablui; compluribus,qui aderant rei nouitate attonitis,Anſelmus eiuſdem Eccleſiæ Decanus,ſcientia, & eloquentia nobilis,quibuſdam ſecreto prænunciauit,illam ſanguinis labem templi concremationē diluendam,quod tantum ſcelus non aqua, ſed igne videretur eluendum. Poſt modicum tempus,Deo permittente, Diabolo ſtimulante ſeditione ſubita à Ciuibus concitata Dominus Vvaldricus eiuſdem Vrbis Epiſcopus in domo ſua, cum quibuſdam è militibus ſuis crudeliter occiditur. Præfata ſanctæ Mariæ Eccleſia, cum alijs propinquioribus decem Eccleſijs, Domus quoque adiacentes Epiſcopi, atque Canonicorum, multorumq; Ciuium igne ſuppoſito concremantur. hæc Hugo Farſitus, qui poſtea narrat defuncto Hugone Aureliacenſi,qui Vvaldrico ſubrogatus, ſeptimum intra menſem obierat, Bartholomæum in demortui Præſulis locum anno 1113. ſuffectum ingenti ſtudio Laudunenſe Templum, quod conflagrauerat,priſtino nitori reſtituiſſe, eleemoſynis affatim corrogatis,ad quas colligendas Feretrum B. Virginis Laudunenſis capillis, alijsq; ſanctiſſimis reliquijs inſigne multas per Vrbes deferendum, & ad Angliam vſque tranſmittendam Canonicis Laudunenſibus tradidit. Eiuſmodi verò Feretrum appellari videtur arcula, ſeu ferculum capillis Deiparæ, alijsq; reliquijs geſtandis compactum, vt aperte colligitur ex Vincentio lib. 26. ſpecul. hiſtoria. cap. 17. Mirum autem eſt, quot quantisq; prodigijs præpotens Deus hoc ſuæ Genitricis Feretrum cohoneſtarit, quæ monumentis conſignarunt Hugo Farſitus, cum Canonicis Eccleſiæ Laudunenſis: perſtrinxit verò, & è multis pauca collegit Vincen-

Miracula plurima Feretri B. Virgin. Laudunenſis.

Hugo Farſitus.

S. Remigius Rhemenſis Archiepiſcopus.

Beluacenſis.

S. Antoninus. tius Beluacenſis lib. 26. ſpecul. à cap. 11. vſque ad 21. & ex Vincentio. S. Antoninus 2. par. hiſtor. tit. 17. cap. 1. §. 3. vix enim oppidum aliquod attigit, quod non magno aliquo miraculo inſigniret, præcipuè verò Iſſolduni Turone, Carnuti Nipellæ in Gallia, in Anglia verò Cantuariæ, Salisbriæ, Vuintoniæ, multis alijs celeberrimis in Oppidis morbos depulit; nam & vim facultatemq́; audiendi ſurdis, videndi cæcis, ingrediendi claudis, loquendi mutis, quo artes, opesq́; humanæ non pertingunt, diuinitus reddidit, vel nunquam expertis benigne tribuit, aliosq́; permultos deplorata valetudine morbis leuauit. Qui verò Feretrum illud non ea, qua par erat religione ſuſceperunt, præſenti ſupplicio affecti grauitatem ſceleris pœnæ grauitate intellexerunt; quæ omnia ex Helinando fuſe perſequit. Vincentius loco citato.

MIRACVLA TEMPLORVM B. VIRGINIS in Germania ex Tritemio in duobus opuſculis de B. Virginis miraculis in templo prope Dittelbach, & in Templo de Vrticeto Diœceſis Herbipolenſis.

Miracula B. Virg. in Germania. *Tritemius.* 22 IN Germania complura quoque Deiparæ Templa miraculis illuſtria numerantur, eiuſmodi eſt Oettingenſe in Bauaria: alia in alijs locis. quorum plurima diuerſis in Diœceſibus recenſet Tritemius lib. 1. Opuſculi de miraculis B. Mariæ in Dittelbach, ex quo nos in præſentia cæteris Auctoribus prætermiſſis, quædam miraculorum exempla in Germaniæ Templis Deiparæ dicatis referemus; quæ idem Tritemius in citatis opuſculis, non minus grauiter, quàm piè conſcripſit. Quorum opuſculorum cap. 20. meminimus. Initiũ verò ducemus ab opuſc. de mirac. Templi prope Dittelbach.

Cap. 20. Puer in puteum lapſus. Puer ſexennis à puteo, in quem ceciderat, ope Virginis, cuius ſimulacrum in Templo prope Dittelbach colitur, lætus extrahitur. apud Tritemium in opuſculo de miraculis huius Templi mirac. 3.

Vir ab hoſtibus captus. Vir quidam ab hoſtibus captiuus in carcerem munitiſſimum vinctus 40. dies iacuerat, voto Deiparæ nuncupato ſolutum ſe inuenit, & per foramen in muro intra vnius horæ ſpatium manibus, abſque aliquo inſtrumento effectum, quod ferè nullus biduo perforaſſet, liber euaſit, mirac. 5.

Huius Virginis inuocatione pleriq́; à putridis vlceribus, quæ Tritemius Gallicanas puſtulas vocat, curati mirac. 4. 13. 16. 30. 56. 57. & 58.

Vulneribus confoſſi. Aegri. Complures ex vulneribus ſanati mir. 6. 9. 10. 11. 20. 22. 23. 31. 33. 37. & 47.

Alij graui ægritudine liberati mirac. 7. 8. 14. 15. 18. 25. 28. 29. 32. 35. 36. 39. 48. 51. 52. 53. 54. & 59.

In mari periclitantes. Alij maris tempeſtate exempti mirac. 12.

Plurimis morbis oppreſſi. Alij morbo regio, vel caduco, & epilepſiæ curati mir. 17. 26. 38. 42. 46. 49. & 55.

Mulieres in partu laborantes. Mulieres complures in partu laborantes adiutæ mir. 19. 21. 27. 34. 40. 43. 45. & 60.

Surda, & epileptica mulier. Mulier quædam ſurda, & epilepctica valetudini reſtituta mirac. 24.

Incendia. Cuiuſdam pauperis ruſtici horreum ab incendio præſeruatur mirac. 50.

Puella in Stagnum demerſa. Puella quędam annorum ferme trium anno 1510. in ſtagnum lapſa ſubmerſa eſt; poſt horam à parente in tota villa diligenter conquiſita, tandem ex aqua extrahitur, & pluribus horis mortua iacuit; voto igitur Deiparæ prope Dittelbach nuncupato, mox puella mortua ad vitam reuocatur mirac. 44.

Tritemius. Alia Deiparæ templa in Germania, miraculis praclara. 23 Quin etiam idem Tritem. lib. 1. huius opuſc. de mirac. B. Mariæ prope Dittelbach cap. 8. recenſet complura alia Deiparæ templa in Germania olim miraculis clara, quæ licet ex negligentia litteris mandata non fuerint; Eccleſiæ tamen eo tempore ex fideliũ oblationibus conſtructæ ſanitatum miracula ibi edita ſatis teſtantur, adijcitq́; annum, quo fidelium concurſus ad eas fieri cępit, nos tantummodo templorum nomina, & annum adnotabimus ijſdem eius verbis, reliqua apud eum legi poterunt, qui hæc ipſa anno 1511. (vt videre eſt in Epiſtola dedicatoria) litteris mandabat. Eiuſmodi porrò Eccleſię hę fuiſſe ab eo dicuntur.

Templum B. Virg. in Tynbach. Eccleſia B. Virginis in Tynbach, ad quam anno Domini 1020. concurſus fidelium magnus eſt factus.

Anno

Anno Domini 1450. S.Maria in Birc Klingen,vbi narrantur infinita miracula vſque in præſentem diem. *S. Maria in Birecklingen.*

Anno 1442. S.Maria in Vrticis prope Hylbrunnam, vbi inſigne Carmelitarum cœnobium eſt conſtructum: de hac nos vberius agemus infra, ex eodem Tritemio in proprio opuſculo. *S. Mariæ in Vrticis.*

Anno 1200. S.Maria in Suburbio Vvormatienſi, quæ vſque in præſentem diem infinitis pene coruſcauit miraculis,pluresq; habet præbendarios ſacerdotes. *S. Maria in Suburbio Vvormatienſi.*

Anno 1433. S. Maria in Cluſa Eberhardi Diœceſis Treuerenſis, vbi magna facta ſunt,& fiunt hodie miracula,ibiq; inſigne conſtructum eſt Monaſterium Canonicorum Regularium. *S. Maria in Cluſa Eberhardi.*

Anno 1464. S.Maria in loco,qui dicitur Petra Antonij vulgo Thonigſtein prope Andernaich Treuerenſis Diœceſis, vbi ex fidelium collatione inſigne Carmelitarum cœnobium viſitur. *S. Maria in Thonigſtein, vulgo Petra Antonÿ.*

Ad memoriam S. Mariæ prope Oettingem in Bauaria Saltzburgenſis Diœceſis, ſolemnis eſt,& antiqua fidelium peregrinatio, ibiq; multa fiunt miracula,& ex eleemoſynis inſignis fundata eſt Eccleſia, in qua laudes Deo quotidie decantantur, huius ædis honorifice ſæpius meminit Caniſius in lib.de B.Virgine. *S. Maria prope Oettinſe in Bauaria.*

In Diœceſi Nemetenſi haud procul ab Oppido Phorcenſi Marchionum de Baden magnus noſtra ætate,inquit Tritemius concurſus fidelium cæpit, hodieq; continuatur ad memoriam Dominæ noſtræ in Quercu,vbi plura oſtenſa ſunt miracula, quorum ſeriem in volumine vno ibi vidimus conſcripta. *S. Maria in Diœceſi Nemetenſi.*

In Marchionatu Miſnenſium duæ Eccleſiæ Dominæ noſtræ miraculis illuſtres nouiter ſunt cæptæ,& ad Quercum nominatæ. *Deiparæ a quercum templa duo in Marchionatu Miſnenſiũ.*

Ante annos quindecim S. Maria in Appenthal Vvormatienſis Diœceſis, item in Grimmental Herbipolenſis Diœceſis ante paucos annos, inquit Tritemius,cæpit fidelium concurſus ad Deiparæ Eccleſiam. *S. Maria in Appenthal.*

Ex ſimili deuotione, atque fidelium concurſu ad Dei Genitricis memoriam plures in diuerſis Germaniæ locis,inquit Tritemius,inſignes Eccleſiæ conſtructæ ſunt, in quibus diuerſis temporibus miracula plura contigerunt, de quibus nominatim loqui mihi foret difficile, & Lectori tædioſum. Vndecim tamen numerantur in ſola Herbipolenſi Diœceſi,quinque nimirum ex dictis videlicet, Tymbach, Heylprò, Bircklingen, Grymmental, & Dittelbach, quibus adduntur aliæ ſex, in quibus plurima diuinitus ſunt ædita miracula, & pulchræ ex collatione fidelium ſunt conſtructæ Eccleſiæ, nimirum. *Alia Deiparæ Templa in Germania.*

S.Maria in Villa Hæchperg prope Herbipolim. *S. Maria in Villa.*

S.Maria in Luterbach circa Tuteram haud procul ab oppido Retingen. *S. Maria in Lutherbach.*

S.Maria in oppido Halsfurt. *S. Maria in Oppido Halsfurt.*

S.Maria in oppido Kirchperg. *In Oppido Kirchperg.*

S.Maria in oppido Fundelbeg. *In Oppido Fundelberg.*

Sancta Maria in loco Quisberg, non procul à Bibera, hæc omnia ex Tritemio loco citato. *In loco Quisberg.*

MIRACVLA IN ECCLESIA BEATÆ VIRGINIS DE VRTICETO.

241 IN altero verò opuſculo idem Tritemius miracula ad Deiparæ inuocationem facta in Eccleſia eiuſdem in Vrticeto, iuxta Heilbrunam Herbipolenſis Diœceſis Oppidum, cuius ſupra meminerat, ſimili ratione tribus libris commemorat. Cum enim ſculpta beatiſſimæ Virginis Mariæ Imago, vt ipſe ait, veſpertina Dominum Ieſum filium ſuum iam mortuum de Cruce depoſitum in ſinu tenens in dicto loco eſſet poſita ab anno 1442. populorum concurſus ad eam fieri cæpit, vbi ex fidelium oblationibus conſtructum eſt cœnobium, & Patribus Carmelitis attributum; ibiq; innumera fere miracula vſque ad annum 1515. quo hæc ſcribebat,à Deipara edita aſſerit. verum ex illis 49.litteris mandauit lib. 3. adiectis nominibus,alijsq; circumſtantijs, qui- *Miracula in Templo B. Virg. de Vrticeto ædita.*

bus omnia plenè cognoſci queant: hæc verò omnia ipſo anno 1442. facta teſtatur, quæ nos ſummatim attingemus.

Puer curruquaſſatus.

Puer quidam ſub curru onerato grauiter quaſſatus, vt viuere ad horam poſſe minime ſperaretur, voto à parentibus Virgini de Vrticeto facto ſtatim miraculoſe conualuit mirac. 1. ſimile habetur mirac. 14.

Ex alto lapſi.

Aliqui ex alto lapſi, & contriti incolumitati reſtituuntur mirac. 30. 32.

Rapturæ laborantes.

Aliqui rupturæ incommodo laborantes ſanantur mirac. 2. 20. 35. 38.

In vinculis detenti.

Complures vinculis, & carcere miraculoſe à Deipara eximuntur mirac. 3. 5. 6.

Varijs morbis, ac peſtilentia laborantes.

Alij varijs morbis, & interdum grauiſſimis; interdum etiam peſtilentia mirabiliter ſanati miraculo 14. 15. 22. 23. 26. 27. 29. 31. 34. 36. 37. 43. 44. 45. 46. 47. 48. & 49.

Morbo epilepſiæ, vel calculi, vel paralyſis ægri.

Aliqui morbo epilepſiæ, vel calculi, vel paralyſis liberati miracul. 4. 7. 8. 11. 16. 19. & 42.

Mulier à dæmone obſeſſa.

Mulier à dæmone obſeſſa curatur mirac. 13.

In partu laborans.

Mulier in partu adiuta mirac. 21.

Aquis obruti.

Aliqui à ſubmerſionis periculo, vel etiam ab ipſis aquis iam abſorpti eripiuntur mirac. 24. & 25.

Cæci.

Aliqui cæci illuminati mirac. 28. 33. & 40.

Igne S. Antonij correpti.

Quidam Deiparæ ope ab eo morbo, quem vulgo ignem S. Antonij vocant, eſt ereptus mirac. 41.

In aquis ſubmerſus.

Puer in Thermis Badenſibus anno 1442. ſubmerſus, ex aqua ſine vitæ ſigno extractus, voto Deiparæ de Vrticeto à parente nuncupato, mox vt voti ſermonem compleuit puer qui mortuus videbatur reuixit, & ſanus ſurrexit mirac. 9.

E curru lapſus.

Puer alius ex curru lapſus vltra tres horas ſine ſenſu iacuerat, ita vt omnes eum iam dicerent vita defunctum, ſed Deipara de Vrticeto ab eius parente cum voto inuocata puer protinus reuixit mirac. 10.

Mulier quæ hirudines, ſanguiſugasq. ebiberat.

Mulier quædam è ſtagno feculento, in quo multæ erant hirudines, ſeu ſanguiſugæ aquam, cum ſeminario illarum beſtiarum ebibit, cumq; beſtiolæ in ventre eius creuiſſent quadriennio in viſceribus tumefacta diris eſt cruciata doloribus: cumq; nullus medicorum cauſam ægritudinis dicere, vel remedium adhibere poſſet, anno 1442. Deiparam inuocauit, illico omnes ſanguiſugæ viuæ num. 150. per os de ventre eius exierunt, & ſanitati eſt reddita mirac. 12.

Peſtilentia correptus.

Puer peſtilentia correptus, alijsq; morbis laborans triduo ſine voce, ac motu iacuit quaſi mortuus. eius matre Deiparæ opem cum voto implorante, continuò incolumitatem eſt conſecutus mirac. 39.

Puer mortuus.

Puer mortuus ex matris vtero prodijt, ſed eius patre Deiparam de Vrticeto cum voto inuocante, mox apparuit viuus mirac. 17. hæc ex Tritemio.

ADMIRABILES COMPLVRIVM PECcatorum conuerſiones per Deiparam factæ. SECT. IV.

Sanctimonialis quæ animum ad nuptias contulerat à B. Virgene reuocatur.

25 SAnctimonialis quædam, cui amor, & aſſidua B. Virginis memoria cum ipſa ætate creuerat cuiuſdam potentis, ac prædiuitis eius pulchritudine capti blanditijs, ac promiſſionibus illecta nuptias cum eo celebrare conſenſerat condixerunt diem quo raptam virginem de Monaſterio ille adulter ſuo ſociaret coniugio. Poſtea autem cum in domo parentum quieſceret nocte illa in ſomnis ſe ſupra os putei raptã vidit, qui enormi amplitudine, & profunditate oris ſui aperiẽs barathrum tam immanes exhalabat fætores, vt vniuerſum mundi huius aerem videretur inficere; tam denſas fumi nebulas, vt claritatẽ de cælo videretur effugaſſe. Cumq; totum ſerpentibus, & vermibus ſcaturire, & à clamore eorum, qui intus torquebantur horribili quodã ſonitu miraretur immugire; vidit repẽte Aethiopes quoſdã ignitos de medio exilientes, & animas dãnatas tormẽtis abſq; differentia crudeliter immergẽtes; à quibus & ipſa correpta cum intro traheretur inter ipſas iam deſperationis anguſtias circumſpiciens, ſi eſſet auxiliator, Deiparã vidit, ſed nimis à longe, & à ſe ita auersã, vt ex eius viſione vix aliquam ſpẽ poſſet colligere.

toto

toto tamen conatu ad illam conuerſa,eiuſq; nomen inclamans: *Domina*,inquit, *Domina ſubueni ancillæ tuæ in tam amara neceſſitate conſtitutæ*. Poſt multá verba acceſſit mater pietatis,manumq; eius tenuit;& procul illico facti ſunt inimici,dixitq; ei:*Hi ſunt fructus libidinis,hoc præmium voluptatis;* & receſſit.Vix euigilarat,cum nuncij illius diuitis aderant,quærentes quid fieri iuberet de neceſſarijs nuptiarum, quibus cum ſumma indignatione reiectis;rem omnem parentibus aperuit,& Monaſterio reddita totis ſe viribus pœnitentiæ luctibus,& antiquo propoſito reddidit. Hoc totum ex libro exemplorum *B.*Virginis refertur in ſpeculo exemplorum diſt.9.nu.108. quem librum exemplorum *B.* Virginis manuſcriptum Seraphinus Razius ex Ordine Prædicatorum in ſuo hortulo exemplorum teſtatur ſe in Italia legiſſe.

Spec. Exemplorum.
Seraphinus Razius.

Nec ſolum Deipara ſui ſtudioſos, atque deuotos ad ſcelerum deteſtationem adiuuat: verum etiam ſæpe benigniſſima peccatorum Aduocata etiam non rogata eos ad conuerſionem adducit.quod ex ſubiecto exemplo apud Vincentium lib.7.ſpec.hiſt. capit.111.planum fiet.

Maria peccatorum eſt Aduocata.
Beluacenſis.

Quidam inquit,Iudæus nomine Iacobus à Londonia Ciuitate Angliæ apud Vuintoniam pergens in via prædonum manus incurrens captus eſt,plagis afflictus, atque in domum vetuſtam caſum iam minantem tractus poſt multas iniurias omnibus rebus ſuis ſpoliatus,ligatisq; ad poſtem pedibus,& iunctis poſt tergum manibus ibidem relinquitur ſolitarius. verum ne penitus deficeret modico pane, & aqua per triduum ſuſtentatur; ſperabant enim per ſui redemptionem magnam pecuniam accipere. Sed tertia nocte cum ex laſſitudine paululum obdormiſſet, aſtitit ei in ſomnis Fœmina inæſtimabili decore reuerenda,& niueo habitu amicta,quæ propius accedens vincula, quibus miſer ille conſtringebatur,potenter diſrupit,eumq; ſoluit. Qui præ gaudio, & admiratione euigilans curioſo intuitu circumſpexit, ſi forte aduerteret perſonam, quæ illum reſtitueret libertati. Quod intentius agens vidit aperte non iam in ſpiritu,vt prius,ſed corporeo viſu Mariam Dominam Cœli ſibi aſſiſtere, & ex eius claritate totum illud diuerſorium reſplendebat. In quam oculos meticuloſus defigens,ſic eam alloquitur: *Quę es Domina,vel vnde tibi pectus tam benignum, vt mihi miſero ſubuenires in tanta anguſtia.* At illa: *Ego ſum*,inqnit,*Maria,cui tu & genus tuum malo veſtro inſultatis; meq. Redemptorem mundi edidiſſe pertinaciter negatis: veni tamen ad te,vt more meo tibi pro malis bona rependam,& ab errore te ad veritatis cognitionem reducam, atque hucuſque quam periculoſe vixeris tibi inſinuem, quod vt euidentius cognoſcas,egrediamur foras.* Illa præcedente ſecutus iubetur,ſuper euidentem petram, quæ in promptu erat,aſcendere,& intento animo deorſum aſpicere, qui iubenti obtemperans attendit hiatu terræ vallem tenebroſam ipſo aſpectu horribilem,flammas ſulphureas exhalantem, fœtore intolerabilem, omniq; genere tormentorum horridam, & aſperam:cernit etiam in his cruciatibus animas damnatorum rotari,& miſerrime à carnificibus torqneri.Quorum lacrymabilis eiulatus attonitis auribus excipiens pene vſque ad animam exterritus eſt. his viſis,& auditis ait illi B.Virgo: *Hic carcer,hæc incendia, hæc omnimoda tormenta te, tuosq. ſequaces expectant,niſi Iudaicam impietatem celerius dimiſeritis,& ad fidei Chriſtianæ ſacramenta confugeritis; nunc autem ſequere me,vt oſtendam tibi, quid etiam boni pro veſtra cæcitate perdideritis.* Cumq; ſupra collem excelſum eum ſtatuiſſet aſpicit eminus manſionem perlucidam, viſuq; pulcherrimam ex qua tanta optimi odoris fragrantia naribus intuentis infuſa eſt,ac ſi illum omnium ſuauitas aromatum reſperſiſſet. Ibi vidit cætus beatorum ſplendido vultu ſolemnes omni gaudio tripudiantes, melos dulciſſimos concinentes. quibus ſtudioſe conſpectis,ait Maria ad eum: *Hæc eſt hæreditas animarum ſanguine filij mei redemptarum, quam & tu poſſidebis ſi illum ex me veram carnem aſſumpſiſſe credideris. Sed iam hinc recede, & myſterium tibi licet indigno reuelatum memoriter retine, & poſt hac quid tibi ſit agendum ſolicite perpende.* Timens Iudæus ne denuo hoſtibus ſuis occurreret,ibat denſiſſima nocte,quo impetus illum ducebat,quouſque diluceſceret.Diluculo autem pergens ad Vrbem, quæ Bacha dicitur, quoddam monaſterium,quod ibi erat adijt;Priori,& Fratribus quicquid viderat,& audierat,totum ex ordine expoſuit. Baptiſmum petijt, & accepit,Ioannesq; vocatus eſt. huc vſque Vincentius loc.cit.

Iudæus ad catholicam fidem à Deipara conuceſus oblata inferorum, ac cæleſtis patriæ viſione.

INSIGNES QVIDAM PECCATORES
Deiparæ Lauretanæ beneficio ad pietatem mirabiliter conuerſi.

Peccatores Deiparæ ope ad pietatem conuerſi. Turſellinus.

26 COmplura quoque facinoroſorum hominum, qui Deiparæ ope ad ſanitatem noſtra ætate rediere exempla, tum nouimus, tum etiam legimus; horum aliquot in Lauretana æde geſta ſubijciam ex Horatio Turſellino in hiſt. Lauretana.

Lauretanæ Virginis munere adoleſcens animæ, corporisque valetudinem eſt adeptus.

Adoleſcens quidam non genere magis, quam vitijs nobilis in rixa graue vulnus in genu acceperat, & in medicos, ac medicamenta bonam rei familiaris inſumpſerat partem; nec tamen plaga curari poterat. ergo vel maturum exitium, vel perpetuam infelicitatem reformidans lacrymis pœnitentiæ teſtibus Dei delinire iram inſtitit; Deiparęq; auxilium implorat vouens ingenti animi ſenſu, ſi diſcrimen illud euaderet, Lauretum ſe cum donis ad agendas illi grates iturum. Mira dictu res, repente perſanato vulnere recuperat corporis ſanitatem. Verum non tantum votum fefellit, ſed etiam in deteriora luxuriæ inquinamenta eſt delapſus. Attamen tacitam ſubinde vocem audire viſus iubentis ire Lauretum, & votum exoluere. Tandem paruit, munera Deiparæ detulit; ſed luxuriæ deditus ad ſacram confeſſionem aſpirare non ſuſtinebat. ergo conſcientia ſtimulante nunc templum, ac tabellas votiuas contemplari, nunc locum confeſſionibus deſtinatum obire, nunc dæmone impellente templo egredi, modo Dei inſtinctu redire, conſilij anceps, animo, & corpore æſtuabat; itaq; triduo in hac cura, & animi contentione extracto, cum forte miſſæ intereſſet, vocem è cœlo miſſam ſibi audire viſus eſt cunctationem eius increpantis, iubentisq; vni è paratis ſacerdotibus confiteri cum propoſito melioris vitæ. hac voce obſtinatus animus emollitus, mutata ſubito voluntate facit imperata, è libidinis cœno aliquando emerſus ingenti vi lacrymarum vniuerſas vitæ maculas eluit; protinus cœleſti, vt fieri ſolet, gaudio alacer ingentes Deo, ac Dei parenti grates agit à præſenti corporis, & animi periculo bis eius ope liberatus. Turſellinus lib. 3. cap. 32.

Turſellinus.

Adoleſcens à deſperationis diſcrimine, ac dæmonum moleſtijs à Lauretana Virgine liberatur.

Alter iuuenis in luxum, & ea quæ luxum ſequuntur, effuſus breui opes paternas in flagitia, ac dedecora vitæ abſumpſerat. Quare propter nequitiam, atque improbitatem non tantum hominibus, ſed etiam ludibrio erat dæmonibus, quorum horribiles ei facies occurrebant, quæ contemptim illum velut mancipium ſuum accipiebant plagis, ſubinde etiam indignis eum territantes modis, vt in deſperationem eum præcipitem agerent. itaq; miſer vndiq; malis oppreſſus propè iam deſperatione torpebat, cum æſtuanti, circumſpectantiq; cœleſte auxilium Lauretanæ Virginis, de cuius vi, ac benignitate mira multa inaudierat, memoria occurrit igitur impuræ vitæ pœnitentia eum cæpit; Deiparam inuocat, & per eam Deum placare ſtudet. at dæmones verberibus minas miſcentes à pio propoſito hominem abſterrere conabantur. Cæterum adoleſcens Deiparæ tutela fretus, animo & corpore proſtratus aduerſus infernas beluas eius præſidium inuocare inſtitit rogitans, vt miſerrimæ ſeruitutis iugum ab ſuis ceruicibus aliquando depelleret, quo Lauretum ire, & expiatis per confeſſionem animi ſordibus meritas liberatrici ſuæ gratias agere poſſet; extemplo diuina vis oblata ſpe cœleſtis auxilij ſupplicem illum ingenti gaudio compleuit, importunos dæmones procul abegit; auditæ frementium voces nihil ſe poſſe contra Mariam. ergo ille vix præ gaudio ſui compos impigre Lauretum, vti voucrat tendit, ibi omnibus vitæ maculis confeſſione ſacra elutis Deo, ac B. Virgini gratias impenſe agit, nonnullis ſacerdotibus cœleſte beneficium lætus narrat. Turſell. loc. cit.

Peccator chirographum, quo ſe dæmoni deuouerat, per Lauretanã Virginem recepit.

27 Laureti quoque noſtris tẽporibus renouatum cernitur illud Deiparæ beneficium, quod in Theophilum collatum antiqui celebrarunt, & nos ſupra memorauimus. Quidam proiectæ cupiditatis, ac libidinis, qui compluribus mulieribus, quas nefario amore concupierat potitus fuerat, cum inſano cuiuſdam teneretur amore, eaq; cum nec prece, nec precio, nec vi doloue potiri liceret; dæmonem rogitat, vt ſe voti compotem faciat ad omnia ſe deſcendere paratum oſtendens. Diaboli ergo iuſſu à Chriſto deficit, ſeq; totum illi tradit, idq; iurat conceptis ab illo verbis, & chirographo ſuam obſtringit fidem. Cæterum, vt miſer potitus eſt, quod cupierat, cœleſti luce oborta redit ad ſe, & ma-

magnitudinem ſceleris ſui ſera æſtimatione perpendit; pœnitentia igitur tanti peccati ductus,ad veniæ ſpem erectus Deum,Deiq; matrem implorare cæpit. Inter hæc occurrit Virgo Lauretana, eiusq; ædis ſacerdotes ampliſſima abſoluendi poteſtate præditi: protinus Lauretum venit;ſacerdotem re omni expoſita conſulit,ecqua ſibi ſpes ſit reliqua ſalutis;ille immanitate facinoris demonſtrata,ita ſpem ei ſalutis oſtendit, ſi precibus,ieiunijs,& voluntaria corporis caſtigatione Deum placare penitus inſiſtat, quod ſi imperata faceret ſe eius confeſſionem auditurum,& à tanto piaculo abſoluturum; interim monet, vt per triduum inedia,cilicio, flagris corpus afflictet,Deiparæ opem apud Deum imploret, ſe eodem triduo pro eo ſacrificium ſalutare Deo oblaturum. Ita triduo exacto ſacerdos ante abſolutionem monet, vt in ſacratiſſimo ſacello precibus, lacrymisq; Deiparam obnixè oret,vt chirographum à diabolo extortum recipiat; quod dum ille proſtrato corpore facit,& verſiculos illos ex animo caneret: *Monſtra te eſſe matrem, ſumat per te preces,qui pro nobis natus tulit eſſe tuus.* Ingenti miraculo voti cõpos efficitur: ſubito enim chirographum in manus delapſum conſpicit. quare ex inopinato gaudio integrato fletu gtates Virgini enixius agit,Sacerdoti receptum ſcriptum oſtendit,quod tot,tantisq; in Chriſtum,atque in ipſum,qni ſcripſerat diris,& execrationibus erat refertum,vt facilè appareret à ſempiterno humani generis hoſte dictatum. Ita ille ex dæmonis ſeruitute Deiparæ beneficio in libertatem aſſeritur filiorum Dei. hæc Turſell.lib.3.cap.33.

Inſontem mulierem à necis periculo Lauretana Virg.Deipara defendit.

Circa annum Domini 1594. Ciuis quidam Aſculanus filiolum ex nouo matrimonio ſuſceperat menſe ſeptimo, quem vnicum nutrici alendum dederat,& ſolicito ſubinde reuiſebat animo. Puer natura imbecillis nulla nutricis culpa repentino morbo extinguitur. Nutrix haud ignara quantum mali à pueri patre præferocis ingenij homine immineret,protinus occulta fuga Lauretum properat. Pater,vt filium exanimem conſpexit,dolore ſimul, iraq; furens nutricem quærit ad necem, cum ea non compareret, eius maritum vulneribus confoſſum pro mortuo reliquit,& armatus Lauretum aduolat, vt nutricem,vel in ipſa ſacra cella trucidaret: verum homini furenti hæc ſubijt cogitatio ſi ſacroſanctum limen intraret futurum, vt emollito pectore vlciſcendi curam omitteret. Quare lymphato ſimilis alio verſus omnes templi angulos fruſtra perluſtrare cæpit. (Illa enim expiatis paulo ante per confeſſionem maculis in ſacra cella Deiparæ implorabat fidem,) ſed dum,ante Annunciatæ aram ſub feneſtra,qua Gabriel Archangelus intraſſe fertur conſpectis forte per feneſtram luminibus, quæ plurima ante B.Virginem collucebant.ſubita religione tactus genua ſubmittit mira dictu res.Homo ferus, ac ferreus repente mollitur,mutato animo ſacerdotem adit,ibi abiectis armis cõfitetur, & ex diuina prouidentia in eundem ſacerdotem incidit,ad quem paulo ante nutrix acceſſerat,à quo delinitus redijr cum nutrice in gratiam. eam domum reducendam domeſticis;virum eius benigne curatum agreſtibus præpoſuit rebus, periculo à Deipara in emolumentum verſo. hæc Turſell.lib.5.cap.27.

REGIS ARAGONIAE, ET COMITIS S.Egidij diſcordia per Deiparæ imaginem compoſita.

28 AD hominum conuerſionem ſpectat animorum diſſidia præſertim inter magnates è medio tollere,& ad mutuam pacem, charitatemq; eos reuocare:cum hoc malum non tantum diſſenſionis,capita:verum etiam eorum cognatos, amicos, & aſſeclas illigare,cædibusq;,& alijs peccatis viam aperire ſoleat,quare Virgo ſanctiſſima vera illius, qui eſt PAX noſtra Genitrix pacẽ inter diſcordes reformat huius memorabile exemplum hic aſcribam,ex Vincentio in ſpec.hiſt.lib.29.cap.27.cui conſentit S.Antonin.2.par.hiſt.nu.17.cap.9.§.27. *Beluacenſis. S.Antoninus.*

Regis Aragoniæ diſſentio cum Comite S. Egidij per Deiparã ſedata.

Circa annum Domini 1183. magna inquit diſſenſio fuerat ex longo videlicet tempore inter ipſum Regem Aragonenſium,& Comitem S.Egidij Raimundum,quæ cum nulla ratione pacificari poſſet, cuidam pauperi Durando nomine Deus apparuiſſe fertur in Vrbe Anicienſi, quæ nunc Podium dicitur, eiq; tradidiſſe cedulam, in qua erat Imago B.Mariæ Virginis in throno ſedentis,tenens in manibus pueri Ieſu Imaginem,&

in

in circuitu impreſſam huiuſmodi ſimilitudinem: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi dona nobis pacem.* Quod audientes Principes cum vniuerſis populis apud Anitium conuenerunt in Aſſumptione B.Virginis. Tunc illius Vrbis Epiſcopus cum Clero,& populo pauperem illum carpentarium in edito ponentes intentiſſime audierunt;eoq;mandatum Domini de pace reformanda inter eos audacter referente, & cedulam cum Imagine B.Virginis,pro ſigno omnibus oſtendente,vocem cum lacrymis eleuantes mente promptiſſima ſe pacem ſeruaturos, ſub iuramento promiſerunt. In ſignum autem ſeruandæ pacis prædictum ſigillum *B.*Virginis in ſtanno impreſſum,ac pectori ſuperpoſitum cum caputijs lineis albis ad modum ſcapularis alborum Monachorum factis,ſemper portauerunt; & quod mirabile eſt, omnes huiuſmodi caputium cum ſigno portantes intantum ſecuri erant,quod ſi quis fratrem alterius aliquo caſu interfeciſſet, & frater ſuperſtes fratricidam cum ſigno iam dicto occurrentem videret,ſtatim morte fratris obliuioni data in oſculo illum cum lacrymis recipiebat,& in propriam domum inducens,victui neceſſaria miniſtrabat. hactenus Vincentius.

Inimicitia per Deiparam compoſita.

PVELLA QVAEDAM IVDAEA DEIPARAE auxilio ad Chriſti fidem conuertitur.

Cantipratenſis. Iudæa puella Deiparæ auxilio ad Chriſti fidem conuerſa.

29 THomas Cantipratenſis lib.2.apum cap.29. par.14.puellæ cuiuſdam Iudeæ conuerſionem Deiparæ ope factam narrat. Hæc Rachel vocata Coloniæ quinquennis in parentum Iudæorum domo ad chriſtianos affici cæpit, & B. MARIAE nomen magna cum lætitia audire geſtiebat, ideoq; de menſa parentum panem latenter acceptum pueris mendicis Mariæ nomen vſurpantibus erogabat. Deinde Louanium cum parentibus veniens à quodam Presbytero Reinerio fidei chriſtianæ articulos clam ſeſquianni ſpatio eſt edocta,quos tanta auiditate excipiebat,vt Ranerius,& quædam alia pia mulier vix eius deſiderio ſatisfacere poſſent. parentes rem ſubodorati,eam vltra Rhenum mittere ſtatuerunt à ſponſo arctius conſeruandam,quod puella cum lacrymis Presbytero indicauit,adiecitq; ſi eam ſaluam vellet,vti eadem nocte ipſam raperet, & chriſtianam efficeret.iuſſit igitur Presbyter eam ad ſe ſummo mane venire;cumq; illa veſperi membra ſopori dediſſet,vſque ad matutinum tempus iacuit, eius quod cum Presbytero condixerat penitus oblita: ei ergo dormienti aſtitit Deipara in veſte candida, virgamq; ſplendidam illi porrigens dixit: *Surge Catharina, & iter arripe;grandis enim tibi reſtat via.* Rachel virgam præhendere credens è lecto cecidit. quare expergefacta ſurgens è ſtrato adiuit Presbyterum, à quo ad monialium cœnobium Ordinis Ciſtercienſis,quod Pratum Dominicum dicebatur,dimidia leuca à Louanio diſtinctum deducta,ibiq; cunctis gaudentibus baptizata,nomen Catherinæ à Dei matre ei impoſitum ſumpſit, & illico ſanctimonialium habitu eſt induta. Parentes verò eius triſtes maximopere apud Epiſcopum Leodienſem, & Honorium III. ſummum Pontificem laborarunt,vt propter ætatis defectum vſque ad duodecimum annum in domo parentum eſſet,vbi hac ratione eius conſtantiam labefactare poſſent: nec deerant aliqui aduocati potentes pecunia perſuaſi,qui eis fauebant. ſed ipſa ſeptennis coram Epiſcopo cauſam ſuam,ita ſapienter,& conſtanter egit,vt aduerſarios omnes confuderit,& ad cœnobium fuerit remiſſa. Deinde parentes ſubmiſerunt Iudæum adoleſcentem, qui ſimulans ſe Chriſti fidem amplecti baptizatus eſt,petebatq; enixe, vti liceret cum ea quaſi cognata de rebus fidei agere:illa verò ficte illum accedere,cognoſcens nulla ratione adduci potuit,vt illi ne vnum quidem verbum loqueretur, qui tandem ad vomitum redijt. Quo verò tempore aliæ moniales à parentibus,& propinquis inuiſebantur, hæc ad Deiparæ Imaginem accurrebat,eiq; dicebat: *Ego paupercula pupilla, & indigna ad te Dominam meam, & cognatam accedo, tu ſola præ omnibus eſto mihi refugium, & ſolatium.* Hæc omnia ex eiuſdem Catherinæ ore ſe accepiſſe,teſtatur Thomas Cantipratenſis loco citato,additq; eam tanta potitam gratia,vt nihil illa ſerenius videri poſſet.

Mahumetani & Ethnici q. cõplures Deiparæ nutu ad fidẽ catholicã conuerſi.

Hic etiam addere poſſumus noſtris temporibus complures Mahumetanos, & Ethnicos in ſua perfidia antea pertinaces per quietem à Deipara admonitos,vt chriſtiana ſacra ſuſciperent; qua voce emollita eorum obſtinatione Chriſti ſacra amplexi ſunt. Ho-

rum

rum exempla in Annalibus Societatis plurima inueniuntur, quæ breuitati conſulentes omittimus.

REGIS MANOPOTAPAE PER DEIPARAM ad Chriſti fidem conuerſio.

30 COſaluus Sylueria Societatis Ieſu Sacerdos Luſitanus Comitis Sortellæ filius, non minus vitæ ſanctitate, virtuteq́; præſtans, quàm generis claritate conſpicuus, circa initium anni 1560. cum ſocijs duobus Goa diſceſſit in Regna Aethiopum, quæ dicuntur Inhambani, & Manopotapæ, iuxta Bonæ ſpei promontorium inter Mozambicū, & Sopalam, vt nationibus illis Euangelium nunciaret. Inhambanem vbi peruenit in Vrbe Regia Tonge Regem, vna cum vxore, ſorore, liberis, cognatis, Regniq́; proceribus, populo denique toto intra paucos dies magna omnium lætitia ſacro fonte luſtrauit; ſocijsq́; apud Regem chriſtianæ rei cauſa relictis Manomotapam cum ſex Luſitanis ire pergit, multisq́; in itinere ſuperatis difficultatibus tandem peruenit. ibi repudiatis, quæ illi aduenienti Rex tranſmiſerat muneribus ingenti nimirum auri pondere, bobusq́; permultis, ac ſeruorum famulatu, ad Regem ſe contulit: Rex admiratus tantum in Conſaluo rerum mundi contemptum magna gratulatione, & honoris ſignificatione eum excepit. cui Conſaluus perelegantem Deiparæ Imaginem, quam in tabula depictam ex India aduexerat, dono dedit, monens eam eſſe effigiem Genitricis Dei, in cuius poteſtate ſunt omnes totius Orbis Reges, Rex eam veneratus per eundem Conſaluum in Regio cubiculo precioſis periſtromatis ornato, quaſi in quodam ſacello collocandam curat. Noctibus deinceps circiter quinque Regina Cœli ea ipſa ſpecie, quam tabula oſtendebat, diuina circumfuſa luce, ſuauiq́; ſplendore fulgens auguſtiſſimo ſimul, ac iucundiſſimo aſpectu dormienti Regi aſtitit, quod ille matri narrabat rei nouitate vehementer attonitus, aitq́; Conſaluo ſe mirum in modum angi, quod ſermonem Reginæ eius, quæ ſecum ſingulis noctibus loqueretur, non intelligeret. cui Conſaluus, cum eam eſſe diuinam linguam dixiſſet, quam nemo noſſet niſi, qui ſacroſanctis eius Reginæ filij legibus pareret, quippe qui Deus eſſet, totiusq́; humani generis redemptor; Rex ſe chriſtianum fieri velle oſtendit: poſtq́; chriſtianis præceptis, atque rudimentis inſtitutus quinto circiter, & vigeſimo poſt Conſalui aduentum die Rex, & Regina mater ſolemni pompa ſunt baptizati cum Regni proceribus trecentis. & licet poſtea Rex à quatuor Mahometanis viris callidis, Regiq́; gratioſis ſeductus Conſaluum ſummis votis mortem Chriſti cauſa optantem interficiendum curarit die 15. Martij anni 1561. tamen à Luſitanis admonitus culpam in ſuaſores coniecit, magnumq́; perpetrati facinoris dolorem oſtendit, & è quatuor illis Conſiliarijs duos confeſtim interfecit; nam reliqui duo rem odorati mature diffugerant. Cæterum ad incæpta promouenda, alij deinde è Societate illuc ſubmiſſi ſunt, quorum laboribus res chriſtiana ſtrenue eſt procurata, eius Eccleſiæ fundamentis tam innocenti, caſtoq́; ſanguine poſitis. hæc ex litteris Indicis noſtrorum apud Maffeium lib. 2. ſelectarum epiſtolarum, & ex Ribadeneira lib. 2. vitæ P. Laynez cap. 11. & ex Nicolao Godigno in vita eiuſdem Conſalui, de quo vberius cap. 35. vbi eius in Deiparam pietatem commemorabimus.

Conſaluus Sylueria è Societ. Ieſu, poſtquam Regens Inhambanes, & Monopotapæ ad Chriſti fidem è conuentit, per eadē fide iugulatus occubuit.

Monopotapæ Regi Deipara apparet.

Maffeius. Ribadeneira. Nicolaus Godignus.

ALIQVI A DEIPARA CLEMENTER puniti, ſeu alia ratione admoniti reſipiſcunt. SECT. V.

31 RVſticus quidam anno 1505. tres mulieres ad B. Virginem in Dittelbach (cuius ſupra meminimus) pietatis ergo euntes veluti fatuas, & leues, quę hanc peregrinationem ſuſcepiſſent cum cachinno irridens, mox diuina vltione percuſſus, vt bos clamare cæpit iam iuribus ſimul, & mente deſtitutus, & à ſemetipſo deficiens ſicut homo ratione priuatus: qui diuinam ſentiens vltionem nudus capite, & pedibus, vt erat in vineto laborans, ſola camiſcia indutus ad templum illud B. Virginis poſt dictas mulieres curere cæpit, & prior peruenit, qui flexis genibus, vt potuit orans à Domina noſtra temeritatis ſuæ veniam petijt, & cum reſtitutione ſenſuum impetrauit. hæc Tritemius lib. 2.

Ruſticus pietatem erga Deiparam ſpernens corripitur.

Tritemius.

lib. 2. de miraculis Deiparæ in Dittalbach miraculo primo.

Lauretanæ ædis aditus ante expiatus peccatorum sordes, caidam diuinitus prohibeeur.

Circa annum Domini 1594. Peregrinus quidam omnibus sceleribus coopertus, & profligatæ vitæ apprime tenax Lauretum venerat: huic sacræ cellæ limen intrare auso repente in ipso aditu vmbra quædam horrenda specie se obiecit, quæ audacem hominem repulit ingenti pauore percussum. ergo scelerum conscientia ictus confessarium adit: cæterum ad recolenda tot annis patrata facinora multo opus erat tempore, magnoq; sensu doloris, ipse autem minime meditatus, ac paratus ad sacram confessionem accesserat, proinde à confessario monetur, vt in sacra cella Dei, Deiparæq; ope enixius implorata in anteactæ vitę peccata inquirat sedulo; tum demum paratior redeat ad cõfitendum: eum itaq; sacram cellam repetẽtem eadem illa species oblata ingressu prohibuit. Tum verò ingens illi dolor inustus, se vt conscleratum contaminatumq; à Deiparæ conspectu bis abiectum esse. extemplo magno flagitiorum dolore diuinitus concepto, conscientia impensius excussa flens redit ad sacerdotem. expiato tandem animo ad Virginis ædem verecunde accedit: mirabile dictu, aditus qui antea facinoroso clausus, fuerat, eidem pęnitenti patuit. hæc Turscll. lib. 5. cap. 27.

Nec illud silentio prætereundum Deiparam ex cella Lauretana lapidem, vel laterem subtrahi nulla ratione permittere. eius rei violatores, quamuis in hoc pietatem prætendant, haud inultos euadere, vt ex his quoque intelligas tonitrua ex hoc diuino throno proficiscl.

Quidam, qui è Lauretana ade lapidem subtraxerat à Deipara corripitur.

Anno 1558. Italus quidam nobilis exiguum lapidem retulit Lauretum, quem multis ante annis ex æde Lauretana subtractum domi suæ omni honore, cultuq; asseruabat. verum à Deo orbitate filiorum, & amissione fortunarum omnium flagellatur. Ad hæc pertinaci magis, quàm pernitioso morbo vexari cępit. cum igitur formidaret aliquo suo scelere, quod tamen non agnoscebat id sibi accidere, Lauretanæ Virginis, cui mire erat addictus auxilium pariter, & consilium implorat. nec mora Deiparæ monitu discit lapidem ex æde Lauretana sublatum, malorum, quæ patiebatur esse causam, ideoq; restituendum. Tum ille obortis lacrymis audaciæ veniam precatur, desiderauitq; ipsemet lapidem referre, atque impetrauit; extemplo depulso morbo alacer Lauretum pergit, saxum restituit, vota persoluit. Turscll. lib. 3. cap. 30.

Turscllinus.

Alia similia exempla.

Simile accidit cuidam fœminæ ex agro Piceno, quæ vt sterilitatem depelleret, lapidem ex Lauretana æde accepit, & cum febri illud domum retulit, nec prius ea discessit, quam lapidem reddidit ablatum, Non absimile senserunt mercatores Illyrici, qui saxum ex Deiparæ cella subreptum clam in onerariam abdiderant: sed coorta graui tempestas vasorum, & mercium iacturam facere coegit, nec ante cessauit, quàm flẽtes veniam à Deo orarent, & redeuntes lapidem Virgini restituerunt. Nonnulli quoque peregrinorum, qui calcis, & lapidis aliquid abraserunt morbo correpti, ablata restituere sunt coacti. hæc Turscll. lib. 3. cap. 30.

Infirmatur Conimbricensis Episcopus, qui è Lauretana ade lapidem transferrendum iusserat.

32 Illud verò toto christiano orbe est celeberrimum, Ioannes Soarius Conimbricensis Episcopus, doctrina, ac pietate clarus anno 1561. ad Tridentinum Concilium profectus venit Lauretum: cumq; magno desiderio teneretur ædiculam Lauretanę similem in suo Episcopatu condendi diplomate Pontificio lapidem per Franciscum Stellam Aretinum, sacerdotem ex sua familia ex sacra ęde accipiendum, & ad se Tridenti transferendum curat; Stella verò multas in eo itinere difficultates, multa vitę discrimina in singula pene momenta adiuit: nam magnis semper imbribus est vexatus; viarum lacunę, ac voragines passim obstabant, torrentes obuij exitium minitabantur, equus, quo vehebatur, identidem corruebat; equi subinde mutati, omnes inutiles reddebãtur, ipse cadẽs lacunis hauriebatur: tandem infausto itinere Tridentum peruenit; sacrum lapidem Episcopo tradit, qui eum argentea theca incluſum transmittere parabat in Lusitaniam, cum repente ardentissima corripitur febri, accedebat acerbissimus inguinum dolor, qui nullam sinebat eum capere quietis partem. medici adhibiti omnibus frustra tentatis negãt causam morbi humanam videri, ita desperata eius valetudine discesserunt. Episcopus in se ipsum intensius inquirens Lauretani lapidis religione animum stimulante à Lauretana Virgine, si eam forte violata eius domo læsisset veniam expoſcit, mox tacitam velut missam è cœlo vocem sibi audire visus iubentis ademptum saxum reddere; sed

ille

ille veritus,ne id ægrę mentis vanum eſſet ludibrium,animi;conſilijq́;incertus hęrebat: per hęc hebdomadæ aliquot abſumptæ.Primores item ſacrarum Virginum Tridenti in duobus cœnobijs pro Epiſcopi ſalute biduo impenſius orantium Stellę, qui Domini iuſſu eum illis commendarat, vnico reſponſo ędicunt: *Si Epiſcopus ſaluus eſſe velit ſaxum Lauretanæ Virgini reddat*; quod cum occultum eſſet, Stella diuino indicio illis enunciatum exiſtimauit. Hoc cognito Epiſcopus lacrymis manantibus veniam à Deipara enixè petit.extemplo Stellam Lauretum referre ſaxum illud iubet.Vix Vrbis porta exceſſerat equo;cum Epiſcopus melius habere cępit. Stella verò mutatis ſubinde equis non magis difficili impeditoq́; antea,quam poſtea facili,expeditoq́; itinere,mira celeritate Tridento Anconam non toto quatriduo peruolauit; quo verò propius is Lauretum accedebat,hoc melius habebat Epiſcopus,vt eodem tempore, & Virgini lapis, & Epiſcopo ſalus redderetur. Stella Lauretano Præſidi rem omnem enarrat, lapidem argentea theca incluſum cum Epiſcopi litteris tradit,qui ornatiſſimo ferculo quanta maxima pompa à Præſide, Canonicis,& Sacerdotibus circumlatus proſequētibus amplius duobus hominum millibus in ſuum reponitur locum,ferri retinaculo addito.res per Picenum,Italiamq́; vulgata loci religionem cultumq́; plurimum auxit, vt intra vnum menſem ſupra quinquaginta aduenarum millia Lauretum ſtudio videndi oſculandiq́; ſacri lapidis adeo fama celebrati confluxerit. hæc Turſell.lib.4. cap.4.

Alia ſimilia exempla ex Turſellino.

Multorum quoque aliorum exempla narrantur, qui lapidum calcisue particulas ex ſacroſancta domo pietatis prætextu auferentes,diuinitus pęnas dederunt, quoad malis docti ablata reddiderunt;de quibus vberius Turſellinus lib. 5. cap. 9. nobis hæc retuliſſe ſufficiat.

Cæſarius. Bono Ciſtercienſium nomini detractor à B. Virgin. corripitur.

33 Adoleſcens quidam ex Cæſario lib.7. mirac. cap. 42. quatuordecim annos natus, erga Ciſtercienſem Ordinem valde affectus falſis quorundam ſermonibus, qui eos auaritiæ accuſabant,adcò in illos eſt concitatus,vt eis detraheret,nec æquis oculis quēquam eorum aſpiceret. Nocte quadam (inquit Cæſarius) in ſomnis ante Imaginem Dei genitricis ſibi ſtare videbatur,quem cum illa ſęuerius intueretur,& puer tremeret, faciem ab eo auertit,ſic dicens: *Male puer optimis amicis meis,quos habeo in toto mundo,maledicis, & detrahis?* quod ille probè intelligens, & ex terrore vigilans, cępit iterum Ordinem illum diligere.

Quædam monialis a Virgine acriter reprehenſa.

Virgo quędam ſanctimonialis ab improbo quodam viro ad flagitium perſuaſa, ad illud perpetrandum cœnobium exire decreuerat: verum in omnibus cœnobij ianuis, per quas prodire tentauit,Chriſti à cruce pendentis Imaginem, qua egredi prohibebatur,conſpexit; hoc autem illi beneficium Dominus feciſſe videtur, quòd ſingulis diebus quandam Dominicæ Paſſionis precationem recitare conſueſſet. quare ad cor rediens,tremens (inquit Cæſarius lib.7.miracul.cap.34.) coram Imagine Deiparæ proſtrata ſui peccati veniam poſtulabat,à qua cum Imago faciem verteret,& illa obnixius ſupplicatura propius accederet, Imago maxillam eius manu percuſſit dicens: *Quo vis ire fatua? vade in dormitorium tuum:* tam fortis fuit alapa,vt in terram corruens ſic iaceret vſque ad tempus matutinale,quando à Sororibus animi deliquio conſternata inuenta eſt;collecto tandem ſpiritu, hæc omnia alijs monialibus ad Dei honorem narrauit,ſeq́; ab ea tentatione omnino liberam ſenſit. hæc Cęſarius.

Cæſarius.

Quidam à Virgine priuatus benedictione S. Anton Lib. vita S. Dominici.

Quendam ex Ordine Prædicatorum lectulo indecēter decumbentem cum inter dormiendum enudatus eſſet,Virgo beatiſſima aſperſionis,& benedictionis gratia,qua alios dignata erat,vidente S.Dominico expertem fecit:narrat S.Antoninus 3.par.hiſt.tit.23 cap.3.initio,& habetur lib.2.vitę S.Dominici cap. 13.

Cæſarius ſimile exemplum.

Simile eſt illud,quod narrat Cęſarius lib.7.mirac.cap.14.de quodam monacho,qui cum nocte quadam dormire non poſſet,& precibus inſiſteret.Contemplatus eſt,inquit, in dormitorio fœminam miri decoris, quæ dum dormientium lectos circuiret,ſingulis benedixit,vno tantum monacho neglecto,quem non reſpicere curauit,cui mane cum hoc intimatum eſſet,confeſſus eſt,quod eadem nocte inordinatè iacuiſſet, neſcio vtrum cingulum depoſuerit,vel caligas demiſerit ſiue tunicam denodauerit. hęc Cęſarius.

Quidam moriturus monetur cū ſpe, & timore obitū expectare.

34 Quidam Canonicus Regularis in mortis agone præſumptuosè,& prępropere exultans,à Virgine corripitur,& admonetur potius cum ſpei moderatione,& Dei timore

dùm

Thom. Cantipr.

dum vltimum expectare, ita Thomas Cantipratenſis lib. 2. apum cap. 50.

Mulier, quæ duos iuuenes monachos ſub Virginis pallio vidit S. Anton.

Quædam fœmina magnæ ſanctitatis in Longobardia, teſte S. Antonino 3. par. hiſtor. tit. 23. cap. 3. §. 1. quod temerè duos iuuenes ex Ordine Prædicatorum illac pertranſeuntes deſpexiſſet, quaſi in hoc ſeculo nequaquam continentiam diſcurrendo ſeruare poſſent, à ſanctiſſima Virgine turbata facie eſt reprehenſa, eiq; eoſdem iuuenes pro ſalute animarum per mundum diſcurrentes cum magna fratrum turba ſub ſua clamyde, quaſi ſub tanta cuſtodia tutos oſtendit: ex quibus mulier compuncta fratres Ordinis, quibus iſta narrauit ex intimis in poſterum dilexit. hoc idem refert Auctor vitę S. Dominici lib. 6. cap. 6. apud Surium tom. 4.

Surius.

S. Catherina Senenſis ob leuiſſimam abſtractionem à Deipara reprehenditur.

S. Catherina Senenſis virgo incomparabilis; cœleſtium viſionum copia excellens, Deiparæ ſtudioſiſſima, vt cap. 35. diximus, cum ſemel diuinæ cuidam viſioni intenta, eam ſocio ſui confeſſarij narraret, ſub ipſa narratione tranſeunte eius germano fratre, oculos pauliſper conuertit, vt quis eſſet aſpiceret, celerrimè ſe referens ad cœleſtem viſionem, quare propter tantillam à diuinis diſtractionem duriſſimè à ſanctiſſima Dei Genitrice, & ab Apoſtolo Paulo eſt reprehenſa, ita vt mox in acerbiſſimum fletum prorumpens, nihil vltra locuta fuerit. hæc ex eius vitâ ab eius confeſſario Raymundo, poſtea Ordinis Prædicatorum Generali Magiſtro conſcripta.

Raymundus. Vita S. Catherina Senenſis.

Ioannes Durus è Societate Ieſu à Deipara monetur. Horat. Turſell. Ioannes Durus.

35 Et ne domeſtica exempla noſtræ Societatis Ieſu negligere videamur P. Horatius Turſellinus in vita B. Franciſci Xauerij Societatis Ieſu lib. 3. cap. 7. de Ioanne Duro Socio, & Comite B. Xauerij ſcribit in hunc modum. Ioannes Durus Franciſci Xauerij commoditati ſeruiendum ratus illo inſciente nummorum aliquid à Luſitanis acceperat eleemoſynæ nomine; quare à Xauerio in pœnam in proximam Inſulam ad breue tempus amandatur. Durus cum ibi in æde ſacra moraretur Deiparentem (incertum vigilans, an ſomnians,) & ad aram maximam in puluino ſedentem conſpicit, apud eam puer Ieſus erat, qui Durum verecundantem ad Matrem ſuam pellicere conabatur. Illa primo infenſæ ſimilis eum auerſari, ac repellere, deinde pacem, ac veniam ſuppliciter orantem admittere, ad vltimum certis de vitijs admonitum dimittens, ſimul cum puero Ieſu ſublimis abijt: quam viſionem cum Durus Xauerio etiam interrogatus minime patefaceret. Xauerius vltro ſingula eidem expoſuit, quod ipſemet Durus poſt obitum B. Xauerij iuratus enarrauit. hæc Turſellinus.

Ingrati animi vitia à Deipara puniuntur.

Nec verò quiſquam ſibi blandiatur, quod à Deipara ingentibus beneficijs fuerit aliquando donatus, niſi etiam his beneficijs reſpondeat, & ad meliorem frugem ſe recipiat, in eaq; perſeuerare ſtudeat: caueamus verò ne Deiparæ admonitiones, vel increpationes ſurda aure accipiamus; ſed ex ijs proficere, & vitia noſtra, atque defectus emendare curemus, ne ſi obſtinato animo in ſceleribus ſordeſcamus, diuinam in nos iram merito prouocemus. In huius rei confirmationem ſubijciam exemplum in Germania apud grauiſſimos Auctores teſtatiſſimum.

VDONIS IN SCELERIBVS OBSTINATI miſerabilis interitus.

Vdo Magdeburgenſis Epiſcopus ingratitudinis erga Deiparam aliorumq. ſcelerum pœnas exoluit.

36 VDo apud Magdeburgum Parthenopolim etiam dictum in Saxonia inertis ingenij, & ad litteras parum idoneus, dum in Eccleſia maiori S. Mauritio, eiusq; ſocijs dicata proſtratus, Deiparæ clementiam, & S. Mauritij patrocinium ad ingenij acumen obtinendum implorat aliquantulum obdormiuit, cui Deipara apparens: *Non ſolum ſcientiæ*, inquit, *munus tibi tribuo: ſed etiam poſt huius Epiſcopi mortem Eccleſiam principis mei Mauritij tuæ fidelitati commendo: quam ſi bene rexeris, premium grande conſequeris, ſin autem malè in anima, & corpore morieris.* Ille euigilans in omni ſcientia peritiſſimus apparuit, & poſt biennium in defuncti Archiepiſcopi locum cunctorum ſuffragio delectus, aliquantulum diu bene vixit; poſt aliquod verò tempus in omne ſcelus prorupit; nam facultates Eccleſiæ dilapidabat, mulieres etiam Deo ſacratas violabat: cumq; multis annis male vixiſſet, & quadam nocte cum Abbatiſſa quadam cubaret, vox ad eum huiuſcemodi facta eſt: *Ceſſa de ludo, quia luſiſti ſatis Vdo*, quam ille contempſit: ſed cum ſequenti, & tertia nocte cum ingenti fragore eadem vox intonuiſ-

ſet,

ſet,aliquantulum ingemuit:verum minimè reſipuit.quare poſt tres menſes quidam Canonicus Fridericus nomine nocte orans pro Eccleſia præſertim Magdeburgenſi, vidit Chriſtum in Eccleſia in aurea cathedra ſedentem, & iuxta eum Virginem glorioſam in alia item cathedra aurea conſidentem,Sanctorum multitudine ſtipatos:cumq; S.Mauritius de Vdone conqueſtus eſſet, Chriſto iubente à latere Abbatiſſæ abſtractus, eoq; adductus eſt,quem S.Mauritius ſeuerius intuens,hæc ad Chriſtum: *Domine*,inquit, *ecce iſte Vdo non Epiſcopus,ſed lupus;non paſtor,ſed raptor,maculator, & deuorator eſt Dominici gregis*:adiecitq; Deiparam ei ſcientiam tribuiſſe, & Eccleſiam Magdeburgenſem commendaſſe.quin etiam eum tertio monitum vitam ſuam nequaquam emendaſſe. At verò Chriſtus eum decollari præcepit: quare ab Angelo capite truncatus in eodem tẽplo malè perijt, ſed ante decollationem multis pugnis collum Vdonis valide percuſſit, & poſt quemlibet pulſum,hoſtia polluta per os Epiſcopi in calicẽ ab alio paratum decidebat:quas omnes cœli Regina reuerenter accipiens diligentiſſimè lauit,& ſuper altare cum calice ponens receſſit. mane autem facto calicem cum hoſtijs in altari, & caput Vdonis abſciſſum,ac truncum corpus,quod in ſuo ſanguine iacebat,inueniunt: pauimẽtum verò marmoreum,atque candidum ſanguine adeò eſt infectum, vt ei connaturalis videatur. in eo autem loco, vbi eſt decollatus,noui Epiſcopi ad orationem proſternuntur,vt exemplo Vdonis ſibi cauere diſcant. Canonicus verò Fridericus, qui hæc omnia non in ſomnis, ſed apertis oculis viderat,ea cunctis narrauit. Hanc hiſtoriam ſcribit Nauclerus generatione 34. & Tritemius in Chronico Hiſaurgenſis Monaſterij. contigit mors Vdonis anno 985. Othone III, imperante,& Caniſius lib.5. cap.20. eius meminit,& fusè deſcribitur in Spec. exempl.diſt.9.nu.175.

Nauclerus. Tritemius. Caniſius. Speculum Exemplorum.

Cæſarius lib.7.miracul.cap.41.rem quandam non adeò terribilem, aliquantulum tamen ſimilem ſuo tempore geſtam narrat. Cum defuncto Brunone Colonienſi Præſule, de ſucceſſore deligendo ageretur, Hermanno Decano Bonnenſi, qui impenſius Deum, eiusq; Genitricem precabatur,vt aliquis dignus illi Eccleſiæ præficeretur, Deipara per viſum obiecta,librum porrexit aureis litteris inſcriptum,in quo nihil aliud,niſi Angelica ſalutatio *Aue Maria gratia plena* continebatur (per librum autem Epiſcopatus intelligebatur) eiq; iuſſit hunc librum Theodorico ſanctorum Apoſtolorum Præpoſito deferre adijciens, quòd ſi in Epiſcopatu non ſe benè habuerit, ſicut per me illum adeptus eſt: ita per me illo priuabitur. Is porrò Theodoricus Deiparæ erat ſtudioſus; quotidianæ miſſæ, quæ de eadem dicebatur,intererat, nummum quotidie offerens. Electus in Antiſtitem malis conſilijs vſque adeò mutatus eſt,vt indebitis exactionibus, vel ipſos Religioſos grauaret: quare inquit Cæſarius his, alijsq; malis actibus Dei Genitrix irritata egit, ſicut ex dicta viſione colligitur, vt indigne ſatis à Moguntino deponeretur,alio Epiſcopo eius æmulo per electionem ſubſtituto. hæc ex Cæſario.

Cæſarius. Theodoricus Epiſcopus à Deipara monetur, & ab Epiſcopatus munere deponitur.

NONNVLLI IN DEIPARAM IMPII, membrorum priuatione,vel etiam morte mulctantur. SECT. VI.

37 GAianus Mimus Heliopoli in Phœnice, quod Dei Genitricem per ſummam impietatem in theatro blaſphemaret, nec ab eadem aliquoties monitus reſipiſceret,cum ei dormienti Virgo ſanctiſſima manus, & pedes digito ſignaſſet,euigilans ſe manibus, pedibusq; truncatum inuenit, atque ita confitebatur omnibus propter ſuas blaſphemias ſe clementer cruciatum fuiſſe;narratur in Prato ſpirit.cap.47.

Gaianus Mimus punitur ob blaſphemiam.

Prato Spirituale. Blaſphemiam in B. Virg. permittens coercetur.

Quidam Gentiles Mauritio imperante in cuiuſdam chriſtiani domo, vbi vino ſe ingurgitaſſent,Dei Genitricem blaſphemijs, & conuitijs proſcindere cœperunt, ſacro Incarnationis myſterio illudentes, qui tamen poſtquam eorum impietas innotuit condignas petulantis linguæ pœnas dedere: ædium verò dominus, in quibus illi blaſphemiæ indulſerant,in ſomnis Dei Genitricem vidit, eiq; contumeliarum indignitatem in mentem reuocauit. Miſer ille veniam delicti, & pœnitentiæ tempus orabat; illa vitam conceſſit,vimine tamen,quod manu geſtare videbatur,genua circumcirca veluti exarauit: expergefactus ille,membra vimine notata abſciſſa inuenit,recenti ſanguine

perfluente. Quo euulgato, omnes Deiparam celebrarunt, quæ quamuis præter eius naturam sit quemquam punire, vi quadam adacta, vt religio nobis stabilis, ac firma esset, hoc edere miraculum voluit. hæc Nicephorus lib. 18. cap. 33. Baronius tom. 7. Annal. hoc miraculum contigisse affirmat anno salut. 587.

Nicephorus. Baronius.

Imaginis Deiparæ cõtemptor Cyprius punitur.

Cyprius quidam in Constantia Vrbe Cypri armentarius in Deiparæ sacellum orandi causa cõcessit, videnscq; Deiparæ Imaginem coloribus in pariete expressam ait, *Quorsum hæc?* & stimulo, quo boues agebat, Imaginis dexterum oculum exculpsit, Egressus autem templum cum pectus pungeret, stimulus fractus est, parscq; ea, cui ferrum infixum est, in hominem delapsa, in oculum illius dexterum infixa est. hęc Constantinus eiusdem Constantiæ Cypri Episcopus in Synodo Nicen. 2. Act. 4. toti Synodo retulit, adiecitq; se virum illum vidisse, & vnoculum esse etiam tunc cognoscere.

Imaginem B. Virg. percutentes quidam maximas dant pœnas.

Beluacensis.

38 Aliud memorabile accidit signum in Gallia, in quo duorum Deiparæ Imaginem blasphemantium pœna, simulq; eius sceleris grauitas plane perspicitur, quod refert Vincentius Beluacensis lib. 7. Speculi historialis cap. 110. qui Imaginem illam, & rei gestæ vestigia se vidisse affirmat his verbis. Iuxta Castrum Rodulphi est quædam Abbatia, quæ Dolis vocatur: super quãdam Columnam Ecclesiæ ipsius est Imago lapidea ad honorem beatæ Mariæ Virginis sculpta, ad quam cum quædam paupercula mulier veniret orandi gratia, aderant ibi in atrio duo Brabantiones, qui improperantes mulieri, Imaginem blasphemabant, vnus etiam lapides in Imaginem proijciens, vno lapide percussit, & confregit brachium pueri Iesu; & cum manus illa lapidea cecidisset exierunt guttæ sanguinis è brachio, ac si esset hominis viuentis, statimq; in eodem loco ille, qui lapidem proiecerat expirauit; alter verò cum vellet morientem inter brachia sua colligere, vt ei aliquod præberet adiutorium, statim arreptus est à dæmonio, & insequenti die defunctus est. Eadem etiam sequenti die cum turba multa conueniret, vt Imaginem, & sanguinem de lapide fluxum videret, ipsis videntibus ipsa Imago scidit vestimenta sua, scilicet ornatum, qui circa eam erat lapideum; & collum suum, quod confirmatum erat monili lapideo, & pectus denudauit vsque ad mammillas propter ignominiam, & iniuriam, quæ illata fuerat sibi, & paruulo suo. Hoc contigit anno Domini 1187. tempore, quo bellum erat inter Philippum Regem Francorum, & Henricum Regem Angliæ, altero constituto apud castrum Dolis cum exercitibus suis. Et ego, qui scripsi sanguinem illum vidi oculis meis, & Imaginem nudatam, ac vestimentum reuulsum. Qui autem viderunt eam ante perpetratum miraculum, testantur, quod erat prius rubicunda, & bene colorata; modo stat tanquam exanguis, & pallida. Ibi pro certo cæci illuminantur, claudi curantur, & fiunt miracula. hæc Vincentius loco citato.

B. Virg. Imaginem ferro ledere Saraceni alii quot frustra sunt conati.

Beluacensis.

Saraceni quandam sanctæ Mariæ Basilicam ingressi, in omnium sanctorum Imagines, quæ in maceria erant depictæ, hastilium suorum cuspides vibrauerunt. Huic oculum eruerunt, illi nasum, vel pedem truncauerunt, omnes prorsus terebratis aculeis dissulcauerunt. Ad Imaginem sanctæ Mariæ titubant insani, nihil ibi omnes, quamuis sæpè tentantes turbare potuerunt; sed cum maximè intentarent viribus effusis inuentæ manus erant, aut tremore irritæ, aut alio delatæ. hæc Vincentius lib. 7. Specul. histor. cap. 110.

Fures thesaurorum ædis Lauretanæ diuinitus puniuntur.

Tuesellinus.

39 Nonnulli sacræ ædis Lauretanę ministri circa annum Domini 1558. auaritia stimulante eius ædis thesauros compilarant, quos in nauim conditos occulta asportabant fuga: sed agri Piceni oram præteruectos aduersa tempestas reiecit eo, vnde conscenderant. itaq; in manifesto scelere deprehensi pro æde Lauretana suspenduntur. Tursell. lib. 3. hist. Lauret. cap. 31.

Aliud simile exemplum.

Quidam facinorosus ferramentis instructus, quibus valuarum Templi, & arcæ nummariæ seras aperiret intra Virginis Lauretanæ ceilam solerter se occulit. nocte verò concubia, sacra dona aurea, argenteaquè congerit in vnum locum; mox arcæ, & Sacelli, ac Templi foribus patefactis circumspicere cœpit oculis adiutorem quendam sceleris, cum quo conuenerat, vt illa ipsa hora in Templi vestibulo præsto esset, sacra dona, nummosquè in destinatum locum abditurus, & ecce armatorum agmen. (Angelos fuisse ante Virginis ædem veluti excubantes creditum est)

adesse

adeſſe cernit,quorum aſpectu territus clauſis propere valuis ſe abdidit; & cum iterum, ac tertio patefactis templi foribus ſceleris ſocium quæritaret,ſemper ei cęleſtis illa manus infeſtis occurrebat armis, ac trepidum compellebat in templum. cumq; appetente aurora irrito incępto per auerſam Templi Portam fugam inire vellet, eorundem cœleſtium excubitorum occurſu territus in ſacroſanctam cellam refugit. Superuenientibus igitur ſanctiſſimi Sacelli cuſtodibus valuæ refractæ, ſacra Dona congeſta illum ſacrilegij ſuſpectum fecerunt:comprehenſus quæſtione habita rem omnem confitetur,& cum ſceleris conſocio merita pœna afficitur. Turſellinus lib.3. cap. 31. Quomodo etiam duæ Turcicæ triremes in Agro Lauretano prædari auſæ eadem die à Venetis fuerint captæ, Turcis laqueo extinctis cap. 20. vbi de miraculis ex Turſellino lib. 2. cap. 19. retulimus.

Iurans per mẽbra Deiparæ maximas exoluit pœnas.

Vir quidam execrabilis circa fines Ciuitatis Cardocij membra intemeratæ Dei Genitricis ſacra, & ſecreta ore ſpurciſſimo iurare auſus, mox immundo ſpiritu vexatus, oculis euerſis,facie enormiter intumeſcente,linguamardentem lõgius ab ore porrexit, qui longo tormento excruciatus,demum extinctus linguam,quam extraxerat,nec in morte retraxit. hæc in lib. de viris illuſtribus Ord. Ciſtercienſis ex relatione Abbatis Gherebaldi,& habetur in Spec.exempl.diſt.3.nu.44.

Lib.de viris illuſtribus Ordinis Ciſtercienſ. Speculum Exemplorum.

Blaſphemans Chriſti, & B. Virg.membra fulmineo ictu acriter punitur.

40 Quidam blaſphemus cum in ludo perderet, Satanico furore percitus, vbi omnia Chriſti membra tam externa, quàm interna per ordinem nimia temeritate iuraſſet, ſanctiſſimæ Dei Genitricis membra omnia ſingillatim iurare cœpit ijs,qui aderant præ horrore aures obſtruentibus.ſed repẽte inuiſibili, & quaſi fulmineo ictu percuſſus corruit,& diu palpitans,& mortiferos gemitus edens,ſacrilegam animam efflauit, in cuius dorſo inuenta eſt plaga recens, & intus dehiſcens, ita vt intima cordis,hepatis, & pulmonis apparerent:multis verò ad horribile hoc ſpectaculum confluentibus, vni eorum quidam olim defunctus apparens dixit, Chriſtum Dominum Genitricis ſuæ iniurias citius punire, aut ſi in poſterum reſeruat, eas acerbius caſtigare.Hoc exemplum narratur in libro de viris illuſtribus Ordinis Ciſtercienſis, & refertur in Speculo exemplorum nu.43.diſt.3. & Vincentius Beluacenſis lib.7. Specul.hiſtor. cap.104. affirmat id euenisſe apud Laſſentiam. eius meminit Cæſarius lib.7.cap.44.qui etiam addit non ſolum blaſphemiam, ſed etiam ſtultiloquium ſine felle malitiæ contra Deiparæ Imaginem prolatum,in præſenti acriter punitum, cuius rei hoc ſubijcit exemplum.

Libro de viris illuſtribus Ordinis Ciſtercienſis.

Speculum Exemplorum.

Beluacenſis.

Cæſarius.

Matrona quædã ſtultiloquij in Deiparæ Imaginem pœnas dedit.

In villa Caſtri Veldenſis Diœceſis Treuirenſis,quædam noſtro tempore extitit Deiparæ Imago filium inſinu fouentis,opere non adeò benè formata, multa tamen virtute dotata, quam Matrona, quædam eiuſdem Caſtri reſpiciens, & ſculturæ indignans ait: *Vt quid hic ſtat vetus hæc Rumbula?* Verùm alteri matronæ à Deipara dictum eſt,quia mulier illa (nomen eius exprimens) vocauit me veterem Rumbulam ſemper miſera erit,quoad viuet, & poſt paùcos dies à proprio filio omnibus ſuis bonis exuta miſere mendicans ſtultiloquij pœnam luit ex Cæſario lib. 7. cap.45.

Cæſarius.

Percuſſor Imaginis Deiparæ, ac S. Alberti, fulmineo ictu conteritur.

Drepani quidam taxillorum luſu omnem rem ſua perdiderat. Is furore percitus ad locum,vbi Imagines erant B.Virginis, & S.Alberti Carmelitæ, venit,in easq; verba blaſphemiæ protulit conqueſtus, quod eius preces non audierint, arreptoq; gladio vtramque Imaginem ſecat, & confeſtim diſtillat ſanguis bene multus in terram. vidit id quidam puer, ſublataq; voce clamat in ſacrilegum. Ille audito clamore exit è templo,ſed repente horrendo exiſtente tonitru fulminis ictu totus in pulueres ad fores Eccleſiæ redigitur. hæc in vita S.Alberti apud Surium die 7.Auguſti.

Surius.

Gregorius Turonenſis. Peierantes in B Virg. templo dant pœnas.

Neque in eos ſolum, qui in Deiparam verbo, vel facto blaſphemi, ſeu minus reuerentes fuerunt;verum in eos etiam,qui periurij crimine eiuſdem templa, vel alia ratione eius feſta violare non ſunt veriti,cœleſtis vltio deſeuit; quod ex ſubiectis exemplis planum fiet. Gregorius Turonenſis lib.1.de gloria Martyrum cap.20. eiuſmodi periurij pœnam refert his verbis. In Vrbe autem Turonica eſt Eccleſia ſanctæ Mariæ Virginis,ac Ioannis Baptiſtæ nomine conſecrata,in qua periuris vltio diuina apparuit. Quidam autem cum ad periurandum in hanc Eccleſiam fuiſſet ingreſſus, vbi manus ante altare ſtans,ſurſum extulit, vt Sacramentum mendax proferret, ſtatim reſupinus ruens,ita caput in pauimentum conliſit,vt vix vel viuens erigi potuiſſet. Ad ſe autem

reuerſus dolum periurij, quod occultabat, publicè patefecit. Vidimus enim, & nos quoſdam de Turonicis in loco eodem periuraſſe, qui ita diuino iudicio condemnati ſunt, vt in ipſius anni curriculo finirentur à ſeculo. hæc Turonenſis.

Cæſarius.

41 De pœna verò eorum, qui Deiparæ feſta perturbare ſunt auſi Cæſarius lib. 7. de miraculis cap. 43. quoddam profert exemplum his verbis.

Natiuitatis Deiparæ ſollemnitatem contemnentes, raptores quidam milites occiduntur.

Quidam nomine Sybodo cum ſuo germano Baldemaro milites miniſtri Palatini Comitis Rheni multis ſecum aſſumptis armatis forum rerum venalium in villa Caſſulæ depredati ſunt, nulla habita ratione feſti Natiuitatis Deiparæ, quæ eodem die celebratur, & dedicationis Eccleſiæ, & diei Dominicæ, quæ in eundem diem inciderat, propter quæ forum illud fiebat. nocte autem præcedenti cuidam militi ex Comitibus Sybodonis viſa eſt Deipara aduoluta Chriſti pedibus, & conquerebatur de iniuria hac à Sybodone, & ſuis ſocijs illata, quam quia apud ſe Sybodo conſtituerat, reputabatur in ea viſione, ac ſi facta eſſet, quod cum miles Sybodoni tremens intimaſſet, nihilo ſecius facinus illud Sybodo perfecit. eodem die Vvalramus Comes cum armatis ſuperuenit, re cognita eos perſecutus alios cæpit, alios occidit, vixq; aliquis euaſit præter militem, cui viſio illa obiecta eſt; Sybodo verò ſtrepitu audito ſurgere non valuit, dicebat enim ſe ſuper genua ſua quaſi plumbi maſſam ſentire: quare captus occiſus eſt cum Baldemano germano, deditq; pœnam ſacrilegij in Dei Genitricem admiſſi. hæc ex Cæſario.

HAERETICI, ALII Q. ECCLESIAB HOſtes Deipara eam protegente miſere perierunt. SECT, VII.

Sanctæ Eccleſiæ hoſtes per Deiparam dant pœnas.

42 QVamquam Tonitruorum nomine è Diuino Throno Apocalyp. 4. prodeuntium, terrificæ admonitiones, quibus peccatores Deiparæ ope ad ſalutem vtiliter concutiuntur, vel etiam eorum punitiones, qui in Deiparam blaſphemi fuere, accipi poſſint, cuiuſmodi non pauca exempla cum cap. 20. huius Operis, tum ſupra in hoc Tractatu deſcripſimus: quia tamen per tonitrua intelligi etiam poteſt Deiparæ auxilium, cuius ope Hæreticorum contumacia, aliorumq; Eccleſiæ hoſtium immanitas veluti tonitru concuſſa, ac fulmine icta conteritur, eius quoque exempla aliquot ſelectiora hic mihi afferenda exiſtimaui. In his porrò exemplis recenſendis extra rem neutiquam me facturum duxi, ſi rerum hiſtorias, earumq; euentus altius interdum repeterem, & paulo fuſius perſequerer; quo & neceſſitas diuini auxilij per Deiparam implorati luculentius eniteat, & eorum, quæ ex auctoribus ijſdem ferè verbis depromuntur, veritas apud Lectorem fidelius conſtet. Et licet pia quædam in chriſtianorum animis de Deipara diuinitus inſita perſuaſio, vera illa quidem, ſed communis, quæ omnibus lætis ſucceſſibus rectè aptari poſſit, dictet eam in cunctis Eccleſiæ neceſſitatibus præſto eſſe, quod multis rationibus cap. 16. oſtendimus, cuius ſpecimen in nuptijs in Cana Galileæ edidit luculentiſſimum, cum deficiente vino etiam non rogata, illud à filio impetrauit: nos tamen in præſentia ea tantum commemoranda ſuſcepimus, in quibus peculiare Deiparæ patrocinium apertiſſimè perſpicitur, vel non obſcurè ſignificatur, quemadmodum prudens Lector vniuerſam narrationis ſeriem expendendo perſe facile conſequetur.

Apoc. 4.
Cap. 20.
Cap. 16.
Ioan. 2.

Eminet Iuliani Apoſtatę chriſtiani nominis hoſtis infenſiſſimi ſupplicium à S. Mercurio inclyto Chriſti martyre Deiparæ iuſſu ſumptum, quod quia cap. 20. narrauimus, hic integrum omittimus.

Cap. 20.

NESTORIVS SVAE IN DEIPARAM impietatis pœnas luit.

Suidas Neſtorius Hæreticus ab Epiſcopo damnatus pœna multatur. Concil. Epheſin.

43 NEſtorius ex Suida nepos Pauli Samoſaceni nefarij hęreſiarchę Epiſcop. Cõſtant. execrãdæ hæreſis, & ipſe auctor, quippe qui duas in Chriſto perſonas ponebat, ideò filium Virginis tantum hominem eſſe dicebat, ſanctiſſimã verò Virginem negabat eſſe Dei genitricẽ: cuius blaſphemias Sac. Conc. vniuerſale Epheſinum anno ſalut. 431.

ſub

ſub Cœleſtino I. damnauit, eumq; Epiſcopali dignitate priuauit: cumq; adhuc obſtinato animo ſuæ hæreſi adhæreret, edicto Theodoſi Imperatoris in Oaſim, alio nomine Ibim, quæ eſt in Aegypto Prouincia deportatur. Verùm ea Nomadum multitudine in eam irrumpente capta, igniq; & cædibus funditus vaſtata à Barbaris dimiſſus cum quibuſdam captiuis venit Panopolim, vnde ad Regionem quandam Elephantinam nomine ad extremam Oram Prouinciæ Thebaidis ſitam per milites iuſſu Præſidis deductus eſt; quo cum itineris longitudine fractus perueniſſet, iterum magno cum labore Panopolim reuerti iubetur, rurſum à Panopoli ad quoddam illius confinium traducitur, inde etiam demigrare cogitur: quæ omnia Euagrius lib. 1. hiſt. cap. 7. ex narratione quadam ab ipſo Neſtorio conſcripta ſe accepiſſe teſtatur. De interitu verò eius hæc ſubijcit: *Ipſe equidem accepi à ſcriptore quodam modum, quo deceſſit è vita, talem fuiſſe, nimirum eius linguam vermibus exeſam eſſe, ſicq. cum huius vitæ miſerijs ad grauiora ſupplicia iuſto Dei iudicio infligenda, eaq. ſempiterna migraſſe.* hæc ex Euagrio. Addit Theodorus lector in collecta. totum eius corpus putredine fuiſſe conſumptum: & Cedrenus in Theodoſio minore ait cum lingua totum eius computruiſſe corpus.

Euagrius.

Theodorus Lector. Cedrenus.

Et hæc quidem de Neſtorij in Deiparam blaſphemi miſerabili interitu. quod ſi quis noſſe cupiat, quibus tormentis eius anima apud inferos torqueatur, facile intelligere poterit ex ijs, quæ habentur in Prato ſpirituali cap. 26. de quodam Fratre nomine Thophane ex Regione Dora Neſtoriano, quem cum ſenex quidam iuxta Iordanem in Laura Calamonis Cyriacus nomine, ad fidē catholicam horraretur, ille verò hæſitaret, tandem dimiſſo Fratre in ſpelunca, ſenior ingreſſus eſt prope mare mortuum, vt oraret pro illo, & circa horam nonam diei ſequentis aſpexit Frater ille quendam aſtantem, ſibi aſpectu terribilem, ac dicentem: *Veni, & vide veritatem,* duxitq; eum in locum tenebroſum, ac fœtidum ignes euaporantem, atque in ipſis ignibus vidit Neſtorium, Eutychen, Apollinarem, Dioſcorum, Seuerum, Arium, Origenem, & alios quoſdam, dixitq; *locus iſte præparatus eſt hæreticis, & blaſphemantibus, & his, qui illorum dogmata ſequuntur: ſi ſupplicium iſtud non vis, vade ad ſanctam catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam, quam te Senex docet;* atque ita hæreſi reiecta catholicam veritatem complexus remanſit cum Sene, & poſt quatuor annos quieuit in pace. hæc ibi.

Hæretici, quibus pœnis apud inferos plectantur.

Prato Spirituale.

44 Quanto etiam ſtudio ab eiuſdem impij Neſtorij libris ne dum legendis, ſed nec in cubiculo retinēdis abhorrere debeamus, declarat viſio quædam in Prato ſpirituali capit. 66. Abbatis Cyriaci Presbyteri Laure Calamonis iuxta S. Iordanem, cui die quadam per ſomnium obiecta eſt mulier honeſta facie, purpura induta, & cum ea viri duo venerabiles, & aſpectu præclari, quos ipſe arbitratus eſt eſſe S. Ioannem Baptiſtam, & S. Ioannem Euangeliſtam Deiparam comitantes: cumq; Deiparam diutius oraret, vt cellam ingrederetur, nec conſentiret, tandem ſeuerius ei reſpondit: *Habes,* inquit, *intra cellam tuam inimicum meum, & vis, vt ingrediar?* euigilans, & ſeipſum diſcutiens, nullius contra Deiparam peccati ſibi conſcius, mœrebat; vt ergo dolorem lenitet, ſumpſit librum, quem mutuo ab Iſychio Presbytero Ieroſolymitano acceperat, illumq; exoluens in fine eiuſdem reperit duos libros Neſtorij, moxq; agnoſcit, hunc eſſe Dominæ noſtræ inimicum, ſtatimq; codicem reſtituit ei, qui illum ſibi accommodauerat, remq; per ordinem narrauit, qui protinus libros illos Neſtorij à volumine abſciſſos igni cremauit illis verbis: *Non maneat in cella mea Dominæ noſtræ inimicus.*

Neſtorij libri execrabiles.

ANATOLIVM IMPIVM DEIPARA AVERSATVR.

ANatolius quidam apud Antiochiam, quemadmodum Euagrius lib. 5. hiſt. cap. 17. & 18. his ferè verbis refert, vir primum quidem plebeius, ſed qui poſtea ad magiſtratus, & alia munera obeunda ſubdole arrepſerat, ſimulachris immolare cum nonnullis alijs fortè deprehenſus eſt. Is cum vocaretur in quæſtionem homo impius præſtigiator, & infinitis inuolutus ſceleribus repertus eſt: quo factum eſt, vt Imperator ipſe Tiberius in collegam Imperij à Iuſtino Iuniore aſcitus, mandaret, vt Anatolius cum ijs, qui ei in victimis immolandis ſocios ſe adiunxerant, Conſtantinopolim quàm celerrimè deduceretur: quibus cognitis Anatolius ad Imaginem quandam Deiparæ fune in car-

Euagrius. Deipara impiũ Anatolium auerſatur.

in carcerem ſublime appenſam accurrens, manibus à tergo complicatis ſe ei ſupplicare, precesq; adhibere oſtendit. Illa autem eum veluti ſacrilegum deteſtata, & vt Deo inuiſum coarguens penitus abſe auertit. ſpectaculum ſanè horribile,& ſempiternæ memoriæ prodendum,quod quidem à præſidiarijs militibus,& ab his, quibus illius cuſtodia commiſſa fuit viſum eſt, & alijs diuulgatum. Apparuit item Deipara re ipſa nonnullis alijs fidelibus,eosq; contra ſceleſtum illum incitauit,inquiens, Anatolium Filium ſuum contumelijs afficere. Conſtantinopolim perductus in Amphitheatro primum beſtijs expoſitus,ab ijſdem dilaniatur, deinde agitur in crucem: poſtea verò lupi corpus eius in terram diſturbantes (quod ante nunquam viſum eſt) paſtu crudeli membratim deuorarunt. Quin etiam vir illuſtris,qui Imperatoris Palatio præfuit, & Anatolij cauſam acriter admodum tuebatur,vt nimirum non morte, ſed exilio cum ſocijs mulctaretur; dixit quoque ſe vidiſſe Deiparam,eamq; ſic ipſi locutam: *Quouſque defendis cauſam Anatolij,qui tum me, tum filium meum tantis onerat contumelijs?* hucuſque Euagrius. Hæc autem Cardinalis Baronius tom. 7. Annal. ad annum Domini 580. refert, qui fuit Iuſtini Iunioris 15. & Tyberij Collegæ 3. ex horum enim ſcelere iuſto Dei iudicio Antiochiam eo anno terræmotu ingenti quaſſatam,atque vaſtatam exiſtimat.

Baronius.

ITALIA A GOTHIS PER DEIPARAM liberata, Anno Domini 553.

Italia à Gothis Deiparæ ope per Narſetem liberata.

45 CVm Italia 60.& eo amplius annos grauiſſimo Gothorũ iugo miſere laboraret,Dei Genitricis beneficio per Narſetem in libertatem eſt vindicata, quod antequam oſtendamus paucis exponenda eſt,quam infelix fuerit eo tempere Italiæ conditio. Inprimis Gothi, qui ea potiebantur,Arianæ perfidiæ, qua complures in Italia infecerant erant addictiſſimi. Theodoricus eorum Rex Arianæ hæreſis patronus extremis ſui Regni temporibus,quod Iuſtinus Imperator in Oriente ab Arianis Eccleſias auferret, minatus eſt totam Italiam gladio perdere. Ioannem ſummum Pontificem dolo Rauennã accerſitum,quod in Oriente Arianorum Eccleſias in catholicas cõſecraſſet,in carcerem detruſum ſqualore,& inedia afflictum mori coegit, cuius martyrij dies 27. Maij ab Eccleſia celebratur. Electionem ſummi Pontificis in locum demortui Ioannis, quod nullus Principum præter Conſtantium Arianum auſus fuerat, ipſe ſibi procaciter arrogauit ex Baronio tom.7.ad annum 526.ex quo abuſus ille Tyrannicus inoleuit, (quem S.Gregor.in pſalm.4.pœnitentiali deflet,) vt quem Clerus in Romanum Pontificem eligeret,Rex,vel Imperator ſuo aſſenſu confirmaret; quod tandem tempore Conſtantini Pogonati anno 684.ſub Benedicto II. quemadmodum refert Baronius ex Anaſtaſio tomo Annalium 8. eſt penitus ſublatum; Symachum, & Boetium clariſſimos patritios per ſummam crudelitatem interfecit, vt merito Theodoricus viſus fuerit ab Eremita Liparitano inter dictos Ioannem, & Symmachum diſcinctus,& diſcalceatus vinctis manibus in vicinam Vulcani ollam deijci, teſte Gregor.4.Dialog.cap.30. & licet aliquando fuiſſe dicatur iuſtitiæ cultor,ſub eius tamen Imperio multa per ſuos miniſtros, barbarosq; ſibi ſubiectos aliorum bonis inhiantes in Italia contra ius admiſſa fuiſſe colligere licet ex Boetio lib. 1. de conſolatione philoſophica proſa 4. vbi ſe plurimos à potentiorum oppreſſione ea tempeſtate liberaſſe,ſic ſcribit: *Quoties ego Conigaſtum in imbecillis cuiusq. fortunas impetum facientem obuius excepi? Quoties Triguillam Regiæ Præpoſitum Domus ab incepta,& perpetrata iam prorſus iniuria deieci? Quoties miſeros, quos infinitis calumnijs impunita Barbarorum ſemper auaritia vexabat obiecta periculis authoritate protexi?* ſic Boetius. Deinde ſub Totila fero, & barbaro omnia ferro,& cædibus miſcente, (quem Gregor.lib.3. Dial.cap.13. Regem crudeliſſimum aliquoties vocat,& S.Benedictus ex eodem Gregor.lib.2.cap.14.& 15. de ſuis actibus increpauit illis verbis: *Multa mala facis,multa mala feciſti,iam aliquando ab iniquitate conquieſce.*) plurima à Gothis crudelitatis, & auaritiæ exempla edita deſcribit S.Gregor.in Dialogis,& Procopius de bello Gothico. Cum igitur Italia,& Roma ipſa ſæuiſſima Gothorum ſeruitute,deſperata omni liberationis ſpe adeò premeretur, Narſes militum Dux præclariſſimus à Iuſtiniano Imperatore in Italiam miſſus præter opinionem

Baronius: *S. Gregorius.*

Baronius.

Viſio Iparitani Eremitæ, qua Theodoricus Arianorum Rex in Vulcani ollam deijciebatur.

Gregorius. *Boetius.*

Gregorius.

Procopius.

obſer-

obſeruatis itineribus à Francis,& Gothis Rauennam cum exercitu peruenit incolumis; & in Thuſcia Totilam Gothorum Regem bellicoſiſſimum,& diu inuictum cum potentiſſimo Gothorum exercitu collatis ſignis dimicans eum ſuperauit, atque occidit vniuerſo eius exercitu trucidato anno Domini 553.ſicq; Italiam à Gothis vindicat;verum id non niſi Deiparæ,cuius Narſes erat ſtudioſiſſimus peculiari ope,quod plures Authores teſtantur,præſertim Euagrius hiſtoricus rerum ſui temporis lib. 4. cap. 26. *Commemoratum eſt*,inquit, *ab his, qui vna cum Narſete fuerunt dum precibus, & alijs pietatis officijs diuinum numen placaret,debitumq. cultum ei tribueret,ſanctam Virginem Deiparam ei apparuiſſe,planeq. tempus præſcripſiſſe, quo bellum cum hoſtibus gereret, atque vt non prius ad prælium committendum ſe accingeret,quam cœlitus ſignum acciperet: multæ aliæ quoque res à Narſete valde memorabiles geſtæ ſunt*. hæc Euagrius. Eadem de eo ſcribit Nicephorus lib.7.hiſt.cap.13.quibus conſentit Paulus Diaconus lib.2. de geſtis Longobardorum cap. 3. qui inter cæteras Narſetis laudes ſic ſcribit: *Erat*, inquit, *vir piiſſimus vigilijs,& orationibus in tantum ſtudens,vt plus ſupplicationibus, quam armis bellicis victoriam obtineret.* ſic ille. vide Cardinalem Baronium tom.7. Annal. ad ann. Dom. 553. qui etiam firmis argumentis probat Narſetem non euocaſſe Longobardos in Italiam, quicquid dicat Paulus Diaconus lib.1. de geſtis Longobardorum cap. 16. Deiparæ igitur acceptum referre debemus,quod Italia à Gothorum Tyrannide,atque ab Arianiſmi contagio,cuius Gothi erant ſtudioſiſſimi,fuerit vindicata.

Nicephorus. Paulus Diaconus.

Baronius.

CONSTANTINOPOLIS PER DEIPARAM ab obſidentibus Barbaris liberata.

Conſtantinopolitana Vrbs per Mariam à Barbarorum obſidione liberatur.

46 CVm Heraclius Imperator, vna cum exercitu in Perſide aduerſus Coſrohem Perſarum Regem degeret,Hunni Occidentales,quos Auares Thraces vocãt,à Coſrohe ſollicitati anno 625. Conſtantinopolim Imperatoris præſentia deſtitutam magnis copijs terra, mariq; inuadunt; ſed Deiparæ præſidio ſunt ſeruati, de quo Theophanes in Annalibus Græcorum in hunc modum ſcribit: *Auares Thraces Vrbi Conſtantinopolitanæ appropinquantes hanc depopulari parant,multis machinis aduerſus eam commotis; ijdemq. & nauium ſculptarum ex Iſtro flumine multitudine infinita delata ſinum repleuerunt maris. Decem ſane dies Vrbem obſidentes,bellum terra, mariq. gerentes, Domini virtute pariter, & cooperatione, necnon & intemeratæ Dei Genitricis, & Virginis MARIAE interceſſionibus ſuperati ſunt:amiſſis verò terra,mariq ingenti numero ſuis, magno cum dedecore diſceſſerunt*. hæc ille. Verum quanam ratione per Deiparam ſeruati ſint,ita vt & obſeſſi,& hoſtes hoc cognouerint Cedrenus in compendio narrat his verbis: *Tale enim quipiam hoſtibus accidit. viderunt Barbari prima luce,cum ſol oriretur,mulierem quandam illuſtrem Eunuchis comitatam Porta Blachernarum exeuntem (Blachernis autem erat templum Deiparæ celeberrimum, quo Conſtantinopolitani ad Deiparam confluere ſolebant) quam cum Heraclij opinarentur vxorem eſſe, & ad ſuum Principem ob mariti abſentiam ire pacis petendæ cauſa, tranſitum ei conceſſerunt, ſubſequentem ex Vrbe hominum turbam ipſi adorturi. Vt verò foſſæ ambitum egreſſam non ire ad Regem viderunt,inſecuti ſunt eam vſque ad locum,cui veteris ſaxi nomen eſt, vbi cum ferè iam eſſent aſſecuti,illa cum ſuis ex oculis, & conſpectu eorum euanuit. Ipſi autem tumultu concitato inter ſe congreſſi ad veſperam vſque ſtrages mutuo ediderunt. Mane inſequentis diei Dux inquirens, quod maiorem ſuorum partem inteſtino conflictu periiſſe videret,turpiter domum rediit; ſtatimq. Claſſis ab obſeſſione receſſit.quam domum reuertentem in Euxino mari oborta tempeſtas, ita afflixit, vt perpauci ad ſuos redierint.* hæc Cedrenus.

Cedrenus.

VICTORIA DE BARBARIS DEIPARAE præſidio à Theodoro Heraclij fratre,& ab ipſo Heraclio parta.

47 EOdem anno 625. Theodorus ex Paulo Diacono lib. 18. hiſtor. & Theophane in Annalibus Græcorum anno 16. Theodorus Heraclij frater Sain Primarium Coſro-

Paulus Diaconus. Theodorus Hc

ratij frater Sa- in Cosrohis Ducem B. Virg. ope debellauit.

Cosrohæ Ducem instructum selectissimis copijs quas, Cosrohes Chrysoloras, quasi aureum cuneum propter excellentiam nominarat, quæ ad quinquaginta millia militum perueniebant; hos inquam Deo per intercessionem suæ genitricis opitulante deuicit, ac bello commisso grando miræ magnitudinis contra barbaros decidit, eorumq; plurimos percutit, Romanis interim aeris serenitate fruentibus, qui Persarum fugentium copiosam multitudinem occiderunt. Heraclius Imperator bellum aliquot annis in Perside contra Cosrohen acerrimum christiani nominis hostem gessit, quem tandem vicit sacrosancta Christi Domini Cruce ex Perside recepta. Is in Deo, ac Deipara omnem spem collocarat. quare ex Theophane in Græcorum Annalibus, & ex Cedreno in compendio, anno salutis nostræ 626. qui erat sextus belli Persici cum à Turcis auxiliaribus, qui cum eo Persidem inuaserant, paulatim dilapsis, se desertum videret, suos milites hortabatur his verbis: *Videtis fratres neminem nobis adesse velle præter vnum Deum, & quæ eum sine semine peperit Virginem; id eo fit, vt cœlitus nobis misso auxilio, in nobis, ac omnibus istis suam demonstret potentiam.* Nec sane frustra, vt rei euentus eodemmet anno declarauit; nam pridie idus Decembris aduersus Razatem nouum ac præpotentem à Cosrohe electum Persarum Ducem collatis signis dimicauit, ipsumq; Ducem, vt verbis vtar Theophanis, in prima acie pugnantem Heraclius aggressus diuina virtute, Deiq; Genitricis opitulatione, quam in auxilium totius belli asciuerat, deiecit, & de hostibus victoriam retulit gloriosam, & incruentam cæsis ex numero Romanorum dumtaxat quinquaginta. & sane Heraclius Deiparæ adeò studiosum se profitebatur, vt teste Paulo Diacono lib. 18. cum in Africa Imperator appellatus esset, Constantinopolim se contulerit cum nauibus castellatis habentibus intra se arculas, & Imagines Dei Matris, quemadmodum pyxides. sic ille.

Theophanes.

Paulus Diaconus.

CONSTANTINOPOLIS A SARACENIS *obsessa sæpè Deiparæ præsidio liberata.*

Constantinopolitana Vrbs sæpe à Saracenis per Deiparam liberata.

Theophanes.

48 ANno salutis nostræ 672. tempore Constantini Pogonati Imperatoris anno eius quinto, Saraceni ingenti numero Constantinopolim assiduis prælijs ab Aprili ad Septembrem expugnare tentarunt; sed cum facere nequissent, hyemarunt Cyzici, vt proximo vere eam aggrederentur, quod per septennium singulis annis efficere tentarunt. Verùm, inquit Theophanes in Annalibus Græcorum diuina, Deiq; Genitricis ope multitudine virorum bellatorum amissa, & vulneratione maxima in eis effecta confusi, ac reuersi cum ingenti mœrore sunt. Cum autem discessisset idem demergendus à Deo stolus ab hyemali æstu, ac spiritu procellarum circa partes Scyllei comprehenditur, & contritus totus omninò disperijt, sic ille: Deo, ac Deiparæ Vrbem Constantinopolitanam seruatam tribuens.

Aliud simile exemplum.

Anno Domini 717. qui fuit secundus Leonis Isaurici Imperatoris Constantinopolitani cum nondum ipse sanctarum Imaginum cultum impugnaret, Constantinopolitana Ciuitas triennij Saracenorum obsidione cincta Deiparæ auxilio est liberata. quin etiam duæ Saracenorum classes, quarum altera ex Aegypto, ex Africa altera soluerat, quibus annona ferebatur Saracenis Vrbem obsidentibus, malè perierunt, missis ab Imperatore contra vtramque classem igniferis nauibus, de quibus Theophanes: *Tunc*, inquit, *Deo cooperante per intercessionem intemeratæ Dei Genitricis Mariæ protinus submersi sunt inimici & assumptis spolijs nostri, & expensis eorum, annona videlicet, cum gaudio reuersi sunt.* hæc Theophanes. Erant autem naues igniferę, quæ igne in classem hostium coniecto eam comburebant. Theophanes enim, & Cedrenus referunt anno quinto Cōstantini Pogonati, (qui in annum Domini 672. incidit) adinuentum de nouo ignem, quem Marinum vocabant, eo quod in mari arderet. sed ad obsidionem Constantinopolitanam redeuntes Saraceni Vrbem obsidentes destituti annona, fame, & peste perierunt trucidatis ex illis à Bulgaris viginti duobus millibus. his omnibus attestatur Beda in fine libri de sex ætatibus, & vt verbis vtar Theophanis: *Experimento didicerunt Saraceni, quia Deus, & sanctissima Virgo Dei Mater MARIA hanc muniunt Vrbem.* Meminit huius liberationis Constantinopolitanæ ope Deiparæ factæ Gregorius II. Pōtifex

Theophanes. Cedrenus.

Beda. Theophanes.

Greg. II. Pont.

tifex in Epiſtola ad Germanum,qui tempore obſidionis,Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ erat Patriarcha,quæ lecta eſt in ſecunda Synodo Nicena Act.4. *Propugnatricis*, inquit, *illius ſanctæ,& omnium chriſtianorum Dominæ miranda facta,quæ in te declarata ſunt, per quæ tu quoque contra hoſtes ſeruatus,non ſunt reticenda.Illi.n.cum inſania multa tumultuarentur,tantum inuenerunt in ſe aduerſitatis hoſtilis,quantum eorum cauſa iniuſtitiæ habuit.Neque hoc tamen mirandum eſt: nam ſi Bethulia per manus Iudith Iſraelitis mulieris ſeruata eſt,cuius opus Holofernis erat ſublatio, & per ea tempora ob id ſalus Iſraelis vocata eſt;quomodo non oportebat,& tuam ſanctitatem huiuſcemodi propugnatrice vtentem hoſtibus Ciuitatis præualere,ipſamq. victoria coronare.* hæc ille. Et certè cum Gregorius Pontifex de ſacrarum Imaginum cultu in ea Epiſtola agat, non ab re exiſtimat Baronius tom.9.Annal.ad annum Domini 717.eum verbis illis ſignificaſſe venerãdam Deiparæ Imaginem ſupra muros ſolẽni ritu circumductam, & hac ratione ab imminenti periculo Ciuitatem illam tunc liberatam.De claſſibus verò Saracenorũ Theophanes hæc ſubijcit. *Ad hæc Saraceni, qui ex obſidione ſuperfuerant,cum multa confuſione 18.Kal.Auguſti reuerſi ſunt. cum autem nauigaret claſsis eorum tempeſtas à Deo per interceſsionem Dei matris incumbens in illos,hos diſperſit, & alios quidem eorum penes Proconneſſum,& reliquas Inſulas;alios verò in vertigines,& cęteras demerſit in æquore; ſuper reſiduas verò cum trãſiſſent Aegeum pelagus extemplo grando ignea deſcĩdens aquã maris ebullire fecit,& pice liquefacta naues ſimul cum hominibus inductæ ſunt in profundum decem ſolis ex eis ſaluis ad Dei magnalia quæ in ipſis facta ſunt, nobis, & Arabibus annuncianda;quinque.n.à noſtratibus captæ ſunt,quinque verò ſaluæ in Syriam deductæ,* ita Theophanes.eadem habet Cedrenus;quare quotannis pro tanto beneficio gratiarũ actiones ſolemnes ſunt decretæ,quemadmodum in Menologio Baſilij Imperatoris, die 15.Aug. habetur, vbi etiam additur Saracenorum Principem petijſſe, vt Vrbem ingrederetur,eamq; cerneret pollicitus poſt hæc inde diſcedere, quod cum ei conceſſum eſſet,& per Portam Boſphori equo ſedens intrare vellet,alijs ſuis ſine moleſtia ingredientibus ſolus Principis equus intrare nolebat. Reſpiciens verò ſurſum vidit ſupra portam Dei Genitricis Imaginem, tunc ſe nouit hoc paſſum, quod eandem auxiliantem Ciuibus blaſphemaſſet, deſiſtensq; & recedens cum ſuis in Aegeo pelago ab ignifera procella conſumpti ſunt.hæc in Menologio, quæ Baronius affert tom.9. Annal.ad annum Domini 717.& 718.

Iudith 13.

Baronius.

Theophanes.

Saracenorum naufragia.

Cedrenus.

Saracenorum Principis blaſphemia in B. Virg. naufragio punitur.

Baronius.

Quod verò Deiparæ Imago in tanto Vrbis Conſtantinopolitanæ diſcrimine circũlata fuerit,atteſtatur Vinc.Beluac.lib.23.ſpec.hiſt.c.27.his verbis.Sigibertus.Anno Leonis II.Conſtantinopolitani inſtantia orandi,& conſtantia præliandi fortiter reſiſtunt Saracenis.Saraceni,fame,frigore,bello,peſtilentia ſine numero pereunt.Auctor.Fertur autem eos miraculoſe hoc modo periſſe. Apud Conſtantinopolim in Monaſterio ſanctæ Dei Genitricis,iuxta palatium in mari propè S.Sophiam erat Imago B.Mariæ, quæ tenebat infantem in brachio,quam depinxit in tabella S.Lucas,cum adhuc viueret S.Maria.Hæc Imago vocatur Odigitria.i.deductrix:quia duobus cæcis apparuit S.Maria, & deduxit eos ad ſuam Eccleſiam,& illuminauit eos. Cum iſta Imagine faciunt proceſſionem omni die Martis per totam Ciuitatem.Cum ergo,vt ſupra dictum eſt,obſeſſa eſſet, Ciuitas,& Ciues ieiunarent,& orarent ſimul,& pugnarent;quidam Ciuis admonuit afferri illam Imaginẽ,& ab omnibus orationem ad illam fieri hoc modo. Sancta Dei Genitrix,quæ totiens nos liberaſti,libera nos modo de inimicis filij tui,& in mari merge illos. & cum hoc dixiſſent, ſtatim procella ſurrexit, & omnes naues Saracenorum, aut merſit, aut fregit. hucuſque Vincentius.

Vincentius Beluacenſis.

Sigebertus.

Saracenorum naues,quæ Conſtantinopolim vexabant per Deiparam,demerguntur, Conſtantinop. die martis proceſſio cum Imagine Deiparæ.

INSIGNIS VICTORIA DE MAVRIS in Hiſpania Deiparæ præſidio reportata anno 718.

149 NEc minor fuit victoria,quam ſequenti anno 718.Pelagius I.poſt occupatã à Saracenis Hiſpaniam, Hiſpaniæ Rex, ab Hiſpanis, qui apud Aſtures confugerant, creatus,de ijſdẽ Saracenis Deiparæ inuocatione retulit.Cum.n.ad Auſenæ montis ſpeluncã,munitam, in quam cum mille ex ſuis militibus ſe receperat, innumera Saracenorum multitudo cõtra eum veniſſet.Cumq; Oppa Archiep.Toletanus, (vel iuxta Marianam lib.7.c.7.Hiſpalenſis,)Maurorum nomine magnis pollicitationibus deditionem ei ſuade-

Mauri à Pelagio I. in Hiſpania Deiparæ ope debellantur.

Mariana.

ſuaderet inter alia, quibus non minus pie,quam fortiter eum à ſe repulit; hæc eum reſpondiſſe affirmat Lucas Tudēſis: *Confidimus*,inquit,*per interceſsionem glorioſæ Virginis Genitricis eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti à Saracenis ſaluari,& ipſa adiuuante,quæ mater miſericordiarum eſt,gentem Gothorum de paucis,qui ſunt in iſta ſpelunca reſtaurari,ſicut ex paucis granis infinitæ ſegetes germinarunt*,quibus dictis Pelagius, & qui cum eo erant tanto hoſte perterriti incluſerunt ſe in ſpelunca, B.Mariæ ſuffragia expetentes eius ibi memoriam venerabantur,& pro recuperatione chriſtianorum orationibus inſiſtebant.Verum Saracenorum fundibularijs,ſagittarijs,& iacientibus iacula portam ſpeluncæ ferire conantibus,lapides,iacula,& ſagittæ ab eis emiſſa contra eoſdem retorquebantur maxima edita ipſorum ſtrage. Saracenos ergo turbatos,& retrocedentes Pelagius Dei gratia roboratus ſtricto enſe inuadens Oppam cepit,Saracenorū 20.millia cum Aleman eorum Duce interfecit. 60.mil.verò,qui remanſerant ex Auſenæ montis faſtigio in Libanenſem agrum delata ad Deuæ fluminis ripam parte montis vicini ſponte concuſſa,& ab imo vſque collapſa,teſte Mariana loc.cit.in ſubiecti fluminis aquas præcipitarunt,ſtrages armorum,oſſiumq; ibi confoſſa,& retecta,cædis indicio fuiſſe memoratur. Spelunca verò illa Deiparæ memoriæ dicata, eiusq; nomine dicta eſt S.Maria de Couadouga. hæc ex Tudenſi.

Lucas Tudenſis.

SARACENI TARSICE MORANTES Deiparæ interceſsione ingenti clade profligantur.

Saraceni Deiparæ præſidio debellati.

Curopolates.

50 IN Oriente verò Saracenorum Princeps, qui Tarſi imperabat, cum ad Andream Ducem Baſilij Imperatoris Conſtantinopolitani, qui regnare cepit anno Domini 867.miſiſſet (inquit Curopolates græcarum rerum hiſtoricus) litteras ſuperbiæ,& maledictionis plenas,& hęc indicantes:*Nunc videbo an Mariæ filius,eiusq.Parens tibi proderit,cum contra te cum meo exercitu progrediar.* Quas litteras conuicij plenas acceptas ipſi Imagini Dei Genitricis appēdit,hæc locutus:*Vide ò Mater Dei,tuq. ipſius Filius,& Deus qualia exprobrauit,& ſuperbe dixit contra tuum ſuperſtitem populum barbarus iſte arrogans.* Quibus dictis aſſumptis Romanis copijs contra Tarſum proficiſcebatur,& cū ad Podandum peruenisſet ibi cum hoſtibus congreſſus multa cæde fundit,& fugat barbarorum multitudinem,cum prius ibi eorum Dominus occubuiſſet;pauci verò vix ſe Tarſum incolumes recipiunt; ſepultis autem ſuis, & hoſtibus in vnum locum coactis, magnaq; erecta ad poſterorum memoriam columna in patriam redijt cum ſocijs. hæc Curopolates.

DEIPARA AD RECVPERANDAM ab infidelibus Ieroſolymam inuocata.

Ieroſolyma per Deiparam recuperata.

51 VRbanus II.Pont.Max.anno Dom.1095.in Claremonteſi Concil. ſacram expeditionem chriſtianorum in Terram ſanctam ad eripiendam de manibus Infidelium Ieroſolymam magno ſtudio indixit,vtq; res hæc difficillima optatum conſequeretur effectum. Dei Genitricis apud Chriſtum patrocinium enixè implorandum cenſuit; quare in eodem Concilio rogata Patrum ſententia egit, vt horariæ illæ preces, quæ vulgo *B.* Virgini Officium dicuntur,apud Monachos Eremitas inſtitutione Petri Damiani recitari cepras ad Clericos etiam deducenentur, quod quidem à ſanta Synodo Vrbano agēte ea occaſione indictum,& à Clericis pie ſuſceptum,ad Laicos quoque tum viros,tum mulieres magno eorum bono, vt omnes experti ſumus, eſt propagatum, teſte Baronio tom.11.ad ann.1095.vbi etiam recitat quoſdam Canones eiuſdem Concil.Claremōt. ex Franciſco Belleforeſtio,in quibus,& iſte recenſetur. Mandatum eſſe etiam omnibus chriſtianis,vt diebus ſingulis ſabbati officium B.Virginis recitarent.Quantum verò Virginis preces apud filium valuerint declarat felix illius ſacræ expeditionis ſucceſſus.nam anno 1099.ab exercitu chriſtianorum Duce Godefredo capta eſt Ieroſolyma magna omnium fidelium gratulatione,quam ad multos annos ſtrenuè retinuerunt, donec peccatis noſtris exigentibus iterum ad Infidelium poteſtatem deuenit.

Petrus Damianus.

Baronius. Concilij claromontani. Franciſcus Belleforeſtius.

INGENS MAVRORVM EXERCITVS IN HISPANIA anno 1212.ope Deiparæ ad internecionem deletur.

Mauri in Hiſpania ad internecionē deleātur.

52 ILluſtris fuit Victoria ab Alfonſo VIII.Caſtellæ Rege die 16. Iulij anno 1212. in Bętica ad naues Toloſæ de Mauris inuictæ Crucis virtute,ac B.Virginis ope parta;

ad

ad Crucis.n.ac Deiparæ Imaginis puerum Ieſum geſtantis in Regio vexillo depictæ cõſpectum fuſi,fugatiq; ſunt Barbari, quemadmodum ex litteris eiuſdem Alfonſi ad Innocentium III.ea de re datis cognoſcere licet.Cum.n.idem Alfonſus appellatus Bonus dignam ſuo cognomine cogitationem ſuſcepiſſet de Mauris infenſiſſimis chriſtiani nominis hoſtibus debellandis,qui Rege Mahomade omnibus ſanctæ crucis cultoribus bellum,& exitium minabantur,cumq; ab Innoc.III.ſummo Pontifice amplam peccatorum Indulgentiam ijs,qui Cruce ſignati ad ſacrũ hoc bellũ conuenirent,impetraſſet;& vna cum Regibus Aragoniæ,ac Nauarræ coniunctis animis, ac viribus ingentem exercitum comparaſſet,verſus Baezam Bæticæ in Mauros,qui ad bellum cum innumera peditum, & equitum multitudine proceſſerant,caſtra mouit; ac ſuperatis quorundam difficilium locorum anguſtijs ruſtici ducatu (quem Angelum fuiſſe aliqui exiſtimarunt argumento,quod opera nauata nuſquam comparuiſſet) noſtri ſacris pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramentis,ac Miſſæ ſacrificio,cui vniuerſus exercitus interfuit, peracto, inſtructa acie certamen cum Mauris inierunt.victoria diu anceps fuit,quin etiam noſtra agmina loco tantiſper initio mota feruntur, ita vt Alfonſus in cõfertos hoſtes irruere pararet ni Roderici Ximenez Archiepiſcopi Toletani hortatu deſtitiſſet. tandem cum Noſtri cœſis prioribus barbarorum agminibus ad extremam Maurorum aciem infinitæ multitudinis peruenirent,præeunte (vt verbis vtar Alfonſi Regis in Epiſtola ad Innocentium III.) ſigno crucis Dominicæ,& Regio vexillo,in quo erat Imago B.Virginis,& Filij ſui in ſignis noſtris ſuppoſita Dominus illorum aciem infinitæ multitudinis crucis ſuæ gladio trucidauit. ſic Alfonſus.Ea pugna ducenta Maurorum millia ſunt cæſa, ex Chriſtianis verò teſte eodem Alfonſo 25.aut 30.occubuerunt:& auctore Roderigo,de quo dictum eſt,totius expeditionis,quam litteris mandauit, teſte oculato,ex aduerſarijs tanta cæſa multitudine nullum ſanguinis veſtigium viſum. Is verò qui crucem Roderico Archiepiſcopo de more præferebat eam per hoſtium cuneos ſemel,atque iterum circumtulit incolumis; tametſi telis omnibus peteretur,multæq; ſagittæ Crucis haſtili confixæ ſint. In Chronicis Hiſpaniæ generalibus legitur ſub ipſum conflictum Crucis ſignum vario colore in aere viſum, cuius aſpectu exteriti ſunt Mauri. Hæc victoria,qua nulla clarior extitit in Hiſpania,non humanis viribus,ſed Dei ope parta,votis,ac precibus pro Chriſtiano Orbe fuſis,Romæ præſertim decretis ad templa ſupplicationibus,in vniuerſa Hiſpania die 16.Iulij anniuerſaria celebritate decreto Gregor. XIII. ſub titulo Triumphi Crucis recolitur.Ex eo tempore in Hiſpania Religio à carnibus abſtinendi diebus ſabbati, (quod eſt Deiparæ dicatum,) ac inteſtinis tantum, & extremis animalium partibus veſcendi ſuſcepta fertur auctore Valerio Hiſpano. Hanc victoriam vberius narrat Mariana lib.11.de reb.hiſpan.cap.23.& ſeqq. vbi cap. 25. Epiſtolam Alfonſi ad Innocentium, quam citauimus affert. Eam refert Ribadeneira in vitis ſanctorum ad diem 16.Iulij,& reliqui hiſpanicarum rerum ſcriptores. Vexillum verò illud,vbi expreſſa erat Dei Genitricis effigies, qua viſa Mauri tam multi, tamq; bellicoſi exterriti in fugam ſe coniecerunt,in Toletana Eccleſia ſeruatum eſſe Aluarus Gomez in ſuis fragmentis tradit.

Valerius Hiſpanus. Mariana. Ribadeneira.

Aluarus Gomez.

DEIPARA A BARBARIS MAGNA EORUNDEM clade Carnutenſes tutatur.

531 ILluſtre in hoc genere extitit Deiparæ protectio,qua circa ann.Dom.878. Carnotenſem Vrbem,quemadmodum cap.29.diximus,à Rollone, eiusq; militibus nondum chriſtianis non ſine ingenti eorum ſtrage defendit,quod narrat Vincentius lib.24. Spec.hiſt.cap.46.& ex Vincẽtio S.Anton.2.par.hiſt.tit.16.cap.2.§.5.Rollo iſte, inquit, nobili quidem,ſed per vetuſtatem obſoleta proſapia Noricorum editus,Regis præcepto patria pulſus multos,quos vel ęs alienum,vel conſcientia ſcelerum exagitabat, magnis ſpebus ſolicitatos ſecum adduxit,pyraticã aggreſſus, Carnoti adhæſit. Cuius ciues,nec armis,nec muris confiſi,B.Mariæ Supparum.i.Camiſiam adorant,quã Carolus Caluus à Conſtantinopoli cum alijs reliquijs aduehi fecerat. Hanc camiſiam in modum vexilli ſuper propugnacula cuſtodum tuta pectoribus,ventis exponunt; hoſtes viſam ridere cœperunt,& in eam ſagittas dirigere.Quorum oculis mox obtenebratis,nec retrocedere,nec antecedere valebant. Quod videntes oppidani multa eorum ſe cæde ſatiarunt.

Carnotẽſes Deiparæ ope aduerſos Barbaros cædunt. Beluacenſis. S.Antoninus.

Euaſit

Euasit tamen Rollo, quem Deus suæ fidei reseruauit. Nec multo post Rothomagum, & confines vrbes obtinuit. hactenus Vincentius.

S. Antoninus. Rollo ad fidem conuersus Robertus nuncupatur.

Hic postea Rollo, vt obiter hoc dicamus ex S. Antonino 2. par. hist. tit. 16. cap. 1. §. 12. & cap. 2. §. 8. cum alijs Northmannis, quorum erat Dux, Christi fide susceptа Robertus est vocatus à Roberto Comite Parisiensi, qui eum de sacro fonte suscepit, duxitq; in vxorem Gillam filiam Caroli Regis Franciæ, & miro feruore diuino obsequio se tradidit, iustitiæq; cultor in paucis fuit. Iniurias. n. alijs illatas seuerè vindicabat. Is genuit Gulielmum, Gulielmus autem Ricardum II. & ille Richardus Richardum III. eiusq; fratrem Robertum, qui Apuliam, & Siciliam, & Calabriam acquisiuit, ac Venetos, & Alexium Imperatorem Græcorum deuicit. hæc S. Antoninus.

IOANNES ZEMISCES DEIPARAE ope Barbaros profligat.

Imperator Constantinopolitanus victorias plurimas SS. M. Georgij, ac Theodori ope consequitur.

54 IOannes cognomento Zemisces Imperator Constantinopolitanus, (qui in locum Nicephori Imperatoris occisi ann. Dom. 969. suffectus est) Rossos, Bulgaros, Scythas, Turcas, & alios Barbaros aduersus Constantinopolitanum Imperium simul fœdere iunctos num. 330. millium militum iteratis prælijs ope SS. Martyr. Georgij, & Theodori an. 971. superauit, & Bulgarorum Regnum, à quibus multa imperio damna superioribus seculis illata erant, tandem extinxit. Cæterum Deipara S. Theodorum Imperatori suppetias ferre iussit, quod & ipse in triumpho agnouit. Id verò Curopolata narrat his verbis. Fertur diuinam opem tum Romanos, (sic. n. vocat Græcorum exercitum) esse consecutos; turbo. n. quidam à Noto vento in ora Scytharum constitit, haud permittēs eos captis vti in bello consilijs. Et quidam vir conspectus est ab omni Romanorū exercitu equo albo vectus in antesignanis pugnare, hostiumq; commouere, ac perturbare phalanges, nulli prius, aut postea cognitus, quem aiebant vnum esse ex glorioſis martyribus, Theodorum videlicet, quibus tutoribus, ac propugnatoribus contra hostes vtebatur semper Imperator: etenim fortè accidit, vt hoc prælium ea die committeretur, qua celebrare memoriam militis consueuimus. Cum & mulier quædam nobilis Bizantij supremæ potestatis per visum illud ita esse confirmabat vna ante congressum die, in somnis sibi visā Dei Genitricē præsto esse, & cuidam militi dicentem audire: *Domine Theodore meus, ac tuus Ioannes in periculo versatur, ad eius auxilium propera.* Orto sole eadem mulier vicinis rem patefecit, & quæ visa sunt hæc fuere. Funduntur rursum Scythę, qui clausas Vrbis portas comperientes, à Sclero Duce per planitiem dissipati, mutuoq; conculcati interfecti sunt, & à Romanis cæsi numero infiniti, vulnerati autem ferè omnes. Martyri autem debitum reddens honorem Imperator, & auxilij præmia rependens, templum illud, vbi sanctum eius corpus conditum est à fundamentis euersum, maius, pulcherrimumq; ædificauit, attributis ei magnificis possessionibus, quod etiam pro Euchanem, Theodoropolim appellauit. hæc Curopolates. De triumpho autem hæc subijcit. Imperator se moderatum cupiens ostendere equo albo vectus triumphauit. In curru verò quadryugo admodum decoro ipsi parato impositis Bulgarorum vestibus, & super ipsis Dei Genitricis Imagine, vt Ciuitatis patronę ipsum præire iussit. Cumq; ad locum, quod forum dicitur, peruenisset satis celebratus Deo Patri, & eius Filio, Spirituiq; Sancto actis gratijs ob victoriam consecutam inde ad magnum templum profectus, ibiq; Bulgarica corona pro munere Deo dedicata, in Regiam se recepit. hæc ex Curopolate.

Festum S. Theodori, qui fuit miles celebratur die 9. Nouemb. Deipara mandat S. Theodoro, vt Imperatori Constant. auxiliū ferat ad debellandum Scythas.

IOANNES COMNENVS DEIPARAE auxilio Scytharum exercitum delet.

Magnam de Scythis victoriā inuocato B. Virgin. patrocinio Constantin. Imperator consequitur. Nicetas Choniates. Exod. 17.

55 IOannes etiam Comnenus Constantinopolitanus Imperator an. 1123. Deiparę ope de Scythis trans Istrum habitantibus, & ingenti exercitu Thraciam inuadentibus victoriam reportauit, de quo Nicetas Choniates hæc in suis Annalibus. Cum Romanę, inquit, phalanges, vrgentibus hostibus, & audacius se inferentibus laborarent, Imaginem Dei Genitricis cum gemitu, & miserabilibus gestibus Imperator intuens lacrymas bellicis sudoribus calidiores fundebat; neque id frustra. Statim cœlesti robore armatus Scythicam aciem profligat, quemadmodum olim Moyses extensione manuum Amalechitarum turmas dissipauit. Assumptis igitur armigeris, qui clypeis oblongis, & prominentibus galeis instar muri inexpugnabilis muniuntur, cum Scythis congreditur. Qui cū dissolu-

diſſoluta illa curruum ſerie ad manus venirent in turpem verſi fugam, à Romanis alacriter perſequentibus magno numero cæduntur Hamaxobij illi,caſtriſq; direptis innumerabiles capiuntur. Ioannes verò in rei geſtæ monumẽtum feſtum inſtituit,quod Pazzinacarum dicitur, & ad triumphi pompam præparari iuſſit currum argento interpunctum,& gemmis pretioſiſſimis ornatum,qui à quatuor equis niue candidioribus trahebatur,in quo Dei Genitricis Imaginem collocauit,cui victorias, vt Collegæ Imperij inuictę acceptas ferebat,habenas viris potentiſſimis moderandas,& cognatis ſuis currum curandum dedit;ipſe Crucem manu geſtans pedes anteceſſit,& Dei ſapientiæ templum ingreſſus gratijs Deo palam ob ſucceſſus actis in Palatium abijt. hæc Nicetas.

CONSTANTINI COPRONYMI, ET *Leonis Iſaurici Hæreticorum mors execranda.*

Conſtantini Copronymi impietas in B. Virginem punitur. Theophanes.

56 NOtum eſt illud Conſtantini Copronymi Imperat. Conſtant. iconoclaſtæ in Deiparam blaſphemi, qui eius inuocationem edicto propoſito prohibere impia temeritate eſt auſus; Is vt refert Theophanes, & alij Hiſtorici ann.Dom.775.miſerabiliter moritur clamans,& dicens,dum adhuc viueret: *Igni ſum inextinguibili traditus*; & iubens S. MARIAM exinde honorari,ac celebrari veram Deiparam,quod tamen in vita ſua omni conatu adhibito impugnarat;ſimilis Antiocho à quo 2.Machab. 9. dum moreretur flagella diuinitus inflicta extorſerunt vocem illam: *Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo,& mortalem non paria Deo ſentire.*

2. Mach. 9.

Leo Armenus Deiparæ inimicus interficitur. Cedrenus.

De Leone Armeno Imp.Conſtantinopol.Iconoclaſta pariter impijſſimo, qui in Catholicos crudeliſſime per ſeptennium ſeuierat, Cedrenus oblatam eius matri viſionem, qua à Deipara illius mors præſignificabatur,narrat his verbis. Leonis mater per viſum acceperat,ſe cum in ædem Deiparæ Blachernenſem crebro commearet,Virgini cuidam occurrere albatis viris ſtipatæ. Porrò ædem ſe videre ſanguine repletam,& Virginem cuidam albatorum mandare,vt ollam ſanguine impleret, matriq; Leonis bibendam porrigeret; ſe autem multorum annorum viduitatem prætendere,cuius gratia,neque carnes,neque quicquam ſanguine præditum guſtaſſet. Ideoq; olla etiam hac abſtineret,tum Virginem iratam dicere. Qui ergo filius tuus non detinet ſe multo cruore implere, eoq; me,& filium Deum meum irritare? hæc Cedrenus,cui conſentit Zonaras. Leo verò haud multo poſt miſere interfectus perijt anno Dom. 820.

Zonaras.

ALBIGENSES HAERETICI IN GALLIA *per Deiparam extincti.*

Roſarium contra Albigenſes inſtitutum.

57 COntra Albigenſes quoque hæreticos circa an.1212.Virg.Deiparæ iuſſu inſtituta eſt per S.Dominicum formula præcandi per Roſariũ,ſeu Pſalterium,qua catholici contra hæreticorum furorem ſpiritualiter armabantur,vt habetur in hiſt.Ord.Præd.à Ferdinando Caſtiglia edita 1.p.lib.1.c.11.Hæreticis tandem illis Dei beneficio penitus extinctis;quod totum, vt melius intelligatur, & grauiori teſtimonio confirmetur,afferã hoc loco initium diplomatis Pij V.Põt.Max.qđ in ordine ſuarum bullarum eſt nonageſimũ.In quo An.Dom.1569.die 17.Sept.modum orãdi,& precandi per Roſarium,ſeu Pſalterium omnesq; Indulgentias,iuxta precandi modum prædictum orantibus,& Cõfraternitatibus ſub dicto Roſario conſtitutis conceſſas auctoritate Apoſt. perpetuò non tãtum cõfirmat,& approbat:verum ẽt alias plurimas elargitur. ſub initiũ igitur eius diplomatis ſic habet.Conſueuerunt Romani Pontifices,& alij ſancti Patres prędeceſſores noſtri,cum bellis corporalibus, vel ſpiritualibus premerentur, aut alijs tẽtationibus vexarentur,quo facilius ab illis euaderent,& tranquillitatem adepti Deo quietius, & feruentius inſeruirent,& vacarent,diuinam opem implorare,& ſanctorũ ſuffragia per ſupplicationes,ſeu per Litanias depoſcere, ac oculos cum Dauide in montes leuare, certa ſpe cõfidentes,inde illis auxilia affuturã. Quorum exemplo adductus,& Spiritu ſancto, vt piè creditur,afflatus B.Dominicus Ord.Fratrum Prædic. auctor, (cuius inſtitutum,& regulam cum in minoribus eſſemus, expreſſe profeſſi ſumus) ſimili, qua nunc temporis occaſione,quo Albigenſium hæreſis partes Galliarum,& Italiæ miſere vexabat,& tam multos excæcauerat ſæculares,vt in Domini Sacerdotes,& Clericos fœuiſſime furerẽt: leuans in cęlum oculos,& mõtem illum glorioſæ Virg.Mariæ almæ Dei Genitricis,quę germine ſuo tortuoſi ſerpẽtis caput obtriuit,& cunctas hæreſes ſola interemit,ac bene-

Romani Pontifices diploma.

dicto fructu eius ventris mundum primi parentis lapsu dãnatum saluauit,& de quo sine
Exod. 17. humanis manibus abscisus est lapis ille, qui ligno percussus gratiarum aquas affluenter produxit,respiciens;modum facilem,& omnibus peruium,ac admodum pium orandi,& precandi Deum Rosarium,seu Psalterium eiusd.B.Mariæ Virginis nuncupatum,quo eadem B. Virgo salutatione Angelica centies, & quinquagesies ad numerum Dauidici Psalterij repetita;& oratione Dominica ad quamlibet decimam cum certis meditationibus totam eiusdem D.N Iesu Christi vitam demonstrantibus, interposita, veneratur, excogitauit,excogitatum per S.R.E.Patres propagauit,orandiq; modo prędicto per assectas B.Dominici Fratres videlicet Ordinis prædicti diuulgato,& à nonnullis accepto, cęperunt Christi fideles ijs meditationibus accẽsi,ijs precibus inflammati in alios viros repente mutari,hæresum tenebræ remitti,& lux catholicæ fidei aperiri,& ad hanc orãdi formam pro locorum diuersitate Sodalitates per Fratres eiusdem Ordinis ad hoc à suis Superioribus legitime deputatos institui,& Confratres in eis describi.Nos quoque illorum prædecessorum vestigia sequentes, militantem hanc Ecclesiam diuinitus nobis commissam his temporibus tot hæresibus agitatam tot bellis,prauisq; hominũ moribus atrociter vexatam,& afflictam cernentes,lacrymabundos,sed spei plenos oculos in mõtem illum,vnde omne auxilium prouenit leuamus,& singulos Christi fideles ad simile faciendum benigne in Domino hortamur, & monemus. hactenus ex Pontificio Pij V. diplomate dato anno sal.1569.die 17.Sept.In eodem diplomate pergit Pontifex sodalibus Rosarij plurima alia indulta largiri. Ex hoc verò Pij V. ad Rosarij pietatem excitãdam,ac fouendam studio suus extitit fructus.Cum.n.eo ipso tempore Caluinistæ hæretici tum in Gallia,vbi dicuntur Vgunotti, tum in Belgio, vbi appellabantur Gueusij contra Catholicos nefaria arma suscepissent,in eosq;crudeliter sęuirent,ita vt in Galliæ de Religione actum videretur (quemadmodum in Epitaphio Pij V.legitur.) Idem Pontifex equitum,& peditum auxiliares copias Sfortiæ Comitis S. Floræ ductu in Galliam Carolo IX.Regi Christianissimo contra hęreticos misit,& diuino tandẽ beneficio Vgunotti à Catholicis eodem anno 1569.die 3.Octob.sunt profligati:Eadem quoque tempestate cum Selimus Turcarum Tyrannus fœdere,quod cum Venetis habebat per summam perfidiam rupto ad Cyprum occupandã,vt res ipsa docuit,naues refici, & quæ ad varium bellum pertinent diligenter comparari iussisset,Christianiq; omnes,quo ea spectarent ignorantes,sibi quisq; tantam belli molem, & apparatum metuerent; Deiparæ ope per Rosarium peculiari ratione, vt infra dicemus implorata,ingens huius Tyranni classis post biennium ad Echinadas Insulas deleta, eiusq, audacia mirificè est cõpressa.

INFIDELES DIENSEM ARCEM OPpugnantes Deiparæ patrocinio profligantur.

Magna de Infidelibus victoria Deiparæ patrocinio a Lusitanis consecuta.

58 CVm anno reparatæ sal.1546.Mamudij Cãbayæ Regis in India potentissimi ingentes copiæ externorum,& selectorum militum 20.mill.(præter Guzaratas,& Indos milites indigenas,quorum maior erat numerus) omni armorum,& telorum genere instructissimi Sophare primum,illo autem in bello extincto,Rumecanæ eius filio totius exercitus Duce,Dium Lusitanorum arcem prędecto Ioanne Mascarenia acri obsidione septimum iam mensem cingerent; eamq; æneis tormentis, alijsq; bellicis artibus omni contentione oppugnarent:Lusitani verò 250. deinde nouo 200.circiter militum subsidio aucti diu tantam belli molem sustinerent,quibus postea milites 90.& tandem Ioãnes Castrius Indiæ Prætor suppetias venere.Prętor igitur cum tribus ferme armatorum millibus ea ipsa,qua in Dium Arcem peruenit,die quæ in 11. Nouemb.incidit,eruptione facta tantam hostium ferocium, ac bellicosorum multitudinem aggredi ausus de eis non minus admirabilem,quàm glorioſam victoriam reportauit, quippe ex suis circiter 60.desideratis quatuor millia hostium cum Duce exercitus Rumecane sunt interẽpta; 600.viui in ijs Principes, aliquot in potestatem venerunt,reliqui omnes perfligati. Verum id DEIPARAE beneficio euenisse apertis indicijs affirmat Maffeius lib.3.Historiarum Indicarum his verbis: Celebritatem huius victoriæ auxere diuina miracula, quod hostes ipsimet affirmarent, conserta iam pugna maiores aliquot ballistas applicitum quater ignem Cœlo minime pluuio respuisse, & super ædiculam arcis apparuisse MVLIEREM Cœlesti lumine radiantem, cuius fulgor ita adspicientium oculos, mentesq;

Maffeius.

per-

perſtringeret, vt cæci propemodum, neque in ordine ire, neqne in vnum conglobare ſe poſſent, ac tanto ſuperiores numero tamen immutata repente rerum omnium ſpecie, vt in denos Luſitanos pugnaturi ſinguli viderentur, inde conſternationem, & fugam ortam. hæc Maffeius.

INGENS ANGOLAE DE BARBARIS *Deiparæ auxilio parta victoria.*

Ingens de Barbaris victoria per Deiparam.

591 IN Angolæ regione ad oram Africæ ſita Luſitani milites in præſidijs verſantur; cõplures quoque ex indigenis Aethiopibus cum ſuis Principibus, ſeu Regulis Chriſti fidem ſuſceperunt. Patres verò Soc. Ieſu ab anno ſal. 1560. quo primum Luſitani eo venerunt, ibi commorari cęperunt, egregiam tum Luſitanis, tum ẽt Aethiopibus nauantes operam, adeò vt in litteris noſtrorum an. 1590. 20. mill. Aethiopum nnmerẽtur, qui noſtrorum diligentia Chriſto erant aggregati. Ibi ergo ab an. 1583. Angolæ Rex per ſuos Duces innumerabili Aethiopum militum multitudine bellum bis intulit Luſitanis, in quo Deiparæ patrocinio chriſtiani numero pauci confertiſſimos Angolanorũ diſſiparũt ſtraueruntq́; exercitus; quomodo autem id factum ſit ijſdem verbis referam ex litteris annuis Societatis noſtræ an. 1587. eleganti ſtylo editis à Franciſco Bencio, vbi de ſede Angolana agit in Prouincia Luſitania, ad quam ea ſpectat; quamuis ad ſuperiores annos, quemadmodum idem Bẽcius ſignificat, id pertineat. Bis, inquit. hoc anno cõmiſſum eſt prælium, hoſtesq́; eiecti, ac repulſi. Quin ẽt res accidit omnino mirabilis; Luſitani erant ferè ducenti, fœderatorum Aethiopum 10. mill. ſub ſignis habebant. Hæc tãtula manus tota ſexcẽta aduerſariorum millia fudit, fugauitq́; & quod alioqui incredibile videatur, incruenta prorſus victoria: cuius quidem auctor non immerito creditur Virgo ſanctiſſima, quam præcipua quadam chriſtiani Aethiopes obſeruantia venerantur. Affirmauit opinionem, quod cum magna vis hoſtium in noſtrorum ſubſidia, quę tenebant Aethiopes, de repente irruiſſet, ſeq́; illi ad Ducem Luſitanum recepiſſent, abiectis oneribus; & ſi vnde ij diſceſſerant, in eodem loco conſederunt hoſtes ſæpius, vilioresq́; oẽs ſarcinas, vt eſt gẽs gazæ auidiſſima diripuerunt: ea tamen, in qua erat abdita ſacroſancta effigies Virginis, quam Luſitanus Prætor ſecum ſemper in expeditionibus habet, quã flexo veneratur genu quotidie precatione adhibita inſpectante exercitu, ſalua propter viam, & integra reperta eſt, obcæcatis, vt videtur, impiorum luminibus, ne illud viderent oculis, quod eſſet manibus attingere nefas. hæc deinde Imago in caſtra ſolemni põpa reducta, vbi colitur religione maxima, eumq́; honorem habent, vt ipſius ſub vmbra præſidij ſe protegi confidant. Nec vana fides: certè poſt nobilem illam, atq; haud ſcio, in omnibus ſeculis vnquam auditam victoriam, quam noſtri de Angolanis reportarunt, cum duodecies centena eorum millia profligauerunt exiguo numero; cum fortè quidam Luſitanus ad Regis Vrbem delatus quæſiſſet de eius ductore exercituum quid cauſæ fuiſſet, cur illa multitudine propè innumerabili tam paruis copiolis ceſſiſſet: *Haud quaquam*, inquit ille, *Luſitanorum arma metuebamus, quos vel vno ſpiritu diffiare potuiſſemus: ſed Fœmina admirabili ſpecie clariſſima effulgens in luce, ſeniorq. eius comes flameum vibrans gladiũ, qui conſpiciebatur ante ſigna ſuſpenſis medio aere veſtigijs, magnam incutientes ſpectantibus formidinem alienatos terrore animos in fugam dederunt.* hæc ibi.

Franciſcus Bencius.

Nec illud omittendum, qđ de ſede Angolana perſcriptum eſt in annuis litteris 1590. ab eodem Bencio, vbi inter alia hæc habet. Luſitanorum, inquit, in noſtro templo celeberrimum eſt ſodalitium appellatione Mariæ Virginis, cui nomen inditum à Victoria, de hac Victoria iam dictum eſt. Huic Luſitani, quæ bello proſperc euenerunt, referunt accepta. Hic nuncupant vota ad bellum profecturi. Hinc deſcendunt expiati ſacris myſterijs; huc redeunt cum donis vota perſoluentes. Quin & ipſammet Dei Matris Imaginem religioſe ferunt in Caſtra. Adnotarunt dies omnes, qui ſunt conſecrati Virgini, fuiſſe lætos victoria. Itaq́; nunquam tentare prælium, niſi vno aliquo ex illis diebus conſtitutum habent, aliter exiſtimare periculum videtur. In ſtatuis ædificauerant temporarium ſacellum ſimulacro Dei Genitricis aſſeruando, quod in diſceſſu, ne profanaretur ab Ethnicis, ferro, flammaq́; euerterunt, Cruce tantum ad loci memoriam relicta. Belli metu liberatus Regulus illius Regionis rupto fœdere per ſcelus, ac fraudem locum profanat: ſed non tulit impune; morbo oppreſſus iacuit annum integrum, cum de

Bencius. Sodalitium B. Virg. Angolæ.

Diebus Virgini ſacris proſpere Luſitani prælíantur.

Ethnicus Rex qui ſacrum Crucis locum profa

Sanat ægra valetudine corripitur.

eius salute Medici, ac venefici ferè desperassent, agnouit pœnam peccati. Ergo ad Crucem, quam Lusitani reliquerant, dono pallium mittit, vouetq; se imbuendum christiano ritu, si conualescat. Miraq; res, sed auctor miraculi Deus, vix famuli ad Crucem munus attulerunt, cum valetudo ægro restituta est. Igitur obligatus voto, confestim legatos destinat ad Prætorem, vt se, ac res suas iterum data venia in fidem recipiat, nec multo post adscriptus est à nostris in christianorum cætum. hæc ibi.

VICTORIA NAVALIS DE TVRCIS anno 1571. Deiparæ precibus parta.

Victoria de Turcis præclarissima Deiparæ ope reportata.

60 SElimus Turcarum Tyrannus, qui anno à Christo nato 1567. in Solimani parentis demortui locum successerat, fœdere quod cum Venetis sub Regni initium pepigerat, per summam perfidiam rupto, diuturnis maiorum suorum victorijs elatus, Cypro armorum vi ijsdem Venetis an. 1570. adempta, suoq; dominio adiecta, christianorum ceruicibus imminebat. quare ingentem classem militibus, tormentis, omniq; bellico apparatu instructissimam per suos Duces an. 1571. eduxerat, in qua Turcæ Christiani nominis hostes perpetui, atque infensissimi suis viribus nimium præfidentes, alacres ad pugnã contra Christianorum classem fœdere Pij V. Pont. Max. Philippi II. Hispaniarum Regis Catholici, & Reipublicæ Venetorum coactam ferebantur; illud futurum rati, quod anno 1537. ad Actiacum promontorium (quod Præuisam vocant Octauij Augusti victoria celebrem) euenerat, cum Christianorum classis ex simili fœdere Pauli III. Pont. Caroli V. Imperatoris, & Venetorum comparata parum felici successu in oculis Turcicæ classis, cui præerat Hariadenus Barbarussa pugnam detrectauit, ac veluti in fugam acta recessit. Cæterum in præsenti bello res secus accidit Deo optimo per Deiparæ preces, vt dicemus, nostrorum conatibus fauente. Etenim Christiani in hac Nauali pugna, qua ab Octauij Augusti tempore maiorem Mare Mediterraneum minime vidisse fertur, nõ minus glorioſam, quàm ingentem, & cunctis seculis memorabilem de immanissimis Christianæ fidei hostibus victoriam reportarunt. nam eodem anno 1571. die 7. mensis Octobr. quæ in primam eiusdem mensis Dominicam incidit, nostra classis ad Echinadas Insulas Turcicæ occurrit, & commisso inter vtramque atrocissimo prælio à sexta hora vsque ad vesperam magno vtrinque animorum ardore concursum, & ingenti cum internecione pugnatum est, qua in pugna optimus quisque Turcarum, aut ferro cecidit, aut captus est, hostibus ad 30. millibus cæsis, decẽ millibus in potestatem redactis. Triremibus 180. captis, 90. demersis, 15. millibus Christianis seruitute liberatis, parta ingenti præda, centum & sexdecim maioribus tormentis, ducentis & quinquaginta sex minoribus hosti ereptis; quæ omnia accuratius apud eius victoriæ historicos cognoscere licet; nos autem in recensendo hostium cæsorum, nauigiorum, aliarumq; rerum numero secuti sumus Pij V. qui ferocissimos hostes & armis & precibus deuicit, epitaphiũ, quod ad eius sepulchrum in S. Maria Maiore in Sacello Præsepij à Sixto V. magnificẽtissime exornato, in marmore incisum legitur. Hanc verò tam insignem de Barbaris victoriam Deiparæ intercessione fuisse partam multa indicant. Imprimis Surius in suo Commentario histor. ad annum Domini 1571. de hac pugna agens ante initam pugnã Deiparam solemniter salutatam commemorat. *Cum iam*, inquit, *manus cum Turcis conserendæ essent, tympanis, tubis, fistulis, alijsq. musicis instrumentis accensis militum Christianorum animis alta voce Deus omnipotens TRINVS, & vnas inuocatus, ipsa quoque sanctissima Christi MATER, vt quæ plurimum possit apud filium suũ reuerenter salutata est.* sic ille. Nec irritæ preces, etenim sub ipsum pugnæ initium auxilium diuinitus enituit, obsecundãte nimirum Christianis, qui ante pugnam aduersus erat vento, fumumq; bombardarum, ac tela hostium in ipsorum ora retorquente. Deinde Pius V. Pont. Max. sanctitatis fama conspicuus, cuius opera, & auctoritate fœdus illud inter Hispaniarũ Regem & Venetos coaluit, quiq; vt dicebamus, non magis armis, q̃ precibus tantam victoriã est adeptus, ad grates pro hoc beneficio Deiparę, a qua secũdum Deum illud agnoscebat, persoluendas eidẽ peculiare festum singulis annis hac die faciendũ decreuit: de quo in Martyr. die 7. Octob. his verbis: *Eodem die cõmemoratio S. MARIAE de Victoria, quam Pius V. Pontif. Max. ob insignem victoriam à Christianis bello nauali eiusdem*

Surius.

Martyrologium Romanum.

Dei

Dei Genitricis auxilio hac ipſa die de Turcis reportatam quotannis fieri inſtituit. ſic ibi. Et ſanè optimus Pontif. id Deiparæ aſcribendum exiſtimauit,non tantum ex communi illo fidelium ſenſu,quo in cunctis Eccleſiæ neceſſitatibus eam prę omnibus cęlitibus efficaciſſime Chriſtum interpellare;omnes ex compluribus viſionibus cap. 16. allatis ſępe nouimus,& experti ſumus; verum etiam peculiaribus indicijs permotus id aſtruere non dubitauit. Tum quia eadem ipſa die, qua feliciter à noſtris dimicatum eſt,idem Pius Pontif.impensè precibus vacans ſicuti diuinitus certior eſt factus chriſtianorum victoriæ,eamq; Theſaurario Bartholomæo Buſotti diſertis verbis eadem die ſignificauit,qđ Surius loc.cit. Io.Ant.Gabutius ex religioſiſſimo Ord.Cler.S.Pauli in vita Pij V. lib.5. c.6.Hierony.Catena in vita eiuſd.Pij V. & Io.Ant.Guarnerius Canonicus Bergomēſis de Bello Cyprio conſtanter affirmant, ita veriſimile eſt eum diuinitus pariter cognouiſſe,Deiparæ precibus eam præcipuè à Chriſto impetratam,cum id in feſto à ſe inſtituto indubitanter aſſeuerauerit.Tum etiam,quia Pontifex non ignarus ſummam rerum in eo prælio verti,in Lauretana cella,teſte Turſell.lib.4.hiſt.Lauret.c.21.aſſiduis precibus Deiparam orari iuſſerat,& in ipſo naualis prælij die, inquit idem Turſellinus,antequam ſigna canerent,chriſtiana mācipia remigio à Turcis addicta pro libertate; pleriq; autē Duces,ac milites Chriſtianę claſſis pro ſalute,ac victoria *B.* Mariæ Lauretanę vota fecerunt:vt dubium cuiquam eſſe nō poſſit,quin tam inſignis victoria poſt Deum Deiparæ debeatur.Quare remiges captini Turcarum,& milites,Ducesq; chriſtiani ad agēdas Deo,eiusq; Genitrici gratias,votaq; reddenda Lauretum ſe contulere,ac diuini beneficij monumenta ibi reliquerunt; alij catenas,quibus ad remos religati fuerant Deiparæ liberatrici; alij hoſtium manubias eidem victorię auctori conſecrarunt. hæc Turſell. Nec ſolum Laureti Dei Genitricis præſidium eo tempore eſt imploratum; verum etiam ea ipſa die,quinimo eadem hora,qua Turcica claſſis fuſa eſt,atq; deleta,Deipara per vniuerſum orbem in templis ſacris Ord.Prædicat.inuocabatur ſolemni, & conſueta ſupplicatione ſodalium Roſarij, quorum ad Deum preces per interceſſionem eiuſdem Deiparę ad hanc victoriam conſequendam multum profuiſſe pie credendum eſt,quemadmodum teſtatur Greg.XIII.Pont.in diplomate.quodam dato biennio à victoria nōdum elapſo,die nimirum 1.Apr. 1573.quod inter varias bullas Roſarij refertur à Ioſepho Valentino in lib.qui inſcribitur *ſacra Roſarij Virg.Mariæ ab hęretieorum calumnijs defenſio*; & editus eſt Romæ an.1584.Idemq; Gregorius in eod.diplomate ad victoriæ cœlitus conceſſæ memoriam, & gratias Deo,beatiſſimæq; Virgini agendas feſtum ſolemne ſub nuncupatione Roſarij prima Dominica menſis Octobr. quotannis celebrandum inſtituit. Diplomatis verba,quod totum hoc Dei,ac Deiparæ beneficium grauiter,& pie complectatur hic ſubijcienda duxi.

Surius.

Vita Pij V. ex Ioanne Antonio Gabutio, Hieronymo Catena, Ioanne Antonio Guarnerio. Turſellinus.

Gregor. XIII. Pontifex. Ioſephus Valentinus Bullæ Roſarij.

61 Gregorius Papa XIII. ad perpetuam rei memoriam. Monet Apoſtolus in omnibus gratias agere:monent quoque ſacrarum litterarum hiſtoriæ, inſignia Dei beneficia tum,vt ei,à quo accepta ſunt,meritæ referantur gratiæ,tum,vt fideles, quibus collata ſunt,illarum memores,ad diuinum cultum magis in dies excitentur, ſolemnibus annuis feſtiuitatibus celebranda eſſe:quod cum multoties inſtitutum fuerit,tum verò maxime, cum Deus Patrum noſtrorum populum ſuum à ſeruitute Aegyptiaca per manum fortē liberauit. Nos itaq; qui non minora beneficia quotidie à Deo Opt.Max. accipimus,inter quæ illud ſingulariſſimum ſuperiore anno ab ineffabili eius clementia nobis cōceſſum fuit,vt Turcarum claſſis,& numero longè ſuperior, & præteritis elata victorijs a Chriſtianorum claſſe in virtute Domini Dei Sabaoth decertante,die 7.Octob. non lōgè à Corinthiaco ſinu penitus deuicta,& quaſſata fuerit;qua nempè victoria vniuerſum populum chriſtianum ab impijſſimi Tyranni faucibus, diuino munere ereptum fuiſſe, inficiari nemo poteſt.Apoſtoli præcepto parere,& SS.Patrum exempla ſequi volentes, vt huius ingentiſſimi beneficij anniuerſaria habeatur memoria, inſtituere omninò decernimus. Quia verò preces ad Deum oblatæ eo gratiores ad illius conſpectum aſcendunt,quo dignioribus interceſſoribus,& pio aliquo orandi modo offeruntur, memores B.Dominicum Ord.Præd.Inſtitutorem,cum & Gallia, & Italia à pernicioſis premeretur hæreſibus ad iram Dei placandam,& B.Virginis interceſſionem implorandam pijſſimū illum orandi modum inſtituiſſe,quod Roſarium,ſiue Pſalterium B.Virginis nūcupatur;

Diploma Gregorij XIII. Pontif. de ſanctiſſimi Roſarij inſtitutione.

animaduertentes quoque eadem die ſeptima,quæ tunc fuit dies Dominica 1.d.menſis Octob. Fraternitates omnes ſub d. Roſarij nuncupatione militantes per vniuerſum Orbem,iuxta earum laudabilia inſtituta,& conſuetudines proceſſionaliter incedentes,pias ad Deum preces effudiſſe,quas per interceſſionem B.Virginis ad dictam victoriam conſequendam multum profuiſſe piè credendum eſt: operæ precium nos facturos eſſe exiſtimauimus, ſi ad tantæ victoriæ cœlitus proculdubio conceſſæ memoriam conſeruandam,& ad gratias Deo, & B.Virgini agendas feſtum ſolemne ſub nuncupatione Roſarij in 1.Dominica menſis Octob.ſingulis annis celebrandum inſtituerimus. Quocirca motu proprio, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ad laudem Dei, & D. N. Ieſu Chriſti, eiusq; glorioſæ Virginis Matris, tenore præſentium decernimus, vt de cætero perpetuis futuris temporibus, qualibet 1. die Dom. menſis Octob. per vniuerſi Orbis partes, in his videlicet Eccleſijs, in quibus Altare, vel Capella Roſarij fuerit,ab omnibus,& ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus,feſtum ſolemne ſub nuncupatione Roſarij prædicti,ſub duplici maiori Officio ad inſtar aliarum ſolemnium feſtiuitatum celebretur,& ſanctificetur; eademq; die Officium de B.Virgine nouem Lectionum more Eccleſiaſtico perſoluatur, & recitetur. Decernentes præſentes,quas perpetuò valere volumus, &c. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 1.Apr.1573. Pontificatus noſtri anno Primo. Atque hæc de victoria Nauali,quam chriſtiani Deiparæ ope de barbaris retulerunt,propter quam peculiare feſtum à Pio V. & à Greg.XIII. ſanctiſſimæ Virgini,vt diximus,eſt dicatum.

CONFLAGRATIO HOSPITII MONTIS Virginis, & quamplurimorum miſerandus interitus: quorundam item admirabilis ab incendio per Deiparam ſalus. Anno 1611.

Hoſpitij Montis Virginis conflagratio.

62 CVm extremam huic de B.Virgine operi manum imponerem,illudq; poſtremo recognoſcerem, in celebri Monaſterio Deiparæ dicato, quod montis Virginis appellant,anno 1611.nocte,quæ diem 22. Maij antecedit, in quem incidit ſacratiſſima Pentecoſtes ſolemnitas;cuius occaſione quamplurimi illuc ſolent confluere, caſus quidam propemodum prodigioſus contigit.nam excitato incendio,non tãtum ea pars habitationis perampla extra Monaſterium excipiendis hoſpitibus addicta,quam Palatium vulgus appellat,tota conflagrauit;verum etiam ingens virorum, ac mulierum multitudo extincta eſt:qua in re ſi ex altera parte cauſam huius diuinæ vltionis. (ſic.n.eam appellare poſſumus) ex altera verò beneficium,quo nonnulli Deiparæ ſtudioſi eius ſingulari ope ſunt ſeruati, attendamus; liquido apparebit ex Deipara tanquam ex diuino throno fulgura ſimul,voces & tonitrua extitiſſe. Huiuſmodi igitur incendium nemini in his regionibus non notiſſimum ad poſteritatis memoriam libuit ad calcem huius capitis in Dei,Deiparæq; honorem apponere.

Supra oppidum Mercuriale, quod vulgo vocant Mercogliano circa fines regionis, quæ Felix Campania à bonorum omnium vbertate dicta eſt, viſitur cœnobium vetuſtate,ac religione nobiliſſimum Montis Virginis,quod in edito deſerti,atque inculti montis iugo,qui cæduam ad nauigia conſtruenda materiam abundè ſuppeditat, conſtitutũ perpetuò propemodum riget gelu.Eius cœnobij,ac religioſiſſimi Ord. qui à B.Maria Montis Virginis nomen accepit,fundator extitit S.Gulielmus patria Vercellenſis vir sãctiſſimus,cuius ſacra memoria in Martyrolog.die 25.Iun.annotatur. Is cum plurima in Italia præſertim in Neapol.Regno inſtituit ſui Ord.domicilia;tum hoc in primis, quod reliquorum eſt caput.fuit hic olim Ethnicorum fanum Cybelæ,quam Deorum matrem fabulabantur,erectum,vt conſtat ex Itinerario Antonini Pij.Mons verò ipſe Virgilianus vocabatur à Virg.Poetæ prædio,qui eius loci accola aliquando fuiſſe dicitur, deinde Cybeles ſuperſtitione delecta,veræ Dei Matri templum S.Gulielmi opera extructum ab Epiſc.Auellini ſolemni ritu eſt conſecratum,Honorio II.ſummo Pont.anno reparatæ ſalut.1126. menſe Maio,die ſacro Pentecoſtes; ex quo factum eſt,vt ſingulis annis eo ipſo die maxima omnium vtriuſque ſexus fidelium concurſatione hoc Deiparæ Templum celebretur: numerantur.n.interdum, qui eò confluunt ad ſex circiter hominum millia.Eo porrò in loco non alijs cibis,quàm ijs, quibus in Quadrageſima veſcimur vti licet,quod miraculis ſæpè comprobatum eſt.Quare ſi quis illuc deferat carnes,oua, caſeum,

S. Gulielmus Vercellenſis Ordinis, ac coenobij Montis Virginis Fundator. Martyrologium Romanum.

Cybeles Templum in Oppido Mercuriali B. Virgini ſacratum Itinerarium Antonini Pij.

Cibaria ex carne, vel lacte in Montem Virg. transferri diuinitus prohibentur.

ſeum,& ſimilia,ſiue id caſu,ſiue obliuione,ſiue ignoratione fecerit;repente Cœlum ipſum excandeſcit,ingentes pluuiæ,ac procellæ excitantur. Extat ea de re libellus ſcriptus à quodam eius familiæ alumno. Imago verò Virginis,quæ Templo nomen dedit, auguſta ſpecie,atque humana maiore formam refert ſedentis in throno,puerum Ieſum in gremio confouentis,ſeptem Angeli ſub thronum Chriſto, eiusq; Genitrici aſtant, & illi ipſi videntur eſſe,de quibus Tob. 12. *Ego ſum Raphael Angelus vnus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominum.*& Apoc. 1. *Gratia vobis,& pax à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni eius ſunt;* & quamuis ſex tantum appareant, ſeptem tamen eos eſſe non negabit,qui ſedentis Virginis ſitum à latere deflexum contempletur. omnino.n.picturæ ratio,ac ſitus throni facit,vt vnus è cœleſtibus ſpiritibus oculis ſubducatur,vt qui retro deliteſcat: qua de re vberius egimus lib. 1. cum de ſeptem Angelis. nunc quod inſtat agamus; & quæ in hoc Montis Virginis cœnobio acciderunt, quæue vindictæ tonitrua ſint audita,aggrediamur.

Deiparæ Imago,ac ſeptem Angelorum eius Throno aſtantium. Tob 12. Apoc. 1.

63 Pentecoſtes peruigilio an. 1611. innumerabilis propemodum virorum,ac mulierum multitudo ad eum locum de more confluxerat. Cœnobitarum verò hoſpitium ad peregrinos excipiendos, (quod Palatium appellant) à latere Templi contra Monaſterium conſtitutum binis conſtat contignationibus,quarum ſingulæ tribus ambulationibus diſtinguũtur. quamplurimis cubiculis,ijsq;,ſpatioſis ex vtraque ambulacri parte extructis, Ampla ſanè domus, ſi in ſe ſpectetur, peranguſta verò tantæ multitudini, ſex circiter millium hominum,quæ ad celebritatem ex tota circumcirca regione conuenire cõſueuerat. Verùm hoc anno longe plures conuenerant, quorum numerus ad octo circiter millia aſcendiſſe exiſtimatus eſt;horum maxima pars intra hoſpitij cubicula,& deambulationes,vel in hoſpitij atrio peramplo,& in ſcalis,quibus ad Templum,vel hoſpitium aſcenditur.iacentes pernoctabant, ijdemq; ad frigus arcendum, quo, flante ea nocte Aquilone,algebant,ignem multis in locis accenderant. In hoc igitur hoſpitio cum vniuerſa illa turbæ colluuies conſopita obdormiſceret,repẽte intempeſta nocte duabus ante lucem horis,ignis ex tertio hoſpitij cubiculo,quod erat ex parte templi accenſus totam inuadit hoſpitij molem,ac flamma tectum,quod ex tegulis ligneis de more regionis ad ſolita niuium pondera hyeme facilius ſuſtinenda conſtabat,trabesq; depaſta late bacchari cœpit, campanæ ſonitu ignem indicantis exciti omnes exhorreſcere primum, ſed vbi crepitantis ignis flãma ſe prodidit;oẽs ad fores,ac valuas ocyus contento curſu ruere,Dei miſericordiam contenta voce implorare,aliqui ab obuijs ſacerdotibus ſacramentalem peccatorum abſolutionem enixè efflagitare. Verùm inſequente flamma multi ad gradus Eccleſiæ,complures ad gradus hoſpitij, (in quibus plurima tenuiorum hominum multitudo iacebat) mutuo ſeſe impediunt,mutuo comprimunt,nec prius explicare ſe poſſunt,quàm ex illa compreſſione plurimi pariter ſint extincti. Maxima hominum pars ad atrij ianuam properè accurrit.

Hoſpitij conflagratio deſcribitur.

Ingens, quæ ab incendio ſtrages, ac mortuorum hominum multitudo, eſt proſecuta.

Cæterum Satellites,qui eo tempore,ne quid turbarum intanta hominum multitudine oriretur, illuc de more erant accerſiti, atque ad atrij ianuam excubabant,minime creduli,ſeditionem concitatæ multitudinis primum rati,fores obſtruunt, aditumq; ne quis ſceleris auctor effugeret, intercludunt: mox cognito incendij periculo, vt pro ſuis quiſque viribus extinguendo igni operam daret, in obſerandis foribus perſiſtunt. At inclamant illi,ac maiore vi,niſuq;aditum perrumpere conantur.Interea dum impetu facto turmatim ingens concurſatio fit; dum ſe ipſos premunt,ſimul opprimunt; ac multi intercluſo ſpiritu ad fores intereunt,multi protriti pedibus extinguuntur. tandem igne graſſante fores aperiuntur. Verùm tot ibi iam animam efflauerant,vt ſuper aceruos cadauerum tranſeundum eſſet;& vix exitus daretur. Quapropter alij cum neque progrediendi,neque euadẽdi ſpes vlla daretur;ex ſublimibus ſe ſe feneſtris in ipſo noctis horrore præcipites agebant. quo caſu multi obtriti,intermortui multi,multi confractis mẽbris debilitati,pauciſſimos omninò impotens flammæ vis abſumpſit,ferunt ad quadringentos,vt minimum.alij ad longè plures extinctos,præter eos,qui debilitati euaſere: haud vlla ſpecies ad animos commiſeratione permouendos excogitari potuit acerbior. Magno natu parens podagra prepeditus in feneſtra poſitus cum filio, qui iam euaſerat, eiq; fruſtra opem ferre ſæpe tentauerat, fauſta cœlitus precaretur, flamma ſerpente

exa-

exanimatus ante filij oculos concidit. quidam lecti ſtragulis in funem compoſitis vix euaſerunt. Multa alia prætermitto, vel dira, vel miſera. Nam intra ſeſquihorę ſpatium ingens illa hoſpitij domus parietibus dumtaxat exceptis vi ignis abſumpta, & in cineres redacta eſt.

Menſa, ac vini doliolum pauperibus deſtinatũ ab igne non læditur.

64 Illud verò admiratione non caret, quod ad hoſpitalitatis commendationem diuinitus accidiſſe videtur; cum n. ignis quicquid in tali hoſpitio erat lignorum, vel ſuperne in tecto, vel intus in feneſtris ſua voracitate abſumpſerit: Menſam tamen oblongam in primis vetuſtam, atque aridam, quæ in tertio cubiculo, vbi primum conceptus eſt ignis, reficiendis pauperibus vſui erat, ne attingere quidem auſus eſt. Similiter & palatij penus, quæ erat in primo cubiculo, cum tota conflagraſſet, vini dumtaxat doliolum deuotis, ac pauperibus deſtinatum nihil prorſus ab igne paſſum eſt detrimenti.

Flamma templi aditu diuinitus recedit.

Nec minori miraculo, quæ ſequuntur aſcribi poſſunt; propè hoſpitij portam erat feneſtella ex ligno cum lineis clatris cera oblitis, flamma omne lignum exhauſit, lineis clatris plane pepercit, in quo perſpicuè cernere licuit diuinæ prouidentiæ vim; nam cum per eam feneſtram aditus pateret ad templum, ac potiſſimum ad illud ſacellum, vbi virgineæ aræ erat apparatus, atque ornamenta ſeruantur; profectò ſi ignis intro penetraſſet, nemini dubium fuerat, quin primum quicquid illic erat ſacræ ſupellectilis, mox templum omne combuſturus fuiſſet.

Furens in templum flamma, expoſito ſanctiſſimo Sacramento recedit.

Ad hæc cum eſſet hoſpitium templo attiguum, ac paries vtriq; communis, iam ignis vento etiam impulſus ad extremas hoſpitij tegulas ligneas illas quidem excurrerat, & iam atrij, templiq; item ex ligno tegulas lambebat, Patres Cœnobitæ tanto templi diſcrimine permoti auguſtiſſimum altaris Sacramentum efferunt in atrium aduerſus ignis procacitatem. hic flammæ reflante vento repente repreſſæ virgineo templo, & adiuncto Eccleſiæ Patrum Cœnobio viſæ ſunt peperciſſe, Cœliq; Reginam reuereri, quæ in eo Montis ſeceſſu tot religioſorum virorum quadrageſimalem vitam ſeruantium obſequio, ac famulatu gaudet.

65 Verùm in eiuſmodi calamitate, & in tanta hominum miſeranda ſtrage diuinæ miſericordiæ lumen nonnullis peculiari quadam ratione affulſit, ijs præſertim, qui Deiparæ ſtudioſi erant: nam eorum aliquot ſingulari Dei beneficio ab incendio erepti ſunt; quod ex ſubiectis exemplis, quæ certa relatione ſunt cognita manifeſtum fiet.

Puer Deiparæ deuotus per eã ab interitu liberatur.

Franciſcus Capomazza Alexãdri nobilis Puteolani filius vndecim annos natus, puer modeſtus, optimisq; moribus præditus, & vt in tantula ætate perſpicacis ingenij B. Virgini in primis deuotus erat. nam penè ab incunabilis in Deiparæ honorem præter coronam, roſarium, aliasq; pias preces, quas eidem Virgini recitare conſueuerat; ſingulis hebdomadis bis à carnibus abſtinebat, eo. ſ. die, in quem feſtum Annunciatæ Virginis incidit: die item Mercurij eidem Virgini, quam à Carmelo vocant dicato; ſabbato præterea à lacticinijs ſemper abſtinebat; quin etiam à parentibus enixè contendebat, vt & die Martis B. Virgini à Conſtantinopoli ſacro, liceret ſibi à carnibus pariter abſtinere, quod illi propter teneram pueri ætatem minimè permittebant. Is itaq; cum parente ad Montem Virginis in feſto Pentecoſtes eiuſdem anni 1611. ſe contulerat; cumq; ipſe, ac parens in cuiuſdam Monachi cellam, qui eos amice hoſpitabatur, recepti eſſent, ad incendij ſtrepitum expergefacti ſurgunt è ſtratis, arreptaq; pater filij inhærentis manu, vt & eius, & ſuæ conſuleret vitæ, ianuam verſus pergebat, quo plurima ad incendium euadendum multitudo confluxerat: verùm cum non longe abeſſet à ianua repente confertiſſima turba ſuperuenit, ſuoq; impetu filium à patre diſtraxit ſic, vt confluentium honum vndis penè obrutus puer, contenta voce patris auxilium nequicquam imploraret; cui Pater multitudinis etiam impetu abreptus in hæc verba reſpondit: *Chriſtus Ieſus te ſeruet incolumem fili mi; ego enim nihil opis tibi afferre valeo*. Hic puer, cum ſe ſentiret humana ope deſtitutum, Virginis ſingularis ſuæ patronæ auxilium inuocauit; vouit ſi ab eo diſcrimine eriperetur ſingulis hebdomadis die Martis carnium abſtinentiam. Interea iacebat pene ſepultus, ac multitudine opprimẽte protritus altero ſubtus pectus brachio, altero non impedito; cum ecce tibi mulier, in cuius faciem minimè ſe intendiſſe affirmauit (beatam tamen Virginem fuiſſe probauit euentus:) *Quid hic agis*, inquit, *puer, ſurge inde?* at illum cum ſe ſurgere poſſe negaret, brachio mulier arrepto ſuſtulit,

tan-

tantaq; vi extraxit,ac diuulsit è turba,vt calceos è pedibus extractos ibi relinquere coegerit,dolorem quoque brachio vehementer compresso incusserit. Inde sub fornicem, tutissimum nempè locum momento traduxit incolumem. Albescente iam die mœstus pater ad cadauerum aceruum se contulit,vt filium, quem iam extinctum arbitrabatur, honestiore tumulo componeret. & cum propius accederet, filium exaudiuit clamantem *Pater, Pater*, quem vt spirantem,atque incolumem, nec opinato aspexit,flexis genibus terram sæpius exosculatus,Deo quas poterat gratias egit, quod extinctis, atque attritis tot hominibus,ijsq; robustioribus,tenerum filium à tanto periculo subduxerit: postmodum interroganti patri, quonam pacto calamitatem pene communem vnus euaserit; puer rem omnem ordine narrauit. Qua in re mihi visus est Deus ad B.Matris interessionem à tam communi clade vtrumque liberare voluisse;nam & parens spectatę est probitatis,& filius pietati Virginis maximè addictus,cui parentes ob votum Deiparę ab ipso in tali incendio nuncupatum coacti sunt abstinentiam à carnibus die Martis concedere:vterque verò Oratorium Deiparæ recens Puteolis erectum adire studet. Verum ad alios ab incendio seruatos transeamus.

Adolescens è Visitationis Deiparæ sodalitio eam inuocans, mirifice è flammis eripitur.

Bartholomæus ab Anastasio è Visitationis sodalitio in Collegio Neapolitano Soc. Iesu,intercluso aditu ex ijsdem flammis incolumis euadere nequibat:cumq; multi magna fumi copia præfocati prope eum caderent;illius tamen animum certa quædam salutis spes erigebat,B.Virg.à Visitatione sui Oratorij patronam inuocabat, interim contritionis actum iuxta formulam, quam in suo Oratorio didicerat, elicere conabatur. at repente affuit illi quidam qui vestibus se eius cœnobij monachum præferebat, & cãdelam manu gestans tandem per altos cadauerum aceruos incolumem traduxit; nec immerito S.Gulielmus eiusdem cœnobij Institutor,missus à Deipara,cui se commendarat, fuisse creditur, cum nusquam postea apparuerit, & ab eodem proprio fuerit nomine compellatus. Bartholomæum hunc pone sequebatur alius quidam metu totus pallidus, quem Bartholomæus ad fugam hortabatur, atque animabat:sed is aliquid iam itineris emensus casu ne,an metu cum supra cadauera pedem defixisset,corruit, cumq; pedem ex aceruo expedire minime posset,miserandum in modum perijt: quo magis de amore beatissimæ Matris in alumnos suos constaret, è quibus vnus erat Bartholomæus, qui euasit.

Alij è Piscatorum sodalitio B Virg ope ab incendio incolumes euasere.

Franciscus quoque Auosa,ante 28.circiter annos in sodalitium eiusdem Collegij Societ.Iesu Neapolitana, quod Oratorium maius vocant,ascitus, nuper Nautarum,ac Piscatorum sodalitio in Neapol.Soc. nostræ probationis domo instituendo impense operam nauarat; is vna cum familia ad Montem Virginis in festo Pentecostes pietatis causa de more accesserat: cum duobus liberis,& famulo in cuiusdam monachi cella est exceptus;vxorem verò,filiosq; quatuor in sacrario tanquam in portu collocat: at repente nocte intempesta crepitantium flammarum vis oculos perstringit; ea re commotus, ac metu propè amens orare Deum,ac Deiparam ne familiam suam ea calamitate obruat, arbitrabatur tamen illam adhuc in sacrario,in quo eam reliquerat persistere, sed iam inde decesserat in vnum ex Palatij cubiculis:quare ipse cum duobus filijs,& famulo per posticum quoddam monasterij ad mõtem adrepit de reliqua familia solicitus. Vxor verò cum quatuor natis dum huc, illucq; discurrunt, euadere cupientes, propter accensas trabes cadentes ab hospitio egredi non valentes ad cubiculum redeũt: verum casu mater cum duobus filijs natu minimis ab alijs distrahitur;serpens flamma peruaserat cubiculum,in quo duo filij natu maiores erant,quid consilij caperent?secundus filius audax, sed necessarium aggreditur facinus;constituit agere se præcipitem è fenestra, sed reclamat frater; accedente tamen flamma deturbat se,fortè in subiectam tabernæ pergulam incidit incolumis;tum fratrem natu maiorem hortatur, vt audeat: itaq; eadem ratione præceps desilit.infelix mater in alio cubiculo muliebri metu perculsa cunctatur; demum è fenestra agit se;atque desilit; sed concusso aliquantulum corpore, surgit tamen incolumis:reliqui erant paruuli duo gemitu,fletuq; miserandi, qui nequibant in fenestram insilire,matris irritam implorabant opem,iam à tergo vrgente flamma,sanctissimę Virginis beneficio factum est,vt monachus adesset,qui miseros puerulos è fenestra proiecit inferius,itaq; incolumes euadunt.tandem monachus ipse desilit;& læco crure,vitę

consu-

conſulit. Ex hoc porrò Piſcatorum,atque Nautarum, quod iam commemorauimus ſodalitio plurimi numerantur,qui Montem Virginis adierant,nec vllus eorum in illud ſodalitium aſcriptus, eſt deſideratus. quod B.Virgini erga alumnos ſuos peculiari fauori tributum eſt.

Illud quoque ſanctiſſimæ Matris beneficio factum eſſe reor, vt quidam Deiparæ ſtudioſi,deuij aberrantes à calle ad Montem Virginis non ante peruenerint,quàm flamma furere cœperit,ſicq; ſeruati ſunt.

Deiparæ indignatio contra ſcelera in Monte Virginis patrata per tonitruum figuratur.

66 Hactenus fuit,quod ſpectare videbatur ad conflagrationis hiſtoriam,& ad miraculorum,ac beneficiorum ex Deipara prodeuntium fulgura, quæ quidem non tantum fulgura fuere,ſed & voces,ac tonitrua,quibus admoniti,exterritiq; complures ad rectã viuendi normam ſuæ vitæ rationes,vt par eſt credere,direxerunt. Nunc ſi ad ingentem eorum multitudinem,qui in eiuſmodi incendio extincti veluti tonitrui ictu conciderũt, animum aduertamus,quamuis diuina iudicia,ſemper illa quidem iuſta,interdum tamen occulta non ſint indaganda curioſius; non defuere tamen qui crederent ad ſcelerum vltionem eam vaſtitatem à diuina prouidentia illatam.Enim verò immoderata fuit nõnullorum,qui ad eam ſolemnitatem de more confluxerant,libertas,atque licentia:& vt omittam caſeum,lucanicas,farcimina,ac reliquos eiuſmodi cibos veteri cõſuetudine,& loci Religione vetitos,illuc illatos,& comeſos;omnia profanis cantilenis,ruſticanæ muſices inſtrumentis, ac prope ebriorum vocibus perſtrepebant:tãtum non intra templum ipſum choreas agebant.ea ipſiſſima nocte per ſummam ſacri loci irreuerentiam cantionibus,atque inſtrumentis pulſandis intra templum operam aliquandiu dederãt: eodem quoque accurrerant aliquot meretrices,ac pellices,quarum nonnullas, qui cum ijs impudice viuebant,non ad religionem,ac pietatem; verum non ſecus ac ſi ad quandam animi relaxationem eundum eſſet,ſecum adduxerant.

Illud quoque fœdiſſimum , quod in quadam eius incendij relatione typis excuſa proditum eſt,viros aliquot ementito habitu,quemadmodũ ex nudatis cadaueribus cognitum eſt,muliebrem veſtem;contra nonnullas virilem habitum induiſſe, quod ad flagitium aliquod liberius perpetrandum factum eſſe exiſtimatur.Neque verò eos ab eiuſmodi indignis,ac profanis actionibus deterrebat loci religio:nõ Deiparæ, cui templum erat dicatum,puritas,ac maieſtas:non Sancti Spiritus vniuerſæ ſanctitatis auctoris, omneq; flagitium auerſantis ſacra ſolẽnitas.verum nihili iſta facientes *bibebant*, quemadmodum dicitur Iob 15. *quaſi aquam iniquitatem* , & veluti per iocum tremendam Dei maieſtatem,ac bonitatem peccatis irritare non verebãtur.ideo,vt eſt in pſal. *Ignis accẽſus eſt in eos* , *& ira Dei aſcendit ſuper illos* . Quod ſi terreſtrium animantium carnes , quæq; ex ijs ortum ducunt,oua,caſeum, quibus alibi veſci licet, eò inferre nefas erat : quanto magis,quę carnis impudicitias redolent,vel etiam ſapiunt;quęq; nuſquam fieri ſine piaculo,nuſquam admitti ſine ſcelere poſſunt,ab ſanctiſſimo Deiparæ templo procul arcenda,atque amouenda fuerant?Quare ob eiuſmodi ſordes,ac flagitia,quid aliud quam tonitrua , & fulmina ad perditiſſimos homines percellendos ex hoc puritatis, ac ſanctimoniæ throno intenta expectari,ac timeri poterant?

Iob 15.

Pſal. 77.

Hæc quidem,vel ſimilia ſuperioribus annis non abſque eius loci irreuerẽtia fortaſſe perpetrata ſunt ſcelera,in quibus ſanè plectendis,cum propter pœnitentiam aliquãdiu diſſimulaſſet Altiſſimus,qui Eccl.5.dicitur *patiens redditor*; hoc tandem anno idem Altiſſimus, qui concupiſcentiæ flammas aliquando aquarum diluuio, aliquando ignis , & ſulphuris pluuia eſt vltus , hac die Pentecoſtes , qua olim ignis vibrante lumine effulſit in Diſcipulos ; diſpari tamen igne vindictam de profanis ſumere voluit , tarditatemq; ſupplicij grauitate compenſauit.

Sap.11. Eccl. 5. Gen.8.& 19. Act 2.

Ex malorum conſortio ſæpe etiam viri probi plectuntur.

67 Neque verò hinc inferas , qui in eo incendio perierunt, eos omnes eiuſmodi fuiſſe ſceleribus inquinatos:complures.n.ex ijs,vtpote ad Virginis Deiparæ tẽplum pietatis, ac ſtudij cauſa profectos,probatæ vitæ,ac ſpectatæ virtutis extitiſſe credendum eſt. verum ex impiorum hominum conſortio,ac contubernio externas pęnas ſæpè etiam in bonos redundare experientia compertum eſt. propterea.n. S.Io.Apoſt.teſte Irenæo ex Polycarpi Relatione lib.3.contra hæreſes c.3.apud Euſebium lib.3.c.22.cum ad ſe lauandum ingrederetur in balneum, ac certior factus eſſet intus eſſe Cerinthum,actutum

Irenæus. Euſebius. S.Io Apoſt. Cerinthi,ac Ebrio-

ex

ex eo loco reſilijt,& ad Comites ſuos conuerſus: *Fugiamus*,inquit,*extemplo ne balneũ, in quo Cerinthus veritatis hoſtis moratur ſubito concidens nos opprimat*. hoc ipſum Epiphan.hær.30.refert à S.Ioanne in balneo dictum de Ebione hæretico,vt propterea Baron.to.1.Annal.ad an.Dom.74.exiſtimet vtrumque hæreticũ facile in balneis à S.Ioãne repertum.Celebre etiã eſt illud S.Ambroſij ex Baronio in eiuſdem vita,quæ in operibus Ambroſij habetur.Is cum ex itinere diuertiſſet ad hoſpitem, qui inſolentius ſeſe efferens omnia ſua læta,fauſtaq; ſemper fuiſſe, vitamq; ſe oẽm mœroris, ac doloris expertem ſemper traduxiſſe dictitaret; diuino quodam numine percitus ſentit,mox fore, vt hoſpes cum ſuis omnibus periturus eſſet. iubet igitur omnes quàm primum egredi. egreſſi cum non longè abeſſent,ſubito terræ hiatu domus illa, & qui domi degebãt abſorpti ſunt omnes.Hinc Eccl.8.monemur à malorum conſuetudine abſtinere his verbis: *Cum audace ne eas in via, ne forte grauet mala ſua in te; ipſe.n.ſecundum voluntatem ſuam vadit,& ſimul cum ſtultitia illius peries*.Sanè Ioſaphat Rex Iuda quãquam rectum coram Domino feciſſe ſcribitur,cũ impio tamen Achab in bellum profectus 3.Reg.22. parũ abfuit,quin occideretur; eaq; de cauſa ab Hanani Propheta redarguitur illis verbis:*Iis,qui oderunt Dominum,amicitia iungeris? & idcirco iram quidem Domini mœreharis,ſed bona opera inuenta ſunt in te*.& 2.Paral.20.ad eundem Ioſaphat cũ naues vna cum Ochozia impijſſimo paraſſet, quæ irent in Tharſis, & contritæ eſſent, prophetauit Eliezer dicens: *Quia habuiſti fœdus cum Ochozia, percuſſit Dominus opera tua*. Sanctus verò Auguſt.lib.1.de Ciuit.c.9.fusè illud argumentum tractans,cur interdum boni aliqua pœna cum malis afficiantur:*Flagellantur*,inquit,*ſimul cum malis boni, non quia ſimul agant malam vitam,ſed quia ſimul amant temporalem vitam non quidem æqualiter*. ſic ille. quod ne Ethnicos quidem latuit, quorum vnus ſub inanium Deorum fabulis, propterea idem cum ſceleſto tectum,idemq; nauigium cauendum eſſe ſic cecinit.

. . . . vitabo, qui Cereris ſacrum
Vulgarit arcanæ; ſub iiſdem
Sit trabibus, fragilemq. mecum.
Soluat faſelum. ſæpe Dieſpiter
Neglectus inceſto addidit integrum.
Raro antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.

nis Hæretici cõſuetudinem in balneis eſt auersatus. Epiphanius. Baronius.

Excidiũ domus, cuius habitatores obſecundãto fortuna ſemper vixerant à S. Ambroſio præuisi datur.

Eccleſ.8.

Ioſaphat Rex Iuda pro conſuetudine cũ Achab impio reprehenſus.

3.Reg.22.

Cur boni cum malis puniuntur.

Exempla Ioſaphat. 2.Paralip.20. Auguſtinus.

Horatius lib.3. carm.ode 2.

68 Neque verò in tam miſerabili clade,& cõflagratione, quam ſcribimus defuere prodigia,quibus admoniti facilè intelligeremus eam fuiſſe in ſcelerum vltionem,Deo annuente immiſſam,quæ ex narratione huius incendij Italico Idiomate edita,& typis excuſa,huc ferè ad verbum latinè reddita inſerimus.

Sunt.n.qui affirmant ſupra B. Virginis ædem quarta ferme hora noctis à quibuſdam pijs viris viſum eſſe in aere fulgorẽ Stellæ, aut Cometæ non abſimilem,ad hoſpitum domicilium inde delapſum; nonnulli illud trabem ignitam fuiſſe autumant, alij alia dictitant,è quibus vnam incendij originem fuiſſe volunt.

Ignitum in cælo prodigium ſupra tevplum apparet.

Eremita quidam ex pagis Neapolitanis,vir ſanè fide dignus ſub infauſtæ noctis initiũ vidiſſe ſe profeſſus eſt exeuntem è lampade,quæ ante Virginem ardet, mirificè coruſcãtem fulgorem,qui carbonum maximè candẽtium Imaginem referret.quo fiebat,vt Virginis Sacellum,multo,quàm ante lucidius videretur,cuius ille nouitatis commonefactis aliquot Monaſterij Patribus exanimatus,atque exterritus prodijt è Sacello ſe ſeq; inde recepit ad fundendas Deo preces,reliquamq; noctem alicubi tuto traducendam.

E Sacelli B Virgin. lampade prodigioſus fulgor eadem nocte progreditur.

Quidam ex Monteforte (id eſt oppidum prope Auellinum) cum quinque ante incendium horis cœleſti aliquo afflatus lumine vereretur eiuſmodi calamitatem, ad aliquos è ſuis ſe dixiſſe affirmabat: *Abeat hinc mecum quicumque vult,auguror enim fore, vt hac nocte breui interuallo magna quædam ſit oritura calamitas, quæ nullo auerti remedio poterit*. hactenus ex illa narrarione.

Futurum incendium diuino afflatu à quodam præuiſum.

69 Inter huius tamen cladis prodigia videtur in primis memorabile,qđ euenit Salerni, quæ eſt Vrbs Neapolitani Regni præclariſſima,corpore S.Matthæi Apoſt.inſignis,& à Monte Virginis 20.circiter paſſuum millibus diſtat,eo in loco,qui vulgo dicitur *il Seggitello*,eodem noſtrę ſal.an.1611.die 21.Maij,pridie nimirum feſti Pentecoſtes;etenim illic Deiparæ filium geſtantis Imago quædam depicta in pariete cuiuſdam domũculæ, in qua retia,aliaq; eiuſmodi nautica inſtrumenta reponi conſueuerant, hora ante Solis occaſum vna,prodigioſe cępit ſudorem emittere aqueo liquori perſimilem,guttula etiã

Deiparæ Imago Salerni pridie ante incendium ſudorem emittit

rubra

rubra veluti ſanguinei coloris ex eius frõte defluxit. ꝙ eadem hora a viris circiter quatuor obſeruatum eſt. Nocte verò proximè ſequenti prædicta apud Mõtem Virginis accidit conflagratio. Die aũt ſequenti cum rumor tota Vrbe incaluiſſet eiuſmodi Imaginem exudare, ingentes ad eam facti ſunt hominum cõcurſus, admirari omnes; eiuſmodi porrò ſudore ab Imagine edito, ea quæ proximè ſubſecuta eſt hominũ extinctio, cladesq; præſignificari viſa eſt, perinde quaſi tam multorum hominum impendentem interitum miſerata Deipara precibus apud filium pro eorum incolumitate enixe fundendis laborauerit quodammodo, atque exudauerit: & niſi filius maternarum precum interceſſione aliquantulum placatus de iuſta ira remiſiſſet, multo ſanè maior fuerit futura calamitas.

Simile exemplũ apud Cæſar. Prato ſpirituali.

Simile exemplum de Deiparæ Imagine apud Cæſarium lib. 7. miracul. cap. 2. legimus, & de precibus ab eadem in publicis calamitatibus fuſis, aliqua ex Prato ſpirituali cap. 50. & ex alijs ſupra cap. 16. attulimus.

At ne cuiquam daretur anſa ſuſpicandi eiuſmodi ſudorem, vel caſu, vel naturaliter, vel alia de cauſa eueniſſe; ex illo primum cepit ea Deiparæ Imago miraculis tota vicinia illuſtrari, vt omnes intelligerent ſudorem illum admirabilium, diuinarumq; rerum eſſe prænuncium.

Aridum Clerici brachium, ac manus eodem Imaginis ſudore roboratur.

Etenim Clericus quidã, cui brachium ſiniſtrum, vna cum manu, deſperata iam à Medicis ſanitate, ſupra biennium inaruerat; cum ad eam Deiparæ Imaginem eodem Pentecoſtes die confugiſſet, præmiſſa oratione, ac manu à Sacerdote ſudore, qui ex Imagine prodibat perlita, brachium vna cum manu mouere cœpit.

Alter effluxione oculorum adeò graui menſes circiter quatuor laborauerat, vt poſt aliquot tandẽ medicamenta quoties oculos aperiebat; nubeculæ cuiuſdam obiectu, quę ex effluxione illa fiebat videre nulla ratione poterat. Is cum ad Imaginem Deiparæ eodem die cum alijs accurreret, inter eundum, viſum primo recuperare ſenſim cepit: mox vbi peruenit tantum oculorum acie valuit, vt Deiparæ Litanias perlegerit: oratione etiam facta, ſudore illo oculos per Sacerdotem inunxit; domum redijt: ex eo tempore ſublato dolore, videndi facultatem plane recepit.

Puella dolore capitis laborans per cãdem Deiparæ Imaginem ſanatur.

Puella quædam nouem annos nata, viri cuiuſdam primarij neptis, cum graui capitis dolore, ac febri aliquantulũ periculoſa teneretur, tactu coronæ, quæ huic Deiparæ Imagini admota prius fuerat, omninò conualuit. Atq; hęc Deiparæ beneficia Archiepiſcop. Curia Salernitana, re omni diligenter cognita, & examinata mtraculoſa cenſuit, quẽadmodum ex proceſſu in eadem Curia ſuper ea re confecto cognoſcere vnicuique licet.

Templa Dei, magna cum veneratione adeunda.

70 Hæc habui, quæ de montis Virginis conflagratione à nobis inueſtigata diligenter, & ab ijs, qui ſpectatores fuerunt, accepta fideliter narrarem: vberius verò omnia perſecuti ſumus, vt qui ad puriſſimæ, ac ſanctiſſimæ Virginis Templa, ac ſolemnitates accedunt, facti alieno malo cautiores, omnes obſcœnitatis ſordes, oculos impudicos, & quicquid profanum, & domo Dei indignum ſapit caueant, ne quando Dominus in furore ſuo arguat eos, & in ira ſua corripiat eos. Illud verò cum Regio Propheta identidem Deo dicant: *Confige timore tuo carnes meas à iudicijs enim tuis timui.*

Pſal. 6.

Pſal. 118.

Cum. n. Templa, ac ſacræ ſolemnitates idcircò ſint inſtitutæ, vt cõditori Deo cultum exhibeamus, ſcelerumq; noſtrorum veniam ab eodem pro viribus impetremus: quonam ſupplicij genere digni iudicandi ſint, qui ijs ipſis ad ſcelera facienda, atque ad Deũ ſibi irritandum abutuntur? quare reſipiſcant aliquando, ac ſedulo apud ſe reputent illud Apoſtoli 1. Cor. 3. *Si quis Templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus.* & illud Sophon. 1. *Viſitabo ſuper omnem, qui arroganter ingreditur ſuper limen in die illa, qui complent Domum Domini Dei ſui iniquitate, & dolo.*

1. Cor. 3.

Sophon. 1.

Pompeius ille Magnus, qui tot de hoſtibus victorias reportauit, qui de tribus terrarũ partibus triumphos retulit, cui nunquã defuit in pugnando felicitas, quia Ieroſolymitanum Dñi templũ (vt verbis vtar Auguſt. lib. 18. de Ciuit. c. 45.) *Reſerauit non deuotione ſupplicis, ſed iure victoris, & ad Sancta ſanctorum, quo niſi ſummum Sacerdotem non licebat intrare, non vt venerator, ſed vt profanator acceſſit;* ſenſit aliquando fortunæ cataſtrophẽ, & miſere in Pharſalica pugna profligatus à Cæſare, à Ptolomæo Aegypti Rege interfici iuſſus eſt. Quocirca id quod Sapiens Eccleſ. 4. monet ſedulo attendamus: *Cuſtodi pedem tuum ingrediens Domum Dei, & appropinqua vt audias.*

Auguſtinus.

Ptolomæus Aegypti.

Eccl. 4.

TRA-

TRACTATVS DE FESTIS, AC TEMPLIS DEIPARAE.

PRIMA PARS TRACTATVS, QVAE EST DE FESTIS DEI GENITRICI DICATIS.

SVMMARIVM.

Immaculata Conceptio Deiparæ die 8. Decembris nu. 1.
Reuelationes de festo Conceptionis Deiparæ celebrando nu. 2.
Natiuitas Deiparæ 8. Septembris nu. 3.
Præsentatio Deiparæ 21. Nouembris nume. 4.
Annunciatio Deiparæ 25. Martij nume. 5.
Visitatio Deiparæ 2. Iulij nu. 6.
Purificatio Deiparæ 2. Februarij nu. 7.
Assumptio Deiparæ cum vigilia, & octaua 15. Augusti nu. 8.
Festum S. Mariæ ad Niues 6. Augusti nu. 10.
Festum omnium Sanctorum 1. Nouembris nu. 11.
Complura Deiparæ festa, quæ varijs in locis celebrantur ibidem.
Desponsatio Deiparæ 22. Ianuarij in Gallijs ibidem.
Dedicatio S. Mariæ ad Martyres Romæ 13. Maij ibidem.
Expectatio Partus Deiparæ 18. Decembris in Hispania nu. 12.
Festum Deiparæ à Constantinopoli, seu Odigitriæ, quod feria 3. Pentecostes celebratur nu. 13.
S. Maria Angelorum, seu de Portiuncula 2. Augusti nu. 14.
S. Maria à Carmelo 16. Iulij ibidem.
Commemoratio S. Mariæ de Victoria 7. Octobris; & Festum Rosarij dominica prima Octobris ibidem.
Festum Dolorum Deiparæ num. 15.
Festum Gaudiorum Deiparæ ibidem.
Festa duo Depositionis vestium Deiparæ in Vrbe Constantinopolitana 2. Iulij, & die vltima Augusti nu. 16.
Solemnitas Recollectionit Festorum Deiparæ Louanij dominica prima Septembris ibidem.

VLTA sunt, quibus Ecclesia suam erga Dei Genitricem, Mundi Dominam, atque Aduocatam, pietatem, atque obseruantiam protestatur; ea verò tribus præcipuè continentur. Primùm, compluribus festis diebus in eius honorem dicatis. Secundò, innumerabilibus Templis varijs in locis, ac temporibus eidem erectis. Tertiò, multiplici cultu in ipsius venerationem sancito: quæ tria in hoc de Laudibus Deiparæ libro cap. 29. vbi officia recensuimus, quæ Ecclesia parenti optimæ rependere studet, quantum loci eius opportunitas patiebatur, attigimus; pleniorem de festis, ac templis disputationem,

Quanam ratione S. Ecclesia, Deiparam veneretur.

Cap. 29.

ne lõgius in eo capite digrederemur,in peculiari ea de re tractatu polliciti ſumus.quod in præſentia Deo,Deiparaq; benè iuuantibus præſtandum erit. Qua in re primum de Feſtis Deiparæ inſtitutis,tum ab vniuerſali Eccleſia, tum apud certas Religioſorum familias,vel quibuſdam in Regnis;mox de eius Templis agemus.

I Igitur ad eius feſta eodem,quo myſteria, quæ in ijs recoluntur,geſta ſunt ordine,aggrediamur : nam quod ſpectat ad ſabbatum ab antiquiſſimo tempore Deiparæ conſecratum,cum de eo in cap.29.copioſe egerimus,ad illud Lectorem remittimus.

IMMACVLATA CONCEPTIO DEIparæ *die* 8.*Decembris.*

De feſto Conceptionis quando inceptum apud Græcos

Galatinus.
Monologium Græcum.
Theodor. Balſa.
Baronius.
Leo Imperator.
Caniſius.

FEſtum immaculatæ Conceptionis Virginis apud Græcos ante mille annos, teſte Galatino lib. 7. de Arcanis catholicæ veritatis cap. 5. celebrari conſueuit die 9. menſis Decembris, vt videre eſt in Monologio eorum,& in Conſtitutione Emmanuelis Imperatoris apud Theodorum Balſamonem in Nomocan. Photij tit. 7. c.1. & apud Baronium in notis ad martyrologium die 8. Decembris, qui teſtatur extare in bibliotheca Sfortiana de Conceptione B. Virginis ſermonem Leonis Imperatoris, qui dictus eſt Philoſophus ex eodem Baronio tom. 10. annal. ad ann. 886. Imperiumq; ſuſcepit eodem anno 886. Caniſius quoque lib. 1. de *B.* Virgine affirmat Damaſcenum, qui claruit circa annum 720. in ſuo martyrologio diem Conceptionis Mariæ notaſſe hoc expreſſe addito, quod illa ante Conceptionem pura dicatur : quod & Galatinus loco citato animaduertit.

Galatinus.

Apud Latinos verò die 8. Decembris ex nonnullis reuelationibus, quas infra ponemus,celebrari conſueuit. verum,à quo tempore id fieri cęperit,non ſatis eſt exploratũ; nec enim deſunt,qui ad tempora Caroli Regis Franciæ vnam ex his reuelationibus circa annum Domini 880. cuidam Regis Hungariæ Germano factam aſſerant, quam infra referemus.eiusq; meminit Franciſcus Vannez in Compendio virorum illuſtrium Ordinis S. Benedicti;& Bernardinus de Buſto in ſuo Mariali. Alij verò ad tempora Gulielmi Northmannorum Ducis,qui ea tempeſtate in Anglia imperabat, hoc referunt occaſione cuiuſdam Abbatis à Naufragij diſcrimine diuinitus ſeruati,ſimulq; de hac ſolemnitate celebranda admoniti; quod refert Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib. 1. cap. 42. & Iacobus de Voragine in feſto Conceptionis in vitis Sanctorum ; & Arnoldus Vuyon lib. 5. ligni vitæ cap. 111. apud Cornelium Schultingium in bibliotheca Eccleſiaſtica tomo 2. in feſto Conceptionis . hi tamen Abbatem hunc fuiſſe Diuum Anſelmum affirmant. Baronius verò loco citato Helſcnio Abbati Anglo paulo ante tempora Anſelmi circa annum Domini 1070. totum hoc tribuit ; idq; ex hiſtoria ipſa confirmat. idem ſentit Bozius lib. 9. de ſign. Eccleſiæ cap. 8. quam tamen ſolemnitatem fouit poſtea S. Anſelmus Cantuarienſis Epiſcopus, qui obijt anno ſalutis 1109. eamq; amplexa eſt Eccleſia Lugdunenſis propter ſcriptum ſupernæ cuiuſdam reuelationis, vt teſtatur Bernardus Epiſtol. 174. Denique ab vniuerſali Eccleſia in morem inducta longè ante tempore Sixti Quarti ; qui tamen in extrauaganti *Cum præexcelſa, de Reliquijs, & veneratione Sanctorum*, ijs, qui Conceptionis Miſſam, & Officium, quæ ſua auctoritate emanarunt, celebrant in die feſtiuitatis Conceptionis, & per eius octauas,aut illis horis interfuerint,ampliſſimas eſt elargitus Indulgẽtias,& Sac. Concil. Trid. ſeſſ. 5. Conſtitutiones à Sixto IV. de Conceptione B. Virg. innouat ſub pœnis in eis contentis. Sed quid mirum Conceptionis Deiparæ feſtum à fidelibus ſolemne haberi in terris,quod in cœlis teſte S. Vincentio ex ſacra Prædicatorum familia ſerm. 2. de Natiu. B. Virg. ab Angelis iam inde,cum primum Virgo ſanctiſſima materno in vtero eſt cõcepta,celebrari cęptũ eſt. Verba S. Vincentij,quæ cap. etiam 7. attuli,hæc ſunt. *Non credatis,quod fuerit in B. Virgine ſicut in nobis,qui in peccatis concipimur, naſcimur, & nutrimur, ſed ſtatim,poſtquam corpus fuit formatum, & anima creata,tunc fuit ſanctificata ; ideò ſit feſtum de eius ſanctificatione , quia facta eſt lux ſcilicet ſanctificationis in ea , & ſtatim Angeli in Cęlo fecerunt feſtum Conceptionis.* ita S. Vincentius. Octaua verò huius feſti Conceptionis,quam Sixtus IV. Indulgentijs eſt proſequutus in ordine Minorũ,

Franciſcus Vannez.
Bernardinus de Buſto.
Petrus de Natalibus.
Iacobus de Voragine.
Arnold. Vuyon.
Cornelius Schultingius.
Baronius.
Bozius.
Anſelmus Cantuarienſis Epiſcopus.
Bernardus.
Extrauag. cum præexcelſa. de Reliquijs, & veneratione ſanctorum.
Concil. Trident.
S. Vincentius.

& Cœleſtinorum ſolemni ritu celebratur. quin etiam memoriæ prodidit Antonius Solarius Carpinas lib. de venerat.& inuocat. Sanctorum, eiuſmodi octauam vniuerſi Ordinis Cœleſtinorum decreto apud eos inſtitutam eſſe, agente & procurante Nicolao Pratenſe ex eodem ordine viro religioſiſſimo,ac Deiparæ ſtudioſiſſimo;qui cum id impetraſſet,præ lætitia hortum ingreſſus roſam omnium,quas ibi viderat,pulcherrimam coram Deiparæ Imagine venerabundus repoſuit illis verbis: *Mater Mater,ſi tibi gratum fuit, quod noſter ordo de octaua tuæ immaculatæ Conceptionis me agente conſtituit, Roſa hæc rubicunda,quam tibi offero,vertente Anno,recurrente hoc ipſo die viriditatem ſuam,pulchritudinemq; conſeruet.* quod & factum eſt multis videntibus, eiusq; integritatem,formoſitatemq; mirantibus,à cuius appoſitione dies ille anniuerſarius erat. hæc Antonius ab ijs, qui miraculo interfuerunt,accepta litteris conſignauit. Nicolaus verò ſingularem ſui in Deiparam obſequij fructum retulit; nam in iuuentutis flore obitus ſui die prædicto omnibus Sacramentis piè ſuſceptis ſanctiſſimè diem clauſit extremum.

Antonius Solarius Carpinas in lib. de veneratione, & inuocatione ſanctorũ Nicolaus Pratẽſis ex ordine Coeleſtinorum. Solemnitas in octaua Cõceptionis Deiparæ. roſæ toto anno virentis miraculo confirmatur.

2 At verò Reuelationes tres de Conceptionis feſto inſtituendo factas hic attexere, easq; ijſdem planè verbis, quibus initio conſcriptæ ſunt ex vitis Sanctorum opera Claudij Rotæ Ordinis Prædicatorum collectis cap. 185. hic adijcere operę pretium cenſuimus, illud præmonentes eaſdem tres Reuelationes à Dionyſio Carthuſiano ſermone 1. 2. & 3. in feſto Conceptionis referri; primam verò apud Petrum de Natalibus loco citato, & apud alios inueniri: tertiam autem à Iodoco Clichtoueo lib. 1. purit. Concept.*B.*Virg.cap. 15.allegari. igitur ad reuelationum hiſtoriam accedamus.

Reuelationes de B. Virg. Conceptione. Ex vitis Sanctorum. Dionyſius Carthuſianus. Petrus de Natalibus. Iodochus Clichtoueus.

REVELATIONES DE FESTO CONceptionis Deiparæ celebrando.

TEmpore illo, quo diuinæ placuit pietati Anglorum gentem de malis ſuis erroribus corrigere, ſæuaq; ſeruitutis officijs arctius aſtringere,glorioſiſſimo Normannorum Duci Guillelmo eandem patriam debellando ſubegit, qui ſcilicet Guillelmus tunc temporis Anglorum Dei virtute, ſua & induſtria totius Eccleſiæ dignitates, & honores in melius reformauit. Cuius piæ intentionis operibus inuidens ille bonorum omnium inimicus diabolus tum familiarium fraudibus, tum extraneorum incurſibus multoties conatus eſt eius obſiſtere ſucceſſibus. ſed Domino protegente ad nihilum deductus eſt malignus. Audientes autem Daci Angliam eſſe ſubiectam Normãnis,grauiter ſunt indignati, eo quod ſe ſuo hæreditario quaſi iure priuarentur: arma præparant, claſſem adaptant: vt eos adeuntes data ſibi diuinitus patria expellant. Hoc comperto Rex prudentiſſimus Guillelmus Helſimum quendam religioſum Abbatem Rhemenſis cœnobij accerſitum in Daciam dirigit; vt veritatem huius rei inquirat. At ille, vt vir admodum ſagacis ingenij ſtrenuè negocium Regis exequitur. Quo fideliter peracto ad Angliam cupiens reuerti mare ingreditur; & iam maximam partem maris proſpero curſu tranſierat: cum ſubito denſis ſurgentibus vbiq; ventis horrida tempeſtas commouit vndas. Fatigatis igitur nautis,nec vltra obniti valentibus, fractis remis, funibus ruptis, cadentibus velis ſpes omnium ſalutis amittitur,nihil niſi ſubitę merſionis indicium denique expectatur. Cumq; de ſalute corporum deſperati animarum curam ſolummodo creatori ſuo magnis clamoribus deuote commendarent, & beatam Dei Genitricem miſerorum ſcilicet refugium, & deſperantibus ſpem deuotè reclamarent: ecce ſubito conſpiciunt quendam venerandæ habitudinis virum pontificali infula decoratum, quaſi inter medias vndas ſtantem naui proximum. Qui aduocans ad ſe Abbatem Helſimum his verbis cœpit compellare dicens: *Vis*, inquit, *periculum maris euadere? vis in patriam ſanus redire?* Cumq; ille cum fletu ſe id toto corde deſiderare,& id ſolum expetere reſpondit. Tunc ille: *Scias*, inquit, *me ad te miſſum à domina mea Dei Genitrice MARIA, quam tam dulciter,& deuote reclamaſti, & ſi dictis meis obtemperare volueris, ſanus cum tuis comitibus imminens periculum maris te euadere promitto.* Spondet illico ſe ei in omnibus obtemperaturum,ſi hoc euaderet periculum. *Promitte*, inquit ille, *Deo, & mihi,quia diem Conceptionis matris Chriſti ſolemniter annuatim celebrabis,& celebrandum prædicabis.* & ille,vt vir prudentiſſimus, *& quis*, inquit, *dies mihi hoc feſto erit celebrandus? Sexto*, ait, *idus Decembris hoc feſtum ſolenni-*

Cõceptionis Mariæ feſtiuitatem celebnandam Helſimo Abbati perſtitanti S. Nicolaus Epiſcopus indicit. Guillelmus Normanorum Dux.

zandum tenebis. Et quo, inquit Abbas, *ſeruitio vtemur in Eccleſiaſtico Officio? Omne*, inquit, *ſeruitium, quod dicitur in eius Natiuitate, dicetur & in eius Conceptione, excepto quod nomen Natiuitatis mutabitur in nomen Cõceptionis.* His dictis ille diſparuit,& citius dicto ſedata tẽpeſtate Abbas cum ſuis incolumis concito vento flante applicuit Anglicanis littoribus;& ea,quæ viderat,& audierat,quibus potuit,notificauit:ſtatuitq;in Rhementi cœnobio idem feſtũ ſolẽniter celebrare,& ipſe quoad vſq;vixit deuotis obſequijs deuote celebrauit.Illud verò ex Petro deNatalib.1.c.4 animaduertendũ eſt Epiſcopum illum,qui Abbati apparuit,fuiſſe S.Nicolaum Epiſc.Mireæ, quemadmodum c. 35. dixi.

Petrus de Natalibus.

Clericus quidã B Virg monitu virginitatẽ ſeruat, & Conceptionis feſtum celebrandum inſtituit.

Officium Eccleſiaſticum.

Rurſum hæc ſolemnitas alibi alio modo declaratur. Tempore namq; Caroli Regis Francorum illuſtriſſimi, Clericus quidam ordine Vngariæ Regis Germanus Matrẽ Ieſu toto corde diligens eius horas ſolicitus decantabat; parentum ſuorum conſilio nubere volens cum quadam adoleſcentula valdè pulcherrima, accepta à Presbytero nuptiali benedictione,quadam die miſſa etiam celebrata, recordatus quod eiuſdem B.Virginis horas illa die iuxta morem ſolitum non cantauerat, ſponſam domum mittẽs omnes ab Eccleſia exire coegit,& ipſe iuxta altare B.Virginis ſolus remanſit.Cum ipſe horas Dominicæ Matris decãtaret,& hanc Antiph.*Pulchra es,& decora filia Hieruſalem*,diceret; ſubito apparuit ei Virgo Maria cum duobus Angelis dexteram ei manum, & leuam tenentibus dicens ei:*Si ego ſum pulchra,& decora,quid eſt,quod dimittis me,& ſponſam aliam accipis? Nunquid ego non ſum optimè formoſa? Nunquid ego non ſum pulchrior illa? vbi vidiſti tam pulchram?* cui ille ſtupefactus ait: *Domina mea dulciſſima claritudo tua oẽm mundi pulchritudinem excellit,& clarificat;quoniam tu es ſuper omnes choros Angelorum exaltata, & ſuper cœlos cœlorum eleuata. Quid vis Domina,vt faciam?* Ait illa:*Si ſponſam carnalem,cui adhærere vis,amore mei dimiſeris,me ſponſam in cœleſti regno habebis.Et ſi Conceptionis meæ feſtum annuatim 6.idus Decemb.ſolemniter celebraueris,& celebrandum prædicaueris,mecum in regno filij mei laureatus eris.* His dictis B.Virgo diſparuit;Clericus verò domum adire renuit,& abſque parentum ſuorum cõſilio ad Abbatiam quandam extra patriam illam perrexit,& ibidem monachali habitu decoratus, & poſt tempus exiguum meritis B. Mariæ Virginis Aquileiæ Epiſcopus Patriarcha factus,feſtum Conceptionis B.Virginis die præfato,quandiù vixit,annuatim cum proprijs octauis diligenter celebrauit,& vbiq; celebrandum prædicauit.

Conceptionis feſtum ſacerdoti celebrandum iungit Deipara, quem à dæmonũ poteſtate eripuerat.

Aliud etiã miraculum huius feſtiuitatis alibi diuina inſpirante gratia à nobis declaratur. In pelago Gallico Canonicus quidam ordine ſacerdos ſolitus B. Mariæ Virginis horas canonicas decãtare,à villa quadam,vbi cum vxore alterius fornicatus fuerat,rediens ad oppidum,in quo morabatur,tendere curans,& pelagus Sequanę tranſmeare cupiens,ſolus nauim ingreſſus Dominicæ matris horas nauigando canere cępit. Cumq; inuitatorium *Aue Maria gratia plena Dñs tecum*,diceret, & iã in medio fluminis eſſet: ecce turba magna dæmonum in profundis pelagi, vna cum eius nauicula eum præcipitauit,& eius animam rapuit ad tormenta.Die autem tertia ad locum,quo dæmones eũ tormentis afficiebant,venit Mater Ieſu,cum magna Angelorum ſocietate dicens eis:*Vt quid animam famuli noſtri ita iniuſte affligitis?* cui illi: *Nos eam debemus habere,& merito,quoniam in noſtris operibus capta eſt.* Quibus Mater Ieſu:*Si illius debet eſſe,cuius opera faciebat,ergo noſtra debet eſſe,quoniam matutinas noſtras,dum vos eum peremiſtis,decantabat.Vnde magis rei eſtis,qui minus erga me egiſtis.* His dictis dæmones huc,illucq; diſperſi fugerunt,& *B.*Maria animam reduxit ad corpus, & hominem ab vtroq; funere reſuſcitatum per brachium arripiens,aquam à dexteris, & à ſiniſtris quaſi murum ſtare iubens.de profundo pelagi ad portum incolumem reduxit. At ille gaudens pedibus *B.* Mariæ Virginis proſtratus ait: *Chariſſima mea Domina,& Virgo ſpecioſa Chriſti gratiſſima,quid tibi retribuam pro tantis beneficijs,quæ mihi feciſti. liberaſti me de ore leonis,& de tormentis inferni grauiſſimis animam meam.* cui Mater Ieſu ait:*Precor te,ne de cætero in adulterij peccatum cadas,ne fiat tibi nouiſſimus error peior priore. Precor te iterum, vt de cætero feſtũ Conceptionis meæ deuote celebres annuatim 6.idus Dec. & vbiq; celebrãdum prædices.* Mox,vt ea dixit *B.*Virgo Maria eo cernẽte cœlos aſcendit,& ipſe eremiticã vitam ducens,qđ ſibi acciderat,cunctis audire volentibus narrauit.Et poſtea quãdiu vixit,illud feſtũ Conceptionis ſolẽniter,& deuote celebrauit, & celebrandum p̃dicauit.

Nos

Nos igitur fratres dilectissimi meritis,& intercessionibus B. Virginis indigentes cum tota mentis deuotione simus solliciti, vt nullus nostrum, ita sit rebus temporalibus occupatus,aut proprijs delictis desperatus;quin B.Virginis Mariæ Conceptionem,pro posse suo,celebret annuatim. hactenus ibi.

NATIVITATIS DEIPARAE FESTVM 8. Septembris.

Natiuitatis Deiparæ solemnitas quando instituta.

3 NAtiuitas Deiparæ post Ephesini Concilij tempora anno nostræ salutis 436. celebrati (in quo execranda Nestorij hæresis,qui beatissimam Virginem impie negabat Deiparam appellandam,Patrum sententijs damnata est) à Latinis,& Græcis die 8. Septembris coli cepta est; quod eruditè probat Baronius in notis Martyrologij ad eam diem.nam apud Græcos Procli,Germani,Andreę Cretensis,& Damasceni sermones de hac solemnitate extant;& apud Latinos non solum Bernardus,& Fulbertus, qui circa annum Domini 1010. claruit, & Petrus Damianus, atque alij de hoc festo sermones habuerunt;verum etiam Beda in Martyrologio,& S.Ildefonsus ante 900.annos in lib. de virginitate, & parturitione Deiparæ, cuius verba cap. 7. retuli ex Vincentio Beluacensi lib.7.Specul.histor. cap.12. huius festi meminerunt,& Sergius Papa, (qui anno 687.Pontifex Romanus est renunciatus) Litanias ea die fieri præcepit;quemadmodum ordo Romanus,seu liber de diuinis officijs testatur,& in Sacramentario S.Gregorij antiquissimo manuscripto in bibliotheca Vaticana de eadem celebritate peculiaris præfatio habetur,ex Baronio loco citato. Cæterum teste Duran. lib.7. cap. 28. B.Virgo nata est non tantum octauo Septembris; sed etiam aurora illucescente, iuxta Reuelationem cuidam viro religioso factam:& sanè decuit Virginem, quæ tanquam mystica aurora iustitiæ solem anteibat,in mundo nasci appetente aurora.

Baronius.
Bernardus.
Fulbertus.
Petrus Damian.
Beda.
Ildefonsus.
Beluacensis.
Sergius Pontif.
Baronius.
Durandus.
Quo tempore orta sit Deipara.

Innocentius verò IV. huic festo octauam adiecit,teste Platina in eius vita,& Durando lib.7.cap. 28. & Ioanne Bileth, atque Alfonso Ciaccono in vita Innocentij IV. cuius institutionis causam refert Arnoldus Vuyonius lib.5.ligni vitæ cap.22. cum enim Celestino IV. Pontifice vita functo Cardinales ob multiplices Friderici II. Imperatoris insidias ad eligendum Pontificem viginti,& vno mensibus minime processissent:votum Deiparæ nuncuparunt se eiusdem Natiuitatis octauam instituturos, si in re tanti momenti eius precibus ipsi omnibus sublatis impedimentis Pontificem elegissent.quod cũ ex animi sententia euenisset; Innocentius IV. summus Pontifex electus primo sui Pontificatus anno eandem octauam seruari iussit.

Platina.
Durandus.
Alfonsus Ciaconus.
Arnold.Vuyon.
Natiuitatis B. Virg.octauaquẽ do instituta.
Innocentius IV. Pontif.

Illud tamen silentio minime prætereundum,quomodo diuinitus cognitum fuerit diẽ Natiuitatis Deiparæ in 8.Septembris diem incidisse,quod refert Vincentius Beluacensis in specul.histor.lib.6.cap.65.& lib.7.cap.119. Solitarius,inquit, quidam sanctæ vitæ fuit,qui singulis annis harmoniam in cœlo nocte Natiuitatis Deiparæ audiuit; hic, cum miraretur,quod hoc alio tempore non audiret, rogauit Deum, vt sibi ostenderet, quid hoc significaret; cui Angelus Domini apparens talia retulit: *Virgo perpetua, quæ Deum genuit,hac nocte nata fuit,quod licet ab hominibus ignoretur, ab Angelis celebre habetur*. qua reuelatione diuulgata, eius Natiuitas celebrari ab Ecclesia instituta est. hæc Beluacensis,qui historiam suam vsque ad annum 1244. pertexuit, teste eodem in fine speculi historiali. Hanc eandem reuelationem ex Ioanne Bileth refert Petrus de Natalibus lib.8. Catalogi sanct. cap.51. Carthusianus serm.1.de Natiuit. B.Virginis, & alij.

Natiuitatis B. Virg. solemnitas ab Angelis in cœlo celebrari visa est. Vincentius Beluacensis.
Ioannes Bileth.
Petr. de Natal.
Carthusianus.

Nec absimilem reuelationem,post multos tamen annos,ad ostendendum Lauretanæ ædis festum in natali Deiparæ esse celebrandum narrat Tursellinus ex Baptista Mantuano,& Hieronymo Angelita in lib.1. historiæ Lauretanæ cap.7.quæ facta est cuidam solitario nomine Paulo,cui cognomentum erat à Silua (quam, vt Deo soli vacaret,inhabitabat,) quæ visio contigit post aduectam ex Galilæa primum,deinde ex Dalmatia in Italiam Angelorum manibus sacram ædem Lauretanam, quod in annum reparatæ salutis 1294. incidit. vt intelligas diuersam esse ab ea,quam narrat Vincentius Beluacensis,qui diù ante illam aliam litteris mandauerat. Paulus igitur è suo tugurio,vnde sacram ædem Lauretanam conspiciebat,cœlestium rerum meditationi de more insistens

Natalis B Virgin. domus anniuersaria flamma mirifice insignita.
Tursellinus.
Ioannes Baptista Mantuanus.
Hieronymus Angelitta.

notauit integro decennio cęleſtem longè,lateq; diffuſam inſtar ingentis Cometæ flammam,quæ B.Virginis cellæ incumberet,comperitq; ſexto Idus Septembris, hoc eſt ipſo Natiuitatis B.Virginis die,quotannis quarta ferme vigilia plurimum de cœlo labi ignẽ, & æquabili tectum ædis ſplendore operire;nec ita multo poſt ſublimem,vnde venerat, recipere ſe ſe. exiſtimabat ille B.Virginem in ſuam domum delabi cœlo:quare impigre accurrit cœleſtem reginam,vt credebat,conſpecturus,& impenſe ſalutaturus.Cæterum appropinquanti flamma primum extenuari videbatur, ad vltimum ex oculis euaneſcebat. quid cœleſtis flamma portenderet precibus à Deo cognoſcere inſtitit: ad vltimum per quietem diſcit Natali Deiparę die domum eius natalem anniuerſaria inſigniri flamma; propterea quod ei cordi eſſet eum inibi diem inſigni ſolemnitate coli. Paulus, cui eximia ſanctitas fidem conciliabat, Recinetenſi Epiſcopo, Primarijſq; Ciuitatis rem omnem enunciat;decretumq; eſt eo die feſtum Lauretanæ domus celebrari.hæc ijſdem fere verbis ex Turſellino,qui etiam addit idoneis teſtibus cognitum nocturnos ignes de cęlo ſuper Lauretanum tectum labi viſos ab alijs Recinetenſibus; hocq; anniuerſarium ſpectaculum ad Pauli III.Pont.Max.duraſſe tempora.

Nocturni ignes ſuper Lauretanum tectum mirifice delapſi.

PRAESENTATIONIS DEIPARAE FESTVM 21.Nouembris.

Præſentationis Mariæ feſtũ ab antiquiſſimis etiam Eccleſiæ temporibus celebratum.

4 DE Deiparæ,cum trium eſſet annorum,Præſentatione,qua oblata eſt in templum die 21. Nouembris, copioſe diſſeruimus cap. 8. hoc autem feſtum Græci ante multa annorum ſecula celebrarunt, vt videre eſt in orationibus, quas de eo antiquiſſimi Patres Græci,Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui floruit circa annum 715.& Georgius Epiſcopus Nicomedienſis habuerunt; quæ extant apud Surium tom. 6. & quidem hoc feſtum die 21.Nouembris annotatur in Menologio Græcorum,& in Conſtitutione Emmanuelis apud Theodorum Balſam. in nomocan. Photij tit.7.cap.1. In Gallijs celebrabatur tempore Caroli V. Francorum Regis anno 1375. quo tempore Philippus de Maſſerijs Regni Cypri Cancellarius in huius feſti honorem Metenſe cœnobium conſtruxit,illudq; Monachis Cœleſtini Ordinis tribuit.Deinde Paulus II.Pontifex Maximus, cum mala innumera in orbe creuiſſent,anno 1464. feſtum hoc approbauit,& ſolemniter celebrari imperauit;Indulgentijs etiam (quod & Pius II. eius prædeceſſor recens fecerat) id pie colentibus conceſſis; quod Molanus in Martyrologio Vſuardi à ſe auctо teſtatur his verbis: *Ieroſolymis Præſentatio B. Dei Genitricis MARIAE,quam Pius,& Paulus Pontifices Romani cum Indulgentijs inſtituerunt*. ſic ille. Patres verò Cœleſtini in Conuentu Generali Pariſienſi anno 1567. Præſentationis Deiparæ ſolemnitatem per cuncta ſui Ordinis Monaſteria Gallicana perpetuo celebrandam ſanxerunt.

Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus.
Gregorius Epiſcopus Nicomedienſis.
Surius.
Menologium Græcorum.
Theodorus Balſam.
Philippus de Maſſerijs.
Molanus.

Sed,cum Pius V. in recognitione Breuiarij Sanctorum feſta contraxiſſet,& feſtum Præſentationis Calendario non aſcripſiſſet;In Eccleſijs tamen Hiſpaniarum ex conceſſione Gregorij XIII. celebrabatur. Denique Sixtus V. Pontif.Max. in breui dato 1.Septembris anni 1585. teſtatus hanc celebritatem ab antiquiſſimis vſque temporibus sũma vbiq; gẽtium cum veneratione obſeruatam,voluit eam,ſicubi intermiſſa eſſet,reſtitui; præcepitq; per omnes totius Orbis Eccleſias die 21. Nouembris feſtum eiuſdem duplici officio peragi. Arnoldus Vuyon lib.5.ligni vitæ cap.vlt. refert Abbatem quendam in Nortmannia Ordinis S. Benedicti, cuius nomen ignoratur, tempore Caroli V. Francorum Regis anno Domini 1375.inſtituiſſe feſtum Præſentationis B.Mariæ eadem de cauſa,& eodem miraculorum genere, quo Conceptionis eiuſdem feſtum ab Anſelmo Priore eſt inſtitutum. hæc ex Arnoldo.

Sixtus V.Pont.

Arnold.Vuyon.

ANNVNCIATIO DEIPARAE 25.Martij.

Feſtum Annunciationis B.Virgin. quando, & quomodo celebrari conſueuerit.

5 ANnunciationis Deiparæ feſtum Orbi chriſtiano celeberrimum 8.Kalendas Aprilis ſolemni pietate, ac religione in Dei Eccleſia recolitur, cum Angelo nunciante ex ſanctiſſima Virgine propter hominum ſalutem Deus factus eſt homo, ipſaq; Virgo vera Dei Genitrix,ſimul etiam Angelorum,atque hominum Regina eſt effecta;vt propterea,

pterea, qui se Deiparæ studiosos profitentur, de hoc mysterio ei potissimum gratulentur. Plerique etiam eum hebdomadæ diem, in quem singulis annis incidit Annunciatio, omnibus eius anni hebdomadis à carnibus, & lacticinio abstinent; quorum pietatem B. Virgo peculiaribus in eos cumulatis beneficijs sibi gratam esse declarat; quemadmodum cap. 38. dicimus: & quamuis ea die Verbi Incarnatio, vt diximus peracta sit; Festum tamen illud propter ea, quę cap. 8. differuimus, ab Annunciatione Virginis nomen accepit. Hac verò 25. die mensis Martij ab Archangelo Gabriele optatissimum illud nuncium Dei nomine Virgini allatum esse docet Augustinus lib. 4. de Trinit. cap. 5. de Christo loquens: *Sicut à maioribus*, inquit, *traditum, suscipiens Ecclesiæ custodit auctoritas, octauo calendas Aprilis conceptus creditur, quo & passus*, de quo nos cap. 11. ex quo festum hoc in Dei Ecclesia esse longè antiquissimum, vtpote traditione susceptum, satis apparet: nam præter Ambrosium, Augustinum, Chrysologum, aliosq; Patres peruetustos, S. Gregorius Thaumaturgus, qui annum Domini circiter 230. florebat, orationem de eo habuit luculentissimam, à Vuillelmo Lindano Ruremundensi Episcopo latinè redditam, quemadmodum testatur Baronius in notis ad Martyrologium ad hunc diem.

Augustinus.

Ambrosius.
Chrysologus.
Gregorius Thaumaturgus.
Vuillelmus Lindanus.
Baronius.

Octauam porrò festi Annunciationis Ordo Carmelitarum pro sua in Deiparam pietate religiosè celebrat: & quàmuis olim in multis Ecclesijs hæc Annunciationis solemnitas ad 15. calendarum Ianuariarum translata fuerit, quod Quadragesimæ tempus passioni Christi commemorandæ tributum esset, ac mœrori potius, luctuiq; deberetur, vt videre est in Concilio Laodicensi cap. 51. & in Toletano 10. cap. 1. quod celebratum est sub Eugenio S. Ildefonsi auunculo Toletano Archiepiscopo anno Dom. 656. teste Mariana lib. 6. de rebus hispan. cap. 9. Romana tamen Ecclesia diem ipsum 25. Martij, in quo *Verbum caro factum est*, retinendum censuit: quod ipsum seruant Græci ex ipsorum Menologio. Sanctus verò Ildefonsus Toletanus Archiepiscopus Eugenij successor eam Annunciationis solemnitatem, quæ, vt dixi, ex Concilio Toletano 18. Decembris agebatur in Hispania, in expectationem partus B. Virginis commutauit; de qua plura infra. Ecclesia verò Ambrosiana, teste Galesino in notis ad Martyrologium, Annunciationem Domini in die Dominica, quę Natalem Domini proximè antecedit, celebrare consueuit: quoniam sæpè in hebdomadam sanctam incidit, in qua ob passionem Domini solemni ritu celebrari non potest.

Annunciationis B. Virg. octaua.

Concilium Laodicense.
Eugenius Archiepiscopus Toletanus.
Mariana.
S. Ildefonsus Archiepiscopus Toletanus.
Concilium Toletanum.
Galesinus.

Cæterum de præstantia, ac dignitate sacratissimi mysterij in hac die Annunciationis peracti plura eginus cap. 8. hic solum adijciam id, quod de hac solemnitate habetur in exordio orationis Athanasij de Annunciatione. *Primum*, inquit, *hoc memoriæ subijciendum, festum hoc vnum esse ex dominicis festis, atque adeò primarium, & prorsus venerandum; vtpote, quod pro ordine, & digestione rerum, quæ in Euangelijs de Christo prædicantur, sacrosanctum habetur. quippe in quo de Filij Dei è cœlis descensu agatur.* hęc ibi.

Athanasius.

VISITATIO DEIPARAE die 2. Iulij.

6 VIsitationis Beatæ Dei Genitricis festum, cum ad S. Elisabeth Præcursoris matrem inuisendam se contulit, institutum est ex S. Antonino 4. par. tit. 15. cap. 24. §. 3. annum circiter 1385. ab Vrbano VI. & à Bonifacio IX. confirmatum, vel potius promulgatum anno Domini 1389. ad Dei Genitricis opem ea instituta celebritate impensius implorandam, propter grauissimum illud schisma, quod Ecclesiam Dei ab obitu Gregorij XI. vsque ad Martinum V. misere lacerabat, è medio tollendum. Cardinalis Baronius in notationibus in Martyrologium ad diem 2. Iulij legisse se affirmat tractatum quendam manu scriptum Ioannis Pragensis contra quendam Adalbertum eius solemnitatis impugnatorem, in quo cum plura eruditè differat, nonnulla miracula, & certas reuelationes affert, quibus Deus hanc solemnitatem manifestissimè comprobauit. Sanè Bonifacius IX. in suo de hoc festo diplomate fructum, quem ex hac celebritate colligere debemus, grauissimis verbis in hunc modum indicat. *Hanc igitur Visitationem felicis recordationis Vrbanus Papa VI. prædecessor noster de fratrum suorum S. R. E. Cardinalium consilio annis singulis, vt Virginis matris Dei humile obsequium cognata exhi-*

Visitationis Deiparæ solemnitas quando instituta.
S. Antoninus.
Vrbanus VI. Pont.
Bonifacius IX. Pont.
Baronius.
Ioannes Pragensis.

Bonifacij IX. Pont. diploma.

exhibitum iugiter cordibus fidelium sit infixum, in Ecclesia catholica sexto nonas Iulij in perpetuum celebrari instituit; & mox Indulgentias, quas idem Vrbanus ijs concesserat, qui Officio, vel missæ eiusdem festi interessent, subijcit. Huius festi Octauam ab Vrbano VI. instar solemnitatis Corporis Christi institutam complures Religiosorum familiæ piè seruant, eiusmodi sunt Cluniacenses, Præmonstratenses, Cistercienses, Dominicani, Augustiniani, Carmelitæ, & Cœlestini.

PVRIFICATIO DEIPARAE *die 2. Februarij.*

Purificationis Mariæ festum.

7 PVrificatio Dei Genitricis à Latinis, & Græcis 2. Februarij quadragesimo à Natiuitate Domini die ritè celebratur. hoc festum à Græcis *Hypapante Domini*, hoc est occursus, seu obuiatio appellatur, quando videlicet Simeon occurrit Christo, qui in Templo præsentabatur, cuius exemplo Ecclesia in eius diei officio omnes, vt Christo occurramus inuitat illis verbis: *Ecce venit ad templum sanctum suum dominator Dominus; Gaude, & lætare Sion occurrens Deo tuo.* Et in Ecclesia quidem Orientali sub Iustiniano Imperatore celebrari cæptam, occasione cuiusdam magnæ mortalitatis Deiparæ ope depulsæ, quemadmodum cap. 20. diximus, complures docent; Nicephorus lib. 17. cap. 28. *Iustinianus*, inquit, *peracta 5. Synodo vniuersali Seruatoris exceptionem toto Orbe terrarum festo die honorari instituit.* Paulus Diaconus in miscell. histor. anno 15. Iustiniani; cui consentit S. Antoninus 2. par. histor. tit. 12. §. 5. Sigebertus in Chronic. anno Christi 542. *Constantinopoli*, inquit, *mortalitate magna insurgente, statuta est solemnitas B. Mariæ, quæ græcè ὑπαπάντη idest obuiatio dicitur.* Idem habet Gulielmus Durand. lib. 7. in rationali diuinorum officiorum cap. 7. quamuis Cedrenus in compendio ann. 9. Iustini senioris institutam velit. Apud Latinos verò Gelasius Pontifex, qui triginta circiter annos ante Iustiniani tempora Ecclesiæ præfuit anno 494. viam huic celebritati aperuisse videtur abrogatis lupercalibus mense Februario agi solitis, de quo Baronius in notis Martyrologij ad diem 2. Februarij, & tom. 7. annal. ad annum Domini 545. Sergius verò Papa, qui Pontificatum inijt anno salutis 688. huic solemnitati adiecit (quemadmodum habet Ordo Romanus) Litanias, in quibus Clerus cum populo ab Ecclesia sancti Adriani procedebat cum cereis in talem vsum benedictis ad sanctam Mariam Maiorem, quod & in alijs Deiparæ festis fieri docet Beda in lib. de Temporibus, de quo nos infra.

Officium Ecclesiasticum

A Iustiniano Imperatore in Ecclesia Orientali institutum.

Nicephorus.

Paulus Diaconus.

S. Antoninus.

Sigebertus.

Gulielmus Durandus.

Cedrenus.

A Gelasio Pontefice apud Latinos institutum

Baronius.

Sergius Pont.

Beda.

Quòd si roges; quare in hac solemnitate cereos gestemus accensos? Respondet Innocentius serm. de Purificatione B. Mariæ: *Primum, vt mos*, inquit, *Ethnicus cum christiano ritu commutetur, & quod à stultis Idolorum cultoribus ad honorem Cereris, ac Proserpinæ agebatur, id prudenter à pijs ad honorem, laudemq; Mariæ Virginis conuertatur: deinde vt qui per Christi gratiam sunt purificati, hac ceremonia moneantur, prudentes illas virgines imitari, quæ, vt euangelica docet parabola, non sine lampadibus accensis ad Christi sponsi nuptias ingrediuntur.* hæc ille. & S. Antoninus 4. par. tit. 55. cap. 24. *In festo*, inquit, *Purificationis candelas accensas gestamus in manibus, lumen ardentissimæ charitatis Virginis designantes, & eam viuam in nostris operibus habere protestantes.* Et hæc de cereis satis sint. qui plura de Virginis Purificatione, & de cereis hac die gestari solitis requirit, adeat Canisium lib. 4. cap. 11. & 12. & lib. 5. cap. 24. Nonnulla miracula, quæ hac die propter responsorium quoddam in virginitatis Deiparæ gloriam decantatum acciderunt, quod responsorium postea in festo Purificationis in Officio institutum est dici, habes cap. 24.

Cur cerei in hac sollemnitate gestari soleant.

Innocentius.

S. Antoninus.

Illud tamen exemplum minimè prætereundum videtur, quod ad processionis commendationem, quæ in hoc festo Purificationis fieri solet, maximopere facere videtur; quod nos ex Cæsario lib. 7. miracul. cap. 20. suis planè verbis describemus.

Canisius.

Purificationis Deiparæ sollemnitas in coelis celebrari per visum cuidam Virgini ostensa.

Cæsarius.

In Regno Franciæ in Villa, quæ Quido dicitur, Virgo quædam nobilis, & religiosa, sed paralytica fuit, quæ orationibus, ieiunijs, & diuinæ contemplationi adeò operam dabat, vt corporalis cibus ei in nauseam verteretur, nec aliquid ex eo sumere poterat, nisi modicum succum vuarum; hospitalis erat valdè, ac propterea etiã spiritum meruit prophetiæ, cui eius pater Sacerdotem, qui ei diuina celebraret, cum Ministris instituit.

Hæc,

Hæc,cum in die Purificationis Dominæ noſtræ ſancte MARIAE Virginis alijs Clericis, alijsq; Miniſtris diuino nutu abſentibus ſola iaceret,intra ſe triſtis dicebat: *Modo hic ſola iaces, nec aliquid obſequij more Eccleſiæ vniuerſalis hodie Beatæ Dei Genitrici Mariæ impendis.* Dùm talia in mente volueret, ſpiritus eius mirabili Dei virtute de corpore eductus ab Angelo in cœleſtem Ieruſalem eſt deductus; in qua maximam vidit proceſſionem,ex diuerſis eiuſdem beatæ Ciuitatis ordinibus,Patriarchis videlicet,Prophetis,Apoſtolis,Martyribus,Confeſſoribus, Virginibus, cæterisq; fidelibus, ex quibus bini, ac bini ſimul incedebant, & candelas ardentes in manibus geſtabant, Antiphonas ſiue Reſponſoria ad diem pertinentia,more Eccleſiæ militantis,omnes decantabant,& ſtationes debitas obſeruabant. Angelus verò Virginis ductor alteri cuidam Virgini, quam nouerat eſſe conſimilis meriti, illam ſociauit, candelam porrigens ardentem. Tantus erat decor omnium,tanta gloria; in diſpari tamen claritate ſingulorum, vt nulla lingua fari ſufficeret. Saluator verò,qui caput eſt omnium Sanctorum,ſplendor gloriæ,& ſol iuſtitiæ,indutus pontificalibus,mitram geſtans in capite ſuo,cum baculo,chirothecis, & annulo, & reliquis epiſcopalibus ornamentis nouiſſimum locum cum ſanctiſſima matre ſua Maria tenebat: cuius pulchritudinem omnis ille cœleſtis exercitus mirabatur. Qui cum poſt tertiam ſtationem inchoaſſet Antiphonam: *Hodie B. Maria puerum Ieſum præſentauit,*&c. Ingreſſi ſunt templum ex auro, gemmisq; conſtructum. Deinde incæptus eſt Miſſæ introitus,videlicet: *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam*, & ab omnibus ſimul decantatus. Interim Chriſto introeunte ad altare, poſtquam expletum eſt *Kyrie eleiſon* à choris alternatim,poſt *Gloria in excelſis Deo*,&c. quod ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus inchoauit; B. Protomartyr Stephanus epiſtolam legit de libro Malachiæ Prophetæ, videlicet *Ecce ego mitto Angelum meum*. Sanctus verò Ioannes Euangeliſta dalmatica indutus legit Euangelium ſecundum Lucam, ſcilicet *Poſtquam impleti ſunt dies Purificationis Mariæ*, &c. quo perlecto, Dominus ſecundum morem ordinis noſtri,ad gradum redijt,& ab offerentibus candelas ſuſcepit. Prædicta autem Virgo per ſpiritum ſentiens ſe ad corpus reuerſuram,candelam ſuam offerre noluit, etiam Angelo ſuo præcipiente, volens illam ſecum ad terras portare; quod Angelus conſiderans candelam in manu eius fregit, ſuperiorem partem auferens,& inferiorem illi relinquens; ſicq; ad corpus reuerſa partem eandem manu concluſam ſe retinuiſſe inuenit. De qua plurimę ſicbant, & forte vſque hodie fiunt virtutes. Nam aquam ſuperfuſam infirmi bibunt,& conualeſcunt. Tam manifeſta, & ſublimis erat viſio, vt modum eius minime intelligeret dicens illud Apoſtoli, cum de ea interrogaretur: *Siue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio, Deus ſcit.* ſic ibi.

Miſſale Romanum

Malach.3.

Luc.2.

2.ad Cor.12.

ASSVMPTIO DEIPARAE 15. Auguſti.

8 ASſumptio Dei Genitricis,inter eius feſta longè eſt Auguſtiſſimum, quippe quod ei felicitatem attulit inenarrabilem; vt propterea Nauarrus in Miſcellaneo 13.de Pſalterio B.Virginis num. 1. dixerit, Aſſumptionem feſtorum B.Virginis eſſe ſimpliciter maximum,iuxta Gloſſam memorabilem,& receptam ſuper *Alma Mater*,verbo *Aſſumptionis*, de ſententia excommunicationis in 6. & Suarez lib. 2. de diebus feſtis cap. 8. *Feſtum*,inquit, *Aſſumptionis eſt maximè proprium ipſius Virginis, & inter feſtiuitates eius habet quandam excellentiam; quia gloriam, præmium, & triumphum ſanctiſſimæ Virginis nobis repræſentat.* ſic ille. Eiuſmodi ſane feſtum ingenti chriſtianorum lætitia Deiparæ in tanta felicitate gratulantium celebratur 18.calendas Septembris, cum Sol, ex Aſtrologorum ſententia,in cœleſti Virginis ſigno commoratur, eademq; die à Græcis,vt videre eſt in eorum Monologio, & in nouella Conſtitutione Emmanuelis Imperatoris recolitur. Hanc verò ſolemnitatem in Eccleſia antiquiſſimam eſſe ſatis apparet. nam vt omittam antiquiſſimos Patres,Andream Cretenſem,Damaſcenum, Metaphraſtem,Petrum Damianum,Anſelmum,Bernardum,aliosq; plurimos,qui de hac ſolemnitate ſermones habuerunt; Certè ante Iuuenalis Epiſcopi Ieroſolymitani ætatem, qui anno ſalutis 445.florebat,celebrem fuiſſe conſtat ex verbis, quæ apud Nicephorum leguntur lib.2. cap. 23. vbi eiuſdem Iuuenalis de Deiparæ ſepulchro, & Aſſumptione ad Impera-

Aſſumptio eſt omnium Deiparæ feſtiuitatum maxima.

Nauarrus.

Gloſ. ſuper cap. Alma mater de ſententia excommunicationis.

Suarez.

Menolog. Græc.

Andreas Cretenſis.

Damaſcenus.

Metaphraſtes.

Petrus Damianus.

Nicephorus.

Sophronius. Imperatorem reſponſum ſcribitur. Deinde Sophronius Hieronymo æqualis ſermonem, qui inter opera Hieronymi habetur, de hoc feſto conſcripſit luculentiſſimum. Quod ſi quis pertinaciter contendat ſermonem illum non eſſe Sophronij (qua de re nos initio huius operis plura) at ſaltem alicuius eſt viri grauiſſimi, qui ea ferè tempeſtate claruit; nam ex eo ſermone Petrus Chryſologus, qui, quemadmodum ipſe ait ſerm. 145. anno ſalutis 500. viuebat; & Ildefonſus, qui natus eſt anno Domini 610. in ſuis ſermonibus integras ſententias ſunt mutuati. Sed quidni mortales eam celebritatem ſolemniter agant, quæ ipſi curiæ cœleſti iucunditatem attulit maximam? nam Sophronius loco citato de ea agens: *Feſtiuitas*, inquit, *hæc, quæ nobis hodie reuoluitur annua, Angelis omnibus facta eſt continua.* & Ildefonſus eadem ferè, ſermone 2. de Aſſumptione: *Hæc*, inquit, *feſtiuitas Aſſumptionis Virginis præcipua, & venerabilis nobis; ſed venerabilior in Cœlo eſt Angelis, & Sanctis omnibus, quorum lætitia, & gaudium proculdubio ex huius adimpletur diei exultatione, quando Beata Dei genitrix clarior Sole reſulſit in throno claritatis.* ſic ille.

Petrus Chryſologus. Ildefonſus. Sophronius. Ildefonſus.

Aſſumptionis ſolemnitas per Mauritium Imperatorem in Oriente promulgata. Mauritius Imp. Baronius. Leo IV. Pont. Sigebertus. Anaſtaſius Bibliothecarius. Platina.

9 Quòd verò Nicephorus lib. 17. cap. 18. ſcribat feſtum hoc edicto Mauritij Imperatoris inſtitutum: *Sic accipias*, inquit Baronius in notis Martyrologij ad 15. Auguſti, *vt eam antea ab Eccleſia inſtitutam ipſe in Oriente ſanctione edita promulgarit.* Cæterum feſtum hoc magna religione à fidelibus peragi ſolitum, illud argumento eſt, quod eidem octaua ab vniuerſali Eccleſia ſit tributa ex inſtitutione Leonis IV. Pontificis, teſte Sigiberto in Chron. anno 847. cuius occaſio, ex Anaſtaſio bibliothecario, qui ea tempeſtate vixit, & ex Platina in vita eiuſdem Pontificis, ea fuit; quod Baſiliſcus, cuius halitu, & veneno multi perierant, huius Pontificis precibus (quemadmodum vberius cap. 20. diximus) è fornice S. Luciæ in Orphea fuerit expulſus in ipſa die Aſſumptionis iuxta Anaſtaſium bibliothecarium; vel in octaua eiuſdem feſti, iuxta Platinam, qui addit hunc diem octauæ poſtea, vt feſtum celebratum eſſe. Ieiunium quoque vigiliæ eidem feſto, ex Eccleſiæ præſcripto præmittitur; cuius meminit Nicolaus Pontifex (qui præfuit Eccleſiæ anno Dom. 858.) ad conſulta Bulgarorum cap. 4. vbi inter cætera S. R. E. ieiunia ſeruari ſolita, recenſet & hoc.

Nicolaus Pont.

In Aſſumptionis Deiparæ ſolemnitate cerei, qui accendebantur, non conſumpti. Petrus Abbas Cluniacenſis.

Illud verò minimè ſilentio prætereundum, quod Petrus Abbas Cluniacenſis dictus venerabilis, qui S. Bernardi temporibus claruit lib. 2. de miraculis cap. 30. tradit, cereos in æde S. Mariæ Maioris de Vrbe à primis veſperis feſti Aſſumptionis incendi ſolitos vſque ad ſecundarum finem totis 24. horis permanere continuè ardentes, nihilq; penitus imminutos; *Et hoc*, inquit, *tam nobile, & ante nuſquam auditum miraculum, ad commendandam mortalibus gloriam Matris Domini, non in quolibet ignoto, vel humili loco, non in qualibet, vel quantalibet ciuitate; ſed in ipſa Vrbe orbis capite, non ſemel tantum, ſed aſſiduè recurſu annuo diuina pietas, & potentia operatur.*

FESTVM S. MARIAE AD NIVES 6. Auguſti.

S. Maria ad Niues.

10 CElebre eſt miraculum Niuis, quæ Liberio ſummo Pontifice circa annum Domini 367. partem collis Exquilini 9. Auguſti (quo tempore in Vrbe maximi calores eſſe ſolent) noctu contexit; cuius rei memoria eadem die anniuerſaria celebritate ab vniuerſali Eccleſia colitur. in loco autem niue conſperſo Eccleſia ædificata eſt, quæ nunc dicitur S. Maria Maior, cuius nos initia, progreſſum, atque præſtantiam recenſebimus infra, vbi de Templis Deiparæ dicatis.

FESTVM OMNIVM SANCTORVM 1. Nouembris.

Sanctorum omnium feſtiuitas qua nam ratione ad Deiparam pertineat. S. Antoninus.

11 CVm in feſto omnium Sanctorum Deipara inter Sanctos Primaria apud Deum præcipuo quodam honore colatur, vt videre eſt in Reſponſorio ſecundo, & Hymnis eius feſti, in quibus Deiparæ memoria reliquis Sanctis præmittitur, idcirco meritò S. Antoninus, vt ſupra diximus, ad Deiparam etiam feſtum omnium Sanctorum ſpectare docuit. hinc factum eſt, vt in eius feſti tum vigilia, tum etiam infra octauam, (quoniam ad eam pertinet hæc ſolemnitas,) ſecunda oratio, quæ in huiuſmodi aliorum feſtorum

ſtorum diebus, de B. Virgine dici conſueuit, in orationem de ſancto Spiritu omnium electorum ſanctificatore commutetur: quæ enim olim ſolemnitas in honorem B. Mariæ ad Martyres à Bonifacio IV. die 13. Maij, hæc ipſa à Gregorio item IV. omnibus Sanctis prima Nouembris decreta eſt.

Hactenus Deiparę feſta, quæ ab vniuerſali Eccleſia piè coluntur, recenſuimus; nunc aliquot alia, quæ varijs in Vrbibus, Prouincijs, & Regnis, vel etiam in nonnullis Religioſorum Ordinum familijs celebria ſunt, breuiter perſtringamus.

COMPLVRA DEIPARAE FESTA, quæ varijs in locis celebrantur.

DESPONSATIO DEIPARAE 22. Ianuarij in Gallijs.

FEſtum Deſponſationis B. Virginis in Gallijs die 22. Ianuarij celebratur ſtudio Petri Aurati ex ſacro Ordine Prædicatorum, qui anno 1546. compoſito eius ſolemnitatis officio, à Paulo III. Pontifice ſuppliciter contendit, eius vt auctoritate illud liceret in Eccleſia decantari, ac ſacræ Deſponſationis celebritatem fieri 22. Ianuarij, quo tempore eam factam exiſtimabat. Anno verò 1556. Gallicanam Eccleſiam ſecuta eſt Diœceſis Atrabatenſis, vbi 23. Ianuarij hoc feſtum recolitur. *Feſtum Deſponſationis B. Virginis.*

DEDICATIO S. MARIAE AD MARTYRES Romæ 13. Maij.

DEdicatio Eccleſiæ S. Mariæ ad Martyres Romæ 13. Maij, *Quam Eccleſiam*, inquit Martyrologium Romanum ad eam diem, *Beatus Bonifacius Papa Quartus, expurgato Deorum omnium veteri fano, quod Pantheon vocabatur, in honorem Beatæ ſemper Virginis Mariæ, & omnium martyrum dedicauit, tempore Phocæ Imperatoris.* hæc ibi. quod ex Sigiberto apud Genebrardum ad annum Domini 613. refertur. Gregorius verò IV. qui ſedit anno 828. eandem feſtiuitatem ſub honore Dei Genitricis, & omnium Sanctorum in vniuerſali Eccleſia die 1. Nouembris, vt ſupra diximus, celebrandam decreuit. Romæ tamen die etiam 13. Maij in eodem Templo, olim Pantheon dicto, eius dedicatio fidelium concurſu celebris habetur. *Romanorū Pantheon in B. Virginis, ac omnium Martyrum honorem dicatum. Martyrologium Romanum. Bonifacius IV. Pont. Sigibertus. Genebrardus. Gregorius IV. Pont.*

EXPECTATIO PARTVS DEIPARAE 18. Decembris in Hiſpania.

12 EXpectatio partus Deiparæ die 18. Decembris ſolemnitas eſt celeberrima in Hiſpania: etenim, vt ſupra dicebamus ex Mariana, anno ſalutis 656. à Concilio Toletano 10. cap. 1. ſub Eugenio Archiepiſcopo Toletano inſtitutum eſt feſtum 15. calendarum Ianuariarum, hoc eſt 18. Decembris, ſub nomine Annunciationis Deiparę, quam Patres illius Concilij, quod condigne in Quadrageſima, vel Paſchate celebrari non poſſe videretur, in illum diem transferendum duxerunt, his verbis: *Vt ante octauum diem, quo natus eſt Dominus, Genitricis quoque eius dies habeatur celeberrimus, atque præclarus. ex pari enim honore conſtat, vt ſicut natiuitatem filij ſequentium dierum inſequitur dignitas; ita feſtiuitatem Matris tot dierum ſequatur ſacra ſolemnitas. Nam quid feſtum Matris, niſi Incarnatio Verbi? cuius feſtum ita debet eſſe ſolemne, ſicut eſt & eiuſdem Natiuitatis Verbi.* hæc ibi. Verùm poſtea S. Ildefonſus Eugenij nepos, & in Toletano Epiſcopatu ſucceſſor, eandem diem Deiparæ ſacram ſub nomine Expectationis partus eiuſdem eſſe decreuit; eamq; magna pietate in hoc vſque tempus celebrant Hiſpani, quam etiam à Gregorio XIII. confirmandam curarunt, cum Annunciatio Virginis ibi 25. die Martij cum vniuerſali Eccleſia recolatur. hæc porrò ſolemnitas vulgo S. *Maria de O* vocatur, quòd in primis huius ſolemnitatis veſperis in Eccleſiaſtico Officio ponantur celebres illæ Antiphonæ ante Natiuitatem Domini ab O initium ducentes, quibus antiquorum Patrum ardens deſiderium Chriſti Domini Aduentum cupidè expectantium exprimitur. Vide Ribadeneiram in vitis Sanctorum ad diem 18. Decembris, Arnoldum Vuyonium in Martyrologio Benedictino eadem die; Marianā lib. 6. de rebus hiſpan. cap. 9. Azor tom. 2. lib. 1. cap. 28. & Vincentium in ſpeculo hiſtoriali lib. 7. cap. 120. *Expectationis partus Deiparæ, ſolemnitas à quo inſtituta. Mariana. Concilium Toletanum. Eugenius Archiepiſcopus Toletanus. S. Ildefonſus Archiepiſcopus Toletanus. Ribadeneira. Arnold. Vuyon. Mariana. Azor. Vincentius Bellouacenſis.*

FESTVM DEIPARAE A CONSTANTINOPOLI, seu Odigitriæ, quod feria 3. Pentecostes celebratur.

Origo festiuitatis Deiparæ à Constantinopoli, seu Odigitriæ

13 FEstum B. Virginis Odigitriæ, quod in Sicilia mutilo, ac decurtato nomine de Itria, alij vulgo appellant à *Constantinopoli*, feria 3. Pentecostes, (vbi aliquod ei Templum, vel Sacellum erectum est, ac dicatum) magno populorum concursu celebrari cõsueuit: quemadmodum Romæ, Neapoli, & alibi præsertim in Sicilia fieri videmus. eiusmodi verò festum duxisse videtur originem à Deiparæ Imagine S. Lucæ penicillo expressa, & à Pulcheria Augusta Theodosij iunioris sorore Constantinopoli in Templo à se à fundamentis excitato, cui nomen τῶν ὁδηγῶν, hoc est *viæ ducum*, est inditum collocata, vna cum quibusdam Christi Domini fascijs, ac fuso eiusdem Virginis. de qua Imagine Nicephorus lib. 15. cap. 14. Pulcheria, inquit, Augusta Templum in Vrbe Constantinopolitana erexit ὁδηγῶν *viæ ducum* appellatum, vbi Antiochia missam Verbi Matris Imaginem dedicauit; quam D. Apostolus Lucas suis ipse manibus depinxit, illa adhuc viuente, & tabulam ipsam videnti, gratiamq; adeò illi formæ suæ immittente. Hæc imago in loco, quod Tribunal dicitur, fuit; vbi ea, quæ nunc quoque fiunt miracula, peracta sunt. Porrò in templo illo, vt TERTIO quoque septimanæ die peruigilium item, & supplicatio perageretur, curauit, quod ad hunc vsque diem seruatur. hæc Nicephorus. Ex quo factum est, vt Constantinopolitani, cum vel hostium obsidione, vel alijs angustijs premerentur, ad Deiparam confugerint, atque admirabilem eius opem, quemadmodum in tractatu de miraculis allatis historijs ostendimus, experti sæpissimè fuerint. Verùm reliquis omissis, id tantum afferam in præsentia, quod de eiusmodi imagine scribit Vincentius Beluacensis, qui ante 400. circiter annos floruit, in Speculo historiali lib. 23. cap. 147. vbi, cum ageret de Saracenis tempore Leonis II. Imperatoris, magna cum eorum cæde profligatis: Apud Constantinopolim, inquit, in Monasterio sãctæ Dei Genitricis iuxta palatium in mari propè S. Sophiam, erat Imago B. Mariæ, quæ tenebat Infantem in brachio, quam depinxit in tabula S. Lucas, cum adhuc viueret S. Maria: hęc Imago vocatur Odigitria, ideſt deductrix; quia duobus cęcis apparuit S. Maria, & deduxit eos ad suam Ecclesiam, & illuminauit eos. cum ista Imagine faciunt processionem omni die MARTIS per totam Ciuitatem. Hæc ille; additq; cum eiusmodi Imago per Vrbem circumferretur, Saracenos malè perijsse. eandem historiam ex Vincentio refert S. Antoninus tom. 2. histor. tit. 14. cap. 2. §. 3.

Pulcheria Augusta.

Nicephorus.

Tract. de Miraculis.

Vincentius Beluacensis.

Duobus cæcis B. Virg. apparuit, illosq. illuminauit.

Per imaginem Deiparæ Saraceni debellati S. Antoninus.

Imaginis Deiparæ à Constantinopoli exemplar miraculis præclarissimum.

Huius Imaginis exemplum vna cum peculiari in eam pietate in Occidentis partes est propagatum; quare & Templa, & Sacella ei dicata passim conspiciuntur; nec Deiparæ benignitas mortalibus defuit; plurima enim beneficia ad se confugientibus præstat; quod tabellæ in eiusmodi Templis, vel Sacellis appensæ satis testantur: quo etiam factum est, vt complures feria tertia cuiuscumque hebdomadæ propter institutionem Pulcheriæ, teste Nicephoro loco citato, & propter ea, quæ attulimus ex Vincentio Beluacensi, in honorem Deiparæ Constantinopoli peracta, eius Templum religionis ergo adeant, & ijs tantum cibis vescantur, quibus in quadragesima vti licet.

S. MARIA ANGELORVM, SEV DE Portiuncula die 2. Augusti.

S. Mariæ Angelorum solemnitas per S. Franciscum de Assisio promulgata. Liber Conformitatum S. Francisci. Chronic. Minor.

14 IN religiosissimo Minorum Ordine S. Mariæ Angelorum, seu de Portiuncula die 2. Augusti festum solemne celebratur, propter ampliſſimam indulgentiam, quam S. Franciscus à Christo Domino Deipara deprecante, cunctis peccata sua ritè confessis, Templumq; S. Mariæ Angelorum Assisij ea die inuisentibus impetrauit; quod in libro conformitatum S. Francisci conform. 2. & in Chronicis Minorum par. 1. lib. 2. cap. 1. fusius describitur.

S. MARIA A CARMELO 16. die Iulij.

S. Maria à Carmelo.

CElebris est solemnitas B. Virginis à Carmelo, quæ die 16. Iulij ingenti fidelium pietate celebratur; in eiusq; honorem feriam quartam cuiuscumque hebdomadæ peculiariter dicatam colunt complures, eaq; die à carnibus spontè abstinent.

COM-

COMMEMORATIO S. MARIAE DE VICTORIA die 7. Octobris. Et festum Rosarij Dominica prima Octobris.

S. Mariæ de Victoria commemorationem Pius V. Pont. Max. ob insignem de Turcis anno 1571. Deiparæ auxilio ad Echinadas partam victoriam quotannis fieri instituit die 7. Octobris, vt videre est in Martyrologio Romano ad eundem diem. Verum quia eo anno septima dies Octobris in primam eiusdem mensis dominicam incidit, quo tempore solemnis sodalitatis Rosarij supplicatio fiebat. Gregorius XIII. Pont. Max. Pij V. successor, hanc solemnitatem sub nuncupatione Rosarij Dominica 1. Octobris in Ecclesijs, vbi altare, vel cappella Rosarij fuerit, tanquam festum solemne sub duplici maiori officio de eadē Virgine Deipara celebrari iussit; quemadmodum cap. 20. diximus.

Commemoratio S. Mariæ de Victoria à Pio V. Pont. instituta.
Martyrologium Romanum.
Gregorius XIII. Pont.

FESTVM DOLORVM DEIPARAE.

15 FEstum Dolorum Deiparæ, quos cum puerum Iesum sisteret in Templo, Simeon ei vaticinatus est, à Cisterciensibus, quemadmodum ex eorum Breuiario colligitur die 16. Aprilis, ab alijs verò plurimis in locis, præsertim in Atrebatensi Diœcesi feria sexta ante Dominicam Palmarum solemni ritu celebratur. In eiusmodi Virginis Dolorum memoriam apud Traiectensem Diœcesem in D. Aegidij, vbi Canonicorum Collegium erat, Societas quædam erecta est; quo in loco complura signa, ægrotis reddita valetudine, mortuis ad vitam reuocatis, diuinitus sunt exhibita; quemadmodum libellus quidam de ea Societate latinè editus testatur.

Dolorū B. Virg. solemnitas. Luc. 2.
Breuiarium Romanum.
Liber de societate in memoriam dolorum B. Virginis.

FESTVM GAVDIORVM DEIPARAE.

FEstum Gaudiorum eiusdem Deiparæ in Ecclesia quidem Audomarensi Sabbato, quod Ascensionem Domini proximè sequitur; in Ecclesia verò Nouiomensi recolitur Dominica, quæ incidit post diem quartam Iulij translationi S. Martini dicatam. Gaudia porrò Deiparæ quæ nam fuerint, ex pijssimis Rythmis apud Canisium lib. 4. cap. 13. (quibus præclarissimus Christi martyr S. Thomas Cantuariensis etiam delectatus scribitur.) & ex lib. 1. Reuelationum S. Mechtildis cap. 66. cognoscere licet.

Gaudiorum Deiparæ solemnitas quando celebretur.
Canisius.
S. Thomas Cantuariensis Episcopus, & mart.
S. Mechtildis.

FESTA DVO DEPOSITIONIS VESTIVM DEIPARÆ in Vrbe Constantinopolitana die 2. Iulij, & die vltima Augusti.

16 COnstantinopoli die 2. Iulij in Blachernis, quod est templum Deiparæ à Pulcheria Augusta admirabili pulchritudine in suburbijs Constantinopolis extructum, festum est Depositionis vestimentorum Deiparæ in eodem Templo, quæ erant fasciæ sepulchrales à Iuuenali Ierosolymitano Patriarcha ad eandem Pulcheriam missæ. De hoc festo Molanus ad Vsuardi martyrologium in hūc modū: Die 2. *Iulij Depositio Stolæ sanctissimæ Dominæ nostræ Deiparæ in Blachernis.* In eadem Vrbe Constantinopolitana die vltimo Augusti festum est, quod vocatur depositio Zonæ Deiparæ in Chalcoprateio; in Chalcoprateio enim, quod latine fabrorum emporium sonat, erat alterum Deiparæ tēplum ab eadem Pulcheria à fundamentis excitatum. De hoc festo Molanus ad martyrologium Vsuardi sic habet: Die *trigesimaprima Augusti, Depositio venerandæ Zonæ sanctissimæ Deiparæ in annuersario, die dedicationis templi in Chalcopratijs.* De Zonæ Deiparæ depositione extant Encomia Germani Episcopi Constantinopolitani, & Euthymij monachi apud Surium tom. 4. die 31. Augusti.

Festum depositionis vestium Deiparæ Pulcheria Augustæ.
Iuuenalis Patriarchæ Ierosolymitanus.
Molanus.
Germanus Episcopus Constantinopolitanus.
Surius.

SOLEMNITAS RECOLLECTIONIS FESTORVM Deiparæ Louanij dominica prima Septembris.

HVius festi meminit Molanus ad Vsuardi martyrologium die 1. Septēbr. his verbis. *Dominica prima die mensis Septembris Louanij in Basilica S. Petri, Solemnitas Recollectionis Festorum B. Virginis Dei Genitricis Mariæ, quæ cum totius Vrbis lætitia festiuè celebratur.* hęc ibi. Huius festi institutionem vide apud Louanium Lipsij lib. 1. cap. 5. Idem festum alibi etiam in Belgio est solemne: Duaci. n. Dominica vltima Augusti, Antuerpiæ Dominica 2. ab Assumptione Deiparæ, Cameraci Dominica 4. Augusti recolitur. In calendario Breuiarij Cameracensis Diœcesis excusi Parisijs anno 1507. cum officio Recollectionis festorum Deiparæ mense Augusto die 21. versiculus hic legitur.

Luce die quarta, Mariæ collige festa.

Recollectio festi uitatum B. Virgin. quibus in locis celebretur.
Molanus.
Louanū Lipsii.
Officium dicta festiuitatis.

SECVNDA PARS HVIVS TRACTATVS, QVAE EST DE TEMPLIS DEIPARAE ERECTIS.

SVMMARIVM.

Templa Deiparæ in Vrbe nu. 18.
S. Maria Maior ibidem.
S. Maria Transtiberim nu. 19.
S. Maria Angelorum in Thermis nu. 20.
S. Maria in Porticu nu. 22.
S. Maria Aracœli nu. 23.
S. Maria ad Martyres, seu Rotunda nu. 24.
S. Maria in via lata nu. 25.
S. Maria schola græca ibidem.
S. Maria à Palmis nu. 26.
S. Maria Annunciata extra Vrbis mœnia ibidem.
S. Maria in Dominica nu. 27.
S. Maria de Populo ibidem.
S. Maria supra Mineruam nu. 28.
S. Maria in via ibidem.
Varia in Vrbe Deiparæ Templa sanctorum reliquijs, vel aliqua alia ratione insignia num. 29.
S. Maria Noua ibidem.
S. Maria libera nos à pœnis inferni nu. 30.
S. Maria Transpontina nu. 31.
S. Maria Crypta picta ibidem.
S. Maria à Triuio nu. 32.
S. Maria in Aquiro ibidem.
S. Maria scala Cœli nu. 33.
Varia Deiparæ Templa in Vrbe peculiari aliqua ratione celebria nu. 34.
Alia Deiparæ Templa in Vrbe miraculis illustria, vel quibus religiosorum, aut aliquorum christianæ charitatis operum, domicilia sunt annexa nu. 36.
Templa Deiparæ Neapoli posita nu. 40.
Ecclesia Cathedralis Neapoli Deiparæ dicata nu. 42.
S. Maria Maior Neapoli nu. 43.
S. Maria à Carmelo ibidem.
S. Maria ad pedem Cryptæ nu. 44.
S. Maria ab Agnone nu. 45.
S. Maria Sicula ibidem.
S. Maria à Donna Romata nu. 46.
S. Maria Regina Cœli, & alia Monialium Templa Deiparæ sacra nu. 47.
Deiparæ Templa, quibus Nosocomia, Orphanotrophia, & similes pietatis christianæ Domus adiunguntur nu. 49.
Deiparæ Templa, quæ ad viros religiosos pertinent nu. 50.
Templa domiciliorum Societatis Iesu Neapoli Deiparæ erecta nu. 52.
Templa Deiparæ in reliqua Italia, num. 53.
Templa Deiparæ in Sicilia, & in nonnullis circa Italiam Insulis nu. 55.
Deiparæ templa in Hispania nu. 57.
Deiparæ Templa nonnulla, & præcipue in Septentrionis Regionibus Gallia, Germania, Hungaria, & Polonia nu. 68.
Deiparæ Templa in complurib. Orientis Regionibus Ierosolymis, Constantinopoli, Antiochiæ, & in Africa nu. 72.
Templa Deiparæ apud Barbaras nationes diuersis in Regnis excitata nu. 78.

Exe-

17 EXegimus, quæ de diebus festis Deiparæ dicenda proposuimus; nunc ad templa varijs in locis eidem posita veniamus. Et quidem Virgini Deiparæ templa dicata esse non modò postquam euecta in cælum est; sed etiam cum vitam inter mortales ageret, & multo etiam tempore ante ortum, complures, ijq; grauissimi auctores litteris prodiderunt. Nam & Druidę Gallorum Sacerdotes Carnuti Vrbe Galliæ Lugdunensis celebèrrima, effossa alte humo Aram excitarunt cum hac inscriptione, VIRGINI PARITVRAE, multo ante Deiparæ ortum. Aegyptij quoque à Ieremia, teste Epiphanio, de Virgine puerpera in Aegyptum ventura edocti antiquissima consuetudine Virginem in lecto, & Infantem in Præsepio adorabant. Porrò Iason, & Argonautæ seu vnũ, seu duo Mariæ Verbi diuini Genitrici templa dedicarunt mille ducentis ante Christum annis; quæ fusè examinata, & explicata sunt cap. 29.

Templa B. Virgini ante eius ortum dicata.

Epiphanius.

Cap. 29.

Iam Deiparæ ea ipsa in terris commorante Apostolorum tempore, templa etiam dicata sunt. nam ædes Lauretana iam tum dici potuit templum, cum Dei Genitricis ortu, ac diuini Verbi conceptu, Dei, ac Deiparæ vsui consecrata est. Præterea Cranganore in Orientali India ab vno è tribus Magis; Calecutij item ab eius conditore Deiparæ templa extructa, dicataq; sunt. Cæsaraugustæ à S. Iacobo Apostolo templum, cui nomen est à Pyla, seu Columna, in qua Virgo ipsa se videndam Apostolo præbuit. In Vrbe Anteradensi in Syria sacellum à S. Petro Apostolo eidem conditum, magnæ non christianis solum, sed etiam saracenis venerationi fuit. In monte Carmelo, statim atque innotuit *B.* Virginis in cœlum Assumptio, in eius honorem à christianis illius montis incolis excitatum templum est. Massiliæ Basilicam S. Martha Christo Iesu, ac Matri erexit. In Aethiopia à Candace illa, cuius Eunuchum Philippus Act. 8. sacro fonte lustrauit, templum Deiparæ extructum est regiæ par opulentię, & miraculis olim nobile. Tungris Eburonum ędem B. Virgini consecrauit S. Maternus Episcopus S. Petri Apostoli discipulus à mortuis rediuiuus. Hæc cursim indicamus, vt Lector vberius tractata, probataq; videat cap. 29. Quæ verò vniuersę dicenda essent de infinitate prope templorum Deiparæ dicatorum, eodem illo capite compendio attigimus.

Cap. 29. Templa eidem in terris degenti extructa.

S. Iacobus Apostolus.

S. Petrus Apostolus.

S. Martha.

Act. 8.

S. Maternus Episcopus.

Reliquum nunc est, vt singillatim, ac seorsim de templis B. Virgini erectis agamus; non de omnibus, ac ne de præcipuis quidem omnibus, sed de nonnullis, ad quæ me vel structuræ magnificentia, vel fama miraculorum, vel adeuntium celebritas, vel priuata quædam pietas allicit. Initium igitur faciemus à capite, & fonte religionis Vrbe Roma; post ingrediemur Neapolim, tum plerasq; Italiæ Vrbes, & adiacentes Insulas; deinde Hispaniam, & quod supereſt Occidentis. Ad extremum Regiones eas percurremus, quę pertinent ad Orientem solem.

Templa Deiparæ præcipua.

Illud verò Lectorem monitum velim, interdum Deiparæ templa super Idolorũ fanis à christianis extructa, quod non absque Dei nutu factum arbitramur; vt perspicuum fiat omnibus; quemadmodum cap. 29. monuimus, Deiparam de Ethnicismo, & de Idololatria triumphasse, quippe quæ in eorum Delubris, veluti in hostium arcibus expugnatis, sui filij, suaq; vexilla erexit.

Cur aliqua B. Virginis templa supra Idolorum fanis extructa. Cap. 29.

Sed iam ad templa ipsa nominatim recensenda accedamus, initio facto ab Vrbe omnium principe, & christianæ religionis sede primaria.

TEMPLA DEIPARAE IN VRBE.

S. MARIA MAIOR.

18 INter alia in Vrbe Deiparæ Templa eminet illud S. Mariæ Maioris in Exquilijs anno salutis 367. à Ioanne Patritio Romano, eiusq; coniuge ędificatum; qui quòd liberis carerent Deiparę suam hæreditatem vouerunt, a qua Nonis Augusti, cum maximi in Vrbe calores esse solẽt, in somnis sunt admoniti, vt, quem locum niue consperſum viderent, in eo Ecclesiã ædificarent, quę suo nomine dedicaretur. Id quod Ioannes ad Liberium summum Pontificem detulit, cui id ipsum B. Mater per quietem eadem nocte edixerat. quare Liberius solemni sacerdotum, & populi supplicatione instituta, ad collẽ Esquilinum niue consperſum venit, locum Ecclesiæ designat, quæ Ioannis, & vxoris pecunia-

S. Mariæ Maioris templum à Ioanne Patritio eiusq. coniuge ædificatum.

Templi S. Mariæ Maioris locum niue consperſum diuinitus designatur. Liberius Pont

Xistus III. Pōt. cunia est extructa. Eadē postea à Sixto III. anno 432. est restituta, sacrisq; historijs musiuo opere contextis, quæ adhuc extant, distincta. Id quod Adrianus I. Epist. ad Carolum Magnum pro cultu sanctarum imaginum refert his verbis. *B. Xistus Papa Basilicā S. Dei Genitricis cognomento Maiorem, quæ ad præsepe dicitur, tam in metallis aureis, quā in diuersis historijs, sacrisq; decorauit imaginibus.* ita ille. Est autem id templum multis decorum Religionis nostræ insignibus; nam & Præsepe Christi Domini, vnde etiam Basilica nomen traxit, in ara exigui cuiusdam sacelli ad leuam templi reconditum erat, quod sacellum, thesauri illius custodem, integrum cum præsepe anno Domini 1586. in aliud sacellum multo augustius, ornatiusq; transtulit Sixtus V.

Præsepe Christi Domini in templo S. Mariæ Maioris.

Sixtus V. Pont.

Idem B. Virg. templum alijs rationibus celeberrimum.

Paulus V. Pont.

In hoc etiam templo magno totius vrbis concursu, & religione colitur imago B. Virginis puerum Iesum in vlnis fouentis à S. Luca depicta miraculis inclyta, atq; illo in primis, quòd à S. Gregorio sæuiente lue, per vrbem circumlata, vt cap. 20. diximus, pestem depulit: huic sacræ Imagini Paulus V. qui nunc clauum Reipublicę christianę pietate, ac prudentia singulari tenet, ad templi dexteram sacellum extruxit è sacri regione præsepis longè nobilissimum, in quod imago illa translata splendidius colitur.

S. Matthias Apostolus.

S. Epophra.

SS. Romula, & redemptavirg.

S. Hieronymus.

Martyrologium Romanum.

Eadem basilica Sanctorum reliquijs locuples est multis, ac præclaris, corpore S. Matthię Apost. S. Epaphrę, quem Apostolus vocat *concaptiuum* suum, sanctarum item Romulæ, & Redemptę virginum, quæ in ara maxima reconduntur: est etiam inclytum corpore S. Hieronymi, quod illuc esse translatum constanter anniuersaria recordatione Martyrologium admonet die 9. Maij. Adde alia pietatis decora, quod vnū est ex quinque Vrbis templis patriarchalibus; quæ hoc priuilegio eminent, vt in eorum summo altari nullus Missę sacrificium offerat, nisi ex speciali summi Pontificis auctoritate. Has autem quinque Basilicas patriarchales Ioannes Monachus Piccardus Cardinalis in C. Fūdamenta: de elect. in sexto, refert his versiculis ex Onuphrio de septem Eccles. cap. 1.

C. fundamenta de elect. in 6.

Paulus, Virgo, Petrus, Laurentius, atque Ioannes;
Hi Patriarchatus nomen in Vrbe tenent.

Hoc item templum vnum est ex septem illis præcipuis, quę magna religione ab indigenis, ac totius Orbis peregrinis obiri solent: Item vnū ex quatuor, quæ anno Iubilęi solemniter visitanda indicuntur, & peculiari porta insigne, trium aliorum instar, quæ semper clausa, illo dumtaxat anno solemni ceremonia reseratur. Nec Pontificum studium ad augendam eius templi celebritatem defuit multis indulgentijs illud locupletantium, quæ in marmorea tabula publice proposita leguntur: quindecim insuper dierum stationibus ibi solemniter institutis, præsertim die Natiuitatis Domini propter præsepe, & ipso Paschatis festo, quasi Ecclesia Parenti sanctissimæ gratuletur, quæ rediuiuum ab inferis natum prima conspexit. Quin etiam Basilica eadem supplicationibus, & litanijs iam inde à S. Gregorij Magni, & præcedentium Pontificum temporibus, ac deinceps sæpe deputari consueuit. Denique inter alias plurimas, easq; nobiles Virgini dicatas Romæ Basilicas, hæc principem locum obtinet; vt propterea multis etiam sit insignita nominibus. Dicta quippe est S. Maria ad Præsepe, quòd in ea Præsepe Christi Domini asseruetur. Basilica Liberij à conditore S. Maria Maior, quod cęteris dignitate præstet, quare à S. Gregorio lib. 11. reg. epi. 2. & lib. 4. moral. cap. 15. alijsq; per antonomasiam Dei Genitricis Ecclesia absolute appellatur. Et sanè hanc B. Mater cereis accensis, nec absumptis illustrare solita erat, auctore Petro Cluniacensi lib. 2. mirac. cap. 30. ex quo nos miraculū istud multis olim satis compertum, & exploratum commemorauimus supra in festo Assumptionis. In hac eadem Basilica S. Henricus Imperator ad Vrbem veniens prima nocte excubare solebat ex Nauclero gener. 34. vbi & visionem quandam admirabilem semel consecutus est, quam nos vberius cap. 35. attulimus.

Gregorius.

Petrus Cluniacensis. Cap. 30.

Cap. 35.

S. MARIA TRANSTIBERIM.

S. Mariæ in Trāstiberim templum a S. Calisto Pont. & mart. consecratum.

Liber de Romanis Pontificibus Platina.

Ex eiusd. templi

195. S. Maria Transtiberim templorum eiusdem in Vrbe antiquissimum insigni eruptionis olei prodigio Christi aduentum præsignificante nobilitatum, & à S. Callisto Papa, & martyre, quemadmodum habet liber de Romanis Pontificibus, & Platina in Callisto annum Domini circiter 224. Alexandro Imperatore Dei Genitrici extructum eo in loco, vbi olim Taberna Meritoria erat, de qua in diebus Augusti, teste Paulo Orosio lib. 6. cap. 20. fons olei largissimus per totum diem fluxit, quo signo, inquit

Orosius

Oroſius, quid euidentius, quàm in diebus Auguſti futura Chriſti, qui vnctus interpretatur, Natiuitas declarata eſt? Cumq; eo tempore, quo Cæſari perpetua Tribunitia poteſtas decreta eſt, Romæ fons olei per totum diem fluxit; hoc prodigio ſignificatum eſt per totum diem, hoc eſt, per totum tempus Imperij Romani Chriſtum, & ex eo Chriſtianos, ideſt vnctum, atque ex eo vnctos de Meritoria Taberna, hoc eſt de hoſpita, largaq; Eccleſia affuenter, atque inceſſabiliter proceſſuros. hæc ex Oroſio; quæ eadem de olei fonte narrant Euſebius in chronico, & Eutropius, qui vult oleum illud ſignum fuiſſe gratiæ Chriſti gentibus communicandæ. huic hiſtoriæ, & illud fidem facit, quod cum circa annum 1130. tempore nimirum Innocentij II. huius Eccleſiæ fundamenta reficerentur, eodem in loco terra intus poſita reperta eſt adhuc oleo madida; quod habet tabella in eodem Templo expoſita, & referunt Baronius tom. 2. annal. ad ad annum 224. & Pompeius Hugonius in lib. de Stationibus ſtatione 16. quin etiam foramen illud, ex quo oleum ſcaturijt, polito lapide circumcirca exornatum ad tanti prodigij memoriam viſitur. Nec illud ſilentio prætereundum, quòd cum Popinarij, hoc eſt ij, qui obſonia, coctasq; carnes vendebant, hunc Tabernæ Meritoriæ locum, teſte Lampridio in Alexandro, ægrè ferrent, à S. Calliſto, & Chriſtianis occupari, ſibiq; vendicare contenderent; ab eodem Alexandro Imperatore, tametſi Ethnico, ſunt reiecti, Chriſtianisq; locus ille adiudicatus ex reſcripto, quo reſpondit melius eſſe, vt quomodocumque illic Deus colatur, quàm vt Popinarijs dedatur. hæc vberius Baronius tom. 2. annal. ad annum 224.

ſolo largiſſimus fons olei erupit. Paulus Oroſius.

Euſebius. Eutropius.

Baronius.

Pompeius Hugonius.

Lampridio.

Alexander Imperator.

Baronius.

Hanc Deiparæ Baſilicam à S. Calliſto dedicatam Gregorius III. circa annum ſalutis 735. teſte Anaſtaſio Bibliothecario pene è fundamentis dirutam nouis fabricis cum tectis conſtruxit, ac totam depinxit, multisq; Sanctorum corporibus inſigniuit. Innocentius II. teſte Onuphrio, ſub altari ſummo recondidit corpora SS. Pontificum Calliſti, Cornelij, & Iulij, Calepodij item Presbyteri & Quirini Epiſcopi, ac martyris ex cœmeterio Calliſti, & Catacumbis tranſlata; & additis Indulgentijs, altare maius propè fontem olei excitatum ſolemni ritu conſecrauit. Adde S. Calliſtum, qui hanc Eccleſiam excitauit, eam titulum Vrbis Romæ, ideſt Paræciam inſtituiſſe, & ab eo titulum Calliſti eſſe vocatum. Quin etiam inter titulos Cardinalium primo loco recenſeri ſolitam; certas quoque ſtationes ad id Templum eſſe decretas, præſertim feria quinta poſt Dominicam quartam Quadrageſimæ, & die ipſo Circumciſionis; idq; iure optimo, vt quo die ſacratiſſimum Ieſu nomen impoſitum eſt Chriſto, cui in Cant. cap. 1. dicitur, *oleum effuſum nomen tuum*. eodem ipſo die ſtatio ad illud Templum inſtituatur, vnde fons olei vberrimam Chriſti gratiam præſignificantis largiſſime effluxit.

Gregorius II. Pontifex. Anaſtaſius Bibliothecarius. Innocentius II. Pontifex. Idem templum multis ſanctorũ rẽliquijs inſignitur.

Cant. 1.

Gregorius verò IV. qui ſedit anno Domini 828. Monachos ibi conſtituit, cuius monaſterij, quod beato Cornelio Papæ dedicauit, diu veſtigia ſuperfuere. Sacellum item in hac baſilica inſtar illius, quod in S. Maria Maiore Chriſti Præſepio erat dicatum, magnificè extruxit, atque auro, & argento exornauit. Ad læuam huius Templi Sacellum extat Deiparæ Imagini, cui nomen eſt à Clementia, inſignitum, quæ miraculis claruit; nam in magna cœli, atque terræ ſiccitate cum populi ſupplicatione circumlata, pluuiæ copiam eſt elargita. ad hæc, cum magna inter eos, qui cis Tiberim, & illos, qui trans Tiberim degebant, diſcordia intercederet, precibus coram hac imagine ad Deiparam fuſis, eſt ſublata.

Gregorius IV. Pontifex.

S. Maria à Clementia celebre in eodem templo ſacellum.

S. MARIA ANGELORVM IN THERMIS.

205. Maria Angelorum in Thermis Diocletianis in Quirinali. Hoc Templum ſpatij magnitudine, ſtructuræ immenſitate, & inſigni forma ob ampliſſimæ, ac perfectæ crucis figuram in primis admirabile, ac præclarum, Altiſſimis fornicibus, & ingenti luminis claritate maxime iucundum, ac peramænum; multorum millium martyrum ſudore, qui in hac ingenti mole conſtruenda in ſeruorum morem laborare ſunt coacti, ſanctum, ac venerabile; memoria Deiparæ, & Angelorum, præſertim ſeptem Principum throno Dei aſtantium, quibus eſt dicatum, ſanè inclytum, ac celebre hoc. inquam, Templum diuino conſilio peculiari quadam ratione extructum, atque erectum videtur. cuius hiſtoriam in eo, quod de ſeptem Principibus Angelorum conſcripſimus opere,

S. Maria Angelorum in Thermis.

Liber de ſeptem Principibus Angelorum.

vberius explicatam,in præsentia summatim perstringemus:& vt de eiusmodi Thermis, quod ad rem nostram facit,aliquid præmittamus. Erant eæ immensa sane mole, ac præ incredibili amplitudine,vt Marcellinus lib.10.loquitur,in modum prouinciarum extructæ;quibus extruendis septem ipsos annos ad quadraginta christianorum millia(quemadmodum Bartholomęus Marlianus lib.5.Topographiæ Vrbis cap.20.& Andreas Fluuius in Thermis Diocletianis affirmant)veluti serui ascriptitij Thermarum operibus sunt mancipati.Cum enim anno Christi 298.(is fuit decimusquintus Diocletiani,quo Thermæ auctore Eusebio in chronico ædificari cœptæ sunt) eiusdem Diocletiani, & Maximiani consilio omnes vbiq; positę legiones lustrarẽtur,qui in eisdem reperti sunt Christiani milites, exuti militia, ac vincti Romam perducti, Thermarum operi sunt addicti. Absolutis verò Thermis,quòd eorum ingens esset numerus,ne quid in imperium molirentur,ducti extra portam trigeminam, nunc S.Pauli,tertio ab vrbe lapide in conuexo vallis, in loco, qui dicitur *Gutta iugiter manans* ad Aquas Saluias omnes die 9. Iulij præclaro sunt martyrio coronati. Hi fuere sancti Zeno Tribunus,ac decem millia ducẽti tres socij,quorum reliquiæ in proximo templo,quod B.Maria scala cœli dicitur,prope Templum SS.Vincentij,& Anastasij,de quo infra,repositæ visuntur; de quibus Baronius in notis ad Martyrologium die 9.Iulij, & tom.2. Annal. ad annum 298.qui illud etiam obseruat,reliquis Imperatorum Thermis collapsis,vel propemodum dirutis, Thermarum tamen Diocletiani potissimam partem, quòd christianorum labore stetissent,tot secula perdurasse,& in *Ba*silicam Dei Genitricis, & Angelorum religiose fuisse conuersam. Nec illud silentio prætereundum, quod Pompeius Hugonius lib.de Stationibus Vrbis statione 25. scribit in lateribus è Thermarum ruinis interdum crucis signũ repertum fuisse incisum,& sua ętate fuisse aliquos,qui id sese spectasse testati sunt;quod apertè ostendit lateres illos non nisi à christianis ad id opus damnatis effici potuisse. Quin etiam Antonius Duca,de quo mox plura,Thermarum Architectum reperisse sese ait fuisse christianum, ideoq; Thermas figura septiformi, & latissimis crucibus in superiori parte insigniuisse. hinc factum est, vt locus ille priscis illis chrIstianis semper venerationi fuerit: nam & in quadam Thermarum parte S. Cyriaco templum titulo Cardinalis exornatum,cuius vestigia adhuc visuntur,est erectum,ad quod statio erat feria 2. Dominicæ in passione; sed cum præ vetustate corruisset,Sixtus IV.auctore Onuphrio in lib.de septem Ecclesijs,titulum,& Stationem ad templum SS.Quirici,& Iulittę transtulit. His igitur,quæ ad maiorem Thermarum sanctitatem declarandã facere videbantur expositis,subijciamus nunc,qua ratione in Templum Deiparæ Angelorũ conuersæ sint.

21 Cum Panhormi celebri Vrbe Siciliæ anno 1516. in quodam peruetusto templo, quod S. Angeli dicebatur, septem sanctorum Angelorum ante conspectum Dei astantium,Imagines habitu,& aspectu venerabiles,cum eorundem insignibus, ac nominibus in pariete depictæ casu repertæ essent; Cumq; ea occasione, magna Panhormi omnium ordinum in hos septem Angelorum Principes pietas esset excitata, ita vt templum illud septem Angelorum nomine diceretur,& Monialium ordinis S.Francisci de Paula nobile cœnobium ibidem extrueretur; Antonius Duca Sacerdos natione Siculus, patria Cephaludensis, vir innocentiæ laude conspicuus, huius templi septem Angelorum Panhormitani Rector, propagandi cultus eorundem septem Angelorum impense sollicitus,annum Domini circiter 1527. Romam contendit; omnemq; mouit lapidem, vt Pontificis auctoritate in vrbe,arce ipsa pietatis, templum aliquod in eorum honorem excitaretur.qui sæpe irrito conatu rem aggressus,sæpe Dei instinctu repetito cursu,ne difficultatibus frangeretur,quæ pium hominis studium retardabant,ad opus persequendum,& promouendum diuinitus est confirmatus.

Enim verò anno Domini 1541.die 7.mensis Septembris,cum post panis,& aquæ ieiunia,è strato surgeret sacrum missæ sacrificium oblaturus,visus est sibi intra Diocletiani Thermas esse,easq; intueri,simulq; quodam lumine sibi significari,Thermas illas tẽplum esse septem spirituum ante Deum astantium;huius reuelationis,quam biẽnio post Venetijs primum,postea Romæ anno 1555. typis euulgauit, mentio fit in eius sepulchro,quod in hoc templo extat.Ea visione maxime confirmatus cum *Bartholomęo* Salucio postea Montis Regalis Episcopo ad Thermas,quæ,quod ab Vrbis frequentia longius

Marcellinus.

Bartholomæus Marlianus.
Andreas Fluuius.
Thermæ Diocletiani multorum millium martyrum labore ædificatæ.
Eusebius.

S. Zenonis Tribuni cum 10203 sociorum martyrium.
Baronius.

Pompeius Hugonius.

Thermarum Architectus christianus.

Sixtus IV. Pōt. Onuphrius.

Septem Angelorum imago Panhormi reperta.

Septem Angelorum pietas per Antonium Ducam Cephaludensem promulgata.

Antonij Ducæ visio.

gius abeſſent,ludendi locus erant,ac facinoroſorum hominum receptaculum, ſe contulit; in quarum ædificio quatuordecim veluti ſacella inuenit.ſeptem quidem ex parte Orientali,quibus iam tum ſingula nomina ſeptem Angelorum, quæ Panhormi reperta ſunt,ſingulis ſacellis,rubris litteris, quas ſæpe legimus, inſcripſit; ea ſunt S.Michael, S. Gabriel, S.Raphael, S.Vriel, S.Sealtiel, S.Iehudiel,& S.Barachiel: ex parte verò Occidentali ſeptem Martyribus,qui in S.Marcelli actis apud Surium tom.1.in conſtructione Thermarum leguntur,totidem ſacella attribuit,eorumq; nomina ijſdem ſacellis inſcripſit; ij ſunt S.Marcellus Papa, SS.Cyriacus, Siſinnius, Largus, Smaragdus Diaconi, S. Saturninus ſenex, & S. Traſon, qui ſuis facultatibus chriſtianos in Thermis laborantes alebat; cuius memoria die 11.Decembris in Martyrologio adnotatur.Itaq; hac viſione Antonius vehementer accenſus maiori ſtudio Sanctorum ſeptem Angelorum templum apud Paulum III.ſupplicibus libellis eidem ſæpe traditis procurabat.Tãdem anno Chriſti 1550.Antonio id à Iulio III.qui in demortui Pauli III.locum ſucceſſerat, enixe contendente, res omnis Philippo Archinto Vrbis Vicario à ſummo Pontifice eſt demanda ta. Is eodem approbante Pontifice decreto ſanxit,vt Diocletianæ Thermæ in templum beatiſſimæ Virginis,& ſeptem Angelorum dicarentur:eodemq; decreto, (quod in Archiuio Patrum Carthuſianorum Romæ aſſeruatur,) operis procurationem ſocietati ſanctiſſimæ Trinitatis commiſit. Itaq; Thermæ die 15. Auguſti eiuſdem anni per Epiſcopum Sebaſtenum in honorem S.Mariæ Angelorum,& Martyrum ſunt dicatæ: duæ aræ ibidem erectæ,& ſacra quotidie celebrari cæpta.Sed cum res quorundam improbitate, qui poſtea vltore Deo ſuæ temeritatis luerunt pœnas, parum feliciter proceſſiſſet;Arę quoque cum ornamentis exturbatæ eſſent;neque earum reſtituendarum ſpes eſſet vlla; iterum anno 1555. alia viſione eſt erectus, qua eidem ſignificabatur diuino decreto Thermas in ſeptem Angelorum templum conſecrandas. ſed cum bellorum occaſione, alijsq; de cauſis protracta res eſſet; peruicit tandem conſtantis animi pietas. Nam Pius IV. Pontifex Maximus anno 1560.Antonium Ducam ad ſe acciuit;ab eoq; de viſionibus,quas ſuper ea re habuerat,admonitus, quantum etiam tot annorum labore perfeciſſet, edoctus,eiuſmodi opus maxime pium ipſe complectitur: negotium dat Michaeli Angelo Bonarotæ nobili in primis Architecto, templi in Thermis deſcribendi; tranſlatisq; illuc ad curam templi è cœnobio S. Crucis in Ieruſalem religioſiſſimis Patribus Carthuſianæ familiæ,ara lignea in medio templi excitata, temploq; pretioſiſſimis pontificijs aulęis exornato,reliquis etiam rebus,pro temporis anguſtia rite compoſitis,Pontifex ipſe indicta Cardinalium cappella die 5.Auguſti 1561. præſentibus Cardinalibus vniuerſa curia, & populo Romano pontificijs veſtibus ornatus Thermas in honorem S.Mariæ Angelorum, ſolemnibus additis comprecationibus dedicauit. Factum eſt ibi ſacrum pontificali ritu; quamquam in diplomate de cœnobio à Monachis extruendo vocatur templum B. Virginis, & omnium Angelorum, & Martyrum,quod moles illa Martyrum ſudore ſit facta. Hi verò verſus abſide inſcripti leguntur.

Septem Angelorum nomina. Surius.

S. Marcellus Pont & mart. SS. Cyriacus, Siſinnius, Largus. Smaragdus Diaconi, & martyres. S. Saturninus ſenex mart. S. Traſon mart. Martyrol. Romanum.

Iulius III. Pont. S. Mariæ Angelorum templum in Thermis per Antonium Ducam ædificatum.

Pius IV. Pont.

Michael Angelus Bonarota.

Quod fuit Idolum, nunc Templum eſt Virginis, Auctor
Eſt pater ipſe Pius; dæmones aufugite.

Dicato templo Pontifex titulum Cardinalitium attribuit, Stationemq; decreuit ſabbato poſt tertiam Dominicam Quadrageſimę,quo die ſtatio eſt ad ſanctam Suſannam, quæ in ea eſt vicinia. Idemq; templum compluribus Indulgentijs,ſed præſertim ijs,quę ſunt in ſancta Cruce Ieruſalem,vbi prius erant Patres Carthuſiani,auctum eſſe voluit. Antonius Duca ſenio confectus,& voti compos viſo templo,quod tantopere deſiderauerat,totq; laboribus procurauerat,lætus ex hac vita migrauit, primusq; in eo templo ad gradus altaris ſummi ſepelitur. Onuphrius in libro de ſeptem Eccleſijs teſtatur huic Thermarum dedicationi à Pio IV. factæ ſe interfuiſſe, ipſumq; Pontificem hanc Eccleſiam mirum in modum exornare conſtituiſſe, ſed morte præuentum id opus imperfectum reliquiſſe. Gregorius XIII. templi pauimentum ſternendum curauit, vbi aliquot etiam ſacella magnifice exornari cæpta ſunt.

Onuphrius de ſeptem Eccleſijs.

Gregorius XIII Pontifex.

S. MARIA IN PORTICV.

225 S. Maria in Porticu prope Theatrum Marcelli. Hic domus erat S. Gallæ viduæ Symmachi Conſulis,& Patritij filiæ à Theodorico Rege Ariano interfecti; quæ teſte ſancto

S. Mariæ in Porticu templum in domo S. Gallæ

viduæ extru-ctam.

Gregorius.

Imago Deiparæ S. Gallæ ab Angelis delata.

S. Maria in Porticu unde dicta.

Gregorius VII. Pontifex.

Per eandē Imaginem pestis ab vrbe depellitur. Paulus II. Pont. Leo X. Pont.

Per eandē imaginem ab alijs periculis vrbs liberatur.

Paulus III. Pont.

Adrianus VI. Pont.

Eandem Imaginem Iudæi auo contemnentes, illico dant poenas Cardin. Cæsius.

sancto Fulgentio Episcopo Ruspensi in Epistola ad eandem Auo, Patre, Socero, Genero consulibus clarissima, intra vnius anni spatium marito, cui primum nupserat, est orbata; secundas verò nuptias constantissime recusauit, ad quas eam, vt scribit S. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 13. vocabant, & opes, & ætas, & deformitas barbæ, quam medici propter igneam quandam corporis consperſionem nisi nuberet, emissuram eam fuisse prædicebant. Itaq; diuinis rebus intenta, dum pauperes duodecim quotidie prandio excipit, eius domum Angelicis manibus delata est Deiparæ filium in vlnis fouentis imago, aureis lineis in lapide pretioso zaphirino Angelorum manibus, vt pie creditur, efformata, & multa luce circumfusa; cuius splendore vehementer commota S. Ioannem Pontificem eius nominis primum, martyrio postea inclytum, tota de re commonefecit. Is cum eius domum venisset, fusis ad Deum precibus, campanis nullo impulsu, sed sua sponte tota vrbe concrepantibus, in aere suspensam Imaginem admirabundus conspicit, quę ab Angelis in eius est deposita manibus. Atque eo ipso die beatissimæ Virginis beneficio, quæ tota vrbe grassabatur, pestis abacta est. quare S. Galla in suis ipsa ædibus templum hoc Christo, eiusq; Genitrici posuit, quod vulgo dicitur *à Porticu*, propter Porticum Octauiæ Marcelli matris, & Augusti sororis olim ibi sitam; sacra verò Imago eo ipso in loco vbi primum apparuit, collocatur. *Et Galla*, inquit Gregorius loco citato, *abiecto seculari habitu, ad Omnipotentis Dei seruitium se se apud B. Petri Apostoli Ecclesiam monasterio tradidit. ibiq. multis annis simplicitati cordis, & orationi dedita, larga indigentibus eleemosynarum opera impendit, quæ postea ante obitum S. Petri visione mirifice est recreata.* hæc ex Gregorio. Hoc idem templum, vt videre est in lapide in summo altari collocato, vetustate pœne collapsum Gregorius VII. restaurauit, & consecrauit, cuius etiam tempore nobile illud Ciborium, quod adhuc visitur, extructum fuisse existimatur, in quo sacra Imago superne est reposita: in fronte verò Ciborij illi versus musiuo opere extant, ex quibus pleraq; eorum, quæ hactenus commemorauimus, indicantur.

Hic est illa piæ Genitricis imago MARIAE,
Quæ discumbenti Gallæ patuit metuenti.

Hæc eadem imago solemni pompa iussu Callisti III. per vrbis vias circumlata diutinam pestem depulit; & cum deinde mandante Paulo II. in pontificium sacellum per Episcopum Forensem illata esset, altera die in propria æde collocata diuinitus est. Leo X. anno 1518. die 14. Martij Turcarum metu vrbe vndiq; perculsa ad impetrandum contra eos christianorum Principum concordiam, hanc imaginem vna cum S. Saluatoris, & B. Mariæ Maioris imaginibus cum Cardinalibus nudis pedibus est prosecutus. Paulus verò III. eadem de causa permotus anno Domini 1537. die 7. Iulij. & iterum anno 1543. eadem imagines publica pompa gestari iussit. Sedente autem Adriano VI. sacra imago rursus exponitur, & indicta supplicatione ob metum sæuientis pestilentiæ, quacumque gestaretur, noxius aer concedebat, & pestis discutiebatur. At Iudæus dum conuerso ad tergus vultu Imagini illudit, facies auersa perpetuò sic hæsit. Iudæa quoque ne Imaginem aspiceret, retro conuersa oculis capitur. Hæc omnia in nobili eiusdem templi parietum pictura illustrissimi Cardinalis Cęsij huius Diaconiæ titularis pietate in monumentum huius historiæ effigiata cernuntur, quæ vberius explicantur in narratione impressa Romæ anno 1605. opera Patrum religiosæ Coagregationis Clericorum beatissimæ Virginis Lucensis, quibus huius templi cura auctoritate Clementis Octaui est demandata.

Ad eiusdem quoque Imaginis commendationem facit, quod nulla temporum iniuria læsa, in tot vrbis incendijs, in tot hostium direptionibus inuiolata perstiterit. Addam ad extremum orationem quandam ab ijs, qui eò confluunt, recitandam, & ibidem iampridem expositam, quæ huius Imaginis dignitatem ponit ob oculos, est autem eiusmodi.

ORATIO, quæ in S. Maria in Porticu habetur.

Oratio ad Sanctam Mariam in Porticu.

OMnipotens sempiterne Deus, qui legem Moysi digito tuo in tabulis lapideis scriptam dedisti, & serpentem æneum in eremo exaltari fecisti; concede quæsumus, vt hanc sacratissimam Genitricis filij tui Imaginem opere tuo formatam, & in hoc Templo

per

per sanctos Angelos tuos mirabiliter exaltatam deuote veneremur, cuius intuitu à mortifera antiqui serpentis peste, & à quibuscumque alijs corporalibus læsionibus liberemur. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

S. MARIA ARACOELI.

23 S. Maria Araceli in Capitolio, vbi olim Iouis Feretrij fanum. Eiusmodi Deiparæ templum, cui Fratrum Minorum de Obseruantia nobile cœnobium nunc est adiunctum, in ea Capitolij parte situm est, vbi Octauianus Augustus prouectiori iam ætate, accepto à Pythio Apolline responso de puero hebræo, eodemq; Deo, ac omnium Domino ipsum in tartara detrudente Romam ex Oriente reuersus, Aram maximam auctore Nicephoro lib. 1. cap. 17. extruxit, cum eiusmodi latina inscriptione ARA PRIMOGENITI DEI, qua de re nos cap. 23. In hoc templo imago Deiparæ à S. Luca depicta in summo altari magna pietate colitur: ibidem etiam lapis visitur insignis pedum vestigijs ab Angelo impressis, qui Romæ humana specie aliquando apparuit. Cum autem in Vrbe ex Onuphrio in lib. de septem Ecclesijs in S. Ioanne Viginti, ex Baronio verò in notis ad Martyrologium die 1. Nouembris, & die 5. Decembris viginti duo essent Cœnobia, seu Abbatiæ, quarum Abbates in præcipuis quibusdam celebritatibus summo Pontifici celebranti aderant, hæc Ecclesia Aracœli, auctore eodem Onuphrio vna erat ex illis Abbatijs, quam postea Leo X. anno 1516. Cardinalis titulum instituit.

S. Maria Aracoeli in Capitolio.

Nicephorus.

Angelus humana specie apparens pedum vestigia in lapide imprimit.

Baronius.

Onuphrius.

Leo X. Pontifex.

S. MARIA AD MARTYRES, SEV ROTVNDA.

24 S. Maria ad Martyres, quæ vulgo à structuræ figura *Rotunda* dicitur, olim fuit Ethnicorum celebre delubrum à M. Agrippa Augusti genero, anno ab Vrbe condita 727. excitatum, ac biennio post auctore Dione absolutum, idemq; teste Plinio lib. 36. cap. 15. propter extinctum ciuile bellum, M. Antonio, & Cleopatra ad Actiacum promontorium ab Augusto superatis, Ioui Vltori dicatum, dictum est autem Pantheon: *Quod in simulacris Martis, & Veneris,* inquit Dio lib. 53. histor. Romanæ, *multas Deorum imagines acciperet; vt verò mihi videtur, quod forma conuexa fastigiatam Cœli similitudinem ostenderet,* sic ille. Cum verò Titi tempore conflagrasset, à Domitiano, vt auctor est Cassiodorus, restitutum est. nec multo post sub Traiano fulmine ictum ab Adriano, teste Spartiano, restauratur; postmodum à Septimio Seuero, & M. Aurelio Antonino, vt videre est in eiusdem templi inscriptione, cum omni cultu est restitutum. Anno verò salutis 607. Bonifacius Papa IV. ab Idololatriæ sordibus expurgatum delatis in illud ex varijs Vrbis cœmeterijs octo & viginti curribus onustis ossibus martyrum, ijsq; prope summum altare ad eius dexteram decenter collocatis, Dei Genitrici, & omnibus Martyribus die 13. Maij consecrauit solemni, ac peculiari instituta festiuitate, eius meminit Martyrologium, & adhuc Romæ ea die recolitur in hoc templo, quod propterea S. Maria ad Martyres est appellatum, vt videre est in Stationibus missalis feria 6. post Pascha. Eam festiuitatem postmodum Gregorius IV. qui anno 827. Pontificatum inijt, in honorem non tantum Martyrum, sed omnium etiam Sanctorum die primo Nouembris in vniuersa Ecclesia celebrem esse decreuit, quemadmodum supra in hoc eodem capite diximus; ad idem templum solemnis statio habetur feria sexta infra octauam Paschæ.

Structura templi S. Mariæ Rotunda.

M. Agrippa.

Dio.

Plinius.

Augustus Cæsar.

Domitianus Imperator.

Cassiodorus.

Adrianus Imperator.

Spartianus.

Idem templum plurimis sanctorum reliquijs à Bonifacio IV. Pontifice insignitur.

Martyrologium Romanum.

Gregorius IV. Pontifex.

S. MARIA IN VIA LATA.

25 S. Maria in Via Lata inter præcipuas Cardinalium Diaconias, vbi hospitium olim fuit S. Pauli Apostoli, eius habitatione, ac rebus ibidem gestis clarissimum; in hoc siquidem suo conducto, de quo Actorum 28. idem Apostolus propter Christi confessionem catena circumdatus mansit biennio toto cum custodiente se milite, omnibus ad se adeuntibus prædicans Regnum Dei, & Christi fidem, indeq; complures dedit Epistolas, ad Ephesios, ad Philippenses; secundam ad Timothæum, ad Philemonem, in quibus suorum vinculorum meminit; item Epistolam ad Hebræos; quin etiam Dominus sua visitatione, & confortatione hoc in loco eum dignatus est: nam 2. ad Timoth. 4. agens de hac prima sua defensione: *Dominus,* inquit, *mihi astitit, & confortauit me.* de hoc S. Pauli

S. Maria in via lata templum S. Pauli Apostoli hospitio celeberrimum.

Actorum 28.

Timoth. 4.

Baronius.

Pauli hoſpitio in S.Maria invia lata extat ibi memoria in lapide exarata.Eiuſdē hoſpitij meminit *Baronius* tom.1.Annal.ad annum Domini 59. Ibidem quoque S.Lucas Euangeliſta indiuiduus comes Apoſtoli hiſtoriam actuum Apoſtolorum, quæ ad biennium Romæ commorantis Pauli peruenit, conſcripſiſſe exiſtimatur. In huius templi ſummo altari imago Deiparæ, quæ annulum geſtat in digito, à S. Luca depicta religioſe aſſeruatur.

S. MARIA SCHOLA GRAECA.

S. Maria in Coſmedin ſiue ſchola Græca.

S. Maria Schola Græca in Delubro,vbi Ethnicorum tempore erat Ara, quæ vocabatur Maxima. ad hanc fontes ad veritatem iureiurando teſtandam adducebantur: cum verò eiuſmodi Ara prope os cuiuſdam cloacæ ſita eſſet, factum eſt, vt lapis ille perforatus,atque ori cloacæ ſuperpoſitus noſtra ætate vulgo *Os veritatis* appellaretur: nomen verò Scholæ Græcæ huic templo inditum videtur à proximo litterarum græcarum Gymnaſio. S.Dionyſius Papa circa annum Domini 260.Domum ſuam,quæ eo in loco erat,in Eccleſiæ formam redegit, quæ à Deipara nomen accepit. Eam verò vetuſtate collapſam Stephanus III. Papa reſtituendam curauit, cum in Gallijs deſperata iam valetudine à S.Dionyſio Areopagita incolumitatem anno 714.eſſet conſecutus,vt videre licet apud Surium tom.5.ad calcem vitæ eiuſdem S.Dionyſij. tandem eam poſt Stephani obitum Paulus I.Pontifex eiuſdem Stephani frater compluribus Sanctorum corporibus ibi reconditis,in honorem SS.Dionyſij Areopagitæ,& Sociorum perfecit,& conſecrauit. mox Adrianus I. anno 772.illam mirificè exornauit, ita vt ab ædis ornatu dicta ſit S.Maria in Coſmedin. In eiuſdem templi ſacellum iuſſu Pij V. Pontificis tranſlata eſt Deiparæ imago, quæ in cuiuſdam domus pariete depicta multis clarebat miraculis; denique inter antiquas Cardinalium Diaconias recenſetur.

S. Dionyſius Pontifex infirmus S. Stephanus Pont. à S. Dionyſio Areopagita incolumitatem conſequitur.

Paulus I.Pont.

Pius V.Pontif.

S. MARIA A PALMIS.

S. Maria in Palmis ſiue in plantis.

26 S. Maria à Palmis via Appia extra portam Capenam, (nunc S.Sebaſtiani) ſic dicta, à Palmarum multitudine,quæ ibi olim erat cum Templo Martis, ad quod duo Papæ,& martyres Stephanus I. deinde Xiſtus II. vt illi ſimulacro ſacrificarent ſunt pertracti; quemadmodum in eorundem actis legimus apud Surium tom. 4. & Stephani quidem precibus Martis Statua terræmotu concidit,templumq; contremuit. S. Xiſto verò inde redeunti occurrit S. Laurentius, qui ab eo de theſauris Eccleſiæ in pauperes diſtribuendis mandatum accepit. Hoc in loco, quemadmodum peruetus pictura ſupra templi fores indicat,Chriſtus S.Petro Neronis rabiem fugienti occurrit,eidemq; roganti, *Domine quo vadis?* reſpondit, *Romam iterum crucifigi*, atque in lapide pedum ſuorum veſtigia impreſſit: vnde factum eſt,vt Eccleſia hæc S.Maria à Plantis dicta etiam ſit. Sanctus verò Petrus intellexit Chriſtum iterum crucifigendum eſſe in ſeruulo,quare ad martyrium fortiter ſubeundum redijt; lapis autem Chriſti Domini veſtigijs nobilitatus in proximo S. Sebaſtiani templo pie aſſeruatur. Hanc hiſtoriam Ambroſius in Auxentium de baſili. non tradendis, Gregorius in pſa. 4. pœnitentiali, & alij tradunt, vide *Baronium* tom.1.Annal.ad annum Chriſti 69. Cùm autem hoc templum præ vetuſtate ruinam minari videretur Reginaldus Polus Cardinalis Anglus, ne tam inſignis Chriſti apparitionis memoria,cum templo pariter interiret,Sacellum aliud forma rotūdum paulo ſuperius eadem via Appia exædificauit,cui nomen inditum,*Domine quò vadis*. Cardinalis verò Toletus hoc ipſum Deiparæ templum pro ſua in Virginis templa pietate reficere cęperat;verum perficere,& ſplendori reſtituere per mortem non licuit.

S. Stephani I. Pontif. & mart. precibus Martis ſimulacrum concidit.

S. Laurentius martyr.

Chriſtus S.Petro apparēs pedum veſtigia in lapide imprimit.

Ambroſius.

Gregorius.

Baronius.

Reginaldus Polus Cardinalis.

Franciſcus Toletus Cardinalis.

S. MARIA ANNVNCIATA extra Vrbis mœnia.

S. Mariæ Annūciatæ templum extra vrbis mœnia.

S. Maria Annunciata ad tertium ab vrbe lapidem ſub cura,& protectione ſodalitatis ſacri Confalonis in via,qua à tribus fontibus itur ad S.Sebaſtianum.Hæc ſatis antiqua eſt, & vna ex illis nouem vrbis Eccleſijs, quæ pietatis ergo obiri ſolent. Et anno 1220.Honorio III. Pontifice ſolemni ritu eſt conſecrata plurimis in eius altari reliquijs repoſitis,compluribus item indulgentijs eam viſitantibus conceſſis, quemadmodum in lapidis ibidem expoſiti inſcriptione legitur.

Honorius III. Pontifex.

S. MA-

S. MARIA IN DOMINICA.

27§. Maria in Dominica in monte Cælio, vbi olim manſiones Albanę, quas Tullus Hoſtilius Alba euerſa Albanis ad habitandum aſſignauit; ſic appellatur, vel à conditrice Dominica, vel à S. Cyriacæ domo, quæ ex actis S. Laurentij erat in monte Cælio, vbi poſtea forte hoc templum eſt exſtructum; (Cyriaca enim latine idem eſt, quod Dominica,) vel quod ſtatio ad eam ſit Dominica ſecunda Quadrageſimæ, vt hoc titulo ab alijs Deiparæ Templis dignoſcatur. appellatur etiam *à Nauicella* propter lapideam Nauiculam pro templi foribus poſitam, ſiue ad monumentum miraculi, vel beneficij à Virgine in aliquem inter vndas collati; ſiue ad eiuſdem templi ornatum. Hæc inter Cardinalium Diaconias præcipua fuiſſe videtur; in ea enim ex Onuphrio cap. 3. de ſeptem Eccleſijs Archidiaconus Cardinalis reſidebat. Eandem ſua antiquitate venerabilem, & iam ruinæ proximam Paſchalis I. circa annum Domini 817. auctore Anaſtaſio in eius vita, ampliorem, melioremq; à fundamentis renouauit, abſidemq; eius muſiuo opere mirificè decorauit, eiq; multa dona obtulit. poſtmodum Leo X. adhuc Cardinalis circa annum 1510. eam teſte Blondo, breui ruituram refecit: mox Pontifex creatus ipſam maiori ſplendori reſtituit, atque eleganti laqueari exornauit.

S. Maria in Dominica, ſiue in Nauicella.

Onuphrius.

Paſchalis I. Pontifex.

Anaſtaſius.

Leo X. Pontifex

S. MARIA DE POPVLO.

S. Maria de Populo ſub colle Hortulorum Religioſiſſimi Ordinis Eremitarum S. Auguſtini pijſſima eiuſdem Deiparæ imagine à S. Luca depicta, nobilitata, hoc in loco ſubter Nucis arbore cineres impijſſimi, ac ſceleſtiſſimi Neronis, qui primus in chriſtianos perſecutionem mouit, condebantur, indeq; dæmones tanquam ex proprio depoſito ijs, qui illac præteribant, mirum in modum erant infeſti. quare Paſchalis II. anno 1099. vbi hæc diuinitus cognouiſſet, indicta ſupplicatione ad locum acceſſit, Nucem præcidi, ac impios cineres in Tiberim proijci iuſſit, aramq; extruxit, quam multis in ea reconditis reliquijs conſecrauit. Gregorius IX. circa annum Domini 1227. Imaginem Deiparæ à S. Luca depictam ex loco, qui dicitur *Sancta Sanctorum* perlatam cum omni clero, ac populo in hoc templo repoſuit. Sixtus V. eidem templo titulum Cardinalitium dedit, ſeptem altaria inſtar Templorum ſancti Petri, & Pauli deſignauit, eaſdemq; indulgentias, quas habet ſancti Sebaſtiani templum eſt elargitus; vtq; eorum commoditati, qui ſeptem vrbis Eccleſias obeunt, conſuleret, eis poteſtatem fecit, vt loco ſancti Sebaſtiani hanc Eccleſiam viſitarent.

S. Maria de Populo ſub Colle hortulorum.

Neronis Imperatoris cineres à dæmonibus cuſtoditi in tyberim deijciuntur.

Paſchalis II. Pontif.

Gregorius IX. Pontif.

Sixtus V. Pont.

S. MARIA SVPRA MINERVAM.

28§. Maria ſupra Mineruam ſic dicta à proximo Mineruæ Chalcidicæ delubro, quod Pompeius Magnus, auctore Plinio lib. 7. cap. 26. Mithridatico bello confecto, multisq; Regnis, ac gentibus in Romani Imperij ditionem redactis, ex hoſtium manubijs dicauit. eius delubri veſtigia in hortis cœnobij ſacri Ordinis Prædicatorum, quibus hoc Deiparæ templum eſt demandatum, adhuc cernuntur. Paulus IV. hoc templum Cardinalium titulo inſigniuit. In eodem Deiparæ Templo ad lævam ſummi altaris ſacellum pulchre extructum cum religioſiſſima Deiparæ imagine extat; in quo florentiſſima, & nunquam ſatis laudata Roſarij ſodalitas in Vrbe eſt erecta: in eiuſdemq; ſacelli ara corpus reconditur S. Catharinæ Senenſis virginis præclariſſimæ ex tertio ordine Prædicatorum, cuius opera in Gregorio XI. reuocando ex Gallijs in vrbem magno Reipublicæ chriſtianæ bono ſingulariter eluxit, de qua vberius nos in tract. de Virg. Ibidem aliud quoque ſacellum à Ioanne Turrecremata Cardinali Ordinis Prædicatorum viro doctiſſimo B. Virgini Annunciatæ dicatum eſt; vbi ab eodem ſodalitas eſt inſtituta, quæ compluribus puellis nubilibus dotem aſſignat, quam ſummus Pontifex ſolemni pompa in illud templum veniens die ipſo Annunciationis *B.* Virginis ſuis manibus eiſdem diſtribuit.

Plinius.

Paulus IV. Pontifex.

Tract. de Virg.

Ioannes Turrecremata Cardinalis.

S. MARIA IN VIA.

S. Maria in Via religioſiſſimi ordinis Seruitarum. Templi huius, ac nominis ea fuit occaſio: cum anno ſalutis 1285. Innocentio IV. Pontifice Deiparæ imago quædam

S. Maria in Via, templum.

in

in tegula depicta per imprudentiam iniecta esset in puteum, qui quidē puteus ad equorum stabulum, ac prope viam publicam (vnde templi nomen traxit originem) situs erat in ædibus Cardinalis Petri Capocij: nocte quadam exundantibus putei aquis, & equile ipsum inundantibus, equorum strepitu exciti famuli eam imaginem aquis supernatantem conspexere. actutum ea de re Cardinalem docēt, qui magna pietate, ac reuerentia Deiparæ simulacrum domi suæ primo reposuit; mox Innocentij Pontificis iussu ibidem à fundamentis excitauit ædiculam, in qua imago est collocata. tandem Patres Seruitæ in ampliorem formam extruxerunt. Puteus verò ille intra templum concluditur. Eundem in puteum coniectum est lapidis frustum ex fonte Iacob, super quem nimirum Christus Dominus Sammaritanam alloquens consederat. quo circa ad pietatis, ac fidei significationem ea ex aqua ægroti potissimum bibunt; & feria sexta Dominicæ tertiæ Quadragesimæ, cum legitur Sammaritanæ Euangelium, eo in Templo Indulgentia plenaria est posita.

Deiparæ imago in puteum proiecta, super effluentibus mirifice aquis excipitur. Innocent. Pont.

Ioan. 4.

VARIA IN VRBE DEIPARAE TEMPLA Sanctorum reliquijs, vel aliqua alia ratione insignia.

S. MARIA NOVA.

S. Maria Noua in foro Romano.

29 S. Maria Noua in foro Romano, vbi olim Solis, & Lunæ Fanum prope ruinas Templi Pacis à Vespasiano magnificentissime extructi. Ea Deiparæ Ecclesia adiunctum habet cœnobium religiosissimorum Patrum montis Oliueti, in cuius hortis, auctore Andrea Fuluio, extant vestigia ædicularum Isidis, & Serapidis: cumq; antea diceretur S. Maria Vetus, postmodum à Ioanne VII. Pontifice annum Domini circiter 705. restituta, & exornata, exinde Noua appellata est. in eius summo altari imago Deiparæ à S. Luca coloribus expressa è Troade huc delata pie colitur; quæ, cum templum hoc Honorio III. Pontifice conflagrasset, nihil ex incendio est passa. Gregorius V. Pontifex annum circiter 995. corpora sanctorum martyrum Nemesij Diaconi, Lucillæ virginis filiæ, Symphronij, Olympij Tribuni, Exuperiæ eius vxoris, & Theoduli filij, de quibus in martyrologio diē 31. Octobris, recondidit. Ante idem verò altare sub ferrea crate corpus S. Franciscæ Romanæ viduæ pietate, & miraculis clarissimæ asseruatur, quam religiosissimarum sororum à Turri speculorum vulgo dictarum Fundatricem Paulus V. Pont. Max. anno 1608. in Sanctorum catalagum retulit. in eodem quoque Templo, quod est vna ex antiquis Cardinalium Diaconijs, lapis visitur, in quo S. Petrus suæ genuflexionis vestigia reliquit: *Cum* (vt verbis vtar sancti Maximi hom. 5. de sanctis Petro, & Paulo) *fixis genibus Dominum est precatus, & Simonem Magum magicis artibus volantem veluti vinctum de sublimi aere deposuit, & quodam præcipitio in saxo elidens eius crura confregit*. E regione S. Mariæ Nouæ in monte ipso Palatino olim erat Ecclesia Deiparæ dicta in Pallara, nunc omnino diruta, & vitibus obsita, quæ, teste Onuphrio de septem Ecclesijs, vna erat ex viginti illis Vrbis Abbatijs, vbi, inquit Onuphrius: fuit sagittatus S. Sebastianus. dicebatur autem in Pallara à Palladio, quod Diomedes ex arce Troiana sublatum, superstitione postea adactus Aeneæ restituit, & in proximo Vestæ delubro, auctore Andrea Fuluio vbi de foro Romano, à Virginibus Vestalibus custodiebatur,

Andreas Fuluius. Ioannes VII. Pontif. Deiparæ imago à flammis non læditur. Gregorius V. Pontif. Martyrologium Romanum. S. Franciſca Romana. Paulus V. Pont. Lapis in quo S. Petrus genuflexionis vestigia reliquit. S. Maximus. Onuphrius. S. Sebastianus mart. § Andreas Fuluius.

S. MARIA LIBERA NOS A POENIS INFERNI.

Deiparæ templum in foro Romano, nunc à S. Syluestro Pontifice nūcupatum. M. Curtius Eques Romanus. Titus Liuius. Valerius Maximus. Orosius. Ouidius.

30 S. Maria cognomento libera nos à pœnis inferni in foro Romano, vbi olim fanum erat Iouis Statoris. In hoc loco aliquando, cum vasto, ac repentino hiatu terra subsediſſet, M. Curtius Eques Romanus adductus superstitione cuiusdam responsi, quo viuens aliquis ad eam complendam deposcebatur, Equum militaribus insignibus ornatus conscendit, eumq; vehementer admotis calcaribus præcipitem in illud profundum egit, vt auctor est Titus Liuius lib. 7. Valerius Maximus lib. 5. cap. 6. Orosius lib. 3. histor. cap. 5. ibidem etiam ex aquis proximi Tiberis stagnantibus lacus erat, cui nomen Curtius, de quo Ouidius lib. 6. de fastis.

Curtius

Curtius ille lacus, ſiccas qui ſuſtinet aras,
Nunc ſolida eſt tellus, ſed fuit ante lacus.

Eiuſmodi Deiparæ templum in hoc loco excitatum, tametſi non adeò magnum, nobilitatum tamen eſt propter draconem ſuo afflatu vrbi peſtilentiſſimum, ibi S. Silueſtri Papæ precibus mirabiliter extinctum; quod tanquam ſatis exploratum, multorumq; teſtimonio comprobatum recipit Baronius tom. 3. Annal. ad annum Domini 324. cuius rei occaſione S. Silueſter hanc ædem multis in eius altari repoſitis reliquijs, Deiparæ dicauit; quæ ab eius conditore aliquando appellatur Templum S. Silueſtri in lacu; quod Iulius III. anno 1550. Matribus venerabilis Congregationis Turris Speculorum attribuit, cum antea fuiſſet Cœnobium monialium ſancti Benedicti ab ijſdem propter cœli inſalubritatem deſertum.

Draco peſtilentem afflatu ſpiritum exhalans S. Syluestri Pontifice precibus occiditur. Baronius.

Iulius III. Pōt.

S. MARIA TRANSPONTINA.

31 S. Maria Tranſpontina ſacri ordinis Carmelitarum. eiuſmodi templi extruendi (quod titulum Cardinalis Sixtus V. inſtituit,) occaſio ea fuit; cum prope molem Adriani, quæ nunc Arx dicitur S. Angeli, Templum hoc Deiparæ trans pontem Aelium, vnde nomen traxerat, ſitum, atque ad muniendam arcem poſtea dirutum eſſet, voluntate ſummi Pontificis anno 1566. hoc in loco aliud templum eſt excitatum, in quod ex antiquo illo Sanctorum reliquiæ, & præſertim Deiparæ imago vna cum eiuſdem templi nomine ſunt tranſlata. imago verò in ſummo altari eſt collocata; eius feſtum præcipuum eſt Viſitatio Deiparæ die 2. Iulij. In quodam huius templi ſacello religioſe aſſeruantur duæ columnæ, ad quas ſancti Apoſtoli Petrus, & Paulus, priuſquam pro Chriſti fide morte afficerentur, alligati, & virgis cæſi fuere, quarum meminit Baronius tom. 1. Annal. ad annum 69. Sub altari ſummo ſanctorum martyrum Magdali, Baſilidis, & Tripodij corpora ex antiquo templo accepta reconduntur.

S. Mariæ Tranſpontinæ templū in honorem Viſitationis. Sixtus V. Pont.

Columnæ quibus alligati Apoſtoli Petrus, & Paulus virgis ſunt cæſi. Baronius.

SS. Magdalus, Baſilides, & Tripodius martyr.

S. MARIA A CRYPTA PICTA.

S. Maria à Crypta picta in Campo Floræ ad Theatrum Pompeij; prope hoc templum anno 1525. repertum eſt marmor cum hac inſcriptione, *Veneris Victricis*, quod ibi eidem fanum aliquod, vel ara forte eſſet dicata. Cæterum templum hoc ante trecentos propemodum annos Deiparæ Conceptioni eſt conſecratum, auctore Octauio Pancirola in ſuo theſauro de Vrbis Eccleſijs. cum enim ſummum altare cum templo peruetuſto diruendum, ac reſtituendum eſſet, in charta pergamena ibidem reperta verba hæc legebantur. *Anno Domini 1340. indictione 2. die verò Martis 8. Decembris tempore Domini Bonifacij IX. anno ſuo ſexto conſecratum hoc altare cum Eccleſia in honorem Conceptionis B. Mariæ Virginis.* hæc ibi.

S. Mariæ in Crypta picta templum in Conceptionis honorem.

Octauius Pancirola de Vrbis Eccleſijs.

Bonifacius IX. Pontifex.

S. MARIA IN TRIVIO.

32 S. Maria in Triuio à tribus præcipuis, quę illuc coeunt vijs, vnde etiam proximo aquę Virginis celeberrimo quidem fonti nomen eſt inditum. Hoc templum dicitur etiã S. Maria in Synodo, ab aliqua fortaſſe ſynodo illic antiquitus celebrata. tandem à Gregorio XIII. anno ſalutis 1575. ſacro Ordini Cruciferorum aſſignatum eſt: in eius templi pariete memorabile ſane viſitur exciſum in lapide monumentum pœnitentiæ ob admiſſum ſcelus peractæ à Beliſario Iuſtiniani Duce, qui Perſas in Oriente, in Africa Vandalos, in Italia Gothos prælio vicit, ac debellauit. nam cum in gratiam impię Theodoræ Auguſtæ Iuſtiniani vxoris S. Siluerium Pontificem, martyrio poſtea clarum, in exilium miſiſſet; facti poſtmodum ipſum pœnituit, ideoq; erigendam in Vrbe Eccleſiam curauit, pro cuius foribus inſcriptionem in lapide inſculptam poſuit: & licet Eccleſia illa à Baronio tom. 7. Annal. ad annum 536. exiſtimetur euerſa à Gothis in odium Beliſarij; lapis tamen ille in pariete huius templi Cruciferorum aſſeruatur cum inſcriptione, quæ huiuſmodi eſt.

S. Maria in Triuio templum à Beliſario Iuſtiniani Duce erectum. Gregorius XIII

S. Syluerius Pontif. & mart.

Baronius.

Hanc vir Patritius Viliſarius Vrbis amicus
Ob culpæ veniam condidit Eccleſiam:
Hanc idcirco pedem ſacram, qui ponis in ædem,

Vt miseratur eum, sæpe precare Deum.
Ianua hæc est templi Domino defensa potenti.

S. MARIA IN AQVIRO.

S. Maria in Aquiro.

S. Maria in Aquiro prope Circum Flaminium (vbi olim Isidis fanum) vel vt alij malunt, in Equirio, sic dicta est à ludis Equirijs, qui Equorum, & curruum cursu in Campo Martio in honorem Martis à Romulo instituti die 13. Martij exercebantur, & illac transibant; de quibus Ouidius lib. 3. festorum.

Ouidius.

Altera gramineo spectabis Equiria Campo,
Quem Tyberis curuis in latus vrget aquis.

Anastasius Pontifex. Lutius Fanus.

Hoc templum Deiparæ in Equirio ab Anastasio Papa, teste Lutio Fanno lib. 4. cap. 21. fundatum, inter antiquas Cardinalium Diaconias connumeratur. Eidemq; templo attributum est Collegium Orphanorum, quorum domus consilio, & industria B. Ignatij Societatis Iesu Fūdatoris in Vrbe erecta est, teste Petro Ribadeneyra lib. 3. vitæ B. Ignatij cap. 9. ne videlicet parentum præsidio, omniq; humana ope destituti, atque errabundi pueruli in aliquod animæ, corporisue discrimen adducantur.

Ribadeneyra.

S. MARIA SCALA COELI.

S. Maria Scala Cœli templum ad aquas Salvias.

33 S. Maria Scala Cœli ad aquas Saluias tertio ab Vrbe lapide ad collem paruum, vbi est exiguus fons, qui *Gutta iugiter manans* vocatur, prope sanctorum martyrum Vincentij, & Anastasij templum, ac prope tres fontes, vbi sanctus Paulus Apostolus pro Christo capite est cæsus. sub hoc Oratorio Scalæ Cœli, quod figura rotunda curæ Patrum Ordinis Cistercienſis sancti Bernardi est demandatum, corpora sanctorum martyrum Zenonis, ac decem millium ducentorum & trium requiescunt, & per feneſtellam conſpiciuntur, qui ad Thermas Diocletianas extruendas prò fidei confessione, vt supra diximus, damnati erant. *In hac ædicula* (inquit Onuphrius de septem Ecclesijs) *S. Bernardus, dum in Vrbe moraretur, sacra pro defunctis celebrabat. Quibus dum aliquando operaretur in mentis ecstasim raptus, scalam vidisse fertur, qua è Purgatorij igneis pœnis animæ eius suffragijs liberatæ in Cœlum ab Angelis deducebantur. Hinc sacræ illi ædiculæ Scalæ Cœli nomen inditum.* hæc Onuphrius.

S. Zenon cum 1203. sociorum martyrum. Onuphrius.

Visio D. Bern. in templo Scalæ Cœli.

VARIA DEIPARAE TEMPLA IN VRbe peculiari aliqua ratione celebria.

S. Maria Angelorum templum in Pantano.

34 S. Maria Angelorum, vt vocant *in Pantano*, qui quidem locus dicitur etiam Macellum martyrum (vt videre licet in inscriptione ad templi fores posita) propter martyrum stragem illic aliquando editam.

S. Maria Imperatrix.

S. Maria Imperatrix prope Hospitale S. Ioannis Lateranensis. in hac ædicula imago est Deiparæ, quæ S. Gregorium dicitur allocuta.

S. Maria in monte Auentino Onuphrius.

S. Maria in monte Auentino, vbi olim templum Bonę Deæ. hæc Deiparæ Ecclesia, auctore Onuphrio de septem Ecclesijs, quondam recensebatur inter viginti illas Vrbis Abbatias, in qua, inquit idem Onuphrius, est de corpore S. Sabini Episcopi. nunc prioratus est militum Ierosolymitanorum.

S. Maria Purificationis in Exquilijs.

S. Maria Purificationis in Exquilijs, vbi cœnobium est monialium sancti Franciſci anno 1600. fundatum; olim, auctore Onuphrio, vna erat ex viginti illis Abbatijs Vrbis, & dicebatur S. Maria in Monasterio iuxta sanctum Petrum ad Vincula.

S. Maria ad cāpum Martium, templum reliquijs sanctorum mirifice insignitum. Deiparæ imago à S. Luca depicta mirifice ab incendio seruata. S. Quirinus M. S. Greg. Nazia. Gregor XIII.

Sancta Maria ad Campum Martium, qui à Marte, cui olim dicatus erat, nomen duxit. Huic templo cœnobium est adiunctum, monialium Ordinis sancti Benedicti, quę ante 600. annos ex Græcia cum multis Sanctorum reliquijs venientes, quod earum Cameli reliquias deferentes ad hoc Deiparæ templum constitissent, nec progredi possent, hoc in loco sedem posuerunt. inter alia verò, quæ secum attulerant, erat imago Deiparæ à S. Luca depicta, quæ aliquando post trabis proximæ incendium inuenta est ad quendam puteum ab igne intacta, & in aere suspensa. detulerunt etiam corpus S. Quirini martyris, corpus item S. Gregorij Nazianzeni Doctoris præclarissimi, quod in hoc templo, vt est in martyrologio die 11. Iunij diu asseruatum, Gregorius XIII.

Pon-

Pontifex in cappellam à se in basilica sancti Petri magnificentissime exornatam summa celebritate transtulit, ac postridie sub altari digno honore condidit, brachio eiusdem sancti Monialibus relicto.

35 S. Maria in Campo sancto in valle Vaticani, vbi olim erat Hippodromus prope basilicam sancti Petri, hoc templum nomen traxit à terra sancta ex Ierosolymis à S. Helena, seu à varijs peregrinis illuc delata; quare ibi celebre est cœmeterium in sepulturam peregrinorum. ad hoc cœmeterium Leo IV. Templum adiecit Saluatori dicatum, quod postea à Deipara Concepta est appellatum, & Germanorum sodalitati commendatum; ibidem etiam à summo Pontifice duodecim pauperibus cibus subministratur, aliaq; christianæ pietatis munera in pauperes exercentur.

S Maria in Campo sancto in valle Vaticani.

Leo IV. Pont.

S. Maria à Pace. hoc templum antiquitus sancto Andreæ erat dicatum, postea anno 1475. à Sixto Quarto sub nomine Deiparæ à Pace ad pacem populo Christiano Deiparæ ope impetrandam restitutum religiosissimis Canonicis Regularibus S. Saluatoris Lateranensis est assignatum.

S. Maria à Pace Sixtus IV. Pontifex.

S. Maria ad Monticulum, vulgo *in Monticelli* à Paschali II. annum circiter 1120. consecrata, ibiq; in die Natiuitatis Virginis festum solemniter peragitur; in eodem templo corpora S. Nimphæ virginis, & S. Marcelli Episcopi asseruantur.

S. Maria ad Monticulum. S. Nimpha virg. S. Marcellus Episcopus.

S. Maria Lauretana in Vrbe prope columnam Traianam, hæc Deiparæ ædes à celeberrima domo à Lauretana in Piceno, de qua supra egimus, nomen est mutuata.

S. Maria Lauretana.

S. Maria à Quercu in Regione, quam vocant *à Regula*. hæc ædes ab insigni Viterbiensi Deiparæ templo à Quercu miraculis illustri nomen accepit.

Sancta Maria à Quercu.

S. Maria Montis Serrati nationis Aragonicæ à celeberrimo Deiparæ templo in Monteserrato Hispaniæ sic dicta. hoc templum Vrbano VI. Pontifice anno salutis 1381. à fundamentis extructum Purificationi Deiparæ est dicatum; quo in templo, vt est apud Petrum Ribadeneiram in vita B. Ignatij lib. 2. cap. 13. idem B. Ignatius Societatis Iesu Fundator magno cum animarum fructu hispanico sermone aliquando est concionatus.

S. Maria Montis serrati.

Ribadeneira.

S. Maria de Anima nationis Germanicæ. hoc Templum à Germanis inchoatum Adrianus VI. perfecit.

S. Maria de Anima. Adrianus VI.

S. Maria à Constantinopoli nationis Siculorum, eius festum solemne celebratur feria 3. Pentecostes. de hoc plura nos supra, cum de hoc festo ageremus.

S. Maria à Constantinopoli.

S. Maria Purificationis nationis Lotharingiæ in ea Vrbis parte sita, quam vulgo *in Banchi* vocant.

S. Maria Purificationis.

ALIA DEIPARAE TEMPLA IN VRBE miraculis illustria, vel quibus Religiosorum, aut aliquorum christianæ charitatis operum domicilia sunt annexa.

36 S. Maria cognomento à Miraculis prope templum S. Mariæ de Populo ad portam Vrbis Flumentanam, seu Flamminiam. hoc templum extructum est anno 1525. pueri cuiusdam septennis occasione, qui in proximi Tiberis vndis Virginis ope seruatus est. Is cum in flumen casu prolapsus esset, ipsius mater Deiparam, coram eiusdem imagine posita sub quodam prope Tyberim fornice, pro filij incolumitate precata est; & sane precum fructus extitit, nam puer super aquas delatus euasit, lætusq; retulit, se à muliere quadam candenti habitu amicta, super ipsius vlnas sustentatum. eiusmodi templum religiosissimis Fratribus minoribus Conuentualibus, quos Reformatos vocant, est assignatum. Imago verò illa in eodem templo est collocata; vnde postea anno 1598. translata est in templum Hospitalis Incurabilium, quod ab Antonio Cardinali Saluiato magnifice extructum est.

S. Maria à miraculis templum.

Puer in Tyberi. num fluuium delapsus à Deipara seruatur.

S Maria in MONTIBVS Viminalem inter & Exquilinum sita; in hoc templo colitur Deiparæ imago, quæ in fœnili quodã tot, tantisq; miraculis illustrari cœpta est à die 26. mensis Aprilis anni 1580. vt breui pulcherrimum templum eidem Deiparæ sit excitatum, & magno populorum concursu in hunc vsque diem celebretur.

S. Maria in Montibus.

S. Maria à S. Ioannino; hæc enim peruetus ædes S. Io. Baptistę erat dicata, imago verò Deiparæ ibidem posita à die 1. Maij anni 1586. miraculis clarere cœpit; quare fidelium eleemosynis ædes hæc fuit restituta; & nunc populorum concursu celebratur.

S. Maria à sancto Ioannino.

3. Maria Puritatis in Burgo.

S. Maria Puritatis in Burgo, vbi Deiparæ imago miraculis illustris visitur, cuius festus dies est Præsentatio eiusdem Virginis.

S Maria Annũciata prope obeliscũ sancti Machuti. Collegij Romani societatis Iesu à Gregorio XIII. Pontifice extructi.

37 S. Maria Annunciata prope obeliscum S. Machuti, sic dictum à proximo S. Machuti templo. Illic Collegium est Societatis Iesu, quod anno Domini 1551. tenuioribus initijs ortum, & institutum magno Reipublicæ christianæ bono sociorum numero mirifice est auctum; ex eo in omnium nationum prouincias, tametsi remotissimas, in Indiarum Orientalium, & Occidentalium, in Septentrionis, & Europæ Regna idonei vineæ Christi cultores, & operarij se se latissime diffuderunt: quorum fructu postmodum permotus Gregorius XIII. Pontifex Maximus propagandæ fidei, ac pietatis studiosissimus, pro sua in christianam religionem, & Societatem Iesu pietate, Collegium hoc nationum omnium Seminarium à fundamentis extruxit, ac dotauit. in eo à primis ferè grammaticæ rudimentis vniuersæ plane facultates, Medicina dumtaxat, & Iuris prudentia exceptis, traduntur. In hoc Annunciatæ templo in sacello Deiparæ honorifice depositum conditur B. Aloysij Gonsagæ è Societate Iesu corpus. Is nobilissimis ortus natalibus societatem nostram ingressus vitam duxit multis virtutibus claram, quemadmodum cap. 35. diximus, & cum adhuc ætate floreret, magnisq; itineribus ad immortalitatis præmia contenderet, in hoc Collegio die 21. Iunij anno salutis 1592. ætatis verò 26. sanctissime obijt. Eius sanctitatem Deus quàm plurimis miraculis testatam voluit, quemadmodum perspicue apparet ex votiuis apud eius sepulchrum tabellis.

B. Aloysij Gonsagæ è societate Iesu obitus. Cap. 35.

Neque tãtum Deipara eorum est amplexa conatus, qui in hoc Gregoriano Collegio litterarum studijs dant operam; sed eorum etiam, qui proximorum saluti cõcionibus habẽdis, confessionibus audiendis, alijsq; Societatis ministerijs obeundis strenuam operam nauant. Nã in ipso propemodum Societatis exordio in suo templo ad radices Capitolij, quod S. Maria à Strata dicebatur, nostros excepit, vbi fundata est domus professa Romana: sed cum tẽplum illud satis esset angustum Alexander Farnesius Cardin. Pauli III. nepos, aliud magnificentissimum à fundamentis in eodem loco Societati Iesu extruxit. Imago verò Deiparæ, quæ in priori templo erat, in noui tẽpli sacellum ad dexteram altaris summi lapideis columnis, ac picturis egregiè exornatum translata religiosè colitur.

S. Maria à strata. Professorum domus societatis Iesu Romæ ab Alexandro Cardinali Farnesio extructa.

S. Maria à Scala B. M. Teresiæ.

S. Maria à Scala in Regione Transtiberina Religiosissimi Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, quorum Fundatrix fuit Beata Teresia Hispana, de qua plura in tractatu de Virginibus. hoc templum magnifice extructum fuit occasione cuiusdam imaginis Deiparæ, quæ posita sub cuiusdam Domus scalis tot tantisq; miraculis, ac beneficijs clarere cœpit, vt breui temporis spatio piorum hominum eleemosynis hoc templum eidem sit excitatum.

S. Maria à Vallicella.

38 S. Maria à Vallicella in Regione Parionis dicta à situ aliquantulum depresso; vocatur & Ecclesia Noua, quòd de nouo extructa; itẽ Ecclesia à puteo albo, qui ibi erat. Gregorius XIII. Pontifex anno 1575. hoc templum antea exiguum religiosissimis Patribus Congregationis Oratorij, quorum Fundator erat B. Philippus Nerius (de quo plura cap. 35.) attribuit. Ijdem Oratorij Patres in hoc eodem loco tẽplum aliud forma, amplitudine, & ornatu satis conspicuum excitarunt, suoq; exemplo, quotidianis item ad populum sermonibus, & sacramentorum pœnitentiæ, ac sanctissimæ Eucharistiæ sedula administratione quamplurimos ad recte viuendi rationem perduxerunt. In huius templi sacello, quod ad dexteram summi altaris est situm, & lapidibus magni pretij magnificentissime est exornatũ, religiose reconditur B. Philippi Nerij eorũ Fundatoris corpus, qui anno 1595. die 16. Maij in cœlum migrarat. ex hac Congregatione complures tum pietate, tum doctrina præstantes prodiere, cuiusmodi fuere Cæsar Cardinalis Baronius editis ingenij sui, atque eruditionis monumentis toto terrarũ orbe illustrissimus. Franciscus Maria Tarusius Cardinalis omnium virtutum laude cumulatus. Thomas Bozius, qui de signis Ecclesiæ insigne volumen edidit; & alij quamplurimi.

Gregorius XIII Pontifex. B. Philippus Nerius Congregationis Oratorij Fundator.

Cæsar Cardinalis Baronius. Franciscus Maria Tarusius Cardinalis. Thomas Bozius.

S. Maria à Consolatione.

S. Maria Gratiarum.

S. Maria ab Horto.

S. Maria à Consolatione sub rupe Tarpeia, cui tenuiorum, & egenorum hominum Nosocomium adiunctum est.

S. Maria Gratiarum, vbi olim Vestæ erat fanum. hæc tamen Deiparæ Ecclesia proximo eiusdem Deiparæ à Consolatione templo est vnita.

S. Maria ab Horto in Regione Transtiberina. huic templo ad excipiendos, qui

eo

eò conueniunt,diuersarum mechanicarum artium sodales, adiunctum est hospitale.

S.Maria à Pietate ad columnam Antonini,cui ædi annexa est domus, in qua mente capti aluntur,& quoad eius fieri potest,curantur. *S. Maria à Pietate ad columnam Antonini.*

39 S.Maria à charitate ad Campum Martium. hoc templum cum adiuncta domo piorum eleemosynis extruendum curauit Ioannes Leonardus è S. Seuerino Diœcesis Salernitanæ;qui quod litterarum studijs aliquandiu operam dedisset,Litteratus est dictus. Is magno puerorum bono hanc sibi curam propter Christum suscipiendam duxit, vt è qualibet natione pueros, qui veluti errones humana ope destituti per compita vagabantur.conquisitis eleemosynis in hac domo charitatis sub B. Virginis præsidio educaret,& postea adultos,quo vitam honeste sustentare possent, alicui opificio perdiscendo addiceret: tandem sanctitatis opinione præstans ex hac vita migrauit ad Dominum; eius imago ad viuum expressa typis mãdata est Romæ anno 1600. cum huiusmodi præclaro elogio,quod ad verbum sic habet. *Ioannes Leonardus Gerusus à sancta Seuerina vulgo Litteratus, sui neglectu, ac despicientia amentiam simulans cum in collectis à se egentibus, pueris piorum ope alendis, atque per Vrbem circumducendis diu versatus fuisset, domumq; illis continendis,& puellis inopia laborantibus extruxisset, diues charitatis meritis Deo spiritum reddidit Romæ anno salutis humanæ* 1595. 15. *Februarij, sepultus est in Oratorio Mortis ante Aram maximam.* *S. Maria à Charitate ad Campum martium.*

S.Maria à Sanitate supra sanctæ Pudentianæ templum, hęc Ecclesia ad eos, qui ex hospitali apud sanctum Ioannem Calybitam in Insula coualuerunt, propter cœli salubritatem confirmandos extructa est opera Fratrum Ioannis Dei, qui illud sancti Ioannis Calybitę hospitale curant. *S. Maria à Sanitate.*

S.Maria Refugij in Quirinali; hanc ædem cum adiuncta domo, in qua puellæ virgines educantur,Clemens Octauus Pont.annum circiter 1595.fundauit, atque dotauit. *S. Maria Refugij. Clemens VIII. Pont.*

Sunt & alia in Vrbe Templa Deiparæ consecrata, quæ quoniam ad alia recensenda properamus,breuitatis studio consulto prætermittimus.

TEMPLA DEIPARAE NEAPOLI POSITA.

40 SEd iam ab Vrbe ad Orbem digressi nonnulla Deiparæ Templa lustremus, quæ vel populorum religione, vel magnificentia structuræ, vel miraculorum splendore commendantur. Ac primum Italiam percurramus, tum Occidentem reliquum, post Orientem; denique barbaras ingressi nationes,illa etiam Deiparæ Templa commemoremus,quæ vel pium populorum studium,vel Imperatorum munificentia posuit.

Ac in Italia quidem primo loco sese offert Neapolis, quæ & Vrbi proxima, & mihi magis est explorata. Ergo Neapoli, eiusq; in suburbijs Petrus Stephanus, qui anno 1560.de locis sacris Neapolitanæ Ciuitatis insigne volumen edidit,sacras ædes numerat centum nonagintaquatuor, è quibus septuaginta circiter Deiparæ nomen præferebant; quo ex tempore complures alias excitatas,& scimus,& vidimus. nos insigniores aliquot recensebimus initio facto à primis vsque temporibus.Enim verò S.Petrus Apostolorum princeps Romam pergens,cum Neapolim appulisset, & in Candidam viduam honestissimam incidisset,eidem tradidit christianæ fidei doctrinam,quam miraculis etiã confirmauit. nam Aspremum tunc temporis decumbentem misso per Candidam sui ipsius baculo, (qui inter reliquias hodie asseruatur,) sanitati restituit;eumq; ad fidem conuersum baptismo lustrauit, & Episcopum eiusdem Ciuitatis consecrauit. Extat locus vbi S.Petrus Missæ sacrificium obtulit,in quo Templum postea conditum est, quod propterea dicitur *S. Petri ad Aram*; Aspremus verò in suis ædibus oratorium ad christianorum vsum destinauit,ipseq; & Candida ea vitæ sanctitate alijs præluxere, vt inter sanctos connumerentur; ac sancti Aspremi festum die 3. Augusti, sanctę Candidæ die 4. septembris Neapoli celebratur,quemadmodum martyrologium testatur.Hoc autem sancti Aspremi Oratorium solemni ritu,vt mox dicemus,*sanctæ Mariæ à Principio* dicatum est sub Constantino. Etenim magnus Constantinus Romanorum Imperatorum primus Christi fide suscepta, & Idolorum templis deletis lege lata christianis potestatem fecit publicè templa extruendi,eosq; ad sacram ędificationem tum suo edicto,tum

Templa Deiparæ Neapoli. Petrus Stephanus.

S. Candida vidua cum S. Aspremo Episcopo à S. Petro Apostolo in christianæ fidei mysterijs instituti. Infirmus S. Aspremus S Petri baculo sibi misso valetudinem recepit.

Martyrologium Romanum.

Templa quamplurima à Magno Constantino Imperatore, ac

ſancta Helena eius matre extructa.

etiam exemplo eſt cohortatus. Nec Romæ ſolum,vbi baſilicam Lateranenſem, Baſilicas ſanctorum Apoſtolorum Petri,& Pauli, aliasq; magnificentiſſime à ſe extructas, & ampliſſimis muneribus,& imaginibus exornatas à ſancto Silueſtro Papa dedicandas curauit; verum etiam vbiq; terrarum quamplurimas tum ipſe,tum eius mater Helena excitarunt Eccleſias, ad quarum ædificationem ex publico ærario neceſſarios ſumptus à

Euſebius.

Prouinciarum præſidibus ſuppeditari iuſſit Conſtantinus, quemadmodum Euſebius teſtis horum oculatus, lib.2.de vita Conſtantini cap.44. & lib.3.cap.49.

Socrates.

Socrates lib.1.

Sozomenus.

hiſtor.cap.6.& Sozomenus lib.1.cap.8. & lib.2.cap.2. affirmant; vbi nominatim templi Auguſtiſſimi Antiochiæ erecti,& aliorum apud Nicomediam Bithyniæ, ac Bizantium meminere. quo factum eſt,vt complures vrbes traditione à maioribus quaſi per manus accepta aliquorum templorum originem ad Conſtantinum Imperatorem,& ad ſanctam Helenam referant. Hoc autem Neapoli præſertim factum eſſe conſtat, quo Conſtantinus varijs de cauſis ſæpe diuertit ab anno circiter 318. ſiue in Orientem traiecturus ad bellum cum Licinio conficiendum,ad Conſtantinopolim à ſe condendam,ad Nicenum Concilium,cui ipſe interfuit; ſiue ex Oriente in Vrbem reuerſurus. Ergo Imperator ille,

Conſtantinus Neapoli templa Deiparæ excitat,

vt conſtans eſt fama,aliquot Neapoli Templa erexit,ac Deiparæ quidem duo, alterum

S. Maria in Porta Noua.

ſancta Maria in Porta Noua ab vno ex nobilium ſedili ei proximo ſic dictũ,quod prius à Græcis,qui ſuo idiomate ibi aliquandiu diuina officia celebrarunt ab ornamentis appellatũ eſt in Coſmedin. Hæc inter quatuor præcipuas Neapolitanę Vrbis paræcias cõnumeratur; vbi etiam ſub ara maxima in arca marmorea corpus ſancti Staſij confeſſoris

S. Staſius Confeſſor.

reconditur. tandem anno ſalutis 1609.religioſiſſimis Patribus ordinis Clericorum Regularium ſancti Pauli,quos Barnabitas appellant,eſt attributũ, à quibus in proximorum vtilitatem conciones, ſacramenta item pœnitentię,& ſacræ Euchariſtiæ ſtrenue adminiſtrantur. Alterum eſt ſancta Maria Rotunda ad aliud nobilium ſedile,quod *Nidi* vulgo appellant, Templum figura rotundum, quod ob marmorea ethnicæ ſuperſtitionis

S. Maria Rotunda Neapoli.

monumenta,alterum ſcilicet,in quo hoſtię mactabantur earum cruore alicubi infectum, alterum quod vel tripus, vel vas erat, in quo ignis Veſtę cuſtodiebatur, nunc aqua luſtralis ad templi ianuam in eo aſſeruatur, olim Veſtæ delubrum à nonnullis rerum antiquarum peritis exiſtimatur.

S. Mariæ à Prncipio in S. Aſpremi oratorio, ſacellum.

41 Eadem in Vrbe Neapoli in Oratorio illo, quod à ſancto Aſpremo Epiſcopo in ſuis ædibus ad chriſtianorum vſum conſtitutum fuiſſe diximus, ſancta Helena Conſtantini mater ſacellum extruendum,& à ſancto Silueſtro Papa dicandum curauit, cui propterea idem Pontifex ſanctę Mariæ à Principio merito nomen dedit, illicq; Conſtantino

S Silueſter Pontifex.

inſpectante miſſæ ſacrificium ſępe obtulit. Quare Conſtantinus ad maiorem tanti ſacelli venerationem eidem adiecit baſilicam ſanctę Reſtitutę virginis,& martyris,quemadmodum teſtatur Martyrologium Romanum ad diem 17. Maij, quo ipſius ſanctę Reſtitutę ſacrum corpus tranſlatum eſſe,refert Baronius in notis ad martyrologium, vbi etiã

S. Reſtituta virg.& mart.

Martyrologium Romanum.

Baronius.

reconditur corpus ſancti Ioannis Epiſcopi Neapolitani, cuius feſtum in Martyrologio

S. Ioannes Epiſcopus Neapolitanus.

die 22. Iunij aſcribitur.

S. Mariæ à Principio imago deſcribitur.

Nec illud ſilentio prætereundum in fornice primario templi ſanctę Reſtitutę antiquã imaginem Saluatoris in throno ſedentis,& ſeptem Angelorum coram Deo aſtantium conſpici, è quibus quatuor à dextris, tres verò ſunt à ſiniſtris. Et ſanè Deiparæ imago opere muſiuo,quæ in ſacello ſanctę Marię à Principio extat,magnam habet tum ab antiquitate,tum ab arte commendationem: eſt enim ſedens in throno,ingenti ſtatura, ore auguſto, ac pio; fouetq; gremio puerum Ieſum ſiniſtra Crucem præferentem. Porrò opere etiam muſiuo à dextris aſtat S.Ianuarius Martyr Beneuentanus Epiſcopus, præcipuus Neapolitanorum Patronus,à ſiniſtris eadem ſancta Reſtituta, de qua nos in tractatu de Virginibus. Hinc factum eſt,vt ad eiuſmodi ſacellum,eiusq; imaginem ingens fuerit ſemper Neapolitanorum veneratio,ingens ſtudium pietatis. quin etiam in huius rei memoriam die 8. Ianuarij feſtum ſanctæ Marię à Principio in eodem templo ſanctę Reſtitutæ ſolemni ritu celebratur, eodemq; die à forenſibus litibus vacatur. Verum enim verò hoc ſacellum S.Mariæ à Principio poſt mille propemodum annos nimirum anno Chriſti 1322.ſtudio,ac pietate Canonicorum Cathedralis Eccleſiæ,quibus huius ſacelli procuratio vna cum ſanctę Reſtitutæ templo peculiariter eſt demandata, ſuo nitori

cori est restitutum; quemadmodum subiecti versus, quos in eadem imagine legimus, declarant, in quibus ea, quæ de huius sacelli vetustate, ac dedicatione attulimus, continentur.

Lux Deus immensa postquam descendit ad ima,
Annis trecentis completis, atque peractis
Nobilis hoc templum sancta construxit Helena,
Siluestro Graio Papa donante Beato.
Hic bene, quanta datur venia, vix quisque loquatur.
Annis datur clerus iam instaurator Parthenopensis
Mille trecentenis, vndenis bisq; retensis.

Vt mirum non sit, Neapolitanos pietati S. Helenæ de hac Ciuitate propter templa ab ea, eiusq; filio ibi constructa optime meritę hanc inscriptionem in ingenti basi lapidea aliquibus locis posuisse, vt videre est in lapide apud sedile nobilium, quod *Montagne* dicitur; & in alio lapide in Collegio Societatis Iesu ex ruinis vetustissimi templi sanctorũ Ioannis, & Pauli. Inscriptio vtrobiq; eadem ferè est, hic vnam afferam ex lapide, qui est in Collegio, quæ sic habet.

S. Helenæ Constantini Imperatoris Matris monumenta Neap.

Piissimæ, ac Clementissimæ Dominæ Nostræ Augustæ Helenæ Matri Domini Nostri Victoris semper Augusti Constantini, & auiæ Dominorum Nostrorum Cæsarum Beatorum, vxoris Diui Constantij. Ordo Neapolitanus, & Populus.

Cæterum intra templum S. Restitutæ ad dexteram huius sacelli S. Mariæ de Principio sub ara alterius sacelli corpus B. Nicolai Eremitæ reconditum asseruatur. Is cum è Gallia Cisalpina procul à patria, suisq; Neapolim aduenisset; in valle, quæ dicitur sanitatis, ad templum S. Mariæ à Circulo viginti annorum spatio vitam duxit asperrimam, pane dumtaxat, & aqua contentus, quibus cruda interdum addebat olera. Vtq; acrius corpus vexaret, dormiturus innitebatur ligneæ scalæ ad parietem incumbenti, quo vitæ cultu multa dæmonis tentamenta vicit. Sed cum Maria Regina S. Ludouici Tolosani Episcopi mater pio in virum Dei studio famulum ad eum inuisendum quotidie mitteret, famulus aliquando huius laboris pertæsus, per summum scelus virum sanctum interemit die 11. Maij anni 1310. Cuius corpus miraculis clarum à Canonicis solemni pompa elatum, atque in hoc sacellum illatum in sepulchro marmoreo, quod adhuc extat, conditum est.

B. Nicolai Eremitæ vita, & obitus.

ECCLESIA CATHEDRALIS NEAPOLI Deiparæ dicata.

42 SEd iam ad aliquot alia Deiparæ templa consequentibus temporibus Neapoli excitata, quæ vel Sanctorum reliquijs, vel miraculorum splendore sunt conspicua, veniamus.

Virgini Deiparæ Assumptæ templum ipsum Archiepiscopale est dicatum; nam cum Basilica S. Restitutæ, quæ diu Cathedralis Ecclesia fuerat, aucta Vrbe, nec eius amplitudini, nec populi frequentiæ par esset; Carolus Neapolitanorum Rex eius nominis primus templum multo maius S. Restitutæ templo annexum condere cœpit ipso die Assũptæ Virgini sacro anni 1270. auctoq; Canonicorum numero sedi Archiepiscopali datum, ac Deiparæ dicatum est. Id templum cum mense Nouembri 1456. terræmotu cõcidisset, pari pietate, ac munificentia reparatum est à Ferdinãdo primo Rege, & à compluribus nobilibus, qui pro virili suam quisque partem reficiendã suscepere, adiectis familiæ stemmatibus, quæ adhuc cernuntur in parastatis. Est autem id templum compluribus insigne Sanctorum reliquijs; in ara quidem maxima corpore S. Agrippini Episcopi, ac Patroni Neapolitani, & sanctorum martyrum Eutychis, & Acutij sociorum S. Ianuarij. Ad templi dexteram sacellum est, in quo S. Athanasij Episcopi itidem, ac Patroni Neapolitani corpus vna cum S. Laurentij Episcopi pariter Neapolitani corpore reconditur. Ad leuam aliud sacellum visitur, in quo S. Aspremi primi huius Vrbis Episcopi, ac Patroni à S. Petro baptizati corpus asseruatur. sub ara maxima extat elegans sa-

Assumptæ Deiparæ Cathedralis Ecclesiæ Neapolitana à Rege Carolo dicata.

Eadem Ecclesia collapsa à Ferdinando primo Rege instauratur.

Sanctorum corpora quibus eadem Ecclesia insignitur.

cellum

cellum marmoreis columnis ſubnixum,ac marmore pario etiam ſuperne in laqueari cõueſtitum ab Oliuerio Carrafa Cardinali,& præſule Neapolitano conſtructum,ſub cuius ara ab eodem anno 1506. reconditum eſt corpus S.Ianuarij Epiſcopi Beneuẽtani præcipui Neapolitanæ Vrbis patroni è celeberrimo Montis virginis cœnobio vnius fere diei itinere ab Alexandro Carrafa Archiepiſcopo anno 1497.allatum. In eodem inferiori ſacello ab Oliuerio Cardinali repoſitum eſt corpus S.Maximi Leuitæ,& martyris, quod è Cumarum Vrbe anno 1207.Neapolim fuerat tranſlatum.

Sanctorum reliquiæ quæ in Cathedrali Eccleſiæ Neapolitanæ theſauro aſſeruantur.

Porrò opulentiſſimus reliquiarum theſaurus,cuius opibus,ac præſidio multò melius, quam vel argenti, atque auri copia,vel hominum ſolertia hæc vrbs continetur, in alio ſacello cuſtoditur,quod vxor Ducis Albæ huius Regni Proregis in ſuperiori quadam turri ad templi valuas,quæ vulgo Theſaurus appellatur,exornandum curauit. quo in theſauro multæ ſunt Sanctorum reliquiæ, ac præcipue caput ſancti Ianuarij,caput item S.Maximi martyris, & complures aliæ reliquiæ, præſertim verò capita quinque Epiſcoporum,qui itidem ſunt huius Vrbis Patroni, nimirum S.Aſpremi,S.Euphebij,S.Agrippini, S.Athanaſij, & S.Seueri, quæ argenteis incluſa thecis per Vrbem ea ipſa die, qua ſancti Ianuarij ſanguis,vt mox dicemus,circumferuntur. Itemq; duæ vitreæ ampullæ, in quibus ſancti Ianuarij ſanguis concretus aſſeruatur, qui, cum in conſpectu capitis eiuſdem ponitur,admirandum in modum colliquefieri, & ebullire perinde, atque ſi recens effuſus ad hæc vſque tempora cernitur;id quod *Breuiarium Romanum* in die ſancti Ianuarij teſtatur, quin etiam repetito quotannis miraculo die ſabbati ante primam Dominicam Maij celebritate maxima ad populi,atque omnium ordinum,ac gẽtium externarum conſpectum ampullæ illę per Vrbem deferuntur,in quibus coram,ac publice ſpectantibus omnibus ſanguis ille concretus, ac durus, vbi poſt longum ambitum obuiam fit capiti, quod in publico, atque aperto loco ad id ipſum compoſito ante collocatur, ijſdem illis ſpectantibus liqueſcere, feruere,ac prope geſtire ſolet, ſic prorſus, ac ſi illo puncto temporis ſanctiſſimi martyris caput inciſum, & ſanguis ille fuſus eſſet.

Officium Eccleſiaſticum. S.Ianuarij Epiſcopi, & mart. Sanguis iuxta eiuſdem caput appoſitus efferuejcit.

Sed hæc ſcribente me ſacellum aliud è Regione S.Reſtitutæ ſolo templi par,& æquũ multo maius, multoq; magnificentius ſuis Ciuitas impenſis extruit voti damnata, quod pro peſtilentia, quæ anno 1527. fœde graſſabatur, depellenda ſuſcepit, vt in eo theſaurus ille reliquiarum auguſtius collocetur.

S. MARIA MAIOR NEAPOLI.

S.Mariæ Maioris templum à S. Pomponio Epiſcopo Neapolitano extructũ. Martyrologium Romanum.

43 S. Maria Maior. Extruxit id templum Neapoli S. Pomponius Epiſcopus Neapolitanus annum Domini circiter 524.qui obijt 14.Maij,vt habet Martyrologium;in eoq; conditus eſt. In templi abſide hęc verba leguntur:*Baſilicam hanc Pomponius Epiſcopus Neapolitanus famulus Ieſu Chriſti Domini fecit*, poſtea anno 533.Ioannes II. sũmus Pontifex patria Romanus ſancti Pomponij conſanguineus,cum veniſſet Neapolim, Baſilicam hanc conſecrauit,vt in lapide pro templi foribus collocato inciſum legimus. Eſt autem ea baſilica vna ex quatuor præcipuis parochijs, inſigne etiam imagine Deiparæ,vt fama eſt,à S.Luca depictæ,quod noſtra ętate anno ſcilicet 1591.religioſiſſimis Patribus ordinis Clericorum Regularium minorum eſt attributum, & ab ijſdem nitori reſtitutum,vbi in animarum ſalute procuranda egregiam nauant operam. Adhęret huic templo ædicula Deiparæ,ac S.Ioannis Euangeliſtæ,quam ſibi, ſuisq; Ioannes Iouianus Pontanus Poeta,& Orator inſignis extruxit, ac multis,ijsq; præclari ingenij ſui elogijs, ac monumentis exornauit.

Idem templum à Ioanne II. Pont. fice conſecratum. Deiparæ Imago à S. Luca depicta.

S. MARIA A CARMELO.

S. Maria à Carmelo.

S. Maria à Carmelo,cui celebre ſacri Ordinis Carmelitarum cœnobium eſt adiunctũ. In hoc templo pijſſima Deiparæ filium in vlnis fouentis imago,pictura ſane peruetuſta,& opere græcanico, ingenti populorum beneficia poſcentium concurſatione religioſiſſime colitur. ea quamplurimis, idq; potiſſimum ab anno 1500. claret miraculis, quemadmodum votiuæ tabellæ teſtantur. Eodem in templo extat Chriſti Domini pendentis è Cruce ſimulacrum, quod ad declinandum bombardæ ictum illuſtri plane miraculo caput acclinauit,qua de re fuſius cap. 20.

Cap. 20.

S. MA-

S. MARIA AD PEDEM CRYPTAE.

448. S. Maria ad pedem Cryptæ ad plagam maris ſita, miraculis etiam celebris ſacri Ordinis Canonicorum Regularium Lateranenſium; ſic dicta, quod extructa ſit ad initium cryptæ illius famoſiſſimæ factæ à Lucio Lucullo, qui non ſolum, teſte Plutarco, curſus in mari, piſcoſo tranſitu, ædibus ſuis ibidem extructis circumduxit, vt propterea à Tuberone Stoico Togatus Xerſes ſit appellatus; verum etiam, auctore Varrone lib. 3. de re ruſtica propter proximam ſuam villam montem perforauit, quem dicunt Pauſilypum; tametſi Pontanus Cocceio, Blondus ignoto auctori id operis referant; quicquid ſit, de eiuſmodi certe crypta Seneca lib. 7. Epiſt. 58. *Nihil*, inquit, *illo carcere longius, nihil illis faucibus obſcurius.*

S. Mariæ ad pedem cryptæ templo, cur nomen hoc inditum. *Plutarcus.* *Varro.* *Pontanus.* *Blondus.* *Seneca.*

Quæ verò eius templi fuerit ædificandi occaſio, habetur in peruetuſto quidem, ac manuſcripto Codice, qui apud eius templi cœnobitas aſſeruatur; in quo anno 1423. tranſcripta ſunt huius cœnobij bona ex cataſto bonorum omnium Eccleſiarum Neapolitanæ Diœceſis, quod iam pridem anno ſcilicet 1353. Ludouico, & Ioanna regnantibus factum aſſerebatur. Et verò admonitiones Deiparæ tres eius excitandi templi in eo codice leguntur, quas hic eodem ordine referre non pigebit, quo præclariſſimi templi iuſſu Deiparæ erecti origo aperiatur. Vir quidam pius, ac religioſus, qui apud S. Mariam ad Cappellam degebat nomine frater Benedictus, cum ad balnea Puteolana pergeret, die 8. Septembris naſcenti Virgini ſacro ſub auroram imago Dei Genitricis filiũ in gremio fouentis eo in loco, vbi nunc id templum eſt, ei apparuit. Maria quoque de Duracio monialis regio genere apud Cœnobium Caſtri de Ouo die ſabbati ſub auroram item per quietem admonita eſt à Deipara, vt id templum extrueretur. Quidam præterea Eremitæ, qui B. Petrus dicebatur, cum ſuper cryptam eò in loco, qui S. Maria de Itria vocatur, degeret, per quietem ſe ſe Deipara oſtendit, idemq; edixit; quo factum eſt, vt multorum eleemoſynis vndiq; corrogatis excitatum ſit eiuſmodi templum, cui poſtea complures à ſummis Pontificibus indulgentiæ conceſſæ fuere. Quo circa plurimi die præſertim ſabbati Deiparam veneraturi eo confluere ſolent. eius templi mentio fit in tranſlatione ſanctorum martyrum Maximi Leuitæ, & Iulianæ virginis è Cumarum Vrbe euerſa, vnde anno 1207. primum ad hanc Dei Genitricis ædem, ſequenti verò die Neapolim ſunt illata. Eiuſdem quoque templi meminit Petrarcha in Itinerario, teſtaturq; ad illud aſſiduè præternauigantium fieri concurſum; quin etiam illud in more poſitum videmus, vt maiora nauigia, vbi in eius templi conſpectum venerint, bombardarum diſploſione Deiparam ſalutent, ac venerentur. Rex Alphonſus I. ex facultate Nicolai Papæ V. ſuo diplomate hoc templum cum adiuncto cœnobio Canonicis regularibus ſancti Auguſtini Congregationis S. Saluatoris Lateranenſis gubernandum, & colendum anno 1453. attribuit, voluitq; cœnobij bona ab omni vectigalium onere immunia eſſe, atque exempta.

Idem templum Deiparæ iuſſu extructum. *S. Maximus Leuita.* *S. Iuliana virg.* *Franciſcus Petrarcha.* *Alphonſus primus Rex.*

S. MARIA AB AGNONE.

449. S. Maria ab Agnone corrupto vocabulo *ab Anguone*, quod italica terminatione Anguem ingentem ſignificat; & ſane eiuſmodi templum, non vt Pythium quondam Apollinem à Pythone Serpente interempto Poetæ fictis ambagibus dictum fabulabantur, ſed ab ingenti, ac lethifero Angue ope Deiparæ eo in loco verè extincto nomen accepit. quo in loco templum hoc grati animi monumentum à Neapolitanis eidem Deiparæ eſt extructum, eiq; nomen ab accepto beneficio inditum; cui ſanctimonialium cœnobium Ordinis ſancti Baſilij anno Domini 833. eſt adiunctum: quæ poſtea relicto ſuperioribus annis hoc cœnobio, in S. Gaudioſi monaſterium Ordinis S. Benedicti commigrarunt vna cum pulcherrima, ac pijſſima Deiparæ imagine, ad cuius pedes anguis viſitur. ea imago cum ipſo pariete, in quo erat depicta, ex templo S. Mariæ de Agnone in templum S. Gaudioſi eſt tranſlata, vbi nunc aſſeruatur cum ſubiectis in lapide inciſis verſibus, quibus quidem, quæ diximus vniuerſa indicantur.

S. Maria ab Agnone templum ob caſum ibi anguem, extructum.

Anguis erat veteri quondam ſtabulando palude
Inficiens homines, paſcua, & omne pecus.

Ibat

Ibat forte die Saturni nobilis illac
Ara Giſmundus limina ſacra Petri,
Cuius in auxilio Sancti confiſus, & almæ
Chriſtiparæ illæſus transijt ille pius.
Nocte ſequente illam recubans per ſomnia vidit
Natum amplectentem dulciter vſque ſuum,
Dimidiam pedibus lunam, quæ viſa tenere
Ex Sancto tales edidit ore ſonos.
Mortuus eſt Anguis, non peſtifer amplius extat,
Conſtruito hic templum nomine rite meo.
Vir pius exequitur iuſſum, loca condidit, atque
Virginibus ſacris ſtare parata facit.
Queis fuit appoſitus titulus ſic, ſancta MARIA
ANGVONIS cæſo ſumptus ab Angue truci.

Hæc loca ſancta diu ſub Baſilij ordine Græcæ,
Et Longobardæ percoluere ſacræ;
Nunc Italæ, Caſtæ viuunt vexilla ferentes
Diui Baſilij munera grata Deo.
Inde ſub Auguſto medio, cum candida Virgo
Aſſumpta in Cœlum concelebratur ouans,
Ordinis iſtius Sanctorum hac æde diebus
Peccati veniam quiſquis habere poteſt.
Fund. anno Domini DCCCXXXIII. Hactenus ibi.

S. MARIA SICVLA.

S. Maria Sicula templum olim miraculis prætiarum.

S. Maria Sicula. templum eſt antiquum non adeo magnum in vicinia, quam dicunt *Forcellæ* prope S. Agrippini templum à Leone familia Sicula nobili Neapolitano Caroli primi Regis Neapolitani Protonotario anno ſalutis 1275. conditum. Quæ verò in hoc templo colitur Deiparæ imago, ea editis olim miraculis clarebat, vt videre licet in ſubiecta inſcriptione lapidi inſculpta, ac ſupra templi fores poſita, quę eiuſmodi eſt.

Ladislaus Rex, cum morbo ſiaticæ eſſet infectus, conuerſus ad Beatiſſimam Virginem Siculam, liber euaſit. Ioanna ſoror Regis Ladislai qualibet hebdomada in die Sabbati eandem ſumma cum veneratione viſitabat; ab eademq. ſinguli patientes ſani redibant. ſic ibi. Nunc verò templum hoc multiplicatis vndequaque ædificijs à pleriſque ignoratur.

Sed ne in omnibus Deiparæ templis Neapoli extructis ſingillatim recenſendis nimiũ immoremur, omiſſis ex induſtria reliquis, ea tantum breuiſſime perſtringam, quæ vel ad monialium cœnobia, vel ad eas domos, in quibus chriſtianæ pietatis opera in egenos conferuntur, vel ad virorum religioſorum domicilia pertinent. erit hæc neque ab eorundem templorum ſplendore, neque à gloria Deiparæ aliena commemoratio; & intelligent omnes ingentem in hac vrbe tum virorum, tum mulierum multitudinem ſub peculiari Deiparæ patrocinio degere, eiuſdemq; præſidio, quæ ad vitæ cultum ſunt neceſſaria, illis ſuppeditari.

S. MARIA A DONNA ROMATA.

S. Mariæ à Donna Romata templum cœnobium monialium, ac ſanctorum reliquijs præclariſſimum. Martyrologium Romanum

S. Ioannis Baptiſtæ ſanguis

46 PRincipio offert ſe ſe inter monialium templa S. Maria Donna Romata, cui antiquiſſimum monialium Ordinis S. Benedicti cœnobium eſt annexum, illuc ex euerſis Cunis anno ſalutis 1207. magna totius Neapolitanæ vrbis pompa illatum eſt corpus S. Iulianæ virginis, ac martyris præclariſſimæ, de qua nos in tractatu de Virginibus; eius feſtum, vt eſt in martyrologio, recolitur die 16. Februarij. illic reconditur tibia S. Antonij Abbatis toto terrarum orbe clariſſimi, quæ in eius feſto omnibus ſpectanda proponitur: illic etiam aſſeruatur ampulla vitrea, qua S. Io. Baptiſtæ ſanguis continetur,

qui

qui ad eius inuocationem sæpe in missæ sacrificio colliquescere cernitur. At dicet quispiam, qui fieri potuit, vt tibia S. Antonij hic recondatur, cum idem S. Antonius, teste Athanasio in eius vita, sui tumuli locum adeo occultum esse voluerit, vt duobus discipulis, quibus funus suum curandum commisit, seuere edixerit, ne cuiquam illum commostrarent? quare S. Hilarion, auctore sancto Hieronymo in eius vita, cum ad sancti Antonij eremum perueniisset, & sancti viri loca omnia piè perlustrasset, duos è discipulis S. Antonij rogauit, vt illius tumulum sibi indicarent, qui ab eis seorsim est abductus; vtrũ verò illum viderit, ignoratur. Eadem suboriri potest de sancti Ioannis Baptistæ sanguine dubitatio, cum illius corpus ex sacra Euangeliorum historia ab eius discipulis sepulturæ mandatum post annos fere trecentos ab impio Iuliano Apostata fuerit igne combustum, sic, vt eius postea dispersæ reliquiæ noctu à quibusdam monachis ægre colligi potuerint. Atqui de sacro eius sanguine non huius modo cœnobij moniales gloriantur, sed illæ etiam, quæ Neapoli ad sanctum Gregorium Armeniæ Episcopum (vulgo corrupto vocabulo sanctum Ligorium) degunt. & verum esse Præcursoris sanguinem testatur miraculum illud omnibus notissimum, quo die 29. Augusti, cũ eius Decollatio celebratur, inspectante populo colliquescit. Vtrique difficultati vt plene satisfiat, rem omnem paulo altius repetam. Cum huius cœnobij templum peruetus illud quidem, postea à nobili quadam fœmina Andegauensi genere sub Neapolitanis Regibus è Gallorum genere ortis annum Domini circiter 1300. restitutum, & auctum fuerit, facile fieri potuit, vt è Gallia, vbi huiusmodi reliquiæ pie asseruabantur, Neapolim à Gallis, quibus cum eo tempore magna Neapolitanis intercedebat consuetudo, perferrentur. Verùm, quonam pacto in Galliam delatæ sint, est demonstrandum. Et sane corpus sancti Antonij Abbatis, auctore S. Antonino 2. par. histor. tit. 12. cap. 5. §. vlt. imperante Iustiniano apud Aegyptum in Eremo repertum translatum est Alexandriam. Id ipsum testatur Marianus Scotus, quem refert Baronius tom. 7. Annal. ad annum Christi 531. At verò de translatione in Gallias idem S. Antoninus loco citato: *Nunc autem*, inquit, *pro certo est in Abbatia montis maioris prope Arilatem in prouincia Prouinciæ, & Brachium est apud Viennenses, vbi nunc fit concursus populorum*. sic ille. Petrus quoque de Natalibus lib. 5. Catalogi Sanctorum cap. 110. affirmat Iacobum filium sancti Gulielmi Comitis corpus S. Antonij ab Imperatore Constantinopolitano dono acceptum detulisse Viennam. Quod verò spectat ad sanguinem Præcursoris; Gregorius Turonensis auctor grauissimus lib. 1. de gloria martyrum cap. 12. quandam de eo refert historiam scitu non iniucundam, quam hic inserere operæ pretium duxi. cum enim ageret de S. Ioannis Baptistæ martyrio, Tunc temporis, inquit, à Gallijs matrona quædam Ierosolymã abierat pro deuotione tantum, vt Domini, & Saluatoris nostri præsentiam mereretur: audiens autem quod *B.* Ioannes decollaretur, cursu illuc rapido tendit, datisq; muneribus supplicat percussori, vt eam sanguinem defluentem colligere permitteret. Illo autem percutiente, matrona concham argenteam præparat, truncatoq; martyris capite cruorem deuota susceptit. Quem diligenter in ampulla positum, patriam detulit, & apud Vasatensem vrbem ędificata in eius honorem Ecclesia in sancto altari collocauit. hæc Turonensis. Ex quibus satis colligitur quomodo huiusmodi reliquiæ in Galliam translatæ, inde Neapolim deferri, & in templum à Gallis exornatum reponi potuerint.

sæpe colliquescens.

Athanasius.

Hieronymus.

S. Antoninus: S. Antonij Abb. corpus in eremo repertum.

Marianus Scotus

Baronius.

Petrus de Natalibus.

Gregorius Turonensis.

S. Ioannis Baptistæ sanguis, ipso decollationis die à quadam Matrona asseruatum.

S. MARIA REGINA COELI, ET ALIA *Monialium Templa Deiparæ sacra.*

475. Maria Regina Cœli monialium, quæ Ordinem Canonicorum Regularium sancti Augustini profitentur. Hoc templum Deiparæ Assumptæ hac occasione est dicatum. Cum anno 1518. moniales quatuor è cœnobio S. Mariæ de Agnone perfectioris vitæ studio nouum monasterium fundaturæ in quandam se domum recepissent, & Fraciscam Gambacurtam monialem è monasterio Nolano Ordinis Canonicorum Regularium in Abbatissam elegissent, breui temporis interuallo earum numerus excreuit ad quadraginta. postmodum anno 1534. die 14. Augusti eadem Abbatissa diuino, vt rei comprobauit euentus, permota spiritu iussit ea nocte omnes partim in suo, partim in superiori cubiculo pernoctare; cui cum omnes paruissent, eadem nocte ingenti fulgurum, toni-

S. Mariæ Reginæ Cœli templum, in Assumptionis honorem cur dicatum.

tonitruorum, & pluuiæ procella excitata, earum domus anno ſuperiore ab ipſis coempta, in qua iam degebant, vt erat vetuſtiſſima, corruit à fundamentis, duobus tantum cubiculis, vbi ſe moniales continebãt exceptis, quare tanto Deiparæ beneficio, ea ipſa, quæ Virginis Aſſumptæ celebritatem præcurrit nocte, accepto, nouo cœnobio iuxta templum S. Mariæ à Gratia exædificato, Deiparæ Aſſumptæ nobile templum à fundamentis erexerunt.

S. Maria à Donna Regina.

S. Maria à Donna Regina monialium ordinis S. Franciſci, quarum cœnobium extructum eſt à Regina Maria Hũgarica Caroli II. Regis Neapolitani vxore, S. Ludouici Epiſcopi Toloſani ex ordine Minorum matre, quæ ibidem anno 1323. eſt ſepulta.

S. Maria Aluini.

S. Maria Aluini è regione S. Mariæ Nouæ monialium ordinis S. Benedicti. Hoc cœnobium à quibuſdam monialibus Græcis ante ſexcentos circiter annos eſt ædificatum. cum enim in mari ſæua tempeſtate iactarentur, vouerunt ſe, quo incolumes, ac ſaluæ peruenirent, illic cœnobium ſibi extructuras; cum ergo Neapolim appuliſſent, hic cœnobium excitarunt.

S. Maria Sapientia.

48 S. Maria Sapientiæ monialium Ordinis Prædicatorum. Hoc templum exædificauit Oliuerius Cardinalis Carrafa anno ſalutis 1507. vt illic Collegium tenuioribus ſcholaſticis ad ſapientiam addiſcendam fundaret: verum morte præpeditus cum id facere nequiuiſſet, huiuſmodi ibi cœnobium monialibus ſacri Prædicatorum Ordinis extructum eſt, quæ ſingulari pietatis, & regularis diſciplinæ obſeruatione clarent. earum curam gerunt religioſiſſimi Patres Clericorum Regularium, quos Theatinos appellant.

S. Maria à Ieſu.

S. Maria à Ieſu monialium ordinis S. Franciſci. quarum cœnobium à duabus tertiarijs è cœnobio S. Hieronymi propter peſtem, quæ anno 1422. graſſabatur, egreſſis, extrui cęptum: poſtmodum eleemoſynis, ac liberalitate Ioannæ Aragoniæ Ferdinandi Regis Neapolitani vxoris auctum eſt, & amplificatum.

S. Maria à Ieruſalem.

S. Maria à Ieruſalem cœnobium habet adiunctum monialium Capuccinarum ordinis S. Franciſci, anno ſalutis 1533. à religioſiſſima fœmina natione Hiſpana nomine Longa fundatum; quæ cum paralyſi laboraret, præclaro miraculo à B. Virgine in æde Lauretana, auctore Horatio Turſellino lib. 1. hiſtor. Lauret. cap. 10. ſanitati eſt reſtituta: qua de re nos Tract. de Miracul. egimus. mox Neapolim reuerſa ex ſuis facultatibus hoſpitale Incurabilium extruxit, vbi multis annis ægrotis miniſtrauit. Aliquot deinde nobilibus fœminis adnitentibus hoc monaſterium extruxit, ibiq; arctiſſimam Capuccinorum viuendi rationem vna cum iiſdem ſuſcepit. huius cœnobij moniales magnę ſanctitatis opinione apud omnes meritò celebrantur.

Paralyſi laborans mulier in Lauretano templo ſanata. Turſellinus.

S. Maria Conceptionis.

S. Maria Conceptionis, cui cœnobium eſt adiunctum monialium hiſpanæ nationis anno ſalutis 1534. fundatum ſub cura Fratrum minorum de obſeruantia, vtuntur candenti tunica, & ſcapulari, pallio verò cæruleo, & atro velo.

S. Maria à Conſolatione.

S. Maria à Conſolatione cœnobium monialium ordinis S. Franciſci.

DEIPARAE TEMPLA, QVIBVS NOSOCOMIA, ORphanotrophia, & ſimiles pietatis chriſtianæ domus adiunguntur.

Cap. 29.

49 IAm quod ſpectat ad ea Templa Deiparæ in Vrbe Neapoli, quibus domicilia ad pietatis munera exercenda ſunt adiuncta, ea cum copioſe cap. 29. recenſuerim, hic breuiter attingam. tale eſt templum *Annunciatæ* anno 1304. Carolo II. Rege fundatum, à quo innumerabilia egentibus ſubſidia, vt ſupra dixi, conferuntur. hic octingentæ fere mulieres in ſeparata domo aluntur. In huius templi ſacello mirifice exornato, & ad ſacras reliquias cuſtodiendas extructo complures nobiliſſimę aſſeruantur ſacræ reliquiæ, præſertim.

Annunciatæ B. Virginis templum.

Sanctorum reliquiæ in eodem templo aſſeruantur.

Ex ligno Dominicæ Crucis.
Vna ex ſpinis coronæ ſpineæ Chriſti Domini.
Digitus index S. Ioannis *Baptiſtæ*.
Caput S. Barbaræ virginis, & martyris.

Et hæc quidem omnia Ioãna ſecunda Regina Neapolitana huic templo eſt elargita. In hoc item Templo reconduntur.

Duo

Duo ſanctorum Innocentium corpora, alterum ab eadem Ioanna II. alterum ab alio pio viro accepta.

Octo præterea corpora ſanctorum ex Ciuitate Leſina in Apulia in hoc templum anno 1598. tranſlata, quorum nomina hæc ſunt.

Corpora ſanctorum Firmiani, & Primiani fratrum martyrum.

Sancti Tellurij martyris.

Sancti Alexandri martyris.

Sancti Sabini Epiſcopi.

Sancti Eunomij Epiſcopi.

Sancti Paſchaſij Abb. Caſſinenſis.

Sanctę Vrſulæ virginis, & martyris.

S. Maria de Populo ad Noſocomium Incurabilium, vbi exhibentur varia in egrotis charitatis opera. Mulieres item, quas conuertitas vocant, ibidē in ſeparata domo degūt.

S. Maria à Ieſu Redemptionis Captiuorū, quos ab infidelibus perſoluto pretio eripit.

S. Maria Montis Pietatis, vbi gratis pecunia egentibus mutuo datur.

S. Maria montis Miſericordię, vbi ſeptem ipſa miſericordię opera in egenos p̄ſtantur.

S. Maria de Laureto, quæ Orphanos alit candenti habitu amictos.

S. Maria Pietatis, quæ Orphanos item nutrit cæruleis veſtibus indutos.

S. M. à Colūna pauperū Ieſu Chriſti ad pueros vagos, & per vrbē errones educādos.

S. Maria Viſita pauperes ad egenas, ac tenuiores puellas alendas.

S. Maria Conceptionis apud mōtem Caluarium honeſtarum puellarum domicilium.

S. M. à Splendore, vbi puellæ Capuccinorum viuendi rationem amplexę cōmorantur.

S. Maria à Conſtantinopoli anno 1529. extruitur propter depulſam peſtem, quæ ab Auguſto anno 1526. ad initium vſque anni 1529. graſſata erat: nunc domus ibidem ad puellarum educationem eſt inſtituta, quod inſcriptio in interiori pariete ſupra fores in lapide inciſa his verbis indicat: *D. Mariæ Conſtantinopolitanæ Neapolitana Ciuitas Carolo V. imperante ad peſtem auerruncandam ædem vouit, extruxit, dicauit. A vetuſtate ruinoſam Philippo III. regnante, piorum ſtipe collata, addito Virginum Collegio à fundamentis magnificentius excitauit anno* 1612.

S. Maria à Charitate anno 1546. fundatur, in qua complures mulieres degunt.

S. Maria Refugij, vbi plurimæ mulieres nutriuntur.

S. M. Succurſus mulierum, quas vocant Illuminatas virgines, aliaſq; mulieres nutrit.

S. Maria Solitudinis, virgines, quæ filiæ ſunt hiſpanorum educat in Eglæ Regione vulgo *Pizzofalcone*.

S. Maria à Carminello apud viciniam hiſpanorum, mulierum hiſpanorum, quas Conuertitas vocant.

Ad Templa Deiparæ referri poteſt S. Maria Præſentationis, vbi nobiles puellæ virgines proprijs expenſis educantur.

S. Maria item à Carminello in ſedili Capuanæ mulierum natione Italarum, quæ ibi ad tempus aliquod commorantur.

S. Maria de Populo.
S. M. à Ieſu Redempt. Captiu.
S. Maria Montis Pietatis.
S. Maria montis Miſericordiæ.
S. Maria de Laureto.
S. M. Pietatis.
S. M. à Columna
S. Maria Viſita pauperes.
S. Maria Conceptionis apud mōtem Caluariū.
S. Maria à Splēdore.
S. Maria à Conſtantinopoli.
S. Maria à Charitate.
S. Maria Refugij.
S. Maria Succurſus.
S. Maria Solitudinis.
S. Maria à Carminello Hiſpanorum.
S. Maria Præſentationis.
S. Maria à Carminello in ſedili Capuanæ.

DEIPARAE TEMPLA, QVAE AD VIROS RELIGIOSOS PERTINENT.

QVod verò ſpectat ad Religioſorum virorum templa Neapoli Deiparæ inſignita nomine, ea certe numero plurima ſunt: ſinguli enim fere regularium ordines vnū vel plura poſſident domicilia, quorum templa Deiparæ ſunt conſecrata, è quibus in præſentia omiſſis ijs, quorum ſupra meminimus, præcipua quædam recenſebimus.

Religioſorum virorum templa Neapolitana.

S. Maria montis Virginis cœnobitarum eiuſdem Ordinis. Hoc verò templum à Bartholomeo de Capua magno Alteuillæ Comite, vt eſt in inſcriptione ſupra templi fores ante trecentos, & eo amplius annos erectum eſt, atque fundatum.

S. Maria Montis Virginis.

Ordo Prædicatorum quam plurima in hac Vrbe monaſteria numerat, è quibus Deiparæ nomen præferunt.

S. Maria Roſarij, Eccleſia anno 1572. erecta vna cum cœnobio.

S. Maria Roſarij.

S. Maria Sanitatis in ſuburbijs, vbi Deipara plurimis miraculis eſt illuſtris. Id templū dicebatur prius S. Gaudioſi, is Epiſcopus Bitinenſis Eccleſiæ, cum eſſet in Africa, inde

S. M. Sanitatis olim S. Gaudioſi Epiſcopi.

Genſerici Vandalorum Regis Ariani perſecutionem fugiens Neapolim venit, annum Dom.circiter 440. S.Stephani Prothomartyris ſanguinis ampullam ſecum ferens,cum S. Quoduultdeo, & alijs Epiſcopis, vbi multis clarus miraculis in monaſterio ſancto fine quieuit,ex martyrologio die 28.Octobris.Apud hoc templum viſitur etiam peruetuſtum cœmeterium ſubterraneum,vbi tumulus,in quo aliquando iacuit S.Gaudioſi corpus,cum eius inſcriptione opere muſiuo exarata monſtratur.Sed cum id templum vetuſtate deſertum,terra obrutum,ſitu ſqualleret;egeſta terra expurgatum ſacro Ord. Prædicatorum eſt aſſignatum,ac Deiparæ à ſanitate dicatum anno Dom.1577.Dominica 2.Quadragetimę,quo die ſolemni inſtituta ſupplicatione,eo venit Paulus Aretius Cardinalis, & Archiepiſcopus Neapolitanus,vir pietate inſignis ex religioſiſſimo Ordine Clericorum Regularium,quos Theatinos dicunt, obedientia ſummi Pontificis ad Præſulatum euectus. Nunc autem celebre ibi templum cum inſigni cœnobio piorum eleemoſynis eſt erectum.Ea tamen Regio olim Vallis ſanitatis dicebatur, non tam ob Cœli clementiã,quàm ob S.Gaudioſi miracula,quibus multi ſanitatẽ ab eo conſequebantur.

Martyrologium Romanum.

Aliud quoque tẽplum Ordinis Prædicatorum,quod dicitur Ieſus Maria,anno 1581. fundatum eſt.

Ieſus Maria templum.

Minorum Ordo,& ipſe Neapoli multa habet Cœnobia,è quibus ad eos, qui dicuntur de Obſeruantia, ſpectant;

S. Maria Noua.

51 S.Maria Noua templum à Carolo I. Neapolitanorum Rege anno ſal.1268. conditum, & Fratribus minoribus attributum. In cuius templi ſacello ad dexteram aræ maximæ pijſſima Imago Deiparæ cognomento à Gratia colitur,quæ ingenti miraculorum multitudine,ac populorum frequentia celebratur.In altero verò ſacello,& eo quidem peramplo in arca ſuper altare poſita religioſe aſſeruatur corpus B.Iacobi de Marchia Deiparæ ſtudioſiſſimi,cuius beneficio B.Iacobus Laureti ab inſanabili morbo cõualuit, quemadmodum cap.20.diximus.De hoc viro ſanctitate præclaro p.3.chron.Fratrũ minorum lib.6.cap.3.illud memoriæ proditur,quod tanto animarum iuuãdarum zelo flagrarit, vt prædicationis munere ſuſcepto 40. ipſos annos fere quotidie ſit concionatus, ſiue in Vrbibus,ſiue in pagis,ſiue ad alios quacumque ratione ad verbum Dei audiendum congregatos.quòd ſi externi deeſſent auditores,ad ſuos Fratres verba faciebat;& ne cuiquam oneroſus eſſet,panem,cepas, legumina aqua infuſa, quibus veſceretur, ſecum ipſe deferebat.

S. Mariæ à Gratia imago miraculis celeberrima.

Infirmus B. Iacobus de Marchia in Laureta no templo ſanatur.

Eiuſdem iuuandarum animarum zelus.

Chronic. Fratrum Minorum.

S.M. Angelorum in ſuburbio eorundem Fr.Min. de Obſeruantia an.1581.extruitur.

S. Maria Angelorum.

S.M.à Conceptione Patrum Capuccinorũ extra vrbis mœnia an.ſal.1570. excitatur.

S. Maria à Conceptione.

S.Maria à Spiritu ſancto extra vrbem Fratrum Minor. quos Conuentuales appellãt.

S. Maria à Spiritu ſancto.

S.Maria à Veritate in ſuburbio Ordinis Eremitarum S.Auguſtini, quos Diſcalceatos appellant,& aſperrimam viuendi rationem propter Chriſtum ſunt amplexi.

S. Maria à Veritate.

S Maria à Vita in ſuburbio ordinis Carmelitarum,vbi prius templum erat S.Vito ſacrum,hinc à Patribus Carmelitis Dei Genitrici à Vita dicatum.

S. Maria à Vita.

S.Maria mater Dei Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum,quorum Ordo à B.Tereſia inſtitutus,verbo,precibus,& exemplo proximos iuuare ſtudet.

S. Maria Mater Dei.

S.Maria Virginum Ordinis Cruciferorum ab anno 1330.cum antea Noſocomium huic templo eſſet annexum.

S. Maria Virginum.

S.Maria à Stella Ordinis minimorum ſancti Franciſci de Paula.

S. Maria à Stella.

S. Maria ad Cappellam. huius templi cœnobium anno 1134. monachorum ſancti Baſilij,deinde Caſſinenſium,mox Oliuetanorum fuiſſe legitur,in præſentia eſt Canonicorum Regularium ſancti Saluatoris.

S. Maria ad Cappellam.

S. Maria Montis ſerrati Ordinis ſancti Benedicti. hoc templum anno ſalutis 1506. Neapoli extrui cœptum eſt,& à celeberrimo illo templo Hiſpaniæ,cuius Congregationi eſt vnitum,mutuatum eſt nomen.

S. Maria Montis ſerrati.

S. Maria Partus Virginis in Mergillina ad Pauſilypi montis radices Ordini Seruitarum ab anno 1524.attributum. Hoc templum anno 1510. à Iacobo Sannazario Poeta in primis nobili conditum,atque dicatum fuit Partui Virginis, cuius eximias laudes cecinit egregio quidem,ac viginti annorum lima perpolito poemate. eius corpus eodem in templo marmoreo tumulo conditum iacet.

S. Maria parens Virginis templum à Iacobo Sannazario Poeta.

S. Ma-

S.Maria ab omni bono in cliuo montis,quem dicunt S.Martini, ordinis Seruitarum. *S. Maria ab omni bono.*

S.Maria à Gratia celebre templum annum circiter 1490.erectum, mox anno 1500. ordini Eremitarum S.Hieronymi Congregationis B.Petri de Pisa attributum. *S. Maria à Gratia.*

S.Maria Angelorum in Egla magnificum,& insigne templum à religiosissimis Clericis Regularibus,quos Theatinos vocant,nuper extructum. *S. Maria Angelorum.*

TEMPLA DOMICILIORVM SOCIETATIS Iesu Neapoli Deiparæ erecta.

52 Laudam vniuersam hanc de templis Deiparæ Neapoli erectis narrationem ijs, quæ nostra Societas Iesu in hac ipsa Vrbe habet.Quatuor omninò sunt Neapoli nostræ Religionis Domicilia,eaq; omnia Deiparæ templis insignia.

Tyrocynium in ea Vrbis Regione,quam Eglam,vulgo *Echia* vocât anno 1587.fundatum,in quo Nouitij,qui Societati nomina dedere,educantur. Cuius templum B.Virgini Annunciatæ est sacrum. *Annunciatæ Virginis templum Eglæ.*

Collegium,in quo omnes,quæ ad Theologum pertinent disciplinę traduntur,nostrorum in hac Vrbe domiciliorum primum extitit,quippe cuius initia anno 1552. posita sunt,missis à B.Ignatio Societatis parente ex Vrbe Roma Patribus:eius postea templum à Societate nostra excitatum prope sedile Nidi anno 1557. Iesu est,ac Matri dicatum, vt lapis pro templi foribus testatur.

Professorum verò Domus Neapoli duæ numerantur.

Altera in foro, ac maiore Emporio erecta est ad vetus sacellum Virgini Carmelitanæ sacrum, quod vulgo imminuto à Carmelo nomine *Carminellum* dicitur; vbi anno 1611.non minori populi,ac vicinorum ciuium studio, quam eorundem vtilitate à Patribus Societatis nostræ consueta Domus Professorum munia exerceri cœpta sunt. ad huius Domus templum Pater Claudius Aquauiua Præpositus Generalis Societatis Iesu anno 1613.quatuor Sanctorum corpora ex Cœmeterio Priscillæ via Salaria desumpta religiosè asseruanda transmisit;S.nimirum Victorini martyris,S.Eugeniæ virginis,& martyris,duorumq; eiusdem S.Eugeniæ sociorum martyrum. *Templum Professæ domus Societatis Iesu, Deiparæ dicatum.*

Altera,quæ multo ante,anno scilicet 1579. prope templum sancti Blasij constituta, cum ad obeunda Societatis munera minus commoda videretur, in Palatium quoddam aperto, celebriq; loco positum omnibus ad adeundum percommodum magnificè extructum, ac piorum eleemosynis coemptum,anno salutis 1584. translata est. Eius porrò palatij extrinseca facies à fronte,ac lateribus quadrato lapide cuspidatim adamantis instar exciso,& in quincuncem dispositò,opere magnifico ac regio extructa, templi etiã faciem mirificè æmulatur;quam intra faciem diruto, quod claudebatur,ædificio laxissimum, quod nunc cernitur conditum est templum Crucis ad exemplar quadratæ camerarum,quatuor ingentibus pilis,seu parastatis innixum, quarum singulis quaterni ducti fornices templum efficiunt, triplici testudine, seu tribus, vt vocant,nauibus distinctum, sic explicatum,atque oculis peruium, vt tanta amplitudo prospicienti fere pateat integra.Excitari cœptum est anno 1584. die 15. Decembris ipsa Conceptæ Virginis octaua,eidemq; Deiparæ Conceptæ dicatum est. Ac prius à Lelio Brancatio Archiepiscopo Tarentino solemnibus ceremonijs iactus est lapis huiusmodi cum inscriptione. *Virginis Conceptæ Templo extruendo Societas Iesu Professa deiecit* 18. *Calendas Ianuarij* 1584. Ei celebritati astabat Dux Osunnæ Regni Prorex cum coniuge, frequentiq; procerum, ac nobilium corona, ipso etiam tum viuente, ac spectante Alphonso Salmerone, qui vnus fuit è primis nouem *B.* Ignatij in nostra Religione fundanda socijs. Tertio ac trigesimo anno posteaquam Neapolim Societas Iesu aduenerat; septemdecim verò annorum spatio ad hanc,quam videmus formam redactum est. nam cum nocte, quæ calendas Ianuarias anni 1596. est subsequuta, contignatio, tectumq; sub quo Ara maxima,dum perficeretur opus,erat excitata, miserandum in modum conflagrasset; tum verò maiore omnium studio, ac pietate opus vrgeri cœptum, spe & opinione omnium citius huc processit, vt non nisi ornamenta, ac Tholus, seu cupula desiderentur. Quare anno 1601. in honorem Virginis Conceptæ solemni ritu est consecratum *Eiusdem aliud templum, in Conceptionis Deiparæ honorem dicatum.*

Consecratio eiusdem templi describitur.

ab Alfonso Cardinali Gesualdo, qui in arcula reliquiarum, quæ in maiori altari, quod vna cum templo ipse consecrauit, de more est recondita, testatum reliquit his ipsis verbis: *Anno Domini 1601. Dominica prima ipsius Octobris, quæ hoc anno in septimum eius mensis diem incidit, Ego Alfonsus Episcopus Ostiensis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Gesualdus, sacri Collegij Decanus, Archiepiscopus Neapolitanus consecraui Ecclesiam, & altare hoc in honorem Dei, & Glorioſissimi nominis IESV, & Beatissimæ semper Virginis MARIAE sub inuocatione immaculatæ CONCEPTIONIS eiusdem, & in eo inclusi reliquias, &c.* Additq; singillatim reliquiarum, quas ibi reposuit, nomina, & centum dierum Indulgentiam Ecclesiam hanc visitantibus in anniuersario cõsecrationis eiusdem concessit. Eãdemq; die tria alia Altaria in sacellis eiusdem Templi, à tribus alijs Episcopis, reconditis, in singulis Sanctorum reliquijs, consecrata sunt. Altare quidem sacelli ad leuam Aræ maximæ ab Andrea de Franchis Archiepiscopo Tranensi in honorem Dei, Deiparæ, & sanctorum septem Angelorum ante Deum astãtium. Alterum proximi sacelli à Fabio Maranta Episcopo Caluensi ad memoriam Annunciationis Deiparæ, & omnium Sanctorum Martyrum. Tertium verò, quod est in sacello à Ferdinando Fornario exornato, à Paulo de Curtis Episcopo Aesernien si ad memoriam Natiuitatis Dominicæ, & omnium sanctorum Confessorum consecrata sunt.

Reliquiæ, quibus idem templum insignitur.

Ad hoc quoque templum spectant aliæ nobilissimæ reliquiæ, quæ hoc tempore in sacrario reposita sunt: earundem complures argenteis thecis inclusæ solemnibus diebus in ara maxima populo adorandæ exponuntur; præcipuæ autem hæ sunt.

De ligno crucis Dominicæ.

Truncus ex corona Domini spinea, ex quo duæ spinæ prodeunt, à Philippo Cardinali Spinello ex Germania anno 1603. acceptus; ab eodemq; huic templo attributus.

Corpora sanctorum Seruandi, & Vitalis martyrum ex cœmeterio Priscillæ via Salaria à P. Claudio Aquauiua Societatis Iesu huc transmissa.

Corpora item S. Leonis Presbyteri, & martyris, & S. Eugenię virginis, & martyris, ex cœmeterio S. Sebastiani huc delata.

Caput S. Cornelij Papæ, & martyris ex cœmeterio S. Sebastiani anno 1589. à P. Claudio Aquauiua missum.

Pars capitis S. Euphebij Episcopi, & Confessoris.

Quatuor item capita sanctarum vndecim millium virginum, & martyrum.

Maxilla S. Lucæ Euangelistæ cum aliquot dentibus.

Brachia S. Andreæ Apostoli, S. Laurentij martyris, sanctarum Barbaræ, ac Dorotheæ virginum, & martyrum.

Duæ tybiæ SS. martyrum Thebeorum è socijs S. Mauritij, Tybia S. Euthimij mart.

Ex reliquijs præterea sancti Stephani Prothomartyris, sanctorum Innocentium, sancti Ianuarij Episcopi, & martyris præcipui Patroni Neapolitani, sancti Abdon, & Sennen, SS. Aniceti, & Antheri Pontificum, & martyrum, SS. Demitrij, & Felicis martyrum.

S. Rochi confessoris, & aliorum Sanctorum.

Os præterea *B.* Ignatij Societatis Iesu Fundatoris in argenteo simulacro inclusum.

Ex reliquijs præterea *B.* Staniſlai Kostchæ, & B. Aloysij Consagæ è Societate Iesu.

TEMPLA DEIPARAE IN RELIQVA ITALIA.

Deiparæ templa in Italia.

53 QVod vero spectat ad reliqua in Italia Deiparæ templa, illud in vniuersum de Italia, sicut & de reliquis, in quibus fides catholica viget, Europæ Regionibus dici potest; singulas Vrbes, singula Oppida, singulos fere Pagos non vno, sed pluribus Deiparæ templis, quorum pleraq; miraculis etiam sunt illustria, mirifice floret. quod non vulgare est diuinæ in eas regiones beneuolentiæ, ac misericordiæ argumentum. Nos igitur reliquis (ne plus æquo opus excrescat) ex industria prætermissis, aliquot tantum ex ijs, quæ vel magis explorata sunt nobis, vel peregrinorum concursu celebrantur, nullo antiquitatis, celebritatisue seruato ordine strictim recensebimus.

S. Ma-

S. Maria ab Arcu Nobile in Nolana Diœceſi templum Ordini Prædicatorum attributum, ſex ab Vrbe Neapoli milliaribus diſſitum: eius clariſſima quidem miraculis initia, & incrementa in cap. 20. huius operis plenius deſcripſimus. *S. Maria ab Arcu prope Nolam*

Nolæ, ſecundo ab ea lapide, S. Maria à Pariete, cum inſigni Canonicorum Regularium Lateranenſium cœnobio. eius templi initia, inſcriptio ſupra templi fores indicat his verbis: *Deo Optimo Maximo, Deiparæq; Virgini, cuius hæc olim imago ſub terram ſepta vepribus, Autilia Scala diuino monitu indicante, eruta miraculis late claruit, & à Pariete, in quo picta eſt, nomen habuit, anno ab eiuſdem Virginis partu* 1514. *vndecima die menſis Aprilis.* hæc ibi. *S. Maria à Pariete Nola.*

S. Maria Montis Virginis ſupra Oppidum Mercuriale, vulgo *Mercogliano* in edito monte Beneuentum inter & Nolam ſito, vbi celeberrima hæc Deiparæ ædes à S. Gulielmo Vercellenſi extructa eſt cum Cœnobio Ordinis à ſe inſtituti; cui ab hoc eodem loco Montis virginis nomen eſt inditum. De eiuſmodi Templo, ac Cœnobio ad calcem tractatus de miraculis Deiparæ aliqua fuſius commemorauimus. *S. Mariæ montis Virginis ſuper oppidum Mercuriale. S. Gulielmus Vercellenſis.*

Eiuſmodi non pauca Deiparæ erecta templa veræ pietatis monumenta, ac miraculorum officinas reperiemus intra Neapolitani Regni fines in ſubiectis præſertim Vrbibus. *Tractatus de Miraculis Deiparæ.*

Andriæ in Appulia Deiparæ templum, quod propter miraculorum frequẽtiam à miraculis dicitur, ſacro Ordini S. Benedicti Congregationis Caſſinenſis attributum. *S. Maria miraculorũ Andriæ.*

54 S. Maria, quam dicunt in finibus terræ, quod eiuſmodi templum in extrema Italiæ ora, quæ ad Salentinos ſpectat, cõditum ſit. Ac magna apud eos populos concurſatione colitur die illa, qua eius feſtum celebratur. *S. Maria à finibus terræ in Salentinis.*

Hydrunti in Salentinis Cathedralis Virgini Annunciatæ dicata, in qua reconduntur reliquiæ octingentorum, & eo amplius martyrum, qui pro Chriſti fide à Turcis in eius Vrbis expugnatione anno ſalutis 1480. per ſummam crudelitatem ſunt interempti, quemadmodum teſtantur ij, qui eius temporis hiſtorias litteris prodidere. *Annũciatæ Virginis templum Hydrunti in Salentinis.*

Caruſini, quod Oppidum eſt etiam in Salentinis, nobile Deiparæ templum extructum viſitur, miraculorum multitudine illuſtre. *Aliud Deiparæ templum in Salentinis.*

S. Maria ab Armis apud Brutios in Calabria, templum eſt populorum concurſatione, & miraculis præſtans. *S. Maria ab Armis apud Brutios.*

Viterbij S. Maria à Quercu, templum eſt miraculis præclariſſimum ſacro Ordini Prædicatorum aſſignatum. *S. Maria à Quercu Viterbij.*

Apud Septempedanos in Picentibus vulgo S. Seuerini, qui (vt eſt in martyrologio die 8. Iunij) fuit eorum Epiſcopus, Deiparæ templum extat miraculis in primis nobile. *Deiparæ templũ in Picentibus. Martyrologium Romanum.*

Florentiæ Cathedrale templum ſtructura, & amplitudine magnificentiſſimum Deiparæ eſt conſecratum. *Aliud Florentiæ.*

Eadem in Vrbe B. Mariæ Annunciatæ templum populorum frequentia, & miraculis in primis clarum ſacro Seruitarum Ordini eſt aſſignatum. illic Deiparæ Annunciatæ imago coloribus à Pictore exprimi cœpta eſt, Angelica verò manu eiuſdem Virginis vultus delineatus exiſtimatur. *Aliud B. Virg. Annunciata ibidem.*

Senenſis Ciuitas, (quæ ob inſignem in Deiparam pietatem Vrbs Virginis eſt appellata.) Cathedralem eidem Deiparæ Eccleſiam ſtructura plane inſigni excitauit: in eius Eccleſiæ pauimento, tum veteris, tum noui teſtamenti hiſtoriæ, admirabili opere teſſellato marmorum diuerſi coloris viſuntur. *Cathedralis Eccleſia Senenſis Deiparæ dicata.*

Eadem in Vrbe nobiliſſimum templum B. Virgini, quam dicunt *à Prouenzano* propter miracula propemodum innumerabilia perenni fere & Ciuium, & aduenarum concurſu celebratur, quod erigi cœptum eſt anno 1594. paucis annis ad culmen vſque eſt perductum. *Aliud ibidem celeberrimum B. Virgin. templum.*

Bononiæ in proximo colle templum Deiparæ erectum eſt, in quo ſacra eius imago totius Vrbis veneratione colitur.

Chioze templum Virginis miraculis illuſtre extat, cuius meminit Caniſius lib. quinto cap. 24.

Mediolani Cathedralis Eccleſia, quæ eleganti forma, admirabili arte, immenſa magnitudine magnopere præcellit, à Martino Quinto, cum è Conſtanſienſi Concilio rediret, Deiparæ eſt conſecrata. *Cathedralis Eccleſia Mediolanenſis Deiparæ conſecrata. Martinus V. Pontifex.*

Aliud B Virg. templum ibidem miraculis præclarum.

Mediolani quoque templum Virginis, quod dicitur ad ſanctum Celſum, miraculis clarum populi frequentia celebratur.

Simulacrũ Deiparæ miraculis celeberrimũ Foroliuij in Aemilia.

Foroliuij in Aemilia, apud Collegij Societatis Ieſu templum, ſuper aram maximam collocatum aſſeruatur, celebre in ea Regione, Deiparæ filium in gremio fouentis ſimulacrum è ligno, cubitali fere magnitudine, in cuius tergo aliquantulum excauato, non exigua pars veſtis eiuſdem Deiparæ incluſa reconditur. Ea imago eleganti ſpecie intuentes ad pietatem excitat, quæ ſexcentos ante annos Brunſuichi in Germania vetuſtis eſt nobilitata miraculis: cum enim in Silua primum à nobili quodam Equite feras agitante, in trunco arboris peruetuſto reperta domum ſuam delata eſſet, poſtridie in eodem arboris trunco inuenitur, quod ſemel atque iterum factum eſt. quare ab eodem Equite tum ſuis, tum aliorum ſumptibus inibi opulentum virginum cœnobium exædificatum eſt, vna cum templo, in quo hæc imago religioſe eſt repoſita. Verum lutherana

Idem B. Virg. ſimulacrum, à domo cuiuſdam Equitis diuinitus recedit.

graſſante hæreſi, cum non eo quo par erat honore haberetur, Foroliuium auctoritate Coniugis Erici Ducis *Brunſuicenſis* in templum noſtri Collegij tranſlata, magna confluentium populorum veneratione colitur, vbi etiam plurimis coruſcat miraculis.

Apud montem Regalem vulgo *Mondouì* in Allobrogibus Deiparæ templum extat miraculis tota ea Regione celebre.

TEMPLA DEIPARAE IN SICILIA, & in nonnullis circa Italiam Inſulis.

Deiparæ templa in Sicilia alijsq. Inſulis.

55 IN Sicilia maxima mediterranei maris Inſula, plurima ſunt varijs in Vrbibus Deiparę templa inſigni ſtructura, aut miraculis illuſtria, de quibus Thomas Faſelus in ſua de rebus Siculis hiſtoria. & vt omittam religioſiſſimum Ordinem minorum, quos de Obſeruantia appellant, qui ſuis omnibus templis, ac cœnobijs S. Mariæ à Ieſu nomen indiderunt, Vrbs Meſſana, quæ Epiſtolam à Deipara in terris adhuc agente accepiſſe ſe gloriatur, inter alia eiuſdem Virginis templa cathedralem Aſſumptæ Virgini inſigni magnificentia extructam habet; eiusq; feſtum die 15. Auguſti, ſolemni Deiparæ ſimulacri per Vrbem pompa, ingenti tum ciuium, tum finitimorum populorum celebritate recolere conſueuit.

Thomas Faſel.

Templa omnia Fratrum Minorum de Obſeru. B. Virg. dicata.

Epiſtola Deiparæ ad Vrbem Meſſanam.

Vrbis eiuſdem Cathedralis Deiparæ dicata.

Panhormus præter alia multa Virginis templa, de quibus idem Thomas Faſelus libr. 8. de rebus Siculis, cathedralem inſigni, & admirabili opere anno ſalutis 1181. Gulielmo II. Siciliæ Rege extructam habet.

Panhormitana Cathedralis B. Virg. dicata.

Gulielmus II. Rex Siciliæ.

Mons Regalis Vrbs quarto ferme à Panhormo lapide, Archiepiſcopatu opulentiſſimis reditibus inſigni decoratur; in ea templum nobili in primis ſtructura, & albo marmore porphyrite, ac lacedemonio ad admirationem ornatum, Gulielmus Siciliæ Rex cognomento Bonus Deiparæ condidit.

Templum Deiparæ in Vrbe Montis Regalis ſtructura pulcherrimum

Agringentum in colle Vulcanio (à Priſcis propter Vulcani delubrum ſic dicto.) nunc templum habet, cui S. Mariæ à Monte Serrato nomen eſt inditum, apud Thomam Faſelum lib. 6. cap. 1.

S. Maria à Monteſerrato Agrigenti.

Drepanum ad radices Erycij montis propter Veneris olim delubrum Poetis non ignoti, nunc templo inſignitur religioſiſſimo Deiparæ Annunciatæ ſacro, quod peregrinorum è diuerſis Orbis terræ partibus confluentium concurſatione celebre Patribus Carmelitis eſt attributum.

Annũciatæ Virginis templum Drepani.

Templa B. Virginis Melitæ.

Melita Inſula Equitum Ieroſolymitanorum ſancti Pauli Apoſtoli tum naufragio, tum commoratione clara, complura habet Deiparæ templa, inter quę vnum eſt extra vrbẽ, cui nomen à Gratia. Alterum verò cognomento de Meleca, quodam in colle populorum veneratione inſigne.

Deiparæ templa in Lopaduſa.

56 Lopaduſa Inſula vulgo Lampadoſa inter Siciliam & Libyam, cuius meminit Strabo lib. vlt. nunc omnino deſerta, Deiparæ tamen templum habet ipſis etiam Barbaris, ne dum fidelibus venerabile. ſi quis enim è prętereuntibus pecuniam in templum nullo cuſtodiente oblatam furto ſurripere audeat, ferunt illico procellam in mari excitari, ac proinde ex Inſula exitum intercludi, quoad eam ſuo loco repoſuerit.

Strabo.

Raptores bonorum eiuſdem tẽpli aſſiduis maris procellis in Inſula detinentur.

Tremitana Inſula in mari Adriatico, ſiue vt ait Plinius lib. 3. cap. 26. in Ionio dicta

ſic

fic eſt à trium montium aſpectu,in quos vere ne,an fabuloſe diſſiluiſſe fertur. Sane tres nunc Inſulæ ſunt tribus diſtinctę montibus.dicebatur olim ex Plinio Inſula Diomedęa, quæ teſte Auguſtino lib.18. de Ciuitate cap.16. non longe eſt à monte Gargano in Apulia, illasq; alites habet frequentes, quas Iuba Cataractas, nunc Artenas dicunt Anatum magnitudine paulo grandiore, Fulicarum ſimiles, in quas ſocios Diomedis Aetholiæ Regis in bello Troiano celebres conuerſos fabulati ſunt Poetæ, ex Plinio lib. 10. cap. 44. & ex Auguſtino. Cum igitur hæc Inſula, vt eſt apud Plinium loco citato, Diomedis delubro, atque tumulo (quorum adhuc extant veſtigia) olim Ethnicis conſpicua,poſtea verò omnino vaſta,ac deſerta eſſet; vir quidam pius, ac rerum diuinarum contemplationi deditus,illic ſolitariam vitam ducens, aliquando inter orandum ſenſibus excedens,Dei Genitricis admonitu ſemel atque iterum iuſſus eſt certum locum effodere ; theſaurumq; inuentum conſtruendo ei templo impendere . ab eo igitur ex inuenta pecunia in Diomedæi delubri ruinis celeberrimum Deiparæ templum inædificatum eſt,in quo vetus quidem,& pijſſimum eiuſdem Virginis repoſitum eſt ſimulacrum, quod miraculorum multitudine,ac magnitudine claret;cœnobiumq; illi eſt adſtructum in arcis munitiſſimæ formam ad pyratas arcendos, aliorumq; facinoroſorum hominum incurſiones prohibendas.quod quidem cœnobium anno Domini 1060 auctore Leone Oſtienſi in chronica Caſſinenſi incolebant cœnobitæ Ordinis S.Benedicti:poſtea,auctore Benedicto Cochorella Canonico Regulari in ſua deſcriptione Inſulę Tremitanæ,attributum eſt Ciſtercienſibus, quibus à Dalmatis prædonibus per ſummum ſcelus contrucidatis,ac monaſterio direpto, tandem anno 1412. à Gregorio XII. Canonicis Regularibus S.Saluatoris Lateranenſibus eſt aſſignatum.

Maria Virgin. templum in Tremitana Inſulæ, eiuſdem iuſſu, ac ope extructũ. Plinius Auguſtinus. Plinius.

Chronica Caſſinenſis. Benedictus Cochorella.

Gregorius XII.

DEIPARAE TEMPLA IN HISPANIA.

57 HIſpania catholicæ Religionis ſtudioſiſſima quamplurima Deiparæ Templa præclariſſima,& miraculis celebrata habet.eorum multitudinem quiuis ex vno Aragonię Regno facile conijcere poterit. Enim verò Iacobus I. Aragonum Rex cognomẽto Expugnator, quemadmodum cap. 29. ex Hieronymo Blanca in Commentarijs rerum Aragonenſium ad annum 1285. diximus, tribus Regnis è Saracenorum manibus ereptis in Aragonia ad duo millia templa extruenda,ac Deiparæ dicanda curauit.Nos in præſentia aliquot ex præcipuis totius Hiſpaniæ afferemus.

Templa Deiparæ 2000. à Iacobo I. Aragonum Rege extructa. Hieronymus Blanca.

MONTIS SERRATI TEMPLVM DEIparæ ſacrum,& eiuſdem templi fundatio.

IN citeriore Hiſpania milliaribus circiter triginta diſſitus Barcinone Vrbe celebri mons eſt, vndiq; præruptus, ac maxime editus, aſper, ac ſterilis ad aſpectum, florum tamen varietate.ac fructuum ſuauitate præditus, vertices habet multiplices,& diuerſas in partes quaſi ſerra diſſectos; ex quo factum eſt, vt vulgari nomine dicatur *Mons ſerratus*. olim profano falſorum Deorum cultui dicatus, nunc Virgini Deiparæ ſacer ob vetuſtiſſimum eius ſimulacrum in abditiſſimo Antro diuinitus adinuentum. in medio eius montis cliuo ſitum eſt Deiparæ templum,quod ad Lauretanum omnium celeberrimum proxime accedere videtur, ſiue miraculorum multitudinem, ſiue peregrinorum concurſationem,ſiue miniſtrorum templi cultum ſpectare velimus. Templo verò adſitum eſt Monaſterium in primis celebre. Huius templi ædificandi occaſionem (vt antiquiſſima, quæ ſunt in monaſterio litterarum monumenta teſtantur) præbuit peruetus quidem, & illuſtre miraculum. Enimuero cum noſtræ ſalutis anno 888. Guifrapeli filia (is erat Barcinonis Comes,generis nobilitate, ſed multo magis in Deum pietate,ac bono exemplo inclytus) miſerandum in modum à dæmone occuparetur,ac ſolemnes exorciſmi nequicquam adhiberentur ; præmonuit dęmon ſe nullatenus abſceſſurum, niſi obſeſſa Virgo ducatur in Montem ſerratum à Ioanne Garino liberanda. Is ſolitariam per idem tempus vitam agebat in eius montis ſpelunca, quę etiam nunc ab eo nomen habet,ac prope monaſterium eſt ſita procul ab hominum frequentia, vbi

Mons Serratus vnde dictus.

Templi Deiparæ Montis ſerrati origo.

quiete

quiete ſolitudinis,atque animi tranquillitate fruebatur.quocirca Guifrapelus,ſeu quod idem eſt Guifredus cognomento Piloſus ; ne quid intentatum pro cariſſimæ filiæ incolumitate relinqueret,vna cum eadem contendit ad montem: ſolitarium hominem conuenit,de re tota docet. Ille puellæ ærumnas miſeratus,profuſis lacrymis Deum pro ea ſuppliciter,atque ardenter inuocat,ac illico immundum ſpiritum ab ea exigit. Guifrapelus rei euentu lætus,memor tamen eius, quod callidus hoſtis minatus erat;ſe redituru̇m in corpus niſi puella iam libera cum Ioanne Garino in ſolitudine commoraretur dies omninò nouem; orare hominem cœpit, vt filiam in ſuam ſpecum dies nimirum nouem reciperet, ac contineret. id ille grauiter accipiens,primo conſtanter abnuit; ad extremum tamen inuitus Comitis precibus exorari ſe paſſus eſt. Comes interim Moniſtroli (nomen eſt pagi adſiti ad Montis ſerrati radices) commoratur: inde cibum per famulas filiæ tranſmittebat,quoad dicta dies efflueret. Ioānes verò Garinus puellę monita ſalutis dabat, & ad ſtudium virtutis incendebat. ea familiaritas fecit, vt arriperet occaſionem diabolus ſolicitandæ hominis animæ,deq; ſuo ſtatu deijciendæ;nam libidinis facibus vehementer ſancti viri animum quaſi machinis oppugnare incœpit. Per eos fere dies Dæmon Eremitæ ſpecie ſumpta, in altera eiuſdem montis ſpelunca degere cęperat, (quæ etiam nunc Satanæ ſpelunca appellatur) cum eo , quem Ioannes Garinus Eremitam exiſtimabat,ſuas contulit cogitationes,ab eoq; conſilium , num puellam deſerere deberet petit. At veterator ille ſubſiſtere ſuadebat, ne ignauiæ locum daret. Ioannes tamen per Comitis ſeruos eum orabat,filiam vt reuocaret ſuam ; ſed fruſtra: timebat enim Comes,ne ſi ante nonum diem puella recederet, dæmon iterum eam occuparet. Tandem Ioannes tentatione victus vitium per vim puellæ intulit,& iam maximo pudore perfuſus falſo illi Eremitæ flagitium ſuum aperuit,à quo conſilium de interficienda puella,ne res euulgaretur, retulit. quare in ſpeluncam reuerſus dormientem puellam cultro iugulat,eoq; condit in loco;vbi conditum deinde eſt templum cum monaſterio. Guifrapelo verò de filia quærenti reſpondit ille,eam conceſſiſſe rus quoddam, nec quicquam aliud de ea ſe noſſe. hic parens viciniam illam omnem ſtudioſe luſtrare: cumq; puella nuſquam appareret,domum repetijt mœrens. Inter hæc Ioannes Garinus admiſſi ſceleris conſcientia diſcruciabatur. quare ad ſummum Pontificem Romam cōtendit , eiq; conſcientiam atrociſſimorum ſcelerum omnem per confeſſionem aperit; eiusq; conſilio,atque auctoritate in eadem illa,vbi Deum offenderat,vaſtitate montis , ac ſolitudine à ſemet ipſe peccatorum ſuorum pœnas voluntaria corporis afflictatione repoſcere decreuit. Montis ſerrati latebras ſeceſſumq; repetit,atque ibi manibus,pedibusq; quadrupedum more repere verius,quam incedere cœpit: nec vnquam oculos attollere audebat in cœlum,cuius opificem,& conditorem tanta criminum indignitate nuper irritauerat. itaq; capillis,barba, & totius corporis pilis ſubcreſcentibus , videbatur homo ſilueſtris . Cum verò venatores quidam ex aula Comitis Guifrapeli eum conſpicerent forma, inceſſuq; feræ non abſimilem; atque ſilueſtrem hominem rati iniecto in collum funę nihil obnitentem,aut metuētem ducunt ad Comitem, qui domi eum ſuæ alebat,innutriebatq; panis fragmine ad vitam ſuſtentandam ei proiecto.

Dæmonis illuſio ad ſcelera perpetranda.

Imago Beatiſſima Virginis Montis Serrati, cœleſtibus editis ſignis reperta.

58 Per idem fere tempus paſtoribus ex Miriſtrolo pago ſeptem pueris ſua in Monteſerrato pecora ſimul paſcentibus,ſinguli ſabbati diebus ſub noctem intendentibus ſe tenebris , viſa ſubita de cœlo effundi flammarum lumina inſolitis fulgoribus coruſcantia,quæ certæ montis ſpeluncæ incumberent , ac deinde ex eadem ſpelunca audiebantur quaſi chori modulatè , ac ſuauiter concinentium . id pueri ſuis quiſque parentibus narrant. hi verò rem exploratam Miniſtroli parocho, ſeu Rectori exponunt. Rector pro officij ſui ratione acceptam rem tradit Epiſcopo , qui tunc temporis Manreſę morabatur. confeſtim ille magno cum comitatu ſabbati die adit Montem ſerratum nouem fere millibus paſſuum Manreſa diſtantem.ſub veſperum haurit ſuis & oculis lumina,& auribus ſymphoniæ cantum. Ergo admirabundus iubet inſequenti die Dominico locum, vbi viſio apparuerat perquiri: tandem quamuis ægrè propter montis aſperitatem intra cauernulam,vnde odor quoque ſuauiſſimus afflabatur,eminentem , ac ſolidam Deiparæ effigiem reperiunt ; à quo verò eiuſmodi Deiparæ ſimulacrum eo in loco collocatum fuerit ignorarur. quidam tamen exiſtimant ab aliquo viro Sancto, eo tempore ,

quo

quo Mauri Hiſpaniam occuparunt, ibi eſſe repoſitum, ſtatim atque effoſſum Virginis ſimulacrum agnoſcit Epiſcopus, lætitia perfuſus eſt ingenti, ſupplicationem cum cereis facibus edicit, virgineã ſtatuam in Miniſtrolum, proximum pagum, aſportaturus. verum poſtquam in id loci peruentum, vbi hodie viſitur Deiparæ templum, qui ſtatuam portabant homines, ex eo loco dimouere neutiquam valuerunt: vnde Epiſcopus intellexit diuinam eſſe voluntatem, ne illinc demigraret. Quare aſtantis Epiſcopi iuſſu illico excitatur ſacellum, ac magnifice inſtructa exornatur Ara; in ea Simulacrum reponitur relicto ad cuſtodiam Miniſtroli Rectore viro probitatis expertæ, ac ſingularis in Virginem pietatis. Extemplo peregrinorum concurſus varijs ex partibus cum ingenti animarum, & corporum vtilitate fieri cęptus eſt. Statim verò ac ſacra Virginis ſtatua reperta eſt, factum eſt, vt cum Ioannes Garinus funę ad collum vinctus apud Guifrapelum Comitem viueret reptanti ferę ſimilis, & in ſalutaris pœnitentiæ ſtudio ſeptem iam annos exegiſſet; Infans trium menſium Comitis filius coram eodem Comite clara, contentaq́; voce, vt ab omnibus exaudiretur: *Erige te*, inquit, *frater Ioannes Garine, nam Deus remiſit tibi peccatum tuum*. Tunc ille cœleſti quaſi nuncio admonitus afflictum erexit corpus, Deoq́; gratias egit: exin ad pedes Comitis proiectus ſuum flagitium, & immane contrucidatæ puellæ facinus aperuit; veniamq́; ab eo petijt, ſeq́; pro admiſſo ſcelere pœnam omnem ſubiturum pollicetur. At Comes admiratione plenus reſpondit ſe ei, cui Deus ignouerat, omnem in ſe admiſſi ſceleris culpam remittere; & vt religioſum habitum indueret, depoſita ſpecie illa ſilueſtri iubet. voluit tamen indicari ſibi locum, vbi extinctam filiam condidiſſet, quo honeſtiori eam ſepultura tumularet. Igitur Comes cum Garino magno ſepti comitatu ad locum iter arripiunt; cumq́; ad ſacellum illud Deiparæ peruenirent: primo ante eiuſdem ſimulacrum recens repertum procumbentes in genua preces, aliquandiu effuderunt: deinde iuſſit Garinus certos quoſdam amoueri lapides, quibus ſepoſitis non tantum viua, ſed etiã valens, atque integra apparuit puella, niſi quod in gutture ſignum quoddam inſtar fili purpurei, vbi vulnus acceperat, conſpiciebatur. rei miraculo obſtupefactus Comes, atque ingenti geſtiens gaudio, filiam percontatur de caſu, ſucceſſuq́; vniuerſo: at illa ſe ante illatam necem Virgini Deiparæ additiſſimam fuiſſe, cuius precibus vitæ erat reſtituta: & quoniam parens domum tentabat adducere, vt eam matrimonio collocaret, negauit præciſe puella ab eo Deiparæ Virginis ſacello ſe receſſuram, vbi perpetuo eiuſdem obſequio addicta permanere volebat. Morem geſſit roganti filiæ Comes, ibiq́; cœnobium ædificauit Virginum ſub S. Benedicti diſciplina, ac legibus. in illud rediuiua filia Abbatiſſa admiſſæ ſunt multæ, eæq́; perilluſtres puellæ; quarum ſuſcepta eſt procuratio à Ioanne Garino, ac Miniſtroli Rectore: quorum vterque in eadem ſolitudine vitam ſanctè, ac religioſè traduxit. Elapſis iam annis centum cum & pietas in religioſiſſimam ædem vſque adeo creſceret in dies, vt vis hominum ad Deiparæ ſimulacrum aduentantium eſſet continenter magna; minimè verò deceret religioſam vitam profeſſas virgines tam frequens habere cum peregrina gente commercium; Borellus Barcinonis Comes Moniales illas omnes ſummi Pontificis auctoritate tranſtulit intra Barcinonem ad ſancti Petri Monaſterium: in Monte verò ſerrato cœnobitas ex eiuſdem ſancti Benedicti familia poſuit. deinde anno 1498. Ferdinandus, & Iſabella catholici Reges in idem Monaſterium eiuſdem ſancti Benedicti ſeuerioris diſciplinæ Monachos inuexerunt, primo omnium Abbate Garſia de Ciſneros, qui ſanctimoniæ laude præcellens Monaſterium prudenter, ac religioſè rexit. Extra verò Monaſterij clauſtra in vaſtis, deſertisq́; montis ſpeluncis degebant Eremitæ, quorum viuendi ratio, ac tenor veterum Aegypti Monachorum vitam refert; præclariſſimo deinde templo extructo, Deiparæ ſtatua ſublimis ſita eſt in maximo templi ſacello; ante eam lampadas ex argento quinquaginta pendent, & vſque collucent, quas dono dederunt varij diuerſis temporibus Pontifices, Reges, Imperatores: ardent certis diebus cerei complures immenſi propemodum ponderis. Templo eſt ſupellex ſacra in primis luculenta cum opulento cultu margaritarum, & vnionum, monumentum piæ munificentiæ virorum Principum, ac dynaſtarum. Sanctorum reliquiæ complures ibi piè aſſeruantur miraculorum innumerabilium, quæ idoneis teſtibus ſunt probata, ingens extat liber, in quo quamplurimi ægroti recenſentur curati, energume-

Pœnitentiam agens Garinus ab infante puerulo de ſceleris venia diuinitus monetur.

Interfecta puella B. Virginis deuota, per eandem poſt ſeptem annos ad vitam reuocatur.

Templi Montis Serrati cultus, ac magnificentia.

Ferdinandus Rex.

Garſia de Ciſneros Abb.

ni

ni liberati, captiui ab infidelium ſeruitute exempti, mortui ad vitam reuocati, quorum votiuæ tabellæ, vel cereæ, aut ligneæ ſtatuę eorundem beneficiorum indices in templo, & cœnobij clauſtro dependent. Quare ſacroſanctum templi limen intrantes illico emolliuntur, & quaſi adiectis pectori facibus, ad ſtudium pietatis accenduntur.

Alfonſus Villegas.

Et hæc quidem omnia, quæ de templo Montis ſerrati diximus ex Alfonſo Villegas 2. p. eius operis, qui Flos ſanctorum dicitur, vbi de B. Virgine cap. 23. deſumpta ſunt, & ex vulgari idiomate tranſlata: eam verò hiſtoriam ex vetuſtiſſimis, quæ in Monaſterio aſſeruantur litterarum documentis ſe accepiſſe teſtatur: cui aſtipulantur non modo ſpelunca Ioannis Garini, & alia Satanæ ſub falſa Eremitæ ſpecie ſe oſtendentis, quæ adhuc in Monte ſerrato peregrinis oſtenduntur, in quibus lapideis imaginibus hæc expreſſa cernuntur; verum etiam vetuſtiſſima traditio, & innumerabilia, quæ in eo templo miracula produntur, hoc ipſum ſatis confirmant. Hactenus ex Villega. Et ſane, vt eſt in eius templi hiſtoria, miracula octoginta duo ſupra trecenta Deiparæ à Monte ſerrato edita numerantur. Hoc etiam in templo, quemadmodum cap. 35. diximus, *B.* P. Ignatius Societatis Ieſu Fundator anno ſalutis 1521. confeſſione generali peracta coram Virginis ſimulacro, depoſita ſeculari militia ſub tanto Virginis præſidio Chriſti militiæ nomen dedit.

B. Ignatius Loyola Societatis Ieſu Fundator.

Ad extremum nec illud prætereundum tantam eſſe fidelium pietatem erga Deiparæ à Monte ſerrato templum, vt Romæ, & Neapoli ſub hoc nomine templa conſtructa cernantur.

Simile exemplum de Iacobo Eremita. Martyrologium Romanum.

Illud minime reticendum. his, quæ de Ioanne Garino conſcripſimus, aliquo modo ſimile eſſe id, quod Iacobo Eremitæ (cuius feſtum die 28. Ianuarij in martyrologio adnotatur) euenisſe, memoriæ proditum eſt. Is enim cum vitæ ſanctitate fulgeret puellam, à qua dæmonem exegerat, & apud ſe biduum retinere à parentibus rogatus erat, violauit; violatam interfecit, & in flumen proiecit. ſed eius flagitij ſeueriſſima pœnitentia intra ſepulchrum quoddam decennij ſpatio peracta, veniam à Deo conſecutus, miraculis clarus migrauit ad Dominum. Eius res geſtas ex Metaphraſte recitat Surius to. 1. & nos in Tractatu de Virginibus ſect. 2. vbi de mulierum conſortio cauendo agemus.

Tractatus de Virginibus.

S. MARIA DE GVADALVPE.

Imago B. Virginis de Guadalupe eiuſdem iuſſu, miraculo confirmato, inuenta.

59 IN eadem Hiſpania, Oppido Guadalupe (quod latine flumen luporum, ſeu aquas lupias ſonat) Templum Deiparæ eſt præclariſſimum, ac miraculorum multitudine, ac peregrinorum frequentia maxime illuſtre, quemadmodum ex votiuis tabellis, ac donarijs perſpicuè apparet. Eius templi extruendi ea fuit occaſio; S. Gregorius ad Leandrum Hiſpalenſem Epiſcopum, cui inſcripſit librum Moralia in Iob, dono miſit Deiparę imaginem, quæ in magna apud Hiſpalenſes veneratione habebatur. Verum Mauris Hiſpaniam irrumpentibus, eam vna cum corpore S. Fulgentij Aſtigitani Epiſcopi fratre S. Leandri, quodam in antro abſcondito poſuerunt, ibiq; ſcriptum quodam, quo hæc continebantur, reliquerunt. Hæc porrò Deiparæ Imago ibi tandiu permanſit (permanſit autem ad annos ſexcentos) dum B. Virgo bubulco cuidam apparuit, eumq; rei totius admonuit; ac ne quid deeſſet ad fidem, addidit & ſignum in rei comprobationem, fore nimirum, vt quem vita defunctum erat inuenturus, à mortuis infans eius filius reſurgeret. Ergo cum ex dicto Virginis omnia ſucceſſiſſent; is euocatis vna ſecum ex eodem Oppido ſocijs, Deiparæ ſculptilem ex ligno imaginem, quantitate non adeò magnam, quæ tamen intuentes ad pietatem excitabat, effodit; eodemq; in loco S. Fulgentij corpus eſt repertum. Aedicula ad Imaginis honorem pro loci oportunitate ædificata, quæ præcipua totius Hiſpaniæ Religione colitur. mox Alfonſus Rex huius nominis IX. templum extruxit, dote auxit, clericosq; conſtituit, qui diuinum officium rite perſoluerent. tandem Ioannes I. Caſtellæ Rex religioſiſſimo Ordini S. Hieronymi procurandum dedit.

Corpus S. Fulgentij Aſtigitani Epiſcopi.

Alfonſus Rex.

Ioannes I. Caſtellæ Rex.

S. MARIA DE RVPE GALLICA IN HISPANIA.

Imago S. Mariæ de Rupe Gallica eiuſdem motu reperta.

60 IN quodam Hiſpanię monte editiſſimo Rupes Gallica dicto, hiſpani ſuo idiomate *la Pigna di Francia* vocant, qui ſitus eſt in Salmaticenſis Diœceſis confinio, tem-

plum

plum extat nuncupatum S.Maria de Rupe Gallica,in eo miraculorum fama celebris colitur Imago Deiparæ;cuius quidem inuentio,ac diuina miracula impressa,collectaq; leguntur ex vetustissimis eiusdem monasterij manuscriptis. Nos eius templi primordia breuiter perstringamus. Cum Parisijs in Gallia Simon Robanus vulgo dictus Simon Vela,parentibus iam vita defunctis, ac patrimonio in pauperes, & in Ecclesias distributo,annum agens quadragesimum primum,in monasterio tertij ordinis sancti Francisci, nullo religionis habitu susceptо,aliquandiu vixisset;semel, atque iterum per quietem diuinitus est admonitus, vt in Gallica Rupe versus Occidentem, Deiparæ imaginem studiose perquireret. qua in Gallijs toto nequicquam quæsita quinquennio,in Hispaniam ad sancti Iacobi in Compostella profectus, & Salmanticæ aliquandiu commoratus,Deiparam Virginem impensius orabat,atque obtestabatur,vt sibi Rupem Gallicam, vbi tandem locorum esset,certo aliquo indicio declararet. Haud ita multo post carbonarij cuiusdam indicio,atque aliorum responsa secutus, cum ad eam Rupem, syluamq; peruenisset lætabundus post preces illic enixe effusas, per somnium oblata est ei Deiparæ species, filium gestantis in vlnis, ac multo lumine circumfusæ. quæ iussit suam ex eo loco effossam imaginem in summo montis apice collocari,ac ibidem templum erigi. *Simon Robanus seu Vela.*

Itaq; anno nostræ salutis 1434.ætatis suæ 49.die 19.Maij feria 4 quorundam ope adiutus,imaginem effodit; effossam in tuguriolum quoddam ex lignis raptim, ac subito excitatum intulit,reposuitq;.Verum tot,tamq; diuina miracula illic edi continuo cepta sunt,vt tribus dumtaxat exactis mensibus in ædiculam iuxta Deiparæ præscriptum in editissimo montis fastigio extructam,imago sit collocata:& tandem miraculis quotidie magis increbrescentibus,ei templum constructum est, & à Ioanne II. Castellæ Rege, Ordini Prædicatorum attributum. Simon verò anno ætatis suæ 53. ad præmia, vt par est credere,immortalitatis admissus,sepultus est in maximo sacello prope altare,vbi reposita est sanctissima Deiparæ imago. *Ioannes II. Castellæ Rex.*

TEMPLVM CATHEDRALE ECCLESIAE TOLETANAE
dicatum Deiparæ,cuius pijssima Imago ibidem religiosissime colitur.

61 TOletanum cathedrale templum Deiparæ consecratum toti Hispaniæ est clarissimum; in eius verò sacrario (is est locus asseruandis sacrosanctis reliquijs destinatus) supra secundam eius loci ianuam, Deiparæ simulacrum ex ligno lamina argentea conuestito, sedet in throno, eleganti venustate,ac grauitate perquam similis vultui, quem habuisse Deipara scribitur ab Epiphanio Presbytero Constantinopolitano apud Nicephorum lib.2.histor. cap. 23. cuius verba cap.5. cum ageremus de Deiparæ pulchritudine, attulimus. Puer verò Iesus matri simillimus. eiusmodi simulacrum,S. Ildefonsi ætate,erat Aræ maximæ superpositum. etenim die 18.Octobris Deipara innumerabili propemodum Angelorum,ac Virginum stipata comitatu,magnoq; splendore circumfusa,in hoc templum Toleti cathedrale descendit,& in cathedra consedit,ex qua verba ad populum facere consueuerat S.Ildefonsus, eiq; vestem ad sacrificandum donauit,qucmadmodum cap.35.diximus. Verùm cum vellet abscedere,suum hoc simulacrum in Ara maxima positum, arctius est complexa; Ex illo ingens populi in sanctissimam effigiem est excitata pietas. Verùm cum Mauri Hispania potiti essent, illud christiani in puteo quodam sub Ara maxima furtim absconderunt:postmodū exactis Mauris,atque in christianorum ditionem templo redacto,diuina luce, quæ & hora, qua in officio diuino LAVDES concinuntur, eo in loco mirificè radiabat; Archiepiscopus, & clerus admoniti, tandem ieiunijs, ac precibus intellexere, eam ibi imaginem fuisse reconditam,atque eam esse horam,qua Deipara olim in hoc templum descenderat, in cuius memoriam Angeli ad Imaginem illam tunc temporis concinebant. Igitur Imaginem sacram palam extractam,tandem in eo,quem diximus loco collocarunt; quæ plurimis miraculis coruscat. Hinc in templum, quasi Deiparæ præsentia illustratum, & ad hanc Deiparæ imaginem eiusdem contactu consecratam, peregrini diuina beneficia petituri plurimi accurrunt. in illo Reges sepulturæ sibi locum elegerunt; in illo militaria vexilla Regibus in bellum contra Mauros profecturis benedici consueuerunt: & quam- *Templum Cathedrale Toletanum Deiparæ dicatum.* *Nicephorus.* *B. Virgo S. Ildefonso apparens suum complectẽdo simulacrum consecrat.* *Simulacrum Deiparæ cœlesti lumine diuinitus patefactum.*

quamuis primo Hiſpaniam occupantes Mauri, in eo Templo Mahometi ſuperſtitionem exercuerint; mox tamen deiectis illis, chriſtiano ritu Deo, ac Deiparæ de nouo conſecratum eſt, inſtituta, poſtridie feſti S. Ildefonſi, nimirum die 24. Ianuarij, ſolemnitate, quam feſtum Deſcenſionis B. Virginis, vel feſtum B. Virginis de Pace appellant, ex Mariana lib. 8. de rebus hiſpan. cap. 17. & ex Ribadeneyra de vitis Sanctorum die 24. Ianuarij.

Mariana.

Ribadeneyra

Alfonſus Villegas.

Hæc omnia ex Garzia de Aloyſa Toletani Templi Canonico apud Alfonſum Villegas par. 2. de vitis Sanctorum in B. Virgine cap. 23.

ALIQVOT ALIA TEMPLA IN HISPANIA.

Liberat Deipara Cæſarauguſtanam Vrbem à Mauris expugnatam.

62 CAeſarauguſtæ præter Templum B. Virginis de Pilari à S. Iacobo Apoſtolo Deiparæ adhuc in terris agenti excitatum, de quo in cap. 29. diximus; extat & aliud eiuſdem Deiparæ templum, quod vocant de Portillo, multis clarum miraculis. eius ędificandi occaſionem recenſet Hieronymus Blanca in Commentario rerum Aragonenſium ad annum 1134. his verbis: Scio in eiuſdem Eccleſiæ tabulis contineri, ſcilicet Mauris Cæſarauguſtam Vrbem, quam noſtri iam obtinuerant, noctu clam inuadere contendentibus, quadamq; muri parte ab eis conquaſſata, & diruta; ſanctiſſimam Dei Genitricem Mariam cœleſti Angelorum agmine coaceruato, ipſis Infidelibus reſtitiſſe, ac, ne vrbis ſibi cariſſimæ potirentur, illius ſe præbuiſſe propugnatricem, ac murum. Propterea noſtros mœnium reparandorum negligentiores redditos, firmam, ac ſaluam vrbem ipſam ſtatuentes, quæ eiuſdem Virginis patrocinio muniretur; in ipſius verò muri direptionis loco, quo cœleſte ſignum apparuerat, ſacrum ibi templum conſtruxiſſe tantæ rei conſecratum, quod nomine inde ſumpto ſub B. Mariæ del Portillo memoria celebre, noſtra hac ætate inuiſitur. Alia etiam ſacra delubra in eorundem mœnium continuatione ædificaſſe, eidem ſanctiſſimæ Virgini dicata, nempe vt tota vrbe ipſius templis circumdata, & quaſi circumſcripta celebre tantæ rei, ac perpetuum ſignum extaret. hactenus Blanca. Quin etiam Adrianus Pontifex in quodam ſuo diplomate, eandem vrbem Cæſarauguſtam, aliquando à Mauris occupatam, Imaginis Deiparæ eiuſdem templi de Portillo liberatam fuiſſe, teſtatur his verbis: *Olim cum Chriſtifideles Ciuitatem Cæſarauguſtanam contra Mauros Infideles, Catholicæ fidei hoſtes, qui tunc dictam Ciuitatem occupabant, expugnarent: quædam Imago eiuſdem B. Mariæ miraculoſe in Eccleſia ipſius B. Mariæ de Portillo Cæſarauguſtanenſibus eiſdem Chriſti fidelibus, dum bellum aduerſus eoſdem Infideles gererent, apparuit. cuius viſionis fauore, & auxilio præfati fideles victoriam aduerſus eoſdem infideles conſecuti fuerunt. Ex tunc omnipotens Deus meritis, & interceſſione eiuſdem Virginis Mariæ crebra miracula in eadem Eccleſia operari in dies dignatus eſt.* hactenus in diplomate Adriani.

Hieronymus Blanca.

Adrianus Pontifex.

Templa Deiparæ Cueti.

Oueti in Aſturibus Alfonſus II. Rex cognomento Caſtus, anno Domini 803. Deiparæ templum poſuit marmoreis columnis inſigne auro, argentoq; varie exornatum.

Oueti quoque ſecundo ab vrbe lapide, in latere Naurentij Montis, Ramrus Rex anno 846. aliam ædem ex belli manubijs Deiparæ ædificauit ſtructuræ genere, & totius operis maieſtate in paucis elegantiſſimum auctore Mariana lib. 7. de reb. hiſpan. cap. 13.

Mariana.

Imago B. Virginis à Mercede cœleſtibus prodigijs reperta.

Eiuſdem Deiparæ templum à Iacobo Aragonum Rege extructum.

63 S. Mariæ de Mercede Templum inter Saguntum, ac Valentiam pari fere interuallo, ſexto nimirum ab vtraque vrbe milliario, cum adiuncto cœnobio ex eiuſdem nominis ordine, extruxit Iacobus cognomento Expugnator Aragonum Rex. Enimuero indicio cœleſtium luminum in eum locum delabentium, effoſſa terra templum magnum, ſed terra obrutum inuentum eſt, tum magno quodã tintinnabulo; ſub quo reperta eſt marmorea tabula altitudine duorum cubitorum, in qua inſculpta erat Deiparæ imago vlnis filium geſtantis. creditum eſt ibi olim templum Deiparæ fuiſſe, ſed irrumpentibus Mauris in templo diruto delituiſſe imaginem annis quingentis decem ab Iacobi tempore, qui imaginem, in nouo ſupra vetus erecto templo, ad altare maius reponẽdum curauit, vbi & miraculis claret, & magna vrbis totiusq; Valentini Regni veneratione colitur. hęc ex Bernardino Gomes Seguntino lib. 10. de rebus geſtis Iacobi Aragoniæ Regis eius fere verbis.

Bernardinus Gomes.

Hiſpali

Hiſpali in Bætica Cathedrale templum Deiparæ eſt dedicatum, de quo Paulus Merula par. 2. Coſmograph. lib. 2. ſcribit, eo templo chriſtianum orbem nullum habere excellentius, ſi quis operis amplitudinem ſpectet, & maieſtatem; cui aſtipulatur Mariana lib. 13. de reb. hiſp. cap. 7. Addit verò Paulus templo huic Turrim adſitam eſſe ſummæ altitudinis, vnde in campos circumiacentes latiſſime eſt proſpectus; intus verò cochleam, perquam Eques commode aſcendere poteſt. *Eccleſia Deiparæ Cathedralis Hiſpali. Paulus Merula. Mariana.*

Hiſpali item extra Vrbem via, qua Toletum eſt iter, aliud Deiparæ templum viſitur miraculis nobiliſſimum, omnibus vicinis populis ob antiquam Deiparæ imaginem in primis venerabile. *Aliud Deiparæ templum ibidē.*

Legione in Caſtella, Ordonius Rex anno 918. Mauris bello deuictis, B. Virginis Baſilicam poſuit, ex Ioanne Mariana lib. 7. de rebus hiſpan. cap. vlt. vbi Rex de manu Legionenſis Epiſcopi Regni coronam capiti ſuo imponendam curauit. *Aliud Legione in Caſtella.*

Murſiæ Alfonſus Caſtellæ Rex cognomento Aſtrologus, qui annum Domini circiter 1250. regnabat, ea Vrbe à Mauris recepta Deiparæ templum ædificauit. *Aliud Murſiæ.*

64 Oliſippone in Luſitania in ipſo Portus aditu, Emmanuel III. Luſitaniæ Rex ædiculam ab Henrico Principe in Deiparæ honorem extructam, miram in amplitudinem auxit in vſum claſſiariorum in Indiam proficiſcentium; eius procuratione Cœnobitis ex familia S. Hieronymi attributa, quemadmodum cap. 35. ex Maffeo lib. 2. hiſtor. Indicæ diximus. *Aliud Oliſippone. Maffeus.*

Ebore in Luſitania Templum noſtræ Dominę Gratiarum eſt erectum cum adſito cœnobio Ordinis S. Auguſtini. *Aliud Ebore. Tẽplum B. Virg. Caſtiluedrenſis.*

In oppido Oliana extat templum Deiparę Caſtiluedrẽſis inſigni, & anniuerſario miraculo celebre, quod nos ex Lutio Marinæo Siculo lib. 5. de rebus hiſpaniæ cap. vlt. ſuis verbis hic adſcribemus, ſic verò habet: *In oppido Oliana. Marianus Siculus.*

Apud Oppidum Olianam, quod eſt in Ripa Sicoris, & diſtat ab Ilerda paſſuum millia circiter 40. Domus eſt Mariæ Virginis Caſtiluedrenſis in alto loco poſita, ad quam domũ, ſingulis annis, in Martio menſe, diebus Veneris, ex Inſula fluminis tria lumina cęrulei coloris aſcendunt, & Eccleſiã per feneſtras ingreſſa lampades accendunt, & ſubinde deſcendunt ad eundem locum, vnde venerant, ibiq; ab inſpicientium oculis euaneſcũt. Quę res admirabilis à populis illius regionis, & viris fide dignis affirmatur. hæc ille. *Idem templum diuino prodigio accenſis lampadibus ſæpe inſignitur.*

TEMPLA IN GALLIA, ET BELGIO DEIPARAE SACRA.

65 GAllia, & Belgium ſtudio erga Deiparam mirifice incenſa eiuſdem Templis præcipue abundant, & vt præteream Maſſilienſe à S. Martha, & Tungrenſe à S. Materno eidem Virgini Apoſtolorum ætate poſita, (de quibus cap. 29. huius Operis.) Aliquot alia ex præcipuis breuiter attingam.

Pariſijs totius Galliæ Vrbe celeberrima, templum cathedrale antiquitate vetuſtum Deiparæ eſt ſacrum, in quod, auctore Aimonio lib. 3. de geſtis Francorũ cap. 57. Fredegundis Regina marito Chilperico viduata, cum theſauris ſuis ſe contulit. ſed Philippus Auguſtus eius templi ſtructuram magnificentiorem an. 1191. eſt aggreſſus, quod Mauritius Pariſienſis Epiſcopus Deiparæ cõſecrauit, quemadmodum indicat inſcriptio, quæ in Epiſcopali ſacello legitur: & ſanè huius templi præſtãtiã litteris prodidit Paulus Merula par. 3. ſuæ coſmogr. lib. 3. cap. 21. vbi templum hoc, ait, columnis 20. ſuſtineri, eius longitudinem paſſuum eſſe 120. latitudinem 60. altitudinem 100. chorum habere lapide cinctum hiſtorijs ex veteri, nouoq; teſtamento inſculptis: in ambitu verò ſacella 45. ferreis clatris munita, & vniuerſim Portas 11. ad latera quoque turres campanarias altitudine 34. cubitorum, Campanam maximam, cui à Maria cognomen, 20. viros flagitare pulſandam, ſonitum verò ſereno cœlo per ſeptem leucas, (quæ milliaria ſunt 28.) audiri. hæc ille. *Cathedrale templum Pariſijs celeberrimum Deiparæ dicatum. Aimonius. Paulus Merula.*

Pariſijs quoque Regium ſacellum à S. Ludouico ſingulari artificio conditum Deiparæ eſt dicatum anno 1248. vt eſt in eius ſacelli inſcriptione. *Aliud templum ibidem.*

Carnuti Cathedralis ædes magnificentiſſima Deiparę eſt poſita à chriſtianis eo in loco, vbi ante Chriſti aduentum, Druidæ Galliarum ſapientiſſimi, eidem Deiparæ nondum natæ aram hac inſcriptione, VIRGINI PARITVRAE, inſignem dicarant, quemad- *Cathedralis Eccleſia Carnutenſis.*

modum cap. 29. dixi. Huius templi fundator, vel, vt alij malunt, instaurator extitit Fulbertus Carnutensis Episcopus, Deiparæ in primis addictus, sanctitate, ac doctrina clarissimus, adiutus largitionibus Cnutonis, alias Canuti Anglorum Regis, auctore Vuillhelmo Malmesburiensi lib. 2. de gestis Anglorum cap. 11. In eius templi Crypta Puteus ostenditur, dictus *Sanctorum Fortium*, in quem magnus christianorum Carnutensium numerus, cum Christi Domini fidem suscepissent, Quirino Proconsule est precipitatus.

Vuillhelmus Malmesburiensis.
Puteus Martyrum.

66 Laudunum in Gallia insigni templo Deiparæ gloriatur, quod antiquo templo incẽso eleemosynis fidelium propter plurima miracula edita, est extructum, quemadmodũ ex Hugone Farsito, & Vincentio Beluacensi in Tract. de miraculis fusius diximus.

Templa duo B. Virginis Laudun.
Hugo Farsitus. Beluacensis.

In Laudunensi quoque Regione templum B. Virginis de Lætitia vulgo *Nastre Dame de Tiessen* miraculis claret. Cum. n. tres Equites Ordinis S. Ioannis Ierosolymitani patria Laudunenses, generis nobilitate inclyti an. 1134. Aegyptum appulsi, in obscurã & horridam custodiam Cairi à Sultano coniecti essent, à Deipara multo lumine circũfusa, & Angelorum multitudine stipata benigne inuisuntur; eiusq; statuam ab ipsius manibus acceptam, vbi in Galliam admirabiliter Deiparæ ope sunt perducti, in hoc tẽplo reposuerunt, ibiq; miraculis præcipuè nobilitatur. cuius historiam litteris consignauit F. Iacobus Bosius Ordinis S. Ioannis Ierosolymitani Procurator Generalis.

Simulacrum à Deipara Ierosolymitanis Equitibus donatum.

Frater Iacobus Bozius Ordin. Ierosolymitan.
Templum B Virginis Caldesurnensis.

Auarici Biturigum, quod vulgo *Burges* dicitur, nostræ Dominę Caldefurnensi templum est positum propter insigne miraculum, quod regnante Childeberto filio Clodouei annum circiter 546. contigit. cum. n. puer hebræus die sancto Paschæ vna cum filijs christianorum sacram Eucharistiam suscepisset, eaq; de causa à parente in ardentem furnum coniectus, & obstructo furno clausus fuisset; tandem à christianis locum referãtibus, illæsus repertus, testatus est se ab ea, quæ in christianorum templo filiolum brachijs complectitur, seruatum. quare eodem in loco templum à Calido Furno denominatum, extruitur. hæc ex Annalibus Francorum in Chidelberto, & hoc quidem Deiparæ miraculum non absimile est alteri, quod Constantinopoli euenisse scribunt Gregorius Turonensis, & alij Græci scriptores, quod nos attulimus cap. 29.

SS. Eucharistiæ Sacramento refectus Iudæi fitus in fornacem coniectus, non læditur.

Gregorius Turonensis. Cap. 29.

Templum in Colle, quem dicunt *Rupem Amatoris* apud Caturcẽses in Gallia Deiparæ sacrum quamplurimis coruscauit miraculis ab an. 1140. quorum Hugo Farsitus libro de ijs miraculis, quæ suo tempore edita sunt scripto, centum viginti septem, litteris mandauit. eius templi meminit Cæsarius lib. 7. cap. 15.

Aliud Deiparæ templum in Colle.
Hugo Farsitus, Cæsarius.

67 Suessionense Templum Deiparæ dicatum, & miraculis nobilitatum subtalare B. Virginis habet, teste Anselmo Abbate Gemblacensi in Appendice manuscripta ad Chronicon Sigeberti. Hugo Farsitus 40. enumerat miracula suo tempore audita, & visa ab anno 1128. nos aliqua eorum retulimus in Tractatu de Miraculis ex Vincentio lib. 27. cap. 2. & sequentibus.

Templum Virginis Suessionensis.
Anselmus Gemblacensis Abbas.
Hugo Farsitus. Beluacensis.

Clariaci prope Aureliam Deiparæ templum olim peregrinis eò confluentibus celebre; tametsi ab Anglis circa annum 1428. vastatum, à Ludouico tamen XI. Galliæ Rege annum circiter 1480. magnificè est restitutum.

Aliud Clariaci.

Claromonte in Aruernia templum Cathedrale extat nostræ Dominæ à Portu iampridem fundatum à S. Auito eiusdem Vrbis Episcopo, qui anno 594. ex hac luce migrauit: verùm à Nortmannis annum circiter 853. incensum S. Sigonius eiusdem Ciuitatis Episcopus anno 966. antiquo splendori restituit.

Cathedrale templum Claromontense.

In Nortmannia celebrantur subiecta Deiparæ templa.

Templa B. Virginis in Nortmannia.

Rothomagense præclarissimum.

Constantiense structura insigne.

Balocense miraculis celeberrimum.

In Augensi Castro apud Nortmanniam Ecclesia eminet Deiparæ dicata, in qua Canonici instituti sancti Victoris Parisiensis degebant, ad quos diuertit S. Laurentius Archiepiscopus Dublinensis in Hybernia, ibiq; sancte obijt circa annum Domini 1171. in eoq; templo eius corpus reconditum iacet.

Aliud in Castro Augensi.

Anicium in Auernia, & Ambianũ in Piccardia illustribus Deiparę tẽplis nobilitantur.

Alia Deiparæ templa alijs in locis.

In Andegauensi Regione in edita Rupe ædis Deiparæ à sancto Maurilio Andegauensium Episcopo, tempore Honorij, excisis Deorum simulacris est posita.

In

In extremis Galliæ oris ad mare Oceanum Insula extat S.Mariæ Bouinæ nuncupata, vbi templum est Deiparæ miraculis ab antiquis temporibus celeberrimum, quod & Insulæ nomen dedit.

In littore verò non procul ab Insula, Oppida duo visuntur de nomine Deiparæ dicta Gallicè *Nostre Dama*, ob templa olim miraculis clarissima.

E Regione quasi Rupellæ in Insula quadam, ædes est B. Virginis, quæ Oppido nomen dedit.

In Belgij verò Vrbibus, & Oppidis nobilissima visuntur Deiparæ Templa, nobis satis sit in præsentiarum proponere.

Hallense, & Sichimense miraculis celebrata, de quibus aliqua diximus in cap. 20. & in Tractatu de Miraculis.

DEIPARAE TEMPLA IN GERMANIA, & in alijs Septentrionis Regionibus,

68 IN Germaniâ complura extant Deiparæ templa antiquæ pietatis documenta certissima; nam vt omittam ex ijs plurima miraculis illustria, quæ in vna Diœcesi Herbipolensi ex Tritemio commemorauimus in hoc Opere cap. 20. & in Tractatu de miraculis; certe alia magnificentissima sparsim in tota Germania extructa cernuntur: eorum aliqua attingemus adiectis alijs, quæ in alijs Septentrionis Regnis olim posita erant, quamuis nonnulla hæreticorum furore antiquum splendorem minime retineant. *Tritemius.*

Spiræ à S.Henrico Imperatore in honorem Deiparæ excitari cœpta est Basilica Cathedralis, Regia magnificentia, quam postea perfecit Conradus Secundus. *Cathedralis Ecclesia Spiræ.*

Argentinæ Clodoueus, qui Primus è Francorum Regibus Christo nomen dedit, templum Deiparæ erexit, quod miraculis fuit illustre. *Aliud Argentinæ.*

Ratisbonæ Templum Deiparæ miraculis olim celebre posuit, & suis manibus consecrauit S. Rupertus primus Episcopus Salisburgensis Bauarorum Apostolus, baptizato Theodone eiusdem Vrbis Duce. *Aliud Ratisbonæ.*

Oettingæ quoque in Bauaria non procul ab Aeno fluuio sitæ, idem S.Rupertus, baptizato Vtone Vrbis Duce, aliud in honorem Deiparæ extruxit, & consecrauit templum, quod in hanc vsque diem miraculis est ornatissimum; cuius meminit Canisius lib. 5. de B. Virgine cap. 23. *Aliud Oettingæ. Canisius.*

Idem S.Rupertus Salisburgi sorori suæ Erentrudi sanctitate inclytæ, monasterium Ducis munificentia ædificauit sub nomine Dei Genitricis, teste Baronio tom. 7. ad annum Domini 590. *Aliud Salisburgi. Baronius.*

Augustæ Vindelicorum primum templum Deiparæ erat consecratum. *Aliud Augustæ Vindelicorum.*

69 Apud Heluetios in medijs montibus Eremitorium Deiparæ visitur, (sic enim appellant Deiparæ sacellum,) id à sancto Meinardo inchoatum, ab Othone I. Deiparæ est destinatū, & à SS.Episcopis Vdalrico, & Conrado Dei nutu eò conuenientibus, est dedicatum; multisq; est nobilitatum miraculis; quod teste Canisio lib. 5. de B.Virg. c. 24. non modo multis ab hinc annis inter medios hostes, impiosq; vicinos: sed et nuper admodum horrendis flammis cuncta vndiq; absumentibus, integrum mirabiliter perseuerat. *Aliud apud Heluetios. Canisius.*

In Mendensi Episcopatu apud Monasterium *Ouercherche* vulgo appellatum, celebris erat ædes Deiparæ, teste Crantzio in sua Metropoli lib. 4. cap. 24. *Quo in loco*, inquit; *Deipara sanctissima singulariter inuocatur, & multis ibi miraculis clarescentibus edocuit singularem se eius loci præsidium, ac tutelam accepisse.* sic ille. *Aliud in Episcopatu Mendensi. Crantzius.*

Aquisgrani à Carolo Magno conditum est Templum Deiparæ, structura admirabili, compluribus ex Italia illuc aductis marmoreis columnis, & ingenti sacrarum reliquiarum thesauro ibidem reposito, quas ex Palestina acceptas quotannis populo spectandas exponi decreuit, adeo vt Auentinus lib. 4. Annal. Boiorum templum hoc ex publicis Caroli operibus præcipuum, & toti Europæ venerabile vocet, ad quod miraculis florentissimum permulti ex remotis locis Religionis ergo adueniebant. *Aliud Aquisgrani. Auentinus.*

In Vestphalia monasterium virginum Deiparæ sacrum idem Carolus Magnus exædificauit, quod olim miraculis adeò erat insigne, vt permulti eò confluētes, in loco My- *Aliud in Vestphalia.*

mingrode vocato Vrbem prestantissimam propterea dictam *Monasterium*, condiderint.

Templum Hildesbermense. Crantzius.

Hildeshermensem Ecclesiam Deiparæ dicatam excitauit Ludouicus pius Caroli filius, de qua Crantzius in Metropol. lib. 1. cap. 10. & in Saxonia lib. 2. cap. 16. & 23.

Aliud apud Albam Regiam.

70 In Hungaria apud Albam Regiam Vrbem celebertimam S. Stephanus Rex Hungariæ pietate, & in Deiparam studio clarissimus Basilicam Regia magnificentia in primis nobilem Dei Genitrici condidit: *Opus*, inquit Bonfinius lib. 1. decadis 2. de rebus Hungaricis, *mirabili sumptu incrustationibus marmoreis renitens, vbi pauimenta tessellata cernere est, magnificas columnas, aras iconibus, ac tabulis nonnullis mirum in modum exornatas, ex purissimo auro, argentouè conflatas.* sic ille.

Bonfinius.

Alia Deiparæ templa.

In eadem Hungaria erectum fuit templum S. Mariæ in Zel auctore Bonfinio, ob auxilium à Deipara Hungaris contra Turcas impensum.

In Polonia Cestochouiæ, seu in monte Claro templum extat Deiparæ miraculis illustre cum imagine eiusdem Virginis à S. Luca coloribus expressæ, de qua vberius cap. 20. diximus.

Cap. 20.

Alia in Anglia.

71 In Anglia Insula, quo tempore catholica religio ibi vigebat, plurima erant templa, & Monasteria Deiparæ consecrata, eiusmodi fuit.

Londini Basilica nostræ Dominę ad Arcus.

Lincolniæ pręter ædem à Remigio Episcopo circa annum 1080. Deiparæ exædificatam; altera à sancto Hugone Carthusiano Lincolniensi Episcopo, (qui anno Domini 1207. ex hac luce migrauit) Deiparæ condita est, & consecrata; in qua postea eiusdem sancti Hugonis corpus reconditur.

S. Hugo Episcopus Lincolniensis.

In Insula Croylandia, quam aquæ circumdantes in Anglia efficiunt, insigne fuit cœnobium Ordinis S. Benedicti Deiparæ dicatum, cui Ethelbaldus Rex Marciorum in eiusdem cœnobij fundationem totam Insulam tradidit amplissimo diplomate dato anno Domini 716.

Templum Deiparæ in Vuallia eiusdem iussu à S. Laurentio Dublinensi Archiepiscopo cõsecratum.

Nec silentio prætereunda est basilica illa Deiparæ in Vuallia apud Angliam circa annum Domini 1180. à quodam pio diuite in suo castro recens extructa, in qua solitarius quidam se incluserat, quam S. Laurentius Dublinensis in Hibernia Archiepiscopus hac occasione consecrauit. cum enim idoneam tempestatem ex Anglia in Hyberniam traijciendi diu expectasset, iussus est à Deipara per solitarium illum, cui hoc Virgo sanctissima noctu edixit, templum suum consecrare, adiecitq; non antea prosperum in Hyberniam ventum illi afflaturum, quam id perficeret. S. Laurentius, qui Diœcesano Episcopo inconsulto se id facturum modis omnibus recusauerat, tandem Dei voluntatem secutus basilicam illam postridie dedicauit. Cumq; missam, & diuina officia peregisset, gustato pane cum suis nauim ingressus cursu prospero, ad portum desideratum peruenit. Ex eo tempore innumera fiunt miracula in Ecclesia illa. hæc auctor vitæ S. Laurentij Archiepiscopi Dublinensis cap. 20. apud Surium die 14. Nouembris tom. 6.

Vita S. Laurentij Episcopi Dublinensis. Surius. Cap. 20.

Aliud Dublinio.

Dubliniæ in Hybernia idem S. Laurentius Dublinensis Archiepiscopus ad Dei, & B. Virginis eius matris honorem Ecclesiam nouam construebat: cumq; in Angliam nauigaret, horribili coorta tempestate, omnes ad S. Præsulis preces accurrunt, cuius hortatu multa donaria in noui templi structuram largientes, optata tranquillitate sunt potiti. hæc auctor vitæ eiusdem S. Laurentij cap. 22. apud Surium tom. 6.

TEMPLA ALIQVOT CONSTANTINOPOli, & in alijs Orientis, & Africæ Regionibus Deiparæ olim erecta.

Templa Deipara in Orientis, & Africa Regionibus.

72 QVamuis in Orientis Regionibus insigni tum Imperatorum, tum populorũ pietate, ac studio, plurima, eaq; nobilissima extiterint templa Deiparæ nomini consecrata; quia tamen multis ab hinc annis propter schisma, & errores, quibus complures illius nationis homines ab Apostolicæ sedis obedientia, pertinaci obstinatione se impie subduxerunt, iusto Dei iudicio, graui Turcarum seruitute miserè premuntur; idcirco mirum esse non debet, si eiusmodi Deiparę templa antiquo splendore careant; quin etiã si pleraq; eorum vel diruta iaceant, vel situ squalleant. Nos aliquot eorum, quæ priscis tẽporibus erant illustria, in præsentia cõmemorabimus; quo intelligamus cultum tẽplorum Deiparę ẽt in locis illis, quibus Barbari nunc potiuntur, olim mirum in modum floruisse; ini-

initium verò faciemus ab ipsa Vrbe Constantinopolitana Orientalis imperij olim sede.

Constantinopoli (quam Constantinus Magnus in prima eius fundatione ab Episcopis, qui ad Nicenam Synodum conuenerant, Dei Genitrici solemniter dicari voluit) pietas erga Deiparam magnopere floruit. hinc Templa illa magnifica à diuersis Imperatoribus eidem Deiparæ constructa: hinc singulare Deiparæ patrocinium, quod ea Vrbs quandiu in fide catholica, & obedientia Romani Pontificis stetit, in repellendis Barbaris eam obsidentibus sæpe est experta; de quibus fusius in cap. 35. vbi & de Basilica à Constantino Imperatore Deiparæ ingenti miraculo extructa egimus. *Cap. 35.*

73 Pulcheria Augusta Theodosij Iunioris soror, Marciani Imperatoris coniux; sed quæ virginitatem, teste Glyca 4.par. Annal. Deiparæ consecratam perpetuo coluit, religione, ac pietate insignis; Tria Virgini beatissimæ Templa pulchritudine, & Regia magnificentia exculta, in Vrbe Constantinopolitana condidit. quorum pulchritudinem, necnon & Deiparæ reliquias, quas eadem Pulcheria admirabili studio vndiq; conquisitas, in eis reposuit, verbis ipsius Nicephori lib. 14. histor. Ecclesiast. cap. 2. & lib. 15. cap. 14. hic adscribam, quamuis aliqua ex his alibi in hoc opere suis locis inseruerim. Pulcheria tria quoque Dei matri ex ipsis fundamentis Templa erexit, quorum vnum est in Chalcoprateio, seu Fabrorum foro, sacri tumuli nomen habens: in hoc, veluti thesaurum Dei Genitricis, deposuit Zonam. Hoc in templo, vt quarto quoque hebdomadæ die peruigilium, & supplicatio ad lucernas, & lampadas fieret, constituit, quam, & ipsa pedes frequentare solita erat. *Templa Deiparæ tria à Pulcheria Augusta erecta. Glycas. Nicephorus.*

Secundum Templum τῶν ὁδηγῶν hoc est viæ ducum, vbi Antiochia missam Verbi Matris Imaginem, quam Lucas Apostolus suis ipse manibus depinxit, ea adhuc viuente, & tabulam ipsam videnti, gratiamq; adeò illi formæ suæ immittente, (de qua nos plura cap. 29.) sacrumq; pensum, & seruatoris ipsius fascias perinde atque thesaurum, quem ad eam Eudocia Augusta cum Ierosolymam profecta est, misit, seruandas curauit. In templo isto, vt tertio quoque septimanæ die peruigilium itidem, & supplicatio perageretur Pulcheria curauit: quod ad hunc vsque diem fit. Vtraque verò hæc fana pulchritudine simul, & amplitudine ambitiosè, ac magnifice sunt constructa. *Cap. 29.*

Tertium autem maximum, quod ab ea, & à Marciano constructum est Verbi matri, incredibili pulchritudine, & omnis generis materia ornatum consecrauit templum, cui Blachernæ cognomen est, quo abunde per ambitionem quandam, & liberalitatem decorato, Deiparæ tumulum, & sepulchrales fascias à Iuuenali Ierosolymitano Episcopo missas cum veneratione maxima posuit, Marciano Imperatore adhuc superstite. hæc ex Nicephoro locis citatis. Quid verò dicendum sit de tumulo Deiparæ, an scilicet Ierosolymis, vel in hoc templo asseruetur, egimus in cap. 29.

In hoc Deiparæ templo Blachernensi, mater Sancti Stephani Iunioris, præclarissimi martyris, Deiparam enixe precata pro masculina prole, qua carebat suscipienda, quam Christo se dicaturam pollicita est; voti compos effecta, sanctum Stephanum filium in eodem templo ei, à quo acceperat, obtulit; quemadmodum cap. 36. ex Damasceno in vita eiusdem S. Stephani diximus. *Sterilis Mater S. Stephani Iunioris martyris prolem precibus impetrat. Cap. 36.*

74 Leo Imperator huius nominis Primus, qui anno 458. regnare cepit, duas ædes Deiparæ à fundamentis exædificauit, vtramque pro Vrbis mœnibus tanquam inexpugnabile eidem Vrbi propugnaculum. Alteram in Blachernis ad maris littus figura rotundam, in qua Vestem Deiparæ suo tempore à Galbinio, & Candido Patritijs Constantinopolim delatam in arca ex argento, & auro confecta deposuit, ex Nicephoro lib. 15. cap. 14. 24. & 25. de quo nos vberius cap. 29. *Templum à Leone Imperatore in Blachernis Deiparæ sacratum.*

Alteram verò ædem construxit in loco, qui Fontis nomen habuit, ad Portam Auream, quæ ad Arcis finem est, & vnico ab Vrbe stadio distat; cuius extruendæ ea fuit occasio. Cum adhuc priuatus ageret, & eo in loco cæco cuidam sitienti ducem viæ se præbuisset, atque aquam ibi diligenter conquisitam, Deiparæ monitu inuentam cæco illi attulisset, eiusdem Deiparæ iussu luto inde accepto cæci oculos inunxit, qui visum recepit. Imperij quoque mox obtinendi idem Leo ibi nuncium à Deipara accepit, à qua iubetur sibi eodem in loco ædem sacram ponere: quare Imperium adeptus, & loco *Aliud templum ab eodem Deiparæ iussu dicatum. Idem cæco cuidam visum reddidit. Eidem imperialis dignitas à B. Virgine prænunciatur.*

co repurgato, & fonte ipſo circumquaque ſtructura ſolida probe munito, delubrum præſtantius, quam vt verbis explicari queat, Dei matri conſtruxit, & ædificium ipſum ſupra fontem ſtatuit. cuius formam atque præſtantiam fuſe deſcribit Nicephorus. in hoc templo quamplurima miracula edita ſunt; & Iuſtinianus Imperator ei templo maximam, & pulcherrimam extruxit domum gratiam pro beneficijs acceptis Virgini matri referens. hæc omnia Nicephorus lib. 15. cap. 25. & 26.

Nicephorus.

Aliud templum Conſtantinopoli à Iuſtino Imperatore erectum.

Iuſtinus Imperator anno duodecimo Imperij, qui erat annus Domini 577. cum audiſſet à Perſis vaſtari imperium, ad Deum ſibi conciliandum eius Genitrici templum Conſtantinopoli erexit, de quo auctor Miſcellæ in anno duodecimo eius Imperij in hunc modum ſcribit: *Iuſtinus Imperator Synagogam Iudæorum, quæ erat Conſtantinopoli in Chalcopretijs ablatam ab eis fecit Eccleſiam Dominæ Noſtræ ſanctæ Dei Genitricis, quæ proxima eſt magnæ Eccleſiæ.* ſic ille: qui mox ſubdit. *Iuſtinum hoc erga Deiparam obſequio illud aſſecutum eſſe, vt cum deliquio mentis laboraret, ideoq; res Imperij in ſummo eſſent diſcrimine; Dei Genitricis beneficio tantum ſanitatis eſt adeptus, vt dilucido interuallo potitus, cunctis recte diſpoſitis, ſtatum Reipublicæ in tuto collocaret, aſcito ſibi Tiberio in collegam.* hæc ex Miſcella.

Mentis deliquio laborans Iuſtinus Imperator à Deipara ſanatur.

Aliud pulcherrimum templum à Iuſtiniano Imperatore extructum.

75 Ieroſolymis Iuſtinianus Imperator Templum Dei Genitrici locauit, nouam Eccleſiam incolæ vocabant. eius magnitudinem, ac pulchritudinem Procopius lib. 5. de ædificijs Iuſtinian. Imperat. accuratè litteris mandauit, cui templo nullum plane aliud æquiparari poſſe ipſe teſtatur; illius autem ſtructuram, & fundamenta admirabilia fusè perſequitur, additq; ad tectum templo imponendum, cum arboribus ſublimibus artifices egerent, inueniſſe eos ſiluam quandam cedris altiſſimis abundantem. Ad eiuſdem verò templi columnas, quarum & forma templi elegantiæ reſponderet, & magnitudo molem impoſitam ſuſtinere poſſet, quomodo noua lapidicina non abſque Dei prouidentia ſit inuenta, idem Procopius ſic ſcribit: Cum Regio Ieroſolymitana longe à mari ſita, & vndique præruptis montibus vallata, columnas aliunde inferendi locum non præberet, Deus in proximis montibus lapidis naturam indicauit huic operi ſatis congruam; qui lapis aut prius exiſtens hic delituit, aut nunc primum conditus eſt. hinc igitur ingentium columnarum, & ignis flammam quodam colore imitantium magna copia, quæ ſuffulciebant templum ſuperne, & inferne, & ad porticus totum fere templum obeuntes. Denique poſt alia admirabilia, quæ de huius templi foribus, porticu, atrio, veſtibulo, atque hemicyclis enarrat, concludit Procopius; Iuſtinianum Regem templum hoc Dei Genitrici conſecratum pecuniarum redditu honoraſſe. In via verò, qua ad templum itur ſtant hoſpitia vtrinque duo, vno hoſpites peregrini ſuſcipiuntur, altero refocillantur pauperes ægroti. hæc ex Procopio.

Procopius.

Ad templum ſibi extruendum trabes atque columnas Deipara præbuit mirifice.

Templum à S. Helena Ieroſolymis erectum.

In Vrbe itidem Ieroſolymitana, S. Helena Conſtantini mater templum apud ſacratiſſimum Deiparæ ſepulchrum condidit, cuius meminit Nicephorus lib. 8. Eccleſ. hiſtor. cap. 30. his verbis: Excitauit quoque mirificum aliud templum in Gethſemani prædio Genitrici Dei, atque in ſacrario ipſo viuificum eius ſepulchrum firmiter incluſit. cum verò decliuis is ſit locus, gradus marmoreos fieri curauit, viatores ex ſancta Vrbe Orientalem plagam verſus ferentes. Multorum quoque ſermonibus circumfertur, decliuiorem eum locum Vallem fletus, & Torrentem Cedron, atque etiam Vallem Ioſaphat dici. in propinquo etiam eſſe hortum illum, in quo proditus eſt Chriſtus, & in quo orare ſolitus erat. hactenus Nicephorus.

Nicephorus.

Aliud templum in monte Oliuarum.

76 In Monte Oliuarum templum Beatiſſimæ Virgini extruxit Iuſtinianus Imperator, teſte Procopio lib. 5. de ædific Iuſtinian.

Procopius.

Aliud Deiparæ templum apud Bethlehem.

Apud Bethlehem in loco Natiuitatis Dominicæ S. Helena templum condidit, quod poſtea Conſtantinus eius filius ornatius reddidit, auctore Euſebio lib. 3. de vita Conſtantini cap. 42. qui cum ageret de S. Helena rem totam his verbis litteris conſignauit: *Imperatrix ſanctiſſima Deiparæ partum eximijs monumentis exornare, & ſacrum illud antrum varijs cuiusq; generis inſignibus illuſtrare ſtuduit. Imperator autem paulo poſt eundem locum ornamentis regalibus honorare, & monimentis ex auro, & argento, varijsq; aulæis matris ſuæ magnificentiam adaugere cœpit.* hæc Euſebius, quod ipſum confirmat Nicephorus lib. 1. cap. 30.

Euſebius.

Nicephorus.

Beda de locis ſanctis cap. 8. de hoc ipſo templo Dei Genitricis in Bethlehem poſito quædam admirabilia, quæ ab Epiſcopo, qui recens inde aduenerat, accepit, eaq; narrat his verbis: *Hæc ſpelunca*, inquit, *tota interius ſpecioſo marmore tecta ſupra ipſum locum, vbi Dominus natus ſpecialiter traditur, ſanctæ MARIAE grandem geſtat Eccleſiam. Petra iuxta murum cauata primum Dominici corporis lauacrum de muro miſſum ſuſcipiens hactenus ſeruat: quæ ſiqua forte occaſione, vel induſtria fuerit exhauſta, nihilominus continuo dum reſpicit, ſicut ante fuerat, plene redundat.* hæc Beda. *Beda. Vrna, in qua Chriſtus infans lotus dicitur perennibus aquis ſcatens.*

Eadem S. Helena aliam in agro Bethlehemitico Deiparæ extruxit Aedem, de qua Nicephorus loc. cit. *Sanctis*, inquit, *infantibus, & vbi Angelus Paſtoribus lætum attulit nuncium, in eis ipſis locis ſacras extruxit ædes, infantibus videlicet ipſis, & Virgini Deiparæ, necnon aliam quoque ſponſo Ioſepho ædem.* hæc Nicephorus. *Aliud templum ibidem.*

In Iericho templum Dei Genitrici extruxit Iuſtinianus Imperator, quemadmodum teſtatur Procopius lib. 5. de Iuſtin. ædific. *Aliud in Iericho. Procopius.*

In Sina monte, in quo degebant monachi vita ſanctiſſimi, ad radicem eius Iuſtinianus Imperator nobilem Eccleſiam Deiparæ Mariæ nomine nuncupatam condidit, ita Procopius loco citato. Quare autem eam non ædificauerit in ſummitate Sina rationem reddit: *Nam*, inquit, *in vertice Sina homo pernoctare non poteſt, propter aſſiduos ſtrepitus, & fragores, aliaq; terriculamenta quædam diuiniora, quæ nocturnis horis illic exaudiuntur humanam mentem, & ſenſum percellentia.* hæc ille. *Aliud in monte Sina.*

77 Antiochiæ nobile extitit Deiparæ templum à Iuſtiniano Imperatore conditum. Cum enim idem Iuſtinianus annum Domini circiter 542. Antiochiam à Choſroe Perſarum Rege incenſam reſtitueret, & præclaris ædificijs illuſtriorem redderet: *Inter alia*, vt verbis vtar Procopij lib. 2. de ædific. Iuſtinian. *ingens in ea Vrbe Dei Genitrici Templum ædificauit, cuius ſplendorem, & magnificentiam oratione æquare impoſſibile eſt.* ſic ille. *Aliud Antiochiæ.*

Carthagine in Africa poſt Vandalos virtute Beliſarij Ducis, ſub auſpicijs Iuſtiniani Imperatoris deuictos, idem Iuſtinianus auctore Procopio lib. 6. de ædific. Iuſtin. poſuit ſacra Dei Genitrici templa. *Alia Carthagine.*

In Paro Inſula Maris Aegei hominum incolatu poſt Agarenorum incurſionem deſerta, templum Deiparę olim erat longe præclariſſimum, quod in vita S. Theoctiſtę Leſbiæ apud Metaphraſtem die 10. Nouembris tom. 6. deſcribitur his verbis: *Templum Dominæ noſtræ Dei Parentis erat in Paro Inſula ſpectatu digniſſimum, & ſeruans adhuc reliquias veteris pulchritudinis; erat enim vndique iuſta conſtructum ſymmetria, & frequentibus erat fultum columnis ex lapide Baſilico, & ſecto lapide veſtiti erant eius parietes, non ſecus ac columnæ. lapidem autem adeo tenuem, & ſubtilem effecerat artifex, vt viderentur parietes eſſe induti textis byſſinis. Marmoreus verò nitor lapidum tantum oſtendebat candorem, & ſplendorem, vt vel margaritarum ſuperaret ſplendorem. Lapis verò, qui erat altaris tegumentum, & ab Arabe Niſiri Agareno confractus iacebat, miræ erat elegantiæ.* hæc ibi. vbi etiam ſubdit, Arabem illum Niſirim in Eubeæ Promontorio ſubmerſum ſuæ temeritatis pœnas dediſſe. hæc ex Metaphraſte. *Aliud pulcherrimum templum in Paro Inſula. Metaphraſtes.*

DEIPARAE TEMPLA APVD BARBARAS nationes varijs in regnis excitata.

78 ABſagi populi auctore Procopio lib. 2. de Bello Perſico apud montem Caucaſum habitant, ac Religionem chriſtianam tempore Iuſtiniani Imperatoris, qui regnare cœpit anno Domini 527. complexi ſunt, ſeq; ad humaniorem viuendi rationem compoſuerunt: *Iuſtinianus verò* (inquit Nicephorus lib. 17. hiſtor. cap. 13. ex Procopio) *Dei Genitricis templum in Abſagum regione pulchritudine, atque amplitudine præſtans ædificauit, Sacerdotes ei attribuit, & alia, quæ ad cultum diuinum faciunt, rite conſtituit. Vnde populo ei accidit, vt accuratiſſime in Chriſtianorum dogmate exercerentur.* hæc Nicephorus. *Dei Genitricis templum apud Abſagos populos. Procopius. Nicephorus.*

In India citra Gangem in ora Comorinenſi prope Vrbem Ceulani extat Templum Beatæ Mariæ Virgini dicatum, quod earum Regionum indigenæ ſumma cum Religic- *Aliud antiquiſſimum templum in ora Coſmorinenſi.*

ne

Ioannes Empolitanus.

ne frequentabant antequam Lusitani in illas oras penetrarent, teste Ioanne Empolitano in suo Itinerario.

Aliud templum apud Medas. Thomas Bozius.

In Itinerario quodam Persico, quod libris Haytonis Armeni attexitur, quemadmodum refert Thomas Bozius lib. 9. de signis Eccles. cap. 9. auctor illius Itinerarij describit honorificentissimum Deiparæ templum in Vrbe (vt putamus) Mediæ ad mare Caspium sitæ amplissima, quam nunc Caramit vocant, conditamq; volunt à Constantino Imperatore.

Aliud olim templum prope Sinas. Gonsalez Mendozza.

Inter Sinas quoque, populosq; Indicos vltra Gangem positos scribit Gonsalez Mendozza lib. 2. historiæ Sinarum initio, fuisse priscis temporibus Templa, cultumq; Virginis Mariæ; sed postea Christi cultu extincto, extinctus est & Mariæ matris.

Atque his de Templis, quæ in Deiparæ honorem, vbiq; terrarum sunt excitata, vtcumque commemoratis, finem huic Tractatui imponamus: nam si omnia Virginis templa, quæ non minori pietate, quàm magnificentia in singulis Prouincijs, ac Vrbibus, in singulis Oppidis, ac Pagis fidelium studio sunt posita, quorum pleraq; non tantum structura, & ornatu, verum etiam miraculorum gloria, & fidelium concursatione, ac frequentia celebrantur, commemorare velimus; opus esset immensi laboris, & quod vires nostras longe excederet. hæc pauca de multis attigisse sit satis, vt intelligamus quanto animi ardore omnes, qui Christi religionem sunt amplexi, Virginis quoque Deiparæ pietatem omni ratione colere, ac propagare studuerint.

Finis Tractatus de Festis, ac Templis Deiparæ.



TRA-

TRACTATVS
DE SACRIS VTRIVSQVE SEXVS VIRGINIBVS,

Qui Apocalyp.14. Agnum ſequentes ante ſedem Dei, hoc eſt ante Deiparam, canticum nouum concinere dicuntur, in octo Sectiones tributus.

Virginum porrò de quibus hic agitur Indicem ordine Alphabatico habes in fine.

SVMMARIVM.

Innumerabilis virginum vtriuſque ſexus multitudo, qui in lege Euangelica virginitatis vexillum à Deipara erectum ſunt ſecuti. Sectio 1. nu. 1.

Ingens multitudo eorum, qui cœlibem vitam duxere, ex quibus complures virgines extitere nu. 5.

Virorum exempla, qui Deiparam imitantes incorruptum virginitatis florem cuſtodierunt. Sect. 2. nu. 13.

Mulierum familiaritas, aſpectus, colloquia, & cohabitatio diligenter cauenda nu. 19.

Exempla virorum, qui pro caſtitatis integritate tuenda, quamuis grauiter, & interdum ad mortem vſque impugnati, ſtrenue tamen decertarunt. Sect. 3. nu. 22.

Virorum exempla, qui à mulieribus ad flagitium ſollicitati viriliter reſtitere nu. 25.

Nonnullorum exempla, qui mori maluerunt, quam illicito concubitu morbo ſuo mederi num. 29.

Mulieres, quæ Deiparam ſecutæ virginali caſtimonia claruerunt, & martyrij palmam ſunt adeptæ. Sect. 4. nu. 30.

Virgines martyres in Hiſpania ſub perſecutione Arabica nu. 40.

Mulierum exempla, quæ pro virginitate tuẽda atrociſſimis tormentis, & acerbiſſimæ necis ſe expoſuerunt. Sect. 5. nu. 41.

Virginum exempla, quæ pro tuenda pudicitia ſe ipſas deformarunt num. 46.

Qua ratione complurium virginum pudicitia, Chriſti præſidio, ab improborum vi, vel in ipſo poſtribulo ſit ſeruata. Sect. 6. num. 47.

Virgines chriſtianæ ad Lupanar compulſæ, & mira arte à chriſtianis inde eductę nu. 52.

Mulieres, quæ exemplo Deiparæ virginitatis florem inuiolatum Chriſto obtulerunt, & ex hac vita in pace ad cœleſtem ſponſum commigrarunt. Sect. 7. nu. 54.

Aliquot aliæ virgines ex martyrologio n. 67.

Aliæ virgines extra martyrologium nu. 69.

Coniuges, qui licet matrimonij legibus aſtricti, virginalem tamen florem illæſum conſeruarunt. Ii etiam, qui aliquot in coniugio ſuſceptis liberis, vitam deinde caſtam concordi voluntate duxerunt, vel qui coniuge vita functo ſecundas nuptias detrectarunt. Sect. 8. nu. 72.

Coniuges, in quorum matrimonio virginitatis caſtimonia in vtroque enituit nu. 73.

Coniuges, qui ante matrimonium conſumatum, altero coniuge dimiſſo ad religionem ſe contulere nu. 77.

Virgines nuptui traditæ, quæ vt corporis integritatem cuſtodirent, viris continentiam perſuaſerunt nu. 79.

Coniuges, qui aliqua ſuſcepta prole, pari inter ſeſe voluntate continentiam coluere n. 81.

Viduæ, quæ ad ſecundas nuptias nulla ratione adduci potuerunt nu. 85.

Virginum multitudo ex Apoc. 14.



VM in cap. 32. quod eſt de intemerata Deiparæ virginitate, explicandum ſuſceperimus, quomodo Apoc. 14. cœtus ille feliciſſimus, ac maximus centum quadraginta quatuor millium virginum Agnum ſequentium ante Dei ſedem, hoc eſt ante Deiparam, cuius virginitatem ſunt æmulati, Canticum nouum cantare ſcribatur: idcirco non ab re me facturum exiſtimaui, ſi de ingenti hac virginum multitudine accuratius agerem; vt intelligamus hoc Deiparę exẽplum quantopere in lege Euangelica valuerit ad tot homines permouendos, vt diuina adnitente gratia illibatam Chriſto dicarent virginitatem. Rem in primis vſque adeò arduam, atque difficilem, vt à Hieronymo in vita Malchi captiui, & epiſt. 8. martyrio aſſimiletur: *Habet*, inquit, *& pudicitia ſeruata martyrium ſuum; idq; meritò tum propter ſenſualitatis fomitem hoſtem domeſticum, quem ex Apoſtolo ad Rom. 7. in noſtris membris circumferimus, quiq; nos adeò pertinaciter impugnat, & in lege peccati captiuare nititur; tum etiam propter vehementiſſimas Satanæ tentationes, cuius halitus, teſte Domino Iob 41. ardere facit prunas.*

Virginitas martyrio aſſimilatur à S. Hieronymo.

Rom. 7.

Iob 41.

Tractationis ſeries deſcribitur.

Quoniam verò dum ea, quæ ad hanc materiam illuſtrandam faciunt, ſcriptis mandaremus, tanta rerum copia, tot Sanctorum, qui virginalem pudicitiam multiplici ratione ſeruarunt, exempla ſeſe obtulerunt, vt hæc tractatio mirum in modum aucta, in maiorem, quam initio ſtatueramus magnitudinem excreuerit: idcirco ne nimium ab inſtituto, quod in cap. 32. erat de Deiparæ virginitate, digredi videremur, diſputationem hanc veluti appendicem quandam eiuſdem cap. 32. ab eo tamen capite auulſam, veluti opuſculum perſe diſtinctum, ad calcem totius operis reijciendam duximus. Ex quo factum eſt, vt cum tractatio hæc in gloriam præcipuè Virginis Deiparæ, & in honorem Sanctorum virginum, tum virorum, tum mulierum, qui Deiparæ exemplum ſunt ſecuti, conſcribatur; idq; ex earum multitudine, ac varietate melius, magisq; perſpiciatur, breuitatis propoſitæ metas tranſilientes, aliquanto etiam vberius de hoc ageremus. vt plurima virginum exempla, tum ad ea, quæ tractamus confirmanda, tum etiam ad eorundem victorias ſummatim ſaltem attingendas adduceremus. quippe qui Dei beneficio de propria carne, deq; Satana ſæuiſſimo hoſte non minus fortiter, quàm gloriosè triumpharunt; eaq; de cauſa in Cœlo præter gloriam eſſentialem, aureolam quoque virginitatis, & fructum inſuper caſtitatis centeſimum, qui virginibus debetur, ſunt conſecuti. Vt autem perſpicuitati conſulamus, vniuerſam hanc diſputationem octo ſectionibus hoc ordine complexi ſumus.

Primò, enim de ijs, qui hoc vitæ genus elegerunt, aliqua generatim præmittemus.

Secundò, virorum exempla proponemus, qui virginitatis gloria floruerunt.

Tertiò, aliquorum virorum fortitudinem admirabilem deſcribemus, qui virginitatis integritatem contra aliorum petulantiam, & contra carnis blandientis illecebras viriliter ſunt tutati.

Quartò, mulieres plurimas enumerabimus, quæ virginali pudicitia ſingulariter præfulſerunt, & pro Chriſti fide martyrium fortiter ſubierunt.

Quintò, mulierum, quæ pro virginitate tuenda contra tyrannorum ſæuientium vim, atque impetum ſtrenuè decertarunt, inuictum animi robur exponemus.

Sextò, de complurium virginum pudicitia agemus, quæ à Tyrannis in Lupanar detruſæ diuinitus à contumelia ſunt ſeruatæ.

Septimò, complures virgines recenſebimus, quæ in pace Eccleſiæ, perpetuæ virginitatis inſtitutum ſunt complexæ.

Octauò, denique nonnullos viros, ac mulieres, qui nuptiali vinculo colligati, illibatam tamen virginitatem coluerunt, commemorabimus; attexam & his nonnullos coniuges, qui aliquot ſuſceptis in matrimonio liberis, perpetuam deinde communi conſenſu continentiam ſeruarunt; quaſdam etiam, quæ viris extinctis ad ſecundas nuptias tranſire neutiquam voluerunt.

Et ne cogamur in ſingulis, quos plurimos in medium afferimus, auctores qui hæc litteris mandarunt, non abſque Lectoris faſtidio allegare; illud Lectorem monitum velim, ea quæ proferimus ex vitis eorundem, vel in Breuiario, aut Martyrologio Romano,

no,vel ex auctoribus probatis apud Surium esse deprompta:quòd si quid aliunde acceptum sit, auctores indicabimus, seruatis fermè, quoad eius fieri potuit, ijsdem auctorum verbis.

INNVMERABILIS VIRGINVM VTRIVSque sexus multitudo, qui in lege Euangelica virginitatis vexillum à Deipara erectum sunt secuti.

SECTIO PRIMA.

2 CVm virorum,ac mulierum, qui Deiparæ exemplo virginitatem Deo consecrarunt, ampliſſimis interdum,quæ offerebantur repudiatis matrimonijs,quorum complures martyrij quoque palmam adeptos esse constat;tanta sit multitudo,vt eorum numerus,qui ab initio nascentis Ecclesiæ per tot annorum secula in omnibus christiani orbis regionibus hoc præstiterunt, à nullo mortalium iniri possit: idcircò vt generatim hanc virginum multitudinem aliqua ratione conijcere possimus,afferenda sunt,quæ vetustissimi auctores,& complures Patres memorię prodiderunt.tum de innumeris vtriusque sexus fidelibus, qui vel in seculari vita, vel in religioso habitu regnis interdum,ditionibusq; quæ hæreditario iure illis obueniebant,posthabitis,virginitatem nuptijs prætulerunt.tum etiam de ijs,qui cęlibem,& religiosam vitam duxerunt,ex quibus complures illibata carnis integritate floruisse:quamuis hoc nominatim minimè exprimatur, coniectura tamen minimè dubia,vt infra dicam,affirmare possumus. *Virginum multitudo sub vexillo Deiparæ.*

In primis Philo disertissimus Iudæorum, qui Romæ sub Claudio,Apostoli Petri amicus fuisse à Hieronymo traditur, in libro quem inscripsit,de vita contemplatiua supplicum,ideſt Religiosorum, (quod orando,ac supplicando tempus omne consumant) cõuersationem monachorum,tum virorum,tum mulierum etiam virginum à viris separatim viuentium,Alexandriæ, & in Aegypto sub Marco Euangelista Doctore, quos præsens viderat,fusè exponit;eosq; plurimos fuisse affirmat, atque à spontanea bonorum abdicatione,à castitate,à ieiunijs,ab oratione,à lectione, & sacrarum litterarum interpretatione, quibus vacabant,& sacris mysterijs, quæ in templis obibant,mirificè commẽdat. Quòd autem hæc omnia intelligat de Ascetis,ideſt monachis christianis sic vocatis,propterea quòd virtutis exercitationi maximè essent dediti;egregiè probat Eusebius Cæsarienſis lib.2.histor.Eccles.cap.16. Epiphanius hæres.29. & Hieronymus in Catalogo Script.Eccles.in Marco,& in Philone: Cardinalis Baronius tom.1.Annal. ad annum Domini 64. & Cardinalis Bellarminus contra Magdeburgenses hæreticos non solum ostendit: verum etiam eorum obiectiones eruditè dissoluit in controuersia 2.generali lib.2.cap.5. *Ex Philone. Hieronymus. Christini Alexandrini sub S. Marco Euangelista, & virgines, qui in ijs extitere. Ex Cæsarienſi. Epiphanius. Hieronymus. Baronius. Bellarminus.*

Verùm quod ad rem nostram facit,eorum multitudinem non solum in Aegypto, sed in alijs etiam Prouincijs idem Philo de eis agens, his verbis apud Eusebium exprimit: Quamquam hoc hominum genus passim in vniuersum orbem terrarum diffusum est (nam non Græciam solum,sed etiam Barbariam tam præstantis, & perfecti boni participem esse oportuerat) in singulis tamen Aegypti agris, & maximè quidem circiter Alexandriam multò maxima hominum multitudo cernitur in loco commodissimo, qui est ad lacum Mariæ ex planicie paululum edito;additq; viros illos insignes Curatores, vel Cultores nuncupatos: mulieres etiam eandem vitæ consuetudinem secutas Curatrices,vel Cultrices appellatas,quod velut Medici eorum mentes,qui ad ipsos accedũt, à vitiorum morbo curent,vel quod puro cultu Deum colant. & harum mulierum complures ad extremam vsque senectutem Virgines permanere,ait,non necessitate,sicut nõ paucæ Græcarum,ac Gentilium Sacerdotum faciunt,sed sua voluntate;easq;castitatem propter Sapientię desiderium obseruare;neque mortales fœtus curare,sed immortales, quos anima Dei amore inflammata producit. adiecitq; (teste Eusebio) frequentes illorum in vnum congressus,& exercitationes, ac seueram disciplinæ rationem, virorum quidem in vno,mulierum autem in altero loco separatim congregatarum. hæc omnia ad verbum ex Eusebio,& Hieronymo locis citatis. *Virginum multitudo. Ex Philone. Ex Eusebio Cæsarienſi. Curatores monachi. Curatrices virgines.*

S. Ignatius, quia iam suo tempore virgines, & viduæ in multitudinem excrescere cœpe- *Virginum multitudo.*

Ex S. Ignatio. cœperant, in Epist. 5. ad Philippenses: *Saluto*, inquit, *congregationem virginum, legionem viduarum*.

Ex Iustino. Iustinus Philosophus,& martyr in Apologia,quæ est ad Antoninum Pium Imperatorem audacter pronunciat,apud nullam gentem ita coli castitatem,vt apud christianos, & hæc adijcit: *Permulti profectò sexus vtriusque,& sexaginta,& septuaginta nati annos (apud nos) qui à pueris disciplinam Christi sunt sectati, incorrupti, & cœlibes perdurant; & glorior me per omne genus hominum nostrorum tales commostrare posse*. sic Iustinus.

Ex Athanagora. Athanagoras Philosophus in oratione pro christianis,quæ habetur inter opera Iustini,de pudicitia agens christianorum: *Et reperire*,inquit,*est apud nos permultos, & viros, & mulieres,qui in cœlibatu consenescunt spe illa adducti,quod in tali genere vitæ conuersari prolixius cum Deo possint*. sic ille.

Ex Tertulliano. 3 Tertullianus in Apologetico cap.9.effreni Ethnicorum impudicitiæ,qua interdum accidebat, vt vel imprudentes incestu cum cognatis implicarentur,opponit christianorum castitatem: *Quæ diligentissima*,inquit,*& fidelissima nos ab euentu incæsti sepsit,quantumque ab stupris,& ab omni post matrimonium excessu, tantum & ab incæsti casu tuti sumus. Quidam multò securiores totam vim huius erroris Virgine continentia depellunt senes, pueri*. hæc Tertullianus.

Ex Cypriano. Cyprianus lib. de habitu Virginum: *Iam*, inquit, *refertus est orbis,impletus est mundus eorum,qui capere continentiam possunt, more viuentes spadonum castrati ad regnum Dei*. sic Cyprianus.

Ex Athanasio. Athanasius in lib. de humanitate Verbi: *Quis*, inquit, *hominum vel post mortem,vel in vita auctor seruandæ virginitatis fuit? at non contra arbitratus est eam virtutem præstari non posse? attamen Saluator noster, & omnium Rex Christus tantum valuit in huiusmodi præceptis,vt pueri nondum maturi legum disciplinæ, virginitatem quæ supra leges est,profiteantur*. hæc Athanasius.

Ex Ambrosio. Ambrosius lib.3.de Virginibus sacrarum virginum multitudine homines non minui, earumq; multitudinem in Oriente,& Africa esse ingentem probat: *Si quis*,inquit, *putet consecratione virginum minui genus humanum, consideret, quia vbi paucæ virgines, ibi etiam pauciores homines: vbi virginitatis studia crebriora, ibi numerum quoque hominum esse maiorem. Discite quantas Alexandrina totiusq; Orientis, & Africana Ecclesia quotannis sacrare consueuerint. Pauciores hic homines prodeunt,quàm illic virgines consecrantur*. hæc Ambrosius.

Idem Ambrosio. Idem S.Ambrosius ad Valentianum Imperatorem aduersus Symmacum lib.2.epist. 12. indicat imperij opes neutiquam sufficere potuisse ad virgines christianas Deo sacras nutriendas,si eæ publico sumptu alendæ fuissent, sicut olim Vestales, propter immensum earum in vniuersis Ecclesijs numerum. eius verba sunt: *Ponamus tamen subsidia largitatum conferenda virginibus,quæ christianis munera redundabunt? quod tantas opes sufficiet ærarium?* hæc Ambrosius.

Ex Chrysostomo. Chrysostomus homil.13.super cap.8.ad Roman. agens de gratia Spiritus per Christum legis Euangelicæ tempore collata, qua motus carnis mirum in modum sunt repressi, id confirmat ex mortis contemptu,& virginum immensa multitudine,quæ vbiq; terrarum florebat: *Quæ enim*,inquit,*nemo videbatur præstare posse virginitas,& mortis contemptus,compluresq; alij affectus,ea ipsa vbiq; iam terrarum nunc præstantur: neque apud nos solum,sed & apud Schytas, apud Thraces, apud Indos, apud Persas, reliquosq; quamplurimos Barbaros, & virginum chori, & martyrum populi, & monachorum sodalitates,qui omnes iam plures ijs esse cœperunt,qui vxores habent*. hæc Chrysostomus.

Ex Augustino. 4 S.Augustinus lib.1.de moribus Ecclesiæ cap.30.fuse agens de sanctitate,quæ non apud Hæreticos, sed in sola inuenitur Ecclesia catholica, eam sic affatur: *Meritò tibi tam multi hospitales multi officiosi, multi misericordes, multi docti, multi casti, multi sancti,multi vsque adeò Dei amore fragrantes,vt eos in summa continentia,atque mundi huius incredibili contemptu etiam solitudo delectet*. & cap.31. *Quis nescit summæ continentiæ hominum christianorum multitudinem per totum orbem in dies magis,magisq; diffundi, & in Oriente maximè, & Aegypto*. & mox. *Quis non illos miretur, & prædicet, qui*

con-

contemptis, atque desertis mundi huius illecebris in communem vitam castissimam, sanctissimamq; congregati simul ætatem agunt viuentes in orationibus, & alijs vitæ religiosæ exercitationibus, quas Augustinus latè prosequitur. & infra de Religiosis ad diuinum Verbũ à monasterijs à Patre audiendum confluentibus hęc adijcit: *Et conueniunt ad singulos Patres terna, vt minimum hominum millia, nam etiam numerosiores sub vno agũt.* & mox. *Hæc est etiam vita fœminarum Deo sollicite, castęq; seruientium, quæ habitaculis segregatæ, ac remotæ à viris quàm longissimè decet, ad quas iuuenum nullus accessus est, neque ipsorum quamuis grauissimorum, & probatissimorum senum, nisi ad vestibulum necessaria præbendi, quibus indigent, gratia.* hæc Augustinus.

Verùm de virginum apud catholicos ingenti numero audiamus apud Augustinum lib. 30. contra Faustum Manichæum cap. 4. eundem Faustum catholicos Episcopos, cũ quibus ei sermo erat, quod fideles ad virginitatem hortarentur, his verbis impie sugillantem: *Quod certatim semper ad hanc mulieres incitatis professionem suasionibus vestris, vt pęnè iam maior in Ecclesiis omnibus virginum apud vos, quàm mulierum numerositas habeatur.* sic Faustus hæreticus apud Augustinum. quod S. Augustinus minime inficiatur, licet eius ineptijs egregie respondeat. *Ex Augustino.*

Idem in lib. 8. confess. cap. 11. In lucta illa spiritus, & carnis excitata in se ipso initio conuersionis, considerabat ipse castam dignitatem continentiæ: *Ibi*, inquit, *tot pueri, & puellæ, ibi iuuentus multa, & omnis ætas, & graues viduæ, & virgines anus, & in omnibus ipsa continentia nequaquam sterilis, sed fœcunda mater filiorum gaudiorum de marito te Domine.* sic ille.

Idem Augustinus lib. de sancta virginitate cap. 36. Christum his verbis affatur: *Respice agmina virginum puerorum, puellarumq; sanctarum; in Ecclesia tua eruditum est hoc genus.* & mox: *Hi illud etiam, quod non iussisti, sed tantummodo volentibus arripiendum proposuisti, dicens: Qui potest capere capiat: arripuerunt, vouerunt, & propter Regnum Cœlorum se ipsos, non quia minatus es, sed quia hortatus es, castrauerunt.* hæc Augustinus. Matth. 19.

Theodoretus in sua historia Theophili sectio. 30. vbi Domninæ virginis vitam sanctissimam exposuisset, subijcit: Multæ aliæ partim quidem vitam amplexæ solitariam, partim autem viuere amarunt cum pluribus, adeò vt ducentæ, & quinquaginta, & plures, & pauciores simul viuant, vno cibo vescentes, super solas storeas ex instituto dormientes, & manus quidem lanæ attribuentes, hymnis verò linguas consecrantes. sunt autem eiusmodi innumerabilia sapientiæ gymnasia, non solum in nostra Regione, sed etiam per totum Orientem, ijs autem plena est Palestina, & Aegyptus, & Asia, & Pontus, & tota Europa. Ex quo enim Christus honorauit virginitatem, vt qui natus sit ex Virgine, prata virginitatis natura germinauit, & hos suaueolentes, & qui non marcescunt, flores affert creatori: non virtutem in masculo, & fœmina discernens. & infra. sunt ergo multæ, & virorum, & mulierum pietatis palestræ, non apud nos solum; sed etiam in vniuersa Syria, & Palęstina, & Cilicia, & Mosopotamia: in Aegypto autem dicunt etiam plusquam quinque millia virorum habere monasteria, qui operantur, & interim Dominum laudant, hymnisq; celebrant. hæc Theodoretus. *Ex Theodoreto.*

Palladius in historia Lausiaca cap. 124. vbi recensuisset insignium quarundam virginum nomina, quas Romæ viderat, subijcit: *In Ciuitate Ancyra esse decem millia virginum, quæ in omni virtutis institutione exercebantur.* *Ex Palladio.*

Euagrius in vitis sanctorum Patrum cap. 5. in vna Ciuitate Thebaidis dicta Oxirinchum se vidisse testatur innumerabiles religiosos, in qua vrbe multo plura monasteria videbantur, quàm domus, & ab eius loci Episcopo intellexit viginti millia virginum, & decem millia monachorum ibi esse, quorum plurimi diuersis Dei donis fulgebant. *Ex Euagrio.*

INGENS MVLTITVDO EORVM, QVI cœlibem vitam duxere, ex quibus complures virgines extitere.

Ingens multitudo cœlibum, ac virginum recensetur.

5 ATque hæc dicta sint in vniuersum de ingenti eorum numero, qui in Christi Ecclesia virginitatis florem Deo consecrarunt; Commemoranda est nunc infinita propemodum multitudo eorum, qui propter Christum Dominũ cœlibem vitam duxerunt, innumeris, ijsq; difficillimis Satanæ, ac propriæ carnis superatis tentationibus, ex qui-

bus plurimos etiam virginali caſtimonia fulſiſſe,proculdubio exiſtimare poſſumus:tum quia eorum complures,ex Athanaſio loco citato, & Hieronymo epiſt.22. & ex vita S. Pachomij apud Surium to.3.à pueritia in religioſo vitæ inſtituto ſunt educati; id quod laudat Baſilius in regulis fuſius diſputatis q.15.& S.Thomas 2.2.q.189.art.5.tum quia complures alij,& ſi maiores natu animum ad religionem appulerunt; in ſeculari tamen habitu religioſos mores ſunt æmulati,quamuis virorum virginitas non æque,ac mulierum propter ea,quæ infra dicemus,exprimi ſoleat.

Ex Athanaſio. Hieronymo. Surio. Baſilio. S.Thom.

Et vt omittamus illos omnes, quorum numerus præ multitudine ſupputari nequit, qui ab initio naſcentis Eccleſiæ initiati ſunt ſacris Ordinibus, quibus annexum eſt votum perpetuæ continentiæ:nam vt recte Hieronymus contra Vigilantium: *Orientis*, inquit, *Eccleſiæ, Aegypti, & Sedis Apoſtolicæ, aut virgines clericos accipiunt,aut continentes,aut ſi vxores habuerint, mariti eſſe deſierunt*. & epiſt.50. ad Pammachium idem docet, cũ Epiphanio contra Catharos in cõpendio,de quo videndus eſt Baronius to.1. ad ann.58.hoc ipſum de ſacerdotibus Orientis affirmat Euſebius lib.1. de demonſtrat. Euang.& Baſilius in Epiſt.ad Gregorium.Ephræm in Epiſt.ad quẽdam monachum, qui dicebat, melius eſſe nubere,quam vri.Maximus in reſponſis ad Thalaſij quæſtiones.

Clerici omnes continentes, aut virgines olim etiam fuere. Ex Hieronymo.

Ex Epiphanio. Baronio. Euſebio. Baſilio. Ephræmo.

Hoc ipſum teſtatur S.Thomas 2.2.q.88.art.11.idq; cõtra hęreticos egregiè probat Card.Bellarminus contr.2.lib.1.c.19. (quamuis Eccleſia Græcis ſacerdotibus vxorum, quas ante ordinationẽ duxerunt,vſum permiſerit,vt videre eſt cap. *cum olim de clericis coniugatis.*)venio ad eos,qui cœnobia,vel deſerta incoluerũt,quorũ immenſa multitudo licet cõijci poſſit ex ijs,quæ ſupra ex Philone,Io.Chryſoſtomo,Auguſtino,Theodoreto, & Palladio attulimus;adhuc tamen magis in particulari ex ijſdem,& ex alijs oſtẽdatur.

Ex S.Thom.

Ex Bellarm.

Ex Philone. Chryſoſtomo. Auguſtino. Theodoreto. Palladio.

S.Athanaſius in vita S.Antonij,de monachis ijs agens,qui ſub magni Antonij magiſterio viuebant,in hunc modum ſcribit:Erant igitur in monte monaſteria tanquã tabernacula plena diuinis choris pſallentium,legentium,orantium,tantumq; ieiunandi,& vigiliarum ardorem cunctorum mẽtibus ſermo eius afflauerat, vt futuræ ſpei auiditate ad charitatem mutuam,& miſericordias indigentibus exhibendas,iugi ſtudio laborarent: qui infinitam regionem quandam,& oppidum à mundana conuerſatione ſeiunctum, plenum pietatis,& iuſtitiæ videbantur incolere.Quis tantum monachorũ agmen adſpiciens,quis virilem illum concordię cętum cernens,in quo nullus nocens,nulla detractio ſuſurronis,ſed multitudo abſtinentium,& certamen officiorum erat, non in hanc ſtatim erumperet vocem? *Quàm bonæ domus tuæ Iacob,Tabernacula tua Iſrael?* hæc S.Athan.

Monachi ſub S. Antonio Abbate 6 Ex Athanaſio.

Numer.23.

S.Io.Chryſoſtomus homil.8.in cap.2.Matth.agens, quomodo Aegyptus ex Chriſti pueri inhabitatione,quendam ſanctificationis guſtum ſit adepta,vt poſtea prædicatione Apoſtolorum Dominum prima ſuſceperit,ſubijcit de Aegypti religioſis: Si quis,inquit, nunc ad Aegypti veniat ſolitudines,Paradiſo prorſus omnem illam videbit Eremum digniorem,& innumerabiles Angelorum cętus in corporibus fulgere mortalibus,&populos martyrum,& choros virginum, & omnem quidem tyrannidem diaboli diſſolutam, Chriſti autem regnum coruſcans.& mox:Eſt cernere tota illa regione diffuſum exercitum Chriſti,& admirabilem illum regium gregem,virtutumq; cęleſtium conuerſationẽ in terris micantem. atque hæc non in viris ſolum,verum etiam in fœminis ſplendere conſpicias:nam illæ quoque non minori,quàm viri virtute decorantur.& infra:Non ita varijs aſtrorum choris cęlum refulget, vt Aegyptus innumeris Monachorum,ac virginum diſtinguitur,atque illuſtratur tabernaculis.hæc Chryſoſtomus, qui etiam pluribus perſequitur virtutes eorum, & quo modo bonis omnibus renunciantes, ieiunijs, labori manuum,orationi vacabant.

Innumerabilis in Aegypto monachorum, ac virginum multitudo. Ex Chryſoſtomo

Ex Baſilio.

S.Baſilius,qui monaſtici inſtituti nõ ſolum cultor,ſed inſtitutor ẽt fuit pręclariſſimus epiſt.63.de religioſis agens: *Audio quidem in Aegypto talem eſſe virorum quorundã virtutem,& forſan in Paleſtina.Audio & in Meſopotamia viros eſſe perfectos, atque beatos.*

Monaſteria quamplurima. Ex Hieronymo in Paleſtina.

S.Hieronymus in vita S.Hilarionis,(quem Monaſticę conuerſationis,& ſtudij in Syria fundatorem, & eruditorem appellat,) exemplo eius per totam Paleſtinam innumerabilia monaſteria eſſe cœpiſſe, omnesq; ad eum Monachos certatim currere, & cum interdum cellulas luſtraret Monachorum,fratres qui eum comitabantur ad duo millia, aliquando ad tria millia extitiſſe affirmat.

Idem

Idem Hieronymus de Monachorum multitudine è Barbarorum Regionibus ad ſancta Ieroſolymæ loca viſenda accedentium epiſt.7.ſic ait: De India,Perſide Aethiopia, monachorum quotidie turmas ſuſcipimus. & Epiſt. 3. Indus,Perſas,Gothus,Aegyptius philoſophantur.hæc ille. Oſtendens eos religioſæ perfectioni vacare,quam Philoſophiæ nomine appellat; & Epiſt.27. Narrat in Oppido Nitria in Aegypto S.Iſidorum Epiſcopum cum turbis innumerabilibus monachorum,ex quibus multos ſacerdotalis, & leuiticus ſublimabat gradus,occurriſſe S.Paulæ Romanæ,quæ monachos in deſertis illis viſitabat,eamq; ſexus oblitam inter tot millia monachorum habitare cupiuiſſe, niſi Bethlehem deſiderium retraxiſſet. ſic Hieronymus.

Monachi ſub S. Iſidoro Epiſcopo in Aegypto. S.Paulæ Romanæ.

7 S.Auguſtinus lib.1.de moribus Eccleſiæ cap.33. Vidi ego diuerſorium ſanctorum Mediolani non paucorum hominum,quibus vnus Presbyter præerat,vir optimus,& doctiſſimus:Romæ etiam plura cognoui,in quibus ſinguli grauitate,atque prudentia,& diuina ſcientia præpollentes, cæteris ſecum habitantibus præſunt,chriſtiana charitate, ſanctitate,& libertate viuentibus.

Sanctorum virorum diuerſorium Mediolani. Ex Auguſtino.

S.Paulinus in carmine vltimo de reditu Nicetæ,à quo hæc accepit, ſic cecinit de Beſſis olim latrocinijs aſſuetis,& de Dacis.

Monachi apud Beſſos,ac Daces Ex S.Paulino.

O vices rerum bene verſa fama,
Inuij montes prius, & cruenti
Nunc tegunt verſos Monachi latrones
Pacis alumnos
Mos vbi quondam fuerat ferarum,
Nunc ibi ritus viget Angelorum,
Et latet iuſtus,quibus ipſe latro
Vixit in antris.

Caſſianus lib.4.cap.1.de vno Cœnobio Tabennenſiotarum in Thebaide ſic ait:Hoc cœnobium quanto numero populoſius cunctis,tanto conuerſationis rigore diſtrictius. ſiquidem in eo pluſquam quinque millia fratrũ ſub vno Abbare reguntur;tantaq; obedientia hic tam prolixus monachorum numerus omni æuo ſeniori ſubditur, quanta non poteſt apud nos vnus vni,vel obedire pro modico tempore,vel præeſſe.ſic ille. cui atteſtatur Theodoretus in hiſtoria Theophili cap. 30. quem ſupra citauimus.

Monachi in cœnobio Tabennenſiotarum in Thebaide circiter 5000. Ex Caſſiano. Ex Theodoreto.

8 Palladius in hiſtoria Lauſiaca de religioſis tum cœnobitis,tum eremitis,quos ipſe viſitauit, plurimos refert, nos ſummatim eos adnotabimus in cap.6. *In monte*,inquit,*Nitriæ habitant ad quinque millia virorum,aliqui ſoli,aliqui cum duobus,vel tribus: in intima verò ſolitudine erant Anachoretæ viri perfecti numero ſexcenti.*& cap.8. In hoc mõte Nitriæ Abbas Or habebat monaſteria mille fratrum. Cap.35. Monaſteria,quæ regulam habent S.Pachomij ab Angelo acceptam ſeptem millia virorum habent.Primũ verò,& magnum,quod alia peperit,in quo degit S.Pachomius 1400.continet.

Cœnobitæ,ac Eremitæ innumerabiles. Ex Palladio. Anachoretæ Monachi 600. in monte Nitriæ monaſterium ſub Abbate Or. Monachi ſub S. Pachomio Abbate 1400. Monaſterium ſororis S. Pachomij. Ex Surio.

Cap.36. Trans fluuium eſt monaſterium mulierum circiter quadringentarum,quod eandem habet viuendi formam,& inſtitutum. hoc monaſterium eſt fundatum à ſorore S.Pachomij,quemadmodum in S.Pachomij vita apud Surium 14. Maij legimus.

Et cap.44.vidit Ammonem in Thebaide patrem ter mille monachorum,quos ẽt vocabat Tabennenſiotas,mirum ſilentiũ,& incredibilem ciborum abſtinentiam ſeruantes.

Tabennenſiotæ Monachi, ſub Ammone Abbate.

Cap.48.in Thebaide in finibus Hermipolis,vbi Deipara cum Chriſto manſit,vidiſſe ſe ſcribit in ſolitudine Apollo,qui monaſteria habebat ſupra montem,eratq; pater monachorum circiter quingentorum. cum autem eſſet Apollo octogenarius ſibi magnum congregauerat monaſterium virorum perfectorum, qui poterant omnes ferè ſigna efficere. ita Palladius.

Monachi ſub Apollo Abbate. Ex Palladio.

Cap. 65. monaſterium magni Iſidori erat mille monachorum tantæ ſanctitatis, vt omnes ſigna facere poſſent,& cum mors immineret eius diem prædicebant,& abſque morbo decedebant.

Monaſterium magni Iſidori Abbatis.

Cap. 63. Dioſcorus pater erat centum monachorum.

Monachi ſub Dioſcore Abbate

Cap. 67. Chronius pater trecentorum.

ſub Chronio Abbate.

Cap.70.in partibus Arſenoitę Presbyter Serapiõ pater erat horum monaſteriorum, in quibus decies mille numerantur. quod confirmat SoZomen.lib.6. cap.28.

ſub Serapione Abbate.

Monachi, & Anachoritæ in Thebaide.

Cap. 81. in Antinoi Ciuitate Thebaidis circa ciuitatem circiter bis mille sunt in monasterijs; & in his sunt etiam Anachoretæ.

Monachi in Thebaidæ, quæ est per Syenem.

Cap. 150. in Thebaide, quæ est per Syenem, dicit viros esse valde admirabiles, & multitudinem monachorum infinitam, quorum tanta est sanctitas, vt mortuos in hodiernum vsque diem suscitent, super aquas ambulent, & quæ Christus per sanctos Apostolos, ea quoque per eos nunc efficiat. hæc ex Palladio.

Ex Palladio.

Ex Damasceno.

9 S. Ioannes Damascenus in historia de Barlaam, & Ioasaphat c. 1. scribit. In Indię regione ingenti, ac frequentissima, quæ ab Aegypti parte mari alluitur, & à continente ad Persidis fines accedit, cum Christi fidem Indi suscepissent, & audissent in Aegypto monasteria exædificari, ac monachorum, qui Angelorum instar viuebant ingentia agmina cumulari, ipsos quoque ad eiusdem vitæ studium excitatos, adeò vt complures ipsorum relictis omnibus rebus in solitudines concederent, atque in mortali corpore eorum, qui corporis expertes sunt, vitæ rationem susciperent. hæc ille. Ex quibus complures Abenner Rex pro Christi fide diuersis afflictos supplicijs cædi iussit, de quibus in Martyrologio die 3. Augusti.

Aegyptij Monachi.

Indi martyrio coronati Abenner Rex. Martyrol. Rom.

Ex Bernardo. Benchorēses Monachi sub Congello Abbate.

S. Bernardus in vita S. Malachiæ de vno monasterio in Hybernia sic scribit. Benchorense Monasterium nobilissimum extiterat ante sub primo patre Congello, multa millia Monachorum generans multorum monasteriorum caput. Locus verè sanctus, fœcundusq; Sanctorum, copiosissimè fructificans Deo, ita vt vnus ex filijs sanctæ illius Congregationis nomine Luanus, centum solus monasteriorum fundator extitisse feratur. Quod idcirco dixerim, vt ex hoc vno conijciat Lector, quam ingens fuerit reliqua multitudo. & infra. Nec modo in præfatas, sed in exteras etiam regiones quasi inundatione facta, illa se Sanctorum examina effuderunt. E quibus ad has nostras Gallicanas partes S. Columbanus ascendens Luxutiense construxit monasterium factus ibi in gentē magnam. Aiunt tam magnum fuisse Benchorense monasterium, vt succedentibus sibi vicissim choris continuarentur solemnia diuinorum, ita vt ne momentum quidem diei, ac noctis vacaret à laudibus. & mox. Nam vt taceam corpora sanctorum, quæ in pace sepulta sunt, ferunt nongentos simul vna die à piratis occisos. Erat quidem ingens loci illius possessio, sed Malachias solo contentus loco sancto, totas possessiones & terras alteri cessit. hæc omnia Bernardus.

Monasteria sub Luano Abbate.

Luxouiense Monasterium sub S. Columbano Abbate.

Benchorēses Monachi succedentibus vicissim choris diuinorū solemnia celebrabant.

Nongenti Monachi simul, à piratis occidūtur.

S. Malachias.

Nec mirum videri debet tantum Monachorum numerum cœsum à piratis, nam & in Martyrologio Romano die 12. Augusti hæc legimus. Eodem die sanctorum martyrum Porcharij Abbatis monasterij Lirinensis, & quingentorum monachorum, qui pro fide catholica à Barbaris cœsi, martyrio coronati sunt.

SS. Porcharius, & 500 soc. mar. ex Martyrologio Romano.

10 Quoniam verò S. Bernardus loc. cit. per honorificam de S. Columbano mentionem fecit, antequam ad alia progrediamur, breuiter dicamus de Religiosis per eum mirificè propagatis. Is. n. non solum egregia sanctimonia, miraculorū gloria, & prophetiæ spiritu claruit, verùm etiam plurimorum monachorum pater (quorum cōplures sanctitate illustres fuere) multorum item cœnobiorum fundator extitit; cuius obitus in ann. 622. à Sigeberto in chronico reponitur; dies verò in Martyrol. 21. Nouēb. adnotatur, eius vitam in compendium redactam describit Petrus in catalogo lib. 10. c. 94. è S. Columbani discipulis præter multos alios S. Eustasius clarus habetur. Is Luxouiēsis monasterij ab eodem S. Columbano fundati Abbas miraculis, & sanctitate conspicuus fermè sexcentorum monachorum pater extitit, de quo in Martyrol. 29. Martij, ex quibus non tantum in Oriente, verum etiam in Occidente monachos mirificè propagatos, satis constat, de quibus Card. Baronius to. 3. Annal. ad annum Christi 328. *Certum*, inquit, *exploratumq; est, Occidentalis Orbis Prouincias fermè omnes vna cum Insulis hoc eodem seculo fuisse refertas agminibus Monachorum; & vt summatim de his nonnulla perstringamus, dicemus aliquid de monasterijs vetustissimis in Occidente fundatis, & de Religionum Ordinibus ibidem institutis.*

S. Sigebertus. Martyrolog. Petrus de Natalibus.

S. Eustasius Pater 600. Monachorum.

Ex Martyrologio Romano.

Ex Baronio.

Et sanè de Monasterijs Romæ excitatis præter S. Hieronymum epist. 16. testatur S. Augustinus lib. 1. de moribus Eccles. cap. 33.

Monasteria Romæ extructa ex Hieronymo, & Augustino.

Ecclesia quoque Mediolanensis monasterium propè Ciuitatem habebat ex eodem Augustino lib. 8. Confess. cap. 6.

Monasterium Mediolani ex Augustino.

San-

Sanctus verò Eusebius Episcopus Vercellensis ex Ambrosio lib. 10. epist. 82. primus in Occidentis partibus hæc duo clericorum officia, & monachorum instituta in ijsdem personis in sua Ecclesia coniunxit. *Ex Ambrosio. S. Eusebius Episcopus Vercellensis.*

S. Martinus, apud Seuerum Sulpitium in eius vita, Turonis monasterium sanctitate, & Monachorum frequentia insigne extruxit. *Ex Seuer. Sulp. Monasterium Turonense sub S. Martino.*

Sanctus Augustinus in Africa, ex Possidio, virorum, ac mulierum monasteria fundauit, & religiosum institutum inchoauit, quod in hodiernum vsque diem per multos ordines Canonicorum Regularium, Eremitarum sancti Augustini, & aliorum propagatum Ecclesiam mirificè exornat. *Ex Possidio. Monasteria in Africa sub S. Augustino.*

11 In Italia verò, quamuis ante S. Benedictum complures essent Monachi, quorum monasteria memorat S. Gregorius lib. 1. Dialog. cap. 1. & 4. illud nimirum S. Honorati in Vrbe fundata. S. Equitij in Prouincia Valeria, & illud prope Sublacum Romani Monachi, à quo S. Benedictus, teste Gregorio lib. 2. Dial. cap. 1. habitum S. Conuersationis accepit: ipse tamen S. Benedictus religiosam disciplinam anno 520. in Occidente penè collapsam, vt verbis vtar Martyrologij, restituit, & mirum in modum propagauit, sub cuius Regula innumeri Religiosorum ordines militant, qui tanto Patre gloriantur. *Monasteria in Italia ex Greg. sub S. Honorato. sub S. Equitio. sub Romano Monacho. Religiosorum disciplina sub S. Benedicto Abbat. in Occidẽte.*

Post sanctum verò Benedictum nõ defuere plurimi, qui religiosum institutum instauarunt, vel instituerunt, eiusmodi fuit S. Romualdus Camaldulensium Fundator. *Ex Martyrol. Monachi sub S. Romualdo Abb.*

Fuere & Cluniacenses an. 913. qui à S. Odone Abbate sumpsere initium, Carthusiani à S. Brunone. Ordo Vallis vmbrosæ à S. Ioãne Gualberto. Cistercienses à S. Roberto primo eorum Abbate, de quo in martyrologio die 29. Aprilis, magis tamen propagati postea à S. Bernardo notæ sanctitatis viro. *sub S. Odone Abbate. sub S. Brunone. sub S. Ioanne Gualberto. sub S. Roberto Abbate.*

Ordo Eremitarum Montis Virginis à S. Gulielmo Vercellensi in eodem Monte Virginis prope Neapolim institutus. *Ex Martyrologio Romano. sub S. Bernardo Ordo Eremitar. sub S. Gulielmo Vercellensi.*

Ordo Seruorum B. Virginis Florentiæ cœpit. *Ordo Seruorum B. Mariæ Virg.*

Ordo Cœlestinorum à S. Petro Morono. *Ordo Cælestinor.*

Ordo Iesuatarum à B. Ioanne Columbino Senis inchoatus, & *S. Pet. Morone à Iesuatorum, sub S. Io Columbino*

Ordo Montis Oliueti Senis pariter institutus. *Ordo Montis Oliueti.*

12 Quid dicam de mendicantium Ordinibus, qui in personarum numerum propemodum infinitum in toto terrarum Orbe excreuerunt; eiusmodi est Ordo Prædicatorum à S. Dominico fundatus. Ordo Minorum à S. Francisco. Eremitarum à S. Augustino. Carmelitarum ad Eliam Prophetam, & eos, qui in monte Carmelo degebant, suam origem referentium, è quibus S. Albertus Confessor die 7. Augusti, & S. Angelus martyr die 5. Maij præcipuè claruerunt. Minimorum à S. Francisco de Paula; & aliorum ordines, quos breuitatis studio præterimus, qui Ecclesiam Dei vitæ exemplo, & doctrina illustrarunt. *Prædicatorum Ordo à S. Dominico institutus. Minorum à S. Francisco. Eremitarum à S. Augustino. Carmelitarum ab Elia Prophe. S. Albert. Conf. S. Angelus mar. Ordo Minimorum à S. Francisco de Paula.*

Ordines quoque Clericorum regularium, quorum plures post annum Domini 1500. in Ecclesia germinarunt, eiq; suis institutis in animabus iuuandis egregiam nauãt operam, inter quos connumeratur nostra minima Societas Iesu anno 1540. à Paulo III. Pontifice Maximo confirmata. Quòd si quis Religiosorum Ordines (quos in præsentia recensere nimis longum esset, & à nostro instituto alienum) magis in particulari cognoscere desideret, legat nostrum Hieronymum Platum in egregio, quod de bono statu Religiosi elucubrauit, opere lib. 2. cap. 20. & sequentibus, & Paulum Morigiam lib. de origine Religionum. *Societas Iesu instituitur. Ex Hieronymo Plato. Ex Paulo Morigia.*

Ad extremum illud ex Tritemio lib. 1. de Viris illustribus S. Benedicti cap. 2. adijciendum videtur in sola Prouincia Moguntina suo tempore centum & viginti quatuor Abbatias Ordinis S. Benedicti extitisse. (Is autem vixit annum circiter 1480.) additq; Tritemius de Ordine S. Benedicti, fuisse tempus cum in illo solo ordine quindecim mille Abbatiæ numerarẽtur. Ex quibus aliorum Ordinum cœnobia, & domos, eorumq; Religiosos, qui omnes continentiam Deo promittunt, conijcere poterimus. *Ordo S. Benedicti ex Tritemio.*

Atque hæc in vniuersum de eorum multitudine, qui Deiparam imitati, virginitatem, vel saltem cœlibatum coluerunt; nunc in particulari ad viros, & mulieres, qui hoc vitæ institutum complexi sunt, veniamus.

VIRORVM EXEMPLA, QVI DEIPARAM imitantes incorruptum virginitatis florem custodierunt.

SECTIO SECVNDA.

Virginitatis cultus gloriosior in viris, quam in fœminis.

13 ETsi virginitatis præstantia ea est, vt in quocumque sexu reperiatur, omni sit celebranda præconio; in viris tamen præcipuè suspicienda videtur: tum propter acriores, quibus ob feruidiorem corporis constitutionem vrgentur carnis stimulis, tum propter maiores eius amittendæ occasiones ob licentiam quo libet sine custodibus, & interdum sine arbitris vagandi; tum etiam, quia infamiæ nota apud cognatos, ac populares, pudor item naturalis ab huiusmodi flagitio absterrere magis solent fœminas, quàm viros. quare Climacus gradu 15. *Summa*, inquit, *circa nos Deus in hoc quoque prouidentiam gerens procacitatem fœminæ, quasi fræno quodam pudore restrinxit: nam si hæc ad marem sponte accurreret, non fuisset salua omnis caro.* hæc Climacus. quæ omnia S. Augustinus de verbis Domini serm. 46. cap. 2. confirmat. Cum enim viros, qui vxorem ducere volunt hortaretur ad virginitatem interim seruandam exemplo mulierum nubere volentium, subijcit. Et tu, inquit, vir si virginitatem seruaueris glorioſior eris, quàm mulier: illam enim premit parentum custodia, refrænat inferioris sexus verecundia, postremò leges timet, multa enim præter Deum timet: tu verò solum Deum times, qui maior est omnibus. hæc Augustinus. Hinc etiam factum est, vt quamuis plurimi ex viris virginitatem sancte coluerint, nam & Apoc. 14. illa centum quadraginta quatuor millia agnum sequentium, dicuntur cum mulieribus non esse coinquinati, quod ad viros spectare perspicuum est, licet eo numero, & fœminas comprehendi dixerimus: quia tamen virorum pudicitia propter discurrendi libertatem non æque, ac mulierum sub custodia aliorum est: ideò Auctores, qui Sanctorum vitas scriptis prodiderunt, de virginitatis flore à viris sanctis seruato nihil fere dicere solent, nisi aliqua alia via certo constiterit, eos illum custodisse, quod tamen præhumilitatis modestia viri spirituales de se mirificè occulere consueuerunt: quæ eo spectant, vt nemini mirum videri debeat, si dum virgines recensemus, complures, qui à pueritia insigni vitæ sanctimonia claruerunt, & certissima coniectura eos virginitate ornatos existimare possumus, hoc in loco taciti prætereamus; aliquos tamen omittere nequiuimus. Illud autem in his animaduertere licet præter incredibilem vitæ asperitatem, & carnis castigationem, qua corpus suum in seruitute redigebant, plerosq; omnes ne à mulierum cõsuetudine ipsorum puritas in discrimen vocaretur, earum conspectum sibi planè interdixisse, vt cum S. Iob cap. 31. dicere possent: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine*, qua de re in fine huius Sectionis aliquanto vberius disseremus.

S. Ioseph B. Virginis sponsus virginitatis laurea præclarissimus. Gerson.

14 Inter viros, qui post Christi aduentum virginali castimonia floruerunt, si temporis antiquitatem spectes, principem sibi locum vendicat Ioseph Deiparæ sponsus sanctissimus, qui Domini Pater meruit appellari: quem Gerson in serm. de Natiu. Virg. in Concilio Constantiensi habito, peculiari priuilegio, in matris vtero sanctificatum, nullius vnquam mortalis noxæ conscium affirmat. additq; eius fomitem, vel extinctum, vel repressum, ne virginis Deiparæ pulchritudine, & familiaritate læderetur. Cui cõsentit Echius in sermone de S. Ioseph, & Iacobus Christopolitanus in Canticum *Magnificat* in quarta dignitate Deiparæ: quem etiam S. Bernardinus Senensis tom. 3. serm. de S. Ioseph arbitratur à Spiritu sancto tantę virgini non fuisse vnione coniugij copulandum, nisi eidem virtutum operatione fuisset simillimus: Vnde, inquit S. Bernardinus, credo Ioseph mundissimum in virginitate, profundissimum in humilitate, ardentissimum in charitate, altissimum in contemplatione, &c. vt videlicet esset adiutorium simile virgini. Et quamuis non desint, qui velint S. Ioseph aliam prius coniugem habuisse, ex qua suscepit filios, qui in Euangelio fratres Domini nuncupantur; mihi tamen magis sequenda videtur eorum Patrum sententia, qui perpetuæ virginitatis decus ei tribuunt. Id enim sentit Hieronymus lib. contra Heluidium, vbi non tantum Mariam fuisse Virginem, sed etiam ipsum, inquit, Ioseph virginem fuisse per MARIAM, vt ex virginali coniugio Virgo filius nasceretur: si enim in virum sanctum fornicatio non ca-

Echius.

Ex S. Bernard.

Ex Hieronymo.

dit,

dit,& aliam eum vxorem habuiſſe non ſcribitur præter Deiparam,cuius virginitatis cuſtos fuit integerrimus, relinquitur Virginem eum fuiſſe. Idem ſentit Auguſtinus ſerm. 15.de Natiu.Domini,& Beda in cap.2. Ioan. Rupertus quoque in 1. cap.Matth. non ſolum illum exiſtimat Virginem: verùm etiam Deiparæ, & Ioſeph applicat locum illum Cant.2. *Dilectus meus mihi,& ego illi,qui paſcitur inter lilia.* Has enim duas perſonas præ cæteris rectè vocari, & eſſe lilia ob virginales nuptias, & caſtiſſimam cohabitationem docet. Idem ſentiunt Hugo de S. Victore lib. de coniugio Mariæ. S. Bernardinus loco citato,& Gerſon ſerm.1. de Natiu. Deiparæ conſid.3. Eius ratio eſt, quia ſi Deipara, dum eſſet proiectæ ætatis.à Chriſto in cruce Virgini Ioanni eſt commendata; quanto magis exiſtimandum eſt eidem Matri in ætate adoleſcentiore cuſtodem Virginem puriratis ſtudioſiſſimum aſſignatum?Hieronymi ſententiam amplectitur S.Thomas 3.par.q.28.art.3.ad quintum, vbi fratres Domini ex Hieronymi interpretatione non filios Ioſeph, ſed conſobrinos Saluatoris ſororis Mariæ matris Domini filios intelligimus. ita S. Thomas. quorum mater neque erat filia S. Annæ matris Deiparæ, vt cap. 18.diximus,ſed erat eiuſdem Deiparæ conſobrina. quare mirum non eſt ſi S.Bernardinus pie credat S.Ioſephnm cum Chriſto reſurrexiſſe,& anima,atque corpore beatum eſſe in cœlis. Vt ſicut,inquit,illa ſancta familia, ſcilicet Chriſtus, Virgo, & Ioſeph in laborioſa vita, & amoroſa gratia ſimul vixerunt in terris, ſic in amoroſa gloria nunc & corpore, & anima regnent in cœlis iuxta regulam Apoſtoli 2. Cor.1. *Sicut ſocij paſſionum eſtis, ſic eritis, & conſolationis*. ita S.Bernardinus. Hanc ſententiam Suarez tom. 2.in 3.par.diſput.8. ſect.2. vocat ſatis receptam, & probabilem, eamq; recipit Barrada lib.6. cap.8.

Ex Auguſtino. Beda. Rupertus. Cant.2. Hugo de S. Victore. Ex S. Bernard. Ex Gerſone. Ioan. 19. Ex S. Thom. 2.Cor.1. Ex Suario. Et Barradæ.

De interceſſionis verò S.Ioſeph apud Chriſtum, & Deiparam efficacia,pulchrè Gerſon in ſua Ioſephina hos verſus,quos alibi in hoc opere allegauimus, cecinit.

Quanta ò fiducia, quanta eſt
Vis impetrandi,quia dum vir,dum Pater orat
Vxorem,& natum; velut imperium reputatur.

S.Ioannes Baptiſta Domini Præcurſor virginitatis puritate adeò floruit, vt Angelus à Malachia cap.5.vocetur: is à pueritia cibo ex locuſtis,& melle ſilueſtri,veſtitu autem ex pilis Camelorum vtebatur, aſperrimam vitam ab omni hominum conſuetudine ſeiunctam in deſertis traduxit vſque ad diem,vt ait S.Lucas,oſtenſionis ſuæ ad Iſrael.

S. Ioan. Bapt. Malach. 5. Marc. 1. Luc. 1.

S.Ioannes Euangeliſta,cui Virgini Chriſtus de cruce Matrem Virginem commendauit, quia Virgo erat, ideo, vt ait Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, plus amatur à Domino, & ſuper eius pectus recumbit, de cuius pectoris ſacro fonte fluenta Euangelij potauit.

S. Ioannes Euangeliſta. Ex Hieronymo.

S. Iacobus Minor frater Domini virginitatem coluit ex Epiphanio hæreſ. 30. Quare S. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum: Iacobus,inquit, frater Domini dictus tantæ ſanctitatis, tantæq; iuſtitiæ, & perpetuæ virginitatis. & mox. Virgo myſticè virginitatem docet, cum in ſua Epiſtola ait: *Omne donum de ſurſum deſcendit à Patre luminum,vbi non ſunt nuptiæ.* de quo ex Hegeſippo Hieronymus lib.de viris illuſtribus prodidit,eum de Matris vtero ſanctum fuiſſe,vino,ſicera,& carne perpetuò abſtinuiſſe, cui ſoli propter inſignem eius ſanctitatem licebat ingredi Sancta Sanctorum,quod ipſum atteſtatur Epiphanius hæreſ.29.

S. Iacobus Minor. Ex Epiphanio, & Hieronymo. Iacob. 1. Ex Hieronymo. Epiphanius.

Sanctus quoque Apoſtolus Paulus, vt teſtatur Hieronymus Epiſtol. 22. Virgo fuit, quippe qui 1.Corin.7. Virgines, & viduas ad caſtitatem hortatur exemplo ſui, & Tertullianus lib.de Monogamia cap.3. Apoſtolus,inquit,Paulus ad ordinem Spadonum ſpectat, propterea & ipſe caſtratus continentiam mauult. Chryſoſtomus lib. de Virginit. Auguſtinus de gratia,& libero arbitrio cap. 4. Theodoretus in cap.4.epiſt.ad Philip.idem docent.

Ex S. Paulus Apoſtolus. Hieronymus. 1. Corin.7. Tertullianus Chryſoſtomus. Auguſtinus. Theodoretus.

Obijcies Ignatium Epiſt.ad Philippenſes,& Clementem Alexandrinum lib.3.Strom. qui inter coniugatos referunt Apoſtolum Paulum.

Ignatius.

Ad Ignatium reſpondent omnes,locum illum vitio ſcriptorum eſſe deprauatum, additumq; nomen Pauli, quod egregiè probat Cardinalis Bellarminus contro.2. lib. 1. cap. 20. & Cardinalis Baronius tom. 1. ad annum 57. de Clemente verò Alexandrino

Bellarminus. Baronius.

dece-

deceptum eum leui quadam coniectura, rectè probant ijdem Bellarminus, & Baronius locis citatis, hæc autem vbèrius persequi non est nostri instituti.

Apostoli virginitatem seruauerunt.
S. Petro excepto qui coniugatus fuerat.
Tertullianus.
Hieronymus.

Quin etiam, si vnum Petrum Apostolorum Principem excipias, quem vxorem habuisse ex sacris litteris accepimus, virgines fuisse reliquos Apostolos, vtpote singulari Dei prouidentia ad tantum munus deligendos, facile persuaderi potest auctoritate Tertulliani in libro de Monogamia cap. 8. *Petrum*, inquit, *solum inuenio maritum per socrum; cæteros autem cum maritos non inuenio, aut Spadones intelligam necesse est, aut continentes.* hæc Tertullianus: qui etiam plura de cœlibatu aliorum Apostolorum adijcit; & Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum: *Cum de vno*, inquit, *Petro scriptum sit, quòd vxorem habuerit, & de cæteris non sit manifeste relatum, intelligere debemus sine vxoribus fuisse, de quibus nihil tale scriptura significet.* hæc ille.

S. Lucas.

S. Lucas, teste Hieronymo de viris illustribus in Luca, vitam produxit ad quatuor & octoginta annos vxorem non habens; ex quo colligo virginitatis florem ab eo custoditum: neque enim aliter in viris Sanctis communiter significari solet virginitas: si enim S. Franciscus antequam vitam sanctè institueret, mercaturæ negotijs implicitus, singulari tamen Dei beneficio virginitatem conseruauit, vt infra dicemus; quidni etiam de S. Luca idem affirmabimus, quippe qui ad Christi Euangelium conscribendum à Deo præordinatus, & à purissima Virgine Virginum de mysterijs infantiæ Saluatoris nostri, quæ in suo Euangelio sacris litteris mandauit, instituendus erat: quin etiam Deiparæ effigiem Christum in sinu fouentis, picturæ arte ad fidelium consolationem exprimere dignus fuit. quæ omnia familiarem cum Deipara purorum amantissima conuersationem arguunt.

S. Franciscus de Assio.

S. Ignatius mart. syr. virgines honorificè compellat.

S. Ignatius epist. 6. ad Philadelphonsos virgines monens, vt solum Christum præ oculis habeant, enumerat eos, qui in lege veteri virgines fuere, & nonnullos etiam, qui in lege Euangelica: his autem Verbis virgines affatur: *Memor sum sanctitatis vestræ sicut Eliæ, sicut Iesu Naue, sicut Melchisedech, sicut Elisei, sicut Hieremiæ, sicut Ioannis Baptistæ, sicut dilectissimi discipuli, sicut Timotei, sicut Titi, sicut Euodij, sicut Clementis, vel eorum, qui in castitate de vita exierunt.* hæc Ignatius.

S. Nicolaus Episcopus.

15 S. Nicolaus Miræ Episcopus vitæ integritate, & miraculis longe clarissimus, castitatem perpetuò coluit, quam vt melius assequeretur, legitur æqualium conuiuia, & consuetudines vitasse, omninò à mulierum colloquijs, & conspectu abhorruisse, totumq; se honestati, ac pudicitiæ addixisse: reliquas verò eius heroicas virtutes; vitamq; sanctitatis laude illustrem, cum non sit nostri instituti fusius persequi, ideò consultò eas prætereuntes, lectorem ad alios, qui iusto volumine eas pertractarunt, remittimus.

Ex S. Athanas. S. Antonius Abbas.

S. Antonius Abbas teste S. Athanasio in eius vita magna, parentum suorum cura nutritus, vt nihil præter parentes, domumq; cognosceret, innocenter domi habitabat, ad Ecclesiam cum parentibus sæpè conueniens, infantum lasciuias non sectabatur, adolescens re familiari vendita, pecuniaq; in pauperes erogata, totum se diuino obsequio mancipauit, integerrimam verò eius puritatem, & animi inuictam constantiam ostendũt tentationes acerbissimæ, quas idem S. Athanasius prolixè refert, ab immundissimo spiritu fornicationis immissæ, ab eodemq; Antonio strenuè reiectæ, ita vt fornicationis spiritus in pueri specie horrido, nigroq; aspectu eidem apparens, se ab eo superatum apertè confessus sit.

S. Hilarion Abb.

S. Hilarion monasticæ conuersationis in Syria fundator, & eruditor, quindecim annos natus post bimestre temporis spatium, quo institutus est apud S. Antonium, sacco membra coopertus, vasta, & terribili solitudine Syriæ vtebatur, quindecim tantum carycis post solis occasum vescebatur: diabolus verò titillabat sensus eius, & pubescenti corpori solita voluptatum incendia suggerebat, cogebatur Christi tyrunculus cogitare, quod nesciebat, & eius rei animo pompam voluere, cuius experimenta non nouerat, (verba sunt Hieronymi, quibus integerrimam ante actæ vitæ puritatem indicat.) Hilarion itaq; iratus sibi pectus pugnis verberans: *Ego*, inquit, *Asselle faciam, vt non calcitres, nec te hordeo alam, sed paleis, fame te conficiam, & siti, graui onerabo pondere, per æstus indagabo, & frigora, vt cibum potius quàm lasciuiam cogites*; herbarum ergo succo, & paucis carycis post triduum, vel quatriduum deficientem animam sustentabat,

Hieronymus.

orans

orans frequenter, & psallens, & rastro humum fodiens, vt iciuniorum laborem labor operis duplicaret, sicq; carnis tentamenta vicit. hæc ferè ad verbum ex Hieronymo in eius vita.

Malchus Monachus. Ex Hieronymo.

Malchus Captiuus monachus, cuius vitam eleganti stylo S. Hieronymus descripsit, parentibus vnicus, nullis nec patris minis, vel matris blanditijs, vt nuptijs copularetur, adduci potuit, vt propterea domo, & parentibus relictis, monachus factus sit. Verùm cum post multos annos, contra patris monasterij voluntatem, in patriam ad solandam matris viduitatem, & paterna bona pauperibus eroganda rediret, à Saracenis in captiuitatem adductus, vt alienam vxorem captiuam in coniugem duceret, morte intentata à Domino adigebatur, quam ille sororis loco habens minimè tetigit, sed diuina ope fuga cum eadem lapsus ad vltimam senectutem Virgo permansit, sanctèq; vixit. eius memoria in martyrologio 21. Octobris recensetur.

Martyrologium Romanum.

S. Basilius, & S. Gregorius Nazianzenus cœlestibus moribus, & eximia sanctitate, ac doctrina præditi virginitatem perpetuò coluere, & de Basilio quidem id testatur in eius vita Breuiarium Romanum die 13. Iulij. Idem de Basilio, & Gregorio Nazianzeno affirmat Gregorius Presbyter in vita Nazianzeni apud Surium, die 9. Maij tom. 3. vbi vtriusque virtutes recensens de eorum castitate integerrima hæc subiecit: *Nam quid*, inquit, *de castitate dicam, quæ toto vitæ curriculo eos puros, ac sanctos Deo conseruauit.*

S. Basilius.

S. Gregorius Nazianzenus.

16 S. Alexius Romanorum nobilissimus, prima nocte nuptiarum intactam sponsam relinquens, susceptа illustrium Orbis terræ Ecclesiarum peregrinatione, Deiparæ adeò charus fuit, vt Edessæ per imaginem suam, (quæ nunc Romæ in eiusdem S. Alexij templo religiosè asseruatur) eius nomen diuulgaret. Is Romam post septe decim annos rediens in paterna domo omnibus incognitus tanquam pauper alios decem & septem annos vixit, magno humilitatis, paupertatis, & purissimæ virginitatis exemplo omnibus relicto, migrauit in cœlum, Innocentio I. summo Pontifice.

S. Alexius.

S. Ioannes Calybita à tugurio, sub quo extremo vitæ tempore habitauit, sic appellatus, claruit Leonis Imperatoris tempore, vel, vt alij malunt, Theodosij Iunioris. Is Romę parente in primis nobili, & in dignitate constituto ortus, veritus ne à parentibus aliquis maioris dignitatis gradus ei procuraretur, neue nuptijs omninò illigaretur, soli Christo militare cupiens, è paterna domo aufugit ad monasterium Achæmitarum, hoc est eorum, qui nunquam cubare sunt soliti, vbi monastico habitu susceptо per aliquod tempus versatus est. Sed Romam sub vilissimo habitu reuersus primum in angulo paternæ domus, deinde sub tugurio in Insula Tyberina ignotus parentibus habitauit, à quibus in morte agnitus, clarus miraculis in eodem loco sepultus est extructa ibi in eius honorem Ecclesia.

S. Ioannes Calybita.

Achæmitæ Monachi, qui sint.

S. Ildefonsus Archiepiscopus Toletanus perpetua virginitatis integritate claruit, singulari in Deiparam pietate, cuius perpetuam virginitatem contra quendam Pelagium, & Helladium, qui in Hispania antiquam Heluidij insaniam ab orco reuocare studebāt, cominus disputando, & eminus, libro ea de re euulgato strenuè defendit, hęreticorumq; nefarios conatus penitus compressit. Is cum mense Decembri ipsa nocte, quæ festum præcedebat Annunciationis nuper institutum à Concilio Toletano ante Christi natalem, ad nocturnas vigilias in templum cum clericorum multitudine progrederetur, reseratis ianuis, templum cœlesti fulgore omnes micare vident; & sanè maiori quàm mortales oculi ferrent; tum cœteris præ terrore alio, atque alio dilapsis, ad aram ipse progressus cum nixus de more genibus preces funderet, in cathedra, vnde is ad populum concionari erat solitus, Dominam sedentem reperit, & in circuitu eius omnem absidem virginum choris repletam, quæ psalmos Dauid mira suauitate concinebant; ipse autem à Deipara euocatus, hæc ab ea verba audiuit. Accipe de manu meà munusculum, quod tibi de thesauro filij mei attuli, cultæ in tuo corpore virginitatis, cum mentis puritate, fideiq; ardore coniunctæ, nostræq; virginitatis defensæ præmium: inter hæc verba vestem suis manibus capiti inseruit, hac, inquiens, filij mei, meaq; quæ toto anno recurrunt festa celebrato: & his dictis vna cum virginibus, & luce, quæ venerat ab oculis eius, remeauit. Vestis, quam detulerat Dei Mater miræ subtilitatis, miriq; candoris, olim in Toletana Ecclesia post Saracenorum in Hispanijs inuasionem Oueti seruatur.

S. Ildefonsus Archiepiscopus Toletanus.

Idem alba veste à Deipara insignitur, ac laudatur.

Cixila

§ Ex Cixila.

Cixila Ildefonſi ſucceſſor hæc omnia memoriæ propagauit ex ore Vrbani Archiepiſcopi item Toletani,& Euentij Archidiaconi,qui rei geſtæ miraculo interfuere. quo modo etiam idem S.Ildefonſus propter Deiparæ virginitatem defenſam à S. Leocadia ante trecentos, & eo amplius annos ex humanis exempta, & è ſepulcro prodeunte, palam laudatus ſit,infra ſect.4. in S.Leocadia referemus. Sanctus verò Ildefonſus ſanctitate, & doctrina illuſtris ex hac luce migrauit ſexagenarius anno Domini 669.hæc ex Iuliano Archidiacono Toletano in eius vita apud Surium tom.1.& Mariana lib.6. de rebus hiſpaniæ cap.10. eadem refert Vincentius in ſpeculo hiſtoriali lib.7.cap.120.

Idem à S. Leocadia tam defuncta laudatur

Surius.

Theodulphus Romanus.

Theodulphus Imperatoris cuiuſdam Romanorum ex ſorore nepos,iuſſu auunculi filiam Regis Britanniæ ſibi deſponſauerat adhuc puer: adoleſcens verò factus perpetuæ virginitatis ſtudio,ſponſam in vxorem accipere renuit. Cæſar indignatione permotus, illum de patria expulit,qui Treuiros veniens,& monaſticum habitum ſuſcipiens, ſacerdotio initiatus, in arctiſſimo ſpecu incluſus, lecto & ceruicali vtebatur lapideo; cuius corpus poſt ſexcentos circiter annos incorruptum ſe vidiſſe, narrat Thomas Cantipratenſis,quòd incorruptæ virginitati,qua floruit,aſcribendum exiſtimat.erat autem ſepultum in paruo Oratorio, in quo altare erat candidiſſimum ex alabaſtro, & in latere dextro ſepulchrum cum hac inſcriptione in pariete.

Theodulphi corpus incorruptum ſeruatur,ex Cantipratenſi.

Sancte Theodulphe noſtri petimus miſerere.

Theodoricus Theodulphi frater.

In alia verò parte ſepultus erat Theodoricus eiuſdem Theodulphi frater,qui eum ſecutus, in eodem loco vitam beatam duxiſſe credebatur, tempore Clodouei Regis. hæc ex Thoma Cantipratenſi, qui ex vetuſtiſſima fama hanc narrat hiſtoriam lib. 2. Apum cap.53.par.2.

Ex Cantipratenſi.

Carilephus Presbyter, & Monachus.

Carilephus Presbyter, & Monachus ex Prouincia Aquitaniæ Aruernis parentibus chriſtianis ortus,in Monaſterio educatus,virginitatem coluit, ieiunijs, vigilijs, & precibus impenſe addictus,vna cum Auito (cuius memoria 17. Iunij in Martyrologio aſcribitur) à Maximino Aurelianenſi Epiſcopo ſanctitate conſpicuo,ſacerdotio initiatur. deinde apud Cænomanos extructo monaſterio,cum Vltrogoda Childeberti Frãcorum Regis vxor,propter eius ſanctitatis famam ad eum accedẽdi facultatem peteret,& Madoalenſes fines omnes,in quibus ſitum erat monaſterium offerret; oblationem reſpuit: benedictionem tamen à Deo illi precatus eſt, adiecitq; in ſuum cœnobium nullam vnquam mulierem ingreſſuram,quod & in hodiernum vſque diem ſeruari teſtatur Auctor vitæ illius apud Surium die 1. Iulij tom. 4. & Vincentius Beluacenſis in ſpeculo hiſtor. lib.21.cap.44. Cum autem poſt eius obitum mulier quædam Gundu nomine virili habitu eius monaſterium ingredi vellet,priuſquam eò perueniret,à dæmone arrepta miſerè eſt vexata.

Regina Gallia Vltrogoda.

Surius. Beluacenſis. Gundu mulier S. Carilephi monaſterium ingrediens à dæmone vexatur.

S.Venceſlaus Boemiæ Dux vitæ innocentia,miraculis, & martyrio clarus, virginitatem illibatam ad vltimum vſque ſpiritum cuſtodiuit.cuius vitam habet Surius ad diem 28. Septembris.

S. Venceslaus Boemiæ Dux. Ex Surio.

S.Albertus Monachus Criſpinienſis vitæ aſperitate à pueritia clarus tanta ſanctitate reſplenduit, vt Deiparæ ope,vt cap. 36. & in Tractatu de Miraculis diximus,viginti duobus annis panem prorſus nõ guſtarit,herbis ac rãdicibus contentus;viginti verò annis omni potu abſtinuerit. is cum multis clareret virtutibus, etiam integer corpore, & virgo ab ipſo ortu ad ſupremum vitæ diem creditur permanſiſſe. hæc auctor vitæ eius apud Surium die 7.Aprilis, vixit circa annum Domini 1140. temporibus Vrbani II. & Paſchalis II.& Innocentij II. Pontificum.

S. Albertus Criſpinienſis.

S. Dominicus ordinis Prædicatorum inſtitutor. Ex S. Antonino.

17 S.Dominicus Deiparæ impenſe addictus Ordinis Prædicatorum inſtitutor, virginitatis virtute claruit ex S.Antonino 3.par.tit.23.cap.1.§.2.& ex lib.5. vitæ eiuſdem apud Surium cap.7.quin etiam in Ordine ipſo Prædicatorum virginitatis integritas mirum in modum floruit,teſte eodem S.Antonino loco citato cap.10.ante §. cuius verba ſunt hæc. Quidam valdè religioſus frater retulit, quòd intra paucum tempus centum fratrum confeſſiones generales audiuerat, quorum inuenit ſeptuaginta integritatem mentis,& corporis ſeruaſſe,non ſine magna orationis inſtantia,& religionis cuſtodia, quibus ipſa caſtitas maximè cuſtoditur. ſic ille. Idem fere refert Auctor vitæ S. Dominici lib.6.cap.6.vbi & hoc adijcit: Si vnus confeſſarius tot inuenit homines ſanctos, & puros,

Ex vita ſancti Dominici.

puros,quantam putabimus toto ordine latere ſanctimoniam?nimirum de florigero prędicatorij inſtituti horto Virginis Matris manu plantato,hæc lilia colligit flos Virginis,& filius Dominus noſter Ieſus Chriſtus. hæc ibi.

Ex hoc ordine prodijt S.Petrus martyr,qui virginitatem (inquit S.Antoninus 3.par. tit.23.cap.6.§.1.) mentis ſeruans,& corporis, nullius mortalis criminis ſenſit vnquam contagium;ſicut ſuorum Confeſſorum fideli teſtimonio eſt comprobatum.hæc ibi,& in vita eius apud Surium.

S.Petrus mart. ex Ordine Prædicatorum. Ex S. Antonin. Surius.

Ipſe quoque S. Antoninus ex Ordine Prædicatorum ſanctitate, ac doctrina clariſſimus Archiepiſcopus Florentinus,virginitatis amore incenſus,cum adhuc in ſeculari vita degeret,eam à Deo aſſiduis precibus in templo S. Michaelis, quod vocant ad hortum flagitabat;quam Dei beneficio ad finem vſque vitæ illibatam cuſtodiuit,quemadmodum ex ſuis confeſſarijs eſt acceptum: & cum ageret animam defecta iam voce, illud crebrò,& ſuauiter iterabat: *Sancta & immaculata virginitas,quibus te laudibus efferam neſcio:* Incertum,inquit auctor vitæ illius, an ad Deiparam Virginem conuerſus, quæ ſe luctantem cum morte viſitaſſet:an hilaratus,quòd inuiolatum ad illum vſque diem corpus Virgo ab omni obſcenitatis putredine ſeruaſſet: in vita tamen mulierum colloquia diligentiſſimè deuitabat,niſi aut peccatorum confeſſio, aut arcanum aliquod magni ponderis exegiſſet.

S. Antoninus ex Ordine Prædicatorum.

S.Franciſcus Ordinis Minorsm inſtitutor à diuino, quo flagrabat amore, verè Seraphicus dictus,Deiparæ ſtudioſiſſimus inter mercaturæ negotia,quibus à prima ætate fuit addictus, Dei beneficio corporis, & animæ virginitatem ſeruauit. cuius rei Fr. Leo eius ſocius teſtimonium reddidit, non tantum quia eius fuit confeſſarius, verùm etiam quia diuinitus hoc ſibi peculiariter reuelatum aſſerebat, vt videre eſt in 1.par. Chron. S.Franc.lib.6.cap.23.

S.Franciſcus Ordinis Minorum inſtitutor. S.Franciſci virginitas reuelatur Fr. Leoni, Chron.S.Franc.

S.Antonius Patauinus ſanctitate,& miraculis celeberrimus, quem ipſe S. Franciſcus vſque adeò reuerebatur,vt Epiſcopum ſuum appellaret,Virginitate floruit.cui rei argumento eſt lilium, virginitatis ſymbolum, quod eius imago manibus præfert; & ſane adhuc puer cum improbris corporis motibus pulſari cœpiſſet, corpus ſuum in ſeruitutem ſpiritus redigebat.15.ætatis ſuæ anno primum ad Canonicorum Regularium, tum martyrij cupiditate incenſus ad S. Franciſci inſtitutum ſe recepit, vbi diuinis vacans contemplationibus tanta inedia ſeipſum conficiebat,vt præ debilitate,vix pedibus conſiſtere poſſet.

S. Antonius Patauinus in Chronic.1.par.lib.3. cap. 5.

S.Ludouicus ex eodem Ordine Minorum Epiſcopus Toloſanus Caroli Regis Neapolitani filius primogenitus,atque hæres futurus terreno Regno renuncians, Virginitatis à tenera ætate ſtudioſus fuit; ideoq; cum muliere,excepta matre, & ſororibus,nunquam ſolus loquebatur,& multis clarus miraculis anno Dom.1297.in cęlum migrauit.

S Ludouicus Epiſcopus Toloſanus Ordinis Minorum.

Henricus Infans Luſitaniæ Deiparæ perquam ſtudioſus,cuius opera Indica in Orientem nauigatio cæpit in ſumma corporis firmitate, ſummaq; licentia illibatum retinuit, Virginitatis florem,quemadmodum cap.35.dixi,ex Oſorio,& Maffeio.

Henricus infans Luſitaniæ. Oſorius. Maffeius.

B.Iacobus de Marchia Ordinis Minorum S.Bernardini Senenſis diſcipulus,& ſocius, Deiparæ impenſe addictus,ad quam fidenter recurrebat, cuius etiam tutelam expertus eſt,vir inſigni ſanctitate,& Concionator Apoſtolicus,ac celeberrimus in Italia, Germania, Boemia, Boſna,Noruegia,Ruſſia,Hungaria,Polonia,& Dalmatia;cuius corpus adhuc integrum Neapoli in Templo Monaſterij S. Mariæ Nouæ in Arca ſuper altare religioſe aſſeruatur,ibiq; populis oſtendi ſolet. Is teſtimonio ſui confeſſarij, cui ipſemet B. Iacobus hoc aperuit, virginitatem ſeruauit, quantoq; ſtudio hanc virtutem cuſtodierit,quo etiam fructu contra vitia carnis concionatus fuerit, plenius habetur in 3. parte Chron.lib.6.cap.6.

B. Iacobus de Marchia.

S.Franciſcus de Paula, quod eſt Oppidum in Calabria,Ordinis Minimorum inſtitutor miraculorum gloria illuſtris,ad plurimas, quibus claruit virtutes, virginalem quoque caſtimoniam adiecit,& cum annos vnum & nonaginta vixiſſet,ex hac vita deceſſit anno 1507.

Ex Chronicis S. Franciſci. S Franciſcus de Paula.

18 In Societate quoque Ieſu complures Dei beneficio,& ſingulari Deiparæ patrocinio virginitatem illibatam cuſtodijſſe certis documentis exploratum habemus. Alios verò

plu-

plurimos idem feciſſe,non obſcura coniectura affirmare poſſumus, præſertim in tanta adoleſcentium,& iuuenum,qui noſtrum inſtitutum complectuntur,muititudine,qui omnes in Deiparæ ſodalitijs ab ineunte ætate dum litteris dant operam,in pietate & ſpiritus feruore educantur,quem feruorem ſatis prę ſeferunt in vocatione,qua in religionem admitti vſque adeò feruenter, atque ex animo efflagitant, vt à ſuo propoſito, nec parentum blanditijs,vel minis,nec ampliſſimæ hæreditatis ſpe, nec honorum ſeculi dignitatibus,quin nudi nudum Chriſtum in religione ſequantur,reuocari poſſint; quorum præclara exempla,& frequentiſſima omnibus ſatis ſunt cognita, atque perſpecta.

B. Franciſcus Xauerius.

Ex Turſellino.

B. Franciſcus Xauerius vnus ex nouem ſocijs B. Ignatij Loyolæ noſtri Ordinis fundatoris,virginalem pudicitiæ florem ad extremum vſque ſpiritum ſeruauit, quod conſtanti ſuorum confeſſariorum aſſeueratione, alijsq; teſtimonijs probat Turſellinus in eius vita lib.6. cap.6. & lib.2. cap.14. qui tamen,vt tantum theſaurum cuſtodiret,non caſtior fuit,quàm cautior;nunquam enim cum fœmina vlla ſine arbitris,& de rebus neceſſarijs colloquebatur. ſic Turſellinus.

P. Petrus Faber.

Ex Ribadoneyra.

P.Petrus Faber Societatis Ieſu, qui ex nouem B. Ignatij Loyolæ ſocijs omuium primus Lutetiæ ſe ad eius vitæ curſum illi adiunxit, & ob inſignem vitæ ſanctimoniam, ac præclara Dei dona,quibus ornatus erat,Beatus meritò appellari poteſt, cuius vita, & mores plenius in hiſtoria eiuſdem Societatis propediem edenda deſcribuntur. Is auctore Ribadeneyra lib. 3. vitæ B.Ignatij cap. 11. tanta iam inde ab ineunte ætate religionis indicia præbuit,vt ſingulariter à Deo electus eſſe videretur. nam & ſeptimo ætatis anno eximios quoſdam ad pietatem ſenſit inſtinctus,& duodecimo conſeruandę caſtitatis præclaro quodam incenſus ſtudio,eiuſdem votum in agro emiſit; vnde poſtea à paſtoritia cura ad litterarium ludum traductus,talis tantusq; euaſit,tum in diſciplinarum ſcientia,tum etiam in ſpiritualium rerum tractandarum prudentia, vt reliqui ſocij ſecundum Ignatium eum maximè venerarentur, eiq; plurimum deferrent. quibus autem Dei illuſtrationibus, & conſolationibus perfundi ſolitus eſſet, perſpicuè cernitur apud Ribadeneyram loco citato. & in Commentario à ſe conſcripto, in quem eas omnes quaſi in ephemeridem retulit.

B. Stanislaus Koſtka.

Ex Franciſco Sachino.

B.Staniſlaum Koſtka Societatis Ieſu,de quo plura cap.35.diximus,illibatum conſeruaſſe virginitatis decus, quin etiam nullo mortali crimine ſe ipſum contaminaſſe tanquam certum,teſtatumq; memoriæ prodidit Franciſcus Sachinus in eius vita.

B. Aloyſius Gonſaga.

Ex Virgilio Cepario.

Idem de B. Aloyſio Conſaga ex eadem Societate Ieſu teſtatur Virgilius Ceparius lib.1.vitæ eiuſdem cap.2. cum enim decimum circiter ætatis annum Florentiæ ageret, cuperetq; vehementer aliquid Deiparæ gratiſſimum præſtare,illud in mentem venit,vt illius exemplo coram eiuſdem Virginis Annunciatæ Imagine, quæ in ea Vrbe religiosè colitur,Virginitatem ſuam Deo in honorem Deiparæ voto conſecraret,quam perpetuò cuſtodiuit,illudq; ſingulari Dei beneficio eſt conſecutus,vt toto vitæ ſuæ tempore nullum carnis motum, nullam obſcęnæ cogitationis imaginem paſſus ſit. id quod ſui confeſſarij,& præſertim Cardinalis Bellarminus iuratus teſtati ſunt.

Bellarminus.

S. Carolus Borromeus virginitatis cultu præclariſſimus.

S.Carolus Borromeus Cardinalis, & Archiepiſcopus Mediolanenſis, noſtra memoria Præſul verè Apoſtolicus,de quo plura cap. 35. inter cætera virtutum ornamenta, virginali integritate floruit, quod multis teſtimonijs perſpicuè oſtendit Ioannes Petrus Iuſſanus in eius vita lib.8.cap.22.qui eiuſdem hiſtoriæ lib.1. cap.3. & 4. Illud quoque memoria prodidit,eum varijs Satana tentationibus,quibus per improbas mulieres eius pudicitiæ inſidias moliebatur,fortiter obſtitiſſe.etenim cum Aronæ ſuæ ditionis oppido olim adoleſcens commoraretur, impudicæ mulieris in ſuum cubiculum à quodam è ſuis domeſticis immiſſæ petulantiam ſtrenue reiecit,ac reſpuit. Simile quid,cum poſtea in Cardinalium ordinem aſcitus eſſet,fortitudinis,ac pudicitiæ exemplum edidit. Nam cum in villam quandam prope Romam cuiuſdam viri primarij eius cognati rogatu cōceſſiſſet, quo tempore cubitum ſe recipere volebat, eiuſdem ſui cognati fraude clam introducitur in cubiculum fœmina multiplici ornatu compta,eumq; ad flagitium pollicere parata, cuius procaciam vir ſanctiſſimus è cubiculo ſe ſe ocyus propipiendo ſapientiſſimè declinauit; in hoſpitem verò, à quo in tantum animæ diſcrimen coniectus erat, iuſta indignatione vehementer commotus, eo prorſus inſalutato tribus ante lucem

Ad flagitium excitatus ſtrenue obſtitit.

Aliud ſimile exemplum de eodem.

cem horis è villa diſceſſit. Vt verò virginitatis florem ad extremum vſque ſpiritum integrum, illibatumq; ſeruaret, mulierum quarumcunque, quamuis ſanguinis cognatione deuinctarum, ſecreta ſibi colloquia planè interdixerat. ſi quid autem neceſſariò cum ijs agendum eſſet, non niſi patentibus in locis, ac preſentibus viris duobus ſpectatę grauitatis, & auctoritatis eas ad colloquia admittebat. Quamplurimos quoque ad virginitatem colendam, vel ad cœlibem vitam capeſſendam, ſiue in Religioſorum cœnobijs, ſiuè in proprijs domibus, tum ſuarum cohortationum facibus accendit, tum & vitæ exemplo permouit. S. Mauritij ſodalitatem ipſe auctor inſtituit, inquam, qui perpetuum ſibi cœlibatum indixiſſent, nomen darent ſuum; vt ea ratione ad huiuſmodi vitæ inſtitutum retinendum ſeſe mutuò iuuarent, & maiores in dies in ſpirituali via progreſſus facerent. Eo Præſule Societas ſanctæ Vrſulæ virgines complectens, quæ ſub certis legibus vitam omni virtutum genere ornatam in paternis ædibus traducebant, per vniuerſam ſuam Diœceſim mirifice eſt propagata. Societas item ſanctæ Annæ mulierum complurium viduarum eximia vitæ puritate ſub peculiari quoque regula Deo famulantium eodem tempore vehementer floruit. Quos omnes puritatis integerrimæ fructus noſtra ætas acceptos, referre debet puriſſimo, ac caſtiſſimo viro Carolo Borromæo, qui ſuis monitis, ac vitæ exemplo, quos in Chriſto nutriebat filios, ad cęlibatum, ſeu pudicitiæ laudem inflammabat.

Societates ad virginitatem, cœlibatumue colendum à S. Carolo inſtitutæ.

MVLIERVM FAMILIARITAS DILIGENTER CAVENDA.

19 AD extremum, ſi quis rationem noſſe deſiderat, qua ſancti Patres carnis tentationibus, quibus acriter impugnabantur, fortiſſimè reſtiterint, carnem propriam varijs, & inſuetis modis edomando; legat eos, qui vitas Patrum, & Sanctorum Confeſſorum conſcripſerunt, præſertim Palladium in hiſtoria Lauſiaca cap. 17. vbi de S. Macario Alexandrino, & cap. 19. de Abbate Moyſe Aethiope, cap. 26. de Abbate Pacone. Illud autem minimè eſt reticendum, ſanctos puritatis ſtudioſos magna ſeueritate à mulierum conſuetudine, & aſpectu abhorruiſſe. Cum enim integerrimam corporis puritatem tueri conarentur, per Spiritus ſancti vnctionem edocti minimè ignorabant, plurimum diſcriminis ſibi ex huiuſmodi mulierum conſuetudine imminere; id quod complurium miſerabilis lapſus abundè teſtatur; quiuis enim de ſe ipſo dicere debet illud Hieronymi epiſt. 2. & 22. *Nec ſanctior ſum Dauid, nec Samſone fortior, nec Salomone ſapientior, qui tamen omnes per mulieres decepti ſunt, ac proinde quilibet ſibi ab illis cauere debet.* Quòd ipſum de mulieribus, quæ caſtitatem profitentur, reſpectu virorum dictum intelligatur. Vt autem hoc, quod à mulierum conſuetudine imminet periculum, ſapienter declinemus, tria potiſſimum nobis cauenda ſunt. Primùm, ne oculos in mulieres curiosè defigamus. Secundùm, ne inutilibus colloquijs, aut munuſculis vltro, citroq; miſſis, nos eis familiares exhibeamus. Tertium, ne cum eis, eiuſdem domus cohabitatione vtamur; quę omnia breuiſſimè in hoc Tractatu de Virginibus auctoritate, & exemplis confirmanda duximus.

Quanam ratione ſancti mulierum conſuetudinem vitarint.

Palladius.

Hieronymus.

MVLIERES CVRIOSE ASPICIENDAS NON ESSE.

ET quod ſpectat ad oculorum cuſtodiam, certè ad eam nos grauiter hortatur Sapiens, Eccleſiaſt. 9. his verbis: *Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumſpicias ſpeciem alienam, propter ſpeciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit:* quod S. Iob omnibus virtutibus præclare exornatus, ad vitandas, quas de mulieribus Satanas pijs viris immittere ſolet cogitationes, quaſi pacto cum oculis inito, ſe diligenter ſeruaſſe profitetur cap. 31. cum ait: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine:* nouerat enim vir ſanctus, id quod poſtea Ieremias Propheta cap. 9. *Aſcendit,* inquit, *mors per feneſtras noſtras; ingreſſa eſt domos noſtras.* quod tunc euenit ex Gregorio lib. 21. Moral. cap. 2. cum per ſenſus corporis (qui ſunt veluti feneſtræ, quibus anima exteriora reſpicit, & reſpiciens concupiſcit) concupiſcentia veniens habitaculum inuenit mentis. ſic Gregorius. Idem

Mulierum conſpectus vitandus.

Eccleſ. 9.

Iob 31.

Ierem 9.

Gregorius.

Thren. 3. Ieremias Threnorum 3. *Oculus meus prædatus est animam meam in cunctis filiabus vrbis meæ*: hoc est iuxta Gregorium loco citato, concupiscendo visibilia inuisibiles virtutes amisit. inter sensus enim corporis per oculos peculiariter concupiscentia accenditur, vt propterea Christus Dominus cum dixisset Matth. 5. *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo*; statim subintulit: *Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proïce abs te, expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam*. quæ metaphora ostendit Dominus, omnem videndi occasionem ad mulieres concupiscendas, non secus, atque oculo præcipuo, idest dextero eruto, penitus resecandam esse. Adde illud Gregorij à Sanctis receptum: *Non esse tutum videre, quod non est tutum concupiscere*: etenim, quemadmodum dixit Poeta, *Vrit videndo fœmina*.

Matth. 5.

Gregorius.

Virgilius.

Exemplum S. Benedicti Abbatis, qui ad carnis tentationes superandas se in spinas deiecit.

Eius rei exemplum in S. Benedicto conspicere licet: is cum teste Gregorio lib. 2. dialog. cap. 2. in specu apud sublacum Deo in magna corporis austeritate famularetur; vehementi tamen carnis tentatione à Satana est impugnatus, dum ad mentis eius oculos, quandam fœminam, quam aliquando viderat, reduxit: quam tamen tentationem extinxit, se nudum in spinarum, & vrticarum aculeis volutando.

Exemplum S. Bernardi, qui in gelidum aquarum stagnum est ingressus.

S. Bernardus verò adhuc in seculo degens, cum pudicitiæ cultor esset, (quippe qui aliquot mulieribus eius castitatem oppugnantibus fortiter restitit,) adeò oculorum in aspiciendis fœminis licentiam detestabatur, vt cum aliquando curiosius aspiciendo defixos in quandam oculos aliquandiu tenuisset, continuò ad se reuersus in se ipsum vltor seueriſſimus exarserit: Stagno quippe gelidarum aquarum, quod in proximo erat, collo tenus insiliens, tandiu inibi permansit, donec penè exanguis effectus, per virtutem gratiæ cooperantis etiam à calore carnalis concupiscentiæ totus refriguit. hæc lib. 1. vitæ eiusdem cap. 3.

Sanctorum auctoritates, & exempla à mulierum conspectu recedendi.

Quocirca S. Hieronymus lib. aduersus Vigilantium in fine: *Monachus*, inquit, *sciens fragilitatem suam, & vas fragile, quod portat, timet offendere, ne impingat, corruat, atque frangatur. Vnde & mulierum, maximeq; adolescentularum vitat aspectum; & in tantum castigator sui est, vt etiam, quæ tuta sunt, pertimescat.* & mox: *Pergat ad Eremum, ne eum capiat oculus meretricis, ne forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus.* Deinde pluribus probat securitatem maximam in eo positam esse, vt fugiamus huiusmodi tentationes, ne vincamur, & ne à vicino serpente mordeamur. sic S. Hieronymus.

Hieronymus.

Augustinus.

S. Augustinus in Epist. 109. quæ est Regula ipsius cap. 21. *Oculi*, inquit, *& si iaciantur in aliquam fœminarum, non figantur in illa. Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis est nuncius.*

Chronica Ordinis Minorum.

Et S. Franciscus, vt est in 1. par. Chron. eiusdem lib. 1. cap. 23. hanc oculorum custodiam eleganti proposita parabola, sic persuadebat: Quidam Rex pius, ac potens, duobus nuncijs ad Reginam missis; alterum, qui curiosius in Reginæ pulchritudinem intenderat, eiusq; formam post responsum redditum apud Regem mirificè extollebat, tanquam impudicos oculos habentem è sua domo ignominiosè eiecit; alterum verò, qui propter oculorum modestiam, legatione sua Reginæ exposita, eam minimè aspexerat, Rex honore affectum in cubiculo apud se retinuit. ita S. Franciscus docebat sponsas Christi non esse aspiciendas. quod ipse adeò accuratè seruabat, vt auctore S. Bonauentura in illius vita cap. 5. dixerit aliquando socio, quasi nullam mulierem se cognoscere in facie; non enim securum esse putabat earum formarum introrsus haurire imagines, quæ possunt, aut edomitæ carnis resuscitare igniculum, aut pudicæ mentis maculare nitorem. sic Bonauentura.

Exemplum S. Francisci de Assisio. Bonauentura.

S. Dominici. S. Antonini. 2. Reg. 11. Hieronymus.

S. Dominicus teste S. Antonino 3. par. hist. tit. 23. cap. 4. §. 12. ambulãs per Ciuitates, & villas vix oculos à terra eleuabat. ex incauto enim aspectu Dauid 2. Reg. 11. cecidit; de quo Hieronymus Epist. 22. *Dauid secundum cor Domini electus, & qui venturum Christum sancto sæpe ore cantauerat, postquam deambulans super tectum domus suæ, Bethsabeæ captus est nuditate, adulterio iunxit homicidium.*

Cæterum quantopere Sancti mulierum conspectum declinarint, facilè ex aliquot eorundem exemplis, quæ proferemus, licet conspicere.

Abbatis Ioannis Vrbis Lyco.

Abbas Ioannes Vrbis Lyco prophetico spiritu plenus erat, qui Theodosio Imperatori victo-

victorias de tyrannis Maximo,& Eugerico prædixit,quemadmodum refert Augustinus lib.5.de Ciuit.Dei cap.26. is ex Palladio cap.39. quadraginta annis,quibus in spelunca fuit,mulierem non vidit: & quamuis maximè à Tribuno quodam viro primario enixè rogatus,ad se minime accedere permisit. *Augustinus. Palladius.*

S.Arsenius,vt nobilissimæ,ac religiosæ cuiusdam fœminæ, quæ Roma in Aegyptum vsque ad eum visendum,venerat colloquium admitteret, à Theophilo Episcopo Alexandrino persuaderi non potuit:cumq; illa ad eum accessisset, & se eius precibus commendasset,increpuit eam,quòd esset ausa eò venire;adiecitq; Deum magis oro,vt tua memoria de corde meo deleatur. *S.Arsenij.*

Narrat Cassianus collat. 7. cap. 26. Abbatem Paulum in Eremo, quæ Panephysi Ciuitati adiacet,tantam cordis puritatem assecutum,vt non tantum vultum fœmineum, sed ne vestimenta quidem sexus illius conspectui suo pateretur offerri. Is cum die quadam cum Abbate Archebio ad quendam seniorem pergeret, & casu mulieri obuiasset, velocissima fuga ad suum Monasterium redijt: nec vllis Archebij precibus ad cœptum iter reuocari potuit. quod factum Cassianus zelo non secundum scientiam tribuens, confestim ait,graui paralysi vsque adeò correptum,vt totius corporis motu,quin etiam vsu linguæ,& aurium sit destitutus,& in cœnobium virginum delatus,vbi quatuor reliquos annos,quibus vixit,ab ijsdem cibus,& potus ori ingerebatur, & reliqua necessaria ministrabantur;cum iam ea paralysi se tangi pœne non sentiret: in eiusdem tamen puritatis testimonium,si de oleo,quod eum tetigisset,vngerentur infirmi, illico cunctis infirmitatibus curabantur. *Abbatis Pauli in Eremo. Cassianus. Imprudens eiusdem zelus mirifica vltione punitur.*

Martius verò Monachus in Campania in monte Marsico, vt refert S. Gregorius lib. 3.Dialog.cap.16.ab initio suæ reclusionis decreuerat,mulierem vltra non videre, ne tentationis incurreret vitium; sed cum quædam audacter ad eius specum prorupisset, ille in oratione eò vsque prostratus iacuit, quo vsque impudens mulier à fenestra cellulæ eius fatigata recessit,quæ eodem die,vt de monte descendit,vitam finiuit, temeritatisq; suæ pœnas dedit. ita Gregorius. *Martij Monachi. Gregorius. Ad eiusdem specum audacter accedens mulier repentina morte mulctatur.*

Rogerius de Prouincia Prouinciæ Ordinis Minorum oculos adeò prudenter refrenabat,vt quemadmodum refert S.Antoninus 3.par.histo.tit.24.cap.9.§.9.& habetur par. 2.Chron.lib.4.cap.44.vix aliquam mulierem aspiceret in facie,etiam matrem suam vetulam,& deuotissimam. quoniam inquiebat *quandiu homo facit,quod in se est,peccati occasiones fugiens, Deus quoque eum à malis præseruat. At si peccati periculo se exponat, præsertim in hoc,ad quod natura corrupta valde inclinatur,iustum esset, vt Deus eum proprijs viribus quodammodo relinquat.* sic ille. *Fr.Rogerij Ordinis Minorum. S.Antoninus. Chronica Ordinis Minorum.*

His attexenda est Virgo illa præclarissima,quæ teste Seuero Sulpitio in secundo dialogo de vita sancti Martini cap.21. ne à sancto quidem Martino tanti nominis Episcopo se videri permisit,quam propterea S.Martinus miris laudibus extulit, quemadmodum infra sect.7.vberius dicemus. *Virgo quædam S. Martini conspectum fugiens ab eodem commendatur. Seuerus Sulpitius.*

MVLIERVM CONVERSATIO CAVENDA.

20 QVòd si mulierum aspectus viris spiritualibus ad seruandam corporis castitatem tantopere est cauendus,quanto magis ijsdem omninò fugienda est cum illis familiaritas,& inutilis eonuersatio? quod erat secundum ex ijs, quæ cauenda esse præposuimus. quare S.Franciscus,vt verbis vtar S.Bonauenturæ cap.5.vitæ illius,mulierum familiaritates,colloquia,& aspectus,qui multis sũt occasio ruinæ,solicitius euitari iubebat,asserens per huiusmodi debilem frangi,& fortem sæpè spiritum infirmari. Harum cogitationem euadere conuersantem cum eis, nisi probatissimum virum tam facilè dixit,quàm iuxta scripturam Prou.6.in igne ambulare,& non comburere plantas.& mox: Asserebat etiam friuolum esse mulieris colloquium,excepta confessione,vel instructione breuissima,iuxta quod & saluti expedit,& honestati, ex nimia securitate minus cauetur hostis,& diabolus, si de suo capillum potest habere in homine cito excrescere facit in trabem.ita S.Franciscus apud S.Bonauenturam. Idem Bonauentura in expositione Regulæ cap.1.cum ageret de castitate,quæ in regula S. Francisci præscribitur: Præceptorie, *Familiaritas cum mulieribus fugienda. S.Francisci de Assisio doctrina. ex Bonauentura.*

rie,inquit,interdixit Fratribus S.Franciſcus in regula omne ſuſpectum contubernium,& quædam alia in eandem ſententiam ſubijcit.

Dominici doctrina ex S. Antonino.

S.Dominicus teſte S.Antonino 3.par.hiſtor. tit.25. cap.2.§.1. in extremo vitæ monuit ſummopere vitandam eſſe familiaritatem, & frequentiam mulierum, maximè iuuencularum,quæ etiam viriles animos emolliunt,& inclinant.

S.Thomæ Aquinatis exemplum ex S. Antonino.

S. Thomas Aquinas tametſi ab Angelis caſtitatis dono præcinctus, ex eo tamen tempore,quemadmodum ſcribit S.Antoninus 3.par.hiſtor.tit.23.cap.7.§.3. mulierum aſpectus,& colloquia,niſi neceſſitas,vel vtilis occaſio coegiſſet,ita vitabat, vt ſolet homo à ſerpentibus præcauere.

S. Baſilij doctrina.

Et certè huiuſmodi mutua, ac familiari cum mulieribus conſuetudine, animus eorum etiam, qui videbantur fortes,ſenſim molleſcit. quod ſanctus Baſilius lib. de vera virginitate ſapienter monet his verbis: *Cum autem concupiſcentia carnis paulatim pudorem excutit; ipſum quoque iudicium, & ſanitatem mentis euertit.* Idem Baſilius in Regulis fuſius diſput. interrogat. 33. docet in conueniendis ſororibus ij, qui idonei ad viſitandum eas iudicati fuerint, habito neceſſario perſonæ temporis, ac loci decoro,de rebus placentibus Deo ad neceſſariam corporum, & animarum curam pertinentibus agant, eosq; non debere eſſe pauciores duobus ad vitandam ſuſpicionem, neque plures tribus. Idem cap.4.Conſtitut.Monaſt. fugiendas in primis præcepit cum mulieribus congreſſiones,& collocutiones:prohibetq; ad eas vnquam accedere,niſi grauiſſima neceſſitas intercedat;& tunc non ſecus,atque ab igne ab ijs cauendum eſſe,adeò vt quam ocyſſime nulla mora ab iſtis nos extricemus,& citat illud Prou. 6. *Abſcondet quis ignem in ſinu ſuo,& veſtimenta non comburet?* ſic Baſilius.

Prouerb.6.

S, Auguſtini.

Propterea ſanctus etiam Auguſtinus: *Sermo,* inquit, *cum mulieribus aſper, breuis, & rigidus eſt habendus; nec quia ſanctæ ſunt mulieres; ideò minus cauendum eſt ab eis: quo enim ſanctiores, eo magis alliciunt.* & mox: *Cedros Libani, & gregum Arietes ſub hac ſpecie corruiſſe vidi, de quorum caſu non magis præſumebam, quam Gregorij Nazianzeni, & Ambroſii: fuge ergo laqueos mulierum.* ita Auguſtinus apud S.Bonauenturam ex Regula Nouit. cap.11.

Bonauentura

Nec ſolum apud Bonauenturam citantur verba hæc Auguſtini de ſermone Aſpero, & breui cum mulieribus,verum etiam apud Carthuſianum de vita Curatorum art. 65. & S.Antoninum 3.par.tit.16.cap.1.§.10.

Carthuſianus.

S. Antoninus.

S. Hieronymi monita.

Verum audiamus hac de re ſanctum Hieronymum, qui ſæpe, & grauiter agens de cuſtodia virginitatis, & caſtitatis; priuata cum fœminis colloquia, & munuſcula beneuolentiæ cauſa reprehendit. in primis lib. contra Vigilantium: *Quid facit Monachus,* inquit, *in cellulis fœminarum? quid ſibi volunt ſola, & priuata colloquia, & arbitros fugientes oculi?* in Epiſtola verò ſecunda ad Nepotianum: *Hoſpitiolum,* inquit, *tuum, aut raro, aut nunquam mulierum pedes terant.* & mox: *Si propter officium clericatus aut vidua viſitetur, aut Virgo, nunquam domum ſolus introeas, ſolus cum ſola ſecreto, & abſque arbitro, vel teſte non ſedeas. Crebra munuſcula, & ſudariola, & faſciolas, & veſtes ori applicitos, & oblatos, ac deguſtatos cibos, blandasq; & dulces litterulas ſanctus amor non habet. Mel meum, lumen meum, meum deſiderium, omnes delicias, & lepores, & riſu dignas vrbanitates, & cæteras ineptias amatorum in comœdijs erubeſcimus. in ſeculi hominibus deteſtamur; quanto magis in Monachis, & Clerico.* & in fine Epiſtolæ: *Officij tui eſt non ſolum oculos caſtos ſeruare, ſed & linguam. Nunquam de formis mulierum diſputes, nec quid agatur in alia domo domus alia per te nouerit.* & Epiſtola quarta: *Fœminæ,* inquit, *nomen tuum nouerint, vultum neſciant.* hactenus Hieronymus.

S. Ambroſij.

Sanctus Ambroſius lib. 1. Officiorum cap. 20. cum mulierum commercia, & inutiles viſitationes Clericis cauendas monuiſſet, ſubijcit: *Quam multos,* inquit, *etiam fortes illecebra decepit? quanti non dederunt errori locum, & dederunt ſuſpicioni? cur non illa tempora, quibus ab Eccleſia vacas, lectioni impendas? Cur non Chriſtum reuiſas, Chriſtum alloquaris, Chriſtum audias? quid nobis cum alienis domibus? vna eſt domus, quæ omnes capit. Illi potius ad nos veniant, qui nos requirunt.* ſic Ambroſius.

S.Bonauentura.

S.Bonauentura de fugiendo mulierum conſortio ſæpe agit: nos aliqua ex eo decerpemus.

pemus. Is ergo in ſpeculo diſciplinæ par.4.cap.4.vbi de diſciplina à religioſis in hoſpitio ſeruanda: *Mulierum*,inquit,*tam propinquarum, quàm aliarum cautè ſocietatem declinent,earumq́; familiare nimis obſequium, & tactum omninò refugiant. Quando religioſus cum muliere ſedet,aut loquitur,manus ſuas occultare,& à ſe retrahere debet; quas etiam,quandocunque cum perſonis extraneis loquitur,ſimul iunctas, & velut inuicem colligatas, vel alias religioſe decet haberi.* & infra: *Nunquam mulierem quantumcumque ſibi affinitate coniunctam,ſiue ſororem, ſiue neptem, quantumcumque pueriles oſculentur: etenim quaſi tranſeunter fœminis exhibenda eſt acceſſio,quaſi fugitiua. Tutius eſt non poſſe perire,quam iuxta periculum non perijſſe. de nocte ſi per domos hoſpitij ad neceſſaria exeunt,ſimul ſiquidem,& cum lumine, vt filij lucis eant; loca,quæ periculi, vel ſuſpicionis materiam dare poſſunt, cautè declinent: nec ſoli cum muliere in locis huiuſmodi vel ad horam morentur?* & narrat periculum cuiuſdam; quod nos infra ex eodem afferemus. Idem Bonauentura de informatione Nouit. cap.39. monet ne cum aliqua muliere ſingularis contrahatur familiaritas, etiam ſi religioſa ſit, & ſancta;vt declinetur periculum tum tentationis carnalis, tum infamiæ, & ſuſpitionis,quam alij concipiunt, præſertim quia magnam generat inquietudinem cordi talis priuata affectio.

Et in regulis Nouit.cap.11.docet,mulieres fugiendas,ſicut ſerpentes, & nunquam cum eis ſine neceſſitate eſſe loquendum, nec aſpiciendam earum faciem. Vide eundem Bonauenturam de reformatione Nouit. cap. 13. & in ſexto proceſſu religionis cap. 16. vbi de ſeptem indicijs amoris carnalis, & cap. 37. & ſequentibus, vbi de caſtitate.

S.Antoninus 3.par.tit.16.cap.1.§.10. ex Humberto in expoſitione regulæ occaſiones recenſet,quibus amor carnalis erga mulieres,& mulierum ad viros augetur,quæ ad hæc capita reuocantur,ait enim ſic: *Prima occaſio eſt acceſſus ad eas ſine cauſa vrgente, & ſine modeſtia. Secundo frequentatio cum eis. Tertio familiaritas ex multa, & priuata locutione, & ad huiuſmodi familiaritates præcidendas,prohibentur monachi (18.q.2.cap. peruenit) facere ſibi cõmatres,quod Gloſſa intelligit leuando è ſacro fonte. Quarto munuſcula,& dulces litteras mittere. Quinto aſpectus earum.* & hæc quidem omnia S.Antoninus egregie probat,ad quem Lectorem remittimus: nos breuitatis ſtudio ea omittimus. *S. Antonini: Ex Humberto.* *Cap. peruenit 18.q.1.vbi Gloſſa.*

Et certe mulierum conuerſationem viris religioſis plenam eſſe periculi, ipſemet Satanas caſtitatis hoſtis per os Energumeni fateri conatus eſt, quemadmodum refert S. Antoninus 3.par.hiſtor.tit.24.cap.7.§.3.& cap.9.§.4. vbi cum ſcripſiſſet fratres minores celebraſſe quoddam generale capitulum: dæmoniacus ille, dæmones quoque contra eos celebrare ſua capitula,teſtatus eſt his verbis: *Nam tali*, inquit, *die in tali monte debent innumerabiles dæmones contra eos congregari, vt ſubuertant Ordinem fratrum Minorum,& quaſi per obliquum ad tranſgreſſionem votorum deducant; contra Paupertatem quidem per ædificiorum ſumptuoſas ſuperfluitates,& curioſitatem; contra Caſtitatem per mulierum familiaritatem,& inſolentium iuuenum receptionem; contra Obedientiam per principum familiares conuerſationes,& opinionum varietates.* hæc apud S.Antoninum locis citatis. *S. Antoninus.* *Dæmonis inſidiæ per os Energumeni pateſactæ.*

Cæterum quàm caute cum mulieribus agendum ſit, Eliſeus Propheta præclariſſimus 4. Reg.4. egregium nobis reliquit exemplum. Is cum frequenter tranſiret per Sunam,& ad quandam mulierem magnam diuerteret, quæ cœnaculum ei extruxerat, & reliqua cubiculi vtenſilia ad eius vſum parauerat; quadam tamen die mulier illa, & ſi ab eo vocata eſſet,& ſtetiſſet coram ipſo, minime tamen per ſe, ſed per puerum ſuum locutus eſt ei,quæſiuitq́; quidnam vellet,vt pro ea faceret: cumq́; intellexiſſet à Giezi, eam prole carere,iterum vocandam curauit,eiq́;Filium Dei nomine prænunciauit,quæ ſtetit ante oſtium,nec auſa,quamuis eſſet eius hoſpita, S.Prophetæ cubiculum ingredi; vt intelligamus,quo ſtudio vir ſanctus à mulierum conſortio abhorruerit. *4. Reg.4. Eliſei Prophetæ cautela in agendo cum mulieribus.*

Hinc eſt,quòd nonnulli, quos aliqua pietatis neceſſitas cum mulieribus agere cogebat, ſuæ fragilitatis conſcij, remedium à præpotenti Deo enixe poſcebant. Talis fuit Abbas Elias apud Palladium in Lauſiaca ſect. 32. Is ex ſuis bonis virginum Monaſterio extructo ad trecentas congregauit,eisq́; neceſſaria miniſtrabat, quas ſæpe audire, & *Elias Abbas caſtitatis dono inſignitur. Palladius.*

ad concordiam inter ſe reuocare opus erat. hac occaſione carnis tentatione pulſari cœpit: cum verò biduum ieiunus per ſolitudinẽ erraret, & à Deo ſibi hanc eripi tentationem, quo virginum curam gerere poſſet, impenſe oraret; per quietem vidit ſe à tribus Angelis eunuchizari. quare in poſterum per quadraginta annos, quibus ſuperuixit, omni libidinis affectu cor eius caruit. hæc ex Palladio.

Cononi Presbytero carnis tentationes à S. Io. Baptiſta extinguntur.

Talis fuit Presbyter nomine Conon Alexandrinus in Prato ſpirituali cap. 3. qui ad baptizandum deputatus, cum hoc ſacramentum mulieribus miniſtraret, ſcandalizabatur, atque ideò ex Monaſterio abſcedere volebat; cui aliquoties S. Ioannes Baptiſta apparebat dicens: *Tolera, & perſeuera, ego te ab hoc bello liberabo;* ſed cum puella quędam ex Perſide, vt baptizaretur, adueniſſet, Presbyter non poterat præ tentatione eam nudam oleo ſancto inungere, idcircò ſumpta Melote receſſit, cui S. Ioannes Baptiſta obuiam factus, dixit: *Reuertere ad monaſterium tuum, & hoc te bello leuabo:* at ille, *non reuertar, toties enim mihi iſtud pollicitus es, nec feciſti;* tunc S. Ioannes ſedere eum fecit, & amoto veſtimento, ſignauit eum ter ſigno crucis ſub vmbilico, dixitq; ei *volebam te pro hac pugna mercede donare: ſed quia vis abſtuli à te hoc bellum, mercede autem huius operis carebis.* Reuerſus Presbyter baptiſmi miniſterio alios annos duodecim vacauit tanta tranquillitate animi, & corporis; vt cum mulieres baptizaret, nullum vltra motum carnis ſentiret. hæc ex Prato ſpirituali.

S. Gregorius.

Simile exemplum S. Equitij Abbatis.

S. Gregorius eiuſdem rei tum perutile S. Equitij Abbatis documentum in 1. dialog. cap. 4. tum memorabile S. Vrſini Presbyteri exemplum in 4. dialog. cap. 11. litteris conſignauit: cum enim S. Equitius in iuuentute carnis incentiuis agitaretur, & à Deo optimo aſſiduis precibus remedium quæreret; nocte quadam ab Angelo ſe eunuchizari vidit, ex quo tempore ſicut viris ante præerat, ita etiam fœminis præeſſe cœpit: nec tamen diſcipulos ſuos admonere ceſſabat, *ne ſe eius exemplo in hac re facile crederent, & caſuri tentarent donum, quod non accepiſſent.* Sanctus verò Vrſinus Presbyter ex tempore ordinationis ſuæ, presbyteram ſuam, hoc eſt vxorem, quam ante habuerat, vt ſororem diligens, ſed quaſi hoſtem cauens, ad ſe propius accedere nunquam ſinebat, ab eaq; ad extremum vſque vitæ ſpiritum ſibi communionem funditus familiaritatis abſciderat, de quo fuſius infra ſect. 8. ex Gregorio 4. dial. cap. 11.

Vrſini Presbyteri zelus caſtitatis.

S. Niceti Epiſcopi ſtudium tuendæ caſtitatis. Gregorius Turonenſis. Surius.

Et quidem ſancti viri, vt illicita facilius caueant, etiam à licitis abſtinent, & vt reliqua omittam, certe exemplum S. Niceti Epiſcopi Lugdunenſis, quod ad rem noſtram facit, tacitus præterire non poſſum. Is teſte Gregorio Turonenſi in vitis Patrum cap. 8. & recitatur à Surio tom. 2. die 2. Aprilis, caſtitatem puriſſimam adeò cautè ſeruabat, vt ipſum Gregorium Turonenſem octauum annum agentem ſuis vlnis ſuſcipiens manus indumento ita concluderet, vt infantiles Gregorij arctus non contingeret; quem etiam ſcribit loca, in quibus ſuſpicio luxuriæ eſſe poterat, caute refugiſſe.

S. Ludouicus Epiſcopus Matris etiam oſculum repudiauit. Aluarus. S. Antoninus. Surius.

S. Ludouicus Epiſcopus Toloſanus Ordinis Minorum, auctore Aluaro de planctu Eccleſiæ, quem refert S. Antoninus 3. par. hiſtor. tit. 24. cap. 4. §. 1. & Surius in eius vita tom. 4. cum Neapolim veniſſet, & Regina ipſius mater more gallico eum oſculari voluiſſet, faciem ſuam, ne eum oſcularetur, auertit: *Quoniam*, inquit, *& ſi mater mea, tamen es & mulier, quam ſeruo Dei non expedit oſculari.*

Sed iam exempla aliquot commemoremus eorum, qui ex mulierum conuerſatione magnum ſuæ ſalutis diſcrimen ſubierunt, vel in peccatum turpiter lapſi ſunt.

Iacobus de Vitriaco Cardinalis ab inordinato amore B. Lutgardis precibus liberatur.

Iacobus de Vitriaco doctrina, & ſanctitate inſignis, poſtea Cardinalis, & Epiſcopus Achonenſis concionandi gratiam à Deo adeptus, religioſam quandam mulierem ęgrotam, non quidem turpi, ſed tamen plus ſatis humano amore proſequebatur; eratq; illi conſolandæ ita aſſiduè intentus, vt prædicationis munus ſegniter negligeret. At B. Lutgardis vinculum cordis eius, & machinas diaboli in ſpiritu ſentiens, cum multis lacrymis Dominum pro eo deprecata eſt; ſed cum orando nihil proficeret, & de hoc quodammodo conquereretur, Dominus ad eam: *Homo iſte, pro quo oras, ea conatur, quæ ſunt contraria precibus tuis.* Illa verò magnis vocibus orauit, vt eum etiam non volentem liberaret, ſtatimq; ille omninò liberatus, Deo & eius famulæ gratias egit; tumq; apertis oculis ſenſit periculum, quod antea humano cæcatus amore videre non potuit. hæc Thomas Cantipratenſis in vita B. Lutgard. lib. 2. apud Surium tom. 3.

Cantipratenſis. Surius.

Huc

Huc ſpectat lapſus carnis cuiuſdam fratris in quodam molendino, quo fœminæ accedebant, de quo S. Bernardus conſultus à quodam Abbate, vbi multa in epiſt. 79. de pœnitentia eidem fratri iniungenda diſſeruiſſet, ſubinfert: *De molendino*, inquit, *illo, in quo conuerſi cuſtodientes fœminarum pati coguntur frequentiam, ſi mihi creditur, vnum è tribus fiet; aut fœminarum acceſſus omnimodis à molendino prohibebitur; aut molendinum, cuicumque extraneo, & non conuerſis cuſtodiendum committatur; aut idem omninò molendinum relinquetur.* hæc Bernardus.

Bernardus.

D. Bernardi ſententia pro cuſtodienda monachorum caſtitate.

Maria S. Abrahamij inclyti Eremitæ ex fratre neptis cum ſeptennis parente orbata ad eum adducta in exteriori cella collocata eſſet, per feneſtram in medio vtriuſque cellulæ ad perfectionem ab eodem inſtituebatur: cumq; viginti annos in abſtinentia, & vitæ ſanctitate patruo conuixiſſet; quidam nomine dumtaxat monachus, prætextu ædificationis ad beatum virum concedere ſolebat, ſed potius cum ea colloqui cupiens, intidias ad vnum vſque annum illi tendebat, donec inuenta opportunitate, eam decepit, quæ aperta ianua egreſſa à virginitate puriſſima elapſa eſt; quo ſcelere perpetrato, quãuis dolore maximo perculſa in deſperationis tamen caliginem incidit, quare ad aliam ciuitatem migrauit, vbi in quodam diuerſorio biennio meretricis vitam egit; quo elapſo à S. Abrahamio patruo diligenter quæſita, & inuenta, arte quadam, & conſilio, (quod S. Ephræm fusè perſequitur) ad Chriſti caſtra eſt reuocata, & in interiori cellula recluſa, cilicio induta in ſumma humilitate animi, planctu, ac lacrymis perſtitit, ſe ipſam aſſiduis vigilijs, arctiſſimisq; abſtinentiæ laboribus conficiens vſque ad extremum vitæ finem. quæ omnia idcirco referenda exiſtimaui, vt intelligamus eam, ſi falſi illius monachi aſpectum, atque verba prudenter declinaſſet, nunquam tantum flagitium perpetraturam fuiſſe. hæc omnia S. Ephræm in vita S. Abrahamij tom. 3. ſuorum operum, quæ etiam recitat ex Metaphraſte Surius tom. 2. die 16. Martij, quo die S. Abrahamij dies in Martyrologio recolitur.

S. Abrahamij neptis poſt exactam biennio meretricio more vitam eodem ad pœnitentiam reuocatur.

S. Ephræm. Metaphraſtes. Surius.

DEI SERVO CAVENDVM NE SINE teſte cum muliere loquatur.

21 POrrò, ſi qua neceſſitatis cauſa agendi cum mulieribus intercedat, illud viro ſpirituali, puritatis ſtudioſo, (præſertim ſi religioſam vitam ſit amplexus,) in primis cauendum eſt, ne in loco ſolitario ſolus ſine teſte cum ſola colloquia ratione vlla miſceat, id quod ſapienter monent Baſilius, Ambroſius, Hieronymus, Bonauentura, & alij locis citatis: & in decreto diſtin. 81. cap. In his omnibus, (ſiue caput illud ſit ex 7. Synodo, quemadmodum ibi citatur; ſiue ex octaua, quemadmodum in pleriſq; notatur, eius tamen ſententia ex cap. 33. regul. fuſius diſput. S. Baſilij deſumpta videtur,) in eo igitur capite ſic habetur: *In omnibus obſeruare conuenit, vt certus quis* (ideſt ex Gloſſa is ad cuius ſpectat officium) *& certo tempore, & certo loco, & certis perſonis, vel apparere Clericus, vel loqui debeat mulieribus, vt excludatur omnis nefanda ſuſpitio. certe ſolum, & ad ſolam accedere nulla religionis ratio permittit.* ſic ibi.

Cum muliere ſola non loquendum.

Cap. in his omnibus diſt. 81.

S. Baſilius.

S. Gregorius lib. 10. epiſt. 22. quibuſdam monachis Conſtantium Monachum in Abbatem petentibus, aſſenſum præbere noluit, inter alias rationes: *Quia*, inquit, *idem Conſtantius ad monaſterium, quod in Picæni Prouincia ſitum eſt, ſolus pergere ſine aliquo fratrum ſuorum præſumpſit, ex qua eius actione cognoſcimus, quia ſi ſine teſte ambulat, recte non viuat.* ſic Gregorius.

S. Gregorij doctrina.

S. Thomas Aquinas, auctore Ferdinando Caſtillo 1. par. hiſto. Ordinis Prædicatorum lib. 3. cap. 37. dicebat Religioſum ſine oratione eſſe militem ſine enſe; & Religioſum, qui ſolus diſcurrit, eſſe dæmonium ſolitarium.

S. Thomæ Aquinatis. Ferdinandus Caſtillus.

S. Auguſtinus in regula cap. 19. præcepit binos incedere, & manere in loco, ad quem accedunt: *Quando proceſſeritis*, inquit, *ſimul ambulate; cum veneritis, quo itis, ſimul ſtate.* hæc ibi. quod S. Auguſtinus egregiè ſeruabat teſte Poſſidio in eius vita cap. 26. vbi de eo hæc habet: *Si forte ab aliquibus fœminis, vt videretur, vel ſalutaretur, rogabatur, nunquam ſine clericis teſtibus ad eas intrabat, vel ſolus cum ſola vnquam eſt locutus, nec ſi ſecretorum aliquid intereſſet.* hæc Poſſidius.

S. Auguſtini.

Eiuſdem exemplum ex Poſſidio.

De

S. Ludouici Episcopi Tolosani. S. Antoninus.

De S. Ludouico Episcopo Tolosano Ordinis Minorum S. Antoninus 3. par. histor. tit. 24. cap. 4. ante §. scribit in hæc verba: *Castitatis amor etiam à puero adeò mentem eius affecerat, vt mulierum consortia ita vitaret, quod excepta matre, & sororibus, solus cum sola nunquam loqueretur.* hæc S. Antoninus.

VITANDAM ESSE CVM MVLIERIBVS cohabitationem.

Cur cum mulieribus non sit cohabitandum. Eccles. 42.

22 DEnique, vt aliquid dicamus de cauenda ijs, qui seruandæ castitatis studio tenentur, cum mulieribus in eadem domo cohabitatione, quod erat tertium à nobis pertractandum; illud principio recolendum, quod Spiritus sanctus monet Eccles. 42. his verbis: *In medio mulierum noli commorari, de vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Quo circa sacri Canones seuerè id clericis interdixerunt; qua de re libet ex sacro Concilio Nycæno primo canonem tertium afferre, qui refertur 32. cap. *Interdixit*, & sic habet: *Interdixit per omnia magna Synodus non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, vel alicui omninò, qui in Clero est, libere subintroductam habere mulierem, nisi fortè aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas, quæ suspicionem effugiant.* sic ibi: ad hunc canonem spectasse videtur Basilius cum in epist. 17. in additis, Paregorio Presbytero septuagenario noluit permittere habitantem secum habere mulierem: Nos, inquit, nec primi, nec soli Paregori sanciuimus non debere mulierculas cohabitare viris; lege canonem à sanctis Patribus nostris in Nycena Synodo constitutum, qui manifestè interdixit, ne quis mulierculam subintroductam habeat; & infra: Eijce igitur illam ex ædibus tuis, & trade in monasterium. sit illa cum virginibus; tu inter viros ministra.

Concilium Nycenum. S. Basilij doctrina. S. Hieronymi.

S. Hieronymus Epist. 2. de vita Clericorum. Ne sub eodem, inquit, tecto cum mulieribus manseris, nec in præterita castitate confidas; nec sanctior Dauid, nec Sansone fortior, nec Salomone potes esse sapientior. sic Hieronymus, qui in Epist. 47. luculenter de vitando suspecto contubernio egit, vnde periculum, vel famæ, vel pudicitiæ imminet.

S. Augustini. Possidius.

S. Augustinus, vt est apud Possidium in eius vita cap. 26. nullam fœminam intra domum suam conuersari, aut manere permisit, ne germanam quidem sororem viduam, quæ Deo seruiens multo tempore vsque ad obitum præposita ancillarum Dei fuit: similiter & filiarum Patrui, atque fratris, quæ Deo pariter seruiebat, contubernium, familiaritatemq; vitauit; quippe qui diceret, & si de sorore, & neptibus nulla esse posset mala suspicio, tamen eæ, quæ cum illis necessario manent, vel ad eas ventitant, scandalum infirmioribus, & tentationem ijs, qui cum Episcopo manent, afferre possunt. hæc ex Possidio.

Eiusdem S. Augustini exemplum. Andreæ Episcopi Fundani honesta etiam cum muliere familiaritas dæmoni placere per visum Iudæo cuidam ostensa. Gregorius.

Et sanè non desunt exempla complurium, qui hoc salutare monitum negligentes, se in graue animarum suarum discrimen coniecerunt; celebre est illud exemplum Andreæ Fundani Episcopi apud sanctum Gregorium lib. 3. dialog. cap. 7. Is quamuis virtutibus, & sanctitate fulgeret, sanctimonialem tamen quandam in Episcopio habitare permisit, certus de sua, eiusq; continentia; ex qua occasione dæmon in eo tantam carnis tentationem commouit, vt specie illius illectus nefanda cogitaret, & semel in terga eiusdem fœminæ blandiens alapam daret. cum verò nocte quadam apud Apollinis delubrum in conuentum malignorum spirituum, vnus ex eis gloriaretur se ad id Episcopum instigasse; Iudæus, qui hæc audiebat, & videbat, cuncta Episcopo insequenti luce narrauit: quod ille agnoscens prostratus protinus se in ordinem dedit, moxq; de suo habitaculo non solum eandem sanctimonialem; sed omnem etiam fœminam, quæ in eius illic obsequio habitabat, expulit; Apollinis templum B. Andreæ Apostoli repente oratorium fecit; Iudæum baptismo lustrauit; suoq; exemplo nos docuit, quantum periculi viris spiritualibus ex mulierum cohabitatione immineat.

Monachus, qui dæmoni sub mulieris specie hospitium non denegauit ab eodem est deceptus

Monachus quidam ex narratione Abbatis Ioannis Vrbis Lyco, qui Theodosio victorias prædicebat apud Palladium sect. 41. degebat in spelunca in solitudine, & in orationibus, ac virtutibus profecerat. Is ex occulta quadam suæ vitæ instituti superbia elatus, aditum dæmoni aperuit, qui assumpta mulieris specie errantis per solitudinem,

intra-

intrauit in ſpeluncam,petijtq; quod iam nox eſſet,ibi quieſcere; quod cum annuiſſet,& de errore perconctaretur:illa inter narrandum blanda,ac fallacia verba inſperſit, & ad amorem pelliciebat,mutuo ridendo, ac ſubridendo; deinde contrectat illi manum, genas, & ceruicem. tandem cum miſer ille iam tentatione captiuus tentaret habere cum ea conſuetudinem,illa exclamans velut vmbra euanuit. Multorum autem dæmonum riſus in aere exauditus eſt clamantium: *Qui ſe exaltat,humiliabitur.* At ille cum totum diem in lamentatione tranſegiſſet de ſua ſalute deſperatus, (quod non debuit) in mundum reuerſus eſt.hæc ex Palladio in Lauſiaca.quod ſi dæmonem ſub mulieris ſpecie è cella expuliſſet, nec blanda colloquia cum eo habuiſſet, ad tantum ſcelus neutiquam lapſus foret.

Simile exemplum de Macario Romano. Vitas Patrum.

Huic affine eſt illud,quod in prima parte libri,cui titulus eſt Vitas Patrum, de Macario Romano narratur. Is prima nuptiarum die ſponſam intactam relinquens in ſolitudinem ſe contulit,cui dæmon poſt aliquod tempus ſuſcepta mulieris ſpecie, ſponſam ſe eſſe,quam ipſe reliquerat,varijs ambagibus ſimulans, in ſpeluncam ab eo introductus, turpiter illuſit. Verùm diuina gratia ad ſe reuerſus, pœnitentia ſeueriſſima peracta, ad priſtinam in diuino obſequio tranquillitatem,& alacritatem redijt. hæc ex vitis Patrum. Huius Macarij meminit Gratianus in decreto,cap.ſcripſit 27.q.2.

Cap.ſcripſit 27. q. 2.

Iacobi Eremitæ eximia in agendo cum mulieribus cautela. Surius.

Iacobus Eremita,cuius vitam ex Metaphraſte ponit Surius tom.1.die 28.Ianuarij,in ſpelunca prope Oppidum Porphyrianem in Palæſtina, quindecim annos in magna ſanctitate exegit:quo tempore muliercula quædam ex impia Samaritarum ſecta ad eum illaqueandum ſubmiſſa importune petebat,vt ſe in cellam exciperet,ne à feris, quod iã nox eſſet,diſcerperetur. At ille primum renuit, miſeratione tandem permotus eam intromiſit,quæ dolorem cordis ſimulans,rogabat ſibi eam corporis partem cruce ab ipſo ſignari; qui ſumpto oleo ſacro identidem Crucis ſignum dextera manu in loco doloris imprimebat: ſed ne à dæmone deciperetur ſiniſtram manum igni,quem accenderat admouit,ita vt digitorum compages combuſtæ deciderent. ex quo mulier compuncta Epiſcopo Ciuitatis cũcta narrauit,ab eoq; expulſis omnibus Samaritis ſacrum baptiſma ſuſcepit,& ad virginum Monaſterium eſt miſſa. Iacobus verò miraculis clarebat: quare vt hominum auram declinaret,procul inde ad quadraginta milliaria diſceſſit, & annis triginta in quadam ſpelunca eſt commoratus. cum autem dæmon in cuiuſdam diuitis filiam ingreſſus S.Iacobum nominatim appellaret,eadem puella à parentibus (qui multo labore eum inuenerant) ad ipſum eſt adducta,à qua precibus dæmonem exegit.Verum parentes,cum timerent ne dæmon in illam reuerteretur,ipſum rogant,vt puellam apud ſe biduum retineat, qua ibi relicta, domum remigrant; ſed cum ſolus cum ſola verſaretur,quamuis ad multam ſenectutem peruenisſet,adeò libidinis facibus eſt incenſus,vt ſuæ exercitationis,& laborum,quos quinquaginta annis pro Chriſto ad eum vſque diem ſuſceperat,oblitus puellam vitiauerit,vitiatamq; ne res euulgaretur, interfecerit, cuius corpus in fluuium proiecit. ſed Chriſti gratia ad ſe reuerſus, ad pœnitentiam confugit. Verùm iterum deſperatione exagitatus ad ſeculum redire conſtituit. à quodam tamen fratre,cui occurit in via in cellam adductus, ſua omnia ſcelera ei patefecit,ab eodemq;de ſpe veniæ,ac diuina miſericordia prolixè admonitus diſceſſit via, quæ in ſeculum ducebat. In itinere verò in ſepulchrum ad ſpeluncæ figuram factum, vbi plurima erant mortuorum corpora ingreſſus, oſſa illa in vnum angulum congeſſit, & obſerata ſepulchri ianua, genuflexus Dei miſericordiam implorare cœpit. ibiq; cum nemine conuerſatus,neminem allocutus,in lacrymis,gemitibus,& multa compunctione decem annos conſtanter tranſegit:bis in hebdomada olera,quæ prope ſepulchri oſtium erant,colligebat,ex quibus,quantum ſatis eſſe putaret,ſumebat. Sed cum magnus pluuiæ defectus in ea regione eſſet,poſt multa ieiunia,preces, & ſupplicationes, miſericors Deus vim pœnitentiæ oſtendere volens,bis Epiſcopo Deum metuenti reuelatum eſt,virum illum,qui in ſepulchro morabatur, ſuis ad Deum precibus mala omnia ab illa Regione auertere poſſe. ad quem cum Epiſcopus ſemel cum Clero, & iterum cum Clero & populo acceſſiſſent: tandem ab eo,qui ſe indignum pronunciabat,vt oraret,impetrarunt, oratione facta illico pluuia magna eſt conſecuta. cuius diei memoria quotannis ibi celebratur. Exinde ægroti plurimi ad eum accurrentes oleo ſacro inuncti ſanabantur.

Eundem poſtmodum cum muliere habitantem dæmon ad flagitium,ac homicidium perduxit.

Idem poſt peractam decennio pœnitentiam miraculis clarus obijt.

tur. Eodem anno Iacobus quintum, & ſeptuageſimum annum agens migrauit ad Dominum; eius corpus in eodem ſepulchro eſt depoſitum: poſtea Epiſcopus ſacram ædem ad ſepulchrum ædificauit, eiusq; reliquias illuc tranſtulit, vbi multi curantur, eiusq; feſtum tota Ciuitas, & finitima regio quotannis recolunt. In Martyrologio Romano ad diem 28. Ianuarij eius memoria præclaro elogio adnotatur.

Martyrologium Romanum. Simile exemplũ de Ioanne Garino.

Huic Iacobo attexere poſſumus Ioannem Garinum, cui idem ferè contigit. Is enim cum in Monte Serrato vitam ſanctitate cõſpicuam duceret, filiam Comitis Barcinonẽſis à ſpiritu immũdo ſuis precibus liberauit; eamq; parentis precibus in ſua ſpelunca ad paucos dies cõmorantem oppreſſit, oppreſſam iugulauit, & poſt ſeptenniũ, quo tanti flagitij pœnas à ſe exegit, viuentem inuenit eo in loco, vbi poſtea celeberrimum Deiparæ Templum cum adſito cœnobio in Monte Serrato eſt extructum. quam hiſtoriam vberius proſecuti ſumus in Tract. de Templis, vbi de Templo Montis Serrati egimus.

Tractatus de Templis.

Martinianus Eremita mulieri hoſpitium præbens à dæmone decipitur. Metaphraſtes. Surius.

Ad extremum Martiniani Eremitæ exemplum proferamus, qui, vt eſt apud Simeonẽ Metaphraſtem in Surio 13. Februarij tom. 1. à muliercula in cellam admiſſa deceptus, inde cautior factus, alterius fœminæ conſortium admirabili quadam ratione effugit, & ſancto fine migrauit ad Dominum. Martinianus igitur octodecim annos natus, relictis omnibus, in ſolitudine cuiuſdam montis prope Cæſaream Palæſtinę, annis vigintiquinque Angelicam vitam duxit, ac donum energumenos, atque ægrotos curandos diuinitus accepit. Verùm meretricula quædam procax nomine Zoe ad virum ſanctum deinduſtria decipiendum, in eius ſpeluncam veſtibus laceris induta ſe contulit, & multis precibus, ne à beſtijs deuoraretur, in exteriorem cellam admiſſa eſt; cum verò noctu veſtibus elegantibus, quas ſecum in pera detulerat, ſe ornaſſet, fallacibus, & blandis verbis, deinde manus contrectatione, vt ſe in vxorẽ duceret, eidem ab interiori cella mane egredienti perſuaſit, omnibus ſuis bonis, quæ plurima eſſe iactabat, ei oblatis; quare Martinianus iam de flagitio perpetrando cum ea agebat: ſed cum aliqui benedictionis gratia ad eum accedere ſolerent, ne in ſcelere deprehenderetur, è quadam excelſa rupe circumquaque ſpectabat, num aliqui ad eum venirent; quod cum ageret diuina gratia ad cor redijt, & arreptis ſarmentis aridis copioſum in cella ignem excitauit, detractisq; calceis ſemel, atque iterum in eum inſilijt, vbi toto corpore, & præſertim pedibus vehementer aduſtus in terram decidit, & ſecum ipſe tartarei, ac ſempiterni ignis acerbitatem reputans à Deo errati veniam cum lacrymis petijt. Muliercula verò, quæ hæc ſpectabat, corde vehementer compuncta, ad eius pedes proſtrata, ſibi ignoſci multis cum lacrymis petijt, & virginum cœnobium in Bethlehem ingreſſa, pane tantum, & aqua victitans admirabili vitæ auſteritate duodecim annis exegit, ac demum ſancto fine quieuit. Martinianus verò ſeptimo menſe à plagis vſtionis curatus, eo migrare decreuit, vbi nullam mulierem videre poſſet; quare à quodam Nauclero in deſertam Inſulam, vbi rupes anguſta, excelſa, & terribilis erat, ſe deferẽdum curauit, ibiq; lætus ſub dio ſuper petra æſtu torrebatur, algore verò concreſcebat, ac Deum glorificabat, ſcripturarumq; meditationi vacabat, atque ab eodem Nauclero tertio quoque menſe panem, & aquam accipiebat cum ramis palmarum, quos contexebat, & vendendos Nauclero tradebat. Elapſis verò ſex annis, nauis quædam vi tempeſtatis ad petram alliſa confracta eſt, vectoribus omnibus ſubmerſis præter puellam quandam ſpecioſam, quæ vigintiquinque annos nata in tabula euaſit, & ad petram Martiniani appulſa auxilium ab eo petijt, à quo ex aqua eſt educta. Verum ne cum ea habitaret diſcedere conſtituit, puellæ tamen ſuum panem, & aquam reliquit, monuitq; vt à Nauclero, qui poſt bimeſtre tempus eò venturus erat, in ſuam Ciuitatem ſe deducendam curaret: quo dicto, mare ſigno Crucis obſignans, ac Deo ſe commendans, ſtatim ſe in illud proiecit, vbi à duobus Delphinis exceptus, in terram eſt delatus. Is verò reliquum vitæ tempus tranſegit de Ciuitate in Ciuitatem ſine virga, & pera migrando, quotidianis eleemoſynis à pijs viris quæſitis viuebat, atque in hoc vitæ genere biennij ſpatio centum & ſexaginta quatuor Vrbes peragrauit; tandem Athenis in templo ſuper ſcamnum reclinatus, ab Epiſcopo, qui de eius ſanctitate diuinitus erat præmonitus, benedictione percepta migrauit ad Dominũ. Puella verò illa nomine Photina in ea rupe Domino ſeruire cœpit, & vbi Nauclerus conſtituto tempore venit, inde recedere noluit, ſed ab eo enixè petijt ſibi aquam, & panem

Idem ad pœnitentiam reuocatur.

Eundem mulieris contuberniũ fugientem Delphini duo incolumẽ per aquas trahunt.

panem ſuppeditari,ibiq; exactis in ea exercitatione annis ſex,ſancte obijt: cuius corpus Nauclerus Cæſaream Palæſtinæ delatum,iuſſu Epiſcopi, cui rem omnem narrauit, honorificè ſepeliendum curauit.hæc ex Metaphraſte,qui fuſius rem omnem perſequitur.

Ex quibus omnibus perſpicuè conſtat quantum, vel modica eiuſmodi cum mulieribus ſub eodem tecto cohabitatio,viro caſtitatis tuendę ſtudioſo ſit penitus fugienda.

EXEMPLA VIRORVM, QVI PRO CAſtitatis integritate tuenda; quamuis grauiter, & interdum ad mortem vſque impugnati; ſtrenuè tamen decertarunt.

SECTIO III.

23 SEd age dicamus iam de viris ijs, qui non tantum in pace, hoc eſt à nullo viſibili hoſte laceſſiti: verum etiam in bello, ideſt ab aliorum impudenti procacitate ad flagitium importunè ſollicitati, caſtimonię tamen decus diuino beneficio fortiſſimè ſunt tutati; & *theſaurum* iſtum caſtitatis, (vt verbis vtar Apoſtoli) *in vaſis fictilibus*,hoc eſt in fragili,terrenoq; corpuſculo, non minus acriter, & ſtrenuè quàm cautè, prudenterq; cuſtodierunt. quod ſanè non minus difficilè,quàm glorioſum fuit;ſcite enim à quodam pronunciatum nouimus: *Paſſiones noſtras ab extrinſeco ſuaſore illatas, quaſi vim facere*. 2.Cor.4.

Caietan.in ſumm.verbo reſtitutio.

Notum eſt illud,quod D.Hieronymus in vita D.Pauli primi Eremitæ,memoriæ prodidit, de martyre quodam in perſecutione Decij, & Valeriani, cuius animam callidus hoſtis iugulare volebat,qui in molli lecto blandis nexibus conſtrictus, vt meretricis ſe impudicè contrectantis petulantiam vinceret,neque voluptas ſuperaret,quem tormenta non vicerant; cœlitus inſpiratus,præciſam morſu linguam in oſculantis ſe faciem expuit, ac ſic libidinis ſenſum, ſuccedens doloris magnitudo ſuperauit. huius meminit Martyrologium die 28.Iulij.

Ex Hieronymo. *Martyr quidam linguam ſibi abſcidit ad libidinem coercẽdam.*

Ex *Martyrologio* Romano.

Simile quid planè feciſſe narratur Niceta martyr Nicomedienſis: is poſt atrociſſima pro Chriſti fide exhauſta tormenta,à tyranno in ſtrato vinctus,contra impudicam mulierculam oſculis, & amplexibus ipſum ad turpitudinem prouocantem, vt ea ratione ad inanium deorum ſuperſtitionem facilius traduceretur, in eius faciem præciſam dentibus linguam proiecit: ſicq; illa confuſa receſſit, vt videre eſt apud Petrum in Catalogo Sanctorum lib.8.cap.70.

Simile exemplum de Niceta Nicomedienſi martyre.

Petrus de Natalibus.

Sub perſecutione quoque Diocletiani narrat Nicephorus lib.7.cap.13. Aſcetem quendam, hoc eſt Monachum, ſimili agone decertaſſe. cum enim eius fides in Chriſtum innumeris tormentis expugnari nequaquam potuiſſet;in lecto ligatur, & à procaci muliere oſculis, complexibus,& impudica attrectatione ad libidinem incitatur:is verò linguam dentibus præciſam in meretricis faciem expuit, ſicq; pudicitiæ victor extitit,& paulò poſt vitam martyrij ſigillo confirmauit. ita Nicephorus.

Ex Nicephoro. *Simile exemplum de quodã Monacho martyre.*

S.Pelagius martyr Hiſpanus ætate adoleſcentulus, cuius celebris memoria extat die 26. Iunij in Martyrologio, vbi paſſus ſcribitur Cordubæ ob confeſſionem fidei iuſſu Abdarameni Saracenorum Regis. Is in tuenda pudicitia, pluſquam virilem conſtantiam,& animi magnitudinem præſetulit:cuius nobile certamen complures litteris mandarunt,inter quos Ambroſius Moralis in addition. ad S.Eulogium, Vaſæus in Chron. Hiſpaniæ,& noſter Mariana lib.7.de rebus Hiſpaniæ cap. 20. cuius verbis illud hoc loco referendum exiſtimaui. Cum in pugna,inquit, qua anno 920. magna animorum contentione, & ſtrage ab Ordonio Legionenſi Rege cum Abdarameno Cordubenſium Maurorum Rege eſſet dimicatum, capti in prælio à Mauris Epiſcopi, Dulcidius Salmaticenſis,Tudenſis Hermogius,pacto pretio redempta libertas,dum aurum appenditur, obſides dati, pro Hermogio ſororis filius Pelagius in ipſo ætatis flore venuſtate eximia,barbari Regis animum,alioquin in libidinem procliuem,vehementer inflammauit;augebatur impuri,atque nefarij amoris flamma.adoleſcens,& ſuaptè natura ad modeſtiam compoſitus,& in plena ſapientiæ,ac ſanctitatis domo educatus, de turpitudine identidem appellatus repugnauit primum: deinde cum precibus vinci non poſſet,& vis adhiberetur,procaci regi pugnos in faciem impegit. Animi conſtantia,& pudicitiæ cultus

S. *Pelagius martyr. Martyrol. Roman.*

Ambroſius Moralis. Vaſeus P. Mariana.

tus exitium attulit,ferreis forcipibus laniatus,membratimq; diſſectus,Regis impij, & immanis iuſſu in Bætim fluuium iactatus eſt die Dominica,qui dies Iunij mẽſis 26. fuit, nimirum ſalutis anno nongenteſimo vigeſimo quinto, defuncto honores tanquam martyri habiti,cultusq; decretus: corporis partes in D.Geneſij,caput in S.Cypriani cęmeterio ſepulta. Eò maiori gloria dignus, quod quatuordecim non amplius annos natus erat, minus menſibus ſex, cum id virtutis,& conſtantiæ ſpecimen edidit. hactenus Mariana. Raguel quoque,qui eo tempore,quo S.Pelagius martyrium ſubijt Cordubæ verſabatur eius præclarum pro Chriſto certamen litteris mandauit, quod Ambroſius Moralis ad Eulogij librum veluti appendicem appoſuit, ac ſcholijs illuſtrauit, quodq; Baronius recitat tom.10.ad annum Domini 925. ſcribit autem Raguel, S. Pelagium in Gallæcia oriundum decennem in obſidem datum,qui triennium, & ſemis,quo manſit incluſus,venturi præſcius,ad martyrij pręparationem impendit: quo tempore elapſo cum ab impuro Rege ad turpia ſollicitaretur;pudiciſſimus verò adoleſcẽs ſtrenuè eum, vt dixi,à ſe reieciſſet,& chriſtianum ſe ſolummodo prædicaret,iuſſus eſt ferreis forcipibus appendi,ac ſurſum,& deorſum leuari,& deinde membratim gladio ſcindi; quare per ſummam crudelitatem vnus carnificum brachium illi radicitus amputauit, alius tibias deſecauit,alius etiam ceruices ferire non deſtitit,Pelagio interim intrepide Dominum Ieſum Chriſtum inuocãte. hæc ex Raguele,qui ait S.Pelagium paſſum Aera.963. hoc eſt iuxta Baronium anno 925.

Poſtea,quemadmodum idem Mariana refert lib.8. cap.7. & 8. ſub finem vitæ eiuſdem Abderrahmani Cordubæ Regis,qui anno Domini 959. in extrema ſenectute deceſſit,Sanctius Legionenſis Rex honeſtiſſima legatione miſſa,pro iure initæ olim amicitiæ,petijt Pelagij martyris corpus ad ſe mitti, id munus magni beneficij loco habiturum. quod Abdaramenus facere detrectauit, ſed ab eius filio, & ſucceſſore Alhaca non multò poſt eſt impetratum. quod in Monaſterio Sanctij Regis impenſa Legione extructum,collocatum eſt, vti ipſi in animo fuerat ſacris exuuijs Martyris ædem auguſtiorem facere. Id cœnobium Ioannis Baptiſtæ,atque Pelagij olim nomen prætulit,nũc D.Iſidoro ſacrum. hæc ex Mariana.

Sanctius Legionenſis Rex.

Fratres duo ex Ordine Minorũ martyres. Ex Chronic. S. Francisci.

24 His adiungi poſſunt duo Religioſi ex ſacro Ordine Minorum,qui de Obſeruantia dicuntur,quorum egregia caſtimoniæ virtus,in perferenda pro eius cuſtodia, morte enituit,de quibus in 3.par.Chron.S.Franciſci lib.1. cap.56. Cum Minorum de Obſeruantia exortum eſſet inſtitutum,quidam frater iunior egregia tum animi,tum corporis forma,Anconæ in Picæno à Guardiano miſſus eſt ad ſtipem oſtiatim cogendam, eum mulierculæ quædam erogandæ eleemoſynæ prætextu intra domum accerſitum, atque ingreſſum,clauſo Oſtio ad ſcelus inuitarunt; quod cum conſtanter deteſtaretur, ab eis eſt interfectus,& ſequenti nocte clam eius cadauer ad Monaſterij oſtium delatum eſt.

Frater Sebaſtianus ex Ordine Minorum mart.

Non abſimile Feſulis in Thuſcia accidit alteri ex ijſdem Minoribus, Sebaſtiano nomine. Is cum in aliorum conuictu affabilem,& vultu hilarem ſe præberet, vt propterea leuior,ac liberior haberetur,atque à ſuis Moderatoribus, quas prompta voluntate ſuſcipiebat,iniunctis crebrò pęnitentijs mulctaretur;à duabus tamen mulieribus eius turpi amore flagrantibus, dum eleemoſynam peteret,eadem fraude in domum euocatus, cum eis conſentire prorſus renueret,ab ijſdem eſt præfocatus.Verum poſt aliquod tempus caſtiſſimum eius corpus ijſdem religioſis reſtituerunt.

Viris ſpiritualibus cauendum ne ſoli cum mulieribus agant.

Ex Bonauentura in Speculo diſciplinæ cap. 4. ſed in editione Vaticana c.30. Caſtitatis amittendæ periculum religioſus quidam mirificè euadit.

At verò,vt ex ijs,quæ narrauimus exemplis,aliquid ad noſtram eruditionem deriuemus; ſicuti inuicta eiuſmodi religioſorum conſtantia, qua pro caſtitate ſeruanda mortem fortiter oppetierunt, meritò eſt prædicanda;ita viris præſertim religioſis diligenter cauendum eſt,quemadmodum ſupra dicebamus,ne vllo in loco ſoli ſine teſte cum mulieribus agant. quod S. Bonauentura ſapientiſſimus religioſorum inſtituendorum magiſter,in ſpeculo diſciplinæ;vbi agit de diſciplina in hoſpitio ſeruanda,quodam memorabili exemplo oſtendit: Loca, inquit, quæ periculi, vel ſuſpitionis materiam dare poſſunt,cautè declinent: nec ſoli cum muliere in locis huiuſmodi,vel ad modicum morentur. Domina quædam, vt fertur, dum duo Religioſi ad eius domum diuertiſſent, alterum ſeorſum vocauit in cameram,quaſi ſecretò aliquid ſibi locutura:quem ingreſſum mox ad turpitudinem prouocans aſſeruit firmiter ſe continuò contra ipſum quaſi ei

vio-

violentiam inferentem, nisi statim sibi acquiesceret, clamaturam. Tunc doctus à Domino frater, antequam mulier in vocem clamoris prorumperet, ad fratrem consocium, qui cum pluribus personis in atrio domus erat, alta voce clamauit, librum sibi continuò afferri requirens: sicq; adueniente fratre, necesse habuit mulier ab huiusmodi nefaria sollicitatione cessare, & frater hominum confusionem euasit. Nonnulli ob causam similem confusi turpiter, & verberati grauiter fuisse dicuntur: *Qui autem cauet laqueos, securus erit:* qui autem non cauet, est aut stultissimus, aut peruersus, nec est eius excusatio admittenda. hucusque S. Bonauentura. *Prou. 16.*

VIRORVM EXEMPLA, QVI A MVLIERIBVS *ad flagitium sollicitati viriliter restiterunt.*

25 NEc silentio prætereundi sunt complures sanctitate præclari, qui muliercularum petulantiam castitatis thesaurum blanditijs, & precibus inuadere conantium acriter, & strenuè propulsarunt.

S. Christophorus martyr præclarissimus Nicetam, & Aquilinam sorores impudicas ad eum voluptatibus deliniendum in carcerem à tyranno immissas, & procraciter eum ad turpitudinem vrgentes, subita luce ex eius facie diuinitus micante exterritas, ad Christum conuertit, quæ die 24. Iulij post multa tormenta martyrij palmam capitis obtruncatione consecutæ sunt; de quibus Petrus de Natalibus lib. 6. cap. 131. & 135. & Surius in S. Christophoro tom. 4. *S. Christophorus mart. oris sui fulgore SS. Nicetam, & Aquilinam mart. conuertit. Petrus de Natalibus.*

Solitarius quidam in inferioribus partibus Aegypti sanctitate insignis erat, de quo in vitis Patrum lib. contra fornicationem. Ad hunc meretricula quędam sponsione cum nonnullis iuuenibus de viro Dei decipiendo facta, adue sperascente iam die veluti errabunda venit ad eius cellam, & ne quid à feris ea nocte pateretur, lacrymis se in hospitiũ recipi impetrauit: quo facto Satanas vehementer eum ad flagitium tentare cæpit. Verùm accensa lucerna secum tacitus ipse dicebat, experiar num ignem inferni, quem fornicarij merentur, sustinere possim; digitum ad ignem admouit, quem cum incendisset, nullo sensu corripiebatur propter nimiam concupiscentiæ carnalis flammam, sicq; reliquos omnes suos digitos ad matutinum vsque tempus incendit. Quod cernens infelix muliercula præ horrore obriguit, ac tandem mortua est; eam extinctam ab ijs, à quibus missa erat, mane repertam vir sanctus fusis precibus vitæ restituit; mox ad Deum conuersa, vitam deinceps castam duxit. *Solitarius quidam pro pudicitia sibi digitos combussit.* *Idem mortuam mulierem ad vitam reuocauit.*

S. Ludouicus Cathalaunensium Episcopus corpore venustus, & pudicus, à quadam Galliæ Regina opportuno loco ad flagitium inuitatus eam toruo oculo aspiciẽs reiecit, cuius oculus post 400. & eo amplius annos in cadauere caligari non potuit, quem quasi crystallum lucidissimum in eleuatione eius cadaueris vidit Ioannes de Firmitate Abbas Canonicorum Regularium, à quo hæc accepit Thomas Cantipratensis, eaq; litteris mandauit annum circiter 1260. in lib. 2. apum cap. 30. §. 33. *S. Ludouicus Cathalunensium Episcopus.* *Ex Cantipratensi*

S. Bernardus adolescens propter egregiam formam à varijs mulieribus vehementer sollicitatus, vt videre est in eius vita lib. 1. cap. 3. semper fortissimè restitit, & virginitatem sancte coluit, semel hospitatus cum socijs apud quandam matronam, cum noctu illa ad eum impudenter accederet, clamare cæpit *latrones, latrones,* quibus vocibus excitata familia, illa recessit: verùm cum secundo, & tertio improba mulier redijsset, ijsdem vocibus eam à se abegit; & cum adhuc degens in seculo curiosius oculos in quandam mulierem defixos aliquãdiu tenuisset, apud se erubescens in stagnum gelidarum aquarum collo tenus insiliens tandiu ibi permansit, donec pene exanguis effectus, carnalis concupiscentiæ calor, Dei beneficio refrixit. *S. Bernardus. Vita S. Bernardi.*

26 S. Franciscus, de cuius virginitate supra diximus, verbum Dei in Apulia prædicans, cum Friderici secundi Imperatoris iussu, vt est in Chronicis Minorum lib. 1. cap. 61. à primario quodam eius aulico, qui hyberno tempore eum ad cęnam inuitarat, noctu in eius cubiculum submissa esset muliercula quædam speciosa, vt ad turpitudinem importunè hominem sollicitaret, præmissa oratione, pauimentum candentibus prunis ex proximo igne constrauit, ibiq; absque lęsione decumbens ad idem stratum mulierculam inuitauit: *S. Franciscus de Assisio supra cãdentes prunas pro pudicitia decumbens non vritur. Chronic. S. Francisci.*

uitauit:ſed hæc poſitis genibus ſe Deum, eiuſq; ſeruum offendiſſe proclamans, veniam cum lacrymis ab eo petijt. Nobiles quoque aulici, qui præ foribus rei exitum præſtolabantur, timore, & confuſione pleni, & Imperator totius rei certior factus à ſancto viro, ſibi vt ignoſceret,poſtularunt.

Simili miraculo impudicam Saracenã ad Chriſtum conuertit.

Id ipſum ex lib.2.Chronic.cap.57.contingiſſe narratur eidem S.Franciſco in Aegypto, cum ad Sulthanum conuertendum adijſſet;nocte enim quadam à Saracena ad impudicitiam prouocatus in ignem,qui proximè ardebat ſe proiecit, eamq; ad ſtratum illud euocauit, quæ tanto viſo miraculo fidem Chriſti cum baptiſmate ſuſcepit, & velut altera Samaritana complures Saracenos ad Chriſtum adduxit.

Ex Cantipratenſi.

Simile prorſus à Thoma Cantipratenſi lib.2.apum cap.30.num.45. accidiſſe narratur cuidam inſigni Concionatori ex Ordine Prędicatorum,nomine Dominico,qui cum Beato Dominico in Hiſpania Ordinem propagauit. Is à meretrice, quæ quibuſdam artibus in eius notitiam irrepſerat,conſcio Rege Caſtellæ,eiusq; nobilibus, ad turpitudinem ſollicitatus,in prunarum ardentium lecto decubuit,teſtatus lectum talem tali opere dignum:hic mulier pene exanimata eſt: Qui verò introierunt Regis milites,Beatum virum ſine vlla corporis,aut veſtis aduſtione offenderunt,& mulierem illam imperante Rege vtiq; concremaſſent,niſi beati viri preces eam periculo exemiſſent.

Fr. Dominicus ex Ordine Prædicatorum ignem pro pudicitia decumbens non læditur.

S.Thomas Aquinas caſtitatis zona ab Angelis cingitur.

27 S.Thomas Aquinas ex illuſtri Ordine Prædicatorum, qui Angelici nomen, tum propter lucidiſſimæ doctrinæ, tùm propter puriſſimæ virginitatis præſtantiam meritò eſt conſecutus; dum in caſtro S. Ioannis à ſuis in cuſtodia teneretur, mulier ad labefectandam eius conſtantiam meretricio cultu introducta eſt: cumq; eius impuris illecebris nonnihil ſe commoueri ſenſiſſet,Chriſto,eiusq; Genitrici ſe commendans titione è foco arrepto illam fugauit: mox clauſo oſtio ante ſignum crucis eodem titione in pariete efformatum genibus flexis orans cum lacrymis perpetuæ integritatis donum à Domino petijt,ibiq; ſomno correptus, per quietem ſentire viſus eſt ſibi lumbos conſtringi ab Angelis dicentibus: *Nos à Domino iuſſi zona caſtitatis te cingimus, nulla poſthac ratione diſſoluenda:* qua ex conſtrictione dolorem ſentiens exclamauit. quo ex tempore omni poſtea libidinis ſenſu caruit:nec tamen propterea de oculorum diligenti cuſtodia quicquam remiſit:quin etiam fertur vſque adeò in vita ſua fœminarum colloquia vitaſſe,excepta neceſſitatis,vel vtilitatis cauſa,vt ſolent homines à ſerpentibus, & ſcorpionibus cauere.

Viſio Fr. Alberti de Brixia de gloria SS. Auguſtini,& Thomæ Aquinatis. Ex S.Antonino.

De S. Thomæ puritate egregium teſtimonium reddidit S.Auguſtinus, qui vna cum eodem S.Thoma glorioſis inſignibus ornato, cuidam Fratri Alberto de Brixia Ordinis Prædicatorum apparuiſſe,& S. Thomę gloriam multipliciter declaraſſe ſcribitur,ac tandem ſubieciſſe: *Ipſe Thomas mihi par eſt in gloria, virginali me excellens munditia, & ego illum pontificali excellentia,* ac protinus diſparuerunt. hæc ex S. Antonino 3.p. hiſt. tit. 23. cap.7. §.12.

S.Vincentius Fererius Deiparæ ope virginitatem ſeruat.

S. Vincentius Fererius ex eadem Prædicatorum Familia pro virginitate cuſtodienda Deiparam impensè obſecrauit, à qua multa luce circumfuſa confortatus, iuſſus eſt ſperare in Domino, cuius virtute cunctas Satanæ verſutias ſuperaturus eſſet.Is Valentiæ à muliere quadam eius impuro amore capta, quæ ægritudinem in lecto ſimulabat, ad confeſſionem eius audiendam euocatus, cum impudicam fœminæ voluntatem audiſſet,omnem libidinem execratus,illam ab ea mente cum ſeueritate multa deducere eſt conatus,& protinus diſceſſit. ſed cum illa contra virum Dei, quaſi violenter eam opprimere voluiſſet, clamare vellet, à dæmone correpta, grauiſſime vexari cœpit, qui adiuratus reſpondebat ſe minime egreſſurum,niſi vir ille aduenirет, qui in medio ignis poſitus non æſtuauit: adueniente igitur S. Vincentio, dæmon vlulatum teterrimum emittens diſceſſit.

Impudica mulier, quæ eum ad flagitium excitabat à dæmone mulctatur.

S. Bernardinus Senenſis.

S.Bernardinus Senenſis ex Ordine Minorum integerrima pudicitia floruit in ſæculari habitu,nunquam verbo,vel ſigno aliud,quàm puriſſimam honeſtatem præſetulit;improbos quoſdam nefarium quid ab eo deſiderantes,acriter repreſſit;fœminarum colloquia vitabat:cumq; religioſus iam ex more oſtiatim panẽ mendicaret,fœmina quędam illicito eius amore ardens eũ,quaſi panem intus datura euocat,quo ingreſſo oſtiũ clauſit,eiq; nefariam ſuam voluntatẽ explicauit,adijciens niſi conſentiret ſe vociferaturam,

vim

vim sibi ab eo intentatam. Ille se Deo commendans, iubet eam vestibus nudari, correptoq; flagello, quod apud se habebat, eam egregiè cecidit, donec omnis illa tentatio euanesceret.

28 Alij voluptatis sensum acerbissimo aliquo cruciatu extinsere; eiusmodi fuit Apelles Presbyter in solitudine antea faber ferrarius, ad quem, vt est apud Palladium cap. 55. cum venisset diabolus in figura muliebri, quo tempore ad vsum Monachorum quędam tractabat fabrilia ferrea lamina ex igne rapta, idq; propter festinationem, totũ eius vultum combussit, eamq; audierunt fratres vlulantem in cella; ab eo tempore vir ille ignitum ferrum manu semper tenebat, nec lædebatur. hæc ibi. Idem de Apelle memorat Sozomen. lib. 6. cap. 28.

Apelles Presbyter pro seruata castitate ab igneo ferro non vrebatur. Ex Palladio.

Ex Sozomeno.

Ioannes Bosnensis quondam Episcopus postea Ordinis Prædicatorum Magister Generalis, cum Fridericum Imperatorem impudicitiæ argueret, à quadam eiusdem Imperatoris concubina eleganti forma ad lapsum secreto loco est prouocatus. Imperatore, à quo missa fuerat, clam rei exitum cum suis expectante. At vir beatus manu tam validè eius maxillam percussit, vt facie tenus in terram elideret: quo facto Imperator maxima eum postmodum reuerentia est prosecutus. hæc Thomas Cantipratensis, qui eodem sæculo vixit, lib. 2. Apum cap. 30. §. 33.

Ioannes Bosnensis Episcopus.

Ex Cantipratensi.

S. Edmundus postea Cantuariensis Episcopus, cum adolescens virginitatem suam, vt cap. 32. diximus, coram Deiparæ imagine Deo consecrasset, & Lutetiæ studijs operã daret, à quadam puella hospitæ suæ filia ad turpitudinem nutibus primum, deinde apertis verbis multifariam prouocatus; cumq; frequenti verborum obiurgatione eam à se abigere non posset, illius tandem importunitate pertęsus, tempus, quo ad se veniat, prefigit, eamq; ingressam, & superioribus vestibus exutam virgis egregiè flagellauit. quo facto puella omni illa tẽtatione in posterum caruit. cuiusdam etiam matronæ munera, vt eum ad illicita pertraheret, fortiter respuit. hæc ex eius vita cap. 8. apud Surium tom. 6. Sanctus verò Edmundus vita excessit anno 1240.

S. Edmundus Cantuariensis Episcopus.

Surius.

Quid dicam de S. Benedicto monasticæ disciplinę in Occidente fundatore, ac propagatore eximio: *Qui*, vt verbis vtar Gregorij lib. 1. Dial. c. 1. *ab ipso suæ pueritiæ tempore cor gerens senile, nulli voluptati animum dedit; sed studijs, & domo relicta, in tenera ætate Sublacum se recepit, in arctissimo specu asperrimam duxit vitam.* Is cum die quadã solus esset, memoria cuiusdam fœminæ, quam aliquando viderat, Satanas tãto igne ferui Dei animum in specie illius accendit, vt etiam pęne deserere Eremum voluptate victus deliberaret: sed superna gratia respectus, exutus indumẽto, nudum se in spinarum aculeis, & vrticarum incendijs se proiecit, ibiq; diu volutatus toto ex eis corpore vulneratus exijt, extincto eo, quod illicitè ardebat intus.

S. Benedictus.

Ex Gregorio.

Nec dissimile est, quod S. Franciscum fecisse narrat S. Bonauentura in eius vita c. 5. Grauem. n. carnis tentationem à dæmone excitatam sentiens, deposita veste, chorda se verberauit fortissimè, & vt erat nudus, exiuit in hortum in magnam demergens niuem corpusculum, septem ex niue cõpegit massas, ac si essent vxor, & filij, & famuli, pro quibus induendis ei laborãdum esset, sicq; tentator victus abscessit, de quo illud refert Bonauentura, tantam eum curam de vtriusque hominis puritate gessisse, vt circa cõuersionis primordia tempore hyemali in foueam glacie plenam se ipsum plerumq; mergeret; vt domesticum hostem perfectè subigeret, & cãdidum vestimentum pudoris à voluptatis incendio præseruaret. Tolerabilius viro spirituali fore incomparabiliter asserebat S. Franciscus magnum sustinere frigus in carne, quàm ardorem carnalis libidinis, vel modicum sentire in mente.

S. Franciscus de Assisio. Ex Bonauentura.

Corporis defatigatione dæmonis illecebras superat.

In vitis ẽt Patrum in loco, qui dicitur Cellia, quidam illicito amore tẽtatus sibi vxorem, & filios ex luto finxit, ac si pro necessarijs eis subministrandis sibi esset laborandũ, maiori labore corpus suum macerabat: sicq; diuina ope ab ea vexatione est liberatus.

Simile exemplũ ex vitis sanctorum Patrum.

NONNVLLORVM EXEMPLA, QVI MORI MALVERUNT, quàm illicito concubitu morbo suo mederi.

29 HVc reuocari possunt ij, qui virginitatẽ vsque adeò ipsi vitæ prætulerunt, vt imminentẽ mortẽ cõtempserint, quam euasuri fuissent, si propter aliquod morbi genus,

quo laborabant medicorum consilio,aut vxorem duxissent,eiusq;concubitu vti voluissent,aut si castitatis voto illigati erant,fornicario coitu se polluissent;verum mori,quàm corpore fœdari maluerunt.

Iacobus Rossa Cardinalis. Alphonsus Ciaconus lib. de vitis Pontif. vbi de Cardinalib. qui tempore Pij II. decesserè.

Iacobus Rossa Lusitaniæ Regis nepos,electus Archiepiscopus Olyssiponẽsis,à Calixto III.anno 1456.Diaconus Cardinalis creatus. Is ex Alfonso Ciaccono in vitis summorum Pontificum Florentiæ lethali morbo oppressus, cui medicorum sententiæ cum muliere concubitus remedium afferre potuisset,maluit intrepidus mortem expectare,quàm illicito actu vitam seruare: & in eadem Ciuitate anno 1549. vita functus in templo S. Miniatis tumulatur,cuius marmoreo sepulchro hoc est inscriptum Epitaphium.

Regia stirps, Iacobus nomen, Lusitana propago,
Insignis forma, summa pudicitia,
Cardineus titulus, morum nitor, optima vita,
Ista fuere mihi, mors iuuenem rapuit.
Ne se pollueret maluit ille mori.

Casimirus. Cromerus.

Casimirum Casimiri III.Poloniæ Regis filium,Vilnę in Lituania,eodem modo extinctum refert Martinus Cromerus lib.29.de origine, & rebus gestis Polonorum his verbis:*Fertur*,inquit,*Cazimirus Cazimiri III.Poloniæ Regis filius tam caste,& continenter vixisse,vt medicis connubium suadentibus, si sanus esse vellet mortem oppetere,quam;legẽ pietatis christianæ transgredi maluerit, longe aliter sentiens quàm multi mortales corruptissimo hoc nostro seculo,qui neque pœnitendum, neque pudendum sibi esse ducunt in cœno libidinum volutari.* hæc ille.Hunc Casimirum ann.1589. vita functum in beatorum numerum retulit Leo X. summus Pontifex, quemadmodum testatur Martyrologium Romanum die 4.Martij.quo die memoria eius ibi recolitur.

Martyrol. Rom.

Michael Verinus.

Michael Verinus Poeta Hispanus,vix 18.annos natus,eadem de causa pudicitię studio ex hac luce migrauit paulo post S.Casimirum,quemadmodum ex Angelo Politiano refert Genebrardus lib.4.suæ Chonographiæ ante annum Christi 1492.

Ex Genebrardo

Robertus Cardinalis nobilius.

Robertus Cardinalis nobilius,patria Politianus à Iulio III. cuius erat ex sorore pronepos ann.Dom.1553.ætat.suæ 13.ea dignitate ornatus,adolescens fuit eximiæ probitatis,& magnę spei.Is nondum sacris initiatus,cum simili morbo,quo ij,de quibus iã diximus,teneretur;maluit tamen,quemadmodũ refert Thom.Boz.de sign.Eccl.lib.11.c.6. Carnis integritatem cum vitæ iactura retinere;quin ẽt corpus suum verberibus,cilicio, & abstinentia ita affligebat,vt in ipso iuuẽtutis flore ex ieiunijs,& corporis castigatione lenta,ac mortifera febre correptus,cum sex ipsos menses insigni patientię exemplo decubuisset,ad vitam tandem cęlestẽ euolauit an.Dom.1559.æt.17. in D.Petri Montorij marmoreo sepulcro conditus, de quo illud refert Alphonsus Ciacconus in vitis Pontificum,in Cardinalibus Iulij III.illum humana omnia contempsisse, rebusq; spiritualibus addictum diuino amore vsq; adeò flagrasse, vt de relinquenda purpura, & religioso societatis instituto complectendo serio cogitarit;verum à Patribus eiusdem Societatis,illo præsertim, qui erat eius confessarius,fuisse dissuasum. ita Ciacconius. Cæterum eius confessarius erat Ioannes Polancus vir pietate æque, ac prudentia insignis Secretarius Societatis nostræ,superstite adhuc B.Ignatio Societatis Fundatore.

Thomas Bozius.

Alphonsus Ciaconus.

MVLIERES, QVAE DEIPARAM SECVTAE VIRginali castimonia claruerunt, & martyrij palmam sunt adeptæ.

SECTIO IV.

Hieronymus. Virginitatis cultus post Deiparam in mulieribus amplificatur. Hier.16.

30 S. Hieronymus epist.22.ad Eustochiũ agens de virginitatis custodia, viros nõnullos, qui in veteri lege virgines fuere, cõmemorat: at verò in lege Euangelica virtutem hanc latius in mulieres propter Deiparã manasse,pulchrè animaduertit; eius verba sũt: *Virgo Helias, Heliseus virgo, virgines multi filij prophetarum. Hieremiæ dicitur,& tu ne accipias vxorẽ. Inueniebatur ergo in viris tantum hoc continentiæ bonum,& in doloribus iugiter Eua parturiebat. Postquã verò Virgo concepit in vtero, et peperit nobis puerum, cuius principatus in humeros eius, Deum fortem, Patrem futuri sæculi, soluta maledictio est. mors per Euam, vita per Mariam. Ideoq; & ditius virginitatis donum fluxit in feminas, quia cepit à femina, statim vt filius Dei ingressus est super terram, nouam sibi familiam*

insti-

inſtisuit,vt qui ab Angelis adorabatur in Cœlo, haberet Angelos & in terris. Tunc Holofernis caput Iudith continens amputauit. hucuſque Hieronymus. *Iudith 13.*

Quoniam verò mulieres maiori,quàm viri cuſtodia ſe domi continent,illisq; à natura virginale ſignaculum eſt tributum:hinc factum eſt, vt ab ipſo Apoſtolorum tempore virgines,quæ integritatem ſuam Deo conſecrare volebant,tanquam Chriſti ſponſæ,ſolemni ſacri velaminis ritu donari conſueuerint;vt videre eſt apud ſanctos Patres,& exẽplum habemus in Flauia Domitilla,quæ,vt eſt in Breu.Rom.die 12.Maij,à S.Clemente Papa ſacrum virginitatis velamen accepit, quod à Hieronymo epiſt. 8. vocatur flammeum virginale, quod ad imprecationem Pontificis ſanctum virginum operit caput; Flammeum enim velum erat rubrum,ſic dictum,quod flammas colore imitaretur, quo nuper nuptæ mulieres caput,partemq;faciei tegebant;eodem modo virgines,quę Chriſto deſponſabantur,flammeum virginale accipiebant;nam eas Chriſti ſponſas appellant Tertullianus lib.de velandis virginibus cap.10. Innocentius epiſt.2.& alij,ita vt Hieronymus epiſt.27.matrem Virginis Deo conſecratæ, Dei ſocrum nominare non dubitet. Ideò S.Ignatius epiſt.9.ad Antiochenos: *Virgines*,inquit,*agnoſcant,cui ſe conſecrarunt.* & epiſt.10. ad Neronem: *Virgines ſerua, vti pretioſa Chriſti monilia.* Auguſtinus verò tract.9.in Ioannem:*Nec illę*,ait, *quæ virginitatem Deo vouent, quanquam ampliorem gradum honoris,& ſanctitatis in Eccleſia teneant,ſine nuptijs ſunt. Nam & ipſæ pertinẽt ad nuptias cum tota Eccleſia, in quibus nuptijs ſponſus eſt Chriſtus.*

Flammeum virginale,quæ ſacræ virgines velabantur.

Officium Eccleſiaſticum.

Hieronymus.

Tertullianus.

Innocentius.

Hieronymus.

Ignatius.

Auguſtinus.

Huius ritus velandi virgines meminit Tertullianus lib.cit.& S.Cyprianus de diſcipl. & hab.Virg.& alij multi,de quo S.Ambroſius ad Virginem lapſam: *Sacro*,inquit, *velamine tecta es*;ideoq; non niſi certis diebus magna celebritate fiebat,quemadmodum habetur 20.q.1.cap.deuotis ex Gelaſio epiſt.ad Epiſcopos per Lucaniam c.14.& 15.

Tertullianus.

Cyprianus.

Ambroſius.

Gelaſius.

Vt igitur nonnullas ex illuſtrioribus virginibus in prẹſentia ordine quodam recenſeamus.Primum in medium afferemus eas,quæ ad virginitatis decus martyrij gloriã adiecere, quamuis martyrium pro ſola fide obierint: deinde virgines eas, quæ pro fide,& virginitate tuenda ſunt paſſæ:tum verò eas, quæ in pace Eccleſiæ virginitatem abſque ſanguinis effuſione Deo obtulerunt. Vt autem breuitati conſulamus, primum illarum nomina ponemus adiecto die, quo in Martyrologio earũ memoria recolitur, quo lector facilius Surium,Petrum de Natalibus,& notas Baronij in Martyrologium de ijſdẽ conſulere poſſit:deinde prætermiſſis ijs,quæ ad earum vitam, & ad ſingula tormentorũ genera,quæ Chriſti cauſa ſuſceperunt ſpectant,aliqua tantum de ipſis ſubijciemus,quę ad hoc argnmentum,quod tractamus,maximè illuſtrandum facere videbuntur.

Ante omnia verò de ſacris virginibus Chriſto dicatis, illud ponendum eſt,eas non ſolum numero,ſed etiam animi fortitudine ſuperare paucas illas Ethnicorum Veſtales Virgines,& Palladis Sacerdotes,quę ex Ambroſio lib.3.de Virg.non morum,ſed annorum temporariam pudicitiam collatis immunitatibus,& oblato pretio abſque temporis perpetuitate ſeruabant,quod vbi Ambroſius eleganter expendiſſet,ſubdit: *Quanto igitur noſtræ virgines fortiores,quæ vincunt etiam,quas non vident poteſtates,quibus non tantum de carne,& ſanguine, ſed & de ipſo mundi principe, ſęculiq; rectore victoria eſt.* ita Ambroſius.quod ex ſubiectis exemplis magis fiet perſpicuum.

Virgines Chriſto ſacræ alijs virginibus longe præſtant.

Ambroſius.

31 Irene Theſſalonicæ Regia ſtirpe progenita,Vrbis Lupiarum in Salentinis Patrona, à S.Timotheo Apoſtoli Pauli diſcipulo baptizata,virginitatis ſtudio,quam Chriſto conſecrarat,ſpõſum ſibi à parente Licinio oblatum recuſans,multa pro Chriſti fide primum ſub parente,quem tandem ad Chriſti fidem conuertit, deinde ſub alijs tyrannis perpeſſa,demum martyr glorioſa fortiter occubuit; cuius dies anniuerſaria in Martyrologio Romano,& in Menologio Græcorum 5.Maij adnotatur;eius reliquiæ Lupijs magna cũ veneratione aſſeruatæ,in hodiernum vſque diem,tum mira odoris ſuauitate redolent, tum etiam plurimis miraculis coruſcant.ipſius vitam ex Græcorum monumentis non minus diligenter,quàm eruditè conſcripſit noſter Antonius Beatillus,quam etiã habet Petrus de Natalibus lib.4.c.122.ſub nomine Catherinæ,in quo illud de Licinio Imper. emendatione eget,cum 300.circiter annis ante Licinium Imperatorem vixerit.

S.Irene virg.& mart.

S. Timotheus.

Martyrologium Romanum.

Menologium Græcorum.

Antonius Beatillus.

Petrus de Natalibus.

Euphemia,Dorothea ſorores,Thecla itẽ,& Eraſma ſorores omnes virgines Aquileię 3.Sept.quæ ſub Nerone à Præſide Vedaſto propter Chriſti fidem multis ſupplicijs affe-

Euphemia, & Dorothea.

Thecla,& Eraſma virg.& M.

Quatuor hæ virgines ab Angelo candida ſtola operiuntur. S. Hermagora. Iuſtina virg. et mart.

ctæ, iuſſæ ſunt nudæ per Aquileiam duci. Verum orante Euphemia ab Angelo candida ſtola ſunt coopertæ, tandem gladio cæſæ ſunt, & à S. Hermagora ſepultæ.

Iuſtina virgo Patauina nobiliſſima 7. Septembris à ſancto Proſdocimo ſancti Petri diſcipulo baptizata, Maximi Præſidis iuſſu propter fidei conſtantiam gladio tranſuerberata eſt.

SS. Fides, Spes, & Charitas virg. & mart. S. Sophia earum mater.

Fides ſpes, & charitas ſorores virgines filiæ S. Sophiæ Romę ſub Adriano die 1. Auguſti varie, & crudeliter tortæ, martyrium conſummarunt. Sophia verò mater earum, die 30. Septembris in pace quieuit.

S. Martina virg. & mart. Cæcilia virg. & mart. Valeriani ſponſus.

Martina virgo Romana patre Conſule nata ſub Alexandro Imperatore die 1. Ianuarij poſt varia tormenta gladio cæſa eſt.

Cæcilia virgo præclariſſima Romæ 22. Nouembris ſub Alexandro Imperatore poſt Valerianum ſponſum, aliosq; ad fidem Chriſti eius opera conuerſos, iuſſu Almachij Præfecti inclyto martyrio eſt coronata.

S. Barbaræ V. ab Angelo præciſæ mamillæ reſtituuntur.

32 Barbara virgo Nicomediæ ſub Maximino Imperatore, qui Alexandro ſucceſſit 4. Decembris; hæc cum cœleſti ſponſo ſe ipsã dicaſſet, & à multis viris primarijs propter eius egregiam formam in matrimonium peteretur, nulla ratione à parente Dioſcoro ad coniugium perſuaderi potuit; quam cum deinde chriſtianam pater comperiſſet, crudeliter cœſam Martiano Præſidi tradidit, cuius iuſſu poſt multa exhauſta tormenta vtraque mamilla præciſa per Vrbem nuda circumducitur: verum ea orante ab Angelo mamillis reſtitutis, candenti ſtola corpus contegitur, denique vna cum Iuliana religioſa fœmina, quæ in eius ſupplicijs lacrymas fundebat, eamq; ad fidei conſtantiam hortabatur, gladio eſt percuſſa. Ante mortem verò Dominum orauit, vt qui ſui nominis, & martyrij meminiſſent, nec peſtilenti morbo, neuè vlla alia corporis moleſtia vexarentur, auditaq; eſt vox de cœlo, quæ eam cum Iuliana ad cœlum vocabat, eiusq; petitionem implendam pollicebatur.

Eadem ab Angelo alba ſtola tegitur. Iuliana mart. cum Barbara ad cœlum emiſſa diuinitus voce euocatur. S. Barbaræ preces in obitu exaudiuntur.

Huius præclariſſimæ virginis quoddam memoriale miraculum cõtigiſſe narratur, anno Domini 1448. quod huic narrationi attexendum duxi, vt huius virginis preces quãtopere apud Chriſtum valeant intelligamus.

Henrico Kok igne pœne cremato à S. Barbara vita prorogatur.

Quidam Henricus Kok ſeptuagenarius Gorgi, quod eſt Hollandię Oppidum degens S. Barbaram quotidie venerabatur, audierat enim eum, qui in vita ipſam honoraſſet, abſque confeſſione, & Euchariſtia minimè moriturum: cumq; domo flammis correpta, ipſe quoque totus exureretur, S. Barbaram orauit, ne pateretur eum ſine ſacramentis decedere. mirum dictu S. Barbara manu ſua eum totum iam aduſtum, ita vt exta nudarentur cremata, & totum corpus aſſatum, & inflexibile eſſet, præter oculos, linguam, & cor per ſtramineum tectum educens, tuto in loco eum reponit, adiecitq; ſua interceſſione vitam ei ad auroram vſque prorogatam, quo ſacramenta Confeſſionis, Euchariſtiæ, & extremæ Vnctionis ſuſciperet; quare per ſe ipſe ad domum filiæ iam nuptæ perrexit, ad quod ſpectaculum plurimi accurrerunt; ipſe verò omnes ad rerum terrenarum contemptum, ad Dei cultum, ad ſacratiſſimæ Deiparæ dilectionem, & venerationem, & ad S. Barbaræ deuotionem hortabatur, omnium verò ſuorum peccatorum ab infantia cõfeſſione peracta, reliquis ſacramentis ritè ſuſceptis, Deum orans, & Deiparæ, S. Barbaræ, S. Laurentij, aliorumq; electorum precibus ſe commendans, ſpiritum emiſit. Hoc miraculum fuſius deſcriptum litteris mandauit Theodoricus Pauli Degorcum, qui eius confeſſionem excepit, eiq; alia ſacramenta miniſtrauit, in cuius manibus deceſſit: illudq; refert Surius tom. 6. hoc ipſum de S. Barbara cum B. Staniſlaus Koſtka Societatis noſtræ adhuc in ſeculo Viennæ degens accepiſſet, eam in patronam ſuam delegit, & vt ſe quoque ſine ſacramentis ex hac vita diſcedere non pateretur, precibus, ſacramentisq; pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſuſceptis inſtitit: cumq; ægrotaret in domo cuiuſdam hęretici, & vereretur, ne ſine viatico diem obiret, illud S. Barbaram enixè rogat veniſſe tempus, quo eius beneficio indigeret: & ecce nocte intempeſta ipſa apparet S. Barbara, duoq; Angeli in claro lumine, qui ſacroſanctam ei Hoſtiam cum ingenti ipſius lætitia porrexerunt. Is, vt videre eſt in eius vita à noſtro Franciſco Sachino edita, poſtea Deiparæ voce ad Societatem noſtram vocatus in ipſo tyrocinio ſanctitate clarus migrauit in cœlum anno 1586.

Theodoricus Pauli Degorcus.

Surius. B. Staniſlaus Koſtka ab Angelis ſanctiſſimam Euchariſtiam. S. Barbaræ interceſſione ſumpſit.

Idem à Deipara ad Societatẽ Ieſu vocatur. Franc. Sachinus

Repa-

Reparata virgo Cæsareæ in Palæstina 8. Octobris sub Decio, hæc cum nollet Idolis sacrificare varijs tormentorum generibus cruciata, demum gladio percutitur, cuius anima in columbæ specie de corpore egredi, cœlumq; conscendere visa est. *Reparata virg. & mart.*

33 Apollonia virgo Alexandrina 9. Februarij, huic propter Christi fidem tempore Decij omnes contusi, & euulsi sunt dentes, vt propterea in dentium doloribus ad eam peculiariter confugere, eiusq; auxilium mirificè experiri soleamus. Eius martyrium refert Eusebius lib. 6. cap. 34. ex Dionysij Episcopi Alexandrini Epistola, qui affirmat eam id temporis cum primis admirandam, & admodum prouectam ætate fuisse. additq; in eadem epistola eo tempore Alexandriæ pro Christo passa. Ammonariam virginem inauditis tormentorum generibus excruciatam, & Mercuriam, Dionysiam, & alteram Ammonariam omnes gladio cæsas, de quibus in Martyrologio 12. Decembris. *Apollonia virg. & mart. Eusebius. Ammonaria virg. & mart. Mercuria, Dionysia, & altera Ammonaria. Martyrol Rom.*

Restituta virgo in Africa 17. Maij. hæc Valeriano imperante à Proculo Præside varie torta, & in nauicula pice, & stupa referta, vt in mari comburetur imposita immisso igne, cum in incensores flamma conuerteretur, ipsa in oratione spiritum Deo reddidit. cuius corpus cum eadem nauicula Dei nutu ad Aenariam Insulam prope Neapolim deuectum à christianis magna veneratione susceptum est, & in eius honorem Constantinus Magnus Basilicam postea Neapoli erigendam curauit. hæc in Martyrologio. *Restituta virgo & mart.*

Maria virgo cuiusdam Tertulli ancilla 1. Nouembris sub Adriano Imperatore. hæc Veronæ cum in Natali filij Domini sui de immolatis gustare noluisset, sed magis christianorum more ieiunijs operam daret, à conserua delata, diris verberibus afflicta, & duro, ac diuturno carcere, & fame à Tertullo est vexata: deinde Præses sibi oblatam, & sacrificare recusantem equulei extensione, & vngularum laceratione adeò excruciauit, vt populus ad commiserationem commotus iniustè virginem torqueri vociferaretur, quare, dum in carcerem remittitur, è satellitum manibus elapsa ad saxum collis peruenit, cumq; ab insequentibus persecutoribus se circumdatam videret, Deum precata est, ne in eorum manus traderetur, quare saxum diuina virtute aperitur, virginemq; in se susciplens clauditur nullo aditu relicto dimissis aliquibus vestis frustulis extra saxum, ibiq; spiritum Deo reddidit. Præses verò ad eum lapidem eruendum plurimos misit, quos vbi manum lapidi inijcere tentarunt fulgor exortus tonitrua, & terræmotus magnus, duo quoque equites cœlesti igne rutilantes è cœlo aduenientes tanto timore affecerunt, vt in terram corruentes expirarint; alij verò, qui euaserunt, ad Idolorum templum confugientes fulminibus cum ipso Præside sunt interempti: qui verò sunt extincti, ad duo millia numerantur; quæ omnia multi gentilium videntes Christi fidem susceperunt, quorum numerus ad tria millia peruenisse scribitur. hæc Vincentius in spec. hist. lib. 10. cap. 86. & 87. & Petrus in catalogo lib. 10. cap. 4. *Maria virg. & mart. Eadem à saxo cedente excipitur. Illius persequutores diuinitus occiduntur. Specul. Exempl. Petrus de Natalibus.*

Gundenes virgo Carthaginæ 18. Iulij. hæc sub Seuero Imperatore ann. Dom. 205. iussu Ruffini Proconsulis ob Christi confessionem quater diuersis temporibus equulei extensione vexata, & vngularum horrenda laceratione cruciata, carceris squallore diu afflicta, nouissime gladio cæsa est. *Gundenes virg. & mart.*

34 Aquilina virgo Bybli in Palæstina 13. Iunij. hæc sub Diocletiano Imperatore duodecimum annum agens, quòd Christi fidem alijs fœminis persuadere conaretur ad Volusianum Iudicem delata, ob fidei confessionem colaphis, & verberibus cæsa, & subulis candentibus per aures ad cerebrum perforata, demum percussa gladio virginitatem martyrio consecrauit. *Aquilina virg. & mart.*

Cyriaca virgo Nicomediæ 19. Maij. hæc cum libere impietatis Maximianum Imperatorem obiurgasset, dirissimè cæsa, & dilaniata, ad vltimum igne cremata est, cum qua passæ sunt aliæ quinque virgines. *Cyriaca virg. & mart.*

Fortunata virgo Cæsareæ in Palæstina 14. Octobris. hæc in persecutione Diocletiani post equuleum, ignes, & bestias, & alia tormenta superata spiritum Deo reddidit. cuius corpus postea tempore Constantini, & Irenes Augustorum Puteolos primum, inde Neapolim in Campania delatum fuit, & in Ecclesia sanctimonialium S. Gaudiosi religiosè asseruatur. passi sunt cum eadem S. Fortunata, Carponius, Euaristus, & Priscianus eius fratres, qui post eam pro Christo gladio sunt iugulati, quorum corpora in eodem templo requiescunt. *Fortunata virg, & mart. Carponius, Euaristus, & Priscianus mart.*

Fusca

Fusca virg. & mart.
Maura Fuscæ nutrix.
Martyrologium Romanum.
Petrus de Natalibus.
Dorothea virg. & mart. Christa, & Callista mart.

Fusca virgo Rauennæ 13. Febru. hæc cum decimum quintum ætatis annum ageret propter Christi fidem primum à parente carceris custodia,& inedia vexata, deinde sub Quintiano Præside multa cum Maura eius nutrice perpessa, demum gladio transfixæ martyrium consummarunt, de quibus Martyrologium, & Petrus de Natalibus lib. 3. cap. 119.

Dorothea virgo Cæsareæ in Cappadocia 6. Febru. Hæc Apricio Præfecto ad Christi fidem deserendam,& ad nuptias cohortanti liberè respondit se Christi sponsam esse,ab eoq; in suum paradisum,& thalamum,vt sperabat,introducendam. Christam, & Callistam sorores,quæ à fide defecerant, ad eam seducendam submissas ad fidem reduxit, propter quam etiam martyrium susceperunt; ipsa verò equuleo diu torta, diutissime quoque palmis cæsa, cum ad mortem duceretur,à Theophilo quodam scholastico per deridiculum rogatur,vt è Paradiso sui sponsi mala,aut rosas sibi transmitteret, qua annuente,cum gladio percutienda ad Dominum oraret, puer in orario tria mala, tresq; rosas de paradiso sui sponsi hyemis tempore ei detulit, quod munus per eundem puerum Theophilo transmisit, sicq; iugulum pro Christo præbuit: eo miraculo Theophilus ad fidem conuersus, multis & ipse pro Christo superatis tormentis,gladio martyrium consummauit.

Dorothea rosas, ac mala è Paradiso ad Theophilum transmittit Theophilus M.

Eugenia virg. & mart. SS. Protus, & Hyacinthus.

Eugenia virgo tempore Galieni Romæ 25. Decembr. hæc filia Philippi Alexandriæ Præfecti,& Claudiæ vxoris eius,cum sanctis Proto, & Hyacintho suis eunuchis,ab Heleno Heliopoleos Episcopo baptizati,reiecto coniugio Aquilini,seu Acilij Consulis, aliorumq; qui eam in coniugem petebant,assumpto virili habitu,cum suis Eunuchis in Monachorum Monasterio mira sanctitate vixit;postea se ipsa Philippo, & Claudiæ parentibus prodens,ijsq; ad fidem conuersis,in Vrbem veniens,post sacros virginum choros Christo aggregatos,sub Nicetio Vrbis Præfecto diu agonizans,nouissimè gladio est iugulata:& Protus quidem,ac Hyacinthus pro Christi fide die 11. Sept. securi feriũtur.

Philippus mart. Claudia mater S. Eugeniæ virg. & mart.

Philippus S. Eugeniæ pater,iussu Terentij prefecti eius successoris,pro Christo gladio est iugulatus die 13. Sept. Claudia verò mater post paucos dies ad Christum migrauit, & cum filia Eugenia est tumulata.

Digna & Emerita virg. & m.

Digna,& Emerita virgines Romæ 22. Septembris sub Valeriano,& Gallieno martyrium obierunt.

Lucilla, & Flora virg. & m. Ex Pet. de Natal.

35 Lucilla,& Flora virgines Romæ 29. Iulij sub Galieno Imperatore. Quæ,ex Petro de Natalibus lib. 6. cap. 157. ab Eugenio Rege quodam barbaro captæ,atque in Africam abductæ,eidem ipsas violare volenti, dixerunt se Deum cœli habere suæ virginitatis custodem,& corruptionis vltorem,quare ab iniuria abstinuit, seq; cum ad bellum procederet,eisdem commendabat,& victor redire solebat;tandem post viginti annos diuinitus monitæ,vt in Vrbem ad martyrij coronam redirent cum Rege, qui in Christum crediderat,Romam venere; vbi cum ipso Eugenio, Antonino, Theodoro, & socijs decem & octo illustre martyrium obierunt, quemadmodum in Marryrologio eo die refertur. Scio Cardinalem Baronium in suis ad Martyrologium notis, quædam in his actis non satis probare: nos hoc in loco illud tantum monemus, Galieni tempore ob eius insignem desidiam,atque ignauiam,triginta insurrexisse tyrannos. quare mirum esse non debet,si in Africa aliquis regulus has virgines in captiuitatem abduxerit, cum quibus postea martyrium subierit. hæc etiam confirmari possunt ex Lucio Rege Britãnorum,qui circa annum Domini 177. in Britannia, quamuis in prouinciam redacta regnasse dicitur ex Beda lib. 1. de gestis Anglorum cap. 4. & fide Christi susceptа, & Regno relicto,in Germania Curiæ decessit ex Martyrologio die 3. Decembris, cuius acta,ex Baronio in eundem locum,eum Episcopum,& martyrem fuisse prædicant, & in notis ad 26. Maij in Eleuterio Papa explicat Baronius, quo modo eo tempore in Britannia Rex aliquis esse potuerit.

Eugenius Rex mart. Antonin. Theodorus, & 18. soc. mart. Martyrol. Rom. Baron.

Lucius Rex Episc. & mart. Beda. Martyrol. Rom. Baron.

Lucia virg. & mart. cum sponso mart. Martyrologium Romanum Speculum Exemplorum.

Lucia (alias ex Baronio Luceia) virgo Romæ 25. Iunij in Martyrologio. hęc ex Petro in Catalogo lib. 6. cap. 4. & Vincentio in speculo historiali lib. 12. cap. 97. ab Anceià barbaro Rege capta,cum ei dixisset se Deum cœli habere sponsum non solum ab omni libidine intacta ab eo est dimissa; verùm etiam eius exemplo ad Christi fidem conuersus eam liberam fecit, Romamq; redeuntem prosecutus, vna cum ea martyrium subijt

in

in Martyrologio legimus Romæ eam paſſam cum alijs viginti duobus. Vincentius in Speculo loco citato videtur hanc Luciam cõfundere cum Lucilla, de qua iam diximus, propter nominis, & hiſtoriæ ſimilitudinem: cum tamen in Martyrologio, & apud Petrum in Catalogo diuerſis diebus adnotentur. *Petrus de Natalibus.*

Chriſtina virgo illuſtriſſima Tyri apud lacum Vulſinum 24. Iulij anno Domini 287. plurimis, ijsq; acerbiſſimis tormentis primum à parente, deinde ſub alio Iudice Patris ſucceſſore torta, nouiſſime à Iuliano Præſide ſagittarum infixione, martyrij ſui curſum compleuit. *Chriſtina virg. & mart.*

Chriſtina alia virgo, pariter & martyr in Perſide 13. Martij clara, habetur in Martyrologio eo die. *Chriſtina alia virg & mart. & Martyr. Rom.*

Priſca nobilis virgo Romana 18. Ianuarij, quæ tredecim annos nata Claudij Imperatoris iuſſu multis, & acerbiſſimis tormentis eſt excruciata, demum pro Chriſto capite plexa eſt. *Priſca virg. & mart.*

Maxima, & Donatilla ſorores virgines, & Secunda virgo duodecim annorum, Tuburbi Lucernariæ in Africa 30. Iulij in perſecutione Valeriani varijs pœnis affectæ, nouiſſime gladio iugulatæ ſunt. *Maxima, & Donatilla virg. & mart.*

Cyrilla virgo filia S. Tryphoniæ vxoris Decij Cęſaris, Romæ 28. Octobris, ſub Claudio Principe pro Chriſto eſt iugulata: memoria verò S. Tryphonię in Martyrologio die 18. eiuſdem menſis celebris habetur. *Cyrilla virg. & mart. Martyr. Rom.*

Domna, Agapes, & Theophila virgines, Nicomediæ 28. Decembris, in perſecutione Diocletiani, poſt longa certamina cum Indo Eunucho diuerſo mortis genere coronam martyrij ſunt aſſecutæ: verum de Theophilæ pudicitia à petulantium iniuria diuinitus ſeruata, infra dicemus ſect. 6. *Domna. Agapes, & Theophila virg & mart. Indus mart.*

Eulalia virgo Barcinone 12. Febr. ſub Diocletiano pro Chriſto cruci affixa fuit. *Eulalia virg. & mart.*

Eulalia item altera virgo duodecim annorum, cum Iulia pariter virgine, Emeritæ in Hiſpania 10. Decembr. hæc plurima, eaq; acerbiſſima pro Chriſti confeſſione tormenta perpeſſa, igne tandem ſpiritum reddidit ſub Maximiano Imperatore. *Eulalia alia virg. & mart. & Iulia virg. & mart.*

36 Leocadia virgo Toleti in Hiſpania 9. Decembris. hæc in perſecutione Diocletiani, à Deciano Præfecto dira carceris cuſtodia macerata, cum grauiſſimos beatæ Eulaliæ Emeritanæ, & reliquorum martyrum cruciatus audiſſet, genibus in oratione poſitis, impollutum ſpiritum Chriſto reddidit: hinc factum eſt, vt Iulianus Archiepiſcopus Toletanus apud Surium in vita S. Ildefonſi, eam vocet confeſſorem, in Martyrologio verò appelletur martyr. Cæterum illud ſanè eſt admirabile, quod de S. Leocadia refert Iulianus loco citato; & noſter Mariana lib. 6. de rebus hiſpaniæ cap. 10. cum enim S. Ildefonſus hæreticos, qui perpetuam Deiparæ virginitatem negabant, verbo, & libro edito expugnaſſet, eodem anno, quo veſtem à Deipara accepit, vel vt aliqui malunt, proximo, die 9. Decembris, eidem S. Leocadiæ ſacro; orante ante eiuſdem virginis tumulum S. Ildefonſo, præſentibus Rege Recceſuintho, clero, & populo, accidit, vt ſepulchri lapide, quo tegebatur, & quem vix triginta fortiſſimi homines loco mouere potuiſſent, ſponte ſublato, tumulo egreſſa Leocadia virgo pulcherrima manum Ildefonſi tangeret, eiq; diceret, *per te viuit Domina mea*, omnibus clamantibus *Deo gratias in Cœlo, & in terris.* Ildefonſus in Leocadiæ laudes effuſus vrbis ei, atque Regis patrocinium commendauit, cupidusq; tantæ rei ad poſteritatem certo teſtimonio propagandæ, cultrum petebat, quo velum virginis, quod ipſe manu tenebat, præcideret, & illa iam in ſepulchrum ſe recipiens retrahebat: tandem Rex gladiolum ex vagina detractum cum lacrymis, & magna animi demiſſione illi obtulit, ſicq; veli partem, qua virginis caput tegebatur, abſcidit, ea veli pars cum gladio thecis argenteis repoſita, ad hanc diem in Toletani templi ſacrario ſeruatur, & viſitur. hæc ex Iuliano, & Mariana. *Leocadia virg. & mart. Surius. Martyr. Rom. Iulianus Archiepiſcopus Toletanus. Ex Mariana. S Ildefonſus. S. Ildefonſus alba veſte à Deipara inſignitus. S. Leocadia è tumulo egreſſa, S. Ildefonſum commendat.*

Iuſtina martyr Antiochiæ ſub Diocletiano 26. Septembris. hæc Cypriani Magi præſtigijs à dæmone, vt virginitatis propoſitum deſereret, & vt cuiuſdam libidini aſſentiretur, acriter tentata, Deiparam Virginem patronam ſingularem, teſte Nazianzeno oratione de SS. Cypriano, & Iuſtina, inuocans, & ieiunijs, alijsq; aſperitatibus corpus domans, omnes tartarei ſerpentis tentationes vicit: quin etiam Cyprianum conuertit, cum quo poſtea martyrium illuſtre conſummauit. *Iuſtina virg. & mart. Cyprianus M. Ex Nazianz.*

Encra-

Encratis virg. & mart.

Encratis, vulgo Engratia, virgo Luſitana Cæſarauguſtæ ſub Daciano Hiſpaniarum Præſide 16. Aprilis. hæc perilluſtri genere nata, & cuidam Duci Narbonenſi in coniugem data, cum apud ſe virginitatem ſeruare conſtituiſſet, & ad ſponſum mitteretur multis comitata, præſertim decem & octo nobilibus ex ſua cognatione Cæſarauguſtam peruenit, vbi Dacianum in chriſtianos ſæuientem ſuæ crudelitatis coarguit. quare iuſſu Deciani comprehenſa, laniato corpore, mamilla abſciſſa, & iecore auulſo adhuc ſuperſtes in carcere incluſa eſt, donec vlceratum corpus putreſceret. tandem clauo frontem eius transfigi iuſſit Tyrannus. Illi verò octodecim Comites ſacræ virginis, quorum nomina in Martyrologio eo die recenſentur, ſimul pœnis affecti interempti ſunt, anno Domini 300. horum illuſtre martyrium Prudentius verſibus exornauit. hæc ex Martyrologio, & Theſauro Concionatorum tom. 2.

Octodecim virg. & mart.

Euphemia virg. & mart.

Euphemia virgo Chalcedonenſis ſub Diocletiano 16. Sept. innumera tormentorum genera ſuperans, rurſus feris obiecta, cum ad Dominum oraſſet, vt iam ſpiritum ſuum ſuſciperet, vna ex beſtijs morſum ſancto corpori infigente, cæteris pedes eius lambentibus, immaculatum ſpiritum Deo reddidit. In eius templo celebrata eſt SS. Synodus, Aecumenica Chalcedonenſis: quin etiam ex Nicephoro lib. 15. cap. 5. cum ad pedes corporis huius martyris in eius ſepulchro veſpere poſitus eſſet liber continens fidem catholicam, & alter continens hæreſim Eutychetis confundentis in Chriſto duas naturas, mane oratione præmiſſa, & reſerato ſepulchro, catholicorum liber inuentus eſt in manibus S. Euphemiæ: Alter autem, tanquam res vana, & nullius pretij temere ad illius pedes proiectus iacebat. ita Nicephorus.

SS. Synodus, Aecumenica Calcedonenſis. Nicephorus. S. Euphemiæ miraculo fides catholica confirmatur.

Firmina virg. & mart.

Firmina virgo Calphurnij Vrbis Præfecti filia 24. Nouembr. Ameriæ in Vmbria ſub Diocletiano varie cruciata, martyr occubuit.

Eutropia virg. & mart. Lybia mart. Leonides mart.

Eutropia puella 12. annorum cum Lybia, & Leonide ſororibus Palmyræ in Syria 15. Iunij per diuerſa tormenta ad coronam martyrij peruenerunt, de quibus in vita S. Febroniæ apud Surium tom. 3.

Ex Surio.

Soteres virg & mart.

37 Soteres virgo Romę 10. Febru. nobili genere nata grauiter, & diutiſſime propter Chriſtum alapis cæſa, cum cætera quoque pœnarum genera viciſſet, gladio vitam finiuit anno 304. quam S. Ambroſius in exhortatione ad virginitatem egregie laudat, & lib. 3. de Virginibus ſuæ ſorori in exemplum proponit.

Ex Ambroſio.

Irais virg. & mart.

Irais virgo Alexandrina Antinopoli in Aegypto 22. Septembris. Quæ ad hauriendam aquam egreſſa, cum vidiſſet Nauim confeſſoribus Chriſti onuſtam, relicta hydria protinus ſe illis adiunxit, ac ſimul cum ijs in Vrbem ducta, prima omnium poſt multa ſupplicia capite cæſa eſt; deinde Presbyteri, Epiſcopi, & Virgines, alijq; omnes eodem mortis genere ſunt conſumpti.

Baſiliſſa virg. & mart. cruciatus plurimos ſuperat.

Baſiliſſa virgo, & martyr Nicomediæ 3. Septembris, quæ nouem annos nata, in perſecutione Diocletiani cum verbera, ignes, ac beſtias diuina virtute ſuperaſſet, in oratione ſpiritum Deo reddidit.

Iuſtina, & Rufina virg & m.

Iuſtina, & Rufina virgines 19. Iulij, quod Idolum confregiſſent Hiſpali à Diogeniano Præſide equuleo, vngulis, carcere, inedia, & varijs torſionibus afflictę, tandem Iuſtina in carcere, Rufina ceruice confracta in confeſſione Domini ſpiritum exhalarunt.

Viſſia virg. & mart. Fauſta virg & mart. Multis vexata cruciatibus non læditur. Euilaſius mart. Menodora, Metrodora & Nymphodora virg. & mart. Theodoſia virg. & mart.

Viſſia virgo, & martyr Firmi in Picæno 12. Aprilis.

Fauſta virgo Cyzici in Propontide 20. Septembris ſub Maximiano Imperatore immaniſſime torta ab Euilaſio Idolorum Sacerdote, cumq; poſt multa tormenta eam mediam ſecare vellet, & carnifices lædere non valerent, ſtupens Euilaſius, in Chriſtum credidit; nouis igitur tormentis cum Euilaſio ipſo, iuſſu Imperatoris cruciata, tranſiuit ad Dominum.

Menodora, Metrodora, & Nymphodora ſorores virgines 10. Septem. in Bithynia ſub Maximiano Imperatore martyrio ſunt coronatæ.

Theodoſia virgo Tyria 18. annos circiter nata Cæſareæ in Palæſtina 2. Aprilis, quæ cum ſanctos confeſſores ante tribunal ſtantes publicè ſalutaſſet, atque rogaſſet, vt, cum ad Dominum peruenirent, ſui recordarentur, à militibus tenta lateribus, & mammis ad interiora vſque dilaniatis, in mare proijcitur, in perſecutione Maximini; cuius egregium certamen litteris mandauit Euſebius lib. 8. hiſt. cap. 17.

Ex Euſebio.

Valen-

Valentina virgo Gaze in Palæſtina 25. Iulij ad aram, vt immolaret, adducta, cum calcibus eam euertiſſet, diriſſimè cruciata vna cum ſocia virgine in ignem coniecta cucurrit ad ſponſum anno Domini 307. de qua Euſebius eodem lib. 8. cap. 18. *Valentina virgin. & martyr. cum ſocia. Ex Euſebio.*

Dominica virgo, & martyr in Campania 6. Iulij. hæc cum Idola fregiſſet, ad beſtias damnata, ſed ab eis nil læſa, demum capite obtruncata migrauit ad Dominum, cuius corpus Tropeæ in Calabria ſumma veneratione aſſeruatur. *Dominica virg. & mart.*

Ennata virgo Cæſareæ in Palæſtina 13. Nouembris ſub Maximino, hæc humeris, & pectore ad lumbos vſque nudata, à quodam nomine Marſi viro fero, ac crudeli, & viribus robuſto per forum, & publicas plateas verberibus crudeliſſimè cæſa, demum igne cremata eſt anno Domini 303. quemadmodum ſcribit Euſebius lib. 8. cap. 19. *Ennata virg. & mart. Ex Euſebio.*

38 Catharina Alexandrina virgo nobiliſſima, atque in omni liberalium artium ſcientia eruditiſſima, cuius memoria apud Græcos, & Latinos eſt celeberrima die 25. Nouembris atrociſſimè excruciata eſt. Hæc ante baptiſmum à Deipara per viſum Chriſto in ſponſam oblata, & ab eo reiecta, quod non eſſet pulchra: ſuſcepto baptiſmate, iterum à Deipara Chriſto præſentata, benigniſſime recipitur, & annulo ab eo ſubarratur, quem experrecta in digito inuenit: quare Chriſti amore ſuccenſa, mundi pompas contemnere cœpit. cum verò Maximinum Imperatorem in multos propter chriſtianam religionem varijs tormentis ſæuientem reprehendiſſet, ipſa propter eandem Chriſti fidem, cum quinquaginta Philoſophos, qui ad eam coarguendam conuenerant; Fauſtinam quoque ipſius Maximini vxorem, & Porphyrium belli Ducem ſua prædicatione conuertiſſet (qui omnes poſtea martyrio ſunt coronati) capitis obtruncatione ſuum martyrium compleuit. eius corpus ab Angelis in montem Sina mirabiliter delatum, ibidem frequenti chriſtianorum concurſu pia veneratione colitur. de qua Molanus in Annotationibus ad Vſuardum affirmat, illam Latinis factam notiſſimam ob peculiaria patrocinia in expeditione terræ ſanctæ præſtita. Cardinalis Baronius tom. 3. Annal. ad annum 307. mulierem illam Alexandrinam chriſtianam, quam Euſebius lib. 8. hiſt. cap. 27. tacito nomine dicit, opibus, nobilitate, & exquiſita doctrina inſignem, nullis Maximini precibus, quamuis importunis adduci potuiſſe, vt eius impuræ voluptati obſequeretur; ideoq; fuga mulctatam omnibus bonis ſpoliaſſe; exiſtimat fuiſſe S. Catharinam, quam vult à Maximino, quod eam vehementer deperiret, poſt fugam diligenter conquiſitam, nec ſibi conſentientem martyrio affeciſſe. Nec obſtat, quod Ruffinus lib. 8. cap. 17. mulierem illam vocarit Dorotheam. fieri enim potuit, vt ante baptiſmum vocaretur Catherina, ſeu vt alij ſcribunt Hecatarina ab Hecate; ſed poſt baptiſmum dicta ſit Dorothea: verùm priori nomine fuiſſe magis notam. hæc ex Baronio. *Catharina Alexandrina virg. & mart. à Deipara Chriſto deſponſetur. Fauſtina mart. Porphyrius M. S Catherinæ corpus ab Angelis in montem Sinæ defertur. Ex Molano. Ex Baronio. Ex Euſebio. Ex Ruffino.*

Virgines ſacræ apud Heliopolim ad Libanum ſitam, tempore Iuliani Apoſtatæ magna crudelitate ab Infidelibus earum Vrbium incolis in loco publico veſtibus nudatæ, oculis inſultantium ſunt expoſitæ, tonſis ad contumeliam crinibus, quas poſtea diſſecabant bifariam, & ad illarum inteſtina deuoranda porcos prouocabant, viſcerum extremitate conſueto illis alimento operta, quo non tam facile ea porci internoſcerent, ſed conſuetum alimentum neceſſario appetentes carnes etiam humanas diſcerperent. hæc ad verbum Sozomenus lib. 5. cap. 9. *Sanctiſs. virg. & mart. pluri-mæ apud Helio polim. Ex Sozomeno.*

Bibiana virgo Romę 2. Decemb. ſub Iuliano Imperatore ſacrilego, ob Chriſtum tandiu eſt plumbatis cæſa, donec redderet ſpiritum. *Bibiana virg. & mart.*

Flauia virgo Romana Meſſanæ 5. Octobris cum ſanctis Placido, Eutychio, & Victorino fratribus, alijsq; Monachis pro Chriſti fide à Manucha immani pirata necati ſunt anno 539. *Flauia virg & mart. SS. Placidus, Eutychius, Victorinus, & alij.*

Auguſta virgo filia Marruci Principis genere, & opibus inſignis, natione, vt ferunt, Alemanni Idolorum cultoris, qui inclinato iam Imperio Romano in agro Foroliuienſi non procul à Serauallo arcem ſibi conſtruxerat. hæc clam Patre Chriſti fidem cum baptiſmo ſuſcepit, Deoq; virginitatem ſuam dicauit, quo cognito pater eam grauiter obiurgat. ſed cum in fide Chriſti conſtans perſiſteret, duos ei dentes euelli, & in carcerem detrudi fecit: deinde inter duas arbores mediam ſuſpendi, ac ſubiecto igne torqueri iuſſit, ſed nihil læſa rotam prominentibus clauis ad dilacerandum virginis corpus excogitat, qua per Angelum confracta, capite truncata ad ſponſum peruenit die 27. Martij, *Auguſta virg. & mart. ex cruciatibus incolumis euadit.*

tij, eam poſt mortem Deus multis miraculis illuſtrem reddidit. cuius vitam deſcribit Surius tom. 7.

Surius.

39 His adiungere poſſemus complures alias virgines, & martyres, de quibus in hiſtorijs Eccleſiaſticis, & in Martyrologio præclara leguntur.

Ex Martyrologio Romano. Syrmij ſeptem virg. & mart. Antiochiæ 40. Heraclea alia 40.

Sirmij recoluntur ſeptem virgines, & martyres 9. Aprilis.

Antiochiæ aliæ quadraginta ſub Decio 24. Septembris.

Heracleæ aliæ quadraginta ſub Licinio Tyranno, quas in fide erudierat S. Ammon Diaconus, qui cum eis paſſus eſt.

In Perſide plurima virgin. & mart. Tarbula S. Simeonis Seleuciæ Epiſcopi. Cteſiphontis cum pediſſequa mar.

In Perſide quoque tempore Conſtantij Imperatoris ſub Sapore Rege Perſarum, complures per totam Perſidis Regionem pro Chriſti nomine gladio cæſi ſunt, ex quibus plurimæ ſacræ virgines fuerunt, inter quas Tarbula ſoror S. Simeonis Epiſcopi Seleuciæ, & Cteſiphontis cum pediſſequa ſua ſtipitibus alligatæ, ferraq; ſciſſæ crudeliſſimè necatæ ſunt. Harum omnium memoria die 22. Aprilis in Martyrologio clara habetur.

In Africa plurimæ virgin. & mart.

In Africa quoque paſſio plurimarum ſanctarum virginum ſub Hunnerico Vandalorum Rege Ariano, quæ ſuſpendia, pondera, flaminasq; ignitas tolerantes martyrij agonem feliciter conſummarunt, quarum memoria in Martyrologio extat die 16. Decembris.

Alexandriæ plurimæ virgin. & mart Ex Athanaſio. Ex Concilio Alexandrino. Ex Baronio. Ex Euſebio Vercellenſi. Ex Lippomano. Ex Baronio.

Ad has reuocare poſſumus virgines ſacras, quæ catholicam Religionem contra Arianos profitebantur; quot enim, quantaq; indigna ab eis paſſæ ſint Alexandriæ, ſatis declarat S. Athanaſius in Apologia ſua ad Conſtantium, & Epiſtola Synodalis Concilij Alexandrini apud eundem Athanaſium in Apologia ſecunda, de quibus Cardinalis Baronius tomo 3. ad annum Domini 335. quo modo etiam ſanctimoniales virgines in Palæſtina ab ijſdem Arianis grauiter vexatæ fuerint, narrat S. Euſebius Vercellenſis in Epiſtola è carcere data ad Vercellenſes, & alios, quæ extat apud Lippomanum tom. 2. & Baronium tom. 3. ad annum 336.

VIRGINES MARTYRES IN HISPANIA ſub perſecutione Arabica.

Virgines in Hiſpania mart.

40 NEc ſilentio prætereundæ ſunt virgines illæ in Hiſpania omni præconio celebrandæ, quæ in Arabica perſecutione pro Chriſti fide mortem fortiter oppetierunt, quarum triumphos à ſe conſpectos S. Eulogius Presbyter, & inclytus Chriſti martyr, cuius memoria 11. Martij celebris habetur, dum in carcere detineretur, accuratè eſt proſecutus. Nos breuiſſime eas indicabimus.

S. Eulogius M.

Nunilo, & Alodia virg. & m.

Nunilo, & Alodia virgines ſorores Oſcæ die 22. Octobris Mahumetano patre progenitæ, matre verò chriſtiana, non tamen admodum pia; cum nec illecebris, nec minis à fide abduci poſſent, gladio cæſæ anno 851. magnis miraculis etiam erga Mahumetanos claruerunt.

Flora, & Maria virg. & m.

Flora, & Maria ſorores virgines Cordubæ 24. Nouembris poſt diuturnos carceres gladio ſunt interemptæ anno 851. cum autem detinerentur in carcere, reliquis fidelibus eodem carcere clauſis pollicitæ ſunt liberationem ipſorum ſe impetraturos à Domino, vbi conſummato martyrio ad Deum peruenisſent, idq; præſtiterunt; nam poſt ſextum diem, quo illæ ſunt coronatæ, fideles à carcere ſunt liberati, quemadmodum narrat S. Eulogius, qui cum alijs vinctus aderat.

Vinctas Chriſti fideles precibus liberant. Ex S. Eulogio.

Digna. Anaſtaſius, & Foelix Monachi mart.

Digna virgo Cordubæ 14. Iunij cum Anaſtaſio Presbytero, & Felice Monacho in perſecutione Arabica martyrio coronati.

Columba.

Columba virgo Cordubæ 17. Septembris martyr in eadem perſecutione Arabica anno 853.

Pompoſa.

Pompoſa virgo Cordubæ 19. Septembris eodem anno 853. paſſa.

Aurea.

Aurea virgo Cordubæ 19. Iulij, quæ aliquando lapſa, ſed facti pœnitens, iterato certamine hoſtem effuſo ſanguine ſuperauit anno 856.

Leocretia.

Leocretia virgo Cordubæ 15. Martij pro Chriſti fide decollata, ex Aluaro in vita S. Eulogij, qui aſſerit 4. die poſt martyrium S. Eulogij S. Leocretiam occubuiſſe.

Vita S. Eulogij.

Ad

Ad extremum recenſebimus ex Martyrologio Romano mulieres alias, quæ cum virginitatis corona martyrij palmam coniunxerunt, aſcripto ſuo die, & martyrio, quod in eodem Martyrologio ſummatim adnotatur, quibuſdam interdum ad maiorem declarationem adiectis notulis. *Ex Martyrologio Romano.*

Pientia virgo, & martyr in pago Vilcaſſino 11. Octobris, vna cum SS. martyribus Nicaſio primo Epiſcopo Rhotomagenſi à Clemente Papa miſſo, & Quirino Presbytero, & Scubiculo Diacono ſub Præſide Feſcennino paſſa eſt. *Pientia. Nicaſius Epiſcopus Rhotomagenſis mart. Quirinus Presbyter, & mart. Scubiculus Diaconus, & mart.*

Quiteria virgo, & martyr in Hiſpania 22. Maij, quæ ex Theſauro Concionatorum tom. 2. martyrio eſt affecta circa annum Domini 100. *Quiteria.*

Veneranda virgo, & martyr in Gallia 14. Nouembris Antonino Imperatore, & Aſclepiade Præſide. *Veneranda.*

Aurea virgo, & martyr apud Oſtia Tiberina 24. Auguſti Alexandro Imperatore, quæ ſaxo ad collum ligato in mare demerſa eſt, cuius corpus ad littus eiectum, *B.* Nonnus ſepeliuit. *Aurea.*

Nympha virgo die 10. Nouembris, Decio Imperatore Chriſtum verum Deum eſſe teſtata, martyrij palmam cum Triphone, & Reſpicio Tribuno eſt conſecuta. *Nympha.*

Euthalia virgo, & martyr in Sicilia apud Leontinos 27. Auguſti, quæ cum eſſet Chriſtiana, à fratre ſuo Sermiliano gladio cæſa migrauit ad ſponſum. *Euthalia.*

Martha virgo, & martyr in Ciuitate Aſturicenſi 23. Februarij Decio Imperatore ſub Paterno Proconſule. *Martha.*

Tertulla, & Antonia ſacræ virgines, & quædam mulier cum ſuis geminis cum Agapio, & Secundino Epiſcopis, & Aemiliano milite in perſecutione Valeriani Cirthæ in Numidia illuſtre martyrium conſummarunt. *Tertulla, & Antonia mulier cũ geminis. Agapius, & Secundinus Epiſcopis, & mart. Aemilianus M.*

Agrippina virgo, & martyr in Sicilia Valeriano Imperatore 24. Maij. *Agrippina.*

Lucilla virgo, & martyr Romæ 31. Octobris, vna cum Patre Nemeſio Diacono pro fidei conſtantia iubente Valeriano Imperatore decollati 25. Auguſti. *Lucilla. Neomeſius Diaconus mart.*

Albina virgo, & martyr Formijs in Campania Decio Imperatore 16. Decembris. *Albina.*

Secundina virgo, & martyr Anagniæ 15. Ianuarij Decio imperante. *Secundina.*

Anaſtaſia ſenior virgo, & martyr Romæ 28. Octobris, quæ in perſecutione Valeriani ſub Probo Præfecto vinculis conſtricta, colaphis cæſa, igne, & verberibus cruciata, cum in confeſſione Chriſti immobilis permaneret, abſciſſis mamillis, euulſis vnguibus, dentibus comminutis, manibus, pedibuſq; præciſis, truncata capite, tot paſſionum monilibus ornata migrauit ad ſponſum; cui aquam petenti Cyrillus propinans Martyrium pro mercede accepit. *Anaſtaſia ſenior. Cyrillus mart.*

Reſtituta virgo, & martyr Soræ 27. Maij. Hęc Aureliano Imperatore pro Chriſti fide dæmonum impetus, parentum blanditias, & tortorum ſæuitiam ſuperauit; demum cum alijs Chriſtianis capite truncata, martyrio decorata eſt. *Reſtituta virg. & marc. cum ſoc. mart.*

Benedicta virgo, & martyr Romana ex Senatoribus progenita in Territorio Lugdunenſi paſſa 8. Octobris, cuius egregium pro Chriſto certamen deſcribit Petrus in Catalogo lib. 9. cap. 40. *Benedicta.*

Candida virgo, & martyr Romæ 29. Auguſti in Eccleſia S. Praxedis à Paſchali I. condita. *Candida.*

Primitiua virgo, & martyr Romæ 23. Iulij. *Primitiua.*

Gaudentia virgo, & martyr Romæ 30. Auguſti, cum alijs tribus. *Gaudentia.*

Sophia virgo, & martyr Firmi in Piceno 30. Aprilis. *Sophia.*

Agape virgo, & martyr Interamnę 15. Februarij. *Agape.*

Domnina virgo, & martyr Interamnæ 14. Aprilis cum ſocijs virginibus coronata. *Domnina.*

Euſebia virgo, & martyr Bergomi 29. Octobris. *Euſebia.*

Feliciſſima virgo, & martyr Faleriæ in Tuſcia 12. Auguſti cum Graciliano, quibus pro fidei confeſſione ora primo lapidibus contuſa ſunt, dehinc gladio percuſſi optatam martyrij palmam ſuſceperunt. *Feliciſſima.*

Baſſa, Paula, & Agathonica virgines, & martyres Carthagine 10. Auguſti. *Baſſa, Paula, & Agatonica.*

Iulia virgo, & martyr Carthaginenſis in Corſica 22. Maij, quæ crucis ſupplicio coronata eſt circa annum 439. *Iulia.*

Candida. Candida virgo,& martyr Carthaginenſ.20.Septembris, quæ ſub Maximiano Imperatore plagis toto corpore dilacerata,martyrio coronatur.

Fides. Fides virgo Agenni in Gallia 6. Octobris. Hæc ab infantia virginitate Deo dicata, cum Chriſtum confiteretur ſuper cratem æream extenſa, & ſubſtratis carbonibus, adipeq; flammis iniecto,dum ſic coqueretur,multos ſuæ virtutis exemplo conuertit, & ad martyrium animauit, inter quos B. Capraſius in ſpelunca latitans diuino ſigno firmatus ad martyrium eſt roboratus, qui poſtea 20. Nouembris martyrij palmam accepit; beata verò Fides poſt multos pro Chriſto agones capite cæſa eſt, & honorifice tumulata.

B. Capraſius mart.

Iulia. Iulia virgo,& martyr Trecis 21.Iulij.

Regina. Regina virgo,& martyr in territorio Auguſtodunenſi 7.Septembris,quæ ſub Procõſule Olibrio carceris,& equulei,& lampadarum perpeſſa ſupplicia; demum capitali ſententia damnata,migrauit ad Sponſum.

urnina. Saturnina virgo,& martyr Atrebati 4.Iunij.

Marina. Marina virgo, & martyr Galleciæ in Hiſpania 18.Iulij prope Ciuitatem Orenſem, vbi eius corpus requieſcit, & magna cum pietate ab incolis venerationi habetur.

Paula. Paula virgo,& martyr Malagæ in Hiſpania 18.Iunij, vna cum Cyriaco pro Chriſto lapidibus obruti.

Iulia. Iulia virgo, & martyr apud Auguſtam Eufrateſiam 7. Octobris ſub Marciano Præſide.

Maura. Maura virgo,& martyr Conſtantinopoli 30. Nouembris, cuius nomine inſignita eſt Inſula quædam in mari Ionio,quæ olim dicebatur Leucade.

Paula. Paula virgo,& martyr Conſtantinopoli 3.Iunij, quæ ſanguinem martyrum colligens comprehenſa,& virgis cæſa,& in ignem coniecta:ſed liberata eodem loco,vbi S.Lucillianus crucifixus fuerat,decollata eſt.

Iuſtina. Iuſtina virgo,& martyr 30.Nouembris.

Altera Pelagia. Alia quoque Pelagia virgo,& martyr Antiochiæ diuerſa ab ea, de qua infra ſect.5. cum Beronico,& alijs 49.martyrium conſummauit.

Beronicus cum 49. ſoc. mart.

Macra. Macra virgo in Territorio Rhemenſi 6.Ianuarij. Hæc in perſecutione Diocletiani in igne illæſa mamillarum abſciſſione, & ſquallore carceris afflicta ſuper teſtas etiam acutiſſimas,& prunas volutata orans migrauit ad Dominum.

Aſteria. Aſteria virgo,& martyr Bergomi in perſecutione Diocletiani,& Maximiniani Imperatorum 10. Auguſti.

Charitina. Charitina virgo, & martyr 5. Octobris, quæ ſub Diocletiano Imperatore, & Domitio Conſulari ignibus cruciata, & in mare deiecta, cum inde incolumis euaſiſſet, manibus, & pedibus abſciſſis, dentibusq; conuulſis, in oratione poſita ſpiritum emiſit.

Eulampia cum Eulampio fratre,& 200. ſoc. mart. Eulampia virgo,& martyr Nicomediæ 10. Octobris, quæ cum audiſſet Eulampium fratrem pro Chriſto torqueri,exiliens in mediam turbam, eumq; amplexata, ſociam ſe illi adiunxit,atque ambo in ollam feruentis olei coniecti, ſed nulla ex parte læſi, vna cum alijs ducentis,qui eo miraculo permoti crediderant in Chriſtum, obtruncatione capitis martyrium compleuerunt.

Euſtochium. Euſtochium virgo,& martyr Tarſi in Cilicia 2.Nouembris, quæ ſub Iuliano Apoſtata poſt dira tormenta in oratione reddidit ſpiritum.

Lucretia. Lucretia virgo,& martyr Emeritæ in Hiſpania 23. Nouembris in perſecutione Diocletiani ſub Daciano Præſide martyrium conſummauit.

Paulina cum Candida,& Artemio mart. Paulina virgo,& martyr 6.Iunij,quæ ſub Diocletiano Imperatore cum Candida matre in Cryptam impulſa lapidibus, ac ruderibus obruta eſt. Artemius verò eius pater plumbatis cæſus gladio percuſſus eſt.

Flauiana. Flauiana virgo,& martyr Antiſiodori 5. Octobris, vna cum germano ſuo Firmato Diacono paſſa eſt.

Raineldis. Raineldis virgo,& martyr Santis in Gallia 16.Iulij vna cum ſocijs,qui à Barbaris pro fide Chriſti cæſi ſunt,circa annum 650.

MV-

MVLIERVM EXEMPLA, QVAE PRO VIRGINITATE tuenda atrociſſimis tormentis, & acerbiſſimæ neci ſe expoſuerunt.

SECTIO V.

41 VEra eſt illa Ambroſij ſententia, quam lib. 1. de Virginibus ſcriptam reliquit: *Non ideo*, inquit, *laudabilis virginitas, quia & in martyribus reperitur, ſed quia ipſa martyres faciat:* Etenim quamplurimæ mulieres tanto ſtudio Deiparæ virginitatem ſibi imitandam ſuſcepere, vt non tantum Regum, aliorumq; primariorum coniugia, opibus, atque diuitijs, quæ offerebantur contemptis, recuſarint abſque vllo ſui periculo: verùm etiam pro conſeruanda virginitate labores multos, multas difficultates ſuperare, ſæuiſſimos cruciatus experiri, & mortem ipſam ſubire non detrectarint. Eiuſmodi fuere complures virgines, quę amore caſtitatis, quam Chriſto vouerant, ſponſos, quibus à parentibus deſponſæ fuerant, vel à quibus in matrimonium petebantur, repudiarunt: vel etiam alios, à quibus ad turpitudinem ſollicitabantur, obfirmato animo reiecerunt, eaq; de cauſa illatam mortem fortiter oppetierunt, atque adeò glorioſam martyrij palmam ſunt adeptæ; vt propterea Hieronymus Epiſt. 8. de S. Agnete puellula: *Ætate*, inquit, *vicit, & tyrannum, & titulum caſtitatis martyrio conſecrauit*; harum exempla ab Eccleſiaſticis hiſtorijs, Sanctarumq; vitis, quę à probatiſſimis Auctoribus ſunt conſcriptæ, nobis abunde ſuppeditantur: earum nonnullas in præſentia recenſebimus. *Ambroſius. Hieronymus. S. Agnes.*

Tecla virgo illuſtri genere Iconij orta à S. Paulo fidei præceptis inſtituta 23. Septẽbris, hæc decem & octo annos nata à nuptijs per Apoſtolum reuocatur: Thamiridem ſponſum virum, teſte Epiphanio hæreſ. 78. Vrbis primarium, ac generoſum, egregia forma, ac diuitijs ornatum, reliquit: *Quare*, inquit Ambroſius lib. 2. de Virginibus) *Sponſi furore damnata ad beſtias earum naturam virginitatis veneratione mutauit; eius enim pedes lingebat, prædamq; ſuam adorabat beſtia, muto teſtificante ſono, quòd ſacrum virginis corpus violare non auderet:* ſimiliter ex ardenti rogo, ac foſſa ſerpentibus plena, in quam conięcta fuerat, Chriſti gratia liberatur. cuius fidei ardore, & ſanctitate complures ad Chriſtum conuerſi, demum in montem ſola ſecedens, multis virtutibus, & miraculis inſignis Seleuciæ nonagenaria migrauit ad Dominum, pluribus ad eius ſepulchrum religionis cauſa confluentibus, quemadmodum teſtatur Theodoretus in hiſtoria religioſa cap. 29. & Pratum ſpirituale cap. 180. quo etiam S. Gregorius Nazianzenus acceſſiſſe ſcribitur. Zeno verò Imperator, quòd S. Teclæ monitu, & ope imperium denuò eſſet conſecutus, Seleuciæ templum ſplendore, & pulchritudine eximium illi erexit, teſte Euagrio lib. 3. hiſtor. cap. 8. nec illud omittendum ſanctam Teclam Protomartyris nomen inter fœminas meritò eſſe conſecutam, vt videre eſt apud Damaſcenum in oratione de his, qui in fide dormierunt, & in Iſidoro Peluſiota lib. 1. Epiſt. 160. ad Taraſium, & in Euchologio Græcorum cap. 96. teſte Billio in Scholijs in eundem locum Damaſceni. Quare & nos primam inter eas, quæ propter pudicitiam decertarunt, recenſuimus: quanti verò faciendum ſit eius patrocinium, ſatis declarat Eccleſia, quæ precibus, quæ in commendationem animæ præſcribuntur, hæc ponit: *Et ſicut beatiſſimam Teclam virginem, & martyrem tuam de tribus atrociſſimis tormentis liberaſti, ſic liberare digneris animam huius ſerui tui.* *Tecla virgo, & mart. Ex Epiphanio. Ambroſio. Tecla feras, quibus erat obiecta mites reddit. Theodoretus. Prat. Spirit. Euagrius. S. Teclæ dicitur Protomartyr. Damaſcenus. Iſidor. Peluſiota Euchologium Græcorum. Billius in Damaſcen. Officium Eccleſiaſticum.*

Felicula virgo ſocia S. Petronillæ Apoſtoli Petri filiæ Romæ 13. Iunij. Cum enim Flaccus Comes S. Petronillæ coniugium expetiſſet, illaq; tertio die (triduum enim ad deliberandam acceperat) migraſſet ad Chriſtum; Flaccus ad Feliculæ nuptias animum adiecit, quæ cum nec illi nubere, quòd Chriſto ſacrata eſſet, nec Idolis immolare vellet, poſt tenebricoſam cuſtodiam, & famis inediam in Chriſti confeſſione perſeueráns, tandiu in Equuleo eſt torta, donec emitteret ſpiritum, quam in cloacam proiectam S. Nicomedes Presbyter via Ardeatina ſepeliuit; quod cum reſciſſet Flaccus Comes, ſanctum Nicomedem Chriſtum confitentem martyrio affecit. cuius feſtum 15. Septembris celebre eſt in Eccleſia; hæc omnia in geſtis SS. Nerei, & Achillei apud Surium 12. Maij, ex quibus ad verbum, pleraq; inueniuntur varijs in locis Breuiarij, & in Martyrologio Romano. eadem refert Petrus in Catalogo lib. 5. cap. 112. vbi B. Feliculam Collactaneam fuiſſe dicit S. Petronillæ. *Felicula virgo, & mart. S. Nicomedes mart. Surius. Offic. Eccleſ. Martyrol. Rom. Petr. de Natal.*

Valeria virgo, & mart. Ex S. Martiali.

Valeria virgo Lemouicis in Gallia 9. Decembris. cuius martyrium breuiter attigit, S. Martialis in Epistola ad Tolosanos, hæc ab eodem Martiali vno ex Christi discipulis ad fidem conuersa, cum Deo virginitatem suam vouisset, & Stephani Ducis Aquitaniæ nuptias recusasset, ipsius iussu est decollata. cuius animam in cœlum ab Angelis deferri vidit eius Percussor, de qua Petrus in Catalogo lib. 6. cap. 29.

Pet de Natal.

Potamiana virgo, & mart. cum matre, & Rhaide Cathecumena martyre. Ex Eusebio.

Potamiæna virgo cum Marcella matre, & Rhaide Catechumena, & alijs passa est Alexandriæ 28. Iunij, hæc in persecutione Seueri, vt verbis vtar Eusebij lib. 6. cap. 4. infinitas prope pugnas pro corporis pudicitia, & virginitate, cum esset pulcherrima, contra insanos amatorum suorum impetus constanter sustinuit, tum pro fide in Christum acerba, dictuq; horrenda tormenta perpessa, feruenti quoque pice per varia corporis membra ab imis pedibus ad capitis verticem sensim, ac pedetentim diffusa, ad vltimum vna cum matre igne consumpta est. Nec illud reticendum, quod cum Potamiæna à Basilide vno ex satellitibus ad supplicium duceretur, & idem Basilides impudicos homines molestiam ei facessentes, & verborum petulantia eam insectantes coercuisset, se à Domino suo, vbi è vita excessisset, veniam & gratiam pro eo efflagitaturam pollicita est. quod & præstitit: nam post triduum noctu illi apparens, eiusq; capiti coronam imponens, se à Domino postulatam ei gratiam obtinuisse asseruit. quare eum ad Christum conuersum breui agone suis precibus martyrem glorioſum effecit; cuius memoria in Martyrologio die 30. Iunij recolitur. hæc omnia ex Eusebio loco citato, qui etiam addit ijsdem temporibus alios complures Alexandriæ, quibus Potamiæna secundum visum apparuit, eosq; ad Dei verbum amplexandum impense cohortata fuit, frequentes ad Christi fidem accessisse.

S. Basilides M. S. Potamiænæ orationibus ad fidem conuersus.

S. Potamiænæ apparitionibus, alij Christi fidem cõplectuntur?

Agatha virgo, & mart.

42. Agatha virgo in Sicilia 5. Februarij in persecutione Decij, quæ nobilibus parentibus orta à Quintiano Siciliæ Prætore eius amore capto nullis suasionibus, nec tormentis de constantia christianæ fidei, & seruandæ virginitatis remoueri potuit. cuius illa vox legitur: *Propter fidem castitatis iussa sum suspendi in equuleo, adiuua me Domine Deus meus in tortura mamillarum mearum.* hæc post acerbissima tormenta, & mamillarum abscissionem in carcerem Deum precando migrauit in cœlum.

Anatolia virg. & mart.

Anatolia virgo 9. Iulij. Hæc in persecutione Decij cum Tito Aurelio, cuius erat sponsa, virginitatis amore nubere recusaret, & interim patrimonium suum pauperibus erogaret Victoriæ iam christianæ cuidam Eugenio pagano desponsatæ, quæ ad coniugium ei suadendum venerat, è contrario virginitatem persuasit. quare ex Vrbe pulsa, & ad prædium Sponsi ducta fame, & inedia afflicta nullo pacto ad nubendum, vel Idolis sacrificandum adduci potuit. Deinde Anianum Diodori Prouinciæ Consularis filium à dæmone liberauit, plurimosq; per totam Picæni Prouinciam varijs affectos languoribus curauit, & in Christum credentes effecit, nouissime in Ciuitate Thora apud Lacum Velinum à Faustiniano Iudice diuersis pœnarum generibus vexata, cum à serpente per Audacem immisso liberata esset, eundemque Audacem conuertisset, extensis manibus orans gladio transuerberata est. Audax quoque pro Christo sine mora capitali sententia coronatur. hæc ex Martyrologio, & ex vita S. Anatoliæ apud Surium tom. 4. & ex vita S. Victoriæ apud eundem tom. 6. & apud Petrum de Natalibus lib. 6. cap. 73.

Martyr. Rom. Surius. Petr. de Natal.

Victoria virgo, & mart.

Victoria virgo Romæ 23. Decembris in persecutione Decij, hæc Eugenio Pagano desponsata sanctę Anatoliæ opera, vt supra diximus, ad virginitatem seruandam inducta, omne pretium ornamentorum suorum in pauperes distraxit. quare ab Eugenio in prædium suum adducta fame maceratur. post triennium autem, cum neque nubere, neque sacrificare vellet, post multa facta miracula, inter quæ draconem, qui plurimos perimebat, & flatu aerem inficiebat, in Christi nomine ab Vrbe Tibulana, seu Tiburtina effugauit, post multas virgines, quas Domino aggregauit, & diligenter instituit, à carnifice rogatu sui Sponsi percussa est gladio in corde. hæc ex Martyrologio Romano, & Adonis apud Surium tom. 6. & ex Petro de Natalibus lib. 2. cap. 83. cius carnifex intra sex dies à vermibus consumptus misere obijt.

Eadem pestilentem draconem à Tiburtina vrbe fugauit. Martyrol. Rom. & Adonis. Surius. Pet de Natal.

Rufina virg. & mart. Secunda virgo, & mart.

Rufina, & Secunda sorores virgines Romanæ 10. Iulij. Hæ Valeriano, & Galieno Imperatoribus reiecto cõnubio Armentarij, & Verini, quibus à parentibus desponsæ fuerãt,

quod

quod Ieſu Chriſto virginitatem vouiſſent, cum nec promiſſis, nec terrore à propoſito abducerentur, poſt multa tormenta capite plectuntur.

Baſilla virgo Romæ 20. Maij. Hæc ex Regio genere opera S. Eugeniæ à Proto, & Hyacintho eunuchis fidem edocta cum Pompeium ſponſum illuſtriſſimum haberet, illum dimiſit, à quo accuſata, quod eſſet chriſtiana à Galieno Auguſto decretum eſt, vt aut ſponſum reciperet, aut gladio interiret, ipſa verò reſpondente Regem Regum ſe habere ſponſum, gladio tranſuerberata eſt. *Baſilla virg. & mart.*

Margarita virgo Antiochiæ Piſidiæ 20. Iulij, quæ Olibrio Præfecto eam vehementer deſideranti noluit matrimonio copulari, à quo, vt Dijs immolaret, dirè eſt excruciata, ſed fruſtra, in carcere à dæmone, qui in ſpeciem immaniſſimi draconis ſe ſe oſtenderat, deglutitur. verùm dum ſigno crucis ſe munit draco medius crepuit, & Margarita illeſa exiuit, demum poſt varia tormenta capita plexa eſt. *Margarita virg. & mart. E draconis vtero ſigno crucis occiſo euadit.*

Dula, quam Petrus in Catalogo lib. 3. cap. 230. virginem fuiſſe dicit 25. Martij. hæc ancilla cum eſſet cuiuſdam militis, nec eius libidini vlla ratione conſentire vellet, pro caſtitate occiſa martyrij coronam promeruit. *Dula virg. & mart.*

Vuilgefortis virgo in Luſitania 20. Iulij pro chriſtiana fide, ac pudicitia decertans in cruce meruit glorioſum obtinere triumphum. *Viulgefortis virg & mart.*

43 Iuliana virgo Nicomediæ, cuius tranſlatio 16. Febr. celebratur Cumis in Campania; quo etiam die eius memoria in Martyrologio, & in vitis Sanctorum recenſetur. Hæc nouem annos nata Euilaſio deſpondetur; cum verò 18. ætatis annum ageret, & ſponſo niſi is Chriſti fidem ſuſciperet, nubere recuſaret. primum pro Chriſti fide à Patre Africano grauiter cæſa, deinde ab ipſo Euilaſio, qui iam præfecturam gerebat, varie cruciata, & poſtmodum in carcerem detruſa, vbi palam cum diabolo, qui ſe in Angelum lucis trãsfigurauerat, eiq; Idolis ſacrificare ſuadebat, conflixit: nam diuina virtute eum agnouit, ligauit, & plagis cecidit, quibus inuiſibiliter torquebatur, & rogabat, vt ſolueretur à vinculis, & relaxaretur à plagis. Demum Iuliana flammas ignium, & ollam feruentem ſuperans, capitis decollatione martyrium conſummauit anno Domini 290. ſub Maximiano, in cuius paſſione viri quingenti, & mulieres centum triginta ad Chriſtum conuerſi, iuſſu præſidis, omnes pro Chriſto cæſi ſunt: cum autem nauis, qua S. Iulianæ corpus opera piæ mulieris nomine Sophiæ Romam vehebatur, orta tempeſtate Cumas appuliſſet, ibi pretioſus reliquiarum eius theſaurus expoſitus extructo templo magna cum veneratione tumulatur. Poſtea euerſis iam Cumis, quæ Neapoli decem ferè miliaribus abſunt, Anſelmus Neapolitanus Archiepiſcopus anno ſalutis 1207. miſſis eo vna cum Leone Cumano Epiſcopo plutibus Abbatibus, ac militibus corpora ſanctæ Iulianæ, ac S. Maximi Leuitæ, & martyris ſuauem odorem ſpirantia ſolemni pompa transferenda, & corpus quidem S. Maximi in templo cathedrali, S. Iulianæ verò in templo S. Maria à Donna Romata Cœnobij Monialium Bienda eiuſdem Cœnobij Abbatiſſa, & reliquis Monialibus id enixè flagitantibus collocanda curauit. Hæc ex tranſlatione S. Iulianæ, quæ in Codice vetuſto, ac manuſcripto apud dictas Moniales aſſeruatur deſumpta ſunt. *Iuliana virg. & mart. Seductorem dæmonem vinculis plagisque coercuit. Tormentis vexata non læditur. In eius obitu ad Chriſtum conuerſi quingenti viri, & centum triginta mulieres mart martyrio coronentur. Cumis tumulatur, Neapolim transfertur.*

Febronia virgo Sibapoli in Syria 25. Iunij ſub Diocletiano. hæc à teneris in Monaſterio mulierum ſub Brienna, cuius erat neptis, inſtituta, cum vigeſimum annum ageret ob fidem, & pudicitiam ſeruandam, ſub Lyſimacho Præſide iuſſu Seleni, qui erat Lyſimachi patruus, primo virgis ſæuiſſimè cæſa, & equuleo torta, deinde pectinibus laniata, atque igne ſuccenſa, demum excuſſis dentibus, mammisq; abſciſſis, vtraque et manu, & vtroque pede præciſis, capitis damnata, tot paſſionum ornata monilibus migrauit ad ſpõſum; poſt cuius mortẽ Selenus ingenti triſtitia correptus, caput vni ex columnis impactum confregit, & ſpiritum exhalauit: Lyſimachus verò, qui inuitus S. Febroniæ tormentis interfuerat, eius conſtantia permotus Chriſti fide ſuſcepta, S. Febroniæ corpus in Monaſterio, vbi vixerat honorificè ſepeliendum curauit. *Febronia virg. & mart.*

Anyſia virgo Theſſalonicæ 30. Decemb. in perſecutione Maximiani. Hæc nobilibus, & locupletibus parentibus orta, ijs defunctis, opes omnes in pretium redactas pauperibus ad obulum vſque eſt elargita; ſuo aũt labore vitam ſuſtentabat, aſſiduis, & ardẽtibus ad Deum precibus, ac ieiunijs ad martyriũ ſe comparabat, cum igitur die quadam ad tẽ- *Anyſia virg. & mart.*

plũ ſe conferret,à quodam ex Imperatoris ſatellitibus,cui forrè occurrit,eius conſpecta pulchritudine, illius amore ſauciato interrogata, quæ nam eſſet, & quo tenderet, ſe chriſtianam,& ad Dominicũ procedere liberè confeſſa eſt, eiq; ne velum ex vultu detraheret,Chriſti nomine inuocato fortiter reſtitit: at ille Chriſti nomine audito ira percitus gladio eam tranſuerberauit,& glorioſam Chriſti martyrem effecit.

Ripſimes virg. & mart.

Ripſimes virgo cum Gaiana,& alijs triginta quinque virginibus martyrij coronam eſt conſecuta in Armenia maiore ſub Tiridate Rege, quarum memoria 29. Septembris recolitur; Ripſimes enim cum ſub virgine Gaiana Monaſterij Præfecta,virginitatis votum Deo nuncupaſſet,ſanctiſſimamq; vitam ieiunijs, & nocturnis, atque diurnis precibus exercitam duxiſſet,reiecto Diocletiani Imperatoris coniugio, à qua propter egregiam eius pulchritudinem in vxorem per nuncios vehementer expetebatur, vt virginitatis cuſtodiæ cõſuleret ſibi cum cæteris virginibus in Armeniam maiorem migrandum cenſuit: ibi Tiridates Armeniæ Rex de tota re Diocletiani litteris certior factus in eius amorem exarſit,illamq; inuitam in cubiculum ſuum attractam ad ſuam libidinem modis omnibus pertrahere conatur, verum illa viriliter ei reſtitit, eumq; à ſui contumelia ſtrenuè repulit, ab eo elapſa ad ſocias virgines rediit,vbi orationi cum ijſdem intenta à Principe coquorum cum ſuis ſatellitibus eſt tenta, eiq; lingua præciditur, & ad quatuor palos alligata lampadibus exuritur, acutoq; lapide eius venter diſcinditur effuſis inteſtinis, eius quoque adhuc palpitantis oculi effodiuntur, & tota membratim diſcerpitur. Ex reliquis verò virginibus triginta tres ſatellitum enſe mortem ſubiere die 26. Septembris. Gaiana verò cum duabus, quæ ſupererant virginibus ſequenti die martyrio coronatæ ſunt, cum eis lingua pone tracta per tendinem è guttere auulſa eſſet, viuentes etiam in morem pecudum per talos eas inflando excoriantur,acutoq; lapide eis venter diſſecatur: tandem capite plectuntur. hæc omnia ex vita S. Gregorij Armeniæ Epiſcopi apud Surium die 30. Septembris.

Triginta tres virg. & mart.

Gaiana cum ſoc, duabus virgin. & mart.

Ex Surio.

Potamiæna Alexandriæ in perſecutione Maximini, virgo eximia forma, cuiuſdam intemperantis viri ancilla fuit, quam nullis precibus, vel promiſſis ad flagitium ſecum inclinare potuit;quare ab ipſo veluti chriſtiana Prefecto Alexandriæ delata varijs ab eo tormentis eſt excruciata: tandem in magnum lebetem pice ardenti repletum, Præſes minatur illam deuoluere niſi ſuo Domino pareat: cui illa in tuenda pudicitia firma: *Per caput*,inquit,*Imperatoris, quem tu times ſi ſtatuiſti hoc me ſupplicio afficere, iube me paulatim in picem feruentem demitti, vt videas quantam mihi largitus eſt patientiam Chriſtus,quem tu ignoras:* quæ ſic paulatim demiſſa ſpatio trium horarum emiſit ſpiritum,cum pix ad eius collum peruenisſet. hæc apud Palladium in hiſtoria Lauſiaca cap. 2.cui hæc retulit B.Iſidorus Xenodochus,qui à S.Antouio Abbate ea acceperat: meritò autem *Baronius* in notis ad Martyrologium ad diem 28. Iunij exiſtimat diuerſam eſſe hanc Potamiænam, cuius memoria in Martyrologio non adnotatur, ab alia, quam ſupra recenſuimus, licet nomine, & pudicitia ſeruata, & aliqua martyrij ſimilitudine conueniant;illa enim Theſſalonicæ ſub Seuero Imperatore,& cum Matre paſſa eſt: hæc verò Alexandriæ ſub Maximino,nec vlla eius matris fit mentio.

Potamiæna virgo,& mart.

Ex Palladio.

B. Iſidorus Xenodochus.

Pelagia virg. & mart.

44 Pelagia virgo Tarſi in Cilicia 4. Maij. Hæc cum eſſet eleganti forma coniugium filij Diocletiani Imperatoris, qui eam in vxorem petebat conſtanter recuſauit, quod Dei filio ſe diceret deſponſatam, & à Clino Epiſcopo ſanctiſſimo baptiſmum ſuſcepit: deinde ipſe Diocletianus eius pulchritudine captus, eam in ſponſam habere tentauit, multaq; ei eſt pollicitus, quæ omnia ipſa Chriſti cauſa, quem liberè eſt confeſſa, tanquam ſtercora contempſit;quare iuſſu Diocletiani in bouem æneum candentem incluſa martyrium compleuit. eius martyrium apud Surium ex Metaphraſte tom. 3. & in Martyrologio continetur.

Surius. Metaphraſtes. Martyrologium Romanum

Pelagia virg. & mart. Martyrologium Romanum. Ambroſius. Chryſoſtomus. Surius.

Pelagia virgo Antiochiæ 9.Iunij,quam, vt teſtatur Martyrologium, Sancti Ambroſius,& Ioannes Chryſoſtomus magnis efferunt laudibus; ille quidem lib.3.de Virginibus,hic verò in duabus orationibus,quas in laudem S. Pelagiæ habuit, & extant apud Surium tom.3.quare ex vtriuſque verbis eius contexam hiſtoriam. Hæc itaq; quindecim fere annorum ſoror virginum,& ipſa virgo cum ſe domi incluſam à prædonibus fidei,vel pudoris circumſederi videret omni præſidio vacuam,ſed Deo plenam patre,

ma-

matre,nutrice,ancilla,vicinis,& amicis abſentibus,ab illis comprehenſa eſt ad iudicium pertrahenda. Ipſa verò è domo egreſſa petijt à militibus, vt ſibi liceret intro redire, veſtemq; mutare: ingreſſa verò ad teſti faſtigium currens inde ſeipſam præcipitem dedit,& confeſtim ſpiritum exhalauit,carnificumq; manus,ac petulantium hominum libidinem eluſit. quod verò confeſtim obierit diuinæ voluntati aſcribit Chryſoſtomus, complures enim è ſublimi tecto deiecti,vel nihil mali paſſi ſunt, vel læſis membris, diù ſuperſtites fuerunt. In actis quoque S.Luciani apud Surium tom.1. die 7.Ianuarij, Pelagia ex diſcipulis Luciani præclariſſimi martyris fuiſſe dicitur,quæ è tecto ſe deiecit,ne abominandum quid per vim ſuſtineret. ſic ibi. Ambroſius verò pulchrè rationes ponit, quibus apud ſe de voluntaria morte oppetenda deliberauit, additq; Matris in gremio ornaſſe caput,& nuptialem induiſſe veſtem,qua defuncta pergit Ambroſius de morte matris, & ſororum: *Vbi*, inquit, *deteſtandi perſecutores ereptam ſibi viderunt prædam pudoris,matrem,& ſorores cœperunt quærere. Verùm illæ iam campum tenebant; cum ſubito hinc perſecutoribus imminentibus, inde fluuio excluſæ à fuga, incincto ſinu, quo pudorem tegerent,nec greſſum impedirent,conſertis manibus tanquam choros ducerent, in medium progrediuntur alueum,vbi profundum abruptius, cumq; obijſſent,immobilem non abſque miraculo corporum ſtationem tenuerunt non cadauera vnda nudauit, non rapidi curſus fluminis volutarunt; quin etiam ſancta mater,licet ſenſu carens,religioſum,quem ſtrinxerat nodum, nec morte laxabat, vt quas ad martyrium iunxerat, vſque ad tumulum vindicaret*. hæc Ambroſius. qui ad Simplicianum enarrans quædam ex pſal. 104. cum oſtendere vellet liberos eſſe chriſtianos, vtpote verè ſapientes, exemplum profert ſanctarum Theclæ,Agnetis,& Pelagiæ,quę agminibus ſepta perſecutorum nequaquam eſt inclinata. Omnis verò diſcrepantia ſi qua inter Ambroſium, & Chryſoſtomum eſſe videtur facilè, ita conciliari poteſt; cum enim Pelagia perſecutores venturos timeret, & apud ſe id quod factura erat,conſtituiſſet; idcirco antequam mater domo egrederetur,ornauit caput: poſtea abſente matre repente à militibus comprehenſa poteſtatem mutandi veſtem petijt: itaq; veſte nuptiali induta è ſummo domus faſtigio ſe deiecit, vt hoc nuptiali ornatu ſe ad ſponſum Chriſtum procedere,declararet. Sanè Ambroſius etiamſi genus mortis taceat,non obſcurè tamen eam domi mortem oppetijſſe indicat, cum eam de nece ſibi inferenda domi deliberantem ponit:& mox ſubdit, perſecutores cum prædam pudoris ſibi ereptam viderent (quia nimirum præcipitem ſe dederat) ad matrem, & ſorores perquirendas animum adieciſſe,quæ in campo deprehenſæ, in flumen ſe merſerunt.

Chryſoſtomus. *Surius.* *Ambroſius.* *Pelagiæ mater, ac ſorores pro tuenda pudicitia aquis obrutæ.* *Pſal. 104.* *Chryſoſtomus.*

Mulier quædam Antiochiæ ſancta,& admirabilis ex Euſebio lib,8.hiſtor.Eccleſ.cap. 24.diuitijs, generis nobilitate, & gloria præ cæteris eximia geminas filias virgines corporis pulchritudine,& ætate præſtantes habuit, easq; pietatis inſtitutis ſtudioſè educauerat. Hæc cum à ſatellitibus Antiochiam perduceretur cum filiabus,eas de tormentis, quæ chriſtianis infligebantur,& de ſtupro tormentis intolerabiliore, quo aduerſarij eas violaturos minabantur ſedulo admonuit, omniumq; iſtorum malorum liberationem eſſe ad Dominum tanquam ad ſalutis portum confugere: quare omnes vno animorum conſenſu conueniunt,& poteſtate à ſatellitibus impetrata, paululum de via decedendi naturalis neceſſitatis cauſa, de repente ad fluuij ripam profectæ ſe in profluentem gurgitem præcipitarunt. hæc ex Euſebio. Poſſet aliquis non immeritò hæſitare, num hæ mulieres ſint eædem cum matre, & ſororibus Pelagiæ, de quibus ex Ambroſio iam diximus, certum eſt enim diuerſo modo recenſeri, huius tamen rei aliorum eſto iudicium.

Ex Euſebio. Puellæ duæ pro tuenda virginitate ſe in flumen deijciunt.

Obijciet quiſpiam non licere necem quacumque ex cauſa ſibi inferre, quod fuſe probat Auguſtinus lib.1.de Ciuitate Dei; idem tamen reſpondet cap.26. priuato quodam Dei inſtinctu fieri id poſſe verba Auguſtini hæc ſunt: *Sed quædam (inquiunt) ſanctæ fœminæ tempore perſecutionis, vt inſectatores, ſuæ pudicitiæ deuitarent, ſe in raptum,atque necaturum flumen proiecerunt,eoq; modo defunctæ ſunt, earumq; martyria in catholica Eccleſia veneratione celeberrima frequentantur*. & mox: *Quid ſi hoc fecerunt non humanitus deceptæ, ſed diuinitus iuſſæ, ſicut de Samſone aliud nobis non eſt fas credere?* & infra: *Quod ſi iubente Imperatore poteſt quis legitimè alium interficere; quanto*

Ex peculiari Dei inſtinctu inferentes ſibi necem non peccant Ex Auguſtino.

magis iubente creatore tantummodo videat vtrum diuina iussio nullo nutet incerto. hæc Augustinus. Ecclesiæ tamen est iudicare,num aliquis ex diuino instinctu, an ex propria temeritate aliquid eiuscemodi perficiat.

Ex Eusebio. Virgines duæ in mare demersæ.

Aliæ quoque geminæ virgines Antiochiæ sorores ex eodem Eusebio loco citato inclytæ genere, & vitæ integritate insignes adolescentulæ, venustæ corpore, animo graues, moribus,piæ, studio, & industria admirabiles fuerunt, quas in vastos maris fluctus nefarij dæmonum ministri immergi præceperunt.

Innumerabiles christianæ mulieres, quæ pro tuenda pudicitia obiere. Ex Eusebio.

Innumerabiles mulieres christianæ (verba sunt Eusebij lib.8.histor.cap.7.) *quoniam stupri minas, quibus prouinciarum Præfecti eas terrere conabantur, ferre non poterant; omnia cruciamentorum dissorsionum, & mortiferi supplicij genera libenter subierunt, atque hæ sanè permagna admiratione dignæ sunt.* ita Eusebius.

S. Vrsula cum sociis virgin. & mart.

S.Vrsula virgo filia Regis Cornubiæ in Anglia,cũ sociabus, (quæ ad vndecim mille fuisse scribuntur) 21.Octobris pro christiana religione,& virginitatis constantia ab Hũnis interfectæ martyrio vitam consummarunt,& plurima eorũ corpora Coloniæ condita fuerunr.ita Martyrologium ad eum diem,de quibus erudite,vt solet, Cardinalis Baronius in suis notis fusius agit.

Martyrologium Romanum. Baronius

Cordula virgo, & mart.

Cordula virgo ex sodalibus S. Vrsulæ 22. Octobris apũd Coloniam . hæc cum aliarum supplicijs,& cæde perterrita se occultasset,postridie se vltro patefecit, & nouissima omnium martyrij coronam accepit.

Eutropia virg. & mart. cum socijs mart. Nicasius Episcopus,& mart. Super eorum corpora cœlestia luminaria nocte cernuntur.

Eutropia virgo,& martyr Rhemis 14. Decembris cum Nicasio Episcopo eius fratre, & alijs socijs à Barbaris Ecclesiæ hostibus cæsa. Hæc enim cum ab eisdem Barbaris expugnata Ciuitate, & decollato Episcopo propter pulchritudinem, vt ei illuderẽt reseruata esset, ne pudicitiam perderet, eosdem de impietate in sanctum Episcopum redarguit,& in tyrannum repente insiliens oculos ei euulsit, quare à reliquis persecutoribus cum nonnullis alijs ciuibus trucidata est circa annum Domini 453. super quorum corpora nocte luminaria cœlestia cum Angelico concentu refulgebant, donec diuina reuelatione honorificè sunt tumulata, de quibus Petrus in Catalogo lib.1. cap. 69. & Vincentius lib.20.spec.hist.cap.37.& 38.

Petrus de Natalibus. Vincentius Bellacensis.

Dympna virg. & mart.

Dympna virgo , & martyr 15. Maij. hæc Regis Hiberniæ pagani filia clam Christi fide cum baptismo susceptа se corde, & corpore Christo deuouit perpetuò seruituram : defuncta matre, parens,vt sibi matrimonio copularetur,importunis precibus efflagitat, quod illa se facturam constanter negauit:cumq; Rex vim minaretur,postulatis quadraginta dierum inducias,Gereberni Sacerdotis à quo baptizata fuerat consilio,naue conscensa Antuerpiam primum , deinde ad oppidum Ghele peruenit cum eodem sacerdote . Verùm cum eius parens vbiq; illam perquirendam curasset , ad eam repertam accessit,& blandis verbis,multisq; promissionibus incęstas nuptias persuadere cœpit : verùm à Gereberno Sacerdote acriter reprehensus,illum interimi mandauit, sicq; Christi martyrem effecit. Dympna verò Christi amore se omnia contemnere , & impuras nuptias detestari inuicto animo testata est: quare eius pater furore incensus,sui,suorumq; Idolorum iniuriam vleisci volens , eam decollari præcepit : sed cum nullus ex seruis id exequi auderet,ipsemet suo gladio sacræ virginis caput amputauit die 13. Maij circa annum Domini 600. eius corpus miraculis clarum, vna cum Gereberni corpore ab incolis est sepultum : post multa verò annorum curricula humum effodientes duos sacrophagos ex lapide candidissimo (qui in ea Regione non inuenitur) integros absque iunctura sacra corpora continentes,Angelicis manibus præparatos,inuenerunt : translatio autem huius virginis in diem 15.Maij incidit,quo in Martyrologio ascribitur , cum tamen die 13.Maij martyrio fuerit coronata.

Gereberuus M.

Dympna cum Gereberno Angelorum ministerio tumulantur.

Martyrologium Romanum.

Vuenefrida virgo,& mart.

45 Vuenefrida virgo,& martyr in Anglia 3. Nouembris. hæc nobilibus parentibus orta à Beunoo viro sanctissimo in pietate instituta virginitatem Deo offerre decreuit : cum autem die Dominico parentibus ad templum progressis , sola domi remansisset Cadocus Alani Regis filius in eius domum aduenies eam ad concubitum inuitat; illa rogat, vt aduentum patris expectet,si se coniugem velit , interim velle se in cubiculum ingredi mox reuersuram:itaq; cubiculum ingressa, per aliud ostium celeri cursu ad Ecclesiam properat. quod iuuenis sentiens furore succensus,eam insequitur minatus , nisi

illico

illico ſuæ pareat voluntati,ſe ei caput præciſurum: at illa infracto animo ſe Chriſto Regi deſponſatam nulla ratione alium admittere velle,reſpondit; is verò per ſummam libidinis impotentiam caput ei amputauit; in loco autem,vbi caput eius decidit,fons ingens,& perſpicuus in hodiernum vſque diem erupit,multos morbos per huius Virginis merita depellens, lapides quoque eius aſperſi cruore ſanguinis veſtigia perpetuò retinent,& thus redolent.ſceleſtus iunenis acriter abiurgatus à Beunoo,repente corruit, & expirauit,corpusq; eius colliqueſcens diſparuit, multis aſſerentibus illud in tartarum cum anima deſcendiſſe. Beunous verò caput virginis corpori apponens, miſſa celebrata,Deum impenſe orat,vt ſanctam vitæ reſtituat, quo poſt longa vitæ ſpatia bonis operibus plena ad eum redeat;& vbi ab omnibus reſponſum eſt *Amen*,mirum dictu puella quaſi à ſomno exurrexit,& ab eodem viro Dei ſacrum velamen accepit, nobilium filias congregauit,quas in pietate erudiuit; homines regionis illius tot tantisq; conſpectis miraculis à Beunoo baptiſmum cum Chriſti fide ſuſcipiunt. Vuenefrida verò poſt aliquod tempus diuinitus monita ad Abbatem Elerium Profecta, ab eoq; honorifice excepta Monaſterio virginum præficitur, vbi multis editis Miraculis Chriſto ei tempus mortis indicante,ſpiritum Deo reddidit. hæc ex vita eius apud Surium tom. 6. Molanus in Addition. ad Vſuardum hac die, refert Elerium Cambrium circa annum 660. Sanctæ Vuenefridæ vitam contexuiſſe, quæ obijt, vt diximus in Monaſterio,quod ipſe extruxit.

E loco in quem præciſum illius caput decidit ſaluberrimus fons erupit.

Virginis occiſor repente mortuus ad inferos cum corpore defertur.

Beunoi precibus Vuenefrida ad vitam redit.

Elerius Abb. Vuenefridæ Chriſto à mortis tempus ſignificatur.

Surius.

Molanus.

Irene virgo,& martyr Nabanciæ in Luſitania 20.Octobris. hæc patre Hermigio,matre Eugenia nobili genere orta, eleganti forma, & præclaris ingenij, ac virtutum dotibus exornata cum Caſta,& Iulia amitis,alijsq; virginibus domi quaſi in Monaſterio ſãctè educata, à cuiuſdam Monaſterij Abbate eius auunculo nomine Selio in pietate inſtituenda impenſe commendatur Remigio eiuſdem Monaſterij monacho; à quo poſt aliquod tempus,cum eius amore captus eſſet, ad flagitium eſt ſollicitata: verum illa,vt erat pietate, ac ſanctitate inſignis,eum grauiter reprehenſum à ſe ſtrenuè reijcit, miſer ille amore in odium conuerſo maximam integerrimæ illius famæ labem aſpergere eſt conatus: quare pharmacum quoddam virulentum dęmonis conſilio confectum,ei propinandum curauit,quo venter eius in ſpeciem pręgnantis intumuit. hoc euulgato,non ſecus, ac ſi nefarium illa ſcelus admiſiſſet, male apud omnes audiebat. Quoniam verò Britaldus Caſtinaldi Nabanciæ Domini filius, qui ante biennium inſano huius virginis amore adeò tenebatur, vt propterea in ægritudinem inciderit, à pudiciſſima virgine fuſis ad Deum precibus, & ſermone cum eo habito prudenter fuerat ab ea mente deductus,qui tamen mortem ei comminatus erat, ſi virum alium illicito amore proſecuta foret: is ergo,ea re cognita,nimio zelotypiæ furore percitus per quendam militem eam circa ripam fluminis Nabanis orantem gladio interficiendam curauit. eius defunctæ corpus à milite veſtibus,induſio excepto,ſpoliátum in eundem fluuium,qui per alium fluuium nomine Ozicharum in Tagum influit, proijcitur, quod ad radices montis, qui Caſtrum Scalabis dicitur delatum, in ſepulchro Angelorum miniſterio ædificato, eſt conditum. hoc cum diuinitus eius auunculus didiciſſet, cum vniuerſo populo ſolemni pompa ad locum acceſſit,reperitq; Tagum diuina virtute ſuum alueum deſeruiſſe, quo monumentum Irenes omnibus eſſet conſpicuum: eius tamen corpus ex eo loco mouere minimè potuerunt; ex capillis tantum,& induſio aliquid acceperunt,quibus multa ſunt edita miracula: illis porrò diſcedentibus, ſepulchrum iterum altiſſimis aquis coopertum eſt; Caſtrum Scalabis ab ea nomen accepit,dictumq; eſt ſancta Irene;corrupto tamen vocabulo vulgo *Sanctarem* appellatur. Remigius,& alij,qui necis virginis cauſa, vel occaſio fuere tanti ſceleris patrati,pœnitentia ducti, Romam profecti, ſe ipſos pœnis ſponte ſuſceptis caſtigarunt. huius virginis mors, (quam ob tuendam pudicitiam Baronius in notis ad Martyrologium,martyrium ſuſcepiſſe affirmat) in annum Domini 653.incidit,qui fuit quartus Receſuinthi Hiſpaniarum Regis.hanc hiſtoriam,quod non ita omnibus ſit cognita, placuit latius deſcribere; eam refert theſaurus concionatorum breuiter tom.2.hac die. Mariana lib.6. de rebus Hiſpaniæ cap.10. Bartholomeus Morales lib.12.cap.35. Andreas Roſendus in Breuiario Eborenſi. flos Sanctorum Luſitano idiomate.Vaſæus in Chronicis Hiſpanicis.In huius oppidi tẽplo parœciali S.Stephani

Irene virgo, & mart.

Irenes virg. & mart. tumulus ſub lago flumine ab Angelis extruitur.

Eximiam illius ſanctitatẽ Deus miraculis patefacit.

Baronius. Theſaurus Concionatorum. Mariana. Bartolomæus Moralis. Andreas Roſendus. Flos Sanctorum. Vaſæus.

Sanctissimæ Eucharistiæ miraculum. Ioan. de Lucena

ni visitur miraculum illud sanctissimæ Eucharistiæ longe celeberrimum, quod contigit Acra. 1266. hoc est anno Dom. 1228. & etiam nunc non sine magna intuentium admiratione conspicitur, quod legi potest vberius descriptum apud nostrum Ioannem de Lucena lib. 9. vitæ B. Xauerij cap. 2. cum ibi diuerso schemate Christus Dominus diuersis se videndum præbeat.

Mexellendis virg. & mart.

46 Maxellendis virgo, & martyr in Cameracensi Diœcesi 13. Nouembris, qnæ parentibus nobilitate, & spectata religione claris progenita, ab infantia virginitatem suam voto emisso Deo dicauit, ieiunijsq; precibus, ac eleemosynis sedulo vacabat; cumq; Harduini viri potentis connubium, cui eam pater in coniugem promiserat, constanter recusaret. Harduinus, qui eius amore flagrabat, ad Mexellendis domum veniens ab ipsa, vt eius nuptijs consentiret, nulla ratione obtinere potuit, quin potius ab eorum manibus, qui eam domi latitantem ad Harduinum perduxerant, omni conatu se subducit. fugientem Harduinus insecutus suo eam ense iugulat, quo facto repente visum amisit, quem post triennium in huius sacræ virginis translatione suorum scelerum veniam precatus recepit, quæ compluribus alijs miraculis claruisse fertur; vixit autem tempore Vindiciani Episcopi Cameracensis, seu Atrobatensis; hic à S. Vedasto, qui anno Domini 570. ex hac vita migrauit Octauus eius Ecclesiæ Præsul numeratur. hæc apud Surium in eius vita tom. 6.

Eadem Herdui no interfectori amissum lumen oculorum reddidit.

Surius.

VIRGINVM EXEMPLA, QVAE PRO tuenda pudicitia se ipsæ deformarunt.

AD hoc quoque caput spectat integrum virginum Monasterium in Anglia: cum enim anno 870. in Scotiam applicuisset Danorum innumera multitudo Ducibus Hinguar, & Stubba, qui nulli sexui parcentes magnam Angliæ finibus calamitatem intulere: quod vbi percrebuisset Ebba Sancta Collinghammensis Cœnobij Abbatissa metuens ne ipsa cum commissis sibi virginibus ludibrio exponeretur Paganorum, vt virginitatem amitteret, vniuersis sororibus ad capitulum conuocatis exponit, quę ab illis patrabantur scelera, & periculum, quod eis imminebat, adiecitq; si consilijs suis acquiescere vellent, se sperare, quòd diuina ope, & Barbarorum rabiem effugere, & virginitatem custodire possent; cui omnes se maternis præceptis obtemperaturas responderunt: at illa inuicto animo arrepta nouacula nasum proprium cum labro superiori ad dentes vsque præcidens horrendum sui spectaculum cunctis præbuit, quod & singulæ in se ipsis imitatæ sunt: cum autem sequenti die hostes illi nequissimi peruenissent, vt sanctimoniales ludibrio haberent, & monasterium incenderent, cernentes Abbatissam, cunctasq; sorores ita mutilatas festinato recedentes satellitibus suis præceperunt, vt iniecto igne monasterium cum ipsis sanctimonialibus concremarent: sicq; virgines illæ sanctissimæ ad martyrij gloriam peruenerunt. hæc fere ad verbum ex Matthæo Vuestmonasterienſi, quem refert Baronius in Annalibus tom. 10. ad annum 870. vbi has virgines cultu martyrum ab Ecclesia celebratas defendit, etiamsi se ipsas mutilarint; penes Ecclesiam enim iudicium est; an aliquid sancti Spiritus impetu, an verò humana tantum audacia fiat, vt supra in S. Pelagia Antiochena ex Augustino 1. de Ciuitate Dei cap. 26. diximus.

S. Ebba Abbatissa cum sororibus virginibus, & martyribus.

Baronius.

Augustinus.

Hoc ipsum exemplum Moniales Cœnobij, quod inter Ierusalem, & Bethlehem situm erat, sunt imitatæ; cum enim Terra sancta, Christianis, qui eam possidebant, à Saracenis fuisset erepta, Soldanus audiens ibi degere virgines forma præstantes, eas violare volebat: igitur cum iam præ foribus esset tyrannus, Abbatissa diuinitus edocta, omnibus, si saluam vellent virginitatem, vt suum exemplum sequantur, consuluit, quod se facturas illæ receperunt: at ipsa primitus sibi nasum præcidit, idem & reliquæ sponte effecerunt: quo audito Soldanus earum prudentiam, & fidei constantiam admirans, vehementer probauit. hæc in Itinerario Ditmari, & refertnr in magno speculo exemplorum distinct. 9. nu. 24.

Moniales cœnobij inter Ierusalem, & Bethlehem extructi.

Ex Itinerario Ditmari, Ex Speculo Exemplorum.

Hic adiungere possumus virginis cuiusdam exemplum, quod narrat Iacobus de Vitriaco Cardinalis; Erat sanctimonialis quædam pulchritudine insignis, à Principe, in-

Sanctimonialis, quæ pro virginitate seruanda

cuius

cuius ditione erat eius Monasterium, ardenter concupita. cuius voluntatem cum nec precibus, nec muneribus Princeps expugnare posset, denunciat Abbatissæ, nisi illam sibi tradat, vniuersum monasterium igne se crematurum: quod audiens pudica sanctimonialis, & intelligens Principem propter oculorum venustatem eam deperire, ambos sibi oculos euulsit, atque in disco Principi præsentandos dedit, illis verbis: *Habeto oculos, quos desiderasti, modo meos cordis oculos intactos, atque illæsos relinquas.* hoc ex Vitriaco refertur in Speculo exemplorum dist. 9. nu. 23. Hoc idem exemplum narrat Vincentius Beluacensis in Speculo morali lib. 1. par. 3. dist. 96. illudq; in Anglia contigisse testatur, Principem verò illum ait fuisse Richardum Angliæ Regem. Verum ne quis existimet hoc exemplum vnicum, vel recens. Simile quid aliquot seculis antequam Richardus, de quo diximus, regnaret in Anglia de sanctimoniali quadam ex relatione viri fidelis, cum esset Alexandriæ, se accepisse narrat Sophronius, qui vixit circa annum Domini 610. in Prato spirituali cap. 60. Hæc cum domi suæ vitam solitariam ducens ieiunijs, vigilijs, ac erogandis eleemosynis vacaret, dum ad Ecclesiam orationis causa se conferret, à quodam procaci adolescente nutibus, & amatorijs verbis molestiam vsque adeò patiebatur, vt domo pedem non efferre cogeretur: tandem intelligens ab eo se amore eius captum propter oculorum eius venustatem, eodem adolescente præsente sumpto gladio mox sibi oculos eruit: quod cum adolescens vidisset, corde compunctus profectus est in desertum Sciti, vbi seculo renuncians, euasit probatissimus monachus.

oculos sibi eruit ex Iacobo de Vitriaco.

Ex Speculo exemplorum. Ex Beluacensi.

Aliud simile exemplum.

Ex Sophronio.

Non defuere & aliæ, quæ aliquid huiuscemodi propter castitatem sibi intulere, quas sect. 7. recensebimus.

QVA RATIONE COMPLVRIVM VIRGINVM PVDICITIA Christi præsidio ab improborum vi, vel in ipso postribulo sit conseruata.

SECTIO VI.

47 EX ijs, quæ attulimus exemplis, satis constat virgines Christi, quæ vel pro eius fide, vel pro tuenda pudicitia, vel pro vtraque mortem fortiter subierunt, fuisse illas quidem eximia in Christum charitate flagrantes, seruandæ virginitatis studio præclaras, animi constantia in perferendis tormentis inuictas, multitudine autem propemodum infinitas: qua ex re cum tyranni, qui eas tot, tantisq; tormentis subijciebant, mirum in modum discruciarentur, quod à muliebri sexu imbecillo vinci se conspicerent, ideò Satanæ instinctu, nonnullas ex ijs, quas tormentis superare non poterant, eis martyrij palmam inuidentes, vitam quidem seruabant, sed stupri minis, & pudoris iactura eas terrere, ac torquere conabantur; eaq; de causa interdum ad Lupanar productas petulantium hominum libidini prostituebant. Ex quo Tertullianus in Apologetico aduersus gentes cap. 50. agens de sæuitia Tyrannorum in christianos, pulchrè demonstrat vel ipsorum testimonio, quanto studio christiani castitatem colerent, quam omni vita cariorem ducerent; Tertulliani verba sunt: *Probatio est innocentiæ nostræ iniquitas vestra, ideo nos hæc pati Deus patitur: nam & proxime ad Lenonem damnando christianam potius, quàm ad Leonem, confessi estis labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœna, & omni morte reputari; nec quicquam tamen proficit exquisitio quæq; crudelitas vestra; illecebra est magis sectæ; plures efficiuntur, quoties metimur à vobis; semen est sanguis christianorum.* ita Tertullianus.

Tertullianus.

At verò Sanctæ virgines Christi auxilio munitæ probe intelligebant, si quid inuitæ hoc in genere paterentur, sibi ad peccatum non imputari: hinc S. Lucia virgo præclarissima cum dixisset Tyranno: *castè, & pie viuentes templum esse Spiritus sancti.* & Præfectus, *iubebo te ad Lupanar duci, vt te Spiritus sanctus deserat*, respondit dignam tanta martyre sententiam: *Si inuitam iusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam:* neque hoc ignorauit sancta virgo Irene, sanctarum Agapes, & Chioniæ soror, quemadmodum legimus in martyrio S. Anastasiæ apud Surium tom. 6. Cùm enim Præfectus Lupanar ei minaretur, Irene hæc respondisse scribitur: *Cum aliquid turpe fit per vim, & repugnante voluntate, ijs quidem, qui coacti sunt videtur potius esse supplicium, quam peccatum, reos autem constituit eos, qui vim attulerunt.* sic illa. Quod egregie explicat

S. Lucia virg. & mart.

Irene virgo, & mart. Surius.

S. Ba-

Basilius. S.Basilius lib.de vera virginitate, vbi docet tempore persecutionis virgines diuina virtute à corruptione seruatas,vt mox dicemus ; additq; nihil obfuisse virginibus, si quæ inuitę eo tempore violatæ sunt, & rationem reddit, quare id Deus permiserit ; verba Basilij hæc sunt: *Si quæ etiam,*inquit,*virgines tempore persecutionis vim passæ sunt, non consentiente ad voluptatem anima, quia mortua corpora violari barbarica feritate putabant,integram,atque incorruptam animam, nec alienæ libidini consentientem sponso suo & fide,& virginitate inclytam maiore cum gloria, & laude obtulerunt. Voluit profectò Dominus dignanter ostendere eas,cum ipsius nominis confessionem præsenti corporis honestati prætulissent, nec animas per negationem fuisse violatas, & corpore non consentiendo voluptati,integras omnino euasisse; nisi forte, qui per summam vesaniam iugulatam virginem violare pergit,cum quis mortuam quoque eo concubitu violasse fateatur,se quippe ipse corrumpit,ipseq; corrumpitur,virgo absente anima inuiolata perdurat : similes profecto sunt,quæ cum inter persecutiones,casusq; omnes illuderentur à viris,quidlibet quomodolibet passæ ex ea mortificatione carnis,integræ,atque incorruptæ perstiterunt.* hæc ille.

Virginitatis lauream inuitus nemo amittit.

Augustinus. Et Augustinus in eandem sententiam Epist. 122.ad Victorianum: *Grauissima,*inquit,*& multum dolenda est illa captiuitas fœminarum castarum, atque sanctarum ; sed non est captiuus earum Deus ,nec captiuas deserit suas ;* quod probat exemplo sanctimonialis à Barbaris ductæ in captiuitatem,cuius pudicitia Dei beneficio intacta est seruata, ipsaq; ad suos est remissa.quare hortatur,vt in eiusmodi periculis orent Deum verbis illis,quibus in captiuitate orauit Azarias apud Danielem. & mox: *Hæc,*inquit,*illis dicentibus, & ad Deum ingemiscentibus omnino suis aderit, qui suis adesse consueuit, & aut nihil in earum castissimis membris libidine hostili perpetrari permittet, aut si permittet, cum earum animus nulla consensionis turpedine maculatur, etiam carnem suam defendet à crimine;& quicquid in ea,nec commisit,nec permisit libido patientis, solius erit culpa facientis,omnisq; illa violentia non pro corruptionis turpitudine ,sed pro passionis vulnere deputabitur. Tantum enim in mente valet integritas castitatis,vt illa inuiolata,nec in corpore pōssit pudicitia violari,cuius membra potuerunt superari.* hæc Augustinus.

Dan. 3.

Cæterum Christus Dominus,qui in sexu fragili victoriam martyrij contulit,virgines suas in tanto discrimine constitutas, non deserebat, & crebrò varijs modis intactas custodiebat,vt idem Basilius loco citato his verbis testatur: *Cum ferueret persecutionis immanitas,electæ virgines propter sponsi fidem ad illudendum impijs hominibus traditæ corporibus inuiolatæ durarunt,eo scilicet, cuius gratia id perferebant , impiorum conatus in earum carne irritos arguente, & integra earum corpora non sine prodigio diuina virtute custodiente.* hæc Basilius. quod subiectis exemplis perspicuum fiet.

Basilius.

Flauia Domitilla virg. & mart.

48 Flauia Domitilla 7.Maij. Hæc Titi, & Domitiani Imperatorum neptis sacro virginitatis velamine à S.Clemente suscepto Aureliano Titi Aurelij Consulis filio, cui desponsa fuerat, nubere recusauit, à quo delata quod christiana esset, iussu Domitiani est deportata in Insulam Pontiam: *Quam,* inquit Hieronymus Epist. 27. *Flauiæ Domitillæ clarissimæ quondam fœminarum pro confessione nominis christiani nobilitauit exilium , vbi in cellulis longum duxit martyrium.* sic ille. Deinde Terracinam deducta,doctrina, & miraculis plurimos ad fidem Christi conuertit,inter quos fuere Theodora,&Euphrosina virgines suæ collactaneæ. Verùm cum Aurelianus Terracinam veniisset vna cum Sulpitio, & Seruiliano sponsis Theodoræ, & Euphrosinæ, vt omnes simul nuptias celebrarent cum suis sponsis: isti auditis,& visis miraculis Domitillæ, in Christum crediderunt,& Aurelianum hortabantur,vt honorem Deo daret. At ille in sententia pertinax, Domitillam iussit in cubiculum includi vim ei illaturus; & post cœnam cæpit saltare, vt moris est in nuptijs,& repentina insania correptus,duos integros dies,totidemq; noctes absque intermissione saltauit, donec corruens expiraret. Luxurius verò frater Aureliani potestate à Traiano accepta Sulpitium, & Seruilianum Præfecto Vrbis tradidit, à quo pro Christi nomine iussi sunt decollari. Domitilla verò cum Theodora, & Euphrosina incenso cubiculo, in quo morabatur ineluſa, vna cum eis glorioſum martyrij cursum confecit, quarum corpora integra inuenta à Cæsario Diacono sunt sepulta: eius festum celebratur die 12.Maij,vna cum SS.Nereo,& Achilleo.S.Flauiæ Domitillæ in exilium ad Pontiam Insulam pulsæ meminit Eusebius lib.3.cap.14.

Hieronymus.

SS.Theodora, & Euphrosina virg.& mart.

SS. Sulpitius, & Seruilianus mart.

Cæsarius Diaconus.

Ex Eusebio.

Sera-

Seraphia virgo apud oppidum Vindinenſe paſſa 3.Sept.ſub Hadriano Principe. Hæc genere Antiochena,Sabinam ad Chriſtum conuertit:cumq; à Berillo Iudice,cui dixerat ſi ſe mundam Dei auxilio conſeruaret,templum eſſe Dei,vt tẽplum deſineret eſſe Dei, duobus laſciuis iuuenibus Aegyptijs illudendam tradidit,à quibus in cubiculum obſcurum adducta,cum ei oranti vim inferre vellẽt, facto horribili terræmotu pene exanimes in terram membris omnibus diſſolutis corruerunt;mane facto,inſtante Preſide Seraphię precibus iuuenes illi incolumitati reſtituti affirmarunt, iuuenem decorum, ſtatura procerum,& ſolis iubare refulgentem ſe inter Seraphiam, & ipſos interpoſuiſſe, ac propterea viribus defectos in terram cecidiſſe. Præſes verò magicis id artibus tribuens iuſſit eam ardentibus facibus inflammari,quæ mox extinctæ ſunt, miniſtris in terram cadentibus;poſtmodum fuſtibus cæſa,terræmotu magno facto fragmentum quoddam è fuſte, quo virgo cędebatur in dextrum Præſidis oculum inſilijt, & poſt triduum eius lumine orbatus eſt;dehinc gladio decollata,& à S.Sabina in ſuo ſepulcro eſt tumulata, in quod poſtea illatum eſt corpus eiuſdem Sabinæ martyris. cuius feſtum 29.Aug. celebratur. hæc de S.Seraphia in Martyrologio,& apud Surium,& Petrum de Natal.lib.8. cap.30.

Seraphia virgo, & mart. Sabina mart.

Dionyſia virgo Troade paſſa, ſed Lampſaci in Helleſponto condita 15. Maij. Hæc 17. ætatis annum agens in perſecutione Decij præſens aderat tormentis, quibus pro Chriſto cruciabantur Nicomachus,Andreas, & Paulus: ſed cum Nicomachus tormentorum acerbitate fidẽ Chriſti abnegaſſet,Idoliſq; ſacrificaſſet,illico à dæmone arreptus in terram eliſus propriam linguam dẽtibus mandens expirauit.Dionyſia verò exclamauit:*O te infideliſſimum hominum,qui propter vnius horæ ſpatium perpetuam,& inerrabilem pœnam tibi acquiſiſti.*Interrogata itaq; & ſe Chriſtianam cõfeſſa,duobus iuuenibus illudenda traditur, qui cum eam violare niterentur Angelus Domini immenſo lumine eis apparens tãto ipſos timore perculit,vt ad pedes virginis proſtrati,illam,vt pro eis intercederet, rogarent. Præſes verò Paulũ,& Andream flagellis cæſos populo occidendos tradidit,eosq; pedibus attractos extra Ciuitatem lapidibus obruerunt. ad quos accurrens Dionyſia,ne ab eorum certamine diſiungeretur,Proconſulis iuſſu gladio eſt cęſa. quorum corpora Lampſaci vna cum corpore Petri adoleſcentis ab eodem Proconſule in ea ciuitate martyrio affecti ſepulta ſunt,quorum omnium feſtum 15.Maij celebratur. hæc ex Vincentio in Spec.hiſt.lib.11.cap.46.& Petro de Natalibus lib.5.cap.4.

Dionyſia virgo, & mart. Nicomachus & Chriſti fide deficiens illico expirauit. Dionyſiæ virginitati vim inferre cupientes ab Angelo terrentur. Paulus, & Andreas mart. Ex Beluacenſ. Ex Pet.de Nat.

49 Columba virgo 31.Dec.apud Senonas in perſecutione Valeriani, cum Imperatoris iuſſu in meretricum luſtris, omnibus proſtituenda exponeretur, & iuuenis quidam impudicus eius cubiculum ingreſſus eſſet, Vrſa ferociſſima è cauea illuc fugiẽs apprehenſum eum in terram ſtrauit intendens in Columbam,ac ſi nutibus interrogaret,quid iuberet,cuius iuſſu illæſus dimiſſus ad fidem Chriſti conuertitur.Vrſa verò ad ianuam manens neminem ingredi permittebat.quare igne accenſo,Vrſa iubente Columba,per tectum aufugit,ignis ab imbre extinguitur: Columba denique gladio eſt cæſa. hæc apud Vincentium in Spec.hiſt.lib.11.cap.104.& Petro de Natalibus lib.2. cap.24.

Columbæ mart. virginitas per Vrſam defenſa. Beluacenſis. Petr. de Natal.

Nec obſimile contigit Dariæ virgini nobiliſſimæ Romæ ſub Numeriano Imperatore, cui ad Lupanar detruſæ Leo è ſtadio in eius domum fugiens præſidio fuit; nam iuuenẽ flagitioſum ingreſſum pedibus cõculcauit,oculis in Virginem intentis, vt quid fieri vellet, imperaret. At illa eum dimiſſum ſcelerum ſuorum arguens ad Chriſtum conuertit: Leo verò fores obſeruabat, ne quis intraret; cùm autem venatores Leonem capere conarentur, diuina virtute Leo ſingulos humi deijciens detinebat nihil illis mali inferens, qui omnes ad fidem conuerſi receſſerunt, poſtea igne in domum iniecto Leo à Daria recedere iubetur:tandemDaria cum Chryſanto coniuge via Salaria in arenario viuẽtes terra,& lapidibus obruuntur die 25.Octob.vt videre eſt apud Surium eo die.

Dariæ virg. & mart. virginitas à Leone defenditur. Chryſantus M.

Marciana virgo in Mauritania Cæſarienſi 9.Ianu.Hæc ob Dianæ ſimulacrum in platea cõfractum,à miniſtris Iudicis cæſa, cuius iuſſu in poſtribulum compulſa cuidam gladiatori illudenda traditur, qui cum ad eam noctu ingredi vellet,paries angularis lapideus diuinitus cõſtructus,atq; interpoſitus eum prohibuit.mane ad pedes virginis proſtratus erroris veniam,eiusq; ad Deũ preces efflagitauit.Cumq; Iudex alterum gladiatorẽ mutaſſet,ſimiliter & paries ortus eũ à Marcianę cõtumelia ſeparauit; tertio quoq; tradita,pari ratione ſeruata eſt,ea tandem beſtijs obiecta,Leo immiſſus mãſuetus efficitur:

Marciana virginitas diuino prodigio ſeruatur. Eadem obiecta beſtijs à Leone non læditur.

tur:ſed poſtea à Tauro in oculo eſt percuſſa.& tandem à Leopardo diſcerpta cute,martyrium fortiter conſummauit;eius dies in Martyrologio non tantum 9.Ian. in Mauritania,ſed etiam Toleti 12.Iulij aſcribitur,&Baronius ait primam eſſe diem natalis,alteram tranſlationi:seius martyrium apud Vincentium deſcribitur in Specul.hiſtor.lib.13.cap. 36.& 37.& apud Petrum de Natalibus lib.2.cap.58.

Martyrologium Romanum. Baronius. Beluacenſis. Petr. de Nat.

Thecuſa, Alexandria, Claudia, Faina, Euphraſia Matrona, & Iulitta virg.& mart.

Thecuſa,Alexandria,Claudia,Faina,Euphraſia,Matrona,& Iulitta virgines Ancyræ in Galatia 18.Maij.Hæ à Præſide primum proſtitutæ,ſed diuina virtute ſeruatæ, lapidibus ad colla ligatis,in paludem merſę ſunt:quarum reliquias collectas cum Theodotus nepos S.Thecuſæ honorificè ſepelliſſet, à Præſide ſæuiſſimè dilaniatus , deinde enſe percuſſus,martyrij coronam accepit.

Theodotus mar. Suſanna mart. virginitas per Angelum ſeruatur.

Suſanna filia S.Gabinij Dalmatæ, & S.Caij Papæ neptis ex fratre,ex genere Diocletiani Imperatoris virgo nobiliſſima 11.die Aug. Hæc Galerij Maximiani, qui in filium adoptiuum à Diocletiano Imp.aſcitus erat , coniugium ſæpius rogata conſtanter recuſauit,quòd virginitatem Deo vouiſſet, cumq; Diocletianus, vt ex ſuo genere vxorē illi traderet,id modis omnibus procuraret. (quod eruditè oſtēdit Baronius to.2.Annal.ad ann.294.) Suſanna verò nullis rationibus ad id cōſentire vellet; tandem Galerius Maximianus noctu ad cubiculum,vbi illa orabat, vim ei illaturus veniens vidit ſupra eam Angelum Domini multa luce circumfuſum, quare perterritus, rapida fuga ad palatium ſe recepit;poſt hæc fuſtibus cæſa domi ſuæ iuſſu Imperatoris capitis obtruncatione martyrij palmā promeruit:cuius corpus Serena Auguſta vxor Diocletiani occultè Chriſtiana (cuius memoria in martyrologio habetur die 16.Auguſti) ſuis manibus aromatibus conditum ſepeliuit:hæc ex Breuiario,& vita eius apud Surium.

Baronius.

Offic. Eccl. Surius.

Theophila mar. virginitatem Angelus tuetur Domna, & Agape virg.& mar. Inde mart.

Theophila virgo Nicomediæ 28.Decembris in perſecutione Diocletiani cum Domna,& Agape virginibus,& Inde Eunucho paſſa eſt anno Domini 301. Hæc pulchritudine,genere , & virtute præſtans iuſſu Galerij Maximiani ad Lupanar ducta,cum pro ſuæ integritatis tutela ad Chriſtum preces cum lacrymis fudiſſet , cæpit ibi ſanctum Euangeliorum librum legere.Vnus autem ex intemperantibus ad eam ingreſſus, cum iā prope eſſet,maximo tremore correptus humi procumbit mortuus, & ſic ad Theophilæ pedes iacebat non ſpirans:poſt multas horas alius ingreſſus lucis fulgorem conſpicatus,& obtutu orbatus quærebat abſque læſione exire:plurimis quoque eo ingreſſis idem contigit,complures verò non ex libidine,ſed ſtudio cognoſcendi ea,quæ fiebant,ingreſſi viderunt Theophilam honeſtè ſedentem,atque legentem & iuuenem prope eam ſtantem luce , ac decore incredibili,veluti quædam tela fulgoris ex oculis emittentem , quibus conſpectis,metu diriguerunt,& celeriter aufugerunt:omnes quidem libidinis obliti, nōnulli etiam ad Chriſtum conuerſi ; Angelus autem è domo eam educens ſiſtit ad fores templi,vbi Chriſtiani ad Dei laudes erant congregati,& virgine ſalutata recedit: huius egregiæ virginis memoria in Martyrol.die 28.Dec.adnotatur. cum tamen multa millia Nicomedienſium martyrum,qui ad Natalem Domini conuenerant,& in Eccleſia combuſti ſunt)inter quos fuit Agape,& vt exiſtimo etiam Theophila)die 25.Dec.commemorentur: Græci tamen, vt celebrius hoc feſtum peragerent,in Mēnologio in diem ſequentem tranſtulerunt,vbi etiam 20.millia fuiſſe ſcribūtur.hæc omnia ex martyrio Sāctorum Indes,& Domnę,& 20.millium martyrum Nicomedienſium apud Surium to.6. 26.Dec.quorum acta ſinceriſſima exiſtimat Card.Baronius to.2.Annal.ad ann.301.

Martyr.Rom.

Agape mart.

Menologium.

Surius.

Baronius.

Agape, Chionia & Irene virg. & mart. à Præfecti oculis diuinitus ſubducuntur.

50 Agape Chionia , & Irene ſorores virgines Theſſalonicæ ſub Diocletiano , & duæ quidem priores tertio Aprilis, poſtrema verò die quinto eiuſdem menſis,Chriſti cauſa martyrium fortiter ſubierunt anno Domini 304.cum enim Diocletianus eas chriſtianas eſſe intellexiſſet,ad ſe perductas,primum blandis verbis,& promiſſionibus à Chriſto abducere conatur,ſed fruſtra; quare profecturus in Macedoniā, Dulcitio Præfecto earum iudicium delegat,qui ſuo tribunali eas ſiſtendas præcepit:ſed cum repente oculis apertis nihil videret timens,ne quid peius ei eueniret,eas remiſit in carcerem;quoniam aūt earum amore captus erat,multis pollicitationibus eas ad ſuam libidinē inclinare conatus eſt:ſed cum illæ conſtanter renuerent,ad eas in cubiculo quodā incluſas,vbi coquinæ vaſa ſeruabantur, libidine inflammatus acceſſit : ſed ibi mente alienatus,dum virgines tractare putat, ollas amplectebatur, & cacabos,ac ſartagines oſculabatur; quare ex

fu-

fuligine facie quidem ſordidus,& niger,veſtibus autem fumum,& tetrum odorem mittebat:cum ergo adeò deformis egreſſus eſſet,lictores,qui eum præ foribus præſtolabantur,tanquam monſtrum auerſati fugam arripiunt:is verò cauſam ignorans arbitratus ſe ab illis iniuria affectum,ad palatium Imperatoris accurrit,eos accuſaturus. Imperatoris verò ſatellites eum ita denigratum non agnoſcentes,tãquam morionem pugnis, & calcibus ab ingreſſu arcebant. vix tandem ab vno ex ſuis familiaribus agnitus, & domum reductus, ſibiq; redditus,quæ gerebantur,agnouit.quod ipſe magicis artibus tribuens, ſibi virgines præſentandas iuſſit,quas præcepit aſtare nudas:ſed veſtes earum corporibus ita adhæſerunt,vt à lictoribus nulla ratione detrahi potuerint.quin etiam Præfectus profundiſſimo ſomno in ipſo tribunali correptus excitari non poterat. quare Imperator Siſinio Comiti earum demandat examen,qui cognita earum in fide conſtantia,Agapẽ, & Chioniam in ignem miſit, vbi à flamma intactæ oratione ad Dominum fuſa, animas reddiderunt. Irenæ verò vt ſimulacris immolaret fruſtra tentatæ poſtribulum minatur; illa verò libere reſpondit,per ea,quę aliquis repugnante voluntate per vim patitur,minimè pollui.quare militibus eam in Lupanar deducendam tradidit.protinus autem Angeli militari veſte induti,ac ſi à Præfecto miſſi eſſent,vt eam alio transferrent,ipſam in montis cuiuſdam cacumine immenſas Deo gratias agentem ſtatuunt: qua re ad Præfectum perlata,ad montem acceſſit, Virginem tamen,quam videbat,apprehendere non valebat:itaq; à matutino tempore ad occaſum vſque ſolis circũerrans accedere nitebatur.interim à milite quodam Præfecti ſagitta percuſſa,animam Deo reddidit. Harum trium virginum corpora vnguentis delibuta, & linteis compoſita ſepulturæ mandauit S.Anaſtaſia;ex cuius martyrio,quod ex Metaphraſte extat apud Surium tom.6.hæc accepimus.quibus aſtipulatur Vincentius in Speculo hiſt.lib.12.cap.59. & ſequentibus, & Petrus de Natalibus lib.3. cap.24.& 32. quamuis ex eodem Metaphraſte Surius tomo 2.die 1.Aprilis harum ſanctarum martyrium ex notarijs exceptoribus collectum, plurimis omiſſis breuiter comprehendat.

Earum conſtantiam Deus magnis prodigijs tuetur.

Ex Surio.
Beluacenſis.
Petrus de Natalibus.
Metaphraſtes.

In eodem S.Anaſtaſiæ martyrio, quod apud Surium tom. 6. ex Metaphraſte deſcriptum diximus,narratur de S.Theodota,quæ cum tribus filijs Chriſtum confeſſa,ad Lupanar damnata,admirabili ratione à contumelia eſt ſeruata. Hæc ex Ciuitate Niceæ Bithyniæ orta in Macedonia cum tribus liberis,vna cum S.Anaſtaſia degebat; & Diocletiano propter Chriſti fidem delata,eiq; exhibita,cuidam Comiti Leucadio eius amore capto,eamq; in vxorem petenti,à Diocletiano conceditur:ipſa tamen Leucadio cõſtanter dixit: *Si meas opes quæris, ideoq; me in vxorem ducere cupis, illas omnes tibi relinquo:tecum verò coniugium nulla ratione inibo.* quare Leucadius cum nulla ratione in ſuam ſententiam pertrahere poſſet, eam vinctam Nicetio Proconſuli Bithyniæ tranſmiſit. cumq; Niceæ coram eo, vna cum filijs Chriſti fidem liberè eſſet confeſſa, Iudex primogenitum nomine Euodium fuſtibus cædi iuſſit; Theodotam verò cuidam Hyrtaco viro petulanti illudendam,& inter meretrices conſtituendam tradit. qui, cum eam perducere vellet, vultu protinus eſt mutatus; afferebatq: Proconſuli,vidiſſe ſe iuuenem quendam formoſum,habitu decorum ſimul cum Theodota, qui ei incuſſo colapho nares contriuit, ita vt ſanguinem excuſſerit: quare ne intueri quidem martyrem poterat ſine timore. Proconſul denique eam cum tribus filijs igni tradidit. cuius memoria in Martyrologio adnotatur die 2.Aug.de ea Vincentius lib.12.c.65.& Petrus lib.7.c.14.

Ex Surio. Theodota cum tribus filijs martyribus.

Martyrologium Romanum. Beluacenſis. Petrus de Natalibus.

De S. Euphemia Chalcedonenſi virgine,& martyre filia Philophronis Senatoris, & Theodoroſiæ piæ fœminæ,cuius feſtum 16.Sept. commemoratur: illud refert Petrus in Catalogo lib.8.cap.84.Iudicem libidinis facibus incenſum,eam alapis diu cæſam, & in carcerem remiſſam,inſecutum animo eam opprimendi;ſed repentè manus eius exaruit. quod cum præſtigijs tribueret,domus ſuæ Præpoſitum ad eam miſit,vt eius animum ad ſuæ libidinis aſſenſum inclinaret:at ille carcerem obſeratum, nec claue, nec ſecuribus aperire valuit,quin etiam à dæmone arreptus ſe ipſe dilanians,vix euaſit. reliqua quę ad hanc virginem clariſſimam ſpectant ſect.4.diximus.

Euphemiæ virginitati vim molientes à dæmone mulctantur. Petrus de Natalibus.

51 Agnes virgo Romana clariſſima 21.Ianua. Hæc 13. ætatis anno conſtanter reiecto cõnubio filij Symphronij Vrbis Prefecti,qui eius amore flagrabat,magnisq; muneribus eam expetebat: Cum à Symphronio euocata omni perſuadendi artificio adhibito ad

S. Agnetis virginitas ab Angelo cuſtoditur.

filij coniugium adduci non posset, quòd Christum suum spõsum, à quo annulo subarrata esset, deserere nollet, Præfecti iussu nuda ad Lupanar ducitur sub voce præconis, Agnetem sacrilegam proclamantis. statim autem, vt expoliata est (verba sunt Ambrosij lib. 4. Epist. 34.) crine resoluto tantam densitatem capillis eius diuina gratia concessit, vt melius videretur fimbrijs earum, quàm vestibus tecta. ingressa autem turpitudinis locum Angelum Domini ita præparatum inuenit, vt circumdaret eam immenso lumine; ita vt nullus posset eam præ splendore respicere. ei autem oranti apparuit stola candidissima, qua, cum gratias Christo egisset, se induit. quo cum Præfecti filius eam violaturus esset ingressus, vidisset q; clarissima luce circumfusam; nihilominus in ipsum lumen irrueret, priusquam manu eam contingeret præfocatus à diabolo expirauit. mox precibus Symphronij permota Agnes, oratione fusa, eum in vitam reuocauit, qui Christũ magna voce confitebatur. At verò Aspasius Vicarius in ardentem rogum Agnetem inijci imperat, quam diuisa in duas partes flamma non attigit: imo verò ea orante extinctus est ignis: tandem in eius guttur gladium mergi præcipit. atque ita Christus sibi sponsam, & martyrem consecrauit, ad cuius postea tumulum via Nomentana Constantia Constantini Imperatoris filia orans insanabili morbo curatur, ibiq; magnificentissimam construxit Ecclesiam.

Ex Ambrosio.

Eadem mortuũ Præfecti filium ad vitam reuocat.

In ardentem rogum iniecta non vritur.

Constantiæ Constantini Imperatoris filiæ valetudinem reddit.

Nec prætereunda est Emerentiana virgo, & martyr S. Agnetis collactanea, quæ adhuc catechumena cum ad eius sepulchrum oraret, à Gentilibus lapidata est die 23. Ian.

Emerentiana virg. & mart.

Lucia virgo Syracusana genere, & martyrio nobilissima 13. Dec. Hæc reiecto spõso, cui contra eius voluntatem parentes desponderãt, ab eo ad Pascasium Præfectum, quòd Christiana esset, delata; à Præfecto ad Lupanar deduci iubetur, vt eius castitati à populo illuderetur, & hac ratione à Spiritu sancto, cuius tẽplum Lucia castè, & piè viuentes esse dixerat, desereretur. cui illa excelso animo respondit: *Si inuitam iusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.* verùm eam tanto pondere fixit Spiritus Sanctus, vt nulla hominum vi, nec funibus additis, nec boum iugis plurimis de loco dimoueri posset. quare Præfectus circum ipsam pice, resina, ac feruenti oleo perfusam, ignem accendi imperat: sed cum à flamma nihil læderetur, tandem gladio in gutture percussa sumpta in eodem loco sacrosancta Eucharistia, & prænunciata pace Ecclesiæ, quæ futura erat Maximiano, & Diocletiano mortuis, victrix martyrium consummauit. illudq; admiratione dignum contigit, vt priusquam spiritum exhalaret, Paschasius, qui Romæ fuerat à Siculis rapinarum accusatus, ferro vinctus ante eius oculos Romam perducendus traheretur, vbi propter sua scelera capitalem excepit sententiam. Quanti autem Deus Lucię virginitati tribuerit, illud facilè declarat, quòd S. Agatha eidem Luciæ matris sanitatem petenti per visum dixisse legitur: *Sicut per me Ciuitas Catanensium sublimatur à Christo, ita per te Syracusana Ciuitas decorabitur, quia iucundum Christo in tua Virginitate habitaculum præparasti.* hæc S. Agatha; quin etiam nomen ipsum Luciæ Deus optimus adeò magnificauit, vt propter eam, quam cum lucis voce habet affinitatem, voluerit, vt pro oculorum luce, quam mortales tanti faciunt, & sine qua senior Tobias oculis captus: *Quale*, inquit, *gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen Cœli non video*; vt pro hac, inquam, oculorum luce tuenda, vel recuperanda homines ad virginem sanctissimam Luciam accurrant, in eaq; sibi præsidium ponant, cuius apud Deum preces in hac præsertim re efficacissimas experiuntur; quemadmodum ex plurimis in eius templis, vel ad eius imagines appensis, seu tabellis, seu oculis argenteis, quibus se voti reos homines testantur, cognoscere licet.

Emerentiana virg. & mart. Lucia virg. & mart. è pluribus pœnis intolumis euadit.

Tob. 5.

VIRGINES CHRISTIANAE AD LVPANAR COMpulsæ, & mira arte à Christianis inde eductæ.

Miles pro tuenda puella virginitate cum ea martyrio coronatur.

52 Sed & his attexamus virgines alias, quæ propter Christi confessionem à tyrannis ad meretricum loca compulsę à Christianis viris mirabili quadã arte delusis lenonibus, ab omni turpitudine sunt vindicatæ. S. Ambrosius lib. 2. de Virginibus hoc recens exemplum se proferre scribit. Virgo quædam nuper Antiochiæ propter egregiam formam à multis in vxorem expetita, verùm ne frustra expectarent, perpetuam se virginitatẽ colere declarauit; adueniente persecutione ad Tribunal producitur puella, aut sacrificare, aut Lupanari prostitui iubetur, ducitur ad Lupanar, ibi pro integritatis tutela Christum

Ex Ambrosio.

exo-

exorat. & ecce vir militis ſpecie terribilis,ſed tamen Chriſtianus irrupit,eiq́;vt veſtimẽta mutaret,perſuadet;tradit ei pileum,qui tegat crines,& ora;clamydem, quæ occultet reliquum corpus ; mutato habitu euolat puella de Lupanari ; miles verò deprehenſus damnatur pro virgine: quæ hoc audiens ad locum ſupplicij cucurrit, pio certamine inter ſe de nece contendebant;dum quilibet vitam pro Chriſto ponere, & alium liberare conabatur : *Verum duo*, inquit Ambroſius, *contenderunt, & ambo vicerunt, quia ambo ſunt martyrij coronam aſſecuti*.

Theodora virg. & mart.

Theodora virgo Alexandriæ in perſecutione Diocletiani 28. Aprilis. Hæc clariſſimis parentibus orta,Euſtaſio Præſidi ſe Chriſtianam,& propter Chriſtum nuptias recuſaſſe, Chriſtoq́; virginitatem dicaſſe libere confeſſa eſt.cui Præſes, *Imperatores*, inquit, *iuſſerunt vos,qui virginitatem ſeruatis,aut dijs immolare, aut pudoris contumeliam pati:* At Chriſti virgo infracto animo reſpondit: *Si violari coegeris, non erit hæc impudicitia, ſed vis, & iniuria;* iuſſu tandem Præſidis in poſtribulum ducta,Domino pro ſua virginitate preces fudit. cum autem certatim quiſque ad eam ingredi ſtuderet,repente quidam ex Chriſtianis religioſiſſimis nomine Didymus militari habitu indutus primus ad eam intrat,vt hac ratione eius pudorem ſeruaret:cumq́; Virgo primo eius aſpectu conterrita eſſet, tandem cauſam aduentus edocta, iuſſaq́; mutare veſtes,vt ex eo loco ſe expediret,ocreis,& reliqua militari veſte ſe induit, capiti galeam impoſuit, eius denique arma accepit,monita ne quem aſpiceret, neuè aliquem alloqueretur, ſed recta Chriſto duce ad portam tenderet. quod cum effeciſſet,euaſit.At verò Didymus deprehenſus,& Iudici præſentatus ſe Chriſti cauſa eam intactam conſeruaſſe, & modum euadendi tribuiſſe libere coram Iudice affirmauit. cumq́; huius facti impunitas ei promitteretur, ſi Chriſtum abnegare vellet,fidem Chriſti confeſſus ſimul cum eadem Theodora percuſſus coronatus eſt. exMartyrologio die 24. Aprilis. Græci tamen ex Metaphraſte apud Surium die 5.Aprilis martyriumDidymi celebrant.Sane poſſet aliquis exiſtimare hiſtoriam hanc eandem eſſe cum illa,quam ex Ambroſio ſupra retulimus,præſertim quia in quibuſdam eadem fere verba ſunt, & hanc ſententiam ſignificare videtur Cardinalis Baronius in notis Martyrologij die 28. Aprilis: Verum ex eodem Baronio tom. 3. Annal.ad annum 309.frequens erat,potiſſimum in nouiſſima perſecutione Diocletiani, vt iam vidimus, Chriſtianas fœminas in fide conſtantes poſtribulo illudendas tradi; quocirca mirum videri non debet, ſi illud quod ab Ambroſio de virgine Antiochiæ militis induſtria à Lupanari erepta ſcribit,ſimile factitatum ſit cum alijs virginibus Alexãdriæ, & alibi. quare Baronius tom.3. annal.loc.cit.cenſet eſſe diuerſam, quod præter loci diuerſitatem in hac narratione Theodora non legatur paſſa cum Didymo,(quamuis in Martyrologio Romano ſimul martyrio coronati memorentur,) & tamen Ambroſius virginem illam Antiochenam cum milite martyrio affectam aſſerit.quòd autem eadem fere verba inueniantur,dicimus hæc orationum lumina inter Græcos, & Latinos facile à ſe inuicem mutuari,quinimo certamen hoc Theodoræ conuenit cum Antoninę martyrio, quod mox commemorabimus;& tamen ex Martyrologio,in quo diuerſis diebus recenſentur,& ex Baronio in notis ad diem 3.Maij,conſtat eſſe diuerſum.

Didymus mart.

Martyrologium Romanum.

Surius.

Baronius.

Antonina virg. & mart.

S.Antonina virgo Conſtantinopoli 3.Maij. hæc in perſecutione Maximiani è caſtello quodam vocato Crodamnum Feſto Præſidi oblata;cuius iuſſu poſt Chriſti confeſſionem,poſt carceris cuſtodiam,poſt flagella ad Lupanar perducitur: miles verò quidam nomine Alexander Viceſimumquintũ ætatis annum agens,ab Angelo monitus ad eam intrauit,& mutato habitu eã eduxit,ipſeq́; loco eius remanſit: deinde poſt aliquot dies, cũ Alexander à Præſide torqueretur, illa diuinitus monita coram Iudice aſtitit, & cum Alexandro iuſſa eſt torqueri, & ambo ſimul præciſis manibus in ignem iniecti egregio peracto certamine coronantur.hæc in Martyrologio,& ex Metaphraſte apud Surium.

Alexander M.

Martyre logium Romanum.

Surius.

Magiſtrianus pro tuenda puel le virginitate martyrio laureatur.

Virgo quædam Corinthi nobiliſſima,& formoſiſſima tempore perſecutionis ad Iudicem,quòd Chriſtiana eſſet,& ſimulacra deteſtaretur,delata;vbi eam vidit inſano eius amore captus eſt,quam cum nullis verborum machinis, neque tormẽtis à Chriſto abducere poſſet,ad poſtribulum damnauit:quo in loco ſimulauit ſe in occulta corporis parte vulnus habere putridum,contagioſum,& male olens;quare eos,qui ad ſe veniebant, orabat,vt paucos dies,donec valetudinẽ recuperaret,abſtinerent,ne ſe quoque eo malo

cõtaminarent,ſicq; eos à ſe dimittebat;interim autem aſſiduis precibus Deo ſe cõmendabat,quare factum eſt,vt adoleſcẽs quidam nomine Magiſtrianus pius,mẽte diuinitus permotus hac arte eam liberauit; quinque nummos ei,qui illam alebat perſoluit, vt liceret ei nocte illa apud puellam eſſe. Igitur ingreſſus ſuas veſtes omnes,tunicam,& clamydem illi dat:quibus induta ſigno crucis ſe muniens eſt egreſſa. Magiſtrianus verò à ſæuiſſimo Iudice beſtijs obiectus duplicem reportauit coronam, tum ſuæ in Chriſtum fidei,tum etiam ſuæ charitatis,qua pro ea liberanda morti ſe expoſuit. Hanc hiſtoriam narrat Palladius in Lauſiaca cap.148. qui aſſerit eam ſe inueniſſe in antiquiſſimo libro ab Hippolyto,qui fuit familiaris Apoſtolorum,conſcripto.eadem narrat etiam Nicephorus lib.12. cap.13.

Magiſtrianus mart.

Palladius.

Nicephorus.

Euphraſia virg. & mart.

53 Nec ſilentio prætereunda eſt Euphraſia virgo, quæ Nicomediæ in Diocletiani perſecutione cum Idolorum cultum eſſet auerſata,improbis hominibus ad turpem libidinem tradita eſt,cumq; ita abduceretur,caſu ei occurrit ſanctus Anthimus Nicomediẽſis Epiſcopus,qui ab ea interrogatus, fidei ne an pudoris iactura eſſet præeligenda, reſpondit fidem in primis ſeruandam,quamuis corpus per vim turpia patiatur; ipſa verò vtrumque retinere conata eſt,vbi enim (inquit Nicephorus,qui lib.7.cap.13.hoc egregium facinus deſcribit) in eodem conclaui cum improbo iuuene eſt clauſa, techna quadam illum circumuenit,venificam ſe eſſe profitetur, mercedemq; ingentem conſeruatæ pudicitiæ pollicetur, quæ eum à morte conſeruet, pharmacum ſcilicet,quo ille perunctus in bellorum certaminibus,& prælijs nullo prorſus telo, aut ferro violari, aut confici poſſet: *Quod ſi de tali remedio*, inquit, *peciculum facere vis,illico id tibi manifeſtè indicabo*. ille id ſtatim parari permittit. Tum illa verè ſapiens ceram oleo liquefactam,manibusq; ſubactam collo ſuo circumcirca inungens illinit,quod vbi perfecit,petere eum iugulum ſuum enſe,quibus poſſet viribus adacto,remedijq; eius vim, & efficaciam experiri iubet. At ille, quam potuit validiſſime enſem in eam demiſit, caputq; eius ictu vno reſecuit. hæc Nicephorus. quæ (vt ait Baronius tom.3.Annal.ad annum 309.) hac arte, & virginitatis integritati proſpexit, & coronæ martyrij percupide lucrum fecit.

S. Anthimus Epiſcopus Nicomediẽſis.

Nicephorus.

Baronius.

Glaphyra virgo. Martyrologium Romanum.

Conſtantia Auguſta magni Cõſtantini ſoror.

Glaphyra quoque virgo Itala chriſtiana, & ex chriſtianis parentibus orta omni præconio eſt celebranda,cuius dies in Martyrologio 3.Ianuarij aſcribitur. Hæc Licinij Imperatoris procacitatem ad ſtuprum eam per Benignum cubiculi Præfectum prouocantis prudenter eluſit: cum enim vxori Licinij, quæ erat Conſtantia Auguſta ſoror magni Conſtantini, cui cum alijs puellis miniſtrabat; hanc Licinij nefariam mentem aperuiſſet. Auguſta puellam primum hoc prætextu occultat,quod delirio correpta moritura videretur: deinde multum auri,ac ſuppelectilis,& pueros illi dedit, eamq; in Armeniæ Regionem miſit,præcepitq; ijs,qui eam ducebant,ne alicui proderent,quænam,aut vnde eſſet puella,donec Deus ipſe prouidiſſet; illi verò virili veſte eam induentes, proficiſcuntur: interrogati verò Tribunum quendam eſſe dicebant. Amaſeam verò in Ponto peruenientes in domo Quintij chriſtiani viri clariſſimi conſtiterunt. & Baſilio eius Vrbis Epiſcopo viro ſanctiſſimo,ac prudentiſſimo Glaphyra rem omnem aperuit;quin etiam plurimam pecuniam in extructionem templi Amaſeæ ei ſuppeditabat, ſcripſitq; Auguſtæ,vbi nam degeret; quæ Epiſcopo puellam impenſe eommendauit: cum autem ex litteris Glaphyræ, quę caſu in manus Benigni peruenerunt, didiciſſet Licinius puellam Amaſeæ viuere, furore accenſus è veſtigio Prouinciæ Præſidi mandat Epiſcopum Baſilium, & Glaphyram vinctos ad ſe mitti. verum Glaphyra,antequam Licinij litteræ peruenirent,decedente ſolum Baſilium vinctum Nicomediam miſit,quem in fide Chriſti perſeuerantem verberibus leuiter cæſum decollari fecit. Huius egregiæ virginis hiſtoriam,quamuis in pace ad Chriſtum migrarit,hic recenſendam cenſui, quod tempore perſecutionis non minus viriliter,quàm prudenter diuina opitulante gratia à Licinij ſæuiſſimi,& impotentiſſimi tyranni ſuæ virginitati proſpexerit, eamq; integram ſeruarit,præſertim,quia Baſilius Epiſcopus,quòd virginis curam geſſiſſet,accerſitus, tandem pro fide Chriſti illuſtre martyrium anno Domini 316. ex Baronio tom. 3. Annal. conſummauit, de quo Martyrologium die 26. Aprilis, quando eius corpus ſepultum eſt. hæc omnia de S. Glaphyra teſtatur Ioannes Presbyter Nicomediẽſis, qui res has ſuo tempo-

Baſilius Epiſcopus, & mart.

Baronius.

Martyrologium Romanum.

tempore gestas litteris mandauit in vita S.Basilij apud Surium tom. 2. *Surius.*

Neque silentio prætereundus est hoc loco inclytus martyr Aedesius æterna memoria dignus B.Apphiani martyris præclarissimi, cuius memoria 2. Aprilis in Martyrologio recensetur,frater,qui propter sacras virgines defendendas martyriũ subijt. Is enim in persecutione Maximini,vt verbis Eusebij lib.8.histor.cap.15.vtar,post infinitas fidei confessiones,post diuturnas vinculorum afflictationes,post latàm à Præside sententiam, qua ad metalla in Palæstina erat damnatus, post vitæ rationem, quam pallio vestitus more Philosophi sanctissime traduxerat, tandem cum Iudicem Alexandriæ contra christianos debacchantem, & sacras virgines lenonibus tradentem aggressus coram coarguisset, varijs tormentorum cruciatibus diuexatus, quæ quidem constanter, & sedate admodum pertulit,ad extremum in mare proiectus est. hæc ex Eusebio; eius festum in Martyrologio honorificè commemoratur die 8.Aprilis. *Aedesius mart.* *Apphianus M.*

His addamus illud,quod S.Augustinus epist. 122. ad Victorianum scribit de sanctimoniali quadam à Barbaris abducta, cuius pudori Deus admirabili ratione in terra barbarica prospexit: referam autem verbis ipsis Augustini.Sanctimonialis neptis Seueri Episcopi Sitifensis ante paucos annos à barbaris ducta est,& per mirabilem Dei misericordiam cum honore magno suis parentibus restituta est. Domus enim illa Barbarorum, vbi captiua ingressa est, subita cæpit dominorum infirmitate iactari, ita vt omnes ipsi Barbari, tres nisi fallor, vel amplius fratres periculosissima infirmitate laborarent. Quorum mater animaduertit puellam Deo deditam,& credidit quòd eius orationibus sui filij possent ab imminentis iam mortis periculo liberari; petiuit, vt oraret pro eis, pollicens,quòd si salui facti essent,eam suis parentibus redderent. Ieiunauit illa,& orauit, & exaudita continuò est. Ad hoc enim factum erat,quantum exitus docuit.Ita illitam repentino Dei beneficio salute percepta, mirantes eam, & honorantes, quod eorum mater promiserat impleuerũt,vt discamus captiuos Dei seruos non deseri à Domino suo. hæc Augustinus. *Ex Augustino: Virgo sanctimonialis è Barbarorum captiuitate mirificè erepta:*

MVLIERES, QVAE EXEMPLO DEIPARAE virginitatis florem inuiolatum Christo obtulerunt, & ex hac vita in pace ad cœlestem sponsum commigrarunt.

SECTIO VII.

54 HActenus de mulieribus ijs, quæ ad virginitatis decus singulari Dei beneficio martyrij gloriam sui sanguinis effusione adiecere; reliquum est,vt nonnullas ex virginibus recenseamus,quæ diem suum in pace Ecclesiæ obiere,quarum licet persecutor non fuderit sanguinem; propter insignem tamen earum vitæ sanctimoniam animus non defuit martyrio: Etenim duo sunt,quemadmodum docet Gregorius homil. 31. in Euangel.& lib.4.Dialog.cap.26.martyrij genera,vnum in occulto, alterum in publico: *Nam & si,* inquit, *persecutio defit exterius, martyrij meritum est in occulto, cum virtus ad passionem prompta flagrat in animo:* quod ex verbis illis Christi Domini ad filios Zebedei, *calicem quidem meum bibetis,* confirmat: siquidem S.Ioannes Euangelista in pace Ecclesiæ quieuit:additq; eos,qui occultè antiqui hostis insidias tolerant,suosq; in hoc mundo aduersarios diligunt, cunctis carnalibus desiderijs resistunt, per hoc, quod se omnipotenti Deo in corde mactant,etiam pacis tempore martyres esse,& si persecutionis tempus existeret,martyres esse possent. hæc Gregorius. quod ijs, qui virginitatis institutum sectantur peculiari quadam ratione, si cum reliquis fidelibus comparentur, conuenire nemo inficiabitur,cum acriores quasdam dæmonis molestias, atque insidias patiantur,& à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam singulari quodam studio solerter,ac diligenter eis abstinendum,eisdemq; desiderijs strenuè, ac viriliter sit reluctandum:nam vt rectè Augustinus serm.250.de tempore cap.3.agens de vitanda incauta mulierum familiaritate,ne castitas in discrimẽ adducta commaculetur: *Fratres,* inquit, *contra mortifera blandimenta Dei adiutorium imploremus iugiter, scientes in his malis etiam quotidiana martyria christianis deesse non posse. sicut enim Castitas, & veritas, & iustitia Christus est, sic & ille,qui eis insidiatur persecutor est,ille,qui ea in alijs* *Virtute praditorum actiones martyrij laude non carent.* *Gregorius.* *Matth.20.* *Augustinus.*

defen-

Bernardus. *defendere, & in se ipso custodire voluerit Martyr, est.* ita Augustinus. Et Bernardus in sententijs paruis inter martyria sine sanguine connumerat castitatem in iuuentute.

Hieronymus. Pudicitiæ cultus martyrio comparatur. 55 Quare non immeritò *pudicitia seruata habet* (inquit Hieronymus epist. 8. & in vita Malchi captiui) *martyrium suum*; propter multas nimirum difficultates, ac tentationes, quibus ab hostibus tum inuisibilibus, tum visibilibus, & à propria præsertim carne impugnatur: quare quemadmodum proportione quadam virginitas martyrio comparatur, ita martyrij coronam quodammodo assequi dicitur: neque verò id mirum cuipiam videri debet cum de inclyto Christi confessore Martino canat Ecclesia: *O sanctissima anima, quam & si gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrij non amisit.* Hoc tamen minimè intelligendum est de ijs virginibus, quæ cæteris virtutibus vacuæ, de sola sibi virginitate blandiuntur, quas in Euangelio designarunt quinque illæ virgines fatuæ sponso, sponsæq; obuiam exeuntes, quæ acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum, quare & à cœlestibus nuptijs excluſæ leguntur: sed de ijs, quas quinque virgines prudentes adumbrarunt, quæ veluti oleo in vasis accepto ad virginitatem, humilitatis, patientiæ, orationis, mortificationis, charitatis, cæterarumq; virtutum præsidia adijcere studuerunt. Eiusmodi enim virgines propter carnis illecebras, quas cũ egregia vitę integritate forti, magnoq; animo respuerunt, & propter assiduas preces, ieiunia, vigilias, cilicia, frequẽtes sui corporis diuerberationes, humi cubationes, & interdũ monasterij claustra, quibus ad totum vitæ tempus sponte se includerunt, aliasq; corporis castigationes ad carnem edomandam vltro susceptas, iure optimo martyribus proportione quadam comparantur: præsertim quia compluribus earum cum parentibus, & cognatis, qui eas vel inuitas, & interdum verberibus, alijsq; indignis modis diuexatas nuptijs illigare volebant; & cum sponsis, à quibus in coniugium ardenter expetebantur, strenuè decertandum fuit, vt suam virginitatem custodirent.

Virginitas cæteris virtutibus iungenda. Matth. 25.

56 Cæterum si harum numerus, quæ tot annorum sæculis, in tot, tantisq; diuersis Christiani orbis Regionibus, siue in cœnobijs, siue etiam in suis domibus in pace Ecclesiæ virginitatem suam Christo religiosè dicarunt, subducendus esset, res sanè foret humano studio (vt ita dicam) impossibilis; ex multis tamen, quæ adduci possent, aliquas ex præcipuis in medium afferemus.

Virginum Collegium Ierosolymis sub Deiparæ institutione. Dionysius. Et primo quidem loco recensendæ videntur virgines illæ, quæ post aduentum Spiritus sancti in die Pentecostes sub institutione Deiparæ Ierosolymis vixisse ferũtur, quarum meminit Dionysius Carthusianus in 1. sentent. distin. 16. q. 2. cum enim de sapientia, & scientia Deiparæ ageret, quæ complures, dum inter mortales versaretur, erudiuit, hæc de Deipara subijcit: *Quotidie quoque, seu tempore opportuno edocuit felicissimum illud Collegium centum viginti virginum eius obsequio, atque regimini deputatarum.* sic ille.

Id quod licet prima fronte videri possit magis pie, quàm solide dictum; nos tamen cap. 37. valde verisimile esse ostendimus: idcircò hac de re vberius explicanda, & confirmanda in præsentia supersedemus, Lectoremq; ad caput illud remittimus.

S. Martha virg. Martha virgo Christi Domini hospita cum sorore Maria Magdalena, & fratre Lazaro, alijsq; Deo nauim gubernante Massiliam appulsa (quod vberius in eius vita in Breuiario Romano die 29. Iulij describitur) in locum à viris remotum cum aliquot honestissimis fœminis se recepit, vbi summa cum laude pietatis, & prudentiæ vixit, & miraculis clara migrauit ad Dominum. cuiùs corpus Tarasci magnam habet veneration-em.

Breuiarium Romanum.

Quatuor filiæ S. Philippi Diaconi virgines, & Prophetissæ. Act. 21. Ex Hieronymo. Quatuor virgines filiæ S. Philippi, qui vnus fuit ex septem primis Diaconis Act. 21. omnes prophetantes erant, quarum virginitatem veluti aliquid in lege Euangelica præclarum memorat S. Lucas, de quibus Hieronymus epist. 8. quòd pudicitia virginali prophetiæ gratiam sint consecutæ, & lib. 1. contra Iouinian. *Post crucem*, inquit, *Christi statim vna domus Philippi Euangelistæ quadrigam producit virginum filiarum. Cumq; Dominus in Euangelio dixerit, lex & prophetæ, vsque ad Ioannem, istæ quia virgines erant etiam post Ioannem prophetasse referuntur.* ita Hieronymus, qui in epist. 27. narrat S. Paulam in sua peregrinatione Palæstinæ, Cæsareæ Diaconi Philippi ædiculas, & cubicula quatuor virginum prophetarum vidisse, vt refert Eusebius lib. 3. cap. 25.

Luc. 16.

S. Paula.

ex

ex Polycrate in virginitate conſenuerunt. Quarum mentio in Martyrologio extat die 6. Iunij. *Ex Polycrate. Martyrol. Rom.*

57 Iphigenia virgo Aethiopum Regis filia 21. Septembris. Hæc à S. Mattheo Apoſtolo baptizata, ab eoq; ſacro velamine Deo conſecrata, nullis precibus, vel minis permoueri potuit, vt Hirtaco Regis ſucceſſori eius nuptias expetenti conſentiret. quare is S. Mattheum, cuius opera illa virginitatem Deo vouerat, & in ſancto propoſito perſeuerabat, ad altare myſterium celebrantem iuſſit occidi. qua de cauſa S. Matthæus ab Hippolyto lib. de duodecim Apoſtolis ad hoc alludente victima dicitur virginitatis. Deinde Iphigeniæ domum copioſo igne incendi fecit, vt eam cum cæteris virginibus concremaret. Verùm S. Matthæus cœlitus cum Angelo aduenit, ignem ab ea domo excuſſit, flamma verò erumpens, Regis palatium conſumpſit, Hirtaco cum filio vix euadente, & filius quidem à dæmone arreptus, mox interijt; Hirtacus autem morbo Elephantiaco percuſſus, doloris impatiens mortem ſibi ipſe conſciuit. Iphigenia verò ducentarum, & eo amplius virginum mater exiſtens, ſancto fine quieuit, de qua Petrus in Catalogo lib. 8. cap. 101. *S. Iphigenia virgo. Iphigeniæ virginitatem ſuadens S. Matthæus Apoſtol. martyrio inſignitur. Ex Hippolyto. Flamma à S. Iphigeniæ domo diuinitus excuſſa. Eiuſdem virginitati inſidians Hyrtacus cum filio dat pœnas.*

Petronilla virgo S. Petri Apoſtoli filia 31. Maij. Hæc eximia corporis forma, cum virginitatem ſuam Chriſto dicaſſet, & eius nuptias vehementer expeteret Flaccus Comes, triduum ad deliberandum accepit, quo tempore ieiunijs, ac precibus vacans à cęleſti ſponſo ne ſuo propoſito vim afferri pateretur, enixè contendit: itaq; tertia die ſacra Euchariſtia percepta, ad cœleſtes nuptias euolauit. Huius rei hiſtoria plenius deſcribitur apud Surium in actis SS. Nerei, & Achillei tom. 3. menſe Maio. *Petr. de Natal. Petronilla virgo. Surius.*

Balbina virgo filia S. Quirini Tribuni martyris Romæ 31. Martij. Hæc cum boijs, ſeu vinculis S. Alexandri Papæ à ſtrumis curata eſſet, ab eo baptizata virginitatem ſeruare decreuit; iuſſaq; eſt inquirere vincula Apoſtoli Petri; quæ ab ea ſedulo inuenta, magna cum pietate ſeruauit, tandem poſt deuictum huius ſæculi curſum ſepelitur via Appia iuxta patrem ſuum. *Balbina virgo.*

58 Pudentiana, & Praxedes ſorores virgines Romanæ. S. Pudentis Senatoris Apoſtolorum diſcipuli filiæ poſt innumeros agones, poſt totius familiæ, in qua erant nonaginta ſex homines ad Chriſtum conuerſionem, poſt multorum martyrum venerabiliter exhibitas ſepulturas, poſt omnes facultates pauperibus pro Chriſto erogatas, ieiunijs, & orationibus intentæ migrarunt ad Dominum. Illa quidem 19. Maij; hæc autem 21. Iulij. *Pudentiana, & Praxedes mart.*

Virgo quædam memoriæ noſtræ (inquit Ambroſius lib. 1. de Virginibus) nobilis in ſæculo, nunc nobilior Deo, cum vrgeretur ad nuptias à parentibus, & propinquis, ad ſacroſanctum altare confugit, vbi ſacrificium virginitatis offertur, virginitatis velamen cum precibus Sacerdotis petens, ſpõſum ſe habere dicens, cui nemo ſe cõparet diuitem mundo, potentem imperio, nobilem cœlo: ſilentibus cæteris vnus abruptius: *Quid ſi*, inquit, *Pater tuus viueret, innuptam te manere pateretur?* tum illa, *& ideo fortaſſe defecit, ne quod impedimentum poſſet afferre*. Quod ille reſponſum de Patre de ſe oraculum, maturo ſui probauit exitio. ita cæteri, eadem ſibi quiſque metuentes fauere cæperunt, qui impedire quærebant. hæc Ambroſius. *Ex Ambroſio. Virginitatis votum diſſuadens morte corripitur.*

Marcellina virgo S. Ambroſij Epiſcopi ſoror 17. Iulij. Hæc Romæ à Liberio Papa in baſilica S. Petri velum conſecrationis accepit, eius ſanctitatem S. Ambroſius ſcriptis teſtatam fecit. *Marcellina virgo. Ex Ambroſio.*

Virgo quædam ex Seuero Sulpitio Dialogo 2. cap. 13. ante complures annos ſe in agellulo ſuo cohibebat, & ab omnium virorum oculis remouerat; quam tam illuſtris meriti puellam cum S. Martinus Turonenſis Epiſcopus prope locum illum præteriens religioſo viſitationis officio honorare vellet; illa fortiſſimi vincula propoſiti, ne Martini quidem contemplatione laxauit, ſed per aliam fœminam ſe excuſauit, quam S. Martinus hoc nomine multo affectu prædicabat: eius Xenium præter ſolitum admiſit dicens: *Benedictionem huius Virginis à Sacerdote minimè reſpuendam, quæ eſſet multis ſacerdotibus præferenda*. tanti faciebat Virgines, quæ virorum conſpectus declinabant. hæc ex Sulpitio. *Ex Seuer. Sulp. Virgo quædam ſancti etiam Martini conſpectum fugiens cõmendatur.*

Macrina virgo in Cappadocia 19. Iulij ſoror SS. Baſilij magni, & Gregorij Nyſſeni, *Macrina virgo.*

So-

Soror S. Pachomij 400. monialium mater. Surius.

59 Soror S.Pachomij instar fratris sui Monasterium quadrigentarum circiter sanctimonialium fundauit,quod eandem habebat viuendi formam,& institutum cum illo S.Pachomij,& constructum erat trans flumen è regione illius: quemadmodum legimus in vita S.Pachomij apud Surium 14.Maij.

Musa virgo.

Musa puella Romæ à Deipara ad suum obsequium inuitata, eiusdem iussu à risu iocis,& puellari leuitate abstinens,die 30.euolauit in cœlum,quemadmodum vberius ex

Gregorius.

Gregorio lib.4.Dialog.cap.17.supra cap.20.memorauimus,atque ex virgineo corpore habitatura cum sanctis virginibus exiuit.

Genouefa virg. diuinitus agnita precibus S. Simeon Stylites se commendat.

Genouefa virgo sanctitate clarissima Lutetiæ Parisiorum 3.Ianuarij. Hæc à teneris à B.Germano Antisiodorensi Episcopo Christo dicata admirandis virtutibus, & miraculis claruit,quam S.Simeon Stylites in Columna extra Antiochiam degens per spiritum cognoscens eam per mercatores illuc aduenientes multa cum veneratione salutabat;& vt pro ipso Dominum oraret,sedulo precabatur. Ciliniam adolescentulam cuidam desponsatam,quæ nuptijs virginitatem præferre cupiebat,ad templum adductam portis vltro apertis, Christo despondet. tandem octogenaria feliciter obdormiuit in Domino tempore Clodouei Regis.

Cilinię virgini portæ templi aperiuntur.

Marina virgo.

Marina virgo in Bithynia virili habitu à Patre Eugenio in Cœnobium adducta, & sub Marini nomine cum eodem monasticam vitam professa: post multos annos religiosè traductos,ab Abbate ad Monasterij negotia mittebatur, & in quoddam diuersorium cum socijs diuertere solebat. Cumq; filia hospitis à quodam milite violata concepisset;Marinum eius sceleris auctorem fecit.quod cum Abbati renunciatum esset,is eum grauiter reprehensum,nec se excusantem, sed errati veniam precantem, è Monasterio eiecit: ille verò sub dio manebat. cum autem puella infantem peperisset, puellæ pater illum Marino detulit,qui lacte à pastoribus emendicato,puerum alebat.exacto triennio multis fratrum precibus,tandem cum infante admissus est in Monasterium ad viliora, & abiectiora monasterij deputatus.quæ omnia mira cum humilitate, & patientia exequebatur;nec modica ei molestia erat in educando Infante illo. Denique in sua cella sancte obijt: quem sepulturæ mandare volentes, inuenerunt esse mulierem. omnibus igitur veniam petentibus,quòd innocentem vexassent,corpus eius in Ecclesia honorificè conditum,miraculis clarere cæpit. Puella,quæ eam infamauerat, à dæmone arrepta, & ad sepulchrum eius adducta, omnem rei veritatem confessa liberatur. hæc ex Metaphraste apud Surium to.2.die 8.Febr.quam vocat Mariam; eadem legimus in vitis Patrum lib.1.cap.44.& apud Petrum in Catalogo lib.6.cap.108. qui affirmat eam obijsse 16.Iulij.Anno verò 1113.translatum est corpus eius Venetias: cuius meritis nautæ à maris tempestate sunt liberati. hæc autem translatio in Martyrologio die 17. Iulij adnotatur. Baronius in notis ad diem 18. Iunij existimat sanctam Marinam virginem, quæ in Martyrologio passa dicitur Alexandriæ, esse hanc: potius crediderim esse diuersas.

Mulier,quæ Marinæ virg. bono nomini detraxerat à dæmone corripitur. Ex Metaphraste. Surius. Vita Patrum. Petr. de Natal. Martyr. Rom. Baronius.

Margarita virgo Aegyptiaca.

60 Margaritæ verò virgini Aegyptiacæ simile quid contigisse narratur.hæc præclarum quoddam facinus seruandæ virginitatis,ei quod edidit S. Alexius, per quam simile aggressa est;quin etiam maius aliquid est ausa. nuptui enim à parentibus tradita,prima nocte cum sponsus propter laborem in choreis ea die susceptum profundo somno teneretur,ipsa tonsis crinibus sub viri habitu se Pelagium appellans,& clanculum in monasterium virorum aufugiens,ab eisq; admissa,sanctissimam ac religiosissimam vitam duxit,adeò vt seniorum consilio,licet inuitus monasterio virginum præficeretur. Verum falso in suspicionẽ vocata,quòd cuidam monialium ianitrici, cuius vterus intumuerat, vitium intulisset;humiliter,& absque excusatione seueram pœnitentiam peregit:in morte tamen agnitus, vt fœmina, omnibus suæ humilitatis, atque patientiæ exempla reliquit.Huius vitam narrat Petrus in Catalogo lib.9. cap.27.

Petr. de Natal. Theoctistes virgo. Martyrol. Rom. Surius.

Theoctistes virgo in Paro Insula 10.Nouembris in Martyrologio Romano, cuius vita ex Metaphraste extat apud Surium tom.6.Hæc fuit patria Lesbia,quam in virginum monasterio ab infantia dedicatam Arabes Cretenses captiuam abduxerunt cum 18. annum ageret. Cum autem eam in Insula Paro deserta cum alijs captiuis exposuissent, vt singulis precium, quo se redimerent præscriberetur, ipsa clam fuga elapsa in silua se

se abdidit, vbi vitam perquam similem ei, quam S.Maria Aegyptiaca in deserto duxit, quinque & triginta annis exegit ab hominum consortio prorsus seiunctam, lupinis, & herbis, quæ in solitudine nascuntur, vitam sustentabat. demum cuidam ex Eubœa, qui eo venationis causa cum alijs venerat locùta, petijt sibi anno sequenti sacrosanctam Eucharistiam afferri, qua suscepta migrauit ad Dominum. hæc ex Metaphraste tom. 6.

Euphrosyna Alexandrina virg.

Euphrosyna Alexandrina die 1. Ianuarij; hæc cum à patre cuidam in sponsam esset promissa, ne cogeretur nubere, domo, ac parentibus relictis, sub viri habitu, vt securius deliteſceret, sumpto Smaragdi nomine, inter monachos cuiusdam cœnobij duo de quadraginta annos vitam abstinentia, alijsq; pietatis operibus insignem ad obitum vsque sanctissimè traduxit, & miraculis clara migrauit ad Christum, eius vita extat apud Surium 1. die Ianuarij.

Surius.

S. Scholastica virgo Gregor.

S. Scholastica virgo S. Benedicti Abbatis soror 10. Februarij, cuius animam idem S. Benedictus migrantem è corpore, in cœlum ascendere vidit, de qua S. Gregorius 2. Dialog. cap. 33. & 34.

S. Brigida virg. Forma venustate sibi subtrahi precibus impetrat.

Brigida virgo è Scotia 1. Februarij. Hæc cum multis modis ad coniugium vrgeretur, Dominum rogauit, vt turpem ipsam efficeret, sicq; ab eius coniugio appetendo omnes absterrerentur. mox exaudita est, & oculus eius crepuit, quare permissa virginitatem Christo consecrare, & cum velum accepisset, lignum altaris ab ea tactum viruit, eiusq; oculus sanitati est restitutus. Cùm autem vna è puellis eiusdem Brigidæ, impuro cuiusdam amore capta se ad eum certo tempore venturam pollicita esset, cumq; ad hoc patrandum è lecto surrexisset, obnixè Dominum precabatur, vt in tanto suæ salutis naufragio sibi opem ferre dignaretur, accenso igne, illi pedes admouit, & ignibus ardorem libidinis extinxit; mane autem facto S. Brigida eius adustos pedes perfectè sanauit: sancta verò Brigida obijt ex Sigeberto anno 518.

Eadem puellæ cuiusdam pedes pro pudicitia adustos sanat.

Sigebertus.

Eartongatha virgo. S. Pharæ virgo.

Eartongatha filia Earcomberti Cantuariorum in Anglia Regis. Hæc magnarum virtutum virgo in monasterio S. Pharæ in Gallia in loco, qui dicitur *Brige*, monasticam vitam est complexa, cum enim eo tempore in Anglia, nec dum multa essent constructa monasteria, complures ex Anglia filias suas erudiendas, & cœlesti sponso copulandas ad Galliæ monasteria mittebant. cuius rei mentio quoque fit in vita S. Pharonis apud Surium 28. Octobris.

Sedrido filia Edelburgi.

In eodem quoque monasterio vixit Sedrido virgo matertera Eartongathæ filia Regis Edelburgi in Anglia, vtraque autem quamuis peregrina, virtutum meritò Brigensis fuit Abbatissa. Et quidem in Eartongathæ obitu concinentes Angeli sunt auditi, qui eam ad Cœlum deducerent: Sedridæ verò, quam etiam vocant Edelburgam, corpus post septennium cum esset ad Ecclesiam S. Stephani transferendum ita intemeratum inuentum est, vt à corruptione concupiscentiæ carnalis erat immune. hęc ad verbum ferè ex Beda lib. 3. hist. Anglorum cap. 8. circiter annum Domini 660.

Ex Beda.

Florentia virg.

Florentia virgo Hispali in Hispania 20. Iunij SS. Leandri, & Isidori Episcoporum soror.

Romula, Redempta, & Herundo virg.

Romula, Redempta, & Herundo virgines Romæ, quarum insignem sanctitatem S. Gregorius in 4. Dialog. cap. 15. plenius describit: earum dies in Martyrologio die 23. Iulij commemoratur.

Ex Gregorio. Martyr. Rom. Tharsilla, & Aemiliana virgines.

61 Tharsilla, & Aemiliana virgines sorores S. Gregorij Papæ amitæ, & de illa quidem, quæ 24. Decembris decessit idem S. Gregorius homil. 38. testatur, quòd in hora exitus sui Iesum ad se venientẽ viderit: hæc verò vocante eadem Tharsilla, quæ iam ad Deum præcesserat 5. Ianuarij migrauit ad Dominum.

Ex Gregorio.

Gregoria virgo.

Gregoria virgo adolescentula ex Gregorio lib. 3. Dialog. cap. 14. constitutis iam nuptijs, in Ecclesiam fugit, & ab Isaac viro sanctissimo defensa sanctimonialis habitum est consecuta.

Sanctimonialis virg. dæmonem ab obsesso corpore ejecit.

Virgo quædam Spoleti iam nubilis, cuiusdam viri primarij filia, eius patre inuito sanctimonialis effecta à patre exhæredatur, sex tantum vncijs cuiusdam possessiunculæ ei attributis. cuius exemplo multæ virgines nobiles cœperunt, apud eam Deo dedicata virginitate seruire. cuius tanta extitit vitæ sanctitas, vt suo imperio dæmonem ab obsesso corpore expulerit.

Pha-

Phara virgo, S. Eustasius Abbas oculorum lumen amissum reddidit. S. Columbanus.

Phara virgo in Gallia claris parentibus orta, tempore Heraclij Imperatoris, soror S. Pharonis Episcopi Meldensis. Hæc S. Columbani benedictione sacrata, cum à Patre Agerico nuptui tradenda esset, continui fletus merore ea de causa affecta visum amitit, quem *B.* Eustasius Abbas Luxouiensis diuinitus ei restituit: sed cum iterum à patre ad nuptias vrgeretur, ad Ecclesiam S. Petri confugit: vnde retracta in custodiam detruditur; precibus tandem S. Eustasij, patre annuente, sanctimonialis effecta, Monialium cœnobio in solo paterno extructo in pietate perseuerans virtutibus clara quieuit in pace die 7. Decemb. hæc ex Sigeberto anno Domini 620. Vincentio lib. 23. Spec. hist. cap. 15. & 16. & Petro lib. 1. cap. 39. & Martyrologio Romano.

Sigebertus. Beluacensis. Petr de Nat. Mart. Rom.

Elffeda virgo.

Elffeda virgo filia Osuui Regis in Anglia, quam parens, qui cum parua manu annum circiter 750. ingentem Pendæ pagani Merciorum Regis exercitum tricies maiorem suo deleuit, pro obtinenda victoria Deo promiserat. Hæc vix dum vnius anni perpetua virginitate Deo sacranda in monasterio Herutheu à patre offertur, quæ primum discipula vitæ regularis sub Hilea Abbatissa, deinde etiam magistra extitit, donec completo 60. annorum spatio, ad cœlesti sponsi nuptias intraret. hæc Beda lib. 3. histor. Angl. cap. 24.

Ex Beda.

Fridiburga virgo. Eadem S. Galli Abb. precibus à dæmone liberatur. Sigebertus Brugundiorum Rex.

Fridiburga Gunzonis Arbonæ Ducis filia Sigeberto Burgundionum Regi desponsata cum S. Galli Abbatis, qui claruit circa annum 640. precibus à dæmone esset liberata eiusdem consilio virginitatem Deo dicauit: cumq; parens eam ad Sigebertum magno cum comitatu adduxisset, illa ad Ecclesiam S. Stephani progressa, exuta regijs vestibus, habitum, & velamen propositi sanctioris assumpsit: quo comperto, religiosus Rex, eam regijs vestibus splendidè indutam, & sacro velamine coronatam Christo cessit, dicens, non minori solemnitate Cœlorum Regi desponsandam, quàm sibi, & Virginum monasterio S. Petri in Vrbe Metensi eam præfecit. Hæc in vita S. Galli lib. 1. cap. 21. apud Surium tom. 5. hanc eandem historiam narrat Vincentius Beluacensis in Speculo morali lib. 1. par. 3. dist. 96. nisi quod loco Sigeberti Burgundionum ponit Sigismundum Lotharingiæ Regem suppresso nomine puellæ.

Surius. Beluacensis.

Valburga virg. S. Richardus Anglia Rex, Vuillebaldus, & Vuinibaldus eius filij. S. Bonifacius Archiepiscopus, & mart. Martyrol. Rom. Epist. S. Bonif.

Valburga virgo filia S. Richardi Regis Angliæ, qui relicto Regno ex Anglia egressus cum filijs Vuillebaldo, & Vuinibaldo, quos apud S. Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum postea martyrem glorioſum dimisit, Apostolorum limina adijt, & in solitudine Deo seruiuit; denique Lucæ in Tuscia sancto fine quieuit circa annum 750. de quo Martyrologium die 7. Februarij: de virgine verò Valburga mentio fit in Epistolis S. Bonifacij, & in Epitaphio eiusdem S. Richardi Lucæ insculpto, apud Surium die 7. Februarij.

Cantipratensis etate plurimæ virgines.

Thomas Cantipratensis, (qui annum circiter 1260. scripsit) in lib. 2. apum cap. 29. §. 33. & 34. de compluribus virginibus nobilibus, quæ suis cognatis inuitis virginalem castimoniam suo tempore sunt complexa, hæc habet: *Si talia*, inquit, *de virginibus facta meo tempore referrem, potius me tempus desereret, quàm exempla. Vidimus enim plures filias Comitum, & Baronum, quæ spretis nuptijs in Monasterijs, vel Congregationibus Virginum vitam cœlibem elegerunt.* hæc ille, & exemplum profert de Iolenda filia Comitis Viennensis Imperatoris Græciæ consobrina, quæ in Monasterium monialium Ordinis Prædicatorum matre minimè conscia habitum accepit, votum religionis fecit: verum per vim à matre in domum reducta post triennium, in quo sanctum virginis propositum à diuersis frustra est tentatum, tandem ad monasterium remissa tantis vitę exemplum eo tempore fulgebat, vt nulla in ea virtus deesse videretur, sic ille.

Iolenda virgo.

Soror S. Ludouici Galliæ Regis Ex Cantiprat.

62 Soror quoque S. Ludouici Galliæ Regis Conrado Friderici Imper. filio desponsata, (quam idem Thomas Cantiprat. se vidisse testatur,) maluit in virginitate permanere, & spretis huiusmodi rebus caducis contẽplationi, & virtutibus addicta soli Deo vacare.

Iaquelina virgo pro virginitate tuenda sicco pede super aquas maris ambulat.

Memorat etiam loco citato §. 32. factum quoddam admirabile cuiusdam virginis Iaquelinæ sororis nobilissimi Comitis Apuliæ, quod suo æuo contigisse scribit. Hæc cum à fratre ad nuptias cogeretur, sub virili habitu fugam arripuit: cumq; fratre eam insequente non posset euadere, signo crucis se muniens ex alta rupe in mare se deiecit, quam frater eiulatu magno monasterium ei construere pollicitus frustra reuocare est conatus; diuina enim virtute per mare, ac si per aridam ambularet

ad

ad deſertas Græciæ ſiluas peruenit, & ſub eodem viri habitu cuidam ſanctiſſimo ſeni Eremitæ,quo de ſpiritualibus rebus plenius inſtrueretur,triennio miniſtrauit; poſtea in Sicilia ſuper quadam arbore arcto tuguriolo cnnſtructo,viro quodam fideli ſibi victum miniſtrante,nouennio latitauit. Demum Romam ſpiritu impellente ad Innocentium III.venit, eumq; de quibuſdam admonuit. cuius viuendi ratio hæc erat, ter in hebdomada ſolo pane,& aqua victitabat,ſuper nudam humum ſine ceruicali cubabat.hæc ex Thoma Cantipratenſe.

Mathildis virgo.

Ex Cantiprat.

Quatuor Mathildæ fratres.

Mathildis virgo Regis Scotiæ filia,quæ ex Thoma Cantipratenſe lib.2. Apum cap. 10.§.3.ſua ætate deceſſit,quatuor habuit fratres vnum Ducem, qui vxore pro Chriſto relicta pauperrimus exulauit,alium Comitem,qui vitam eremiticam duxit,tertium Archiepiſcopum, qui Epiſcopatu relicto Ciſterſienſis eſt factus; quartus fuit Alexander, quem Pater regnare cogebat:ſed Mathildis 20.annos nata Alexandro perſuaſit, vt regno relicto Chriſtum ſequeretur: quare mutato habitu in Gallias ſe contulerunt, ibi Alexander in Fonij monaſterio Ciſtercienſis Ordinis inter fratres conuerſos ad mulgendas vaccas,& caſeum faciendum admiſſus eſt,omnibusq; ignotus ad obitum vſque permanſit;quando obedientia Prioris coactus genus ſuum prodidit. ipſa verò in villam Lampion,quæ nouem miliaribus ab eo monaſterio diſtabat,ſecedens in parua domuncula ſolo manuum labore vitam ſubſtentabat;flexis genibus cibum capiebat,& prolixas ad Deum preces habebat.vix aliquid membris ſubſtratum tenuit;tandem nouem annis ante mortem à quibuſdam militibus,qui eam in Scotia viderant;agnita,vt gloriam declinaret,inde aufugiſſet,niſi ab Incolis vi retenta fuiſſet, multis miraculis in vita,& poſt mortem clara ad Chriſtum migrauit.

Chriſtina virgo.

Ex Cantiprat. Surius.

Eadem iam defuncta, reuixit.

Chriſtina virgo dicta Mirabilis propter admiranda,quæ in ea, & per eam Deus efficere voluit,in Oppido S.Trudonis in Hasbania honeſtis parentibus eſt orta.cuius vitam à Thoma Cantipratenſe viro doctiſſimo,& religioſiſſimo conſcriptam habet Surius die 23.Iun.to.3.Hæc puellula cum defuncta eſſet,& in templo pro ea iam ſepulturę tradẽda Miſſæ ſacrificium offerretur, reuixit, ex quo tempore magnis, & inſolitis ſe pœnis pro animabus purgatorij excruciabat. tandem ab eo tempore,quo primum ſpiritũ reddidit anno 42.ſanctiſſime obijt annum Dom. circiter 1224.

Lutgardis virgo.

Ex Cantipra.

Lutgardis virgo ex Tungrorũ Ciuitate duodẽnis in monaſterio S. Catherinę prope Oppidũ S.Trudonis in Hasbania inter ſacras virgines Ord. S.Benedicti diuino ſeruitio mãcipatur,cui Chriſtus Dominus familiarem ſe exhibere dignatus eſt; crebris ieiunijs, & aſſiduis precibus vacabat;Prioriſſæ munere in eo monaſterio functa eſt:verùm Chriſti voluntate,& *B.*Chriſtinæ mirabilis, de quam iam diximus, ſuaſu, Aquiriam in Brabantia ad Monaſterium Ciſtercienſis ordinis ſe contulit;vbi deinceps mira ſanctitate vixit,plurimorum ſalutem ſuo conſilio,& precibus iuuit,tandem die 16.Iun.ann.Dom. 1246.ætat.64.ex hac luce migrauit. eius vitam Thomas Cantipratenſis,qui eam ſæpè eſt allocutus,litteris mandauit,quam refert Sutius tom. 3.

Editha virgo.

Eduardi Regis ac mart ſoror.

Martyrologium Romanum.

Editha virgo in Anglia 16.Septemb.Edgari belli,& pacis artibus inclyti,atque religioſiſſimi Anglorum Regis filia,& S.Eduardi Regis,ac martyris,de quo in Martyrologio 18. Martij ſoror,in Monaſterio à teneris annis Deo dicata ſæculum hoc ignorauit potius,quàm reliquit.obijt annum Dom.circiter 984.23.ætatis ſuæ:eius corpus in terra ſepultum,poſt aliquot annos in cinerem reſolutum quoad manus,pedes,& oculos,à S.Duſtanno Archiepiſcopo inuentum eſt;reliquum verò vti illibatum,ita & incorruptũ fuit,ſicut etiam pollex dexterę manus,quo aſſidue ſibi crucis ſignum imprimebat;quoniam, vt ipſa eidem S.Duſtanno per viſum reuelauit,membris illis in cinerem reſolutis puellari leuitate abuſa erat:at verò libidinis,& crapulæ ſemper expers fuerat. de qua Surius tom.5.& Petrus in Catalogo lib.11.cap.70.

S. Duſtannus Archiepiſcopus.

Surius.

Clara virgo.

Clara virgo Aſſiſij in Vmbria 12.Aug. prima planta pauperum fęminarum Ord.Minorum,quam vita,& miraculis celebrem Alexander IV. in numerum ſanctarum virginum retulit anno Dom.1255.cum ante biennium ex hac vita migraſſet.

Margarita virgo.

63 Margarita virgo Belæ patre,& Maria matre Hungariæ Regibus orta ex voto à parẽtibus ad Monaſterium Veſprimienſe Ord.Præd. cum nondum quartum ætatis annum expleſſet,oblata,ſtatim pietati,& precibus ſe dedidit,Deiparã prȩcipuo venerabatur af-

fectu, vbicumq; eius imaginẽ conſpexiſſet, genuflexa ſalutationẽ Angelicã proferebat: in vigilijs Natiuitatis Chriſti, & quatuor ſolemnitatum Deiparæ pane tantum, & aqua veſcebatur, & dum in capitulo diei ſequentis ſolemnitas pronunciabatur, ſingulari deuotione ſe proſternebat cum lacrymis orans, & Deo gratias agens; in ſingulis Deiparæ feſtis, ac intra octauas mille ſalutationes Angelicas ſanctiſſimæ Virgini offerebat ad ſingulas quaſque humi ſe proſternans: ſuum corpus ieiunijs, cilicio, circulo ferreo, & clauiculis ferreis in calceis diſpoſitis, aculeatis flagellis rigidiſſimè caſtigabat, humilitatis, paupertatis, obedientiæ, orationis, manſuetudinis, & patientiæ ſtudioſiſſima. Coniugium Ducis Poloniæ, Regis Bohemiæ, & Caroli Regis Siciliæ conſtanter recuſauit: cumq; ei diceretur ſummum Pontificem in voto ſolemni virginitatis, quod nuncupauerat, diſpenſaturum, Reſpondit, nares ſibi potius, ac labia præciſuram, & oculos euulſuram, quàm in cuiuſque connubium conſenſurã: quare ne qui moleſtiam ei hac in re faceſſerent, benedictionem virginalem ab Archiepiſcopo Strigonienſi accepit. Miro vitam pro Chriſto ponendi deſiderio tenebatur. Denique multis virtutibus, ac miraculis in vita, & poſt obitum clara euolauit in Cœlum die 29. Ianuarij, anno Domini 1270. ætatis ſuæ vigeſimo octauo, ex quibus quatuor, & viginti in Cœnobio ſanctiſſime traduxerat.

Gertrudis virgo, ſiue Thruta.

Gertrudis, ſiue Thruta, virgo ſanctiſſima, cuius admirabiles reuelationes circumferũtur, quas in hoc opere interdum citauimus, diuerſa tamen ab ea, quæ 17. Martin Martyrol. memoratur. Hæc quinquennis in monaſterium virginum Heldenſe Ord. S. Benedicti in Vrbe Eislebio Comitatus Mansfeld, cuius poſtea facta eſt Abbatiſſa, adducitur, ibiq; omnium virtutum ſplendore refulſit, ſed præcipuè cordis humilitari, ac munditiæ vacabat, Deoq; per ardentem charitatem coniungi ſtudebat; cuius cordi Dominus præclara vulnerum ſuorum ſtigmata ſenſibiliter impreſſit, eximia q; familiaritatis, ac beneuolentiæ ſigna oſtendit. vixit in eodem monaſterio cum B. Mechtilde, de qua mox dicemus; claruit autem Rodulpho Imperatori imperare cepit anno 1273. In eius m. obitu pro electione facienda oraſſe ſcribitur lib. 1. ſuarum reuel. cap. 3. Hæc ex libro ſuarum reuelationum, & ex Bloſio in Opuſculo, quod inſcribitur *Monile ſpirituale* in fine: vbi & teſtatur eius reuelationes, vt ipſius verbis vtar, à doctiſſimis, & illuminatiſſimis viris ſummà cum diligentia examinatas, quorum vnus poſt accuratam illarum lectionem ſcripſit ſententiam ſuam hoc modo: *Ego in veritate diuini luminis ſentio, neminem, qui Dei ſpiritu ſit illuſtratus poſſe illuminari, aut impugnare ea, quæ in hoc libro habentur, nam catholica ſunt, & ſancta.* hæc Bloſius.

Reuelat. S. Gertrudis. Bloſius.

Mechtildis virgo.

Mechtildis virgo ſanctitate conſpicua, cuius cœleſtes reuelationes aliquando citauimus, filia fuit Baronis de Hackerbon in Germania. Hæc cum ſeptennis à matre ad monaſterium quoddam ſuæ patriæ vicinum, in Vrbe Eiſlebio Comitatus Mansfeld, in quo B. Gertrudem vixiſſe diximus, fortè deducta eſſet, manſit ibi, tandemq; religionem profeſſa eſt, quæ in Dei amore, ac ſolidis virtutibus humilitate præſertim, & obedientia, & in ægritudine calculi, ac doloris capitis (quibus cruciabatur) patientia, adeò excreuit, vt Deo fieret familiariſſima, à quo multa cœleſtia ſecreta in cœlexit, aliaq; ſummæ beneuolentiæ ſigna accepit; cum in feſto Paſchæ ex verbis illis Miſſæ, *Venite benedicti Patris mei*, inſolita repleta lætitia in hanc ad Dominum vocem erupiſſet: *O ſi vna eſſem ex illis benedictis, qui haut vocem tuam auditam ſunt.* Dominus ad eam: *Certo ſcias te vnam ex illis eſſe, & vt nihil dubites, cor meum in ſignum amoris tibi trado.* Ex quo tempore mira deuotione erga Chriſti Domini cor affici cepit, à quo innumera ſe beneficia conſecutam profitebatur; tandem in hora mortis à Domino iiſdem verbis eſt inuitata: *Veni benedicta Patris mei poſſide paratum tibi regnum à conſtitutione mundi*, monuitq; illam doni, quo cor ſuum in pignus amoris ante aliquot annos donauerat. hæc ex vita eiuſdem, & apud Bloſium in ſuo monili ſpirituali in fine.

Eidem Chriſtus cor ſuum pro amoris, ac cœleſtis gloriæ pignore dedit.

Ex Bloſio.

Catharina Senenſis virgo.

64 S. Catharina Senenſis Ord. Prædicatorum admirandæ ſanctitatis virgo à prima ætate tanta vitæ ſanctimonia Deo ſeruire cœpit, vt nullam vnquam lethalem culpam toto vitæ tempore admiſerit, teſte eius Confeſſario, qui generalem eius excepit confeſſionem, quinquennis ſalutationem edocta Angelicam eam crebrò repetebat, & per ſingulos gradus cuiuſdam ſcalæ aſcendendo, & deſcendendo genuflexa eam Deiparæ re-

recitabat, virginitatis votum in tenera ætate Deo nuncupauit: cumq; nuptias, quibus eam parentes,& germani illigare volebant,constanti animo recusaret, ea de causa multa conuicia, & minas est perpessa, &,vt eius animum frangerent,amota ancilla culinaria sordidis culinæ officijs addicitur,permissa tandem libere Deo vacare, durissimam viuendi rationem inijt:siquidem lectus eius erant lignei asseres nudi, solis herbis crudis absque pane vescebatur,catena ferrea latera adeò stringebat,vt carni propemodum concreta videretur; multo tempore quotidie catena ferrea ter sesqui horæ spatio in singulas vices dirissime se diuerberabat, sanguine ad pedes manante. sacro deinde Prædicatorum habitu suscepto diuinis meditationibus,ac contemplationibus mirifice vacabat,ita vt sæpissime in ecstasim raperetur, & rerum diuinarum altissima cognitione instrueretur,triennij spatio silèntium sibi indixit, vt nulli prorsus loqueretur, nisi cum peccata confiteretur; magna familiaritatis signa Christus Dominus ei exhibere dignatus est,siquidem de multis ipsemet eam instituit, sæpissime ei apparebat, & interdum beatissimam Matrem suam secum adducebat,itemq; alios Sanctos;cum illa pariter non raro psalmos dicebat; tempore *B*achanaliorum cum in sua cellula inclusa peteret fidei perfectionem, Christus cum sanctissima Matre sua, & aliquot Sanctis apparens mirabili modo eam sibi despondit,ex quo tempore Dominus sensim ad hominum conuersationem,vt eorum salutem promoueret,eam misit,in quorum conuersionem diligentissime incubuit,multosq; ad peccatorum pœnitentiam,& perfectionis studium precibus,& exhortationibus pertraxit;erga pauperes,& egenos benignissima, quicquid eis poterat larga manu erogabat;ingens ei inerat sacræ Eucharistiæ suscipiendæ desiderium,ex cuius perceptione mirifice recreabatur.

Eandem sibi Christus despondet.

In quodam raptu Christus Dominus quinque sua vulnera non sine magno eius dolore illi impressit. cum autem sedes Apostolica magno cum Reipublicæ christianæ detrimento ad 70. circiter annos Auenione constitisset, ipsa multis laboribus senis Auenionem vsque profecta Grægorio XI.persuasit,vt in Vrbem cum vniuersa curia rediret. Innumeras malignorum spirituum tentationes, turpium præsertim cogitationum, quas eius menti importunè ingerebant,fortiter superauit;multorum calumnias,&persecutiones non minus patienter, quàm viriliter tolerauit. Demum multis laboribus pro Dei gloria,& animarum salute susceptis, plurimis, & ingentibus miraculis clara felicissime migrat ad Christum die 29.Apr.anno Dom.1380,ætatis suæ 33.

Eidem quinque sua vulnera Christus impressit.

Coletta virgo monialium S.Claræ reformatrix præclarissima apud Corbeiam in Picardia Roberto,& Margarita progenitoribus, cum esset quadrima singulari Dei beneficio mentem ad Deum perpetim eleuatam habere cœpit:cumq; multis,magnisq; virtutibus esset conspicua,corpus suum horrido cilicio,triplici catena ferrea,humi cubatione edomabat,precibus,ac meditationibus addicta,virginitatis, ac puritatis in se, & in alijs studiosissima,zelo animarum feruens pro peccatoribus assidue,& ardenter magno cum eorum fructu Deum precabatur;quod cum in spiritu S.Vincentio Ferrerio reuelatum fuisset in Gallias veniens,eam inuisit,& mutua cum consolatione est allocutus. Reformationem sanctimonialium Ordinis S.Claræ est aggressa,ideoq; earum omnium, quas ipsa esset reformatura,vel quæ sub ea vitam monasticam,quam Clarissarum vocant,susceptura erant,constituta est Abbatissa.Eius itaq; opera multa sunt extructa,vel reformata monasteria,non modò fœminarũ,sed etiam virorum in Germania,Gallia,Burgundia,Subaudia,alijsq; Regionibus;multi item vtriusque sexus ex omnibus monasticis ordinibus S.Benedicti,Carthusianensium,Cœlestinorum,Canonicorum regularium suorũ superiorum permissu ad mouasteria Colettana sub perfectioris vitæ prętextu se contulerunt,vt est in eius vita cap.12.eius sanctitatem Deus compluribus per eam editis miraculis testatam fecit. Cum iter ageret sororibus, & alijs comitata,vel etiam cum in monasterio degeret à facinorosis hominibus damnum aliquod sibi, suisq; timens,sororibus litanias, vt recitarent, edicebat, sicq; Dei benignitate incolumis cum suis euadebat; id quod aliquoties ei contigisse in eius vita cap. 26. & 27.narratur. tandem pluribus bonis operibus,& apud Deum meritis exornata migrauit in cœlum die 6.Martij anno Domin 1447 hæc ex eius vita apud Surium tom.2. & Chron.S.Franc.par.3. lib. 3.

Coletta virgo.

Eadem à S. Vincentio Ferrerio diuino instinctu agnoscitur.

Surius. Chron. Minor.

Catharina Bononiensis.

Catharina Bononiensis, virgo sanctimonialis Ordinis S. Clarę sub instituto S. Franciſci vitę sanctitate illustris, quinquagenaria obijt anno Domini 1464. die vltimo Martij, cuius vita habetur in Chronicis Minorum par. 3. lib. 4. cap. 33.

B. M. Teresia virgo.

65 B. Virgo Teresia Carmelitarum Diſcalceatorum Fundatrix, cognomento à IESV, cui ſe totam tradiderat, tanquam ſydus quoddam lucidiſſimum noſtra ætate effulſit. Hęc natione hiſpana in ciuitate Abulenſi ann. 1515. claris orta natalibus, ſeptennis magnos ad pietatem ſtimulos, & ingens martyrij deſiderium ſenſit, duodennis verò mortua matre, coram Deiparę Imagine eam cum lacrymis obnixè precatur, vt in filiam admittere dignaretur: ex quo tempore in ſuis neceſſitatibus Deiparę patrocinium eſt experta: vigeſimo ætatis anno in cœnobium ſanctimonialium beatiſſimę Virginis Mariæ de monte Carmelo, repugnante patre, non ſine magna ſuæ carnis contradictione, ac lucta eſt ingreſſa. Poſt aliquot annos à ſuo in cœnobium ingreſſu vni ex Patribus Societatis Ieſu confeſſionem totius vitæ generalem peregit, ab eoq; vt meditationi Dominicæ paſſionis, & propriæ mortificationi vacaret, eſt inſtructa, ex quo tempore animi quietem ſentire cæpit. Deinde poſt ſeptem, & viginti annos in eo monaſterio exactos, magno animo reformationem Diſcalceatorum, & Diſcalceatarum eiuſdem Religionis Carmelitarum diuino iuſſu inſtituit, multis extructis monaſterijs, in quibus vitæ ratio ab ea tradita, ſanctitate, & corporis aſperitate, contemplatione item in Deum, & actione ad proximos iuuandos præclara cernitur. Mulier ſanè humilitate, paupertate, obedientia, prudentia, rerum diuinarum cognitione, in diuturnis ſuis morbis patientia inſignis, & in proximos, quorum ſalutis, præſertim infidelium ardenti deſiderio tenebatur, charitate, ac zelo incenſa, orationis, & contemplationis dono excellens, charitate in Deum ſingulari, cui die quadam, vt in eius imagine expreſſum cernitur, Angelus apparuit ſpiculo aureo ad ſummitatem ignito, viſcera faucians, & laniata reuellens, quo vulnere incredibili diuini amoris incendio exarſit, ex flagrantiſſimi quoque in Deum amoris impetu ſancta eius anima corpore ſoluta exiſtimatur, quemadmodum ipſa poſt obitum reuelaſſe ſcribitur. libros cœleſtis ſapientiæ refertos, & ſpiritualium rerum doctrina præſtantes conſcripſit: multis denique pro diuina gloria laboribus, & contradictionibus ſuperatis, Abulæ die quarta Octobris anno ſalutis 1582. ætatis 67. ab inchoata reformatione 20. obdormiuit in Domino. eius corpus odorem ſuauiſſimum ſpirans, & liquorem fragrantiſſimum manans, integrum poſt multos ab eius obitu annos eſt repertum, & ſumma pietate à fidelibus inuiſitur, & colitur; cuius interceſſionis opem complures experti ſunt; vitæ ſuæ initia, & progreſſus ipſamet iuſſu ſui Confeſſarij conſcripſit; integram tamen vitam litteris mandauit noſter Franciſcus Ribera, religioſiſſimus æquè, ac doctiſſimus, cuius extant præclariſſimi Commentarij in Prophetas minores, in Apocalypſim, de templo Salomonis, & in Epiſtolam ad Hebræos.

Eadem ab Angelo diuino amoris ſpiculo vulneratur.

Eiuſdem corpus integrum ſeruatur.

Ex Ribera.

Quamplurimæ aliæ virgines præclariſſimæ, quæ pro Chriſto virginitatem integerrimam ſeruarunt, in hiſtorijs recenſentur, & præſertim in vitis ſanctorum, quas Surius tomis ſeptem collegit, eas ne opus hoc nimium creſcat, prætermimus. Thomas Bozius complurium nomina memorat tom. 2. de ſignis Eccleſiæ lib. 22. nu. 12. & ſeq.

Euphemia virgo.

Euphemia nobilis quædam virgo in annis puerilibus caſtitatem Deo dicauit: ſed cum parens propter ipſius pulchritudinem, eam quamuis renitentem cuidam Comiti deſponſaſſet, ipſa Cappellam ingreſſa, opem Deiparæ inuocans cultro naſum ſibi præcidit, & labia: quare ab irato patre cuidam ruſtico in ancillam tradita, magnis laboribus, & plagis ab eo affligebatur; quæ omnia læto animo ferens, Deo, quod aliquid pro eo pateretur, gratias agebat: ſeptennio verò in his expleto, nocte Dominicæ natiuitatis familia ad menſam conſidente, ipſa ad ſtabulum laudes Deo redditura ſe contulit, vbi Deipara Angelorum, & Virginum multitudine ſtipata immenſo fulgore circumfuſa, eam ad conſtantiam eſt hortata, naſum, & labia ipſi reſtituit, quod vbi reſciuiſſet pater eius, in loco ſtabuli Virginum clauſtrum conſtruxit, in quo Euphemia Deo ſeruiens breui quieuit in Domino. hæc in Speculo Exemplorum diſtinct. 9. num. vigeſimo ſecundo.

Eidem Maria cœleſti comitata choro apparuit, & naſum, ac labia præciſa reſtituit. Speculum exemplorum.

Leodienſes virgines è vita periturus pro vir-

66 Nec ſilentio prætereunda eſt Virginum, ac Matronarum Leodiēſium in tuenda pudicitia animi inuicta fortitudo, & diuina in eis ſeruādis prouidentia, quemadmodū teſtatur

ſtatur Iacobus de Vitriaco Card. in prologo vitę B. Mariæ de Oegnies ab eo editę, quæ extat apud Surium tom. 3. In deuaſtatione, inquit, Leodienſi mulieres, quæ ad ſacras ædes confugere non potuere, in flumen ſe præcipitarunt potius mori volentes, quàm caſtitatis iacturam facere; nonnullæ etiam in cloacas inſilierunt fœtore extingui malentes, quàm prodere virginitatem: Chriſti tamen benignitate in tanta multitudine nulla prorſus vel vitæ, vel caſtitatis accepit detrimentum. Vna ex ijs ſancta muliere in flumine periculosè laborante, duo ex hoſtibus in nauicula ad eam propetarunt, & cum illam extraxiſſent, volebant turpiter ea abuti: ſed quid fecit caſta inter lenones, agna inter lupas, columba inter accipitres? maluit iterum in flumen ſe demergere, quàm corrumpi: itaq; deſilijt ex naui in vndas; ſed cum nauicula illius ſaltu depreſſa mergeretur, duo illi merſi perierunt, illa verò abſque vllo corporis, & animæ damno fluuio obſequente ad littus emerſit. hæc ille.

ginitate ſuſceptâ euadunt. Ex Cardinali de Vitriaco. Surius.

ALIQVOT ALIAE VIRGINES EX MARTYROLOGIO.

67 His expeditis, aliæ quoque mulieres, quæ virginitatis florem cuſtodientes in pace ad cœleſtem ſponſum euolarunt, ex Martyrologio Romano aliqua interdum adnotatiuncula adiecta breuiter recenſendę ſunt.

Ex Martyrologio Romano.

Illuminata virgo Tuderti 24. Nouembris, claruit temporibus Maximiani Imperatoris, quemadmodum ex eius rebus geſtis conſtare teſtatur Cardinalis Baronius in notis ad martyrologium.

Illuminata virgo. Ex Baronio.

Romana virgo Tuderti 23. Febr. quæ à S. Silueſtro Papa baptizata, in antris, & ſpeluncis cœleſtem vitam duxit, & miraculorum gloria claruit. Temporibus Conſtantini Imperatoris, & Silueſtri ſummi Pontificis.

Romana virgo.

Sabina virgo in pago Tricaſſino 29. Aug. virtutibus, & miraculis glorioſa, quæ ſoror fuiſſe dicitur S. Sauiniani martyris à Petro lib. 7. Catal. cap. 134.

Sabina virgo. S. Sauinianus mart.

Patritia virgo Neapoli 25. Auguſti temporibus Conſtantini Imperatoris, cuius nomine celebre ſanctimonialium cœnobium Neapoli eſt inſignitum, vbi eius corpus requieſcit.

Ex Pet. de Nat. Patritia virgo.

Aſella virgo Romæ 6. Decembris, quæ vt B. Hieronymus epiſt. 15. ad Marcellam ſcribit: *Ab vtero matris benedicta, vitam in ieiunijs, & orationibus vſq; ad ſenectam produxit. Hæc vnius cellulæ incluſa anguſtijs latitudine paradiſi fruebatur, ieiunium pro ludo habuit, inediam pro refectione; pane enim, ſale, & aqua frigida contenta intra cubiculi ſui ſecreta manens nunquam viri alloquium nouerat, operabatur manibus ſuis, ſponſo autem orans loquebatur, aut pſallens, ad martyrum limina pene inuiſa properabat.* hæc ex Hieronymo, qui alia præclara de eius ſanctitate ſcribit loco citato.

Aſella virgo. Hieronymus.

Macrina S. Baſilij Cæſariēſis Epiſcopi ſoror quamuis ab Angelo adhuc in vtero matris Thecla fuerit vocata; nomine tamē Macrinæ auiæ ſanctiſſimæ fęminæ eſt appellata. hæc viro deſponſata, mox illo vita functo virgo permanſit, & monaſticum inſtitutum complexa feliciter tandem obdormiuit in Domino, teſte Nyſſeno eius fratre in Epiſtola ad Olympiam, in qua res S. Macrinæ ſororis eſt proſecutus. hanc Epiſtolam Surius affert tom. 4. eius dies in martyrologio die 19. Iulij celebris habetur.

Macrina, ſeu Thecla ſoror. S. Baſilij Caſarienſis Epiſcopi.

Apollinaris virgo 5. Ianu. filia Anthemij Conſularis viri religioſi, qui defuncto Arcadio pro Theodoſio impubere adminiſtrauit imperium.

Apollinaris virgo.

Euſtochium virgo 28. Septem. B. Paulæ filia, *virginitatis, & eccleſiæ*, vt Hieronymus ait epiſt. 27. *Pretioſum Monile*, quæ ad Præſepe Domini cum alijs virginibus enutrita à matre, ei ita ſemper adhæſit, eiusq; obediuit imperijs, vt abſque ea nec procederet, nec cibum caperet, & ne vnum quidem nummum haberet poteſtatis ſuæ, ſed & paternam, & maternam ſubſtantiolam à matre diſtribui pauperibus lętaretur. demum præclaris meritis fulgens migrauit ad Dominum anno 419.

Euſtochium virgo. Ex Hieronymo.

Euphraſia virgo in Thebaide 13. Martij, claruit Theodoſio imperante filia Antigoni, & Euphraſiæ, de quibus ſect. ſeq. qui ea ſuſcepta continentiam ſeruarunt.

Euphraſia virgo.

Helena virgo Antiſiodori 22. Maij, quæ ex Molano in Vſuardum, ſicuti in geſtis ſancti Amatoris legitur, multimoda meritorum virtute claruit, & miraculis effulſit

Helena virgo. Ex Molano.

tempore Theodosij senioris, & Honorij eius filij.

Consortia virgo. Consortia virgo in monasterio Cluniacensi 22. Iunij filia S. Eucherij postea Episcopi Lugdunensis.

Niceras virgo. *Ex Sozomeno.* Niceras virgo Bithyna Constantinopoli decessit 27. Decembris, quæ sub Arcadio Imperatore ex Sozomeno lib. 8. cap. 23. S. Ioanni Chrysostomo addictissima, genere illustris, perenni virginitate, præstantiaq; vitæ celebris, res diuinas vsque ad mortem humanis præposuit; amplissimis enim bonis iniustè spoliata non stomachabatur, & ex paucis, quæ reliqua erant, alijs largiter suppeditabat, & vsque ad senium prouecta sanctitate claruit.

Honorata virgo Honorata virgo Papiæ 11. Ianuarij soror S. Epiphanij Episcopi Ticinensis ab eodem Deo consecrata anno Domini 471.

Placidia virgo. Ex Pet. de Nat. Placidia virgo Veronæ 11. Octobris, quam Petrus in Catalogo lib. 9. cap. 70. scribit filiam fuisse Valentiniani Imperatoris, & Euodoxiæ Augustæ.

Chelidonia virgo. Chelidonia virgo in Latio 13. Octobris, cuius corpus in Monasterio ordinis S. Benedicti apud Sublacum religiosè est conditum.

Philomena virgo. Philomena virgo apud Septempedanos in Piceno 5. Iunij, cuius corpus in templum S. Laurentij in ea Vrbe translatum fuit à S. Seuerino Episcopo tempore Totilæ Gothorum Regis.

Benedicta virgo S. Galla. Benedicta virgo Romæ 6. Maij, quæ in eodem Monasterio cum S. Galla filia Symmachi, à qua intimè diligebatur, vixit temporibus Gothorum, quæ die 30. ab obitu sancte Gallæ eam in cœlum est secuta, teste S. Gregorio 4. Dial. cap. 13.

Ex Gregorio. Georgia virgo. Georgia virgo Aruernis 15. Februarij, de qua Gregorius Turonensis lib. de gloria confess. cap. 34. illud memoriæ prodidit eam religiosam, atque Deo deuotam, quo ab Vrbis strepitu magis se subduceret, ruri vitam duxisse, vbi quotidie ieiunijs, & orationibus insistebat; cum autem diem obijsset, & in oppidi basilicã sepelienda in pheretro deferretur, cœlestibus est honorata exequijs; nam columbarum grex super eam volare cæpit, illamq; volitando sequi; qua in Basilicam delata super ædis tectum consedere columbæ, eaq; sepulta ad cœlos euolauere.

Eidem iusta faciunt columbæ. *Burgondofora virgo.* Burgondofora virgo Abbatissa in Anglia 3. Aprilis, claruit annum Domini circiter 610.

Eustolia, & Sopatra virgin. Eustolia, & Sopatra virgines Constantinopoli 9. Nouembris Mauritij Imperatoris filiæ.

Aurea virgo. Aurea virgo Lutetiæ Parisiorum 4. Octobris claruit in Gallijs temporibus Dagoberti Regis Francorum annum Domini circiter 630.

Aldegundes virgo. Aldegundes virgo in Malbodio Hannoniæ Monasterio 30. Ianuarij, floruit sub Dagoberto Rege Francorum circa annos 640. hæc autem diuersa est ab Aldegunde virgine filia S. Basini Regis, & martyris, de qua agitur 20. Iunij. vide Molanum in Indice sanctorum Belgij.

Altera Aldegũde filia S. Basini Regis, & mart. Ex Molano

Austreberta virgo. Austreberta virgo in Pago Rhotomagenzi 10. Febr. miraculis celebris, floruit temporibus Dagoberti Regis Francorum annum Domini circiter 640.

Gertrudis virg. 68 Gertrudis virgo soror S. Beggæ viduæ, de qua in Martyrologio 17. Decembris filia S. Pipini primi Ducis Brabantiæ, cuius vita apud Surium 21. Februarij extat. Hæc Niuigellæ 17. Martij obijt, quæ despiciens mundum, & in omnibus sanctis officijs toto vitæ suæ cursu se exercens, ad Christum sponsum in Cœlis migrauit anno 664. ab Honorio III. in sanctos relata, teste Baronio in notis ad martyrologium. hæc diuersa est à B. Gertrude, cuius Reuelationes præ manibus habentur; de qua nos supra egimus.

Ex Baronio.

Seuera virgo. Seuera virgo Treuiris 20. Iulij, fuit hæc genere clarissima soror S. Modoaldi Episcopi Treuerensis, & Ittę coniugis Pipini Ducis, claruit annum circiter 660. Hæc virginitate sua Christo dicata in Virginum monasterio ab eodem S. Modoaldo super Ripam Mosellæ extructo præficitur, vbi magna prudentia, & vitæ exemplo munus sibi commissum administrans obdormiuit in Domino. hæc ex vita S. Modoaldi lib. 2. cap. 14. apud Surium tom. 3. die 12. Maij.

S. Modoaldus.

Surius.

Hiltrudis virgo. Hiltrudis virgo in Hannonia 27. Septembris, claruit temporibus Pipini Regis Francorum.

Lioba virgo 28. Septembris miraculis clara, vixit temporibus Pipini Regis Francorum,& Caroli magni Imperatoris. Hæc in Anglia nata ibidem in Monaſterio virginum sãctiſſime eſt educata à Tetta Abbatiſſa Regis ſorore,virtutibus clariſſima;in cuius monaſterio quingentæ erant moniales,vt videre eſt in vita ſanctę Liobę apud Surium c.5. Deinde Lioba à S.Bonifacio Epiſcopo Moguntino,qui poſtea inclyto martyrio eſt coronatus, euocata in Germaniam complurium virginum in monaſterio mater extitit, quibus,(cum eſſet liberalibus diſciplinis imbuta,& in ſacris litteris eruditiſſima,)verbo, & exemplo præluxit;demum ſanctiſſimo fine obdormiuit in Domino. quemadmodum eius vitæ auctor apud Surium memoriæ prodit. *Lioba virgo.* *Quingentæ Moniales in vno Monaſterio ſub Tetta Abbatiſſa.*

Edilburga virgo Angliæ 7.Iulij.hęc Anglorum Regis filia,claruit anno Domini 680. de qua Beda lib.4. hiſtoriæ Anglorum cap. 9. vbi etiam plurimum laudat Thorithgid ſanctimonialem,ab eadem Edilburga iam defuncta cœlitus in ſuo obitu viſitatam. *Edilburga virgo.* *Ex Beda.*

Modeſta virgo Treuiris 4.Nouembris,claruit anno 680. *Modeſta virgo.*

Othilia virgo in Territorio Argentoratenſi 13.Decembris. hæc à natiuitate cœca, Baptiſmate viſum recepit,exercuitq; monaſticam diſciplinam in Alſatia, claruit annum Domini circiter 700. *Othilia virgo.*

Irmina virgo Treuiris 24. Decembris filia Dagoberti Regis, & ex Trithemio lib.3. de viris illuſtr.S.Bened.cap.130.claruit anno Domini 710. *Irmina virgo.* *Ex Trithemio.*

Amalberga virgo apud Gandauum 10.Iulij moritur anno Domini 772. diuerſa ab Amalberga vidua,quæ eodem die recolitur in monaſterio Laubaco, quemadmodum ex Molano in Vſuardum dicemus ſect.ſeq. *Amalberga virgo.* *Ex Molano.*

Maxima virgo apud forum Iulij 16. Maij, quæ multis clara virtutibus in pace requieuit. *Maxima virgo.*

Melburges virgo in Anglia 23.Februarij filia Regis Merciorum. *Melburges virgo.*

Thecla virgo Abbatiſſa in Germania 15.Octobris,cuius mentio fit in vita S.Bonifacij apud Surium die 5.Iunij tom.5. *Thecla virgo.* *Ex Surio.*

Verena virgo in Territorio Conſtantienſi ad Aquas duras 1.Septembris. *Verena virgo.*

Vualburga virgo in Anglia 1.Maij,claruit annum circiter 750. *Vualburga virgo.*

Anthuſa virgo Conſtantinopoli 27.Iulij, quæ ſub Conſtantino Copronymo ob cultum ſanctarum imaginum verberibus cæſa,& exilio religata quieuit in Domino. *Anthuſa virgo.*

Hildegardes virgo apud Bingiam in Diœceſi Moguntinenſi 17.Septembris, claruit annum Domini circiter 1160. *Hildegardes virgo.*

Eliſabeth virgo Sconaugiæ 18.Iunij monaſticæ vitæ obſeruantia celebris,obijt anno Domini 1165.ſuæ ætatis 36. *Eliſabeth virgo.*

Roſa virgo Viterbij 4.Sept.claruit temporibus Friderici Imperatoris, peruenitq; ad tempora Alexandri Papæ IV. qui ſedit anno ſalutis 1254. *Roſæ virgo.*

Agnes virgo ſanctiſſima in monte Politiano Ordinis Prædicatorum ex hac vita deceſſit 2.Aprilis anno 1317.ſuę ætatis anno 31.ſuſcepti prioratus,quod munus ab adoleſcentia ſapienter adminiſtrauit anno 15. *Agnes virgo.*

Iucunda virgo in Aemilia Italiæ Prouincia 25.Nouembris. *Iucunda virgo.*

Liberata virgo Nouocomi 18.Ianuarij. *Liberata virgo.*

Aurelia,& Neomiſia virgines Anagniæ 25.Septembris. *Aurelia, & Neomiſia virg.*

Oliua virgo Anagniæ 3.Iunij. *Oliua virgo.*

Grata virgo Bergomi 1.Maij. *Grata virgo.*

Digna virgo Tuderti 11.Auguſti. *Digna virgo.*

Aurelia virgo Argentorati 15.Octobris. *Aurelia virgo.*

Benedicta virgo in Territorio Senonenſi 29.Iunij. *Benedicta virgo*

Bona,& Doda virgines Rhemis 24. Aprilis. *Bona,& Doda virgines.*

Exuperantia virgo Trecis 26.Aprilis. *Exuperantia virgo.*

Viccina virgo Bigardis prope Bruxellam 17.Decembris,cuius egregiam ſanctitatem miracula crebra teſtantur. *Viccina virgo.*

Fredeſuuinda virgo Oxonij in Anglia 19. Octobris. *Fredeſuuinda virgo.*

Obdulia virgo Toleti 5. Septembris. *Obdulia virgo.*

Perſeueranda virgo 26.Iunij. *Perſeueranda virgo.*

ALIAE VIRGINES EXTRA MARTYROLOGIVM.

69 PRæter Virgines, quas in hac ſectione tum ex Martyrologio Romano, tum ex alijs auctoribus hactenus commemorauimus, aliæ planè innumerabiles poſſent in medium afferri, quas ne in immenſum hæc tractatio excreſcat, conſultò præterimus; ſanctam tamen Conſtantiam Conſtantini filiam, & aliquot ex illuſtrioribus, quarum in vitis ſanctorum apud Surium honorifica mentio habetur, huic ſectioni veluti coronidem adiungemus.

Conſtantia vir. 8°.

Conſtantia Conſtantini Imperatoris filia inſanabili vlceri medicinam quærens, ad B. Agnetis ſepulchrum orans ſanata, baptiſmum ſuſcepit, virginitatem ſuam Chriſto vouit, templum magnificentiſſimum ad S. Agnetis ſepulchrum via Nomentana erexit. cum autem Gallicanus vir Conſularis ad bellum Schyticum profecturus Conſtantiam ſibi in vxorem depoſceret, Conſtantinus autem filiam nulla ratione aſſenſuram probe noſſet, Conſtantia diuino auxilio freta monet patrem vt Gallicano, vbi victor è bello redierit, eam promittat, attamen vſque ad nuptiarum tempus inſtar cuiuſdam arrhabonis ſe ei traditurum Ioannem domus ſuæ præpoſitum, & Paulum primicerium, fratres eunuchos, qui eum ad bellum comitentur, & viciſſim ab eo accepturam Atticam, & Arthemiam virgines Gallicani filias. factum eſt autem, vt Gallicanus abſque ſanguinis effuſione Chriſti virtute, in quem prædicatione SS. Ioannis, & Pauli credidit, Schytas, à quibus Thraciam liberauit, redderet Conſtantino tributarios. quare ad Conſtantinum reuerſus, vt Chriſto ſe totum dederet, ſponſæ, & curiæ nuncium remiſit, conſulatu ſe abdicauit, & ad Oſtia Tiberina ſecedens hoſpitalitati, & infirmorum ſeruitio magno totius orbis exemplo impenſe vacabat; donec ſub Iuliano apoſtata inde expulſus Alexandriæ pro Chriſti fide à Rauciano Iudice gladio eſt percuſſus, cuius dies in Martyrologio 25. Iunij recenſetur; die verò ſequenti ſanctorũ Ioannis, & Pauli paſſio commemoratur. At verò Conſtantia cum Atticam, & Arthemiam ad Chriſti fidem, & virginitatem colendam adduxiſſet, poſt vitam ſancte exactam migrauit ad Dominum; per eam enim, quemadmodum teſtatur Ambroſius ſermone de paſſione S. Agnetis, multæ virgines, & mediocres, & nobiles, & illuſtres, ſacra velamina ſuſceperunt corpora SS. Conſtantiæ, Atticæ, & Arthemiæ in templo, quod S. Conſtantiæ dicitur, prope baſilicam S. Agnetis condita fuere, quæ anno 1605. dum Romæ eſſemus, ſunt inuenta, eaq; oculis conſpeximus, ac venerati ſumus, feſtum ſanctę Conſtantiæ 18. Februarij celebratur. hæc ex Breuiario Romano 28. Ianuarij ex Martyrologio 25. Iunij, & Petro de Natalibus lib. 3. cap. 34.

Gallicanus mari.

Sancti Ioannes, & Paulus.

Martyrologium Romanum.

Attica, & Arthemia virg.

Ex Ambroſio.

Breuiar. Rom. Martyr. Rom. Petr. de Nat.

Vinciana virgo.

S. Landoaldus Archipresbyter, ac Vinciana frater.

Ex Molano.

Vinciana virgo ab ineunte ætate integerrima ſancti Landoaldi S.R.E. Archipresbyteri à Martino Papa ad prædicandum Euangelium miſſi, ſoror. Hæc blandimenta mundi reſpuens ab Vrbe Roma fratrem ſecuta, condita eſt in Monaſterio Gandauenſi in tumulo contiguo alteri tumulo, in quo iacet ſanctus Landoaldus. Vincianæ dies ex Molano in additionibus ad Vſuardum die 11. Septembris commemoratur: in eodem etiam templo in alio ſepulchro quieſcit corpus S. Landradæ virginis. hæc in vita S. Landoaldi in eius tranſlatione, quam ponit Surius 19. Martij tom. 2.

Surius. Landrada virgo.

Landrada virgo genere clariſſima ex ijs, qui maiores domus in Gallia ſunt appellati originem ducens, tempore Clotario Regis, qui à Clodiueo quartus fuit, parentibus vnica; quam cum propagandæ ſobolis cauſa nuptui dare vellent, ipſa omninò recuſauit. Verùm in cellula recluſa mira abſtinentia, cilicio, humi cubatione ſe affligebat; quin etiam poſtea in deſerto loco reclamantibus parentibus in quodam erecto tuguriolo vitam duxit plane angelicam, quo multæ virgines, & viduæ confluxerunt ſub eius ducatu in monaſterio, quòd Beliſia eſt vocatum, vbi Landrada multis miraculis celebris, ſancto fine quieuit die 8. Iulij ex Molano in additionibus ad Vſuardum. cuius corpus primum in Beliſia tumulatum, deinde ſanctorum Angelorum miniſterio cum Sarcophago delatum eſt in locum, vbi S. Lambertus Epiſcopus Truncrenſis à S. Landoaldo fuerat inſtitutus. eius vita extat apud Surium tom. 4.

Ex Molano. Landradæ tumulus ab Angelis transfertur.

Surius. Euſebia Chroſendis, & Aldaſenſes virgines.

Euſebia Chroſendis, & Aldaſenſis virgines, patre Adalbado, matre S. Rictrude, quæ in mouaſterio Martinianſi poſtea vixit, vt dicemus ſectione ſequenti, eximia vitæ ſanctimo-

ctimonia floruerunt tempore Dagoberti Regis: Aldeſenſis enim natu minima, prima tamen omnium ſanctè obijt die 25. Decembris: Euſebia autem cum in Hamatico monaſterio ſub Gertrude Adelbaldi parentis Auia, eius monaſterij Abbatiſſa educaretur, ea defuncta, quamuis duodennis in monaſterij Abbatiſſam eſt electa, vbi Angelicam vitam ducens in medijs adoleſcentiæ annis ad cœleſtem ſponſum euolauit: cum enim in obitu ſuas moniales conuocatas, ad præcipuas quaſque virtutes eſſet adhortata, omnesq; Domino commendaſſet, repente domus, in qua decumbebat, immenſo eſt lumine perfuſa, quo recedente, ſancta illa anima migrauit è corpore die 17. Martij ætatis ſuæ 23. hæc in vita ſancti Rictrudis apud Surium 12. Maij tom. 3. De Chroſendis verò fine, quæ maxima natu erat, cum ſuperſtes fuerit ſancti Rictrudi, nihil ibi de ea dicitur, niſi eam ſanctam fuiſſe Virginem, & poſt matrem eiuſdem Cœnobij fuiſſe moderatricem.

Gertrudis Martianenſis monaſterij Abbatiſſa.

70 Ermelendes virgo in Villa Meldarienſi in finibus Brabantiæ Ermenoldo, & Ermeſenda, diuitijs, & genere nobilibus orta, nec minis, nec blanditijs à parentibus ad nuptias ineundas adduci potuit, quòd virginitatem ſuam Chriſto deuouiſſet: quare præcitis ſibi capillis, relictis ſæculi pompis, Chriſtum eſt ſecuta, & relicta domo, ac parentibus in quandam Villam ſe contulit, vbi die, noctuq; pie Eccleſiam adibat nudis pedibus incedens: cum autem illi villæ duo Germani præeſſent, qui in eius concupiſcentiam exarſerant; vnus eorum per vim ipſam rapere ſtatuerat, cuius inſidias Angeli monitu declinauit, venitq; ad villam Meldricem, vbi mira pœnitentia ſuum corpus affligens ſolis herbis agreſtibus vitam ſuſtentabat, ibiq; ſancto fine quieuit, multis miraculis poſt obitum clara. vixit annum Domini circiter 620. circa tempora Dagoberti Regis, vt colligitur ex eius vita, quam Surius ponit tom. 7. die 29. Octobris, quo item die eam recenſet Molanus in addit. ad Vſuardum.

Ermelendes virgo.

Angeli monitu impuditi inſidias vitat.

Ex Surio.

Godiberta virgo in pago Ambianenſi nobilibus parentibus progenita, cum à multis nobilibus in ſponſam peteretur à S. Eligio Nouiomenſi Epiſcopo coram Rege Clotario, & parentibus annulo eius aureo Chriſto deſpondetur, & conſecratur; quod illa lubenti animo amplexa, coniugalibus illecebris ſpretis, ſanctum Eligium illico eſt ſecuta; Rex autem Clotarius ſuum ei, quòd Nouiomi habebat, dedit palatium cum Oratorio S. Georgij, & duabus villis, vbi cum duodecim fœminis, quas regebat, monaſticam vitã cepit, virtutibus, ac miraculis clara obdormiuit in Domino die 11. Apr. ex Molano in addit. in Vſuardum: eius vitam habet Surius tom. 2.

Godiberta virgo.

S. Eligius Nouiomenſis Epiſcopus.

Clotarius Rex.

Gudila virgo, genere nobilis, patre Vuitgero, & matre Amelberga, qui, vt ſectione ſequenti dicemus, ſanctitate floruerunt, ſoror S. Raineldis virginis, & martyris; item Pharaildis, & Ermelendis diuerſæ ab ea, de qua ſupra diximus, virginum, apud Brabantos celeberrima, & à S. Gertrude filia Pipini è ſacro fonte ſuſcepta, & ab eadem in monaſterio educata, atque ad virginitatem colendam eſt perſuaſa: cumq; S. Gertrudis ex hac vita exceſſiſſet, hæc ad ſuos rediens, aſſiduis precibus noctu, diuq; vacabat, demum ſancto fine quieuit die 8. Ianuarij ex Molano in Additionibus ad Vſuardum, miraculis in vita, & poſt obitum illuſtris; cuius ſacri corporis reliquiæ apud *B*ruxellam venerationi habentur. Ad eius tumulum in vico Ham Brabantiæ in teſtimonium eiuſdem Virginis, die eius ſepulturæ Populus arbor ſubito viſa eſt vireſcere, & frondeſcere; huius vita extat apud Surium tom. 1.

Gudila virgo.

Raineldis virg. & mart.

Pharaildis, & Ermelendis virgines.

S. Gertrudis Pipini filia.

Ex Molano.

In Gudilæ tumulatione frondeſcit arbor.

Surius.

Neque hoc loco ſilentio prætereũda eſt S. Raineldes ſoror S. Gudilæ, de qua ſic Molanus in addit. ad Vſuardum die 16. Iulij. S. Raineldis virginis, & martyris, ſororis B. Gudilæ, quę cum Grimoaldo Subdiacono, & Gondulpho familiari ab Hunnis pro fide Chriſti palmam martyrij accepit. hæc ibi.

S. Raineldes virg. & mart.

Grimoaldus, & Gõdulphus martyres.

Noitburgis virgo neptis Plectudris fœminæ nobiliſſimæ, coniugis Pipini, qui fuit Maiordomus Franciæ. hæc cum Coloniæ Agrippinæ in monaſterio à Plectudre condito cum ea degeret, & mortalem ſponſum, quamuis nobilem, cui eam cognati deſpondere ſtatuerant, prorſus faſtidiret, obnixè Dominum precatur, vt prius eam è medio tolleret, quàm ſineret nuptijs per vim illigari; quare voti compos à Chriſto ad cęleſtes nuptias euocatur. floruit annum Dom. circiter 700. cuius dies anniuerſaria ex Molano in addit. ad Vſuardum recolitur die 31. Octobr. ad eius corpus exanime duo luminaria

Noitburgis virgo.

In Noitburgis tumulatione duo diuinitus lumina accenduntur.

vnum

vnum ad caput, alterum ad pedes diuinitus ardentia visa sunt, ad quod spectaculum frequens populus cucurrit; dum autem eius exequiæ peragerentur cuiusdam defuncti cadauer in templum illatum iuxta eius feretrum deponitur, statimq; ad vitam defunctus ille surrexit affirmans se S. Noitburgis precibus à mortuis excitatum; corpus tandem eius in Carthusiam Confluentinam translatum reuerenter asseruatur. eius vitam habet Surius tom. 5.

Eiusdem post obitum precibus mortuus ad vitam reuocatur.

Osmanna virgo.

Osmanna virgo filia quondam Regis Scotiæ per miraculum Domini in Gallias adducta sancte vixit, ibidem defuncta, ac solenniter est sepulta in tumulo quodam ex alabastro in Crypta Iotrensis monasterij, cuius aliquando loci Incolæ per incuriam obliti sunt, sed ipsamet hæc omnia B. Lutgardi reuelauit, vt videre est in B. Lutgardis vita lib. 2. apud Surium 16. Iunij tom. 3.

Ex Surio.

Adelheides virgo.

Adelheides, seu Alheides nobilibus orta natalibus in tenera ætate monasticum institutum in cœnobio virginum suscepit; deinde ad monasterium Vilacense translata, eius cœnobij prima extitit Abbatissa, vbi plurimis virtutibus, ac miraculis clara obdormiuit in Domino. cuius vitam habet Surius die 5. Febr. tom. 1.

Opportuna virgo.

71 Opportuna virgo nobilibus, & Regiæ prosapiæ orta parentibus in pago Oximensi multis viris præpotentibus eius coniugium ardenter desiderantibus, plurimaq; donaria ad eius animum illiciendum offerentibus constanter repudiatis, in cœnobio quodam Sagiensi Vrbi vicino, sacrum virginitatis, quam Deo vouerat, velum accepit; vbi multis clara virtutibus, vno sanctimonialium consensu in demortuæ Abbatissæ locum sufficitur, quo munere pie, ac prudenter administrato, in suprema sua ægritudine à SS. Cecilia, & Lucia Deiparæ nomine ad cœlestes nuptias est inuitata; sumpta deinde sacra Eucharistia, dum ij, qui eius è vita exitum obseruabant, cum eadem Psalmos decantarent, ipsa ad ostium domus intendens, ait: *Ecce aduenit Domina mea B. Virgo Maria, cui vos commendo,* extendens verò brachia quasi Dei Matrem complexura, sancta eius anima carne est soluta. cuius vitam, & mortem multis miraculis Deus illustrauit. hæc apud Surium die 22. Apr. tom. 2.

Eadem morti proxima ad cœlestes nuptias euocatur.

Surius.

Agnes virgo.

Agnes Regis *Boemiæ* filia, ab eo in vxorem Friderico II. Imperatori promissa; cum audisset rationem viuendi S. Claræ adhuc superstitis, multis precibus à parente impetrauit, vt sibi liceret soli sponso cœlesti seruire. quare Pragę constructo monasterio sub Regula S. Francisci ab eius Fratribus ex Vrbe Moguntina, vbi degebant, euocatis, habitum religionis cum compluribus nobilissimis mulieribus suscepit: quin etiam redditus ampliſſimos à patre monasterio, in quo viuebat, oblatos paupertatis studio recusauit. cuius exemplo in vniuersa Germania constructa sunt monasteria, ad quæ nobilium Principum, ac Dynastarum filiæ spretis mundi vanitatibus Christo despondebantur: Agnes verò non tantum genere, sed virtutibus, & miraculis illustris quieuit in pace. hæc in 1. par. Chron. S. Franc. lib. 8. cap. 42.

Chron. S. Franc.

Gertrudis de Aestem Christi vulnera accepit.

Gertrudis de Aestem virgo venerabilis. cuius vitam refert Surius tom. 7. die 6. Ianu. hæc anno 1340. die Paraſceue sacra Christi vulnera sibi imprimi sensit; obijt autem multis virtutibus clara anno 1358. die ipso Epiphaniæ.

Lyduuina virgo.

Lyduuina virgo in Comitatu Hollandiæ oppido Schiedamensi parentibus probis, sed qui labore manuum victum sibi comparabant, orta; cum adhuc esset infantula salutatione Angelica Deiparæ Imaginem officiose salutabat: duodecim verò annos nata propter corporis formam ab opulentis viris in coniugium expetita patri id ei proponenti se virginitatem omnino seruare velle libere respondit: cum autem lapsu quodam in glacie vna ex costis eius fracta esset, ea occasione multis morbis afflictata, centum, & eo amplius vermes quotidie ex eius apostemate erumpebant, multis quoque morbotum generibus, vtpote dolore dentium, gutturis angina, vomitu, calculo, febribus diuersis temporibus vexabatur; ita vt 33. annis in lectulo iacens aduersa valetudine vsa sit: Dominicæ passionis meditationi vacabat; plurimis reuelationibus, atque Deiparæ, & crebris Angelorum visitationibus, à quibus aliquando ramum è Paradiso accepit, mirifice recreabatur; ad ipsam verò accurrentes pijs exhortationibus ad meliora permouebat. anno 17. dolorum suorum circa festum S. Thomę Apostoli in ipso crepusculo Christus Dominus ei apparens quinque vulnerum suorum signa in ipsius corpore impressa

A Deipara, & Angelis inuisitur.

Stigmatibus à Christo infignitur.

reli-

reliquit: sed cum hæc aperta vulnera latere non posse timeret, orante illa cutis illico vulnera contexit, dolore, ac liuore perpetuò remanentibus. Neque hic silentio prætereunda est virgo alia Petronilla Lyduuinæ charissimâ, quæ diem suum obijt sanctissime anno salutis 1426. cuius gloria in quadam ecstasi præostensa est Lyduuinæ, vt videre est in eius vita par. 3. cap. 8. Demum Lyduuina post multos, & acerbos dolores in suis perpetuis morbis toleratos, sancto fine quieuit die 14. Aprilis anno 1433. ætatis 47. Philippo Burgundiæ, & Hollandiæ Principe. hæc in eius vita apud Surium tom. 2.

Petronilla virginis gloria Lyduuina in ecstasi ostensa.

Surius.

Margarita Rauennæ in Oppido Bussio orta, tertio mense à sua natiuitate cæca effecta, ab incunabulis sanctitatis specimen edidit, ad septimum annum vbi peruenisset, carne, & ouis abstinens semel tantum in die vescebatur, plurimis virtutibus, ac miraculis celebris; in cuius obitu cum ad eius animam suscipiendam cœlites aduenissent, quos eius discipula nomine Gentilis se vidisse testata est, ipsa venerabunda eis assurgens animam exhalauit die 23. Ian. anno salut. 1505. ætat. 63. hæc Hieronymus Rubeus lib. 8. de gestis Rauennatum apud Surium tom. 7. 23. Ian. & Serphinus à Firma Canonicus Regularis in vita huius Margaritæ, & Gentilis à se conscripta.

Margarita virgo.

Eius anima à cœlestibus excipi visa est.

Hieronymus Rubeus.

Serphinus à Firma.

CONIVGES, QVI LICET MATRIMONij legibus astricti, virginalem tamen florem illæsum conseruarunt: Ii etiam, qui aliquot in coniugio susceptis liberis, vitam deinde castam concordi voluntate duxerunt: vel qui coniuge vita functo, secundas nuptias detrectarunt.

SECTIO VIII.

172. INter alias quas cap. 8. attulimus rationes, quare Christus Dominus ex Matre quidem Virgine, sed desponsata nasci voluerit, illa fuit, quam S. Augustinus lib. 2. de consensu Euang. cap. 1. his verbis tradit: *Et sane hoc exemplo magnifice insinuatur fidelibus coniugatis etiam seruata pari consensu continentia posse permanere, vocariq; coniugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu*, ita Augustinus. Quod verum esse certissimo didicimus experimento tot coniugum, qui in lege Euangelica, imitatione purissimi coniugij Deiparæ, & S. Ioseph, integerrimam virginitatem seruarunt; horum aliquot omni laude dignos, quòd in medio ignis non sint æstuati, ad Dei gloriam recensebimus, quibus annexam, & eos, qui altero coniuge, seu viuente, seu vita functo cœlibem vitam duxere: Hos autē omnes maioris perspicuitatis gratia ad quinque classes reuocabimus: Primum dicemus coniuges illos, qui egregia pietate conspicui, tum vir, tum etiam vxor concordi voluntate virginitatis florem illibatum pariter custodierunt: Deinde virgines illas, quæ matrimonio iunctæ, ne virginitatis iacturam facerent, viris continentiam persuasere. Tum coniuges, qui post matrimonium ratum, nondum tamen consummatum, altero coniuge dimisso ad religionis portum se receperunt. Post coniuges illos, qui aliquot liberis procreatis, mutuo consensu continentiam in posterum sunt coluere. Denique viduas aliquot, quæ nulla ratione ad secunda vota adduci potuerunt.

Cur S. Ioseph Deipara fuerit desponsata. Augustinus.

Illud tamen hoc loco animaduersione dignum videtur, hos fermè omnes non sua sponte, sed vel parentum imperio, vel aliqua rerum sic exigentium necessitate matrimonium iniisse, & singulari Dei fauore alteri coniugum continentiam persuasisse: neque enim is qui virginitatis tuendæ est cupidus, nisi peculiari Dei instinctu moueatur, coniugem sub spe continentiæ ei persuadendæ ducere debet, ne propter carnis fomitem, quem in hac vita penitus extinguere nequimus, ni Virginitatis propriæ amittendæ discrimen temere se coniiciat; familiaris enim conuersatio viri cum muliere, & multo magis in eadem domo cohabitatio ijs, qui castitatem tueri cupiunt summopere est cauenda propter ea, quæ in fine sect. 2. disseruimus, ne sensim molliscat animus, & à carnis illecebris ad voluptates illiciatur.

Castitatis amittendæ periculo ab Angelo enarrantur. Cassianus.

Huc enim spectat doctrina ab Angelo tradita B. Paphnutio, quam Cassianus collat. 15. cap. 10. his ferè verbis narrat. Paphnutius ita multis vigens annis districtione præcipua,

cipua,vt crederet ſe etiam carnalis concupiſcentiæ laqueis penitus abſolutum, dum lẽticulæ pulmentum in aduentu hoſpitum præparat,manus eius in clibano flamma ſuperuolante combuſta eſt;cumq; triſtaretur,quòd ignis non peperciſſet ſibi, cui dæmonum ceſſerant prælia, ſubito ſopore correptus audiuit Angelum Domini ſibi dicentem: *Cur Paphnuti triſtis es,quòd nec dum pacatus tibi ſit ignis iſte terrenus,cum adhuc reſideat in membris carnalium motuum,nec dum ad purum excocta commotio,quos his indicijs experieris extinctos, ſi virginem nudam, atque formoſam tenens tranquillitatem tui cordis immobilem, æſtusq; carnales pacificos in te ſenſeris perduraſſe.* Itaque hac reuelatione perculſus ſenex,ſemetipſum examinans,nec pondus caſtimonię ſuæ huius probationis ponderi compenſare coniectans, intellexit maiorem eſſe virtutem, & ſublimiorem gratiam internam carnis libidinem extinguere, quàm nequitias dæmonum extrinſecus irruentes Dei potentia ſubiugare,vel de obſeſſis corporibus propellere.hæc apud Caſſianum. Ex quo facile colligimus maximum, quod in huiuſmodi occaſionibus ex parte carnis noſtræ imminet periculũ,quantoq; ſtudio illud viris ſpirituali prudentia, & integritatis amore præditis ſit cauendum.Ad hoc enim confirmandum rectè accommodari poteſt illud Prouerb. 6. *Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, vt veſtimenta illius non ardeant, aut ambulare ſuper prunas, vt non comburantur plantæ eius.* & illud Eccl. 3. *Qui amat periculum in illo peribit.*

Prouerb.6.

Eccl.3.

Sed veniamus ad eorum coniugium,in quo,& vir,& vxor ea ſanctitate effulſerunt,vt vtriuſque virginitate caſtiſſimum Deiparę cum S.Ioſeph coniugium ſit adumbratum.

CONIVGES IN QVORVM MATRIMONIO virginitatis caſtimonia in vtroque enituit.

Chryſantus, & Daria mart.

73 CHryſantus,& Daria olim Mineruę virgo,quæ Chryſanti opera ad Chriſti fidem, ac virginitatem colendam eſt perſuaſa,nobili genere nati non tantum in coniugio virginitatem ſeruarunt,ſuſcepto à Daria ſacro virginitatis velo: verum etiam ſpirituali prole fœcundi Romæ innumerabilem hominum multitudinem,hæc mulierum, ille virorum ad Chriſtum conuerterunt; qui ſpretis mundi voluptatibus caſtitatem complectebantur. Quare ſub Numeriano Imperatore poſt multas, quas pro Chriſto ſuſtinuerunt paſſiones, inter quas Daria in Lupanar compulſa leonis tutela à contumelia admirabili quadam ratione,vt ſupra ſect.6.diximus,defenſa eſt;viui tandem effoſſa terra lapidibus obruti parem martyrij palmam ſunt adepti. quorum feſtum Eccleſia 25. Octobris annua celebritate veneratur.

Daria in Lupanar compulſa à Leone defenditur.

S.Iulianus,ac Baſiliſſa virginitatis Laurea à Chriſto,& B. Virg. coronantur.

S.Iulianus martyr Antiochiæ nobilibus, & chriſtianis parentibus ortus, omni diſciplinarum genere excultus,decimumoctauum annum agens cum virginitatem cuſtodire decreuiſſet,à parentibus,quòd vnicus eſſet,vxorem ducere vehementer rogatus;tãdem conſenſit diuina reuelatione præmonitus,ſponſam virginitatem pariter ſeruaturam:itaque nuptijs cum Baſiliſſa virgine celebratis prima nocte Baſiliſſæ roſarum, ac liliorum fragrantiam hyemali tempore admiranti,Iulianus odorem hunc virginalis pudicitię eſſe affirmat:quare ad caſtitatis votum facilè illam perduxit;quos mirifice confirmarunt Chriſtus ſanctorum cætu ſtipatus,& Deipara ſanctarum virginum multitudine comitatã,ab eis viſi,eorumq; propoſitum cõmendantes, qui aureas eorum capitibus coronas impoſuere. & vt intelligamus Chriſti virgines ſpiritualium filiorum fœcunditate plerumque abundare;cum Iulianus,& Baſiliſſa diu pudice ſimul ſancte, ac religioſe vitam duxiſſent,vtriuſque parentibus ex hac luce ſubtractis,de aliorum ſalute ſolliciti, monaſteria conſtituerunt:& Iulianus quidem innumerabiles ad Chriſtum conuertens, complures etiam ad religioſum inſtitutum traducens factus eſt decem millium monachorum pater. Id enim ex Metaphraſte habet Lippomanus tom.7. & Surius tom.2. Baſiliſſa verò multarum virginum,ac mulierum mater extitit. Imminente verò Diocletiani perſecutione Baſiliſſa à Chriſto impetrauit,ne qua ex ijs,quas congregarat in diſcrimẽ veniret;eiq; reuelatum eſt,omnes intra certum tempus ex hac vita migraturas,quas ipſa in pace ſecutura eſſet. Iulianus verò cum innumeris inclyto martyrio eſt conſummatus,de quibus in Martyrologio die 9.Ianuarij.

Monachi ſub S. Iuliano mart.

Moniales ſub Baſiliſſa virg.

Lippomanus. Surius.

Iulianus cum ſoc.martyrio inſignitur.

S. Hen-

S. Henricus huius nominis I. Imperator, Deiparæ ſtudioſiſſimus, (quemadmodum ex ijs, quæ cap. 35. diximus apparet) cum S. Chunegunde vxore ſua perpetuam virginitatem coluit, non eos ab hoc propoſito prolis ſuſcipiendæ deſiderium, cui faſces Imperij relinquerent remouit, quin etiam virginitatem alijs bonis operibus adeò cumularunt, vt vtriuſque memoria celebris in Martyrologio habeatur. Sancti quidem Henrici 14. Iulij. Sanctæ verò Chunegundis 3. Martij, de quorum virginitate, & pietate in templis conſtruendis Gotifredus Viterbienſis in ſuo Chronico, ita cecinit.

S. Henricus Imperator.
Chunegunda virgo Imperatrix.
Ex Martyrologio Romano.
Gotifredus Viterbienſis.

Coniuge virginea virgo permanſit, & ille
Catholicas dedit Eccleſias numero quaſi mille.

Sanctus Emericus, cuius natalis dies 4. Nouembris in Martyrologio recenſetur. Sancti Stephani Hungarorum Regis filius cœlitus monitus, vt virginitatem illibatam Deo conſecraret, cum parentis precibus Regno conſulere volentis ſponſam regia ſtirpe ortam duxiſſet; carnis tamen integritatem ſanctè cuſtodiuit ad mortem vſque, quæ in annum 1032. incidit.

S. Emericus ad virginitatem cœlitus excitatur.

S. Pelagius adoleſcens teſte Theodoreto lib. 4 hiſt. cap. 12. vxorem duxit; prima autem nuptiarum die in ipſo nuptiali thalamo, ſponſę caſtitatem perſuaſit, eamq; loco ſororis habuit: cumq; poſtea plurimis virtutibus ornatus in Epiſcopum Laodicenſem aſſumptus eſſet, à Valente Imperatore Ariano in Arabiam propter fidem catholicam eſt relegatus. tandem in Domino quieuit, cuius nomen in Martyrol. 25. Martij recenſetur.

S. Pelagius cum ſponſ. virg. Ex Theodoreto.

74 S. Eduardus Anglię Rex vitæ ſanctimonia clariſſimus, cuius ſimplicitatem Deus foueriſſe dicitur, vt nimirum timeri poſſet, qui neſciret iraſci, virginalem caſtimoniam ſeruare decreuit. Procerum tamen rogatu, qui de eius ſucceſſione erant ſoliciti, vt ſuum conſilium tegeret, Aegicam coniugem duxit, cui vt vna perpetuam virginitatem colerent, perſuaſit. eius anniuerſaria dies in Martyrol. 5. Ianu. annotatur; obijt verò anno Domini 1066. quem Alexander III. ſanctorum catalogo aſcripſit.

S. Eduardus Rex cum ſponſa virg.
Martyrol. Rom.

Amon in Aegypto ex Palladio in hiſtoria Lauſiaca cap. 7. cum vigeſimum ſecũdum ætatis annum ageret, parentibus orbatus, vi à ſuo patruo mulieri matrimonio iunctus eſt: prima verò nuptiarum nocte coniugem in eam adduxit ſententiam, vt ſecum pariter virginitatis inſtitutum complecteretur; in eadem quidem domo, diuerſis tamen lectis; quod cum annos duodeuiginti conſtanter ſeruaſſent, tandem coniugis conſenſu; relicta ei domo, ad interiora montis Nitriæ ſeceſſit, vbi alios 22. annos commoratus ad ſummam perfectionem peruenit, bis in anno videns beatam conſortem, demum miraculis clarus quieuit in Domino. eius animam S. Antonius ab Angelis in cœlum aſſumi vidit, quod etiam teſtatur S. Athanaſius in vita S. Antonij.

Amon in Aegypto. Ex Palladio.
S. Athanaſius.

Quidam Ruſticus apud Caſſianum collat. 14. cap. 7. quotidiano manuum opere victum quærens Abbati Ioanni primitias frugum detulit, quo adueniente perterritus ferociſſimus dæmon, qui obſeſſum ad Abbatis Ioannis præceptum relinquere deſpexerat, cum reuerentiſſima, vt ait Caſſianus, nominis illius inclamatione diſceſſit. cuius gratiam ſenex admiratus, diligentius vitam eius perſcrutatus; tandem ille confeſſus eſt, vxorem ſe parentum imperio compulſum, cum profiteri monachum vellet, ante 11. annos accepiſſe, quam nemine etiam nunc conſcio ſororis loco à ſe virginem cuſtodiri: quo audito admiratus ſenex tantam hominis virtutem proclamaſſe ſcribitur, non immerito dæmonem, qui ſe deſpexerat, illius non toleraſſe præſentiam.

Ex Caſſiano.
Ruſtici virginitatem colentis aſpectu dæmõ ab obſeſſo fugatur.

Quidam Iniurioſus nomine, de Senatoribus Aruernis cum magnis opibus puellam ſibi ſimilem deſponſauit; erat autem vterq; vnicus patri: verùm à puella mira eloquentia, & lacrymis ad perpetuam continentiam propter Chriſti amorem ſeruandã eſt perſuaſus. quare in eodem ſtrato multis annis quieſcentes, illibatam tamen pudicitiã ſeruarunt; deinde communi conſenſu vir clericus factus eſt: puella verò religioſum habitũ ſuſcepit, quæ cum ad Dñm migraſſet, corpusq; eius ſepulturæ mandaretur, vir eius eleuatis ad cęlum manibus: *Gratias*, inquit, *tibi ago Domine, quod ſicut eam mihi cõmendare dignatus es, ita tibi reddidi ab omni voluptatis contagio impollutam*; at defuncta ſubridens: *Stile*, inquit, *vir Dei, quia non eſt neceſſe fatearis noſtrum, nemine interrogante, ſecretum.* poſt aliquod verò tempus defuncto viro, eius corpus in oppoſito pariete eiuſdem baſilicæ ſepultum eſt. Verùm mane facto inuenerunt pariter eſſe ſepulchra, quæ

Vir nomine Iniurioſus cum ſponſa virg.
Sponſa poſt obitum ſponſum alloquitur.
Eorundem ſepulcra mirifice vniuntur.

longe inter se distare reliquerant, vt quos tenet socios cœlum, corporum non separet monumentum. Hos vsque hodie duos Amantes Incolæ vocant, & summo venerantur honore. hæc ferè ad verbum ex Gregorio Turonensi lib. 1. histor. Franc. cap. 47. & in lib. de glor. confess. cap. 32.

Gregorius Turonensis.

S Amator cum sponsa, seruatæ virginitatis laurea ab Angelo coronatur.

S. Amator à teneris pietati addictus, parentum imperio coactus Virginem desponsauit, quam ad virginitatem secum seruandam induxit, cuius votum vterq; nuncupauit, quo facto Angelus Domini vnicuique suam coronam imponens, eos in sancto proposito roborauit; puella igitur monasterium est ingressa; ipse verò primum Clericus, postea Antisiodorensis Episcopus factus sanctitate clarus, decessit anno Domini 421. eius memoria in Martyrol. 1. die Maij recolitur: cuius gesta recitat Vincentius Beluacensis in speculhistor. lib. 20. cap. 6. & Petrus de Natalibus in catal. lib. 4. cap. 113. Surius tom. 7. 1. die Maij.

Beluacensis. Petr. de Natal.

S. Arnulphus, et Stamberga.

75 S. Arnulfus genere nobilissimus S. Remigij in baptismate filius fuit, huic Clodoueus Rex Stambergam neptem suam in matrimonium tradidit; vterque tamen virginitatis seruandæ propositum suadente S. Remigio concepit: ipse igitur bonis suis vxori relictis ex diuina reuelatione diuturnam 27. annorum suscepit peregrinationem, duos mortuos vitæ restituisse dicitur: tandem miraculis clarus quieuit in Domino 15. Calend. Augusti, hæc ex Petro in Catalogo lib. 6. cap. 113. Sigebertus verò in Chronico ad annum Domini 513. Sancti Arnulphi meminit his verbis: *Sanctus Arnulfus Sancti Remigij baptismo filius in Gallia claret, qui post multos in prædicando Christum agones martyrizatur in Sylua Parisiorum Aquilina, & à Scariberga coniuge quondam sua tumulatus est.* hæc ille. An verò vnus, & idem sit Arnulfus, de quo Petrus in Catalogo, & Sigebertus aliorum esto iudicium.

Arnulphus mortuos duos ad vitam reuocat. Sigebertus.

Vir qui cum sponsa virginitatem seruarat à carcere ab Angelo educitur.

In Insula Samo quidam à parentibus inuitus vxorem ducere cogitur, quam ad secum pudice viuendum induxit, factus verò Presbyter more Græcorum, quorum Sacerdotibus vxores permittuntur, ambo simul virginitatem seruantes in Ecclesia psallebãt: cumq; aliquando Episcopus falsis quibusdam delationibus permotus, eum in carcerem coniecisset, die dominico Angelus in specie iuuenis speciosi eum eduxit, præcepitq; vt Missarum officium in suo vico perageret, quod cum Episcopus audisset existimans eum aufugisse, magis in eum est commotus, sequenti verò die ab Angelo in carcerem reducitur; accersitus verò ab Episcopo rem cãdidè aperuit, intellexitq; Episcopus iuuenem illum fuisse Angelum Domini; quare Deum glorificans eum in pace dimisit. hæc Sophronius in Prato spirituali cap. 108. ex relatione Isidori Abbatis Cœnobij in eadem Insula, qui postea in eadem regione ad Episcopatus munus est euectus.

Pratum spirit.

Isidorus Epist.

S. Vandregisilus Abb.

S. Vandregisilus Abbas cognomento Vando Pipini Francorum Principis consobrinus à Dagoberto Galliæ Rege Comes Palatij factus parentum hortatu, licet inuitus, nobilissimam puellam despondit, quæ eius suasu virginitatem cum eo seruare statuit: quin ẽt communi consensu, illa sanctimonialium monasterium ingressa est; ipse verò primum clericus, mox monachus, & Abbas effectus sancto fine quieuit anno Dom. 665. de quo Surius cum Martyrol. die 22. Iulij, & Petrus in Catal. lib. 6. cap. 127.

Surius. Petr. de Natal.

S. Eleazarus, siue Elzearius cũ sponsa virgin.

S. Eleazarus, siue Elzearius Ariani in Apulia Comes genere clarus, cuius dies in Martyrol. 27. Sept. habetur cum iussu Caroli II. Regis Neapol. decennis ipse Massiliæ Delphinam virginem nobilissimam despondisset, ab ea ad virginitatem secum pariter seruandam inductus est: quare quamuis in eodem lecto decumberent, Dei tamen beneficio incorruptum cum coniuge virginitatis florem conseruauit, ac miraculis clarus, ex hac vita decessit anno Domini 1325.

Ansbertus, & Angadrisina.

76 Ansbertus, & Angadrisina nobilissimi in Gallia à parentibus coniugio colligati virginitatem pari voto seruarunt, illa tamen quo à parente permitteretur in monasteriũ se recipere, orauit Dominum, vt deformis efficeretur, quare eius facies immundissima lepra occupatur, nec vlla medicorum medicina curari potuit, donec sacro velamine in monasterio suscepto pristinæ pulchritudini, & valetudini extẽplo est restituta. Ansbertus verò primum monachus, deinde Rhotomagensis Eps sanctitate clarus decessit anno 690. eius dies in Martyrol. 9. Febr. recensetur. hæc apud Sur. in vita S. Ansberti tom. 2.

Angadrisinæ oris deformitatem ad tempus impetrauit.

Surius.

Alfonsus II. Rex.

Alfonsus II. Castellæ Rex cognomento Castus sic vocatus, quòd purioris vitæ studio

audio vxorem Bertam nunquam attigerit. id quod Volaterranus lib. 2. & Mariana lib. 7. de rebus Hiſpaniæ cap. 9. teſtantur. Is victorijs clariſſimus ad duos, & quinquaginta annos regnauit, obijtq; anno Domini 844. ætatis 85. Volaterranus eius adhuc viuentis miraculum refert in aurea Cruce, quam Ouetenſi templo donatam fama eſt eum ſine artificio è veſtigio factam comperiſſe. Mariana verò affirmat Alfonſum exornandi Ouetenſis Templi à fundamentis à ſe extructi ſolicitum fuiſſe; ideoq; duos Angelos aurificum ſpecie Crucem auream gemmis diſtinctam, auroq; fulgentem eleganti forma perfeciſſe, & Cruce perfecta nuſquam comparuiſſe.

Volaterranus. Mariana.

Crux Alphonſo Regi diuinitus elaborata.

Boleſlaus dictus, Pudicus, Poloniæ Rex, virginitatem cum vxore Chunegũde ſeruauit, de quo Cromerus lib. 8. de rebus, & geſtis Polonorum ſic ſcribit: Boleſlaus Belæ IV. Hungarorũ Regis filiam Kingam, quæ & Chunegundis dicta eſt, anno Chriſti 1239. vxorem duxit, puellam moribus, & ſanctimonia vitæ nobilem; dos ei quadraginta millium marcarum fuit. Talem autem coniugem beatus Boleſlaus primis nuptiarum diebus non attigit. Inde confirmata poſtea conſenſu mutuo religione ambo perpetuam vouere continentiam: Hinc Boleſlao Pudici cognomen inditum. hæc Cromerus. De eo Clemens Ianitius Polonus cecinit.

Boleslaus Poloniæ Rex. Chunegunde Polonia Regina. Cromerus.

Clemens Ianitius.

Coniuge conſenuit cum Virgine, virgo maritus.

Defuncto autem Boleſlao Chunegundis opibus in egenorum vſum, diuinumq; cultum collatis in monaſterio à ſe fundato religioſum inſtitutum complexa, annis duodecim vitam duxit aſperrimam, miraculis poſt obitum illuſtris.

CONIVGES, QVI ANTE MATRIMONIVM CONSUMMATUM, altero coniuge dimiſſo, ad religionem ſe contulere.

77 AD ſecundam huius ſectionis claſſem ſpectant ij, qui poſt initum matrimonium Chriſti priuilegio vſi, relicto altero coniuge ad religionem conuolarunt. etenim in fauorem religioſi ſtatus, in quo Chriſtus mortali coniugi præfertur, poteſtas fit alteri coniugum poſt matrimonium rite celebratum, quod ratum appellant, ante copulam poſtquam conſummatum vocant, ad religionem ſe conferendi inuito quamuis, vel contradicente alio coniuge, cui tamen licet cum alio matrimonium contrahere, cum per ſolemnem religionis profeſſionem, huiuſmodi matrimonium non conſummatum dirimatur; quemadmodum teſtatur ſacrum Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. can. 6. & habetur 27. q. 2. C. *deſponſatam*, & C. *decreta*, de quo S. Thomas cum Theologis in 4. diſt. 27. q. 1. & noſter Thomas Sanches de matrimonio tom. 1. lib. 2. diſput. 18. & ſequentibus: ac propterea coniugatis bimeſtre tempus ad deliberandum de religionis ingreſſu tribuitur C. *ex publico*. De conuerſione coniugatorum.

Concilium Tridentinum. S. Thomas. Thomas Sanches.

C. ex publico de conuerſ. coniug.

Cæterum huius rei non deſunt plurima exempla, & vt omittam S. Alexium, de quo diximus ſect. 2. & Margaritam Aegyptiacam, de qua ſuperiori ſectione.

S. Alexius. Margarita Aegyptiaca.

S. Abraham probatiſſimus Eremita, cuius res geſtas S. Ephrem conſcripſit to. 3. easq; ex Metaphraſte recitat Surius tom. 2. coactus à parentibus, qui admodum diuites erant, puellam deſponſare, celebratis nuptijs, ipſoq; iam in thalamo cum ſponſa ſedente, ſubito tanquam lux quædam in corde ipſius diuina gratia refulſit, quam ſecutus illico domo exiliens, è ciuitate egreſſus, in cellulam vacuam duobus procul inde miliaribus intrauit, ibiq; cum cordis ſui lætitia Domino in magna ſanctitate famulari cœpit. parentibus verò poſt decennium ex hac luce ſubtractis, opes omnes, quæ ſibi obuenerant, per amicum quendam fidum in pauperes, & orphanos diſtribuit; ipſe verò exactis in vita ſolitaria 50. annis ſeptuagenarius plenus virtutum migrauit ad Dominum. hęc S. Ephrẽ loc. cit. Huius beati viri memoria in Martyro. die 16. Martij adnotatur. De eius verò nepte quomodo ab ipſo ſanctè educata, poſtea à quoddam ad perpetrandum flagitiũ decepta, iterum ab eodem biennio exacto ad pietatẽ fuerit reuocata, ſupra ſect. 2. egimus.

S. Abraham Eremita. S. Ephrem. Metaphraſte. Suarius.

Illuſtre nobis exemplum edidit in Anglia Oſitha virgo, & martyr. Hæc patre Triheualdo Rege in Anglia; matre verò Vuilteburga filia Regis Pendæ Merciorum, in ſanctarum virginum monaſterio ſub diſciplina Edithæ ſororis Regis Alfridi, & Moduennæ Abbatiſſæ eſt educata: verùm beata Moduuenna ex hac luce ſubtracta, ad parentes reducta, Sigero Orientalium Saxonum Regi eam in coniugem petenti inuita, &

Oſitha virgo & mart. Editha Abbatiſſa.

renitens à parentibus eſt tradita;illa verò ſui corporis integritatem Deo precibns commendans multarum occaſionum prætextu Regis deſiderium diſtulit. Tandem, cum Rex ad eam in ſecretius cubiculum adductam omninò ingredi vellet, repente diuino nutu monetur Rex Ceruum corpore ſpectabilem præ foribus Regiæ domus diſcurrere; quare intactam relinquens Reginam cum venatoribus ad inſequendum ceruum pergit. Oſitha veluti è naufragio emerſa Chriſto liberatori gratias agens, celeriter aduocatis Ecca,& Beduuino Orientalium Anglorum Epiſcopis ab eis religionis habitum accepit, & velo impoſito Monialis conſecratur. Rediens verò Rex poſt aliquot dies à venatione,cernensq; Reginam habitu ſancto indutam,mœrore afficitur: eam tamen in ſuſcepto religioſæ vitæ inſtituto manere permiſit,conſtructoq; monaſterio villam Chichēſem ei attribuit;quo in loco Oſitha ſacris virginibus cōgregatis verbo,& exemplo eas ad mūdi contemptum,& Dei amorem accendebat.ſed cum ann.653.menſe Octob.Dani Gētiles nauibus vecti populabundi in eam villam irruiſſent,&rapinis,ac incendijs in Chriſtianos ſæuirent;eorum princeps Oſithæ religione cōperta,eam precibus, ac muneribus primum,deinde verberum, ac vulnerum minis fruſtra ad Idolorum venerationem tētatam decollari præcepit, quæ caput ſuū præciſum accipiens recto gradu tribus ſtadijs progreſſa ad templum SS.Petri,& Pauli detulit,ad cuius fores obſeratas cruentis manibus pulſans,& ſanguinis veſtigia illic relinquens,in terrā corruit:quam Deus multis miraculis illuſtrauit;in loco autē eius martyrij fons perſpicuus erupit,qui varijs morborum generibus ſanitatem affert.hæc ex eius vita apud Surium 7.Octob.to.5.

Oſitha virginitas diuino prodigio ſeruatur.

Sua dempræciſum ſibi caput tribus ſtadijs detulit.

Saluberrimus fons in eius martyrij loco erupit.

S.Ediltrudis virgo incōparabilis (quam *Beda* vocat Ediltridem) filia Annæ Orientalium Anglorum Regis religioſiſſimi,teſte Beda lib.4.hiſt.Angl. cap. 19. primum Tombert Auſtralium Giruiorum Principi in coniugium tradita:deinde eo poſt modicum tempus vita functo, iterum data eſt Ecgfrido Regi Northumbrorum in Anglia,cum quo 12.annis vixit, & cum vtroq; viro virginalem pudicitiæ florem conſeruauit;quamuis Rex multa dona Vuilfrido Epiſcopo,qui apud eam plurimum valebat, pollicitus eſſet,ſi Reginæ vſum connubij perſuaſiſſet.tandem Regina, vt liceret ſibi in ſanctimonialium monaſterio Ebbę Abbatiſſę ſęculo abrenunciare,multis precibus impetrauit à Rege.ſacro autem velamine ab Epiſcopo Vuilfrido ſuſcepto,poſt annū verò ipſa facta eſt Abbatiſſa in Regione, quæ vocatur Elgæ in Prouincia Orientalium Anglorum,vbi conſtructo monaſterio virginum mater exemplis cępit eſſe,& monitis;vitā enim ducens multis virtutibus conſpicuam,nunquam lineis,ſed laneis veſtibus vſa,ſemel in die cibum ſumebat,exceptis maioribus ſolemnijs: ex tempore matutinæ ſynaxeos vſque ad diei ortum in precibus perſiſtebat: ſpiritu etiam prophetiæ claruiſſe dicitur in ſuprema ſua ægritudine tvmorem maximum, ac dolorem habuit ſub maxilla, ſiue collo,quo dolore delectabatur,dicebatq; *meritò in collo languoris pondus porto, in quo iuuencula monilium auri,& margaritarum pondera portaui, vt ſic diuina pietas abſoluat me à reatu leuitatis.* denique ſancto fine quieuit,cuius corpus in ſuæ virginitatis teſtimonium poſt 16.ab obitu ſuo annos omnino incorruptum eſt inuentum,eius memoria in Martyrol.recenſetur 23.Iunij:floruit autem circa annum 680.

Sua Eudaldus.

Ediltrudis virginitas tum incorruptum ſeruatur.

Hunegundis virgo.

78 Hunegundis virgo in Gallia in pago Veramandenſi,qui oppidū S.Quintini dicitur, claris eſt orta natalibus.Hæc à *B.*Eligio Nouiomenſi Epiſcopo,qui anno 665. obijt è ſacro fonte,vt fertur,ſuſcepta,adhuc in incunabulis cuidam in ſponſum deſtinatur:ſed illo ex hac vita ſubtracto,vbi adoluiſſet,eſſetq; eleganti forma,à parentibus cuidā Eudaldo viro nobili inuita deſpōdetur.ſed cum florem ſuæ virginitatis Chriſto cōſecrare ſtatuiſſet,mira quadā arte ſponſo,qui animo religioſo erat,perſuadet, vt ante nuptiarū ſolēnitatem ad limina Apoſtolorum adeant; quo Apoſtolica benedictione accepta,oīa fęlicius ſuccedant.quare Romam iter arripiunt, quò vbi perueniunt,ſponſus ſodalibus ſtipatus templa Sāctorum obibat;ipſa verò ſola Apoſtolorum limina viſitabat,ieiunijs, aſſiduis pre. ibus,& erogandis eleemoſynis intenta.tandē opportuno die ad pedes Pōtificis aduoluta,ab eo ſacrum capitis velamen ſub Deiparę patrocinio accepit,& reliqs indumentis ſanctimonialiū induta cōſecratur; quod vbi cōperiſſet eius ſponſus ira percitus eā gladio confodere volebat: ſed veritus Dei,& hominū iudicium ſolam abſque vlla re ad tantū iter neceſſaria reliquit,& in Gallias equis velociſſimis properat,vt virginis

ginis patrimoniũ diſtrahat. At virgo ſola tanto itineri ſe dedit ſanctorum ſuffragia implorans,ieiunio corpus ſuum affligens,& Chriſti ſpiritu roborata,ad patriã ante ſpõſum peruenit;ac ſe,omniaq; ſua Deiparæ monaſterio obtulit.Edualdus autem non diu poſt ſubſecutus,Dei virtutem agnoſcens veniam ab ea popoſcit,neceſſaria ei ſuppeditabat, & in ſanctis operibus deceſſit. Hunegundis verò in monaſterio multis virtutibus conſpicua die 25.Auguſti migrauit ad Dominum, quam Deus multis miraculis claram reddidit.eius vita extat apud Surium tom.4.

Ad hos ſpectare videntur duo illi ex palatio Imperatoris, quos ex narratione Potitiani memorat Auguſtinus lib.8.Confeſſ. cap. 6. qui cum Treueris Imperator pomeridiano Circenſium ſpectaculo teneretur, in hortos muris contiguos cum eodem Potitiano,& alio eorum contubernali deambulatum exierunt,vbi duo illi vitam S. Antonij Abbatis ea tempeſtate celeberrimi,in quadã ſeruorum Dei caſa repertam legentes,animum ad mundi contemptum, & religionis ſtatum relicta militia ſæculi arripiendum adiecerunt;& illico intus mutati,remiſſo Potitiano cum ſocio in palatium,affigentes cor cęlo manſerunt in caſa,& ambo,inquit,habebant ſponſas,quę poſtquam hoc audierũt, dicauerunt Deo virginitatem ſuam.hæc Auguſtinus,apud quem tanti valuit hoc exemplum,vt & ipſe ſerio,& efficaciter de ſua conuerſione,vna cum Alipio cogitare cęperit; quod vlterius ibi ipſe perſequitur.

Ex Auguſtino.

S. Antonij vitã duo perlegentes caſtitatem cum ſponſis vouerũt.

Gratianus C.*ſcripſit* 27.q.2.ad hoc,quod tractamus,confirmandum affert ex Hieronymo(vt ipſe ait) exemplum Macarij Romani,cui inuito parens vxorem deſponſauit; Is thalamo adornato, ac ſponſa ſedente plurimis ad diem nuptiarum inuitatis cum omnes iocis, ac ſaltationibus vacarent, furtim egreſſus duce Angelo Raphaele in ſpecie viri venerabilis,iter ſuſcepit; & poſt multa ad ſolitudinem tandem,quæ 20. miliaribus à Paradiſo terreſtri diſtare dicitur,peruenit,vbi inuentus eſt à tribus monachis Theophilo,Sergio,& Thimo,qui ex Meſopotamia eò peruenerunt: quæ hiſtoria fuſe extat in libro,qui *vitas Patrum* inſcribitur par.1.Nobis propter Gratianum, qui eam innuit,ſatis ſit eam breuiter perſtrinxiſſe.

C. ſcripſit 27. q. 3. Ex Hieronymo.

Macarius Romanus Angelo Raphaele duce ſolitudinem petit.

Vitas Patrum.

Deſiderius,in ſæculo dictus Dauferius ex nobiliſſimo Beneuentanorum Principum ſanguine originem ducens,parentibus vnicus;Is à patre poſteritatis cupido puellę æque nobili in ipſo ætatis flore deſpondetur.Verùm patre ex hac luce ſubtracto ſponſam intactam relinquens,multis conſanguineorum,præſertim matris ſuæ difficultatibus ſuperatis,tandem Monachus efficitur.Deinde Abbas Caſſinenſis, poſtea Cardinalis, ac demum in demortui Gregorij VII. locum Pontifex, ipſo diu pertinaciter reluctante, eſt creatus,& Victor III.dictus, ac non abſque magna ſanctitatis opinione ex hac vita migrauit 16.Calend.Octob.anno Domini 1087.hæc Leo Oſtienſis,eius in eadem religione diſcipulus in Chron.Caſſin.lib.3.cap.1.& ſeqq.

Deſiderius, qui & Victor III.

VIRGINES NVPTVI TRADITAE, QVAE VT CORPORIS integritatem cuſtodirent,viris continentiam perſuaſerunt.

79 AD tertiam verò claſſem referri poſſunt complures Virgines,quæ à ſuis parẽtibus, vel alijs contra earum voluntatem nuptui traditæ,viris perſuaſerunt,vt in coniugio caſtitatem amplecterentur,ſicq; ipſæ virginitatem ab omni voluptatis illecebra puram Chriſto exhibuerunt.

Talis fuit S.Cecilia virgo,& martyr præclariſſima,quæ Valerianum coniugem ſuum non tantum ad continentiam; verùm etiam ad Chriſti fidem, vna cum fratre eius Tiburtio perduxit,qui tandem pro Chriſto mortem fortiter oppetierunt.

S. Cecilia virg. & mart. Valerianus M. Tiburtius mart.

Syluania vxor fuerat fratris Ruffini præfecti,quæ tamen in matrimonio virginitatem ſeruauit, teſte Palladio in hiſtor. Lauſiaca cap.143. vbi hanc virginem ſexagenariam ſe cognouiſſe ſcribit.

Syluania virgo. Ex Palladio.

Mulier quædam nomine Magna Ancyræ inſignis probitatis, inuita à matre nuptui tradita corporis morbum prætexens à viri corruptione intacta permanſit: marito verò paulò poſt decedente hæres omnium facta,totam ſe Deo obtulit,ſuisq; bonis monaſteria,xenodochia,pauperes,atq; egenos iuuare non deſinebat,ex Palladio in Lauſ. c.125.

Magna virgo.

Olympias virg. Martyrol. Rom. Nicephorus.

Olympias,de qua in Martyrol.die 17.Decemb. Anisij II.Comitis filia,neptis Ablaxij Præfecti,Nebridio Præfecto desponsata,cum quo ex Nicephoro lib.13. cap.24. viginti menses vixit,nec tamen cum eo est copulata.quare virgo simul,& vidua remansit,ieiunijs,& pijs operibus addicta,opes omnes in Ecclesias,& egenos per diuersa loca largiebatur.de qua Palladius in Lausiaca cap. 144. Hæc Theodosio Imperatori suadenti, vt ad secunda vota transiret,restitit.huic vni S.Ioannes Chrysostomus in exilium discessurus . Valedixit, eiusq; precibus se commendauit.ex Nicephoro lib.13. cap.20. quæ multa est passa ea occasione.

S.Ioannes Chrysostomus.

Pulcheria Augusta virgo.

Pulcheria Augusta Arcadij Imperatoris filia, & Theodosij Iunioris soror virginitatem,quam ab incunte ætate Deo vouerat,perpetuò illibatam seruauit: & quamuis defuncto Iuniore Theodosio ad Imperij gubernacula,quæ susceperat melius administranda Marcianum sibi in coniugem sponte asciuerit:prius tamen pactum cum eo inijt, vt illæsam virginitatem seruaret. huius opera tempore Theodosij Concilium Ephesinum, in quo damnata est impietas Nestorij; & tempore Marciani Concilium Chalcedonense contra hæresim Euthychetis sunt congregata. Quare à S.Leone Papa, & S. Cyrillo Alexandrino miris laudibus effertur,& in Concilio Chalcedonensi: *Noua Helena, Munimen Orthodoxorum, & Gloria Ecclesiarum,* à cunctis Patribus est acclamata.obijt anno sal.453.eius nomen celebre est in Martyrol.10.Sept.

Cœcilium Ephesinum Concilium Chalcedonense. S.Leo. Cyrillus Alexandrinus. Martyrol. Rom.

Maxima virgo.

80 Maxima virgo christiana in Africa tempore Vandalicę persecutionis,cuiusdam Vandali Arriani,qui dignitate erat millenarius,serua vniuersæ domus curam gerebat.Hęc in vxorem Martiniano ipsius conseruo,ab eorum Domino est tradita, vt hac ratione eos sibi fideliores redderet, (erat autem Martinianus armifactor,& Domino suo carus) in cubiculo ergo Maxima se Christum habere sponsum, nec posse humanum subire cõiugium Martiniano aperuit,eiq; consilium dedit,vt Christo,cui ipsa nubere cupiebat,& ipse seruiret.diuina verò gratia factum est,vt adolescens Martinianus ei obediret,& simul ad Christum cõuerteretur: quin etiam eius opera Saturianus suus frater cum duobus alijs fratribus Christi fidem , & baptisma susciperent . quæ vbi barbarus Dominus comperit,Geiserici Vandalorum Regis Arriani decreto,quatuor fratres Arrianorũ hæresim detestantes,& in fide catholica cõstantissimos,primum nodosis fustibus sæuissimè cędi,& vsque ad ossa laniari fecit,ita vt dissipatis carnibus,viscera nudarentur.sed cum multo tempore talia paterentur , & sequenti die nihilominus semper incolumes redderentur;exilio tandem apud quendam Regem Maurorum Gentilem nomine Capsur relegantur,in parte Eremi,quæ dicitur Caprapicti,vbi cum multos Barbarorum ad fidem Christi cõuertissent,& à Romano Pontifice Presbyterum,aliosq; ministros, qui eos baptizarent obtinuissent,nouissimè iussu Geiserici iunctis pedibus post terga currentium quadrigarum inter spinosa loca siluarum,ita sunt deligati , vt exitum suum inuicẽ peruiderent . Maxima verò post multos superatos agones diuinitus liberata,in monasterio multarum virginum Mater sancto fine quieuit.hæc ex Martyrol.die 16.Oct. fusius apud Victorem Vticensem lib.1.persecutionis Vãdalicę,qui Maximã sibi notã fuisse testatur.

Martinianus mart.

Saturianus cum fratribus mart.

A tormentorum plagis diuinitus sanantur.

Idem martyrio laureantur. Martyrol. Rom. Victor Vticensis.

S.Catharina S.Brigittæ ex stirpe Regum Suetiæ, cuius cœlestes reuelationes in hoc opere sæpè citauimus,filia, nobili Eghardo nupta,sponsum ad castitatis votũ Deo nuncupandum permouit;ipsa verò virginitatem Deo consecrauit, multisq; virtutibus illustris migrauit ad Dominum die 22. Martij anni 1381. de cuius egregia in Virginem pietate egimus cap. 36.

Catharina virgo filia S. Brigittæ cum Eghardo eius sponso.

CONIVGES, QVI ALIQVA SVSCEPTA *prole, pari inter se voluntate continentiam coluere.*

Coniuges continentiam seruantes commendantur.

81 QVarta coniugum classis in hac sectione ex ijs constat, qui quod coniugij inter se vsum aliquandiu habuerint, ad virginitatis præmia non peruenere; attamen non contenti fructu castitatis trigesimo,qui conlugali continentiæ debetur,qua præter coniugem,nouerunt neminem;ad continentiam etiam cum cõiuge aspirarunt. quod egregiè commendat S.Augustinus lib.1.de serm.Domini cap.25. *Beatiora,* inquit, *coniugia iudicanda sunt, quæ siue filijs procreatis, siuè etiam ista terrena prole contempta, continentiam inter se pari consensu seruare potuerint, quod neque contra illud præceptum*

Augustinus.

ptum sit, quo Dominus dimitti coniugem vetat; & illud seruatur, quod ait Apostolus: Reliquum est, vt qui habent vxores tanquam non habentes sint. hæc Augustinus. *Matth. 5. 1. Cor. 7.*

Quare hic recensendi sunt, & ij coniuges, qui post aliquod tempus in coniugio suscipiendæ proli impensum, reliquum vitæ pari consensu perpetuæ continentiæ dicarunt.

Hilarius Pictauorũ Episcopus catholicæ veritatis contra Arrianos defensor acerrimus, coniugem primum habuit, ex qua filiam suscepit: in ipso tamen laici habitu ea sanctitate vixit, vt monasticam vitam ducere videretur. tandem vxore cum filia, quam ad virginitatis propositum induxit, relicta, clericus primum, mox Episcopus factus strenue pro fide catholica verbo, & scriptis decertans, multa passus sanctè ex hac luce decessit. *Hilarius Episcopus Pictauensis.*

Paulinus postea Episcopus Nolanus, cuius præclaras laudes Sancti Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius scriptis suis celebrarunt, cum coniuge sua Therasia continentiæ votum suscepit. cui Augustinus epist. 32. gratulatur coniugem ei spiritualibus tanto firmioribus, quanto castioribus nexibus copulatam. *Paulinus Episcopus Nolanus, & Therasia. Augustinus.*

Melania iunior Romana nobilissima, & Pinianus eius vir, auctore Palladio in historia Lausiaca cap. 104. duobus liberis genitis, ijsq; extinctis ex Vrbe Ierosolymam profecti illa inter fœminas Deo sacras, hic inter Monachos religiosam vitam exegerunt, & ambo sancto fine quieuerunt, quorum memoria in Martyrologio ad 31. diem Decembris adnotatur. *Melania Iunior Romana. Pinianus. Ex Palladio: Martyr. Rom.*

Antigonus Senatorij Ordinis Theodosio Imperatori genere, & consuetudine coniunctus cum Euphrasia vxore post genitam filiam, quam Euphrasiam similiter appellauit, vitam castam duxit. eorum filia in Thebaide in sanctimonialium monasterio eximia vitæ sanctitate claruit. cuius res gestæ extant apud Surium die 13. Martij, quo etiã die in Martyrologio eius mentio habetur, de qua nos sectione præcedenti. *Antigonus. Euphrasia. Surius. Martyr. Rom.*

Cum Paphnutius inter Anachoretas sanctitate illustris cognoscere cuperet, cuinam ex viris sanctis similis esset, idq; à Deo precibus contenderet, ab Angelo accepit, similem eum esse primum cuidam Tibicini, deinde cuidam Protocomiti, tertio cuidam Mercatori, quos omnes ipse Paphnutius conueniens, & vitæ eorum rationes intelligẽs, ad studium perfectionis sæculari vita relicta traduxit. Verum quod ad rem præsentem facit, Protocomitem de suis actibus sciscitatur, ille inter alia plura, quibus vacabat pietatis opera hoc primo loco narrasse scribitur: *Iã* inquit, *trigesimus agitur annus, ex quo me à mea vxore separaui; cum ter cum ea solũ habuissem consuetudinẽ, & tres ex ea filios suscepissem, qui ẽt mihi ad meos vsus inseruiunt.* hęc ibi, vt mirũ nõ sit eum Abb. Paphnutio viro sanctitate præclara comparatum. Hęc Palladius in hist. Lausiaca c. 63. 64. & 65. *Paphnutius Abbas mira de castitate reuelatio.*

Theodorus cognomento Manlius, qui cum Sabiniano anno salutis 505. consulatum adijt, cum esset coniugatus mutuo consensu cum coniuge inito, nuncium sęculo remisit, vitamq; humilem complexus est summa cum admiratione Vrbis, & Orbis, cui non solum generis claritate, verum etiam per consulatum fastis inditum muneris dignitate factus erat conspicuus. Eidem S. Fulgentius Ruspensis Episcopus pro fide catholica in Sardinia exulans, de eiusmodi ad Christum conuersione, & mundi contemptu epist. 6. gratulatur, adiecitq; quantum exempla Magnatum alios siue in bonum, siue in malum permouere possint: *Qui sunt,* inquit, *in sæculi culmine constituti, aut plurimos secum perdunt, aut secum multos in via salutis acquirunt. Magna tales aut pœna manet, si multis præbeant malæ imitationis laqueum; aut gloria, si multis ostendant sanctæ conuersationis exemplum. Quis enim paruam non despiciat cellam, quando Senator suam despicit Marmoratam? Quis non terrena contemnens ad acquirenda cœlestia sibi consulat, quando ad Cœlum Romanus Consul terrenorum contemptu festinat?* & in fine Epistolæ: *Venerabilem coniugem tuam tibi iam in Christo sororem tuam obsecro salutare digneris.* hæc S. Fulgentius. de eodem vide etiam Baronium tom. 6. Annal. ad ann. 505. *Theodorus Manlius. S. Fulgentius. Baronius.*

Non absimile legimus de Aiace Episcopo Botoliano, quod verbis Sozomeni lib. 7. histor. cap. 27. referendum censui: Aiax (inquit,) & Zenon fratres circa doctrinam fidelissimi extiterunt, ac Deum viriliter confessi sunt, adeò vt à Paganis sæpenumero grauiter admodum, ac immaniter vexati sint. fertur autem Aiax pulcherrimam duxisse vxorem, & ter modo cum ea toto tempore congressus, tres sustulisse proles, ac deinceps *Aiax Episcopus Botol. ex Sozomen.*

ob huiuſmodi conſuetudinis abſtinentiam ab vxore ſeparatus, ſolitariam duxiſſe vitam, ac duos ex filijs ad rem diuinam, & celibatum, tertium verò ad matrimonium educaſſe; moderateq; & admodum præclarè Botolianam Eccleſiam gubernaſſe. Zenon verò mundo, ac matrimonio contempto etiam num iuuenis Deo vacauit, & Maiumanam Eccleſiam Gazæ gubernauit, quem nos vidimus iam ſenem annos natum plus minus centum, nunquam vel Matutinos, vel Veſpertinos Hymnos neglexiſſe, niſi fortè morbus ipſum impediret: & cum in philoſophia vitam monaſticam traduceret, ex lino texebat veſtes vnica tela, atque hinc tum ſibi neceſſaria acquirebat, tum alijs ſuppeditabat, quod opificium ille ad mortem vſque exercere non ceſſauit. hactenus Sozomenus.

Zenon Epiſcopus Maiumanenſ.

Veſini Nurſiæ Presbyter. zelus caſtitatis. Gregorius.

82 In horum numerum referre poſſumus Vrſinum Nurſiæ Presbyterum, qui commiſſam ſibi cum magno timore Domini regebat Eccleſiam, de quo S. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 11. illud memoriæ prodidit, eum ex tempore ordinationis presbyteram ſuam, (vt verbis vtar Gregorij) totos quadraginta annos quaſi hoſtem cauens nulla occaſione ad ſe propius accedere, neque ſibi per illam neceſſaria miniſtrari permiſiſſe. Cumq; in ſuprema ſua ægritudine animam ageret, mulier illa an adhuc ei vitale ſpiramen ineſſet, naribus eius appoſita curauit aure dignoſcere. At ille quanto anniſu valuit in hanc vocem erupit: *Recede à me mulier; adhuc igniculus viuit, paleam tolle*, qua recedente beatos Petrum, & Paulum primos Apoſtolorum ad ſe venire conſpexit, quibus magna cum lætitia dicebat: *Bene veniant Domini mei, gratias ago, ecce venio*, inter quæ verba animam reddidit. hæc Gregorius.

Idem à SS. Petro, & Paulo ad cœlum euocatur.

Monegundis.

Monegundis coniugio copulata, duabus quas ſuſceperat filiabus vita functis, magno mœrore affecta, tandem ad diuinam voluntatem ſe conformans, mundo, & viri conſortio ſpreto illius permiſſu in parua cellula ſe ipſam clauſit, vbi ſoli Deo vacabat, precibus, ac ieiunijs ſe exercebat, reliquum verò Domus ſuæ cibum pauperibus erogabat; ibi poſt aditum religionis cauſa S. Martini ſepulchrum paucas colligens Monachas ſanctè vitam traduxit, & multis miraculis clara migrauit ad Dominum, ac in eadem cellula eſt ſepulta. hæc ex Gregorio Turonenſi in lib. de vita Patrum cap. 19. cuius etiam meminit in libro de gloria Confeſſorum cap. 24. eius dies in Martyrologio 2. Iulij adnotatur.

Gregor. Turon.

Martyr. Rom.

Radegundis Regina Iotarius Galliæ Rex.

Radegundis Regina de qua in Martyrologio 13. Auguſti Clotarij Galliæ Regis vxor, cum magnis virtutibus polleret, & in palatio ieiunijs, precibus, alijsq; pietatis operibus adeò vacaret, vt nonnulli Regi dicerent eius coniugem potius monacham eſſe, quam Reginam, Rege minimè conſcio à B. Medardo Epiſcopo Nouiomenſi in monialem conſecrata eſt, & Pictauis conſtructo ſibi Monaſterio multis congregatis puellis, quandam in Abbatiſſam creauit, cuius voluntati ſe ſuaq; omnia permiſit. Verùm cum Clotarius Reginam ſuam coniugem repetere vellet, ipſa per S. Germanum Pariſienſem Epiſcopum, vt ſibi in Monaſterio permanere liceret, tandem impetrauit à Rege, qui indignum ſe iudicabat talem Reginam apud ſe diutius habere. denique multis miraculis clara ex hac vita deceſſit anno Domini 590. cuius laudes Gregorius Turonenſis, qui eam ſepulturæ mandauit in lib. 9. hiſt. Francor. cap. 2. & 39. & in lib. de glor. Confeſſ. cap. 106. egregiè deſcribit.

B. Medardus Nouiomenſis Epiſcopus.

S. Germanus Epiſcopus Pariſienſis.

Greg. Turonen.

Pharo Epiſcopus cum Bridechilde. S. Phara virgo.

Pharo frater S. Pharæ Virginis eiuſdem cohortatione, & exemplo permotus ampliſſimos in palatio Clotarij Galliæ Regis honores, Regisq; ſingularem amicitiam neglexit, & vigente adhuc iuuentutis flore, pari cum vxore Bridechilde conſenſu ex Comite clericus eſt factus. Vxor verò ſacro velamine eſt conſecrata. ex clerico deinde in Epiſcopum Meldenſem aſſumptus ad tempora Childerici Regis peruenit, Epiſcopatu tribus, & ſexaginta annis magna cum vitæ ſanctimonia, & miraculorum gloria adminiſtrato. nec illud ſilentio prætereundum, quòd cum aliquando pulchritudinis ſuæ quõdam vxoris, (quæ ſanctimonialis in ſua villa degebat) memoria illectus eam ſemel, atque iterum ad ſe venire iuſſiſſet, illaq; recuſaſſet, tertio tandem uocata, ut ſuæ, & illius pudicitiæ conſuleret, cultioribus ueſtibus depoſitis, tonſo capite cilicio induta, atque in hunc modum deformata ſe ei uiſendam obtulit: quam ille tali habitu, & ſpecie contemplatus, uehementer exhorruit, doluitq; ſe tentationi eatenus ceſſiſſe, eiusq;

pruden-

prudentiam,qua ab illicita cupiditate est reuocatus, mirum in modum est admiratus. hæc ex vita S.Pharonis apud Surium die 28. Octobris, & Petrum in Catalogo lib.9. cap.117.de quo Sigebertus in chronico anno Domini 620.

Surius. Petr. de Natal. Sigebertus.

Saleberga nobili genere orta, quam à natiuitate cœcam S. Eustasius Abbas *B.* Columbani successor, post triduanum ieiunium illuminauit,& spiritualibus disciplinis imbuit à parentibus dudum renitens, & inuita cuidam viro generoso nuptui tradita est, quo post duos menses extincto,iterum inuita Alduino Regis,Dagoberti Comiti despõdetur. Verùm quinque susceptis liberis eum ad castitatem seruandam permouit. mox facta à viro potestate, primum in Suburbano Lingonensi puellarum Monasterium condidit: sed propter bella Lugdunum venit,vbi Monasterio extructo trecentarum, & eo amplius puellarum mater extitit, sanctitate, & miraculis illustris.die 22.Septembr. migrauit ad Dominum,de qua Petrus in catalogo lib.8.cap. 114. & Martyrologium ipsa eadem die 22.Septembris.

Salebergam Eustasius Abb. post triduanum ieiunium illuminauit.

Petr. de Natal. Martyr. Rom

83 Amelberga illustrissimis orta natalibus, morum integritate ornata Vuitgero homini præpotenti nobilitate, & meritis non dispari in coniugem traditur, ex quo genuit Aldebertum,seu Emebertum Cameracensem Episcopum sanctissimum,& quatuor Deo dicatas sorores Reineldem, quæ etiam martyrio est coronata, Pharaildem, Elmelendam,& Gudilam sanctissimam,de qua superiori sectione. hæ omnes, licet à multis Regni proceribus propter nobilitatem,& opes in coniuges peterentur, maluerunt Christo adhærere,quàm mortalium coniugijs copulari.parentes verò illarum mundo valefecerunt. Vuitgerus enim monasticam vitam complexus est; Amelberga sacro velamine à S. Ansberto Cameracensi Episcopo accepto,se totam Domino consecrauit;abstinentiæ, precibus, alijsq; virtutibus se dedit,ac sancto fine quieuit 10. Iulij, & in Laubaco Cœnobio tumulatur. de qua Molanus in additionibus ad Vsuardum dicit eam signis claram mira fidelium veneratione coli: eius vitam habet Surius tom.4. 13. Sept.

Amelberga, & Vuitgerus.

Adelbertus Cameracensis Episcopus Reineldis virg. & mart. Pharaildis, Elmelenda,& Gudila virg. S. Ansbertus Cameracensis Episcopus. Ex Molano. Surius.

Nec prætereundus est Sebbi Rex Orientalium Saxonum in Anglia religiosissimus. Hic in Regia dignitate crebris precibus,ac eleemosynis plurimũ intentus,adeò vt multi eum Episcopi magis quàm Regis mores præferre dicerent: vitam quoque monasticam relicto regno subijsset, nisi obstinatus coniugis animus diuortium denegasset. Cumq; triginta annos in Regno exegisset,maxima corporis infirmitate correptus, qua & mortuus est,admonuit coniugem,vt vel tunc diuino se seruitio pariter manciparent, quod dum ægrè ab ea impetrasset ab Antistite Londoniæ habitum religionis accepit. Verum cum vereretur ne mortis dolore aliquid suæ personæ indignum, vel ore proferret,vel motu gereret membrorum, præfatum Episcopum rogauit ne eo moriente plures quàm ipse Episcopus; & duo sui ministri adessent: sed cum membra sopori dedisset, hac solicitudinis anxietate est liberatus; vidit enim tres claro indutos habitu ad se venire, quorum vnus alijs dicebat animam eius sine vllo dolore, & cum magno lucis splendore die tertia egressuram. quare hac visione recreatus præscripta die suauiter emisit spiritum, cuius corpori tumulando cum Sarcophagum lapideum inuentum esset vno palmo breuius,subito astante Episcopo,& filio regis,& turba hominum non modica Sarcophagum diuinitus inuentum est congruæ longitudinis:obijt autem annum circiter 670.hæc Beda lib.4.hist. cap.11.

Sebbi Rex.

Eiusdem visio cum ex hac vita excederet.

Beda.

Ina Occidentalium Saxonum Rex annum Domini circiter 740. pietate in Romanam Ecclesiam singulari, cui regnum iure perpetuo vectigal constituit, vt nimirum domus singulæ singulos denarios ponderent; deinde regno se abdicauit, & Edilburgæ vxoris consensu Romam se contulit, vbi religiosam vitam est amplexus: vxor verò intra monialium cœnobium ingressa,diuino se obsequio mancipauit.

Ina Rex cum Edilburga vxore.

Rachis Longobardorum Rex potentissimus,qui bona Italiæ parte potiebatur, & Iesia vxor pari voluntate ab inuicem separati,religiosam vitam susceperejin Vrbem enim cum filia Rattruda ad limina Principis Apostolorum anno Domini 750. pariter venientes Rachis relicto regno fratri Aistulfo,accepta (vt verbis vtar Anastasij *Bibliothecarij* in Zacharia) à summo Põtifice oratione Clericus effectus,monachico indutus est habitu cum vxore,& filia; & ille quidem, quemadmodum testatur Leo in Chronica Cassinensi cap. 8. iussu Pontificis in Monasterio Cassinensi sub regulari magisterio se instituen-

Rachis Rex, & Iesia vxor cum Rattruda filia.

Leo in Chron. Cassin.

tuendum tradens poſt aliquot in ſancto propoſito,ac Deo placita conuerſatione peractos annos Deo ſpiritum reddidit: eius verò vxor,& filia adiuuante eiuſdem Monaſterij Abbate haud longè à Caſſino in loco, qui *Plumbariola* dicitur, proprijs ſumptibus Monaſterium conſtruxerunt,multis ditantes opibus, vbi ſub magna cautela, ac diſtrictione regulari vitam ducentes, in ſancto propoſito vitam finierunt. hæc ad verbum ex Leone.

Vincentius, & Valdetruda. Ex Molano.

Vincentius quoque cum Valdetruda huc referendi ſunt ex Molano in additionibus ad Vſuardum die 14. Iulij,cuius verba hæc ſunt: *Apud Sonigias Depoſitio B. Vincentij Confeſſoris Chriſti,qui in Monaſterio, quod Altuſmons dicitur tonſo capite vixit plurimis annis ſub ſancta regula ſeruata charitate, ſeparatus à S. Valdetrude coniuge ſua.* hæc Molanus.

Vuiftrudis Anglorum Regina.

Vuiftrudis Edgari Regis Anglorum glorioſiſſimi vxor,mater S.Edithæ virginis,de qua ſectione ſuperiori. Hæc cum filiam peperiſſet circa annum 960.facultate à marito impetrata, (qui ex priori vxore S. Eduardum poſtea martyrem inclytum ſuſceperat) ad Monaſterium apud Vinthoniam ſe recepit;vbi monialis effecta,virginum mater extitit,Editham filiam Rege aſſentiente monaſticis veſtibus induit,& ſanctè educauit.hæc ex vita S.Edithæ apud Surium 16.Sept.tom.5.

S Eduardus M. Editha virgo.

Surius.

Petrus Vrſeolus Volaterranus.

84 Petrus Vrſeolus ex Volaterrano lib. 4. Geographiæ anno 973. Dux Venetorum Vigeſimustertius, vir optimus, & religioſiſſimus, multis piè & præclarè geſtis magiſtratu ſe abdicans,cum vxore,quam poſt ſuſceptum filium ex voto vtriuſque nunquam attigit,in Aquitaniam ſe contulit,vbi cœnobio perpetuo dicatus miraculis claruit. hæc Volaterranus. Hunc Petrum Vrſeolum ſcribit Petrus Damianus in vita S. Romualdi cũ eodem S Romualdo in Galliam ſe contuliſſe.

Damianus.

Ioan. Columbinus Fundat Ieſuatorum, vitã S. Mariæ Aegyptiacæ perlegens conuertitur ad pietatem B. Ignatiuc Loyola Societatis Ieſu Fundator.

Ioannes Columbinus nobilis Senenſis, lucris, & mercaturis antea deditus, coniugij legibus aſtrictus, cum in vitam S. Mariæ Aegyptiacæ caſu incidiſſet repente mutatus, eleemoſynas larga manu erogare cœpit, atque in ſui contemptu, & abnegatione ſemetipſum aliquandiu egregiè exercuit; tandem vxore,eius permiſſu relicta, religioſæ vitæ ſe addixit, & præclariſſimi Ordinis Ieſuatorum auctor fuit anno 1356. Is denique ſanctiſſimè obijt anno ſalutis 1357. vltimo die menſis Iulij, quo item die anno 1556. ex hac vita deceſſit B.Ignatius Loyola Societatis Ieſu inſtitutor,vt vna eademq; die ad Chriſtum migrauerint hi duo præclariſſimi eius Duces,qui ordinem à Ieſu nuncupatũ, inſtituto tamen inter ſe longè diuerſo fundarunt.

Euerardus, & Mabilia.

Euerardus S.Edmundi Archiepiſcopi Cantuarienſis,cuius ſupra ſect.3. meminimus, parens, vxore nomine Mabilia conſentiente in Monaſterio de Euesham in Anglia monachus effectus,reliquum vitæ tempus feliciter traduxit. Mabilia veró vxor reiecto ſæculari habitu ſingulis prope noctibus intererat Abendonienſium monachorum pſalmodijs,cilicina veſte aſpera ad talos vſque pertingente vtebatur,cui loricam ferream cum duabus laminis ferreis ad ſuras vſque porrectam adiunxit.

Maria de Oegnies.

Maria de Oegnies mulier religioſiſſima Niuellæ Epiſcopatus Leodienſis mediocribus orta parentibus,à pueritia Domino ſeruire cœpit,decimumquartum ætatis annum agens,à parentibus nuptui eſt tradita. ipſa verò in domo ſui coniugis diuino feruore incenſa corpus ſuum mira pœnitentia afflixit, ac non multo poſt ex diuino inſtinctu ipſius Vir ad caſtitatem,cum eà in poſterum ſeruandam permotus eſt, ita vt non ſolum deinceps continentem, & plane angelicam duxerit vitam, ſed ſociam ſuam in ſancto propoſito,ac religione ſit imitatus,omnia ſua in pauperes erogando. quare Dominus ancillæ ſuæ in viſione promiſit ſe eius ſocium,qui ſtudio caſtitatis à carnali commercio in terris ſe retraxit, eidem in cœlis redditurum. Cæterum Maria Oegniacenſis, multis magnisq; virtutibus conſpicua crebris Angelorum colloquijs, ac viſitationibus, diuinis quoque reuelationibus illuſtris, miraculis etiam clara migrauit ad Dominum 23. Iunij anno 1213. annum ætatis agens circiter 36. ſepulta Oegnies in templo S.Nicolai: eius vitam egregio volumine conſcripſit Iacobus de Vitriaco Cardinalis doctiſſimus apud Surium tomo 3. eam in Compendium redegit Petrus in Catalogo lib. 5. cap. 143.

Surius. Petr. in Catal. Abb. Theona. Caſſianus.

Ad extremum addam & hic de Abbate Theona, qui vt eſt apud Caſſianum collat.

21.cap.1. & 9.parentum Imperio in adoleſcentia coniugali vinculo aſtrictus, & vnius luſtri tempore cum coniuge commoratus,perfectionis euangelicę ſtudio accenſus,vxori eandem perfectionem,& caſtitatem multis rationibus, ac lacrymis perſuadere conatus eſt: ſed cum illa omninò renueret,hæc ad eam verba habuiſſe narratur: *Si ego te abſtrahere à morte non poſſum,nec tu me ſeparabis à Chriſto,tutius eſt mihi cum homine, quàm cum Deo habere diuortium*: Relictis igitur omnibus,ad monaſterium peruolauit; vbi breui tanto ſanctitatis, & humilitatis ſplendore enituit; vt ſub Ioanne in monaſterium admiſſus in eius ſucceſſoris Eliæ locum vniuerſorũ iudicio in Diaconiæ diſpenſatione ſit ſuffectus. Id quod Caſſianus cap. 10. non ad imitandum ſe ſcripſiſſe teſtatur, cum lege ordinaria matrimonium ritè conſummatum deſiderio vitæ religioſæ, niſi de vtriuſque conſenſu, ſeparari nequeat; ſed rei geſtæ hiſtoriam ſimplici narratione ſe complexum.hoc tamen adijcit, Theonam diuino iudicio adeò fuiſſe miraculorum gloria illuſtratum,vt in eum Apoſtolicarum collata ſint ſigna virtutum, eumq; tot, tantorumq; Patrũ ſententia,ſummis, ac ſublimiſſimis viris in Diaconiæ electione eſſe Prælatum, Bellarminus controuerſia 2.gener.lib.2.cap.38.hoc factum inter admiranda, non tamen imitanda reponendum docet: credendum eſt enim,vt ipſe ait,peculiari Spiritus ſancti admonitu id geſtum præter communem legem. *Bellarminus.*

Atque hæc de ijs coniugibus,qui vitam continentem elegerunt. neque enim deſunt & alij complures,qui idem præſtiterunt. quod ſi quis adhuc aliorum coniugum exempla,qui pari voto in cœnobium ſe receperunt,noſſe deſiderat, legat Hieronymum Platum *de bono ſtatus religioſi* lib.2.cap.26. & 27. *Hieronymus Platus.*

VIDVAE, QVAE AD SECVNDAS NVptias nulla ratione adduci potuerunt.

85 QVid porrò dicemus de viduis,quæ nullis pollicitationibus,vel precibus,vt ad ſecundas nuptias tranſirent,adduci potuerunt: ſed cœlibem vitam ducentes fructum caſtitatis ſexageſimum viduis, *Quæ* (vt loquitur Apoſtolus) *verè viduæ ſunt*, in cœlis tribuendum reportare maluerunt. cum verò earum innumera exiſtant exempla,omnibusq; ſatis explorata,in præſentia pauciſſimas commemorandas duximus,eas enim ad quintam huius ſectionis claſſem pertinere diximus. *1.Timot. 5.*

S.Natalia S.Adriani martyris vxor,cum poſt viri necem,à quodam Tribuno voluntate Maximiani Imperatoris in coniugem propter venuſtatem, & diuitias vehementer expeteretur,triduanis acceptis inducijs,cœlitus monita,conſcenſa naui Conſtantinopolim fugit nequicquam inſequente Tribuno, ibiq; ad mariti ſepulchrum orans per visũ ad cœleſtia inuitata, vale dicens omnibus, in pace quieuit. cuius memoria 1. Martij apud Martyrologium recolitur. *S. Natalia.* *Martyrologium Romanum.*

S.Marcella Romana fœmina nobiliſſima ſanctitate,& eruditione clariſſima fuit, cuius vitam S.Hieronymus epiſt.16.ad Principiam eleganter complexus eſt,hæc ſeptimo à nuptijs menſe viro orbata Cereali Conſule eam in vxorem petente, ſuasq; ei tanquam filiæ pollicente diuitias reiecto,æternæ ſe pudicitiæ dedicauit. Ab Athanaſio,& poſtea à Petro Alexandriæ Epiſcopis vitam *B.*Antonij adhuc viuentis edocta, prima in vrbe monaſticam diſciplinam profeſſa eſt. cuius clara eſt memoria in Martyrologio die 31.Ianu.obijt autem circa annum Dom. 410. *S.Marcella Romana Hieronymus.* *Athanaſius, & Petrus Epiſcopi Alexandriæ.*

Euphraſia,quæ,vt ſupra diximus,cum viro Antigono vnica ſuſcepta filia Euphraſia, caſte vixit,eo defuncto,cum adhuc iuuenis eſſet,& ab Auguſta ſuaderetur,vt alteri Senatori eam petenti nuberet, verita ne ad hoc compelleretur, cum filia clam ex Vrbe Conſtantinopoli in Aegyptum,vbi bona ſua erant, ſe contulit, ibiq; filia ſeptenni in monialium monaſterio collocata,non poſt multum temporis ex hac luce migrauit. *Euphraſia vidua.*

S.Theodota,vt ſupra ſect.6.diximus,vna cum tribus liberis Chriſtum coram Diocletiano confeſſa ad Leucadij coniugium, cui eam petenti in vxorem Diocletianus conceſſerat,vt hac ratione eam à Chriſto auocaret,nullis precibus, vel artibus adduci potuit. Quare à Proconſule Bithynię ad Lupanar damnata,& diuinitus ſeruata pro Chriſto ſimul cum filijs igne crematur.cuius memoria in Martyrologio die 2. Auguſti recenſe- *S.Theodota cum tribus filijs martyris.* *Ad Lupanar damnata diuinitus ſeruatur.*

cenſetur,eius martyrium apud Surium in actis S. Anaſtaſię 25. Decembris plenius commemoratur.

S. Galla.

S. Galla Simmachi Conſulis filia adoleſcentula viro ſuo à nuptijs intra annum extincto,dum ad iterandum thalamum opes,ætasq; vocarent, & quod magis eſt, Medici propter igneam quandam corporis conſperſionem affirmarent,eam barbam emiſſuram niſi ad viriles amplexus rediret,(quod ita poſt factum eſt;) ipſa tamen abiecto ſæculari habitu,diuino obſequio in monaſterio apud S. Petri Eccleſiam ſe ſe tradidit, vbi multis annis orationi,eleemoſynis,ieiunijs,alijsq; ſanctis operibus intenta, fęliciſſimè ad cęleſtem ſponſum S. Petro vocante tranſiuit. cuius vitam S. Gregorius 4. dialog. cap. 13. ſcripſit,& in Martyrologio eius memoria recenſetur 5. Octobr.

S. Petro euocante ad cœleſtem patriam emigrauit. Gregorius. Martyrologium Romanum.

S. Eliſabeth Regina.

S. Eliſabeth Regis Hungariæ filia Lantgrauij Turingiæ Principis vxor, ne caſti propoſiti merito etiam coniugata priuaretur, ſuſceptis nonnullis liberis, ſuperſtite adhuc viro caſtitatis votum emiſit,ſi viro ſuperuixiſſet,quo ex hac luce ſubtracto, Epiſcopus Bambergenſis S. Eliſabethæ auunculus eam viduam alteri Principi deſpondere diſponebat. cumq; nonnulli timerent eam Epiſcopi voluntati obniti non poſſe, conſtanter reſpondit,ſe vim minime timere,cum liberum ei eſſet,& voluntate diſſentire, & naſum ſibi ad dehoneſtandam faciem præcidere. Et quoniam S. hæc Eliſabeth, & virgo, & vxor,& vidua mira pietatis laude inſignis fuit; ideò à Pictoribus eius caput triplici corona inſignitur,quam in vnoquoque ſtatu meritò ſibi vẽdicat. obijt autem anno 1231. ætatis 24. quadriennio ab obitu mariti,quemadmodum teſtatur Lipſius in lib. de Diua Virgine Hallenſi cap. 2. quam Gregorius IX. Pontifex ſanctorum catalogo aſcripſit anno ſalutis 1235.

S. Rictrudis. S. Maurontus Abb. S. Amandus Epiſcopus. Chroſendis. Euſebia. Adalſendes.

S. Rictrudis Martianenſis nobiliſſima ex Adalbaldo paris nobilitatis viro, cum aliquot ſuſcepiſſet liberos primogenitum Maurontum, (qui dum regijs negotijs obſequeretur,S. Amandi Epiſcopi conſilio ſponſa, quam ei dare volebant, renunciata, Monachus primum, poſtea Abbas eſt factus,) & tres alias filias ſanctas virgines, quarum ſect. 7. mentionem fecimus,Chroſendem,Euſebiam,& Adalſendem: verùm eius marito ab improbis quibuſdam interempto, (qui tantæ extitit probitatis,vt ad ſua ſacra oſſa non raro ſigna fiant,) nullis Dagoberti Regis blanditijs, vel minis adduci potuit, vt vni ex ſuis optimatibus ſecundo nuberet: ſed impoſito ſibi velo à S. Amando conſecrato, facultatibus prudenter diſtributis, ſe totam Dei obſequio in ſanctimonialium monaſterio Martianenſi traditit. tres verò filias ſuas in ætate adhuc tenera Chriſto deſpondit. Denique Rictrudis in chriſtianis virtutibus magnos progreſſus faciẽs ſanctè ex hac vita deceſſit die 12. Maij anno æta. ſuæ 74. cuius vita extat apud Surium tom. 3.

Atque hæc de ijs,qui puriſſimam Virginis Deiparæ virginitatem ſua virginitate,vel continentia imitari ſtuduerunt.

Finis Tractatus de Virginibus.



IN-

INDEX EORVM, QVORVM VITA, ET RES GESTAE IN HOC DE VIRGINIBVS tractatu memorantur, ordine alphabetico.

Abraham Eremita num. 20. & 77.
Achemitæ monachi 16
Adelheides virgo. 70
Aemiliana virgo. 61
Agape virgo, & mart. Interamnæ. 40
Agape virg. & mar. Nicomediæ 35. & 50.
Agape v. & m. Theſſalonicæ 50
Agatha uirg. & mart. 42. & 51
Agathonica uirg. & mart. 40
Agnes uirg. in Boemia. 71
Agnes uirgo in monte Politiano. 68
Agnes uirg. & mart. Romæ. 51
Agrippina uirg. & mart. 40
Aiax Botolianus. 81
Albertus confeſſ. 82
Albertus Criſpinienſis 18
Albina virg. & mart. 40
Aldaſenſis uirgo. 69
Aldegundes uirgo. 67
Aldegundes uirgo in Hannonia. 67
Alexandria virgo. 49
Alexius. 16
Alodia virgo, & mart. 40
Aloyſius Gonſaga Soc. Ieſu. 18
Alfonſus II. Rex Caſtellæ. 76
Amalberga virgo. 68
Amalberga. 83
Amator. 74
Ammon in Thebaide. 8
Ammon in Aegypto. 74
Ammonaria virg. & mart. 33
Ammonaria altera v. & m. 28
Anaſtaſia ſenior v. & m. 40
Anaolita uirg. & mart. 42
Andragiſina uirgo. 76
Andreas Epiſc. Fundanus. 22
Angelus mart. 12
Ansbertus. 76
Anthuſa uirgo. 68
Antigonus. 81
Antonia uirgo, & mart. 40
Antonina uirgo, & mart. 52
Antonius Abb. 15
Antoninus Archiepiſcopus Florentinus. 17
Antonius Patauinus. 17
Anyſia uirgo, & mart. 42
Apelles Presbyter. 28
Apollinaris uirgo. 67
Apollonia uirg. & mart. 33
Apoſtoli quinam virgines. 14
Aquilina uirg. & mart. 28
Arnulphus. 75
Arſenius. 19
Arthemia uirgo. 69
Aſella uirgo. 67
Aſteria uirgo, & mart. 40
Attica uirgo. 69
Auguſta uirgo. 38
Aurea v. & m. Cordubæ. 40
Aurea uirg. & mart. apud Oſtia Tiberina. 40
Aurea virgo Lutetiæ. 67
Aurelia uirgo Anagniæ. 68
Aurelia virgo Argentorati. 68
Auſtreberta uirgo. 67

Albina uirgo. 57
Barbara uirgo, & mart. 32
Baſiliſſa uirgo. 73
Baſiliſſa uirgo, & mart. 37
Baſilla uirgo, & mar. 42. & 57
Baſſa uirgo, & mart. 40
Benedicta uirgo Romæ. 67
Benedicta virg. Senonenſis. 68
Benedicta uirg. & mart. 40
Benedictus Abb. 19. 28. & 60
Bernardinus Senenſis. 22
Bernardus Abb. 11. 15. & 25
Bibiana uirgo, & mart. 38
Boleſlaus dictus Pudicus Rex Poloniæ. 76
Bona uirgo. 68
Bridechildis. 82
Brigida uirgo. 60
Burgondofora uirgo. 67

Alliſta mart. 34
Candida uirg. cum ſocijs in Hiſpania. 40
Candida v. & m. Carthagin. 40
Candida v. & m. Romæ. 40
Cæcilia uirg. & mart. 31. & 79
Carilephus. 16
Carolus Borromeus. 18
Caſimirus Poloniæ Regis filius. nu. 29.
Catharina Bononienſis v. 64
Catharina virg. & mart. 37
Catharina uirgo Sueda. 79
Catharina Senenſis uirgo. 64
Charitas uirgo, & mart. 31
Charitina uirgo, & mart. 40
Chelidonia uirgo. 67
Chionia uirgo, & mart. 50
Chriſta mart. 34
Chriſtianę mulieres innumerabiles, quæ pro pudicitia tuenda obiere. 44
Chriſtina Mirabilis virgo. 62
Chriſtina v. & m. in Perſide. 35
Chriſtina uirgo, & mart. Tyri apud Lacum Vulſinum. 35
Chroſendis uirgo. 69
Chryſantus mart. 73
Chriſtophorus mart. 25
Chunegundes Imperatrix, & virgo. 73
Chunegundes ſiue Kinga Poloniæ Regina. 76
Cilinia uirgo. 59
Clara uirgo. 62
Claudia uirgo, & mart. 49
Cœlibum ingens multitudo ex Athanaſio, & alijs. 5
Cœnobitæ innumerabiles ex Palladio, & ex alijs. 8
Coletta uirgo. 64
Columba v. & m. Cordubæ. 40
Columba virgo, & mart. apud Senones. 49
Conon Presbyter. 20
Conſortia virgo. 67
Conſtantia virgo Conſtantini Imperatoris filia. 51. & 69
Cordula uirgo, & mart. 44
Cyriaca cum 56. 34
Cyrilla uirgo, & mart. 35

Aria v. & m. 49. & 73
Deſiderius, qui & Victor III. Pont. Max. 78

Di-

Digna virgo. 68
Digna virgo, & mart. 40
Dionysia virgo, & mart. Alexandriæ. 31
Dionysia v. & m. Troade. 48
Doda virgo. 68
Dominica virg. & mart. 37
Dominicus Ord. Præd. institutor. 17. & 19
Dominicus ex Ordine Prædicatorum. 26
Domna virg. & m. 35. & 49
Domnina virgo, & mart. 40
Donatilla virgo, & mart. 35
Dorothea v. & m. Aquileię. 31
Dorothea virgo, & mart. Cæsareæ in Cappadocia. 34
Dula virgo, & mart. 42
Dympna virgo, & mart. 44
EBba Abbatissa cum monialibus virg. & mart. 46
Eartongatha virgo. 60
Edelburga, siue Sedrido virgo. nu. 60.
Edilburga virgo. 68
Ediltrudis virgo. 77
Editha virgo. 62. & 83
Edmundus Cantuariensis. 28
Eduardus Rex. 74
Eghardus. 80
Elzearus virgo. 75
Elffeda virgo. 61
Elias Abbas. 20
Elias Propheta. 12
Elisabeth virgo. 68
Elisabeth filia Regis Hungariæ nu. 85.
Eliseus Propheta. 20
Emerentiana v. & mart. 51
Emericus Hungarorum Regis filius. 73
Emerita virg. & mart. 34
Encratis virgo cum 18. socijs mart. 36
Ennata virgo, & mart. 37
Equitius Abb. 11. & 20
Erasma virgo, & mart. 31
Ermelendes virgo. 70. & 83
Euerardus. 84
Eugenia virgo, & mart. 34
Eulalia Barcinonensis virgo, & mart. 35
Eulalia Emeritæ in Hispania virgo, & mart. 35
Eulampia virgo, & mart. cum soc. 40
Euphemia virgo. 65
Euphemia v. & m. Aquileię. 31
Euphemia virgo, & mart. Chalcedonens. 36. & 50
Euphrasia virg. in Aegypto. 67. & 85.
Euphrasia virgo, & mart. Ancyræ in Galatia. 49
Euphrasia. 81. & 85
Euphrasia virgo, & mart. Nicomediæ. 53
Euphrosyna Alexandrina. 60
Euphrosyna virgo, & mart. 48
Eusebia virgo. 69
Eusebia virgo, & mart. 40
Eustochium virgo, & mart. 40
Eustochium virgo. 67
Euthalia virgo, & mart. 40
Eutropia virgo, & mart. Palmyræ in Syria. 36
Eutropia virgo, & mart. cum soc. mart. 44
Exuperantia virgo. 68
FAina virgo, & mart. 49
Fausta virgo, & mart. 37
Faustina mart. 38
Febronia virgo, & mart. 43
Fredesuuinda virgo. 68
Felicula virgo, & mart. 41
Fides v. & m. in Gallia. 40
Fides v. & m. Romæ. 31
Firmina virgo, & mart. 36
Flauia v. & m. Messanæ. 38
Flauia Domitilla v. & m. 48
Flauiana virgo, & mart. 41
Flora v. & m. Cordubæ. 40
Flora virgo, & m. Romæ. 34
Florentia virgo. 60
Felicissima virgo, & mart. 40
Fortunata uirgo, & mart. 34
Franciscus de Assisio Ordinis minorum institutor. 17. 19. 20 25. 26. & 28.
Franciscus de Paula Ordinis Minimorum institutor. 17
Franciscus Xauerius è Societate Iesu. 18
Fridiburga virgo. 61
Fusca virgo, & mart. 34
GAiana cum soc. duabus virgin. & mart. 40
Galla vidua Romana. 85
Gaudentia virgo, & mart. 40
Genouefa virgo. 59
Georgia virgo Aruernis. 67
Gertrudis virgo. 68. & 70
Gertrudis reuelationibus clara. nu. 63.
Glaphyra virgo. 53
Godiberta virgo. 70
Grata virgo. 68
Gregoria virgo. 61
Gudila virgo. 70
Gundenes virgo, & mart. 33
HElena virgo. 67
Henricus Imperator. 73
Henricus infans Lusitaniæ. 17
Herundo virgo. 60
Hilarion Abb. 15
Hilarius Episc. Pictauorum. 81
Hildegardes virgo. 68
Hiltrudis virgo. 68
Honorata virgo. 67
Hunegundis virgo. 78
Hyacinthus mart. 34
IAcobus Apostolus dictus frater Domini. 14
Iacobus Eremita. 22
Iacobus de Marchia. 17
Iacobus Rossa Cardin. 29
Iacobus de Vitriaco Card. 20
Iaquelina virgo. 61
Ildefonsus Arch. Tolet. 16. & 36
Illuminata virgo. 67
Ina Rex in Anglia. 83
Indes Eunuchus mart. 49
Iniuriosus virgo cum sponsa. 74
Ioannes Abb. Vrbis Lyco. 19
Ioannes Bosnensis Episc. 28
Ioannes Baptista. 14
Ioannes Calybita. 16
Ioannes Euangelista. 14
Ioannes Garinus. 22
Iolenda virgo. 61
Iosephus Beatissimæ Virginis sponsus. 13. & 72
Iphigenia virgo. 57
Irais virgo, & mart. 37
Irmina virgo. 68
Irene v. & m. in Lusitania. 45
Irene virgo, & mart. Thessalonicæ. 47. & 50
Irene alia virgo, & mart. Thessalonicæ. 31
Iucunda virgo. 68
Iulia virgo, & mart. 40

Iulia virgo, & mart. Trecis. 40
Iulia uirgo, & mart. Emeritæ in Hiſpania. 35
Iuliana mart. 32
Iuliana uirgo, & mart. 43
Iulianus mart. 73
Iulitta uirgo, & mart. 49
Iuſtina v. & m. Antiochiæ 36
Iuſtina uirgo, & mart. in Hiſpania. 40
Iuſtina v. & m. Hiſpali. 37
Iuſtina v. & m. Patauij. 31
Andrada virgo. 69
Leocadia v. & m. 16. & 36
Leocritia uirgo, & mart. 40
Leodienſes virgines. 65
Leonides ſoror S. Eutropiæ mar. nu. 36.
Lioba uirgo. 68
Liberata uirgo. 68
Lucas Euangeliſta. 14
Lucia virgo Syracuſa. 47. & 51
Lucia alias Luceia v. & m. 35
Lucilla, & Flora virg. & mart. Romæ. 35
Lucilla uirgo, & m. Romæ. 40
Lucretia uirgo, & mart. 40
Ludouicus Epiſcopus Catalaunenſium. 25
Ludouicus Epiſcopus Toloſanus nu. 20. & 21.
Lutgardes. 70
Lyduuina uirgo. 71
Libya ſoror S. Eutropiæ mart. 36
Abilia. 84
Macarius Romanus. 22 & 78.
Macra uirgo, & mart. 40
Macrina v. in Cappadocia. 58
Macrina ſoror S. Baſilij. 67
Magna Ancyræ uirgo. 79
Malchus monachus. 15
Marcella Romana vidua. 85
Marcellina uirgo. 58
Marciana uirgo, & mart. 49
Margarita v. Rauennæ. 71
Margarita Aegyptiaca. 60
Margarita virgo, & mart. Antiochiæ. 42
Margarita virgo filia Regis Hungariæ. 63
Maria v. & m. Cordubæ. 40
Maria de Oegnies. 84
Maria v. & m. Veronæ. 33
Marina uirgo. 59
Marina uirgo, & mart. 40
Martha uirgo. 56
Martha uirgo, & mart. 40
Martina uirgo, & mart. 31
Martinianus Eremita. 22
Martius monachus. 19
Martyr quidam ſibi linguam præcidit ad libidinem coercendam. 22
Aliud ſimile de quodam monacho martyre. 22
Martyres duo fratres ex ordine minorum. 23
Mathildis virgo filia Regis Scotiæ, & quatuor eiuſdem fratres ſanctitate conſpicui. 62
Matrona uirgo, & mart. 49
Maxellendis uirgo, & mart. 46
Maxima uirgo in Africa. 80
Maxima uirgo apud forum Iulij. 68
Maxima uirgo & mart. 35
Mechthildis v. in Germania. 63
Melania iunior Romana. 87
Melburges uirgo. 68
Menodora uirgo, & mart. 37
Mercuria uirgo, & mart. 31
Metrodora uirgo, & mart. 37
Michael Verinus. 29
Modeſta uirgo. 68
Monachi quamplurimi ſub S. Antonio, & ſub alijs. num. 6. & ſeqq.
Monegundis. 82
Moniales virgines ſub S. Baſiliſſa. 73
Monaſteria Virginum ſub S. Ripſime. 57
Monialium cœnobium in Anglia. 46
Monialium cœnobium inter Ieruſalem, & Bethleem. 46
Muſa uirgo. 59
Mulier martyr cum ſuis Geminis. 40
Atalia vidua. 85
Neomiſia uirgo. 68
Niceras uirgo. 67
Niceta Nicomedienſis mart. 23
Nicetius Epiſc. Lugdun. 20
Nicolaus Epiſc. Miræ. 15
Noitburgis uirgo. 70
Nunilo uirgo, & mart. 40
Nympha uirgo, & mart. 40
Nymphodora uirgo, & mart. 37
Bdulia uirgo. 68
Oliua uirgo. 68
Olympia uirgo. 79
Opportuna uirgo. 71
Ordines Religioſorum varij. 11. & ſeq.
Oſitha uirgo, & mart. 77
Oſmanna uirgo. 70
Othilia virgo. 68
Aphnutius Abb. 81
Patritia virgo. 67
Paula virgo, & mart. Carthaginenſ. 40
Paula virgo, & mart. Conſtantinop. 40
Paula virgo, & mart. Malacæ in Hiſpania. 40
Paulina virgo, & mart. 40
Paulinus Epiſc. Nolanus. 81
Paulus Abb. Eremita. 19
Paulus Apoſtolus. 14
Pelagia virgo, & mart. Antiochiæ, ac eiuſdem mater, ac ſorores virg. & mart. 44
Pelagia virgo, & mart. in Cilicia. 44
Pelagius mart. in Hiſpania. 23
Pelagius cum ſponſa virg. 73
Perſeueranda uirgo. 68
Petronilla v. in Hollandia. 71
Petronilla virgo S. Petri Apoſtoli filia. 57
Petrus Faber è Soc. Ieſu. 18
Petrus martyr Ord. Præd. 17
Petrus Vrſeolus Venetorum Dux. 84
Phara virgo. 61
Pharo Epiſcopus. 82
Philomena virgo. 67
Pientia uirgo, & mart. 40
Pinianus. 81
Placidia virgo. 67
Pompoſa uirgo, & mart. 40
Porcharius cum 500. ſoc. 10
Potamiæna virgo cum matre mart. Alexandriæ. 41
Potamiæna uirgo, & mart. Theſſalonicæ. 43
Praxedes uirgo, & mart. 58
Primitiua uirgo, & mart. 40
Priſca virgo, & mart. 35
Protus mart. 34

Pulcheria Augusta virgo. 79
Pudentiana virgo, & mart. 58
Quiteria virgo, & mart. 40
RAchis Longobardorum Rex nu. 83.
Radegundis regina. 82
Raineldis virgo, & mart. 40
Rattruda Longobardorum regis filia. 83
Redempta virgo. 60
Regina virgo, & mart. 40
Reparata virgo, & mart. 32
Restituta virgo, & mart. in Africa. 33
Restituta virgo, & mart. cum soc. Soræ. 40
Rhaide Cathecumena mart. 41
Rittrudis vidua. 85
Ripsimes virgo, & mart. cum 56. 43
Robertus Cardinalis Nobilius. num. 29.
Rogerius ex ordine minor. 19
Romana virgo. 67
Romula virgo. 60
Rosa virgo. 68
Rufina virgo, & mart. 42
Rusticus vir quidam ob seruatam virginitatem præclarus. nu. 74.
SAbina mart. 48
Sabina virgo. 67
Saleberga Abbatissa. 82
Saturnina virgo, & mart. 40
Scholastica virgo. 60
Sebastianus Ord. min. mart. 24
Sebbi Rex. 83
Secunda virgo, & mart. 42
Secundina virgo, & mart. 40
Seraphia virgo, & mart. 48
Seuera virgo. 68
Solitarius quidam. 25
Sopatra virgo. 67
Sophia mart. 31
Sophia virgo, & mart. 40
Soteres virgo, & mart. 37
Spes virgo, & mart. 31
Stamberga. 73
Stanislaus Kostka è Societate Iesu. 18. & 32
Susanna virgo, & mart. 49
Syluania virgo. 79
TArbula virgo, & mart. cum Pedissequa. 39
Thecla virgo Abbatissa in Germania. 68
Thecla v. & m. Aquileiæ. 31
Thecla v. & m. Iconij. 41
Terasia. 81
Teresia Carmelitarum Discalceatarum Fundatrix. 65
Tertulla virgo, & mart. 40
Tesia Regina Longobardorum nu. 83.
Tharsilla virgo. 61
Thecusa virgo, & mart. 49
Theoctistes virgo. 60
Theodora virgo, & mart. Alexandriæ. 52
Theodorus Manlius. 81
Theodora cum tribus filijs martyr. 50
Theodora virgo, & mart. Terracinæ. 48
Theodoricus Romanus. 16
Theodosia virgo, & mart. 37
Theodulphus Romanus. 16
Theona Abb. 84
Theophila virgo, & martyr. 40. & 49.
Thomas Aquinas. 27
Thorithgid sanctimonialis. 68
VAlburga virgo. 61
Valdetruda. 83
Valeria virgo, & mart. 41
Valerianus S. Cæciliæ sponsus. nu. 31. & 79.
Valentina cum socia virgo, & mart. 37
Valtruda virgo. 68
Vandregisilus Abb. 75
Venceslaus Boemiæ Dux. 16
Veneranda virgo, & mart. 40
Verena virgo. 68
Viccina virgo. 68
Victoria virgo, & mart. 42
Vincentius. 83
Vincentius Ferrerius. 27. & 64
Virgo soror S. Ludouici Gallorum Regis. 62
Virgo à Barbarorum captiuitate mirificè erepta. nu. 53. & 57.
Virgo sanctimonialis, quæ pro tuenda virginitate sibi oculos eruit. 46
Aliud simile exemplum. ibid.
Virgo sanctimonialis, quæ dæmonem expulit. 61
Virginis cuiusdam exemplum ex Amb. 58
Virginum multitudo ingens in Aegypto, & alijs in locis ex diuersis auctoribus. nu. 3. & seqq.
Virgines plurimæ ex Cantipratensi. 61
Virgines duæ in mare demersæ. 44
Virgines duæ pro pudicitia se in flumen deiecere. 44
Virgines, & martyres plurimæ Heliopoli Alexandriæ, & alijs in locis. 38. & seq.
Virgines quatuor filiæ S. Philippi Diaconi. 56
Viulgefortis virgo, & mart. 42
Vltrogoda Galliæ Regina. 17
Vrsinus Nursiæ Presbyter. 20
Vrsula cum vndecim millibus sociabus virg. & mart. 44
Vissia virgo, & mart. 37
Vuenefrida virgo, & mart. 45
Vuiftrudis Anglorum Regina. nu. 83.
Vuitgerus. 83
ZEnon Episcopus Maiumanensis. 81

Finis Indicis Tractatus de Virginibus.

PIO

PIO LECTORI.



OPERE iam abſoluto, ſubijciuntur reliqui Indices tres initio promiſi, quanquam Index rerum memorabilium, compendioſior fortaſſe, quàm par erat; ne typi diutius detinerentur. Quo loco illud te moneo, voces quaſdam præter artem maioribus inchoatas, vel expreſſas characteribus non errore, lapſuq. aliquo excidiſſe; ſed conſulto ſic impreſſas, vt argumenti, rationis, vel alicuius teſtimonij vim, denique ad dictionis illius pondus litteræ Granditas excitaret. In Capite verò vigeſimoſecundo num. 3. voculas, & litteras quaſdam hebraicas latinis tantum characteribus expreſsimus, quod in promptu eiuſmodi hebraici typi non eſſent, & pauculas voces, ijs præſertim, qui eam linguam callent, ſatis fuerit indicare. Conſulto etiam in Exemplis, quæ ab Hiſtorijs petuntur, ſiue Latinis, ſiue ex Græco in latinum verſis, formulas quaſdam, vocesq. obſoletas, vel minus latinas retinui; non modo cum verba ipſa Auctoris tranſcribo: verùm etiam cum interdum in pauca ſententiam contrabo, quo ſincerius, liquidiusq. Auctoris ſenſum in ipſo fonte deguſtes.

Præter hæc autem, quæ ad Orthographiam, verbaq. attinent: hoc etiam loco ratio mihi reddenda eſt, cur interdum in afferendis Auctorum teſtimonijs, quamuis ex ipſo fonte acceptis; Principes tamen Authores interdum apud poſteriores citamus. cur etiam in Hiſtoricis exemplis, præſertim, quæ ex vitis Sanctorum petuntur, Surium, & huiuſmodi laudamus Auctores, priores præterimus. vtriuſque rei ratio eadem; vt tuo, Lector, commodo proſpiciam. Nam cum nonnulli ex Anteſignanis Auctoribus, non ita paſsim reperiantur, ſatius viſum eſt eoſdem illos apud vulgatiores indicare, apud quos facilius, promptiusq. obuij ſunt. vtputa Mariale Alberti ſuper Miſſus eſt apud Sanctum Antoninum, & alij apud Cardinalem Baronium, virum de Eccleſiaſticis Hiſtorijs optime meritum. Surius item, (quod omnes norunt) Authores, qui vitas Sanctorum conſcripſerunt in ſingulos menſes ſumma cum laude digeſsit,

vt in promptu cuiq. sit, reperire quod cupit; quare cum citatur Surius, perinde est, ac si afferretur Auctor ille, cuius nomen breuitatis studio omittitur, quiq. apud Surium facile inuenitur. Quod ideo monui, vt intelligas vim, ac pondus authoritatis à prioribus illis, quibus posteriores innituntur, accersendum.

Ad pag. 672. lin. 10. in secunda editione reponatur hoc, quod in prima eius loci impressione est omissum.

Circa domunculam verò illam, in qua Deiparæ Imago depicta sudorem miserat, nobile templum complurium illuc pietatis ergo confluentium eleemosynis illicò exædificari cœptum est, hoc Disticho ad Imaginem adiecto, quo breuiter ea, quæ dixi, indicantur.

Virgineus cum Mons multorum cæde flagrauit,
Sudorem hæc visa est mittere sanguineum.



SENTENTIAE SCRIPTVRAE SACRAE, QVAE IN HOC LIBRO DE VIRGINIS BEATISSIMAE DEIPARAE MARIAE LAVDIBVS PRAECLARISSIMIS;

Et in Tractatibus, qui in eius Appendice continentur ex professo, vel obiter explicantur, seu aliqua ratione Deiparæ sanctissimæ à Patribus accommodantur.

Prior numerus librorum sacræ Scripturæ Capita; posterior primo quidem Libri Capita, vel Tractatus; deinde numeros indicat.

GENESIS.

Ca. 1. TErra autem erat inanis, & vacua. cap. 18. nu. 10.
Fiat lux, &c. cap. 14. nu. 16.
Et diuisit lucem à tenebris. cap. 14. nu. 14.
Fiat firmamentum in medio aquarum. cap 3. nu. 1.
Et luminare minus, vt præesset nocti. cap. 24. num. 10.
Congregationesq aquarum appellauit maria. cap. 27. nu. 7.
2 Requieuit die septimo ab omni opere. cap. 29. num. 19.
Formauit hominem de limo, &c. Non dum pluerat, &c. cap. 32. nu 13.
Plantauerat autem Dominus Deus Paradisum. cap. 5. nu. 23.
Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum. cap. 5. nu. 24. & 34. cap. 16. nu. 16.
3 Super pectus tuum gradieris, & terram comedes. cap. 7. nu. 13.
In dolore paries. cap. 5. nu. 16.
Inimicitias ponam inter te, & mulierem. cap. 7. nu. 12. cap. 22. nu. 1. cap. 24. nu. 2. & 4. cap. 29. num. 5.
Semen illius. cap. 15. nu. 1. cap. 27. nu. 3. cap. 32. num. 13.
Insidiaberis calcaneo eius. cap. 24. nu. 8.
Ipsa conteret caput tuum. cap. 5. num. 16. cap. 7. nu. 9. & 13. cap. 22. nu. 3. cap. 29. nu. 32.
Mater viuentium. cap. 27. nu. 3.
4 Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum. cap. 12. nu. 9.
6 Fac tibi Arcam, &c. cap. 13. nu. 2. cap. 16. num. 6. cap. 36. nu. 22.
7 Multiplicatæ sunt aquæ, & eleuauerunt Arcam. cap. 6. nu. 1. cap. 12. nu. 14.
8 Requieuitq. Arca super montes Armeniæ. cap. 12. nu. 14.
Columba reuersa est. Coruus non reuertebatur. cap. 5. nu. 19. cap. 16. nu. 1.
Portans ramum oliuæ, &c. cap. 16. nu. 1. & 4.
9 Arcum meum ponam in nubibus, &c. cap. 2. nu. 3. cap. 16. nu. 1.
12 Dic quod soror nostra sis. cap. 29. nu. 1.
17 Sarai vxorem tuam vocabis Sara. cap. 5. nu. 5.
Agar videns se concepisse despexit dominam suam. cap. 37. nu. 6.
18 Tabernaculum Abrahæ. cap. 5. nu. 37.
21 Eijce ancillam hanc, & filium eius. cap. 7. nu. 25.
24 Et ecce Rebecca. cap. 7. nu. 8.
25 Duæ gentes sunt in vtero tuo. cap. 28. nu. 2.
27 Quod cum audisset Rebecca, &c. cap. 30. nu. 11.
Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni. cap. 21. num. 37.
28 Vidit in somnis scalã. cap. 16. nu. 9. cap. 26. nu. 8.
Quam terribilis est locus iste. cap. 36. nu. 10.
Non est hic aliud, nisi domus Dei. cap. 5. nu. 26. cap. 7. nu. 18.
Et porta cœli. cap. 16. nu. 16.
47 Adorauit Iacob moriens. *iuxta versionem septuaginta.* cap. 24. nu. 9.
Terra Sacerdotalis. cap. 7. nu. 14.
49 Catulus leonis, Iuda requiescens accubuisti, vt leo, & quasi leęna, quis suscitabit eũ? c. 11. nu. 9

EXODVS.

2 FIscellam scirpeam, & liniuit eam bitumine, ac pice. cap. 21. nu. 21.

3 Videbat quod Rubus arderet, & non comburetur. cap.8.nu.13.cap.20.nu.6.cap.32.nu.13. cap.35. nu 1.
Solue calceamentum de pedibus tuis. in Præfatione nu.6.
Terram,quæ fluit lacte,& melle. cap.34.nu.16.
7 Virga Aaron. cap.21.nu.14.cap.24.nu.10.
13 Columna nubis,&c. cap.3. nu.6.
14 Ingreſſi ſunt filij Iſrael per medium ſicci maris. cap.24.nu.11.cap.27.nu.7.
Eleua virgam tuam,&c. cap.20.nu.14.
Reſpiciens *D*ominus per columnam ignis,& nubis. cap.3.nu.6.cap.16.nu.15.cap.24.nu.18.
Reuerſæq. ſunt aquæ, & operuerunt currus, &c. cap.24.nu.17.
11 Sumpſit ergo Maria prophetiſſa, &c. cap. 4. nu. 13.& 21.cap.22.nu.10.cap.27.nu.7.cap.32.nu. 30.cap.33.nu.4.cap.36.nu.20. Tract. de Virg. num.57.
Sume vas vnum,& pone ibi Man. cap.5.num.41. cap.8.nu.23 cap.34 nu.6.
16 Et ſcatere capit vermibus. cap.32. nu.21.
17 Percutiesq. petram, & exibit ex ea aqua. cap. 20.nu.14.
Habens virgam Dei in manu mea.cap.20.nu.14.
25 Coccumq bis tinctum. cap.9.nu.4.
Arcam de lignis ſetim compingite. cap.5.nu.42 & 43.cap.7.nu.14.cap.14.nu.17.
Et deaurabis eam auro mundiſſimo intus, & foris. cap.5.nu 47.cap.9.nu.4.
Facies ſupra coronam auream per circuitum. cap.5.nu 47.
Et quatuor circulos aureos,&c. cap.5. nu.48.
Facies,& propitiatorium de auro,&c. cap.5.nu. 48.cap. 16.nu 16 cap.36.nu.22.
Duos quoque Cherubim aureos .cap.1.nu.5.
Facies,& menſam de lignis ſetim. cap.5.num.40. cap.7.nu.14.cap 8 nu 23.
Et pones ſuper mẽſam panes propoſitionis.cap. 5.nu 40.cap 8.nu.19.cap.39.nu.15.
Facies,& candelabrum.cap.9.nu.2.& 3.
30 Facies quoque altare ad adolendum thymiama. cap.21.nu.29.
31 Tabernaculum fœderis cap.5.nu.37.
Tabulas teſtimonij lapideas ſcriptas digito Dei. cap.32.nu.14.
38 Labrum æneum de ſpeculis mulierum,quę excubabant in oſtio tabernaculi. cap.8. nu.10.

LEVITICVS.

2 ET ponet thus. cap.12.nu.9.& 16.
12 Mulier,quæ ſuſcepto ſemine,&c. cap.37.n.4
Sumetis die prima fructus arboris pulcherrimę. cap.5.nu.53.& 58.
24 Super menſam puriſſimam, &c. cap.5. num. 40. cap.7.nu.14.
26 Ponam tabernaculum meum in medio veſtri. cap.34.nu.21.

NVMERI.

10 SI quando habebitis epulum, & dies feſtos. cap.12.nu.16.
Cumq. eleuaretur Arca, &c. Surge Domine, & diſſipentur. cap.5.nu.51. cap.24.nu.7.
11 Cum deſcenderet nocte ſuper caſtra Ros,deſcẽdebat,&c. cap.16. nu.10.
13 Abſciderunt palmitem cum vua ſua,quem portauerunt. cap.17.nu.15.cap.34 nu. 16.
17 Inuenit germinaſſe virgam Aaron. cap. 20. nu. 14.cap.32.nu.14.
21 In libro bellorum Domini. cap.22. nu.2.
24 Quam bonæ domus tuæ Iacob, tabernacula tua Iſrael.Sect.LXX. Tract.de Virg.nu.5.
24 Orietur ſtella ex Iacob. cap.4.nu.15.cap.24. nu. 9.cap. 32. nu.14.
28 In calendis autem offeretis. cap.29.nu.11.
*D*ies prima venerabilis,& ſancta erit. cap.8.nume. 13.
33 Hæ ſunt manſiones filiorum Iſrael. cap. 4. nume. 10.
35 Vrbes in præſidia fugitiuorum. cap. 16. num.6. cap.36.nu.22.

DEVTERONOMIVM.

32 SI acuero vt fulgur gladium meum. cap. 21. nu.42.
33 Cornua Rhinocerotis cornua illius. cap. 16. num. 13.

IOSVE.

6 MVri illico corruerunt. cap 5. nu.51.
15 Tranſirq. aquas, quæ vocantur fons ſolis. cap. 21. num.40.

LIBER IVDICVM.

4 IAhel clauum ſupra tempus capitis Siſaræ. cap.7.nu.13 cap.24.nu.2.
5 Noua bella elegit Dominus. cap.24.nu.17.
De cœlo dimicatum eſt contra eos; ſtellæ manentes in ordine,& curſu ſuo. cap.24 nu.17.
6 Expreſſo vellere concham rore impleuit. cap. 8. nu.5. cap.16.nu.7. cap.24.nu.18. cap.29 nu.5. cap.32.nu.15.
7 Non eſt hoc aliud, niſi gladius Gedeonis. cap. 22.nu.13.
9 Vinum,quod lætificat Deum, & homines. cap.8. num.19.
Vna mulier fragmen molæ,&c. cap.24.nu.2.
11 Iephte occurrit vnicæ filiæ ſuæ, & fecit ei ſicut vouerat. cap.8. nu.11.
15 In maxilla aſini, & in mandibula, &c. cap.20. nu.2. cap.22. nu.15.
16 Moriatur anima mea cum Philiſtijm. cap. 22. num.6.
19 Filij Belial,ideſt abſque iugo. cap.22. nu.1.

RVTH.

3 PRiorem miſericordiam poſteriore ſuperaſti. cap.16.nu.2.
4 Sit exemplum virtutis in Ephrata. cap. 21. nume. 37.

INDEX.

REGVM I.

1 DAbo eum Domino omnibus diebus vitæ eius. cap.8.nu.11.
2 Donec ſterilis peperit plurimos. cap.28. num.8. cap.29.nu.8.
5 Intuleruntq. eam in templum Dagon,&c. cap.5. nu.51.cap.12.nu.2.cap.24.nu.5.
15 Melior eſt obedientia,quàm victimæ. cap.5. nume.10.
16 Dauid tollebat cytharam, &c. & recedebat à Saul ſpiritus malus. cap.11.nu.9.
17 Erat enim adoleſcens rufus, & pulcher aſpectu. cap.5. nu.46.
Prævaluitq. Dauid in funda, & lapide. cap. 23. num. 16.
Quinque limpidiſſimos lapides. cap.23. nu.16.
18 Expoliauit ſe Ionathas tunica,qua erat indutus. cap.8.nu.18.
Percuſſit Saul mille,&c. cap.23.nu.16.
25 Eratq. mulier illa prudentiſſima,&c. cap.9. nu. 4.cap.21.nu.13.

REGVM II.

1 SIcut ſcriptum eſt in lib. Iuſtorum. cap.22. num.2.
3 Et eleuetur Thronus Dauid ſuper Iſrael,&c.cap. 2.num.7.
6 Arca Domini in domo Obededon, &c. cap. 34. num.15.
Abijt Dauid, & abduxit Arcam Dei, erant cum Dauid ſeptem chori. cap.12.nu.16.
14 Mulier Thecuitis. cap.30.nu.5.
23 Quaſi tenerrimus ligni vermiculus. cap.8. num. 15.cap.23.nu.3.
23 Ciſterna,quæ eſt in Bethleem. cap.5.nu.35.

REGVM III.

2 AD Bethſabeem matrem Salomonis. cap.5. nu.35 cap.30.nu.11.
2 Et adorauit eam. cap.6.nu.2. & cap 36.nu.9.
Poſitusq. eſt thronus matri Regis,&c. cap.6.nu. 2.& cap.12.nu.15.
Equidem vir mortis es,&c.portaſti Arcam. cap. 34.num.21.
5 Præcepitq. vt tollerent lapides grandes. cap. 4. nu.6.cap.18.nu.6.
6 Aedificare cæpit domum Domino. cap.5.nu.38. cap.36.nu.11. & 22.
Duo altaria in Templo thymiamatis, & ſacrificiorum. cap.5.nu.34.
Et malleus,& ſecuris,& omne ferramentum non ſunt audita. cap.7.nu.15.cap.9. nu.18.
7 Fundamenta de lapidibus pretioſis. cap.4. nu.6.
8 Intulerunt Sacerdotes Arcam fœderis,&c. cap.5. nu.50.cap.12.nu.4.& 15. cap.19.nu.7.
Firmiſſimum ſolium tuum in ſempiternum. cap. 7.num.1.
10 Non ſunt allata tam multa aromata. cap. 12. num.6.
Fecit etiam Rex Salomon Thronum, &c. cap.2. nu.8.cap.5.nu.4.cap.6.nu.7.cap.9.nu.4.
Eburneus thronus. cap.7.nu.12.
Qui habebat ſex gradus. cap.36.nu.1.
Et duæ manus hinc, atque inde tenentes ſedile. cap.21.nu.29.
Non eſt factum tale opus in vniuerſis regnis. cap.2.nu.8.cap.15.nu.4.
18 Nubecula parua quaſi veſtigium hominis. cap. 3.nu.5.
22 Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium. cap. 1. nu.3.& 5.

REGVM IIII.

2 ET ecce currus igneus. cap.6.nu.4.
Et leuauit pallium Elię, quod ceciderat,&c. cap.8.nu.18.cap.28.nu.5.cap.36.nu.20.
4 Cumq. plena fuiſſent vaſa. cap.16.nu.12.
Mulier cum vocata fuiſſet,& ſtetiſſet ante oſtiũ. Tract.de Virg. nu.20.
10 Serui tui ſumus, & quæcumque dixeris faciemus. cap.26.nu.7.
20 Et reduxit vmbram per lineas, &c. cap.20. num.2.

PARALIPOMENON I.

16 TOnet mare,& plenitudo eius. cap.21.nu.1.
29 Opus namq.grande eſt, neq; enim,&c.cap. 4.nu.7 cap.18.nu.6.

PARALIPOMENON II.

7 OCuli mei erunt aperti,&c.in loco iſto.cap. 30.nu.13.
32 Vt interrogarent de portento, quod acciderat. cap.20.num.2.

TOBIAS.

12 EGo ſum Raphael Angelus, vnus ex ſeptem, &c. cap.26.nu.1.

IVDITH.

ET incidi præcepit aquæductum illorum. cap. 2.nu.29.& 34 cap.5.nu.35.cap.24.nu.19.
8 Hæc erat mulier famoſiſſima. cap.21.nu.36.
Nec erat, qui loqueretur de illa verbum malum. cap.4.nu.21.
13 Et abſcidit caput eius. cap.7.nu.13.
Benedixit te Dominus in virtute tua, &c. cap. 22.nu.16.cap.24. nu.17.
Benedictus Dominus, &c. quia hodie nomen tuum ita magnificauit. cap.4. nu.22. cap. 36. num.15.
14 Vna mulier Hebræa fecit confuſionem,&c. cap. 24. nu.7.
15 Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſrael. cap. 17. num. 9. cap. 34. num.12. & nu. 16. & cap.36. num. 12.
16 Tradidit eum in manus fœminæ. cap. 24. nume. 17.

Erat autem diebus festis procedens cum magna gloria.cap.29.nu.11.

ESTHER.

2 PRæcepit,vt acceleraret mundum muliebrem cap.32.nu.25.
Quæ noluit indicare ei populum, & patriam suam.cap.19.nu.7.
Ducta est itaq. ad cubiculum Regis, &c. cap. 6. nu.7.cap.12.nu.17.
Et posuit diadema Regni in capite eius. cap. 6. nu.2.cap.12 nu.17.
4 Nisi forte Rex auream virgam ad eum extenderit.cap.24.nu.10.
5 Venerunt itaq. Rex, & Aman ad conuiuium, quod eis Regina parauerat.cap.12.nu.17.
7 Etiam si dimidiam partem Regni mei petieris. cap.12.nu.17.cap.16. nu.2.
Intrauit in hortum arboribus consitum. cap. 6. num.12.
8 Iudæis noua lux oriri visa est.cap.14.nu.16. cap. 24.nu.16.
10 Paruus fons,qui creuit in fluuium, & in lucem &c. cap.5.nu.35.& 37.cap.21. nu.40.
15 Assumpsit duas famulas.cap.5.nu.7.
Et super vnam quidem innitebatur.cap 26.nu.7
Altera sequebatur defluentia in humum indumenta sustentans.cap.37.nu.1.
Non pro te,sed pro omnibus hæc lex, &c. & festinus exiliuit de solio sustentans eam. cap.7. num. 16.

IOB.

3 EXpectet lucem,& nõ videat, nec ortum surgentis Auroræ.cap.7.nu.13.& 17.
24 Si subito apparuerit Aurora, &c. cap.7. nu.17. cap.24.nu.18.
26 Qui extendit Aquilonem super vacuum.cap.25. num.2.
Et obstetricante manu eius,&c. cap.23. nu.4.
29 Gloria mea sẽper innouabitur,&c. cap.6. nu.6.
Pepigi fœdus cum oculis meis. Tract.de Virgin. num. 19.
38 Vbi eras cum me laudarent astra matutina? cap.17.nu.17.cap.26.nu.2.
Nunquid ostendisti Auroræ locum suum? cap. 12.nu.4.
Et viam sonantis tonitrui. cap.21.nu.42.
Nunquid eleuabis in nebula vocem tuam? cap. 28.nu.11.
Nunquid volet Rhinoceros seruire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum? cap.16. nu.13.
40 Stringit caudam suam quasi cedrum. cap. 31. num.2.
Ipse est principium viarum Domini. cap.14. nu. 3. & 4.
An extrahere poteris Leuiathan hamo? cap. 23. nu.1. & 3.
Aut armilla forabis maxillam eius?&c. cap. 23. num.3.
Nunquid illudes ei quasi aui?&c.cap.22.nu.17.
42 Et vocauit nomen vnius Diem,&c. cap. 14. num. 16.

LIBER PSALMORVM.

1 IN cathedra pestilentiæ non sedit. cap.1.nu.2.
7 Nisi conuersi fueritis,gladium suum vibrabit cap.22.nu.12.
8 Eleuata est magnificentia tua super cœlos. cap. 4.nu.2.cap.5.nu.3.cap.15.nu.4.
10 Expandit nubem.cap.16. nu.15.
Dominus in cœlo sedes eius. cap.1.nu.3.
11 Argentum igne examinatum.cap.5. nu.30.
16 Erue animam meam ab impio, & frameam tuam,&c. cap.22.nu.12.
17 Exaudiuit Dominus de templo sancto suo. cap. 16.nu.8.cap.30.nu.13.
Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine.cap.21.nu.1.
18 Et opera manuum eius annunciat firmamentum.cap.3.nu.1.
In omnem terram exiuit sonus eorum. cap. 22. num.14.
In sole posuit tabernaculum suum. cap.4. nu.14. cap.5.nu.37.
Tanquam sponsus procedens de thalamo suo. cap.5.nu.29.cap.17.nu.6.cap.29.nu.18.
Non est, qui se abscondat à calore eius. cap.16. num.7.
21 Longe à salute mea verba delictorum meorum, &c. cap.10.nu.4.
Ego autem sum vermis,& non homo.cap.23.nu. 2.cap.32.nu.21.
22 Virga tua,& baculus tuus ipsa,&c. cap.23. nu. 15.cap.24.nu.10.cap.34.nu.10.
Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos. cap.5.nu.35.cap.8.nu.20.cap.22.nu.13.
23 Psalmus ipsi *Dauid* prima sabbati.cap.14.nu.18
24 Vniuersæ viæ *Domini* misericordia, & veritas. cap.14.nu.3.
26 Quoniam abscondit me in tabernaculo suo.cap. 5.nu.37.
28 Sedebit Deus Rex in æternum. cap.1.nu.3.
29 Et abundantia in turribus tuis.cap.29.nu.2.
31 Veritas de terra orta est. cap.34.nu.16.
32 De præparato habitaculo suo respexit,&c. cap. 2.nu.11.cap.7.nu.1.
35 Torrente voluptatis tuæ potabis eos. cap.5. num.36.
41 Abyssus abyssum inuocat. cap.13.num.4.cap.16. num.15.
44 Speciosus forma præ filijs hominum.cap.9.nu.7.
Diffusa est gratia in labijs tuis.cap.21.nu.13.
Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.cap.22.nu.13.
Sedes tua Deus in seculum seculi. cap.1. num.1. cap.2.nu.8.
Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis à domibus eburneis,&c. cap.5.nu.27.& 30.cap. 7.nu.20.cap.8.nu.18.
Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, &c. cap.5. nu.5. cap. 6. nu.2.cap.7. nu.20. cap.12.nu.6.

Et

Et concupiſcet Rex decorem tuum.cap.5.nu.28. cap.36.nu.2.& 6.& cap.35.nu.1.
Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.cap.17.nu.17.& cap.35.nu.1.
Omnis gloria eius filiæ regis ab intus. cap.3.nu. 2.cap.5.nu.46.& 62.
In fimbrijs aureis cap.9. nu.4.
Adducentur Regi Virgines poſt eam.cap.12.nu. 11.cap.32.nu.30.
45 Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei. cap. 7.nu.16.
Sãctificauit tabernaculum ſuum Altiſſimus.cap. 5.nu.37.cap.7.nu.1.
Deus in medio eius non commouebitur. cap. 7. num.1.
Adiuuabit eam Deus mane diluculo cap. 7. nume.22.
Poſuit prodigia ſuper terram. cap. 7. num.16. & 24.
47 Pſalmus Cantici filijs Core ſecunda ſabbati. cap.14.nu.18.
Magnus Dominus,& laudabilis nimis. cap.4.nu. 8.cap.5.nu.25.
In Ciuitate Dei noſtri.cap.5.nu.25.cap.15.nu.3. cap.16.nu.13.
Fundatur exultatione vniuerſæ terræ. ibidem,& cap.7.nu.20.
Mons Sion,latera Aquilonis. cap.25.nu.2.
Deus in domibus eius cognoſcetur, cum ſuſcipiet.eam cap.15.nu.2.
Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui.cap.5.nu.38. cap.16. nu.8. cap.30. nu. 13.
Circumdate Sion,& complectimini eam.cap.38. nu.3.cap.39.nu.25.
Ponite corda veſtra in virtute eius, &c. cap.36. nu.2.& 19.
49 Sacrificium laudis honorificabit me,& illic iter. cap.38.nu.4.
51 Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei. cap.8.nu.9.
56 Exurge gloria mea,exurge pſalterium,& cithara.cap.11.nu.9.cap.30.nu.14.
59 Quis deducet me in Ciuitatem munitam? cap. 36.nu.2.
61 Duo hæc audiui, quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia. cap.16.nu.2. cap.20. num. 2.
62 Et in velamento alarum tuarum exultabo. cap. 40. nu 2.
65 Oculi eius ſuper gentes reſpiciunt.cap.25.nu.1.
Holocauſta medullata offeram tibi, &c. cap.12. num.9.
66 Terra dedit fructum ſuum.cap.13. nu.4.
67 Mons Dei,mons pinguis, mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare. cap.5.num.31.cap.8. num. 2.
Currus Dei decem millibus multiplex. cap. 8. num. 5.
68 Qui diligunt nomen eius habitabunt in ea.cap. 4.nu.23.cap.29. nu.1.
71 Deſcendit ſicut pluuia in vellus. cap.8.num.18. cap.28.nu.9.cap.32.nu.15.
Et dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine,&c. cap.2.nu.7.
72 Tenuiſti manum dexteram meam.cap.12.nu.17.
73 Operatus es ſalutem in medio terræ. cap.5. nu. 32.cap.17.nu.13.
Contribulaſti capita draconum, &c. cap. 22. num.13.
Fabricatus es Auroram. cap.24. nu.18.
74 Calix in manu Domini,&c. cap.28. nu.12.
75 Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. cap.33. nu.4.
76 Redemiſti in brachio tuo populum tuum. cap. 22.nu.15.
77 Et deduxit eos in nube diei.cap.3.num.5. cap.7. nu.17.cap.16.nu.15.
Panem Angelorum manducauit homo. cap. 28. nu. 12.
79 Qui ſedes ſuper Cherubim. cap.1.num.5.cap.8. num.44.
Deus virtutum conuertere viſita vineam iſtam. cap.22. nu. 18.
80 Buccinate in Neomenia tuba.cap.29.nu.11.
Cibauit eos ex adipe frumenti,&c. cap.8.nu.19.
82 Erubeſcant, &c. quia nomen tibi Dominus.cap. 5.nu.6.
84 Mitigaſti omnem iram tuam. cap.16.nu.13.
Veritas de terra orta eſt.cap.7. num.24. cap.17. num. 15.
Et terra noſtra dabit fructum ſuum. cap. 15. num.1.
85 Eruiſti animam meam ex inferno inferiori.cap. 7.nu.11.
86 Fundamenta eius in montibus ſanctis.cap.4.nu. 8.cap.7.nu.21.
Diligit Dominus portas Sion.cap.4 nu.8. cap.7. num.21.
Glorioſa dicta ſunt de te Ciuitas Dei.cap.4. nu. 8.cap.7.nu.21.
Memor ero Raab,& Babylonis,&c. Ecce alienigenæ,& Tyrus, &c. cap.30. nu. 14. & cap. 36. num.23.
Homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam Altiſſimus.cap.4.nu.8.cap.8.nu.2. cap.9.nu.13.
Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te.cap. 24.nu.2.cap.30.nu.14.
88 Tu humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbum. cap. 22.nu.13.
Et Thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo.cap. 2.nu.7.& 8.
91 Plantati in domo Domini in atrijs, &c. cap. 8. num.6.
92 Dominus regnauit decorem indutus eſt, &c. cap.22. nu.8.
Domum tuam decet ſanctitudo,&c. cap.5.num. 25.cap.7.nu.7.cap.13.nu.4.
93 Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo,conſolationes tuæ, &c. cap.11. nu. 9.cap.12.nu.14.
95 Adorate Dominum in atrio ſancto eius. cap. 2. nu.13.cap.5. nu.28.
Commoueatur mare.cap.32. nu.21.
98 In columna nubis loquebatur ad eos.cap.1.nu.7.
Qui ſedet ſuper Cherubim.cap.1.nu.5.

Ora-

101 Oratio pauperis. cap.12.nu.9.
102 Dominus in cœlo parauit ſedem ſuam. cap. 2. nu.7.cap.13.nu.4.
103 Qui ponis nubem aſſenſum tuum. cap.1. nu.7.
Et vinum lætificet cor hominis. cap.8. nu.21.
Draco iſte,quem formaſti ad illudendum ei.cap. 22.nu.17.
104 Expandit nubem in protectionem eorum, &c. cap.4.nu.6.
105 Pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem. cap.36.nu.3.
106 Viam Ciuitatis habitaculi non inuenerunt. cap. 36.nu.2.
Quia contriuit portas æneas. cap.22.nu.16.
Et vectes ferreos confregit. cap.22. nu.14.
109 Sede à dextris meis. cap.1.nu.1.
Virgam virtutis tuę,&c.dominare in medio,&c. cap.24.nu.9.cap.20.nu.14.
Ex vtero ante Luciferum genui te. cap. 24. nume.18.
Dominus à dextris tuis. cap.25. nu.5.
113 Cœlum cœli Domino,&c. cap.5. nu.37.
117 Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes. cap.23.nu.16.
23 Forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem. cap.28.nu.5.
126 Merces fructus ventris. cap.5.num.36.cap.15. nu.1.& 4. cap.22.nu.10.
131 Surge Domine in requiem tuam,tu, & Arca ſanctificationis tuæ. cap.2.nu.6. cap.5.nu.42. & 50.
De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. cap.1.nu.1.cap.17.nu.14. cap.32.nu.15.
138 Tu cognouiſti ſeſſionem meam. cap.2. nu.8.
Imperfectum meum viderunt oculi mei.cap.32. nu.15.
141 Conſiderabam ad dexteram, & videbam, &c. cap.25.nu.4.& 5.
143 Deus Canticum nouum cantabo tibi,in Pſalterio decẽ chordarum pſallam tibi. cap,21.nu.1.
Redemiſti ſeruum tuum de gladio maligno. cap. 7.nu.11.
146 Quoniam confortauit ſeras portarum tuarum, cap.7.nu.11.

PROVERBIA SALOMONIS.

8 EGo diligentes me diligo. cap. 29. nu.1. cap. 36.nu.6.
In vijs iuſtitiæ ambulo, vt ditem diligentes me. cap.34.nu.15.
Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum. cap.7.nu.21.cap.14.nu.2.vſque ad finem.
Ante omnes colles ego parturiebar; non dum erant abyſſi,&c. cap.14.nu.15.
Nunc ergo filij audite me, cap.36. nu.1.
Beati qui cuſtodiunt vias meas,&c. cap.37.nu.1.
Beatus homo,qui audit me,&c. cap.30.num.17. cap.34.nu.20.
Qui me inuenerit,inueniet vitam. cap.34. nu.20.
9 Sapientia ædificauit ſibi domum, &c. cap. 5. nu. 26.& 30. cap.7.nu.18. cap.9.nu.13.
Excidit colũnas ſeptẽ. cap.5.nu.26.cap.7.nu.25.
Miſcuit vinum in cratere,iuxta 70.& poſuit mẽſam. cap.8.nu.21.
18 Turris fortiſſima nomen Domini. cap.21. nu.9.
20 Rex qui ſedet in ſolio iudicij,&c. cap.1. nu.2.
30 Et viam viri in adoleſcentia. cap.32.nu.18.
31 Mulierem fortem quis inueniet?&c.cap.4.nu.9. cap.29.nu.5.
Procul,& de vltimis finibus. cap.4.nu.9. cap.24. nu.20.
Confidit in ea cor viri ſui,&c. cap.24.nu.3. cap. 36.nu.19.
Facta eſt quaſi nauis inſtitoris cap.8.nu.20.
Accinxit fortitudine lumbos ſuos, &c. cap. 24. nu.3.
Non extinguetur in nocte lucerna eius,&c. cap. 7.nu.17.cap.9.nu.4.cap.21.nu.8.
Fortitudo, & decor indumentum eius. cap. 21. nu.10.
Lex clementiæ in lingua eius.cap.16.nu.33.cap. 21.nu.19.
Surrexerunt filij eius, & beatiſſimam prædicauerunt; vir eius, &c. cap.17. num.12 cap.29. nu.22.
Multæ filiæ congregauerunt diuitias. cap. 5. nu. 9.cap.6.nu.5.& 7. cap 8.nu.6.cap.9.nu.2.
Omnes domeſtici eius induti ſunt duplicibus. cap.34. nu.14.
Date ei de fructu, &c. & laudent eam in portis opera eius. cap.12.nu.64.

ECCLESIASTES.

1 OMnia flumina intrant in mare. cap.3.nu.4. cap.4.nu.4. cap.11.nu.8.
7 Inueni amariorẽ morte mulierem. cap.24. nu.4.

CANTICVM CANTICORVM.

1 CVrremus in odorem vnguentorum tuorum. cap.21.nu.12 cap.36.nu.6.
Nigra ſum,ſed formoſa. cap.5.nu.58. & ſeq.
Poſuerunt me cuſtodem in vineis. cap.6.nu.6.
O pulcherrima inter mulieres. cap.5.num.58.& ſeq. cap.15. nu.6.
Equitatui meo in curribus Pharaonis, &c. cap. 20.nu.14 & ſeq. cap.24.nu.17.
Dum eſſet Rex in accubitu ſuo,nardus mea, &c. cap.21. nu.21.
Faſciculus myrrhæ dilectus meus, &c. cap.8.nu. 19.cap. 11.nu.3
Botrus Cypri dilectus meus, &c. cap.8. num.19. cap.11.nu.3.
2 Ego flos campi. cap.32.num.16. cap.16. num.5. & 14.
Lilium conuallium. cap.32. nu.16.
Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica, &c. cap. 5. num.61.cap.10.num.14. cap.7.nu.18. cap.32. num.16.
Sub vmbra illius quem deſideraueram ſedi, &c. cap.25.nu.3.
Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. cap.5.nu.10.cap.6.nu.6. cap. 21.nu.10.cap.29.nu.1.

Fulcite me floribus. cap.21. nu.5.
Læua eius ſub capite meo, & dextera illius, &c. cap.5.nu.21.
Columba mea in foraminibus petræ, &c. cap. 5. nu.64 cap.10. nu.11.
Sonet vox tua in auribus meis, &c. cap.5. nu.58. & ſeq. cap.30. nu.12.
Dilectus meus mihi,& ego illi,&c. cap.9.nu.10. & 15.cap.32.nu.26. Tract. de Virg.nu.14.
3 Paululum cum pertranſiſſem eos. cap.5.nu.3.
Sicut virgula fumi ex aromatibus,&c. cap.4.nu. 10.cap.5.num.38. cap.6.num.3. cap.21.nu.35. & 36.
Et lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt. cap.5.nu.4.cap.17.nu.15.
Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis libani. cap 5.nu 29.& 30 cap 8.nu.4.
Aſcenſus purpureus cap.5.nu.29. cap.12. nu.14.
Media charitate conſtrauit propter filias Ieruſalem. cap.5.nu 30.cap.10.nu.3.
4 Oculi tui columbarum,&c. cap.5.num.10.& 63. cap 24.nu.17.
Abſque eo,quod intrinſecus latet. cap.3. num.2. cap.5.nu.2.
Sicut Turris Dauid collum tuum. cap.7.num.20. cap.16.nu.8.cap.22.nu.8.cap.25.nu.2.
Mille clypei pendent ex ea. cap.5.nu.4. cap.30. nu.5.cap.36.nu.23 cap.37.nu.2.
Duo vbera tua ſicut duo hinnuli, &c. cap. 10. num 4.
Vadam ad montem myrrhæ, & collem thuris. cap.5 nu. 10.cap.7.nu.20.cap 9.nu 2.
Tota pulchra es amica mea,&c. cap.5. nu.53. & ſeq cap.7.nu 2.& 20.cap.9.nu.20.
De cubilibus leonum, & de montibus pardorum coronaberis. cap 5.nu.7.cap 6.nu.7.
Vulnerasti cor meum ſoror mea ſponſa. cap. 14. nu.15 cap.36 nu.6.
Fauus diſtillans labia tua. cap.16. nu.6. cap.17. num 6. cap 19.num.4.cap.21.num.15.cap 34. num.16.
Hortus concluſus fons ſignatus. cap.5. nu.33. & 36. cap.7.nu.12. cap.29.nu.20. cap.32. nu 17. & 28.
Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum. cap.32.nu.17.
Fons hortorum. cap.5. nu.33.
Surge Aquilo,&c. cap.25. nu.2.
5 Veniat dilectus meus. cap. 19. num. 4. cap. 29. nu.21.
Ego dormio,& cor meum vigilat.cap 21.nu. 30. cap.32.nu.25.
Dilectus meus candidus, & rubicundus. cap. 5. nu 46.53.& 54.
Comæ eius ſicut elatæ palmarum, nigræ quaſi coruus. cap.5.nu.54.
Nunciate dilecto, quia amore langueo. cap. 7. nu.6.cap.9.nu 10.& 17.
Species eius, vt libani. cap.5.nu.64.
O pulcherrima mulierum. cap.1. num.58. & ſeq. cap.9.nu.7.cap.24. nu.16.
6 Pulchra es amica mea,decora ſicut Ieruſalem. cap.4.num.6.cap.5.num.58.& ſeq.cap.6. num.11. cap.7. num.21. cap.24. num. 17.
Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum. cap. 22.nu 4.
Ad Areolam aromatum. cap.20.num.16.cap 21. nu.37.
Terribilis, vt caſtrorum acies ordinata. cap.24. nu.17.cap.26. nu.6.
Vna eſt columba mea,perfecta mea,vna,&c.cap. 14.nu.15.cap.20.nu.8.
Viderunt eam filiæ Sion, &c. Beatiſſimam prædicauerunt. cap.14.nu.15. cap.17.nu.17 cap. 29.nu.22.cap.34.nu.5.
Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens. cap 15.nu.6. cap.24.num.18. cap.26. nu.7.cap.29. nu.11.
Pulchra,vt Luna. cap.5.nu.58.& ſeq. cap.14.nu. 18.cap.16.nu.2 cap. 6.nu.7. cap 29. num.11. cap.30.nu.14.
Electa,vt Sol. cap.6.nu.4. cap.14.nu.15. cap.16. nu.2.cap.26.nu.7.cap.33.nu.4.
7 Quid videbis in Sulamite niſi choros caſtrorum. cap.24.nu.17.
Quam pulchri ſunt greſſus tui,&c. cap.5. nu.58. cap.7.nu.13.
Vmbilicus tuus crater tornatilis, &c. cap 8. nume. 21.
Venter tuus ſicut aceruus tritici vallatus lilijs. cap.8.nu.19.cap.20.nu.9.cap 28.nu.2. cap.32. nu.2.cap.34.nu.19.
Collum tuum ſicut turris eburnea. cap 6. nu.12. cap.7.nu.20.cap 21.nu 9.
Naſus tuus ſicut turris libani. cap.7.nu.1.
Caput tuum vt Carmelus. cap.6 nu 12.
Statura tua aſſimilata eſt palmæ. cap. 6. nu.2. & 12.cap.24.nu.3.
8 Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens? cap.5.nu.24.& 30.cap.6.nu.14.cap.15. nu.6.cap 7.nu.10.cap.21.nu.30.
Innixa ſuper dilectum ſuum. cap.6.nu.2. & 4.
Pone me,vt ſignaculum ſuper cor tuum.cap.10. nu.15.
Fortis eſt vt mors dilectio,&c. cap.9. nu.4. cap. 21.nu.16.
Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. cap.9 nu.3.
Si murus eſt,ædificemus,&c. cap.29.nu.3.
Ego murus,& vbera mea ſicut turris. cap.29. nu. 2.& 4. cap.35.nu.35.

LIBER SAPIENTIAE.

2 FElix eſt ſterilis,& incoinquinata,&c.cap.32 nu.5.& 6.
4 O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate. cap.32.nu.5.
6 Ipſi cura eſt de omnibus. cap.27.num.6. cap.29. num.2.
7 Quoniam horum omnium mater eſt. cap.16.nu. 10.cap 27.nu.6.
Speculum ſine macula. cap.7.nu.8. & 20.
In animas ſanctas ſe transfert. cap.1. nu.6.
Eſt hæc ſpecioſior ſole, & ſupra omnem diſpoſitionem ſtellarum luci cõparata.cap.14.nu.14.

8 Generositatem illius glorificat contubernium habens Dei. cap.9.nu.1.cap.36.nu.11.
10 In fraude circumuenientium illum, affuit illi. cap.24.nu.10.
14 Benedictum lignum, per quod fit iustitia. Tract. in salutationem Angelicam, ver. & benedictus fructus.
18 Cum quietum silentium contineret omnia,&c. cap.3.nu.2.
Omnipotens sermo tuus, &c. durus debellator, &c.cap.2.nu.12.cap.22. nu.14.

ECCLESIASTICVS.

1 ALtitudinem Cœli, latitudinem terræ, &c. cap.13.nu.4.
Ipse creauit illam in Spiritu sancto,& vidit, &c. cap.5.nu.2.cap 15.nu.6.
Et in die defunctionis suæ benedicetur. cap. 17. nu.16.
7 Noli quærere à Domino ducatum, nec à Rege cathedram honoris. cap.1. nu.2.
15 Obuiabit quasi mater honorificata. cap.34. nu. 11. cap.36.nu.9.
24 Et sicut nebula texi omnem terram. cap.25.nu. 2.cap.30.nu.5.
Ego in altissimis habitaui, & thronus meus in columna nubis. cap.1.nu.7.cap.3.nu.5. cap.4. nu.2.
Omnium excellentium,&c. cap.5.nu.51.cap.24. num.7.
Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. cap.4.nu.8.cap.5.nu.37.cap.8.nu.2.
In Iacob inhabita,in Israel hæreditare, & in electis meis mitte radices. cap.34. num.20. cap. vlt.nu.1.
In Ierusalem potestas mea. cap.2.num.3. cap.5. nu.7.cap.30.nu.10.
In plenitudine Sanctorum detentio mea. cap. 6. nu.5.cap.12.nu.15.cap.16.nu.15.
Quasi Cedrus exaltata sum in libano, quasi Cypressus in monte Sion, quasi Palma, &c. Plantatio rosæ,Oliua in campis,Platanus,&c.cap. 5.nu.64.cap.6.nu.2.& 5.cap.16.num.3.4.& 5. cap.29.nu.11.
Sicut Cinnamomum,& balsamum aromatizans. cap.16.nu.1.cap.21.nu.30.& seq.
Sicut myrrha electa. cap.21. nu.18.
Quasi balsamum non mixtum odor meus. cap. 21. nu.34.
Ego quasi Terebinthus extendi ramos meos. cap.21.nu.34.cap.34.nu.12.
Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris. cap.8.nu.22.cap.34.nu.12.
Flores mei fructus honoris,& honestatis. cap.8. num.9.
Ego mater pulchræ dilectionis,&c. cap.9.nu.20. cap.21.nu.7.& 8.cap.28.nu.12.
In me omnis gratia, viæ, & veritatis. cap.5. nu. 4.cap.16.nu.6.cap.28.nu.12.cap.34.nu.12.
In me omnis spes vitæ, & virtutis. cap.31. nu.9. cap.36.nu.23.
Transite ad me omnes,qui concupiscitis me,&c. cap.8.nu.23.cap.21.nu.9.cap 29.nu.5.cap.34. num.2.
Spiritus enim meus super mel dulcis,&c.cap.16. nu.2.cap.34.nu.12. & 16.
Qui elucidant me,vitam æternam habebunt. in Præfat.nu.3.cap.39.nu.25.
Ego quasi trames aquæ immensæ. cap. 6. nu.11. cap.16. nu.16.
Dixi rigabo hortum meum. cap.16. nu.16.
Sicut aquæductus exiui de paradiso, &c. cap.5. nu.34.cap.16.nu.16.cap.34.nu.2.
Penetrabo omnes inferiores partes terræ. cap. 14.nu.16.
26 Gratia mulieris sedulæ delectabit virum suum. cap.16.nu.15.
27 Stultus sicut luna mutatur. cap. 24. nu.7.
35 Speciosa misericordia Dei in specie ttibulationis,&c. cap.16.nu.7.
36 Vbi non est sepes diripietur possessio, & vbi non est mulier,ingemiscit egens.cap.29.nu.5. cap. 40.nu.5.
38 Altissimus de terra creauit medicinam.cap.20. nu.16.
39 Obaudite me diuini fructus,&c. cap.39. nu.4.
40 Iugum graue super filios Adam à die, &c. cap. 23.nu.14.
Gratia sicut paradisus in benedictionibus.cap.5. nu.23.
42 In medio mulierum noli commorari. Tract. de Virg.nu.22.
Sol illuminans super omnia respexit,&c.cap.33. num.4.
Gloria Domini plenum est opus eius. cap. 6. nu. 13.cap.15.nu.4.
43 Vas admirabile opus excelsi. cap.15. nu.4.
A luna signum diei festi.cap.31.nu.7.
Vas castrorum in excelsis in firmamento cœli glorioſe resplendens. cap.6.nu.4.
Vide arcum,& benedic eum. cap. 5. nu.64. cap. 16.nu.1.cap 31.nu.7.
Frigidus ventus Aquilo flauit,&c. cap.25.nu.2.
Medicinam omnium in festinatione nebulæ. cap. 25.nu.21,cap.28. nu.11.
In sermone eius siluit ventus. cap 24.nu.18.
49 Memoria Iosiæ in compositione odoris facta. cap.34.nu.17.
50 Quasi stella matutina in medio nebulæ. cap. 14. nu.16.
Quasi arcus refulgens, &c. & quasi flos rosarum in diebus vernis. cap.6. nu.2.

ISAIAS.

2 ET erit mons domus Domini in vertice mõtium. cap.4.nu.5. cap 5.nu.31.
Venite, & ascendamus ad montem Domini. cap. 5.nu.26.cap 34.nu.19.
4 Et tabernaculum erit in vmbraculum. cap.5.nu. 37. cap.30.nu.5.
6 Vidi Dominum sedentem super solium excelsum. cap.1.nu.3.& 5.cap.2.num.7.& 9. cap.4. nu.2.cap.7.nu.1.
Plena est omnis terra gloria eius. cap.15.nu.4.

Calculus, quem forcipe tulerat de altari. cap. 8. num. 3.
7 Pete tibi ſignum,&c. cap.20.nu.2.
Ecce Virgo concipiet, & pariet filium. cap. 32. num.18.
8 Sume tibi librum grandem. cap.5.nu.30.
Et acceſſi ad prophetiſſam, & concepit,& peperit filium,&c. cap.23.nu.4.
Voca nomen eius accelera,ſpolia,&c. cap.2.nu. 12.cap.23.nu.6.& 7.
9 Lætabuntur coram te, &c. Iugum enim oneris eius,&c. cap.23. nu.14.
Factus eſt principatus ſuper humerum eius. cap. 23.nu.14.
11 Egredietur virga de radice Ieſſe. cap.5. nu. 26. cap.16.nu.12.& 14.cap.20.num.14. & cap. 32. num.14.
Et delectabitur infans ab vbere,&c. cap.2.num. 12.cap.23.nu.4.
12 Exulta, &c. qnia magnus in medio tui ſanctus Iſrael. cap.8. nu.2.
14 Sedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. cap.1.nu.1.cap.7. nu.21.
16 Emitte Agnum dominatorem terræ de petra deſerti. cap.29. nu.20.
Et præparabitur in miſericordia ſolium, &c. cap.2.nu 9.cap.16.nu.8.cap.40.nu.18.
19 Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem. cap. 3.nu.5.cap.8.nu.5.cap.32. nu.18.
Et commouebuntur ſimulacra Aegypti. cap. 23.num.8,
27 In die illa viſitabit Dominus in gladio ſuo, &c. cap.22.nu.12. & ſeq.
Super Leuiathan ſerpentem vectem. cap. 22. nu.16.
29 Liber obſignatus. cap.5.nu.30.
30 Pauebit Aſſur virga percuſſus. cap.5.nu.49. cap. 24.nu.9.
35 Lætabitur deſerta,& inuia,&c. cap.23.nu 9.cap. 32.nu.18.
Exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium germinans germinabit,& exultabit lætabunda, & laudans. cap.23.nu.9.cap.37.nu.4.
In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur, &c. cap.23. num.4. cap.29. nume. 32.
37 Et Ciuitatem hanc non ingredietur,&c. cap. 7. nu. 21.
Quis menſus eſt pugillo aquas?&c. cap.1.nu.4.
45 Rorate cœli deſuper. cap.3. num.5. cap.24. nume.18.
Aperiatur terra, & germinet Saluatorem. cap. 20.nu.16.
49 Poſuit os meum, vt gladium acutum. cap. 22. num.12.
Dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea, &c. cap.9. nu. 20.
Viuo ego,&c. quia omnibus his velut ornamento veſtieris. cap.30.nu.8.
51 Attendite ad Abraham patrem veſtrum, & ad Saram. cap.37.nu.1.
52 Parauit Dominus brachium ſanctum ſuum, &c. cap.22.nu.15.
53 Brachium Domini cui reuelatum eſt? cap. 20. nu.2.cap.22. nu.15.
Aſcendit ſicut virgultum coram eo,&c. cap. 32. num.18.
56 Et nomen melius à filijs,& filiabus,&c. cap.32. nu.5.& 6.
58 Puteus aquarum,cuius non deficient aquæ. cap. 28.num.11.
60 Placabile altare meum. cap.30.nu.1.
62 Vocaberis voluntas mea. cap.6.num.7. cap.28. num.13.
63 Quare rubrum eſt indumentum tuum? cap.5.nu. 27.cap.8.nu.18.
Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum. cap.21.nu.8.
Tu enim Pater noſter,& Abraham neſciuit nos, &c. cap.28.nu.1.
67 Cœlum ſedes mea,terra autem ſcabellum, &c. cap.1.nu.3.4. & 6.
Antequam parturiret,peperit,&c. cap.3.num.2. cap.32.nu.18.
Parturiuit, & peperit Sion filios ſuos. cap. 27. num.9.
Ad vbera portabimini. cap.9.nu.5.

IEREMIAS.

1 AB Aquilone pandetur omne malum, &c. cap.25.nu.2.& 5.
9 Aſcendit mors per feneſtras noſtras, ingreſſa eſt domos noſtras. Tract. de Virg.nu.19.
17 Solium gloriæ altitudinis à principio. cap.1. nu. 7.cap.2.nu.9.cap.15.nu.5.
Expectatio Iſrael Domine. cap.2. nu.9.
18 Dorſum,& non faciem oſtendam eis, &c. cap. 25.nu.1.
25 Facta eſt terra eorum in deſolationem à facie iræ columbæ. cap.21.nu.43.
31 Quia creauit Dominus nouum ſuper terram. cap.15.nu.6.cap.20.nu.4.5. & 6.
Fœmina circumdabit virum. cap.2.num.13.cap. 16.nu.15.cap.17.nu.12.cap.20.num.2. cap.32. nu.19.cap.34.nu.5.

THRENI.

2 LVxit antemurale, & murus pariter diſſipatus eſt. cap.35.nu.35.
Magna eſt veluti mare contritio tua. cap.4. nu. 12.cap.11.nu.8.
3 Recordare paupertatis, & tranſgreſſionis meæ. cap.10.nu.4.cap.12. nu.9.
Oculus meus deprædatus eſt animam meam. Tract.de Virg. nu.19.

BARVCH.

3 QVam magna eſt domus Dei, & ingens locus?&c.in Præf.nu.5.cap.5.nu.26.& 27.

EZECHIEL.

1 APparuit rota ſuper terram, &c. cap. 6. nume.7.

10 Rotas iſtas vocauit volubiles. cap.6.nu.7.
29 Ecce ad te draco magne, &c. Agglutinabo piſces fluminum tuorum. Et proijciam te in deſertum. cap.22.nu.16.
32 Solem nube tegam. cap.3. num. 5. cap. 12. nume.15.
43 Hæc eſt lex domus in ſummitate montis, &c. cap.5.nu.26.cap.7. nu.18.
44 Porta hæc clauſa erit,non aperietur, &c. cap.2. nu.9.& 10.cap.5.nu.33. cap.16.nu.10. cap.32. num.19.

DANIEL.

2 DOnec abſciſſus eſt lapis de monte ſinè manibus. cap 5.nu.31.cap.23.nu.3.& 16.cap. 3 .nu.19.
3 Non tetigit eos omnino ignis. cap. 32. nu.13. & nu.23.
Benedictus es in templo ſancto gloriæ tuæ, &c.
Benedictus es in throno Regni tui, &c. cap.2. num. 11.
Benedictus es,qui intueris abyſſos. cap.1. nu.5.
4 Germen radicum eius in terra finite. cap. 16. num.12.
10 Angelus,qui Danieli apparuit. cap.5.nu.14.

OSEE.

2 ET dicam non populo meo:populus meus es tu. cap.16.num.8.

IOEL.

3 STillabunt montes dulcedinem. cap. 18. nume. 4.
Irrigabit torrentem ſpinarum. cap.32.nu.17.

MICHEAS.

4 VEnite, aſcendamus ad montem Domini. cap.34. nu.19.
6 Miſi ante faciem tuam Moyſen,& Aaron,& Mariam. cap.11.nu.6.cap.28.nu.7.

HABACVC.

3 DEſideratus cunctis gentibus. cap. 9. nume. 8.
Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud. cap.20.nu.2.
Domine audiui auditum tuum,& timui. cap. 2. nu.13.
3 De monte vmbroſo. iuxta verſionem 70. cap. 5. num.31.
Eleuatus eſt ſol,& luna ſtetit in ordine ſuo.iuxta verſionem 70. cap.14. nu.18.

ZACHARIAS.

3 ECce ego celabo ſculpturam eius,& auferam iniquitatem terræ in die vna. cap. 11. nume. 4.
4 Candelabrum aureum,& ſeptem lucernæ. cap.9. num.3.
Et ponam te quaſi gladium fortium. cap.22. nume 12.
Quid enim bonum eius,& quid pulchrum? nonne frumentum,&c. cap.8. nu.21.
13 Diſperdam nomina Idolorum de terra,&c. cap. 23. num.13.

MALACHIAS.

3 QVis poterit cogitare diem aduentus eius? cap.8.nu.14.
5 Mitto Angelum meum. Tract.de Virg. nu. 14.

MACHABEORVM II.

3 VIrgines,quæ concluſæ erant procurrebant ad Oniam. cap.8. nu.10.

Ex nouo Teſtamento.

EVANGELIVM SECVNDVM Matthæum.

1 INuenerunt puerum cum Maria matre eius. cap.2.nu.13.
Vocabis nomen eius Ieſum. cap.23. nu.12.
2 Obtulerunt ei munera,aurum,thus,& myrrham. cap.37. nu 13.
3 Sic decet nos implere omnem iuſtitiam. cap.21. num.23.
5 Beati pauperes ſpiritu, &c. cap.37. nu 14.
Quod ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te,erue eum,&c. Tract.de Virg.nu.19.
6 Pater noſter,qui es in cœlis. cap.15.nu.3.
12 Itaque licet ſabbatis benefacere. cap. 20. nume.13.
Quomodo poteſt quiſquam intrare in domum fortis. cap.23.nu.1.
Quicumque fecerit voluntatem patris mei, &c. cap.28.nu.13.
13 Et dabant fructum, aliud centeſimum, &c. cap. 32.nu.6.
Simile eſt regnum cœlorum fermento, &c. in farinæ ſatis tribus,&c. cap 8.nu.20.
Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro. cap.18.nu 10.
Non ne mater eius dicitur Maria. cap. 21. nume.25.
19 Sunt Eunuchi,qui ſe ipſos caſtrauerunt,&c.cap. 32.num.5.
Ecce nos reliquimus omnia,& ſecuti ſumus te. cap.37. nu.10.
Vos, qui ſecuti eſtis me ſedebitis, &c. cap. 1. num.2.
23 Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, &c. cap.1.num.2.
25 Vſque ad ſanguinem Zachariæ,quem occidiſtis, &c. cap.32 nu.12.
Acceptis lampadibus non ſumpſerunt oleum ſecum. Tract. de Virg.nu.54.

Intra in gaudium Domini tui. cap.27.nu.1.
Cum venerit filius hominis in maieſtate, &c. capit.1.nu.2.

EVANG. SECVNDVM MARCVM.

8 EXpuens in oculos eius impoſitis manibus, &c. cap.22.nu.7.
16 Prædicate Euangelium omni creaturæ,&c. cap. 14.nu.12.
26 Sedet à dextris Dei. cap.1.nu.1. & 2.

EVANGEL. SECVNDVM LVCAM.

1 SIcut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt,&c. cap.19.nu.2.
Aue gratia plena, &c. Tota Angelica ſalutatio explicatur in Tract.de ſalutatione Angelica.
Aue. cap.5.num.12.
Gratia plena.cap.4.nu.5.& 9.in toto cap.13.cap. 22. nu.10.cap.29.nu.11.cap.32.nu.23.
Dominus tecum. cap.5.nu.39.cap.8.num.2.cap. 12.nu.17.cap.30.nu.10.
Benedicta tu in mulieribus. cap.17. nu.18.
Turbata eſt in ſermone eius. cap.26.nu.10.
Inueniſti gratiam. cap.4.nu.9.cap.16.nu.8. cap. 17.nu.4.cap.26.nu.3.
Quomodo fiet iſtud,&c. cap.5.nu.9.cap.21.nu.8.
Spiritus ſanctus ſuperueniet in te.cap.5.n.8.& 9.
Et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. cap. 5. nu. 2.& 9.
Quod naſcetur ex te ſanctum.&c. cap.23. nu.6.
Ecce Ancilla Domini fiat mihi, &c. cap.5.nu.9. cap.7.nu.21.cap.15.nu.1.cap.17.nu.6.cap.21. nu.22.cap.37. nu.6.
Benedictus fructus ventris. cap.8. nu.19.cap.15. nu.1.cap.21.nu.37.
Exultauit in gaudio infans in vtero, &c. cap.8. nu.4.cap.23.nu.7.cap.32. nu.25.
Et beata,quæ credidiſti,quoniam, &c. cap.6.nu. 1.cap.11.nu.6.cap.21. nu.8.
Magnificat anima mea Dominum, &c. cap.21. nu.10.& 23.
Exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. cap.9.nu.12.
Quia reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ. cap.12. nu.13.cap.21.nu.21.& ſeq.
Quia fecit mihi magna,qui potens eſt. cap.5.nu. 7. cap.15.nu.3.
Fecit potentiam in brachio ſuo,&c. cap. 22. nu. 15.cap.23.nu.5.
Manſit autem Maria cum illa, quaſi menſibus tribus. cap.17. nu.12.
Benedictus Dominus Deus Iſrael,quia viſitauit, &c. cap.22.nu.18.
Oriens ex alto,&c. cap.21.nu.29.& 41.
2 Par turturum, aut duos pullos columbarum. cap.37.nu.8.
Tuam ipſius animam pertranſibit gladius, &c. cap.9.nu.2.& 18.& toto cap.10.cap.11.nu.5. cap.29. nu.18.
Et erat ſubditus illis. cap.32.nu.4.
6 Singulis manus imponẽs,curabat oẽs. c.22.nu.7.
5 Relictis omnibus ſecuti ſunt eum. cap.37.nu.12
10 Ecce dedi vobis poteſtatem,&c. cap.22.nu.17.
Intrauit in quoddam caſtellum, & mulier quædam,&c. cap.21.nu.29.cap.34.nu.8.
Optimam partem elegit,&c. cap.32.nu.23.
11 Beatus venter,qui te portauit. cap.8.nu.4. cap. 17.nu.9.
16 Et portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.cap. 6. nu. 4.
18 Ecce nos dimiſimus omnia,&c. cap.37.nu.18.
22 Et factus eſt ſudor eius ſicut guttę ſanguinis decurrentis in terram. cap.10. nu.11.
23 Filiæ Ieruſalem nolite flere ſuper me, ſed, &c. cap.10.num.4.

EVANGEL. SECVNDVM IOANNEM.

1 DE plenitudine eius nos omnes accepimus. cap.14.nu.9.
2 Et deficiente vino dicit Mater Ieſu, &c. cap.20. nu.12.cap.29.nu.2.& 9.
8 Abraham pater veſter exultauit, vt videret diẽ, &c. cap.17.nu.14.
9 Fecit lutum ex ſputo,&c. cap.22.nu.7.
10 Per me ſi quis introierit,ingredietur,& egredietur. cap.5.nu.36.
12 Niſi granum frumenti cadens in terram, &c. cap.28.nu.1.
13 Filioli adhuc modicum vobiſcum ſum. cap. 28. num. 1.
18 Vt ergo dixit eis ego ſum: abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram. cap.21.nu.42.
19 Stabãt autem iuxta crucem Ieſu,&c. cap.10.nu. 1. cap.11.nu.5.
Mulier ecce filius tuus,&c. cap.11.nu.6. cap.27. nu.7.cap.28.nu.11.cap.34.nu.11. & 18.
Ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua. cap. 29.num.1.

ACTVS APOSTOLORVM.

1 SIc veniet quemadmodum vidiſtis eum, &c. cap.25.nu.1.
Perſeuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus,& Maria matre Ieſu. cap.21. nu.28.
Cecidit ſors ſuper Matthiam. cap.8. nu.11.

EPIST. B. PAVLI APOST. AD ROMANOS.

1 PRædeſtinatus eſt filius Dei in virtute. cap. 14.num.8.& 15.
7 Quod habitat in me peccatum. cap.7.nu.24.
Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri,&c. cap.14.nu.8.cap.34.nu.18.
13 Et induamur arma lucis.cap.8.nu.18.c.28.nu.1.

EPIST. AD CORINTHIOS I.

7 QVi habent vxores tanquam non habentes. Tract.de Virg.nu.81.
15 Alia claritas ſolis,alia claritas Lunæ,& alia claritas ſtellarum. cap.3.nu.4.cap.6.nu.4.
15 Secundus homo de cęlo cęleſtis. cap.3.nu.2.

EPIST. AD GALATAS.

2 QVi dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me. cap.9.nu.10.

EPIST. AD EPHESIOS.

1 PRædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Chriſtum in ipſum. cap.14.nu.8.
4 Inſtaurare omnia in Chriſto,&c. cap.14.nu.12.
5 Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto,& Eccleſia. cap.14.nu.11.
6 Aduerſus Principes,& poteſtates. cap.8.nu.1.

EPIST. AD PHILIPPENSES.

2 HAbitu inuentus,vt homo. cap.5.nu.27.cap. 8.num.18.
Noſtra autẽ conuerſatio in cęlis eſt. cap.1.nu.6.

EPIST. AD HEBRAEOS.

2 QVi enim ſanctificat,& qui ſanctificantur,ex vno omnes. cap.22,nu.8.
4 Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ. cap.30.nu.5.cap.vlt.nu.18.
6 Quam ſicut anchoram animæ habemus. cap.21. num.9.
9 Thuribulum aureum. cap.30.nu.1.cap.21.nu.29.
Per amplius, & perfectius tabernaculum non manufactum. cap.22.nu.9.
Et adorauit faſtigium virgæ eius. cap.24.nu.9.

EPIST. B. IACOBI APOSTOLI.

1 GEnuit nos verbo veritatis,vt ſimus initium aliquod creaturæ eius. cap.14.nu.4.

APOCALYPSIS B. IO. APOSTOLI.

1 ET à ſeptem ſpiritibus,qui in conſpectu throni eius ſunt. cap.26.nu.1.& 5. & Tract.de Templis. nu.21.
2 Scio,&c.vbi ſedes eſt Satanæ.cap.1.nu.1.
Et dabo illi ſtellam matutinam. cap.31.nu.5.
3 Dabo eis ſedere mecum in throno meo. cap.27. num.1.
4 Viſio cap. 4. fere explicatur toto hoc libro, ſed breuiter attingitur. cap.2.nu.1.& ſeqq.
Sedes poſita erat in cœlo. cap. 1. & ſeq. fuſe etiam toto cap. 14.
Et ſupra ſedem ſedens. cap.15.nu.1.
Et Iris erat in circuitu ſedis,&c. cap. 2. nu.3. & toto cap.16.
Et ſuper thronos vigintiquatuor ſeniores ſedentes.toto cap.17.
Et procedebant ante thronum,&c. cap.17.num. 10.& 11.
Et de throno procedebant fulgura,voces, & tonitrua à cap.20.vſque ad cap.25.
Et ſeptem lampades ardentes ante thronum,qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei,toto cap.26.
Et in conſpectu ſedis tanquam mare vitreum. cap.17.nu.18.
Et in circuitu ſedis quatuor animalia,toto c.19.
5 Vicit leo de tribu Iuda. cap.11.nu.9.
Habentem cornua ſeptem. cap.20.nu.41.
Et audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni. cap.26.nu.13.
7 Stantes ante thronum. cap.17. nu.18.
Et omnes Angeli ſtabant in circuitu throni.cap. 26.num.13.
Agnus,qui in medio throni eſt. cap.8. nu.2. cap. 15.num.1.
8 Et alius Angelus venit, & ſtetit.& totum initiũ cap.8.declaratur cap.30.nu.1.
11 Viſa eſt Arca teſtamenti eius in Templo.cap.5. nu.50.cap 20. nu.1.
12 Signum magnum apparuit in cœlo,mulier amicta ſole.& totum huius capitis initium declaratur cap.3.nu.2. & cap.31.nu.1.
Mulier amicta ſole. cap.5. nu.49. cap.8.num.13. cap.9.nu.2.& 4. cap.12.num.10.& 15. cap.30. nu.16.cap.31.nu.1.& ſeq.
Et luna ſub pedibus eius. cap.2.nu.3.cap.5.nu.7. cap.7.nu.13.cap.24.nu.7.cap.30.nu.8. cap.31. num. 2.
Et in capite eius corona ſtellarum duodecim. cap.5.nu.4.cap.6.nu.3.cap.39. nu.15.
Et ecce draco magnus rufus. cap.22.nu.17. cap. 24.nu.4.cap.31.nu.2.
Et cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cœli. cap.22.nu.16.
Vt cum peperiſſet,filium eius deuoraret. cap.7. num.17.
Et raptus eſt filius eius ad Deum,& ad thronum eius. cap.2.nu.5.cap.31.nu.4.
Factum eſt prælium magnum in cœlo,&c. cap.7. num.21.
Et Angeli eius cum illo miſſi ſunt. cap.22.nu.16.
Et ipſi vicerunt eum propter ſanguinem Agni. cap.26.nu.4.
Abijt facere prælium cum reliquis, &c. cap.22. nu.2. cap.27. nu.4.
13 Blaſphemare nomen eius,& tabernaculum eius. cap.24.num.4.
14 Vidi ſupra montem Sion Agnum,& cum eo centum quadragintaquatuor millia.& totum huius capitis initium explicatur. cap.32.nu.1.& ſeq.Tract.de Virg.nu.1. & 31.
Cantabant quaſi canticum nouum. cap.32.num. 1.& ſequ.
16 Et facta ſunt fulgura,voces,&c. cap.20.num.36. cap.33.num.3.
17 Aquæ populi ſunt. cap.17.nu.18.
18 Exulca ſuper eam cœlum,&c. cap.33.nu.2.
19 Audiui quaſi vocem turbarum multarum. cap. 33.num.2.
19 Et vox de throno exiuit,&c. cap.33.nu.1.
21 Et qui loquebatur mecum habebat menſuram. cap.12.num.14.

Finis Indicis ſacræ Scripturæ.

IN-

INDEX EXEMPLORVM, SIVE MIRACVLORVM B.MÆ MARIAE VIRGINIS DEIPARAE,

Quæ in hoc Opere, & eius Appendice continentur, eodem quo recenſentur ordine, deſcriptus.

MARIAE nomen deſcriptum reperitur in roſis, è Ioſcij Monachi capite, poſt obitum progreſſis. capite 4. nu. 24

B. Virginis pulchritudinem, Clericus eidem deuotus conſpicit. capite 5. nu. 61.

Incarnationis Chriſti myſterium abſque debita veneratione recolens quidam Monachus, à dæmone corripitur. cap. 8. nu. 14.

EX CAP. XVI.

PEccator quidam Deiparæ meritis ad pœnitentiam reuocatur. nu. 17.

Miſericordia Deiparæ ſub typo ſcalæ albæ fratri Leoni ſignificatur. nu. 18.

E purgatorij flammis animas plurimas extrahit Deipara nu 19.

Infans Deiparã pro mundo exorantem vidit. nu. 20.

Imago Deiparæ, ad indicãdum patrocinium pro peccatoribus ſuſceptum, ſudat. ibidem

Religioſi duo Deiparam pro mundi reparatione deprecantem vident. nu. 21.

Aliud ſimile exemplum. nu. 22.

Miſerationem diuinam noſtris ſceleribus retardari. ibidem.

EX CAP. XX.

IMago Deiparæ Sozopoli ſaluberrimum vnguentum fundens nu 15.

Templum ſibi ædificari Deipara mandat Leoni I. Imperatori, eiq. Imperialem dignitatem prænunciat. nu. 15.

Templum B Virginis in Monte Peſſulano miraculis celeberrimum nu. 16.

Purificationis ſolemnitate inſtituta, ſæuiſſima lues per Deiparam ceſſat. nu. 17.

Per imaginem Deiparæ, ſæuiſſima lues ab Vrbe depellitur. nu. 18.

Baſiliſcus peſtilentem exhalans ſpiritum, Deiparæ ope arcetur. ibidem.

S. Vuilfridus Archiepiſcopus, à Deipara valetudinem recipit num. 19.

S. Io. Damaſceno amputata dextera, à Deipara reſtituitur. nu. 20.

Infirmus quidam à SS. Coſma & Damiano Deiparæ iuſſu ſanatur nu. 21.

Mulier in medijs fluctibus Deiparæ auxilio parit. ibidem.

Reginaldus Aurelianenſis Decanus, à B. Virgine ſanatur. nu 22.

Duobus inſanabili morbo laborantibus, à Deipara valetudo reſtituitur. nu. 23.

Iudæa Segoutæ è præcipiti loco deiecta, à Deipara ſeruatur. nu. 23.

Lauretanæ Domus miracula plurima. nu. 26.

B. Iacobus de Marchia, ab inſanabili morbo à B. Virgine Lauretana liberatur. ibidem.

Paralyticæ duæ in Lauretana Domo ſanantur. ibid.

Mulier quædam iugulata, à Deipara Lauretana valetudini reſtituitur. nu. 27.

Marchio Badenſis in Lauretana æde à Deipara ſanatur. nu. 27.

Sacerdos Dalmata, auulſa ſibi viſcera manu deferẽs, Lauretanam ædem inuiſit nu. 28.

Miracula B Virginis in Templo oppidi Hallenſis in Belgio. nu. 33.

Pueri duo mortui, B Virginis Hallenſis munere ad vitam reuocantur. nu. 34.

S. Dominicus cum S. Franciſco, à Deipara Chriſto contra homines irato offeruntur. nu. 37.

Aliud ſimile exemplum. ibidem.

B. Ignatio Loyolæ Deipara apparet, eumq. ad Chriſti vexillum perducit. nu. 42.

Societatem Ieſu, ſub ſuo Deipara pallio tueri, P. Martino Guttierez viſa. ibidem.

Alia ſimilia exempla. ibidem.

S. Gregorius Thaumaturgus B. Virginis iuſſu ſanctiſſimæ Trinitatis myſteria, à S. Io. Euangeliſta edocetur. nu. 47.

Theophilus, qui chirographo ſe dæmoni deuouerat, per B. Virginem Deo reconciliatur. nu. 48.

S. Maria Aegyptiaca à Deipara ad ſcelerum pœnitentiam peragendam iuuatur. nu 49.
S. Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus errati veniam per B. Virginem conſequitur. nu. 50.
Muſa puella à Deipara monetur, vt à ludis puellaribus abſtineat. ibidem.
Peccatoris cuiuſdam conuerſio per Deiparam. nume. 51.
Diaconus quidam mortuus, vt pœnitentiam ageret à Deipara ad vitam eſt reuocatus. ibid.
Hæreticæ mulieri S. Sepulchri ingreſſus à Deipara prohibetur. nu. 52.
Eskillus viſione quadam à Deipara corripitur. ibidem.
Ciſtercienſis, qui in Templo dormitabat, à Deipara reprehenditur. nu. 53.
Ciſtercienſis, corporis curæ nimis deditus à Deipara corripitur. ibidem.
Hebræus, Pheretrum, quo Deiparæ corpus portabatur temere contingere auſus, dat pœnas, ſed culpam agnoſcens ſanatur. nu. 54.
Militis audacia, qui nec ipſam verebatur Deiparã, contunditur. nu. 55.
Aliud ſimile exemplum. ibidem.
Hæreticus ſimulachrum Deiparæ confringens, vulneratur. ibidem.
Petrus Aragonius, qui in Templum B. Virginis à Carmelo, ænea tormenta diſplodenda curauerat, pila ænea ictus occiditur. nu 56.
Imago S. Mariæ ab Arcu, pila lignea percuſſa, ſanguinem emittit, percuſſore mulctato. nume. 57.
Mulier blaſphemans nomen S. Mariæ ab Arcu, pedum abſciſſione punitur. nu. 58.
Iulianus Apoſtata, Deiparæ iuſſu, à S. Mercurio martyre interficitur. nu. 59.

EX CAP. XXIV.

CLericus cæcus in ſolẽnitate Purificationis Deiparæ lumen recipit. nu. 4.
Puer, qui Deiparæ laudes canebat, à Iudæis iugulatus non perijt. ibidem.
Fulbertum Carnotenſem Epiſcopum morientem ſacratiſſimo lacte Deipara recreat. nu. 11.
Opportunæ virgini de obitu admonitæ, in ſuprema hora Deipara adeſt. nu. 12.
S. Arnulphi Epiſcopi ſimile exemplum. ibid.
Aliud ſimile exemplum. nu. 13.
S. Richardus Epiſcopus Ciceſtrenſis Mariæ nomen ſæpius in ſuprema hora ſibi inclamari iubet. ibidem.
Viduæ ægrotanti Deipara adeſt, eidem defunctæ iuſta perſoluit. nu. 14.
Lyduuinæ virgini morienti B Virgo apparet, ac purgatorij pœnas commutat. ibid.
Innocentius III. in obitu, peccatorum contritionem per Deiparam obtinet. nu. 15.
Aliud ſimile exemplum. nu. 10.
Iuſtina virgo tentationis vim per Deiparam ſuperat. num. 19.
Miles, qui Chriſtum abnegarat, per B. Virginem reconciliatur. num. 20.

EX CAP. XXIX.

SAnctus Alexius à Deipara commendatur. nume. 2.
S. Cæciliæ corpus, ne à Longobardis raperetur Deipara effecit. nu. 3.
S. Bonnitus Epiſcopus cœleſti veſte à Deipara donatur. ibidem.
Iudæi filium, B. Virgo ab incendio liberat. nu. 9.
Complura exempla, quæ ſabbatum Deiparæ ſacrum oſtendunt. nu. 16. & ſeqq.
Lauretana B. Virginis domus ab Angelis in Dalmatiam, ac poſtea in Picenum tranſlata. nu. 27.
Quidam ab igne incolumis ſeruatur, qui B. Virginis patrocinium implorarat. nu. 37.
Mariæ nomen inuocans ab inſultu dæmonis liberatur. nu. 42.
Dæmon imaginis Deiparæ cultum infenſiſſimum ſibi eſſe fatetur. nu. 45.
Ioannis Anachoretæ erga Deiparæ imaginem Pietas miraculis confirmatur. nu 46.
Exempla aliquorum, qui B. Virginis imagines, Sanctorumq. reliquias ſummopere ſunt venerati. nu. 47. & 48.
Reliquias B. Virginis deferens quidam, incolumis ab illata ſibi cæde ſeruatur. nu. 49.
S. Ildefonſo Archiepiſcopo Caſulam Deipara donat. num. 58.

EX CAP. XXX.

REligioſum ſibi deuotum Deipara ex inferorum faucibus eripit. nu. 11.
S. Meinulphus Deiparæ precibus vitæ reſtituitur. num. 15.
Inferorum pœnas euadit Religioſus quidam, interceſſione Deiparæ. ibidem.
Aliud ſimile exemplum. ibidem.

EX CAP. XXXII.

SAnctus Edmundus B. Virginis ope virginitatem ſeruat. num. 28.
Reginaldus infirmus, corporis valetudinem ac virginitatis munus à Deipara conſequitur. nu. 29.

EX CAP. XXXIV.

REligioſorum Ordines á Deipara inſtituti, qui ab ea Religionis habitum acceperunt. nu. 12.
Angelicam ſalutationem pronunciantes aliqui, ſenſibili oris dulcedine reficiebantur. nu. 17.
S. Elzearium Ariani Comitem B. Virgini Chriſtus commendat. nu. 25.
Simile exemplum de B. Gertrude. ibid.
Latro die ſabbati ieiunans, poſt abſciſſum ſibi caput, B. Virginis munere confitetur. nu. 24.
Militis Deiparæ deuoti, anima in confoſſo corpore multis annis ſeruatur, donec peccatorum confeſſione expiatur. nu. 25.
Vir in Danubio demerſus, Virginis beneficio ſeruatur. num. 26.

EX CAP. XXXV.

EXempla plurimorum, qui pietati erga Deiparam singulariter fuere addicti. toto cap. 35.

S. Nicolaus à Deipara Episcopalia insignia accipit. num. 3.

Carthusiani ab animi angustijs per B. Virginem liberati. num. 4.

Sanctus Edmundus à S. Ioanne Euangelista monetur, ne consuetas preces Deiparæ omittat. ibidem.

S. Bernardus infirmus à Deipara valetudinem recipit. ibidem.

B. Consaluus ab Amarantha ad Prædicatorum ordinem à Deipara mittitur. nu. 7.

Prædicatorum Ordo à molestijs plurimis per Deiparam liberatur. ibidem.

Sanctus Franciscus de Assisio Indulgentias Templo Portiunculæ, per B. Virginem impetrat. num. 8.

Coronæ sertum à Beatissima Virgine institutum. num. 9.

S. Antonius Patauinus implorata B. Virginis ope dæmonem effugauit. nu. 10.

Sanctus Thomas Aquinas Angelicam salutationem in pagella descriptam, infans deglutiuit. num. 11.

B. Maria de Oegnies cum Templum B. Virginis inuiseret, Angelorum custodia è periculis seruabatur. nu. 13.

B. Andreæ Episcopo Fesulano Deipara apparet. nume. 14.

S. Catharina Senensis dum Angelicam salutationem pronunciaret, Angelorum ministerio ferebatur. num. 15.

S. Vincentij Ferrerij virginitatem cõtra dæmonum insidias Deipara tuetur. nu. 16.

S. Bernardino Senensi coronam recitanti B. Virgo apparet, ac in eum plurima munera confert. nume. 17.

B. Ignatio Loyolæ Deipara apparet. nu. 20.

Idem dum horarias B. Virginis preces pronunciaret, mirificam sanctissimæ Trinitatis cognitionem habuit. nu. 20.

Ob merita deuotionis eiusdem erga Deiparam, dæmon expellitur. nu. 22.

Imaginem B. Virginis ex Beati Ignatij Azebedi manibus extrahere Hæretici frustra conantur. num. 27.

Societatis Iesu Patres à molestijs per B. Virginem liberati. nu. 28.

B. Francisci Xauerij ad Deiparam precibus, auulsa à naui Scapha post triduum recuperatur. nu. 29.

B. Stanislao Kostkæ Deipara apparet, eumq. infirmum valetudini reddit, & ad Societatem Iesu vocat. nu. 31.

B. Aloysij Gonsagæ mater in partu laborans, Lauretanæ Virginis munere, eundem feliciter edit. num. 32.

B. Aloysius Gonsaga dum Deiparæ se commendat, cœlesti voce ad Societatem Iesu vocatur. nume. 32.

B. Philippo Nerio Deipara apparet, eumq. infirmum sanat. nu. 34.

Tres pueri ingentes columnas B. Virginis ope attollunt. nu. 35.

S. Henrico Imperatori B. Virgo apparet, eiusq. virginitatem commendat. nu. 36.

EX CAP. XXXVI.

VValterus de Birbach B. Virginis deuotus aurea cruce, alijsq. muneribus ab ea donatur. num. 4.

Alexander Alensis pro Virginis amore aliquid petentibus non denegabat. nu. 7.

Religiosus quidam B. Virginis deuotus à desperationis discrimine, ac dæmonum molestijs per eam liberatur. ibidem.

Sanctæ Heduuigis Poloniæ Ducissæ, digiti Deiparæ imaginem ferentes diu post obitum incorrupti, inueniuntur. nu. 7.

Mariæ nomen inuocantes à dæmonum molestijs liberantur. nu. 21.

B. Catharina Sueda per Angelicam salutationem miracula edit. nu. 24.

Exempla aliquorum, qui per Angelicam salutationem à dæmonum molestijs sunt liberati. nume. 25.

Matrona quædam ab oppressione per Angelicam salutationem liberatur. nu. 26.

S. Gulielmo Eremitæ à dæmonibus cæso Deipara valetudinem reddit. ibidem.

Imago Deiparæ pro viro sibi deuoto se obijciens, iaculum excipit. ibidem.

Mulier B. Virginis deuota ab insidijs sibi à dæmone paratis eripitur. nu. 27.

Cisterciensis quidam, qui in confessione peccata omiserat, morti proximus à B. Virgine ad pœnitentiam reuocatur. nu. 28.

Alia similia exempla. ibidem.

Matrona quædam Deiparæ deuota post obitum resurgens, peccati noxam confitetur, quam viuens in confessione occultarat. nu. 29.

Mulier ad ignem damnata, per Deiparam incolumis seruatur. nu. 30.

Miles B. Virginis deuotus per eam ab instanti necis periculo liberatur. ibidem.

Vulneribus confossus quidam ab inimicorum manibus Lauretanæ Virginis ope sanatur. nu. 31.

Quidam è naufragio Lauretanæ Virginis ope bis eripitur. nu. 32.

Infirmi duo per Lauretanam Virginem valetudini restituuntur. ibidem.

Monachis egestate oppressis, Deiparæ beneficio, Annona subministratur. nu 33.

Imago Deiparæ pro pecunia in fideiussionem à Mercatore cuidam Iudæo data, illum ad debiti solutionem mirifice adiuuat. nu. 34.

Sterilis mater S. Ildefonsi voto B. Virgini facto concepit. nu. 35.

Alia similia exempla, & apparitiones Deiparæ. ibidem, & nu. 36. & 37.

Cistercienſium Ordinis immunitas ab Innocentio III. Deiparæ monitu seruata. nu. 38.

Ciſtercienſes Monachi ab exilio, per Imperatorem intentato, liberantur. nu. 39.
S. Bonifacio Epiſcopo Deipara duodecim aureos nummos, quos in eleemoſynam erogarat, reſtituit. ibidem.
Pſalterium petenti puellæ à Deipara donatur. ibidem.
Hermannus Contractus ſcientiarum eruditionem à B. Virgine conſequitur. nu. 41.
Simile exemplum de Ruperto Tuitienſi nu. 42.
Albertus Magnus ad religioſam vitam à B. Virgine vocatur, per quam etiam philoſophicæ ſcientiæ peritiam obtinet. nu. 43.
SS. Theodorus, & Theophanes fratres in cruciatibus Deiparam inuocabant. nu. 44.
B. Andreas de Cbio martyr cruciatus plurimos B. Virginis inuocatione ſuperat. nu. 45.
Mulieres duæ B. Virgini commendatæ per eam ab inſtanti necis periculo liberantur. nu. 46.

EX CAP. XXXVII.

PReces impudici adoleſcentis aquæ in vaſe immundo, comparantur. nu. 7.
Thomas Sancius impedimento linguæ à Deipara ſublato ad Societatem Ieſu aduolat. nu. 17.
Similia exempla de alijs ad religioſæ vitæ inſtitutum à Deipara vocatis. ibidem.

EX CAP. XXXVIII.

PReces ex animi deuotione profectas, ſibi placere, Deipara oſtendit. nu. 4.
Thomæ à Chempis conſuetas preces non offerenti B. Virgo amplexum denegat. nu. 5.
Aliud ſimile exemplum. ibidem.
Deipara Aſſumptionis die fratrem, ex obedientia in Grangijs manentem, mira deuotione donat. ibidem.
Ciſtercienſis quidam conſuetas preces ex ſuperioris præſcripto impeditus non perſoluens, a B. Virgine excuſatur. ibidem.
Alia ſimilia exempla, ibidem.
Sacerdos quidam ſacrum B. Virginis celebrare aſſuetus, ab eadem in aduerſis defenditur. nu. 6.
Aliud ſimile exemplum. ibidem.
S. Thomam Cantuarienſem Epiſcopum, in cilicio reſarciendo Deipara iuuat. ibidem.
Sacerdoti ſacrum B. Virgini celebranti, abſciſſa ab Hæreticis lingua per eam reſtituitur. ibid.
Vualterus de Birbach dum ſacro B. Virginis aderat, præcipuum in torneamentis locum obtinere ab alijs videbatur. ibidem.
Ioannis Anachoretæ pietas erga Deiparæ imaginem miraculis confirmatur. nu. 10.
Reuelationes S. Brigittæ ac B. Gertrudis & B. Mechtildis de Angelica Salutatione, à num. 11. ad 15.
S. Bernardini Senenſis aſſidua pietas erga Deiparam. nu. 16.
Per Antiphonam Salue Regina, quidam à tonitruorum, ac fulminum timore liberatur. ibidem.
Per orationem, O intemerata &c. quidam à dæmone liberatur. ibidem.
Salutationis Angelicæ notis poſt obitum ornatur quidam, qui viuens ſæpius illam pronunciauerat. nu. 17.
Salutatio Angelica in foliis arboris progreſſæ ex ore Ciſtercienſis, illam ſæpe iterantis, poſt obitum reperitur. ibidem.
B. Fratris Romei Hiſpani deuotio ergo Salutationem Angelicam. ibidem.
S. Elzearius diuinarum rerum materiam præmiſſa Salutatione Angelica in meditatione conſequebatur. nu. 18.
Ciſtercienſis per Angelicam ſalutationem ab inſanabili morbo liberatur. ibidem.
Clericus Deiparæ deuotus, ab eadem in ſumma ægritudine, Angelo Cuſtode deprecante, ſanatur. nu. 19.
Sulutationis Angelicæ verba dæmon ſummopere auerſatur. ibidem.
Mulier ſalutationis Angelicæ verba pronuncians, infenſum ſibi dæmonem effugauit. nu. 20.
Alia ſimilia exempla ibidem & nu. 21.
Miles, qui Angelicam ſalutationem quotidie recitabat, à ſeruo dæmone quatuordecim annis cuſtoditur. nu. 22.

EX CAP. XXXIX.

OFficium B. Virginis recitantes Carthuſiani à moleſtijs plurimis liberantur. nu. 1.
Simile exemplum de Monaſterio Gammagenſi. ibidem.
Roſarium B. Virginis recitare ſolitus Alanus, ab inimicorum obſeſſione, & naufragio liberatur. nu. 9.
Alia Exempla de Roſarij recitatione, à num. 9. ad 12.
Coronam recitans quidam Frater ex Ordine Minorum roſas B. Virgini præbere videbatur. nume. 13.
Alia exempla de corona. nu. 14.
Corollam B. Virginis recitans quidam, ab imminente nece ſeruatur. nu. 16.
Sanctorum, & aliorum exempla, qui in honorem Deiparæ Sabbato, alijsq. diebus pane, & aqua ieiunabant. nu. 18. & ſeqq.
Carthuſianus quidam B. Virginis deuotus, à dæmonum moleſtijs per eam liberatur. nu. 22.
S. Catharina Senenſis à Deipara iuuatur, in conficiendis panibus, eleemoſynæ nomine diſtribuendis. nu. 23.
Abbatis Leontij Cilicis exemplum, qui in Deiparæ honorem eleemoſynas dabat. nu. 24.
Simile exemplum de altero, qui aureis laterculis ſibi domum extruere viſus eſt. ibidem.
Aliquorum exempla, qui nihil nomine Deiparæ petentibus, denegabant. ibidem.
Concionator, qui in ſingulis concionibus de B. Virgine ſermonem habebat, ab eadem in morte eſt adiutus. nu. 25.
Reliquias B. Virginis deferens quidam incolumis ab illata nece ſeruatur. nu. 49.

In reliquias indusij B. Virginis sagittas immittentes hostes excæcati occiduntur. nu. 53.
Arbor transeuntem Deiparam se se inflectendo veneratur. num. 57.

Ex Tractatu de Exemplis, & Miraculis Deiparæ.

Isaacius Angelus Imperator victoriam præclaram B. Virginis ope consequitur. nu. 1.
S. Adalbertus Episcopus Pragensis infirmus à Deipara sanatur, ibidem.
S. Petrus Cœlestinus puer oculi luce orbatus, à Deipara valetudinem recipit. ibidem.
Imago B. Virginis cœlestibus coruscans signis reperta. nu. 2.
Imago Deiparæ Damasci saluberrimum omnibus oleum fundit ibidem.
Mariæ opem implorans quidam in medijs fluctibus seruatur nu. 3.
Aliud simile exemplum. nu. 4.
Puella quædam insanabili morbo percussa à Deipara sanatur. ibidem.
Plaga insanabili percussus à dæmone quidam per B. Virginem liberatur. nu. 5.
Iudææ in partu laboranti B. Virgo fert opem. num. 6.
Aliud simile exemplum. nu. 20.
Fur quidam suspensus Mariæ ope viuus à laqueo euadit. ibidem.
Alia similia exempla. nu. 17.
Proregis Indiæ filius insignem B. Virginis ope victoriam reportat. nu. 7.
Laurentius Brictus ab obsidione hostium per B. Virginem liberatur. nu. 7.
Aliud simile exemplum nu. 9.
Consaluus Rhoterigius è Societate Iesu. maris fluctibus prope demersus à Deipara liberatur. nu. 8.
Alphonsus Albuquerquius è Luitanis Syrtibus per B. Virginem eripitur ibidem.
Aliud simile exemplum ibidem.
Ciuitas Imperialis in Chilensi Regno per Deiparam ab obsidione liberatur ibidem.
S. Eutychij precibus, lues magna ab Vrbe Constantinopolitana per Deiparam depellitur. nu 10.
Idem insanabili morbo correptam adolescentis manum sanat. ibidem.
S. Theodorus Siceota Episcopus à B. Virgine sanatur. ibidem.
Idem Sozopoli miraculis claruit. ibidem.
Energumena puella à Deipara, alijsq. Sanctis sanatur. num. 11.
Tempestates, procellasq. pluuiæ plurimas in Germania S. Liobæ Virginis precibus Deipara sedat. ibidem.
S. Radbodus Episcopus infirmus, á B. Virgine valetudinem recipit. ibidem.
Aliud simile exemplum. nu. 12.
S. Alberto Monacho Mariam inuocanti, eadem fert opem. nu. 12.
S. Anselmum Cantuariensem Archiepiscopum in cisternam delapsum, B. Virgo incolumem tuetur. ibidem.
S. Franciscus. Moricum ex Ordine Cruciferorum grauiter ægrotantem Deiparæ lampadis oleo panis micis adhibito sanat. ibidem.
Idem mulierem in partu, vt Deiparam imploret, admonuit. ibidem
Alia similia exempla. nu. 13.
S. Petri martyris constantia à Deipara roboratur. nu. 13.
S. Thomas de Aquino in castitate tuenda à Deipara confirmatur. ibidem.
S. Albertus Carmelita, Messanensi Vrbi obsessæ, Annonam per Deiparam impetrat. ibidem.
Idem Monachum infirmum Deiparæ ope implorata sanat. ibidem.
Recinetum à peste, B. Virginis Lauretanæ ope liberatur. nu 14.
Alia similia exempla. ibidem & nu. 15.
Iulius II. Pontifex à bombardæ globo per eandem Virginem liberatur nu. 15.
Eiusdem B. Virginis Lauretanæ miracula plurima. ibidem.
Capucini Patres duo in mare demersi per Lauretanam Virginem periculum euadunt. nu. 16.
Eiusdem B. Virginis inuocatione multi à supplicijs, hostibus ac vinculis eximuntur ibidem.
Iudæus quidam à vinculis per Lauretanam Virginem eximitur. nu. 17.
Vaiuoda Transiluanię à capitis discrimine per eandem Virginem liberatur ibidem.
Energumena quædam mulier in Lauretano Templo sanatur ibidem.
Turcarum classes alijq. milites à Lauretanę domus depræda tione diuinitus arcentur nu 18.
Corcutus Turcarum Bassa à Lauretana Virgine valetudinem recipit. ibidem.
Complures igne sacro correpti à Deipara valetudini restituuntur. nu. 19.
Puer eodem morbo percussus, Deiparam pro populo exorantem videt. ibidem.
A S. Hippolyto, Deiparæ iussu, Aratori cuidam exesa ab igne membra restituuntur. nu. 20.
Miracula Pheretri B. Mariæ Virginis Laudunensis nu. 21.
Miracula B. Virginis in Templo Dittelbach in Germania nu. 22.
Miracula B. Virginis in Templo de Vrticeto in Germania nu. 24.
Sanctimonialis quæ animum ad nuptias contulerat á Deipara reuocatur nu. 25.
Iudæus ad catholicam fidem à Deipara conuersus, obiecta illi inferorum, ac cœlestis patriæ visione. ibidem
Lauretanæ Virginis Mariæ munere adolescens animæ, corporisq valetudinem recipit nu. 26.
A desperationis discrimine, ac dæmonum molestijs quidam per eandem Virginem liberatur. ibidem.
Chirographum quo se dæmoni quidam deuouerat e per

per Lauretanam Virginem restituitur. nu. 27.
Insontem mulierem à necis periculo Deipara eripit. ibidem.
Regis Aragoniæ dissensio cum Comite S. Aegidij mirifice per Deiparam sedatur. nu. 28.
Inimicitiæ per Deiparam compositæ. ibid.
Rachel Iudæa ad Christi fidem, Deiparæ auxilio, conuersa. nu. 29.
Regi Monomotapæ Deipara apparet. nu. 30.
Rusticus quidam pietatem erga Deiparam spernens, corripitur. nu. 31.
A Lauretanæ ædis ingressu, ante expiatas peccatorum sordes, quidam diuinitus arcetur. ibid.
A Lauretana æde lapidem auferentes à Deipara corripiuntur. ibidem, & nu. 32.
Quidam Cistercienſibus detrahens à Deipara reprehenditur. nu. 33.
Frater quidam indecenter decumbens, benedictione à Deipara priuatur. ibidem.
Aliud simile exemplum. ibidem.
Monetur quidam, vt obitus diem cum spe, ac timore expectet. nu. 34.
Fratres duo ex Ordine Prædicatorum, sub B. Virginis pallio visi. ibidem.
S. Catharina Senensis ob leuissimam distractionem á Deipara reprehenditur. ibidem.
Ioannes Durus è Societate Iesu, à B. Virgine grauiter monetur. nu. 35.
Vdo Magdeburgensis Episcopus ingratitudinis erga Deiparam, aliorumq. scelerum pœnas persoluit. nu. 36.
Theodoricus ab Episcopali munere deponitur. ibidem.
Gaianus Mimus ob blasphemiam punitur. nu. 37.
Blasphemiam in B. Virginem in sua domo permittens, diuinitus punitur. ibidem.
Cyprius quidam, imaginis Deiparæ contemptor, dat pœnas. ibidem.
Alia similia exempla. nu. 38. & 40.
Imaginem B. Virginis ferro lædere Saraceni frustra conantur. ibidem.
Fures thesaurorum ædis Lauretanæ diuinitus puniti. nu. 39.
Iurans per Deiparæ membra seuere punitur. ibidem.
Aliud simile exemplum. nu 40.
Matrona quædam stultiloquij in Deiparę imaginem pœnas dedit. ibidem.
Peierantes in Templo Deiparæ pœnas luunt. ibidem.
Milites quidam, Natiuitatis Deiparæ solemnitatem perturbantes, puniuntur. nu. 41.
Nestorius hæreticus ab Episcopatu depositus, miserrime perijt. nu. 43.
Hæretici, quibus pœnis in inferno plectantur, per visum cuidam fratri ostenditur. ibidem.
Nestorij in Deiparam impij scripta quantopere cauenda. nu. 44.
Anatolium impium Deipara auersatur. ibid.
Italia à Gothis, B. Virginis ope per Narsetem liberata. nu. 45.
Constantinopolitana Vrbs per Deiparam à barbarorum obsidione liberatur. nu. 46.
Alia similia exempla. num. 48.
Victoria à Theodoro Heraclij fratre de Sain Cosrois Duce reportata. nu. 47.
Blasphemiæ in B. Virginem, Saracenorum Princeps naufragio dat pœnas. ibidem.
Mauri à Pelagio I. in Hispania B. Mariæ ope debellati. nu. 49.
Aliud simile exemplum. nu. 52.
Simile exemplum de Saracenis Tharsi commorantibus. nu. 50.
Ierosolymitana Vrbs per Deiparam recuperata. num. 51.
Carnutenses B. Mariæ ope barbaros cædunt. nu. 53.
Ioannes Zemisces Imperator victorias plurimas Deiparæ ope consequitur. nu. 54.
S. Theodorus Deiparæ iussu ad debellandos Scythas Constantinopolitano Imperatori fert opem. ibidem.
Ioannes Comnenus Deiparæ auxilio Scythas profligat. nu. 55.
Constantinus Copronymus in Deiparam impius punitur. nu. 56.
Simile exemplum de Leone Armeno. ibidem.
Albigenses hæretici per Deiparam extincti. nu. 57.
Variæ de Infidelibus à Christianis per Deiparam partæ victoriæ. nu. 58. & 59.
Ethnicus Rex, qui sacrum Crucis locum profanarat ægritudine corripitur. ibidem.
Victoria Naualis de Turcis anno 1571. in Actiaco promontorio, Deiparæ præsidio parta. num. 60. & 61.
Conflagratio hospitij Montis Virginis, anno 1611. & plurima, quæ in ea acciderunt admirabilia. nu. 62 & seqq.
Flamma à Templo Montis Virginis, exposito sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento, mirifice recedit. nu. 64.
Puer Deiparæ deuotus ab interitu liberatur. nume. 65.
Adolescens Deiparæ sodalitio adscriptus, mirifice ab incendio seruatur. ibidem.
Alia similia exempla ibidem.
Prodigijs incendium Montis Virginis præsignificatur. nu. 68.
Imago B. Virginis Salerni sudare visa est. num. 69. & miracula ibidem peracta.

Ex Tractatu de Festis, & Templis Deiparæ.

Conceptionis Deiparæ Octaua, rosę toto anno virentis miraculo confirmatur. nu. 1.
Helsimus Abbas Rhemensis, de Conceptionis Deiparæ solemnitate celebranda, à S. Nicolao Episcopo monetur. nu. 2.
Clericus quidam B. Virginis monitu virginitatem seruat, & Conceptionis eiusdem solemnitatem celebrandum instituit. ibidem.
Aliud simile exemplum. ibidem.

Nati-

Natiuitatis Deiparæ solemnitas ab Angelis celebrari in cœlis visa. nu. 3.
Natalis B. Virginis domus Lauretanæ anniuersaria flamma, ac nocturnis ignibus mirifice insignitur. ibidem.
Purificationis Deiparæ solemnitas in cœlis celebrari per visum cuidam Virgini ostensa. nu. 7.
In Assumptionis Deiparæ solemnitate cerei, qui in Templo S. Mariæ Maioris accendebantur non consumebantur. nu. 9.
Cæcis duobus B. Virgo Constantinopoli apparet, illosq. illuminat. nu. 13.
S. Mariæ Maioris Templum Romæ B. Virginis iussu niuis miraculo extruitur. nu. 18.
Imago B. Virginis S. Gallæ ab Angelis delata. num. 22.
Per eandem Imaginem pestis ab Vrbe depellitur. ibidem
Eandem Imaginem Iudæi duo contemnentes, illico dant pœnas. ibidem.
Imago Deiparæ in puteum proiecta supereffluentibus mirifice aquis excipitur. nu. 28.
Imagines Deiparæ ab incendio mirifice seruatæ. nu. 29. & 34.
Draco pestilentem afflatu spiritum exhalans, S. Siluestri precibus occiditur. nu. 30.
Puer in Tiberim delapsus, á Deipara incolumis seruatur. nu. 36.
S. Aspremus infirmus baculo à S. Petro sibi misso valetudinem recipit. nu. 40.
S. Ianuarij Episcopi, & martyris sanguis iuxta caput eiusdem appositus efferuescit. nu. 42.
Templum S. Mariæ ad pedem Cryptæ Neapoli, eiusdem Virginis iussu extructum. nu. 44.
Alia similia Templa eiusdem ope, ac iussu extructa. nu. 45. 56. 71. & 74.
Miracula B. Virginis in Templo S. Mariæ Sicula nuncupato, Neapoli nu 45.
S. Ioannis Baptistæ sanguis, sæpe mirifice colliquescens. nu. 46.
Simulachrum Deiparæ miraculis præclarum, Foroliuij. nu. 54.
Imago B. Virginis Montis Serrati cœlestibus editis signis reperta. nu 58.
Ioannes Garinus pœnitentiam agens, ab infante puerulo de sceleris venia diuinitus monetur ibid.
Simile exemplum de Ioanne Eremita. ibidem.
Puella à Ioanne Garino interfecta, post septem annos B. Virginis ope viuens reperta. ibid.
Imago B. Virginis de Guadalupe, eiusdem iussu, inuenta. nu. 59.
Alia similia exempla. num. 60. 61. & 63.
S. Ildefonso apparet Deipara, & suum complectens simulachrum ipsum sanctificat. nu. 60.
Cæsaraugustana Vrbs à Mauris obsessa, per B. Virginem liberatur. nu. 62.
Templum B. Virginis Castiluedrensis, diuinitus accensis lampadibus sæpe insignitur. nu. 64.
Simulachrum à Deipara Ierosolymitanis Equitibus donatum. nu. 66.
Iudæi cuiusdam filius cum sanctissimam Eucharistiam suscepisset, à patre in fornacem deiectus illesus permansit. ibidem.
S. Stephani Iunioris mater sterilis, filium precibus à Deipara impetrat. nu. 73.
Leoni I. Imperialis dignitas à Deipara prænunciatur, & vt Templum extruat monetur. nu. 74.
Idem Deiparæ iussu cæco cuidam visum reddit. ibidem.
Iustinus Imperator mentis deliquio laborans à Deipara iuuatur. ibidem.
Ad Templum sibi Ierosolymis extruendum, Deipara columnas, ac trabes mirifice præbet. nu. 75.

Ex Tractatu de Virginibus.



Anctus Ildefonsus Episcopus Toletanus alba veste à Deipara donatur. nu. 16.
S. Benedictus Abbas ad carnis tentationes superandas, se in spinas deiecit. nu. 19.
Simile exemplum de S. Bernardo, qui in gelidum aquarum stagnum est ingressus. ibidem
Sanctorum exempla, qui mulierum conspectum, & familiaritatem vitarunt. ibidem.
Cononi Presbytero carnis tentationes, à S. Io. Baptista extinguuntur ibidem.
Equitij Abbatis simile exemplum. ibidem.
Vrsini Presbyteri zelus castitatis. ibidem, & nume. 78.
Alia similia exempla. ibidem.
Monachus, qui dæmoni sub mulieris specie hospitium non denegauit, ab eodem est deceptus. ibidem.
Aliorum exempla, qui à dæmone sunt decepti. ibidem.
Martyr quidam ad libidinem coercendam linguam sibi dentibus abscidit. nu. 23.
Simile exemplum de Niceta Nicomediensi martyre. ibidem.
Solitarius quidam pro castitate seruanda sibi digitos combussit. nu. 25.
Idem mortuam mulierem ad vitam reuocat. ibidem.
S. Franciscus de Assisio pro pudicitia in igne decumbens non læditur. nu. 26.
Alia similia exempla. ibid & nu. 27.
S. Thomas Aquinas castitatis zona ab Angelo præcingitur. nu 27.
S. Vincentius Ferrerius Deiparæ ope virginitatem seruat. nu. 27.
S. Edmundi Cantuariensis Episcopi, simile exemplum.
Virgines quatuor ab Angelo stola candida operiuntur. nu. 31.
S. Barbaræ virgini, & martyri præcisa mamilla ab Angelo restituitur. nu. 32.
Henrico Kok igne perusto à S. Barbara vitæ spatium prorogatur ibid.
B. Stanislaus Kostka Angelorum ministerio delatam sibi sanctissimam Eucharistiam sumit. ibidem.
Virgo quædam nomine Maria Veronæ à saxo cedente,

dente, excipitur perſecutoribus diuinitus occiſis. nu. 33.
Dorothea virgo roſas, ac mala è paradiſo delata ad Theophilum tranſmittit. nu. 34.
S. Ildefonſus Epiſcopus à S. Leocadia è tumulo egreſſa, palam laudatur. nu. 36.
Virginum exempla, quæ è cruciatibus plurimis, diuina ope incolumes euaſere. nu. 37. *& à* 39. *ad* 43. *& à* 48 *ad* 51. *&* 57. 60. 61. *&* 80.
Catharina Alexandrina virgo, & martyr, à Deipara Chriſto deſponsetur. nu. 38.
S. Potamiæna Alexandrina virgo, & martyr, multis apparet, quos ad Chriſti fidem convertit. num. 41.
S. Iuliana virgo, & martyr, ſeductorem dæmonem plagis cædit nu. 43.
Dympna virgo, & martyr, cum Gereberno martyre Angelorum miniſterio tumulatur. nu. 44.
Alia ſimilia exempla. nu. 45. 67. *&* 69.
S. Vuenefridæ admirabilis vita. nu. 45.
Maxellendis virgo, & martyr, Harduino interfectori diuinitus excæcato, amiſſum lumen oculorum reddit. nu. 46.
Virginibus vim inferre cupientes, diuinitus puniti. nu. 48. *&* 57.
Virginum exempla, quæ diuina ope mirifice à perſecutorum moleſtijs ſunt liberatæ. nu. 48. *& à* 49. *ad* 51. *&* 57. 66. 73. 77. *&* 85.
Nicomachus Chriſti fidem deſerens, illico expirat. num. 48.
S. Euphemia Chalcedonenſis miraculo fides catholica confirmatur. nu. 50.
S. Agnes virgo, & martyr, mortuum perſecutoris Præfecti filium ad vitam reuocat. nu. 51.
Virginitatis votum alteri diſſuadens morte mulctatur. nu. 58.
Gerouefa virgo à S. Simeone Stylite diuinitus agnoſcitur. nu. 59.
Ciliniæ virgini portæ Templi aperiuntur. ibid.
Aliud ſimile exemplum. nu. 64.
Virginis cuiuſdam bono nomini detrahens à dæmone corripitur. ibidem.
Virgo quædam ſanctimonialis à barbarorum dominio diuinitus liberatur. nu. 53.
Virgines duæ pulchritudinem corporis ad tempus ſibi ſubtrahi precibus impetrant. nu. 60. *&* 76.
Iaquelina pro virginitate tuenda ſicco pede ſuper aquas maris ambulat. nu. 62.
Mechildi virgini Chriſtus cor pio amoris, ac cœleſtis gloriæ pignore dedit. nu. 63.
S. Catharinæ Senenſi Chriſtus cum Deipara apparet, eamq. ſibi deſpondet. nu. 64.
B. Mater Tereſia amoris diuini ſpiculo ab Angelo vulneratur. nu. 65.
Euphemiæ Virgini Deipara apparet, eiq. naſum, ac labia pro tuenda virginitate præciſa reſtituit. ibidem.
Virginum defunctarum corpora miraculis præclara. nu. 70. 74. *&* 77.
S. Iulianus, ac Baſiliſſa, virginitatis laurea à Chriſto, ac B. Virgine coronantur. nu. 73.
Aliud ſimile exemplum. nu. 74.

Finis Indicis Exemplorum, ſiue Miraculorum B. Virginis MARIAE.

INDEX RERVM MEMORABILIVM, QVAE IN HOC LIBRO DE VIRGINIS BEAT.MÆ DEIPARAE MARIAE LAVDIBVS;

Et in eiuſdem Operis Appendice continentur, Ordine Alphabetico.

Prior numerus Libri Capita, poſterior Capitum numeros indicat.

Nomina porrò eorum, qui DEIPARAE exemplo virginali pudicitia floruerunt, in fine Tractatus de Virginibus, peculiari Indice ordine alphabetico recenſentur, vnde Lector accipiat.

Byſſus gratiæ, maternitas Dei. cap.5. nu.2.

Actum Deiformem habuit Deipara.ex Alberto. cap.6.nu.7.

Aduocata noſtra,Deipara. cap. 30.nu.2.ad 6.& nu. 16.

Aegypti deſerta cur tot Monachis floruerint? cap.23.nu.6.

Aegyptij ante Chriſti aduentum Virginem in lecto,& infantem in præſepio collocare, & adorare ſoliti. cap.5.nu.9.

Aetas Deiparæ. cap. 6. nu. 9.

Ager plenus eſt Deipara. cap.21. nu.37.

S.Alberti Carmelitæ erga Deiparam pietas. cap. 35.nu.13.

B. Aloyſius Gonſaga Deiparæ ſtudioſus. cap. 35. num.32.

Altare nouum à Iuda Machabeo ædificatum, Deiparam adumbrat. cap.7. nu.2.

Altare duplex: alterum, in quo Chriſti corpus immolabatur,alterum,in quo Deiparæ anima trãſfigebatur. cap.10.nu.15.

Altaria duo holocauſtorum, & thymiamatis templi Salomonis ſpiritualiter in Deipara. cap. 5. num.38.

Altare Thymiamatis Deipara. cap.21. nu.29.

Altare aureum Chriſtus. cap.30.nu.1.

Amor Virginis ſupernaturalis erga filium. cap. 9. num. 10.

Amor naturalis Deiparæ erga filium. cap.9. nu.5.

Amor Virginis acquiſitus erga filium. cap.9.nu.6.

Amor Virginis in filium ex ſeptem capitibus augebatur. cap.9. num.11. vſque ad 16.

Amor Virginis erga nos. cap. 29. nu.1.2.3. & cap. 30.nu.9.

Amoris naturalis erga filios varia exempla. cap. 9. num.5.

Amor Virginis erga Chriſtum imitandus. cap.37. num.8.

Amor Virginis erga filium poſt Aſcenſionem. cap. 9.nu.17.

Amor Chriſti velut ſagitta pertranſiuit Deiparæ animam. cap.9.nu.10.

Amoris ſagitta Deiparæ animam pertranſiuit, vt ad nos Dei amor per Deiparam perueniret.cap. 9.num.20.

Amor eſt menſura doloris. cap.10. nu.7.

Amor Ionathæ erga Dauidem, Chriſti erga nos amorem adumbrat. cap.8.nu.18.

Amor erga Deiparam quomodo excitandus. cap. 36.nu.5.ad 7.

Amici pro ſe inuicem mori vellent. cap.11. nu.8.

Amicus fidelis in periculis cognoſcitur. cap. 11. nnm. 6.

B.Andreæ Carmelitæ erga Deiparam pietas. cap. 35.nu.14.

Angelorum ſeptem principes Deiparam venerantur. cap.26. nu.5.

Angelorum hymnodia in ſepulchro Deiparæ. cap. 12.num.3.

Angeli Deiparæ obedire deſiderant. cap. 12. nume. 4.

Angelorum obſequium circa ſepulchrum Deiparæ. cap.26.nu.12.

Ange-

Angeli in terris Deiparæ miniſtrabant. cap.26. nu. 8. vſque ad 11.
Angelorum obſequia erga Deiparam. cap. 26. nu. 1. vſque ad 5.
Angelus Thronus Dei dicitur. cap.3. nu.3.
Anima Deiparæ horto ſimilis. cap.29. nu.21.
Annunciationis conſenſu, quantum præ omnibus Sanctis Deipara meruerit? cap.5. nu.9.
Annunciationis tempore Deipara Chriſti paſſionis conſcia. cap.11. nu.4.
Annunciationis Deiparę feſtum quando,& quomodo inſtitutum. Tract.de Feſtis. nu. 5.
Annunciationis feſtum dignitate ſolemnitates omnes antecellit. cap.8.nu.14.
S.Annæ Deiparæ parentis laudes. cap.18.nu.1.
S. Anno Archiepiſcopus Deiparæ ſtudioſus. cap. 35. nu.4.
S.Antonij de Padua erga Deiparam pietas.cap.35. num.10.
S.Antonij Abbatis vitam legentes aliqui caſtitatem vouerunt. de Virgin.nu.78.
Antonius Duca in ſeptem Angelos pietatem promouet. Tract.de Feſtis, ac Templ.nu.21.
Apoſtoli quinam Virgines. Tract.de Virg. nu.14.
Aquæductus ab Holoferne obſtructus, quid ſignificet? cap.5.nu.35.
Aquæductus cœleſtium gratiarum Deiparæ. cap. 16.nu.8.
Aquilo quid ſignificet? cap.35. nu.4.
Aquilonarem partem iuxta crucem Deipara tenebat. cap.25.nu.1. & 2.
Arbor in Aegypto Chriſto adueniente inclinatur. cap.23.nu.8.
Arca fœderis Deiparæ typus. cap.12. nu.4. cap.14. nu.17.cap.5. nu.45.
Arca fœderis,& omnia, quæ de illa dicuntur, Deiparæ aptantur. cap.5. nu.45. vſque ad 52.
Arca Dei,quæ Idolum Dagon euertit, Deiparam adumbrat. cap.5.nu.37.
Arca veteris teſtamenti cur dicatur Arca fœderis? cap.5.nu.42.
Arcæ eleuatio cur Deiparæ aſſumptionem ſignificet? cap.5.nu.51.
Arca Noe Deiparæ typus. cap.16.nu.6.
Arca Noe ab aquis eleuata Deiparam adumbrat. cap.6.nu.7.
Arma Chriſti,quæ ſint? cap.22.nu.6.& 8.
Aromata Reginæ, Sabæ Deiparæ meritorum, ac virtutum typus. cap.12.nu.6.
Aſcenſus quindecim graduum templi, quid de Deipara portenderet. cap.6. nu.5.
Aſcenſus Deiparæ innixæ ſuper dilectum quidnam ſignificet? cap.6.nu.4.
Aſpalathus quid ſit? cap.16. num.2.
Aſpalathus Deiparæ typus. ibidem.
Aſſumptio Deiparæ feſtiuitatum maxima. Tract. de Feſt.nu.8.
Aſſumptionis Deiparæ pompa quàm fuerit glorioſa? cap.12.uu.11.
Aſſumptio B.Virginis quando,& quomodo cognita? cap.12.nu.3.
Aue cur in ſalutatione Deiparæ Angelus vtatur? cap.5.nu.17.
Aue idem ſignificat,quod Gaude. cap.5.nu.12.
Aues nocturnæ,ideſt dæmones,à Deipara fugatæ. cap.24.nu. 18.
Auguſtus cur noluerit appellari Dominus. cap.23. nu.11.
Aula Dei,Deipara. cap.5. nu.28.
Attributa Dei in Deipara relucent. cap.15. nu.3.
Aureola quid ſit? cap.6. nu.7.
Aureola doctorum quomodo acquiratur? cap.19. num.5.
Aureolam doctorum Deipara conſecuta eſt. cap. 19. nu.5.
Aureolam triplicem eſt adepta Deipara. cap.6. num.7.
Aurora conſurgens Deipara. cap.24.nu.18.& cap. 12.nu.4.
Aurum,quo Arca intus,& foris tegebatur Deiparæ vitam contemplatiuam, & actiuam adumbrat. cap.5.nu.47.
Auxilium Deiparæ experiuntur morti proximi. cap.24. nu.10.
Auxilium Deiparæ in publicis calamitatibus. cap. 16.nu.20. ad finem.

BAlſamum quid ſit? cap.21. nu.32.
Balſamum aromatizans Deipara. cap.21. nu. 32.& 34.
S. Baſilides martyr. S. Potamienæ orationibus ad Chriſti fidem cum alijs conuerſus. Tract.de Virgin. nu.41.
S.Benedictus Abbas ad carnis tentationes ſuperãdas ſe in ſpinas deijcit. Tract.de Virg.nu.19.
Bella noua elegit Deus per Deiparã.cap.24. nu.17.
Beneficia Deiparæ erga nos collata. cap.36.nu.24. ad finem.
Beneficia à Deipara humano generi per ordines Religioſorum collata. cap.20 nu.37.
S.Bernardi Abbatis erga Virginem pietas. cap.35. num.5.
S. Bernardini Senenſis erga Virginem pietas. cap. 35.nu.17.
Bethſabee Deiparam adumbrat. cap.30. nu.11.
S. Bonauenturæ erga Virginem pietas. cap. 35. nu.12.
Botrus Cypri Deipara. cap.8.nu.22.

CAelum dicitur Deipara. cap.3.nu.1.& 2.
Calcaneus hominis quid ſignificet? cap.24. num.8.
Candelabrum aureum. cap.9.nu.3.
S. Candida vidua cum S. Aſpremo Epiſcopo, à S. Paulo Apoſtolo chriſtianæ fidei doctrinam accepit. Tract.de Templis. nu.40.
Carolus filius S. Brigittæ, Deiparæ deuotus,ab ea in morte admirabiliter adiutus. cap.24. nu.10. & cap.36. nu.18.
S.Carolus Borromæus Deiparæ deuotus. cap. 35. num.33.
S.Carolus Borromæus à muliercula ad flagitium incitatus,ſtrenuè obſiſtit. Tract.de Virg.nu.18.
S.Carolus Borromæus ſocietates plurimas ad virginitatem,cœlibatumuè colẽdum inſtituit. Tracta.de Virg. ibidem.
Caſtitatis ſeruandæ ſtudium in Sanctis. Tract.de Virg.nu.20.

Caſti-

Caſtitatis amittẽdæ periculum Religioſus quidam mirifice euadit. Tract.de Virg.nu.24.
Caſtitatis ſeruandæ ſtudio, viri aliquot ad mortem vſque decertarũt. Tract.de Virg.à nu.22. ad 29.
Caſtitatis ſeruandę zelus in Vrſino Presbytero eximius. Tract.de Virg.nu.82.
Caſtitatem ſeruans, Apelles ab ignito ferro non vrebatur. Tract.de Virg. nu.28.
Caſtrorum acies ordinata eſt Deipara. cap.24.nume.17.
Cedrus, eiusq; proprietates Deiparæ aptantur. cap.6. nu.2.
Charitas Virginis in Chriſtum. cap.9. nu.3.
Charitas Virginis varijs figuris adumbratur. cap. 9.nu.4.
Charitas Deiparæ eximia. cap.7.nu.23.
S.Catharinæ Senenſis erga Deiparam pietas. cap. 35.nu.15.
Cherubim duo in arca, plenitudinem ſcientiæ in Deipara oſtendunt. cap.5. nu.49.
Chorum ſeparatum ab alijs Sanctis, & Angelis.cõſtituit Deipara. cap.6.nu.4.
Chriſtus carnem ex Virgine acceptam ſemper retinuit. cap.8.nu.17.
Chriſtus totus fuit ex ſola ſubſtantia matris. cap. 9.nu.5.
Chriſtus fuit ſingulari quodam modo in Virgine. cap.8. nu.17.
Chriſtus cur ſuſceperit ſanguineã complexionem? cap.5.nu.46.
Chriſtus caput Eccleſiæ. cap.14.nu. 9.
Chriſtus,etiam Adam non peccante, fuiſſet incarnatus. cap.14. nu.11.
Chriſtus rerum omnium ſumma. cap.14. nu.12.
Chriſtus quare dicatur filius hominis? cap.15.nu.1.
Chriſtus dicitur ſemẽ mulieris Gen.3. cap.15.nu.1.
Chriſtus quomodo dicatur vermis? cap.23.nu.23.
Chriſtus per lapidem conuerſum in montem ſignificatur. cap.23.nu.3.
Chriſtus ab exordio Conceptionis, ſalutem noſtram operabatur. cap.23. nu.5.
Chriſtus,adhuc infans,homines ad ſuum regnum alliciebat. cap.23.nu.6.
Chriſti prima ſpolia,quæ ſint? cap.23.nu.7.
Chriſtus omni ratione amabilis fuit matri. cap.9. num.8.
Chriſtus eſt altare aureum. cap. 30.nu.1.
Chriſti humanitas thuribulum aureum. c.30.nu.1.
Chriſtus eadem feria, & eodem die menſis Martij crucifixus,quo & conceptus. cap.11. nu.4.
Chriſti iuſta in peccatores indignatio, in Deipara, veluti ſolis ardor in Virginis ſigno mitigatur. cap.16.nu.13.
Chriſtus quare interdum die ſabbati miracula operabatur? cap.20.nu.13.
Chriſtus veluti Rhinoceros, in ſinu Virginis placatur. cap.16.nu.15.
Chriſtus cauſa bonorum omnium. cap.14. nu.7.
Chriſtus fulgur,& lux mundi. cap. 21. nu.39.
Chriſtus contra hoſtes ſuos tonitruum. c.21.nu.42.
Chriſti aduentu,oracula ſilent. cap.23. nu.10.
Chriſtus in cruce,occidentem ſpectabat. cap.25. num.1.
Chriſtus Frater,Sponſus,& Pater Iuſtorum.cap.28. nu.3.&4.
Chriſtus dicitur polus mundi. cap.12.nu.5.
Chriſti,victoriæ,quomodo Deiparę tribuantur?capi.22.nu.10.
Crucifixi ſimulacrum Neapoli ad euitandum pilæ ictum.caput acclinat. cap.20.nu.56.
Cibo cœleſti Apollo, & Anuph Abbates reficiuntur. cap.26.nu.10.
Ciſterna Bethleemitica Deiparæ typus. cap.5. num.34.
Ciſternæ proprietates Deiparæ applicantur. cap. 5.nu.35.
Ciuitas Dei,Deipara. cap.5.nu.25.
Ciuitas refugij,Deipara. cap.16.nu.6.
Ciuitas animata eſt Deipara. cap.4.nu.17.
Ciuitas ſolis dicitur Deipara. cap.21. nu.41.
Ciuitates duæ inter ſe contrariæ,ab amore ſui, & ab amore Dei ædificatæ. cap.22. nu.2.
Claui Chriſti fixere diabolum. cap.22.nu.17.
Clementia Deiparæ. cap.21.nu.19.
Clementia Virginis dicitur imber ſerotinus. cap. 16.num.3.
Clibanus intellectualis dicitur Deipara. cap.8. nume.19.
Collum S.Eccleſiæ eſt Deipara. cap.14. num.17. & cap.30. nu.17.
Columba arcæ Noe,Deiparæ typus. cap.30.num.6. cap.16. nu.1.
Columna nubis,Deiparæ typus. cap.3. nu.5. & cap. 16.nu.13.
Columna ignis,Deiparæ typus. cap.3. nu.6. & cap. 16.nu.13.
Compaſſionis virtus,quid ſit? cap.10.nu.4.
Compaſſionis affectus erga filij cruciatus, in Deipara maximus. cap.10.nu.6.
Compaſſionis affectus,quem Sancti erga Chriſtum patientem habuerunt. cap.10.nu.4.& 5.
Conceptionis Virginis feſtum eſt de myſterio antiquiſſimo. cap.7.nu.5.
Conceptionis Deiparæ feſtum, quãdo incępit apud Græcos,& Latinos? Tract.de Feſt.nu.1.
Conceptio immaculata Deiparæ probatur. cap. 7. nu.7.vſque ad 13.
Conceptio Deiparæ gaudium vniuerſo mundo; cur annunciauerit? cap.7. nu.20.
Conceptio Deiparæ per portas Sion ſignificata. cap.4. nu.8.
Conceptio Deiparæ per lilij radicem explicatur. cap.7.nu.19.
Conceptionis Deiparæ ſymbola, & figuræ. cap. 7. nu.12.& ſeq.
in Conceptionis exordio, Deipara confirmatur in gratia. cap.7.nu.17.& 22.
Conformitas Deiparæ cum voluntate Dei. cap.11. nu.8.
Confraternitas diſciplinatorum in vrbe Senenſi, & viri illuſtres, qui ex illa prodiere. cap. 40. nume.11.
Confraternitas Roſarij celeberrima. c.40.nu.10.
Congregatio diuini amoris Romæ, ex qua prodierunt ij, qui Ordinem Theatinorum fundarunt, cap.40.nu.11.

Congregatio quam vocant, delli Bianchi, Neapoli, & viri illuſtres, qui ex illa prodierunt: ex qua ſunt orti ij, qui ordinem Clericorum regularium minorum fundarunt. cap. 40. nu. 12.
Cõgregationi nomen dare, B. Virgini gratiſſimum. cap. 40. nu. 1.
Congregationis B. Virginis multiplex vtilitas. cap. 40. nu. 1.
Congregationes Deiparę ſunt bonum, honeſtum, vtile, & iucundum. cap. 40. nu. 3.
Congregationis origo in Societatis Ieſu domicilijs. cap. 40. nu. 8.
Congregatio primaria Romæ erigitur, cum indulgentijs. cap. 40. nu. 8.
Congregationes Neapoli, in Societatis Ieſu domicilijs, quæ & quot ſint, earumq; munera? cap. 40. nu. 13. vſque ad 19.
Congregatio venerationis ſanctiſſimi Sacramenti, in Collegio Neapolitano vetuſtiſſima. cap. 40. nu. 15.
Congregationis præcipua pietatis opera. cap. 40. num. 5.
Congregationis ſodales cum alijs comparantur. cap. 40. nu. 7.
Congregationis leges, ſunt veluti ſepes, quę agrum cuſtodiunt. cap. 40. nu. 5.
Congreſſus Dauidis cum Goliath, Chriſti cum Satana certamen adumbrat. cap. 5. nu. 46.
Congratulatio erga Virginem exercenda. cap. 36. nu. 14. ad 18.
Coniuges, qui matrimonij legibus aſtricti, virginitatis florem illæſum ſeruarunt. Tract. de Virg. à nu. 72. ad 76.
Coniuges, qui ante matrimonium conſummatum, altero coniuge dimiſſo, ad religionem ſe contulere. Tract. de Virg. nu. 77. & 78.
Coniuges, qui aliqua ſuſcepta prole, continentiam ſeruarunt. Tract. de Virg. à nu. 81. ad 84.
Conuerſatio Virginis cum filio. cap. 9. nu. 1.
Corona duplex, qua cingebatur Menſa propoſitionis, coronam Deiparæ adumbrat. cap. 5. nu. 40.
Corona Deiparæ quomodo recitari inceperit? cap. 35. nu. 9.
Coronæ Deiparæ præſtantia, & vtilitas. cap. 39. nu. 12. ad 15.
Corona parua Deiparæ. cap. 39. nu. 15.
B. Conſalui Sylueriæ erga Deiparam pietas. cap. 35. nu. 30.
Conſenſus Deiparæ in Incarnatione pręſtitus, ſummis votis exoptatus. cap. 17. nu. 6. & 7.
Cõſtantia Virginis maxima in filij cruciatibus ſpectandis. cap. 11. nu. 7.
Conſtantia Deiparæ. cap. 11. nu. 7.
Conſtantia SS. Felicitatis, & Symphoroſæ, & aliarum, quæ filios ad martyrium hortabantur. cap. 11. nu. 7.
Conſtantia matris S. Melithonis mart. ex quadraginta martyribus. cap. 11. nu. 5. & alia ſimilia exempla. ibidem.
Conſtantini Imperatoris, & Conſtantinopolitanæ Ciuitatis erga Deiparam pietas. cap. 35. nu. 35.
Contemplatio Virginis ſomno non intercepta. cap. 21. nu. 29.
Continentiæ virginalis cẽteſimum fructum Deipara eſt conſecuta. cap. 6. nu. 7.
Crucis acerbitas deſcribitur ex Seneca. c. 10. nu. 11.
Cypreſſus in monte Sion, Deiparæ typus. cap. 6. num. 2.
Debbora Deiparam adumbrat. cap. 24. nu. 16. & 17.
Dei attributa in Deipara relucent. cap. 15. nu. 3.
Deipara, Apoc. cap. 4. aliquo ſymbolo ſubintelligitur. cap. 2. nu. 3.
Deſertorum Aegypti dignitas ex aduentu Chriſti. cap. 23. nu. 9.
Deſponſatio Virginis, qua ratione cum Ioſepho facta? cap. 8. nu. 7.
Deuotio erga Deiparam, quid ſit? cap. 36. nu. 1.
Deuotio ſolita Deiparæ, quæ nam ſit? cap. 37. nume. 1.
Deuotio erga Deiparam, quomodo procuranda? cap. 34. nu. 1. ad 4.
Deuotio erga Deiparam ex ſeptem capitibus oritur. cap. 34. nu. 4. ad finem cap.
Deuotio Imperatorum, ac Regum erga Deiparam. cap. 39. nu. 19.
Deuotio Deiparæ prænuncia gratiæ Chriſti. cap. 34. nu. 23.
Deuotio erga Deiparam, prædeſtinationis ſignum. cap. 34. nu. 18. ad 23.
Deuoti erga Deiparam multipliciter ſignificantur. cap. 34. nu. 13.
Deus à Virgine denominatur. cap. 15. nu. 1.
Deus debitor quodammodo Deiparę. cap. 12. nu. 10.
Dignitas Deiparæ. cap. 14. nu. 1.
Dignitas parentũ B. Virginis ad ipſam, & ad Chriſtum redundat. cap. 18. nu. 1.
Dignitas Deiparæ ſupra omnes creaturas, multipliciter probatur. cap. 4. nu. 2. ad 8.
Dionyſij Carthuſiani erga Deiparam pietas. cap. 35. nu. 18.
Dioptra perſpectiua Deiparam ſignificat. cap. 15. num. 4.
Doctorum aureolam Deipara eſt conſecuta. cap. 19. nu. 5.
Doctorũ aureola, quomodo acquiratur. c. 19. nu. 5.
Dæmonis regnum à Chriſto adhuc infante euertitur. cap. 23. nu. 6.
Dęmon veluti hamo à Chriſto captus. cap. 23. nu. 1.
Dæmonis caput, à Deipara in ſe ipſa, & in alijs contritum. cap. 24. nu. 1. ad 6.
Dæmones à Deipara, per Chriſtum conteruntur. cap. 22. nu. 5. 7. & 8.
Dæmones fugantur à Deipara. cap. 24. nu. 17.
Dęmon debellatur à Deipara. cap. 22. nu. 1. ad 8.
Dæmon dicitur Draco magnus, & rufus. cap. 31. num. 22.
Dæmones ſimiles lupis. cap. 24. nu. 19.
Dæmonum tyrannis triplici metaphora explicatur. cap. 23. nu. 14.
Dæmonis typus, Goliath. cap. 23. nu. 16.
Dæmonis filij dicuntur impij. cap. 22. nu. 1.
Dolores Deiparæ, à filij incarnatione. cap. 11. nu. 3.
Dolor Deiparæ, de filij paſſione. cap. 6. nu. 15.
Doloris Deiparæ argumenta. cap. 11. nu. 5.
Dolor Deiparæ in filij Paſſione, quamplurimis exem-

exemplis explicatur. cap. 10. nu. 13.
Dolor Deiparæ in paſſione filij, S. Brigittæ reuelatur. cap. 10. nu. 12.
Dolor Deiparæ coniunctus cum deſiderio humanæ ſalutis. cap. 11. nu. 8.
Dolor mutuus Chriſti, & Deiparæ paſſionis dominicæ tempore, exemplis explicatur. cap. 10. nu. 14. 15. & 16.
S. Dominici erga Virginem pietas. cap. 35. nu. 6.
Domus Dei Deipara. cap. 5. nu. 26.
Domus eburnea, ex qua deſumpta ſunt veſtimenta humanitatis Chriſti eſt, Deipara. cap. 5. nume. 26.
Domus Sapientiæ cum ſeptem columnis, Deiparam adumbrat. cap. 5. nu. 26.
Druides, ante Chriſti aduentum aram, dicarunt virgini parituræ. cap. 5. nu. 8.
Ecclefię perſecutores prodigijs plurimis coercentur. cap. 16. nu. 20.
Eccleſia Deiparam multiplici cultu veneratur. capi. 29. nu. 34. ad 43.
Eccleſia ſub lunæ vocabulo. cap. 30. nu. 8.
Eccleſia per mulierem amictã ſole ſignificatur. capi. 31. nu. 1.
S. Edmundus Archiepiſcopus Deiparæ ſtudioſus. cap. 35. nu. 6.
Edmundus Ieſu pueri colloquio perfruitur. cap. 34. nu. 5.
Educatio B. Virginis in Templo. cap. 8. num. 10. vſque ad 13.
Electa vt Sol dicitur Deipara. cap. 14. nu. 15.
Eleemoſyna, quibus danda? cap. 12. nu. 8.
Elogia Sanctorum eo, quod Deipara ad noſtram ſalutem ſit cooperata. cap. 22. nu. 10.
Elogiorum Deiparæ tractatus. ad calcem totius Operis.
Ex Elogijs Deiparæ, quomodo argumenta ſermonum de eadem ſumi poſſint. in peculiari tractatu de eiſdem Elogijs.
Epiſtola Dionyſij Areopagitæ, in qua Deiparam ſe vidiſſe teſtatur. cap. 5. nu. 57.
Epiſtola Deiparæ ad Florentinos, & Meſſanenſes. cap. 29. nu. 59.
Eſther Deiparam adumbrat. cap. 24. nu. 16. & 17.
Etymologia nominis Mariæ multiplex. Tract. de de Salut. Angel. nu. 2.
Eua cum Deipara confertur. cap. 5. nu. 15. ad 19.
SS. Euangeliſtæ ſignificati per quatuor animalia B. Virginem celebrant. cap. 19. nu. 1.
SS. Euangeliſtæ multa de myſterijs vitæ Chriſti, a Deipara didicerunt. cap. 19. nu. 1.
S. Euſebius Epiſcopus Vercellenſis, primus Monachorum inſtituta, cum clericorum officijs copulauit. Tract. de Virg. nu. 10.
Exaltatio Deiparæ ſuper omnes Angelorum choros oſtenditur. cap. 6. nu. 3.
Excellentia Matris Dei varijs nominibus exprimitur. cap. 5. nu. 1.
Exempla Deiparæ complura citantur, in peculiari eorundem Indice, qui ante hunc rerum memorabilium Indicem habetur.
Expectatio partus Deiparæ, quando, & à quo celebrata? Tract. de Feſtis nu. 12.
Familiaritas nimia cum muliere vitanda. Tract. de Virg. nu. 22.
Feneſtra cœli eſt Deipara. cap. 16. nu. 9.
Ferculum Salomonis, eiuſq; ſingulæ proprietates, Deiparæ aptantur. cap. 5. nu. 30.
Feſta complura in honorem Deiparæ varijs in locis celebrata. cap. 29. nu. 11. ad 23.
Feſta Deiparæ, qua præparatione celebranda? cap. 38. num. 12.
Fides Deiparæ. cap. 11. nu. 8.
Fidelitas Deiparæ in Chriſti cruce probata. capi. 11. nu. 6.
Fiducia erga Deiparam quomodo excitetur? c. 36. nu. 19. ad 24.
Filij Deiparæ ſpirituales. cap. 22. nu. 1. & 2. & toto cap. 27.
Figuræ variæ, quibus Deipara adumbratur in Iudith, Eſther, Debora. cap. 24. nu. 16. & 17. in muliere Thecuites. c. 30. nu. 5. in Rebecca, & Bethſabee. cap. 30. nu. 11.
Flammeum virginale, quid ſit? Tractat. de Virgin. num. 30.
Fletus mulierum ſuper Chriſtum, cur prohibitus? cap. 10. nu. 4.
Flores Virginis cur ſint pariter fructus? cap. 8. nume. 22.
Fluuius ſabbaticus quare ſic dictus? cap. 20. nu. 13.
Fluuius ſabbaticus, gratias per Deiparam expectandas ſignificat. cap. 20. nu. 13.
Fomes in Deipara non fuit. cap. 7. nu. 24.
Fomes eſt nobis hoſtis domeſticus. Tract. de Virgin. num. 1.
Fons Solis, Deipara. cap. 5. nu. 34.
Fons lucis, Deipara. cap. 5. nu. 37. cap. 21. nu. 40.
Fons vniuerſam terram irrigans. cap. 5. num. 24. & 34.
Fons hortorum, & puteus aquarum viuentium, deſignat Deiparam. cap. 5. nu. 33. & cap. 28. nu. 11.
Fons olei Romæ per totum diem fluxit. Tract. de Templ. nu. 19.
Fons ſignatus. cap. 7. nu. 12. & cap. 32. nu. 13.
Forma, & mores Deiparæ. cap. 5. nu. 56.
Formula offerendi ſe B. Virgini. cap. 36. nu. 3.
Fortitudo Deiparæ. cap. 21. nu. 15.
Fortitudinis actus duplex. ibid.
Fortitudo Deiparę contra dęmonis caput, varijs figuris adumbratur. cap. 24. nu. 20.
S. Franciſcus de Aſiſio corporis defatigatione, dæmonis illecebras ſuperabat. Tract. de Virg. nu. 28
S. Franciſci erga Deiparam pietas. cap. 35. nu. 8.
S. Franciſcus Deiparam ſui ordinis aduocatam conſtituit. cap. 30. nu. 5.
B. Franciſci Xauerij erga Deiparam pietas. cap. 35 num. 29.
Fridericus III. Imperator Deiparæ deuotus. cap. 39. nu. 19.
Fructus ex Deipara per ordines religioſorum. cap. 20. nu. 37.
Fructus ex Deipara in animarum conuerſione, per Societatem Ieſu. cap. 20. nu. 41.
Fulgur, Chriſtus. cap. 21. nu. 38.
Fulgura, voces, & tonitrua à diuino throno procedentia, quid ſignificent? cap. 20. nu. 1.

GAudium, quod ex Chriſti Reſurrectione Deipara concepit. cap. 11. nu. 9. ad 12.
Gaudium de bonis amici ex amore naſcitur, cap. 36. nu. 14.
Gedeonis victoria, & eiuſdem nominis interpretatio ad Chriſtum refertur. cap. 23. nu. 14.
S. Gerardus Epiſcopus Deiparæ deuotus. cap. 35. nu. 4. & cap. 36. nu. 13.
Gladius Domini eſt Chriſti humanitas, & ea, quæ de illo dicuntur. cap. 22. nu. 12.
Gloriæ Deiparæ immenſitas. cap. 6. nu. 10.
Gloria Deiparæ omnium ſanctorum gloriam, collectiue ſumptam, ſuperat. cap. 6. nu. 11.
Gloria Deiparæ plene à nobis explicari non poteſt. cap. 12. nu. 4.
Gloria SS. Auguſtini, ac Thomæ Aquinatis viſione ſignificatur. Tract. de Virg. nu. 27.
Gratiæ Deiparæ immenſitas explicatur. cap. 13. nu. 3. & 4.
Gratia Deiparæ in Conceptione. cap. 7. nu. 3. 5. 10.
HAbitaculum Chriſti Deipara. cap. 13. nu. 1.
Hamus, quo captus eſt Leuiathan. cap. 23. nu. 1. ad 4. & cap. 5. nu. 24.
Hæretici, alijq; Chriſtiani nominis hoſtes, ope Deiparæ deleti. cap. 20. nu. 60.
Hæreſes debellantur à Deipara. cap. 24. nu. 4. & 5.
S. Helenæ Conſtantini Imperatoris matris monumenta, Neapoli. Tract. de Templ. nu. 41.
S. Henricus Imperator Deiparæ deuotus. cap. 35. nu. 36. & cap. 39. nu. 19.
Henricus II. Anglorum Rex Deiparæ deuotus. cap. 39. nu. 19.
Henricus Luſitaniæ infans Deiparæ ſtudioſus. cap. 35. nu. 38.
Homo quare dicatur Microcoſmos? cap. 14. nu. 12.
Homines excitantur ad Dei laudem à Deipara. toto cap. 33.
Honor, quid ſit? cap. 36. nu. 8.
Honor, quibus rebus exhibendus? cap. 38. nu. 1.
Honor erga Deiparam. ibid.
Honor Chriſti erga matrem. cap. 30. nu. 13.
Honores Ioſepho in Aegypto habiti, multo magis Deiparæ debentur, quæ pacem cœli ex ſe protulit. cap. 8. nu. 24.
Hortus concluſus Deipara. cap. 7. nu. 12. & cap. 32. num. 17.
Humilitatis gradus. cap. 21. nu. 24.
Humilitas Deiparæ in Purificatione. cap. 21. num. 26. & cap. 37. nu. 6.
Humilitas Chriſti. cap. 12. nu. 12.
Humilitas per Nardum ſignificatur, cap. 21. nume. 21.
Humilitas Deiparæ. cap. 12. nu. 12. & 13. & cap. 37. nu. 6. & cap. 21. nu. 21. ad 28.
Humilitate, & virginitate Matris, filius Dei è cęlo deducitur. cap. 7. nu. 1.
Humanitas Chriſti indumenti nomine exprimitur. cap. 8. nu. 18.
Humanitas Chriſti eſt gladius, quo debellatus eſt Leuiathan. cap. 22. nu. 12.
Hymnodia Angelorum in ſepulchro Virginis. cap. 12. nu. 3.
Hyperdulia Virgini debetur. cap. 36. nu. 11.

IAnua miſericordiæ, Deipara. cap. 29. nu. 8.
Idola Aegypti à Chriſto euertuntur. c. 23. nu. 8.
Ieſu nominis interpretatio. Tract. de Salut. Angel. num. 6.
Ieſu nominis laudes. Tract. eodem nu. 6. & 7.
Ieſu nomen non tantum Saluatorem, ſed etiã apud Græcos medicum ſonat. cap. 5. nu. 20.
B. Ignatij Loyolæ erga Deiparam pietas. cap. 35. num. 19.
Igne Deitatis cur in Deipara non comburatur humanæ naturæ ſęnum? cap. 8. nu. 13.
Imaginum Deiparæ cultus. cap. 29. nu. 43. ad 48.
Imagines Deiparæ vim habent contra tentationes. cap. 36. nu. 22.
Imago Deiparæ ab Angelis S. Gallæ delata. Tract. de Templ. nu. 22.
Imago B. Virg. Ceſtochouienſis in Polonia, miraculis præclariſſima. cap. 20. nu. 20.
Impiorum miſera conditio. cap. 23. nu. 15.
Impudica mulier, quæ S. Vincentium ad flagitium excitabat, à dæmone mulctatur. Tract. de Virg. num. 29.
In Incarnatione Chriſti, donum præclariſſimum nobis à patre exhibitum. cap. 20 nu. 3.
Incarnatio Chriſti miraculorũ maximũ. c. 20. nu 2.
Incarnatio, peculiari ratione, dicitur opus Dei. ibidem.
Incarnationis opus creationi præfertur. ibid.
Incarnatio dicitur, quid nouum ſuper terram. cap. 20. num. 4.
Incarnationis myſterium noluit Deus fieri ſine Virginis conſenſu. cap. 17. nu. 6.
Initium viarum Dei, quid ſit? cap. 14. nu. 4. ad 12.
Inſigne regiæ dignitatis, quale ſit in Deipara. cap. 6. num. 7.
Inuocatio Virginis, quomodo faciẽda? c. 38. nu. 4. 5.
S. Io. Baptiſtæ integritas corporis. cap. 24. nu. 6.
S. Io. Bapt. ſanguis, quomodo in eius decollatione ſeruatus? Tract. de Feſt. ac Templ. nu. 46.
Ioannes Comnenus Imperator Conſtantinopolitanus Deiparæ deuotus. cap. 35. nu. 37.
S. Ioachim Deiparæ parentis laudes. toto cap. 18.
Iordanis nomen Deiparæ adaptatur. cap. 4. nu. 10.
Ioſeph cur ſponſam dimittere voluerit? c. 8. nu. 6.
S. Ioſephi interceſſionis efficacia. Tract. de Virgin. num. 14.
S. Ioſepho cur Deipara deſponſata? Tract. de Virg. num. 72.
S. Ioſephi Sponſi Deiparæ virginitas. Tract. de Virgin. num. 14.
Iris thronum ambiens, Deiparam adumbrat, cap. 2. num. 3.
Iris miſericordiæ typus. cap. 16. nu. 1.
Iridis contactu plantæ odorem contrahunt. cap. 16. nu. 1.
Iudæi ad Occidentem orabant; Chriſtiani autem verſus Orientem orant. cap. 25. nu. 2.
Iudæa Rachel ad Chriſti fidem per Deiparam conuerſa. cap. 4. nu. 23.
Iudith Deiparam adumbrat. cap. 24. nu. 16. & 17.
Iuliana virg. dum martyrio inſignitur. plurimos ad Chriſti fidem conuertit. Tract. de Virg. nu. 43.
Iuſtitia Deiparæ. cap. 21. nu. 14.

Iuſti in Virginis corde eſſe dicuntur. cap.27. nu.2.
Iuſti parturiuntur prope crucem à Deipara. cap. 28.num.5.
Iuſti quomodo contineantur in Deipara. cap.28. num.2.
Iuſtorum mater Deipara. cap.27.nu.1.& 2.

LAcrymæ Virginis reliquiſſe dicuntur veſtigia in filij monumento. cap.10.nu.3.
Lapis conuerſus in montem, dicitur Chriſtus. cap. 23.nu.3.
Laudes Virginis plene explicari nequeunt. in Præfat.ad Lect. nu.2.
B.Laurentij Iuſtiniani erga Deiparam pietas. cap. 35.nu.18.
Leuiathan dæmonem ſignificat, & de eo plura dicuntur. cap.22.nu.16.& 17.
Liber grandis, in quo Verbum æternum, Spiritus ſancti calamo fuit inſcriptum,eſt B. Virgo. cap. 5.nu.29.
Ligna ſetim imputribilia,Deiparæ corpus incorruptum ſignificant. cap.5.nu.45.
Lignum vitæ eſt Deipara. cap.5.nu.23.
Lilium inter ſpinas dicitur Deipara, propter puritatem. cap.5.nu.61.
Lilium inter ſpinas Deipara, propter immaculatã Conceptionem. cap.7. nu.19.
Lilium inter ſpinas Deipara ob ſpinas capitis Chriſti. cap.10.nu.14.
Litaniarum Deiparæ vtilitas. cap.34.nu.3.
Lucerna in nocte inextincta eſt Deipara,culpæ originalis immunis. cap.7.nu.17.
Ludouici Pij Imperatoris erga Deiparam pietas. cap.35. nu.36.
vt Luna pulchra eſt Deipara. cap. 14. num.18.cap. 16.nu.12.cap.6.nu.3.cap.30. nu.14.
Luna Eccleſiam ſignificat. cap.30. nu.8.
Luna propter lucis defectum interdum dæmonem ſignificat. cap.24.nu.7.
Lux mundi Chriſtus. cap.21.nu.39.
Lux noua mundi eſt Deiparæ. cap.14. nu.16.
Lux primo creata Deiparæ typus. ibi dem.

MAcarius Romanus Angelo Raphaele duce ſolitudinem petit. Tract.de Virg.nu.78.
Magiſtra Apoſtolorum, & Euangeliſtarum Deipara. cap.17.nu.16.& 19.
Magneti Deipara aſſimilatur. cap.36.nu.23.
Manna quod aſſeruabatur in arca, eſt Deiparæ miſericordia. cap.5. nu.49.
Manna Deiparæ typus. cap.34.nu.16.
Manſuetudo Deiparæ. cap.21. nu.19.
Mare vitreum ante Thronum quid ſignificet? cap. 16. nu.18.
Mare in quod intrant omnia flumina gratiarum eſt Deipara. cap.4.nu.12.& cap.5.nu.4.
Mariæ nomen quid ſignificet? cap. 5. nu.5.6.& 7. & Tract. de Salut.Angel.nu.2.
Mariæ nomen præſtantiſſimum, eiuſdemq; multiplex ſignificatio. cap.4.nu.11.ad 17.& 22.
Mariæ nomen etiam apud Ethnicos celebre. cap.4. num.18.
Maria in hac vita interdum ad breue tempus ad Dei viſionem eleuata. cap.5. nu.10.
ad MARIAE nomen ſacratiſſimum quamplurima reuocari poſſent,verum cum totius operis argumentum circa Deiparam verſetur, commodius ea in Indice, ſuis quæq; litteris reponenda cenſuimus.
Mariæ ad Niues feſtum, quomodo,& quando inſtitutum! Tract.de Feſt.nu.10.
B.Mariæ de Oegnies erga Deiparam pietas. cap. 35. nu.13.
Martyrum Regina eſt Deipara. cap. 11. num. 1.2. & 3.
S.Martinus Epiſcopus Deiparæ deuotus. cap. 35. num. 3.
Mater Chriſti non tantum naturalis, verùm etiam ſpiritualis dicitur Deipara. cap.28.nu.13.
Mater viuentium eſt Deipara. cap.27.nu.1. vſque ad 10.
Mater iuſtorum dicitur Deipara. toto cap.28.
Mater pulchræ dilectionis Deipara. cap.9. nu.20.
Mater fidei,ſpei,ac charitatis Deipara. cap 28.nu. 11. & 12.
Maternitas Dei eſt abyſſus gratię. cap.5.nu.2.
S. Matthæus Apoſtolus Iphigeniæ virginitatem ſuadens,martyrio coronatur. Tract.de Virgin. num.57.
Medium terræ Deipara. cap.5. nu.32.
Mediatrix noſtra Deipara. cap.30. nu.6.
Menſa panum propoſitionis Deiparam adumbrat. cap.5.nu.40.& cap.8.nu.19.
Menſa aduerſus eos,qui tribulant nos,eſt Deipara. cap.5.nu.40.
Microcoſmos Deipara dicitur. cap.15. nu.5.
Miles quidam pro tuenda puellę virginitate,cum ea martyrio coronatus. Tract.de Virg.nu.52.
Miracula quare interdum Chriſtus die ſabbati operabatur? cap.20.nu.17.
Miraculum mundi præſtantiſſimum dicitur Deipara. cap.20. nu.6.
Miracula velut fulgura ex Deipara prodeunt. cap. 20.nu.11.
Miracula plura fiunt in Deiparæ Templis, & quare? cap.20.nu.24.
Miracula Deiparæ quamplurima citantur in peculiari eorundem Indice,equi ante hunc rerum memorabilium Indicem habetur.
Miſericordia Deiparæ immenſa. cap.16.nu.2.
Miſericordia in Virgine creuit ab infantia. cap.16. num. 3.
Miſericordiæ ſolium Chriſto præparatum, eſt Deipara. cap.16. nu.8.
Miſericordia diuina per Virginem in omnes effunditur. cap.16 nu.7.
Miſericordia Deiparæ ſoli,lunæq; aſſimilatur. cap. 16.num.2.
Miſericordia per Iridem ſignicatur. cap.16.nu.1.
Miſericordia, quæ eſt veluti dimidium Regnum Dei,Deiparæ communicatur. cap.16.nu.2.
Miſſæ de Deipara eidem gratæ. cap.38.nu.6.& 7.
Monachi Benchorenſes,ſuccedentibus viciſſim choris,diuinorum ſolemnia celebrabant. Tract. de Virg.nu.9.
Monachorum multitudo, ac cœnobia plurimis in locis. Tract.de Virg.nu.6.ad 22.
Mons in vertice montium,eſt Deipara. cap.4.nu.9.

Mons Dei, Deipara. cap.5. nu.31.
Mons vnde abſciſſus eſt lapis ſine manibus, Deipara. cap.5. nu.31.
Mons myrrhæ,& collis thuris,quid ſignificet? cap. 7.nu.20.
Morbo cur Deipara caruit. cap.5.nu.46.
Mortem B. Virginis adumbrat diſceſſus Moyſis ex hac vita. cap.9. nu. 18.
Mors Deiparæ abſque dolore,ſed amoris vi. cap.9. num.18.
Mors Chriſti fuit triumphus omnia ei ſubijciens. cap.9.nu.2.
Mortuo Chriſto Deipara quodammodo derelicta videbatur. cap.10.nu.10.
Mortificationis virtus in Deipara. cap.21.nu.18.
Mortificationes quænam in Deiparæ honorem faciendæ? cap.39.nu.17.ad 23.
Mulier amicta ſole dicitur Deipara. cap.3. nu.1.
Mulier fortis. cap.4.nu.9.& cap.24. nu.2.
Mulier, quæ fermentum in farinæ ſatis tribus abſcondit,Deiparam ſignificat. cap.8.nu.20.
Mulieris planta ſerpentem interimit. cap 22. nu.4.
Mulier quædam ad ſpecum Martij monachi audaciter accedens morte mulctatur. Tract. de Virg. num.19.
Mulierum cohabitatio fugienda. Tract.de Virgin. num.22.
Mulierũ familiaritas fugienda.Tract.de Virg.n.20.
Mulierum conſpectus vitandus. Tract. de Virgin. num.19.
Mulieribus ſine ſocio non loquendum. Tract. de Virg. nu.21. 23.
Mulieres in quibus Deipara præfiguratur, Iudith, Eſther,Debora. cap.24. nu.16.
Mulier Thecuitis. cap.30.nu.5.
Rebecca,& Bethſabee. C. nu.11.
Munera, ac proprietates Angelicorum ordinum excellentiori modo in ſe Deipara habet. cap. 6. num.6.
Myrrha maris eſt Deipara. cap.34.nu.22.

NArdus odorifera humilitatis Deiparæ typus. cap.21.nu.21.
Narſes Dux Imperatoris Iuſtiniani Deiparæ deuotus. cap.35. nu.35.
Natiuitas Verbi cur maiori ſolemnitate celebratur,quàm eiuſdem Incarnatio. cap.8. nu.16.
Natiuitas B.Virginis fuit 8. Septembris aurora illuceſcente. Tract.de Feſt.nu.3.
Natiuitas Deiparæ in domo probaticæ Ioachim ex Damaſceno. cap.18.nu.4.
Natiuitatis Deiparæ feſtum, quando inſtitutum? Tract.de Feſt.nu.3.
Naturam humanam potius quam Angelicam Deo ſibi vnire complacuit. cap.14.nu.12.
Natura Angelica, & humana famulatur Deiparæ. cap.26.nu.7.
Naturam humanam cur Deus ex Deipara aſſumpſerit? cap.14.nu.14.
Nauis inſtitoris de longe portans panem ſuum, eſt Deipara. cap. 8. nu.20.
Nebula Deiparæ typus. cap.30.nu.5.
S.Nicolai Myræ Epiſcopi in Virginem pietas. cap. 35.nu.3.
Noſocomia, & Orphanotrophia in honorem Deiparæ excitata. cap.29.nu.6.ad 9.
Nubes Domini leuis eſt Deipara. cap 3.nu.5.

OBſequia præſtanda erga Deiparam. cap.29. nu. 10. & honores ab Eccleſia eidem adhibiti. ibidem.
Obſequia Angelorum erga Deiparam.cap.12.nu.4.
Obſecrationes ad Deiparam per eius vitæ myſteria. in Elogijs Deiparæ. nu.7.
Obſeruatio diuinæ legis in Deipara. cap.37.nu.4.
Oculi Deiparæ cuius coloris. cap.5. nu.54.
Officina miraculorum Deipara. cap.20.nu.4.
Officium paruum Deiparæ,eiusq; vtilitas. cap. 36. num. 1.
Oliua ſpecioſa in campis Deiparæ typus. cap. 16. nu.4.& cap.6.nu.2.
Oliua miſericordiæ ſignum. cap.16.nu.4.
Opera Chriſti quomodo Deiparæ tribui poſſent. cap.22.nu.10.
Opera miſericordiæ corporalis,quæ Deipara erga Chriſtum exhibuit. cap.12.nu.8.& 9.
Opera miſericordiæ tam ſpiritualis, quàm corporalis,quæ nam in honorem Deiparæ exercenda? cap.39.nu.23 ad finem.
Oracula dæmonum Chriſto naſcente obmuteſcunt. cap.23.nu.10.
Oracula Sibyllina de Chriſto venturo. cap.23. nu. 12. & 13.
Orationis typus incenſum. cap 30.nn.1.
Orationis virtus in Deipara. cap.21.nu.29.
Ordo Seruitarum Florentiæ ex quadam Virginis ſodalitate prodijt. cap.40.nu.10.
per Ordines Religioſorum quæ nam operetur Deipara in peccatorum conuerſione. cap.20. num. 37.ad 41.
Olmanna virgo poſt obitum miraculis præclara. Tract.de Virg.nu.70.

PAllium Chriſti dicitur Deipara. cap.28.nu.6.
Palma in Cades Deiparã exprimit.cap.6.nu.2.
Parentum Deiparæ dignitas ad ipſam, & ad Chriſtum redundat. cap.18. nu.1.
Paradiſus dicitur ex Deipara emanare. c.5. nu.36.
Paradiſus voluptatis cum Deipara comparatur. cap.5.nu.23. & 24.
Paſſionis Chriſti tempore triplex in corde Deiparæ conflictus. cap.10. nu.15.
Paupertas Deiparæ. cap.37.nu.12.ad 17.
Paupertas Chriſti. cap.12.nu.9.
Paupertatis nouem gradus,& qui nam in Deipara fuerint? cap.37.nu.16.
Peccato etiam veniali caruit Deipara. cap.7. nu.3.
Peccatores per Deiparam conuertuntur. cap. 20. num.48.
Pericula amittendæ caſtitatis. Tract. de Virgin. num.72.
B.Philippi Nerij erga Deiparã pietas. c.35.nu.34.
Pietas erga Deiparam eſt prædeſtinationis ſignum. cap.34.nu.18.
Pietas erga Deiparam fugat dæmones. c.34.nu.3.
Platanus iuxta aquas Deiparam adumbrat. cap. 6. num.3.
Porta Orientalis clauſa, in qua ſedet Dux, eſt Deipara. cap.2.nu.10.& cap.32.nu.19.

INDEX.

Porta cœli eſt Deipara. cap. 16. nu. 8.
Poteſtas Deiparæ. cap. 30. nu. 10.
Poteſtas Deiparæ ſupra dęmones. cap. 24. nu. 17.
Prædeſtinatio Deiparę poſt Chriſtum omnium prima, cap. 14. nu. 19.
Prædeſtinatio Deiparæ ante præuiſum originale peccatum fuit. cap. 14. nu. 14.
Prędeſtinatio Chriſti eſt noſtræ prędeſtinationis cauſa. cap. 14. nu. 8.
Præſentationis Deiparæ feſtum, quãdo inſtitutum? Tract. de Feſt. nu. 4.
Præſtantia Deiparæ per Chriſtum magis cognoſcitur. cap. 15. nu. 5.
Prędeſtantia Deiparæ à nulla pura creatura plene cognoſci poteſt. cap. 15. nu. 6.
Præſtantia Deiparę varijs typis adumbratur. cap. 20. nu. 3.
Preces Deiparæ apud Chriſtum efficaciſſimæ. cap. 30. nu. 8. ad 15.
Preces ad Deum per Deiparã offerendæ. c. 38. nu. 4.
Preces, quænam in honorem Deiparæ recitandæ. cap. 38. nu. 8. ad 12.
Preces ad Deiparam quomodo eſſe debeant. cap. 38. nu. 4.
Preces, quibus petitiones ad Deiparam terminari poſſunt. in Elogijs nu. 8.
Precum Deiparæ fructu cur aliquando priuemur. cap. 30. nu. 14.
Primogenita redemptionis dicitur Deipara. cap. 14. nu. 15.
Priuilegia Deiparę quænam? cap. 30. nu. 16.
Priuilegia peculiariter Deiparę conceſſa. cap. 20. nu. 8. ad 11.
Promptitudo Deiparæ ponendi animam pro filio. cap. 11. nu. 7.
Propinquitas Deiparæ in cœlo cum Chriſto. cap. 12. nu. 4.
Propitiatorium vniuerſæ terræ eſt Deipara. cap. 16 nu. 16. cap. 36. nu. 22.
Proſapia Virginis nobiliſſima. cap. 17. nu. 14. & cap. 21. nu. 28.
Protectio Deiparæ erga ſuos filios ſpirituales. cap. 29. nu. 3. & 4.
Prudentia Deiparæ. cap. 21. nu. 13.
Pulcheria Auguſta tria Templa Conſtantinopoli Deiparę conſtruxit. Tract. de Templ. nu. 73.
Pulchritudo Deiparæ. cap. 5. nu. 52.
Pulchritudo Deiparę ad caſtitatem excitabat. cap. 24. nu. 6.
Pulchritudo Deiparæ ſeptem pulchritudinis generibus in ſcriptura ex Idiota ſignificatur. cap. 5. num. 7.
Pulchritudines ſeptem Deiparæ animæ, ſeptem corporis partibus explicantur. cap. 5. nu. 63.
Pulchritudo animæ Deiparæ omnium maxima. capi. 5. nu. 62.
Puluis pigmentarius quid? cap. 21. nu. 36.
Pudor virgineus in Deipara. cap. 21. nu. 24.
Purgatorium euacuatum in Aſſumptione Deiparę. cap. 12. nu. 16.
Puritas Deiparę. cap. 13. nu. 5.
Purificationis lege Deipara non tenebatur. cap. 37. num. 4.
Purificationis Deiparę Feſtum, quando inſtitutum eſt à Latinis, & Græcis? Tract. de Feſt. nu. 7.
in Purificationis Feſto cur cerei adhibeantur? ibid.
Puteus aquarum viuentium Deipara. cap. 5. nu. 33.
Puteus, in quo Deiparæ imago proiecta ſupernatauit. Tract. de Feſt. ac Templ. nu. 28.
Pythagoræ monitum de amicitia. cap. 9. nu. 9.

Quatuor animalia circa Dei Thronum, quatuor Euangeliſtas ſignificant. cap. 19. nu. 1.
Quatuor Euangeliſtæ Deiparæ præſtantiam celebrant. toto cap. 19.
Quiteria virgo, & martyr in Hiſpania. Tract. de Virgin. nu. 40.

Radix ſancta eſt Deipara. cap. 16. nu. 9.
Radix gaudij, Deipara. cap. 11. nu. 10.
Radix lilij contra venena ſerpentum efficax. cap. 7. num. 19.
Rebecca Deiparam adumbrat. cap. 30. nu. 11.
Refugium noſtrum Deipara. cap. 28. nu. 7.
Regina Saba Deiparam adumbrat. cap. 12. nu. 6.
Religioſæ vitæ perfectiones in Deipara. cap. 37. nu. 10. ad 17.
Religioſi, qui ſub Deiparæ nomine militant, cap. 34. nu. 12.
Religioſorum Ordines plurimi à quibus nam inſtituti? Tract. de Virg. à nu. 10. ad 22.
Religioſæ familiæ, quę de Virginis patrocinio gloriantur. cap. 34. nu. 13.
Reliquiæ plurimæ Deiparæ, & vbinam aſſeruentur? cap. 29. num. 48. ad 59. & quænam Deipara ad vſum filij ſuis manibus confecerit? ibidem num. 60. & 61.
Reparatrix Orbis quomodo dicatur Deipara. cap. 13. nu. 3.
Reſurrectio Chriſti, & gaudium immenſum, quod matri attulit. cap. 11. nu. 9. vſque ad 12.
Reuerentia quid ſit? cap. 36. nu. 8.
Reuelationes de Feſto Conceptionis Deiparę celebrando. Tract. de Feſt. nu. 2.
Reuelatio S. Brigittę de ijs, quæ Deipara poſt filij Aſcenſionem geſſit. cap. 6. nu. 8.
Reuerentia erga Deiparam quomodo excitetur? cap. 36. nu. 8. ad 13.
Roſæ in Iericho Deipara comparatur. cap. 6. nu. 2.
Roſarium Deiparæ, ac de eius inſtitutione, & vtilitate. cap. 30. nu. 4. ad 11.
Rota Ezechielis Deiparæ typus. cap. 6. nu. 7.
Rubus ardens incombuſtus Deiparę typus. cap. 32. num. 13.

Sabbatum Deiparæ peculiariter conſecratum, & à quo tempore? cap. 29. nu. 18. ad 23.
Sacrarium Spiritus ſancti Deipara. cap. 5. nu. 22.
Sancti quomodo rapi dicuntur ad Deum, & ad eius Thronum, hoc eſt Deiparam? cap. 31. nu. 34.
Sancti tum veteris, tùm noui teſtamenti multa à Deipara acceperunt. cap. 17. nu. 13. ad finẽ cap. 5
Sanctorum omnium feſtum etiam ad Deiparam pertinet. Tract. de Feſt. nu. 11.
Sancti ſub typo vigintiquatuor Seniorum Deiparæ de ſuis victorijs gratias agunt, eamq; laudant, cap. 17. nu. 9. & ſeqq.
Sancti viri, qui Deiparæ ſtudioſiſſimi fuere. cap. 35. nu. 1. ad finem cap.

San-

Sanctorum gaudium accidentale ex Deipara. cap. 31.nu.4.& 5.
Sanctificatio Io.Baptiſtæ. cap.23.nu.7.
in Salutatione Angeli Deipara turbata eſt. cap.5. num.14.
Salutationis Angelicæ explicatio. Tract. de Salut. Angel.
Salutationis Angelicæ verba ſingula, ſingulis Deiparæ feſtis,ac præcipuis actionibus reſpondent. Tract.in Salut Angel.nu.11.
Salutis ingreſſus per Deiparam. cap.22. nu.8.
ad Salutem hominum Deipara ſingulariter cooperata eſt. cap.17.nu.2.& cap.28.nu.8.9.& 10.
Sanguinem, & aquam, qui è Chriſti latere emanauit, Deipara excepit. cap.10.nu.3.
Scala cœli eſt Deipara. cap.16.nu.9.
Scala Iacob. cap.26.nu.8.
Schiſmatici Conſtantinopolitani puniuntur. cap. 35.nu.35.
Scriptura ſacra dicitur liber bellorum Domini. à Ruperto. cap.22. nu.2.
Sedis Dei multiplex acceptio. cap.2. nu.4.
Sedes Dei,quę Deiparam adumbrat,primo loco recenſetur in viſione Apoc.4. cap.14.nu.14.
Sepulchrum Deiparæ in Gethſemane.cap.12.nu.3.
Serpentis caput quid ſignificet? cap.24.nu.1.
Serpentis caput multipliciter conteritur à Deipara. cap 22.nu.3.
Serpens tactu plantæ mulieris moritur. cap. 22. num.3.
Signaculum ſuper cor Deiparæ Chriſtus. cap. 10. num.11.
per Societatem Ieſu quænam operetur Deipara in animarum conuerſione? cap.20. num.41. ad 48. fuſe.
Societas Ieſu à moleſtijs per Deiparam liberatur. cap.35. nu.28.
Societatis Ieſu martyres. cap.20.nu.44.
vt Sol electa. cap.11.nu.15.
Solio excelſo Iſa.6.Deipara figuratur. cap.2.nu.9.
Solium diuinæ miſericordiæ eſt B.Virgo. ibidem.
Solium gloriæ ab initio Conceptionis fuit Deipara. ibidem.
Speculum ſine macula Deipara. cap.7. nu.8. & 20.
Spiritus ſancti dona quomodo per Virginem obtinentur?ex Bonauentura. cap.5.nu.26.
Spolia prima Chriſti,quæ ſint? cap.23. nu.7.
B.Staniſlaus Koſtka Societatis Ieſu Deiparæ ſtudioſus. cap.35.nu.32.
Stella maris Deiparam ſignificat. cap.25.nu.4.cap. 29.nu.5.cap.34 nu.16.
Stella matutina appellatur Deipara. cap.31.nu.5.
Stella fulgentiſſima dicitur Deipara. cap.21.nu.40.
Stella polaris vocatur Deipara. cap.12. nu.4.
Stella Iacob Deiparæ typus. cap.24.nu.9.
Stellæ ſignificant Sanctos. cap.12.nu.15.
S.Stephanus Rex Hungariæ Deiparæ ſtudioſus.cap. 35.nu.37.
Sublimitas matris Dei varijs nominibus exprimitur. cap.5.nu.1.
Superbia Euæ à Deipara emendatur. cap.21. nu.28.
Symbola, quibus Mater Dei exprimitur. cap.5. num.22.
Symbola,quibus Deiparæ patrocinium explicatur. cap.16.nu.12.
Symbola varia Deiparę,vide V.Typus.
Tabernaculum fœderis Deipara. cap.5. nu.37.
Tabernaculum quo ab eſtu tentationis, & à turbine periculorum protegimur,eſt Deipara. cap. 5.nu.38.
Tabulę legis, quæ in arca erant,oſtendunt ſtudium diuinę legis in Deipara. cap.5.nu.49.
Taciturnitas Deiparę. cap.21. nu.26.
Temperantia Deiparę. cap.21. nu.17.
Templum Dei Deiparę typus. cap.4.nu.7.& 8.cap. 5.nu.38.
Templa Deiparæ erecta. cap.29.nu.23. ad 34.
Templa B.Virgini ante eius ortum, & ipſa viuente dicata. cap.29.num.23. & ſeqq. & Tract.de Templis nu. 17.
Templa aliqua Deiparę cur ſupra Idolorum fanis extructa? Tract.de Feſt.ac Templ. nu. 17.
Templa quadringẽta olim in Vrbe Deiparę dicata; ex Andrea Fuluio. cap.29.nu.32.
Templa varia Deiparę, quando, & quomodo erecta,in Vrbe Roma. ſunt autem hęc, quę ſequuntur. Tract.de Feſtis, ac Templis.
S.Maria Angelorum in Thermis. nu.20.
S.Maria Tranſtiberim. nu.19.
S.Maria Ara cœli. num.23.
S.Maria in Via lata. nu.25.
S.Maria à Palmis. nu. 26.
S.Maria ſupra Mineruam. nu. 28.
S. Maria Maior. num.18.
S.Maria in Porticu. num.21.
S.Maria Rotunda. num.24.
S.Maria Schola Græca. num. 24.
S.Maria de Populo. num. 27.
S.Maria in Via. num.28.
Templa varia in Vrbe, Sanctorum reliquijs, vel aliqua ratione celeberrima. nu.29. ad 40.
Templa Neapoli Deiparę dicata olim numero ſeptuaginta,nunc longè plura. nu. 40.
Templa aliquot Neapoli à Conſtantino Imperatore B.Virgini dicata eriguntur. nu. 40.
Templum Cathedrale Neapoli Deiparę dicatum. Tract de Feſt.ac Templ.nu.42.
Templa varia Neapoli Deiparę,quando,& quomodo erecta,pręſertim,quę ſequuntur.
S.Maria à Principio. num. 41.
S.Maria Maior. num.43.
S.Maria à Carmelo. num.43.
S.Maria ab Agnone. num.45.
S.Maria ad pedem Cryptę. nu.44.
S.Maria à Domna Romita. nu. 46.
Templa alia Deiparę Neapoli ſacra. nu.46.ad 51.
Templa Deiparę domiciliorum Societatis Ieſu, Neapoli erecta. nu.52.
Templa varia Deiparę ſacra in Italia. nu.53.
Templa Deiparę ſacra in Sicilia, & Inſulis circa Italiam. nu.53.
Templum Deiparæ in Inſula Tremitana, eiuſdem iuſſu erectum. nu.56.
Templa Deiparæ in Aragonio Regno, à Iacobo I. Aragonorum Rege extructa. nu. 57.
Templum B.Virginis Montis Serrati, à quo, quando,

do,& qua nam ratione ædificatum. nu. 57.
Templa Deiparæ ſacra, in Hiſpania. nu.59. ad 63.
Templa Deiparæ in Luſitania. nu. 64.
Templa in Gallia,& Belgio, Deiparæ dicata. nu.65
Templa in Germania,& alijs Septentrionis Regionibus, Deiparæ ſacra. nu.68.
Templa Deiparæ in Anglia,& Hybernia. nu.71.
Templa Conſtantinopoli, & in alijs Orientis, & Africæ Regionibus, Deiparæ olim erecta. nu.72.
Templa Deiparæ apud barbaras nationes erecta. num.78.
Templa tria Conſtantinopoli à Pulcheria Auguſta in honorem Deiparæ eriguntur. nu.73.
Tentationes carnis quanam ratione Sancti ſuperarint. Tract.de Virg. nu.19.
Tentationes,& inſidiæ dæmonis contra Religioſos, per os energumeni patefactæ. Tract. de Virgin. num.20.
Terebinthus quid ſignificet in Deipara?c.21.nu.34.
Terra germinaus Saluatorem. cap.20. nu. 16.
Terra Sacerdotalis immunis à Pharaonis tributo, Deiparam adumbrat. cap.7.nu.14.
Thalamus ſponſi,in quo ſibi Chriſtus humanitatem deſponſauit,eſt Deipara. cap.5. nu.29.
Thermarum Diocletiani forma,& ſtructura.Tract. de Feſt.ac Templ. nu.20.
Throni multiplex acceptio. cap.1.nu.1.& 2.
Thronus Dei,quid ſignificet? cap.1. nu.3. ad finem.
Thronus Dei dicitur Deipara. cap.4.num.1. cap,3. nu.3.cap.1. nu.1.
Thronus Salomonis eburneus Deiparam adũbrat. cap.2.num.8.
Thronus Sapphirinus, in quo conſpicitur quaſi aſpectus hominis, Deiparam adumbrat. c.2. nu.10.
Thronus Dei dicuntur Angeli. cap.3 nu.3.
Throni, qui ſunt tertius ordo Angelorum,vnde dicti. in Præf.ad Lect. nu.1.
Thronorum nomen cur dæmonibus nunquam tribuatur. cap.8.nu.1.
Thronus Deiparæ in cœlis. cap.12.nu.17.
S.Thomæ de Aquino erga Deiparam pietas. cap. 35.nu.11.
Thuribulũ aureum Chriſti humanitas. c.30.nu.1.
Triclinium ſanctiſſimæ Trinitatis. cap.5. nu.39.
Tribulationes noſtræ à Deipara mitigantur. cap. 28.nu.6.
Triclinium Trinitatis Deipara. cap.5.nu.39.
Tonitruum, Chriſtus contra inimicos. c.21. nu.42.
Turris Dauid cum propugnaculis Deiparæ typus. cap.7.nu.2.& cap.2.nu.2.& cap.21.nu.1.
Turris ex qua pendet omnis armatura fortium, Deipara. cap.5.nu.4.
Turris eburnea cur dicatur Deipara? cap.7. nu.20.
Tutela B. Virginis peculiaris erga ſuos clientes. cap.40.nu.2.
Typi varij,quibus Deipara ſignificatur, vel quibus Deipara aſſimilatur, qui etſi in hoc Indice ſub ſuis quiq; litterisadiectis,vbi pertractãtur locis, ſparſim reponantur. Eos tamen in Lectoris gratiam, Ordine Alphabetico digeſtos, hinc ſimul coniecimus.

A Ger plenus.
Altare nouum.
Altare Thymiamatis.
Aquęductus cœleſtium gratiarum.
Arca fœderis, & Arca Dei.
Arca Noe.
Aurora conſurgens.

B Alſamum aromatizans.
Botrus Cypri.

C Andelabrum aureũ.
Caſtrorum acies ordinata.
Cedrus in libano.
Ciſterna Bethleemitica.
Ciuitas ſolis.
Ciuitas refugij.
Ciuitas animata.
Ciuitas Dei.
Clibanus intellectualis.
Cœlum.
Columna nubis.
Columna ignis.
Columba Noe.
Collum ſanctæ Eccleſię.
Cypreſſus in monte Sion.

D Omus Dei.
Domus ſapientiæ.
Domus eburnea.

F Eneſtra cœli.
Ferculum Salomonis
Fons lucis.
Fons hortorum.
Fons ſignatus.
Fons vniuerſam terram irrigans.

H Ortus concluſus.
Iordanis.

L Ignum vitæ.
Lilium inter ſpinas.
Lucerna inextincta.
vt Luna pulchra.
Lux primo creata.
Lux noua mundo.

M Agnes.
Manna.
Mare.
Medium terræ.
Menſa panum propoſitionis.
Microcoſmos.
Mons in vertice montium.
Mons Dei.
Mons myrrhæ.
Mulier fortis.
Mulier amicta ſole, ſub cuius pedibus luna, & duodecim ſtellis coronata.

N Ardus odorifera.
Nauis inſtitoris de longe portans panem.
Nebula.
Nubes Domini leuis.
Oliua ſpecioſa.

P Alma in Cades.
Paradiſus voluptatis.
Platanus iuxta aquas.
Porta cœli.
Porta Orientalis clauſa.
Propitiatorium vniuerſæ terræ.
Puteus aquarum viuentium.

R Oſæ plantatio.
Rota Ezechielis.
Rubus ardens incombuſtus.

S Acrarium Spiritus ſancti.
Scala Iacob.
Scala cœli.
vt Sol electa.
Speculum ſine macula.
Stella polaris.
Stella Iacob.
Stella maris.
Stella matutina.
Stella fulgentiſſima.

T Abernaculum fœderis.
Templum Dei.
Terebinthus.
Terra germinans Saluatorem.
Terra Sacerdotalis.
Thalamus Sponſi.
Thronus Salomonis.
Thronus Sapphirinus.
Triclinium ſanctiſſimæ Trinitatis.
Turris Dauid cum propugnaculis.
Turris eburnea.

V Ellus Gedeonis.
Virgula fumi.
Virga Ieſſe.
Virga Moyſi.
Virga Aaron.
Virga Ioſeph.
Virga, qua percutitur Aſſur.
Virga conſolationis.
Vrna aurea, in qua aſſeruabatur manna.

VAE multiplex,quo Deipara caruit. cap.5. nu.21.
Vaticinium Prophetarum dicitur Deipara. cap. 17.nu.15.
Vaticinium de Chriſto,ac Deipara. cap.4. nu.19.

Vbe-

Vbera Deiparæ assimilantur turri. cap.29.nu.4.
Vellus Gedeonis Deipara. cap.32.nu.35.
Venter Deiparę aceruus tritici,vallatus lilijs.cap. 8.nu.19.
Vermis quare dicitur Christus?cap.23.nu.23.
Via introeundi in cœlum,Deipara.cap.12.nu.14.
Viæ Dei,quid significent? cap.14. nu.3.
Viarum Dei initium,quid sit? cap.14. nu.4. ad 12.
Viduę,quæ pietatis studio secundas nuptias detractarunt. Tract.de Virg.nu.83.
Victoria Christi de dęmone,in Gedeone figuratur. cap.23.nu.14.
Victoria Christi per hamum explicatur. cap.23. num.1.
Victoria Christi sub typo gladij percutientis serpentem Leuiathan. cap.22.nu.12.
Victoria Christi sub typo manus educẽtis aspidem explicatur. cap.23.nu.4.
Victoria Christi in Dauide,Goliath occidente figuratur. cap.23. nu.16.
Victoria virgo,& martyr pestilentem dæmonem ab Vrbe Tiburtina effugauit. Tract. de Virgin. num 42.
Vicinitas Deiparæ cum Christo quadruplex. Primo, in Incarnatione. cap. 8. Secundo, in vita Christi. cap.9. Tertio,in Passione. cap.10. & 11. Quarto,in Gloria. cap. 12.
Vincentibus consessus in throno cum Christo promittitur,& quid hoc sit? cap.27.nu.1.& 2.
S.Vincentius Ferrerius Deiparæ studiosus. cap.35. num.16.
Virga,qua percutitur Assur Deiparæ typus cap.24. nu.9.& 10.
Virga,per quam ad Christum florem peruenitur,est Deipara. cap.16.nu.14.
Virga Ioseph Deipara. cap.24.nu.9.
Virga Aaron Deiparæ typus. cap.20.num.14.cap. 24.nu.9.& 10.
Virga Ioseph Deiparæ typus. ibid.
Virga virtutis Dei, Deipara. ibid.
Virga consolationis est Deiparę typus. cap.24.nu. 9.& 10.
Virga diuidens mare Deipara. cap.24. nu.11.
Virga consolationis Deipara. cap.24.nu.12.
Virga Aaronis in arca seruata, Deiparæ potestatem adumbrat. cap.20.nu.10.& cap.24. num.9. & 10.
Virga Iesse. cap.20.nu.94.& cap.32.nu.14.
Virga Moysi Deiparæ typus. cap.20. nu. 14.
Virga Ioseph. cap.20.nu.10.& cap.24. nu.10.
Virga,qua percutitur Assur. ibid.
Virginitas grata Deo. cap.32.nu.5.
Virginitas assimilata martyrio. Tract. de Virg.nu. 1.54.& 55.
Virginitas Deiparæ. cap.21. nu.20.
Virginitas præstantior in viris, quàm in fœminis. Tract.de Virg.nu.13.
Virginitas,si virgo inuita opprimatur,non amittitur. Tract.de Virg. nu.47.
Virginitas S. Ildefonsi Episcopi Toletani à Deipara commendatur. Tract.de Virg.nu. 16.
Virginitas Deiparæ cæteris præstantior, cap.32. num.11.
Virginitas Deiparæ à Zacharia affirmatur.cap.32. num.12.
Virginitatis Deiparæ variæ prophetiæ, & figuræ. cap.32.nu.13. ad 20.
Virginitas Deiparæ gentilibus præostensa. cap. 32 num.20.
Virginitas Deiparæ explicatur exemplis rerum naturalium. cap.32.nu.21.& 22.
Virginitas Deiparæ ex voto. cap.32.nu.23.ad 27.
Virginitas cæteris virtutibus cumulanda. Tract.de Virg.nu.55.
Virginitatis fructus. cap.32.nu.6.9.& 10.
Virginitatis cultus post Deiparam in mulieribus amplior. Tract.de Virg. nu.30.
Virginum mulierum exempla, quæ martyrij lauream sunt adeptæ. Tract.de Virg.à nu.30.ad 40.
Virginum mulierum exempla,quæ pro virginitate se cruciatibus,ac neci exposuere. Tract.de Virg. à nu.41. ad 46.
Virginitatis seruãdę studio,sanctimoniales aliquot se ipsas deformarunt. Tract.de Virg.nu.45.
Virginum plurimarum pudicitia, ab improborum vi,diuino prędidio mirifice seruata. Tract.de Virgi.nu.47.ad 53.
Virginum plurimarum exempla. Tract. de Virg. à nu.54.ad 72.
Virgines sequuntur Agnum. cap.32.nu.2.
Virgines canunt ante Deiparam. cap.32.nu.4.
Virginis cuiusdam occisor ad inferos raptus. Tracta.de Virg.nu.44.
Virginis cuiusdam aspectu,dęmon effugatur.Tract. de Visg.nu.74.
Virgines nuptui traditæ, quæ viris continentiam persuadentes,corporis integritatem seruarunt. Tract.de Virg.nu.79. & 80.
Virgines nuptui traditæ, quę virginitatem seruarunt. Tract.de Virg.nu.72.ad 76.
Virginum innumerabilis multitudo, sub vexillo Deiparę. Tract de Virg.nn.2. ad 6.
Virgines Christo sacræ,vestalibus virginibus longe præstant. Tract.de Virg.nu.30.
Virginum centum viginti collegium, sub institutione Deiparę. cap.37.nu.18.
Virginum honor apud homines. cap.32.nu.7.
Virginum vox veluti vox tonitrui, & citharędorum dicitur. cap. 32. nu.3.
Virginum encomia. cap.32.nu.8.9.& 10.
Virginum prędmium. cap.32.nu.5.& 6.
Virginum nomine, quid intelligatur? cap.32.nu.1.
Virginum virorum exempla plurima. Tractat. de Virg.nu.13.ad 27.
Virgo virginum,Deipara. cap.32.nu.27.
Virgo quædam S. Martini conspectum non admittens,ab eo commendatur. Tract.de Virg.nu.19.
Virgula fumi ex aromatibus myrrhę,& thuris Deipara. cap.5.nu.38.& cap.21. nu.35.
Virtutes per aromata significantur. cap.12.nu.6.
Virtutes Deiparę imitandę. toto cap.37.
Visionis beatificę diuersitas vnde oriatur? cap. 13. num.3.
Visio morientis Regis. Tract.de Virg.nu.83.
Visitationis Deiparæ festum,quando institutum? Tract.de Fest.nu.6.

Vita Deiparæ poſt filij Aſcenſionem. cap.26. nu. 8. & 10.
Vmbra Chriſti crucifixi, verſus Deiparam porrigebatur. cap.25.nu.3.
Vmbra Chriſti, verſus bonum latronem protendebatur. cap.25. nu.4.
Vmbilicus Virginis crater tornatilis, nunquam indigens poculis. cap.8.nu.1.
Voluntas Deiparæ diuinæ voluntati conformis. cap.11. nu.8.
Vota paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ in Deipara. cap.39.nu.1.
Vota religioſorum, quomodo cęperunt exerceri? cap.37.nu.18.
Vota oblata opportune non perſoluens dat pęnas. cap.36. nu.32.
Vox de throno egreſſa, quid ſignificet? cap. 33. num.1.
Vrna aurea, in qua aſſeruatur manna, Deipara. cap.5.nu.41.
Vſus rationis fuit in Deipara, ab inſtanti Conceptionis. cap.32.nu.25.
Vterus Deiparæ cœlum. cap.13.nu.1.
Vterus Deiparæ ſimilis ſepulchro dominico. cap. 29. nu. 22.
Vterus Deiparæ ſimilis monumento nouo. cap.11. num.4.
Vultus Deiparę viſibiliter radiabat, & corpus odorem ſpirabat. cap.5. nu.20.
ZEnon Epiſcopus Maiumanenſis, ſenio confectus, diuinas laudes non omittebat. Tract.de Virgin.num.81.

Finis Indicis rerum memorabilium.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

PRæcipua, quæ inter imprimendum irrepſere menda, quæque cenſorum, qui Operi corrigendo præerant, effugere aciem, in ſubiecta cenſoria tabella retractantur. Reliqua quæ vnius litterulæ adiectione, detractione, vel etiam immutatione emendari poſſunt, tuo, Lector, ingenio reſtitues. Quæ verò errata in nonnullarum vocum orthographia alioquoties deprehenduntur, interdum ſatis erit ſemel indicaſſe, vt inde reliqua corrigantur, interdum ne indicanda quidem duximus. Interpunctionibus loco motis, quæ ſententiam perturbant, tua etiam induſtria ibis obuiam. Breuicula ſeu, vt vocant, ſummaria marginibus appoſita, quæ res in textu poſitas breui comprehendunt, pluribus ſcatent mendis, ea ex ipſo textu caſtigabis.

ERRATA. CORRIGENDA.

In Admonitione ad Lectorem.

num 4. in fin. Mytienem, lege Mitylenem.
num 5. lin 6. vſus, vſum.
num 6. lin 9. Chalcedonenſi, Chalcedonenſis.

Pag.	lin.	Errata.	Correcta.
3.	26.	qua munera	lege quæ munera.
19.	46.	aſtipulatus,	aſtipulatur.
48.	40.	qui poteſt,	qui potens.
106.	35.	flagrabat,	fragrabat.
ibid.	36.	ſpina,	ſpinas.
110.	49	ſecundum,	ſecundam.
113.	1.	vt iſte tyramnus,	deleatur.
144.	1.	parthefico,	pathetico.
146.	19.	amabilia,	amicabilia.
152.	11.	languentium,	lugentium.
191.	3.	Μισθος,	lege Μισθος.
208.	29.	comprendi,	comprehendi.
ibid.	14.	tetræmotua,	terræmotu.
242.	9.	exponi,	exponit.
255.	4.	Rauennati,	Recineti.
272.	34.	tractatarum,	tractatum.
297.	6.	Comiatu,	comitatu.
307.	43.	plana,	plena.
314.	27.	peractio,	peracti.
ibid.	36	ſeculo,	lectulo.
318.	17.	prædicit D.,	prædicit Dominus.
ibid.	11.	gladio,	in gladio.
328.	13.	fulgore,	fulgere.
ibid.	47.	IESVS,	IESV.
335.	48.	interemiſiſti,	interemiſti.
ibid.	40.	petmanre,	permanente.
ibid.	40.	exhalarer,	exhalaret.
344.	10.	earum pleraque inter eos immũdæ Leuit. 11, enarrantur,	leg. earum plereque inter animalia immunda Leuit. 11. enumerantur.
345.	5	timenti,	timent.
349.	14	figuras,	fixuras.
354.	8.	Gregorius,	Georgius.
355.	53.	illi,	illam.
368.	44.	religiorum,	religioſum.
375.	40	aut dubitare,	haud dubitare.
ibid.	46.	peperit,	pepercit.
380.	19.	expoſitijs,	expoſititijs.
382.	8.	celeberriſſima,	celeberrima.
ibid.	6.	ageremus,	agemus.
384.	3	degeneri es,	degeneres.
385.	17.	percipiebantur,	præcipiebantur.
386.	54.	Louarij,	Louanij.
391.	1.	Dominificum,	Dominicum.
392.	25.	virtutis,	virtutes.
397.	2.	Scripturis,	Scriptoris.
ibid.	6.	huic,	hic.
398.	3	Iododo,	Iodoco.
ibid.	20.	ſupremum,	ſuperum.
401.	19.	conſcquatur,	conſequetur.
402.	5.	ig,	in.
404.	9.	id à ſeſe,	id à ſe.
412.	43.	Aſquigrani,	Aquiſgrani.
414.	19.	interitu,	interitui.
418	3.	Triueri,	Treuiri.
ibid.	37.	vſu,	vſa.
426.	35.	omnes,	omnis.
427.	3	efficacium,	efficaciam.
429.	49	accurrant,	accurrunt.
431.	23.	& ſicuti,	dele &.
434.	40.	eos,	eas.
437.	3.	Hinc enim, illud hinc enim,	præcedenti ſententiæ adnectendum eſt, vt nec à capite inchoetur, nec maiuſcula littera notetur.
ibid	5.	ijdem Angeli,	ideo ijdé Angeli.
ibid.	39.	in ea,	in eo.
ibid.	47.	Conſideremus,	conſiderauerint.
438.	45.	pectore,	peccatore.
439.	38.	capi,	rapi.
449	40.	fum,	fumi.
450.	7.	virga,	virgam.
456.	25.	Virginine,	virgine.
465.	23.	& eiusqne,	& eius.
470.	25.	eandem,	eadem.
471.	15	apertas,	apertos.
472.	1.	deuorer,	deuoret.
476.	53.	quondam,	quendam.
485.	4.	illuc,	illic.
505.	30.	Vir ni,	Virgini.
519.	15.	per victorijs,	pro victorijs.
523.	19	materna,	ſe matetna.
525.	18.	lata,	læta.
526.	25.	impoſtcr,	impoſtor.
528.	22.	eaque,	eamque.
ibid.	33.	generis,	generi.
537.	22.	contingit,	concigit.
548.	40.	nec templum,	nec ad templum.
549.	32.	cœnaculo,	in cœnaculo.
558.	50.	perfluitur,	perfruitur.
559	38.	recepti,	recepi.
ibid.	49.	vt egrederetur,	vt cum egrederetur.
560.	29.	quà vnquam,	quam vnquam.

ERRATA.

Pag. lin.	Errata.	Correcta.
ibid. 51.	adſim ſibi, adſim tibi.	
570 8.	Dircamium, Dyrramium,	
ibid 48.	aurem, autem.	
572. 34.	demoratus, demortuus.	
575. 21.	tantum aqua, tantum & aqua.	
579. 44.	Virgini, Virginis.	
ibid. 49.	in thuribus, in turribus.	
616. 2.	reperat, reparat.	
624 33.	Clarum, Claram.	
628. 25	Balchernis, Blachernis.	
634. 45	ex Turſellinus, hæc Turſellinus.	
664 32.	Ad 30. millibus, ad triginta millia.	
ibid 44.	vnas, vnus:	
666. 48	delecta, deleta.	
668 44	honum, hominum.	
669 54.	læco, læſo.	
672.	In ſecunda impreſſione reponantur pauci quidam verſus, quos ante Indicem locorum Scripturæ indicauimus.	
674 1.	Monologio, Menologio.	
707. 27.	montis, monaſterij.	
709 12	ægrotis, ægrotos.	
ibid. 33	Hiſpanorum, Hiſpanarum.	
711. 36.	camerarum, cameratum.	
715. 22.	laterauenſibus, Lateranenſis.	
722. 22.	Tieſſen, Lieſſen.	
ibid. 19.	Chidelberto. Childeberto.	
ibid. 47.	Balocenſe, Baiocenſe.	
729. 52.	necis, neci.	
ibid. 15.	poſtribulo, proſtibulo.	
730. 5.	ſcribatur, ſcribantur.	
732 34.	Valentianum, Valentinianum.	
736. 24.	Luxutienſe, Luxouienſe.	
737. 27.	Ieſuatarum, Ieſuatorum.	
738 6.	ſtimulis, ſtimulos.	
743. 19.	Minorsm, Minorum.	
744. 44.	ſatana, ſatanæ.	
ibid. 51.	pollicere, pellicere.	
745. 8.	inqnam, in quam.	
749. 32	conatus, coactus.	
752 44.	in conuentum, in conuentu.	
ibid. 46.	in ordinem, in orationem.	
754. 34.	duodecim annis, duodecim annos.	
ibid 18.	curandos, curandi.	
755. 48.	ſalmaticenſis, Salmanticenſis.	
756 26.	extructum, extructo.	
ibid 34	incendijs ſe, dele ſe.	
760. 8.	1549, 1459	
761 16.	ad Neronem, ad Heronem.	
763. 9	paſſa, paſſas	
766. 6.	Deciani, Daciani.	
769.	impetraturos, impetraturas.	
771. 41	deliberandam, deliberandum.	
774. 10.	à qua, à quo.	
775. 3.	teſti, tecti.	
776 14.	eorum, earum.	
776 33.	inducias, inducijs.	
776. 51.	Cadocus, Cradocus.	
777 6	abiurgatus, obiurgatus.	
ibid 17.	ambrium, Cambrum.	
778 6	parent bus. parentibus.	
ibid 16	Atrobatenſis, Atrebatenſis.	
781 21	inerrabilem, inenarrabilem.	
782. 4.	translationi: eius, translationis eius.	
783. 34.	Didmyo, Didymo.	
791 32.	meritò. merito.	
792 10.	Elffeda, Elfieda.	
ibid. 31.	750., 650.	
ibid. 37.	complexi, complexæ.	
794 6	proſternans, proſternens.	
797. 6	Lupas, Lupos.	
798. 39	Rhotomagenzi, Rhotomagenſi.	
803. 41.	Clotario, Clotarij.	
ibid.	Clodueo, Clodoueo.	
ibid 51	Tuncrenſis, Tungrenſis.	
801 9.	& 10 Sancti Rictrudis, Sanctæ.	
810 1.	Ablaxij, Ablavij.	

In Indice Virginum.

Prudentiana, & Praxedis martyres, dele martyres.

REGESTVM.

† †† ††† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

Aaaa Bbbb.

Omnes ſunt Terniones, præter ✻✻✻ Duernionem, & Yyyy Quaternionem.

NEAPOLI,
Ex Typographia Tarquinij Longhi. MDCXIII.
CVM LICENTIA SVPERIORVM.

Sign.
Est. 95
cap. 6
Num. 6

63

Processus

137

A 1427
58